





BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. C. N.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

TOMUS DUODECIMUS.




Masucci Delin.
Girolamo Frezza scul. Roma con lic de su



RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS

MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS DUODECIMUS.



Antonius Gregolini inv. del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.



SERENISSIMÆ VENETÆ REIPUBLICÆ



PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
FOELICITATEM.



Uod primùm animo conceperam, cùm edendis Italicarum Rerum Scriptoribus manum admovi, plura ſcilicet de SERENISSIMA REPUBLICA VESTRA, *Majorumque Veſtrorum geſtis in Collectionem noſtram eſſe congerenda, initium habet ab eximio præſtantiſſimoque Duce Veſtro* Andrea Dandulo, *qui Venetam hiſtoriam à jactis æternæ Urbi fundamentis ad ſua uſque tempora*

prosequutus, delituerat adhuc in privatis Archivorum loculis, ac per typos nostros publicam in lucem prodit, Vestratium præcipuè commodo, quibus gratum procul dubio futurum putamus, amplissimum virum, atque optimè de Republica meritum de rebus patriis differentem audire: hominem, inquam, illum, cui penitiora quæque consilia, dum publicis rebus administrandis præesset, fuerant explorata, ac vetera omnia monumenta præ manibus: quæ duo, ni fallor, argumenta maximè sunt scribendæ historiæ necessaria; quodque magis est, vetustæ simplicitatis & candoris hominem ab adulatione ac mendacio aversum; quin suspecta sit in Veneto cive de rebus Venetis narratio: omnes enim cùm ad patrias res enarrandas accedimus, etsi ferventiùs nostrorum amore ad attollendam eorum gloriam natura ipsa cogente feramur, præ cæteris tamen diligentiùs inquirimus, ne vel digito quidem à vero discedamus, exterorum accusationem turpissimam ubique declinantes; isque sanè timor si ad cobibendos vulgarium hominum calamos fuerit satìs, eo fortiùs urgere necesse est honestiorum animos, qui pudore solo sæpissimè franguntur; quamobrem plurimi faciendum Scriptorem nostrum nemo negaverit, vel ob eam unicè rationem, quòd inter Optimates ortus Rempublicam Vestram olim optimè rexerit.

Verumenimverò doni hujus, quod Palatinorum Sociorum nomine SER.MÆ REIPUBLICÆ *humiliter offero, si pretium prædico, nemo vitio*

mibi

mihi vertat velim: veſtrum enim eſt, qualecumque eſt: nobis verò ſolum diligentiæ ſtudium in cudendo vulgandoque Codice tribuendum. Hinc orta dicandi operis, ut ita dicam, obligatio; nam ob eximium donati Codicis beneficium erat profeſſione debiti; atque hocce publico teſtimonio à nobis aliquid SERENITATI VESTRÆ *retribuendum, ne immemores, imò ingrati videremur: & ut verum fatear, acceptiſſima nobis ex munere veſtro nata eſt opportunitas explicandæ in hiſce literis erga* SER.MAM REMPUBLICAM VESTRAM *devotionis noſtræ, quam felici rerum veſtrarum ſtatu excitatam altiùs animo impreſſit frequens Venetæ hiſtoriæ lectio, quæ inſtruendæ Italicarum Rerum Collectioni erat maximè neceſſaria, cùm præcipuum & immortale ornamentum Italiæ ſit ex Venetorum nomine atque potentia; ea quippe ſola Italiæ pars adverſùs immanium Barbarorum impetus inconcuſſa veteris majeſtatis ſplendorem ſervavit, & inviſam ſæpiùs libertatem non ſolùm propugnavit, ſed etiam auxit; eamque laudem promeruit, quam à natis hactenus hominibus natio ulla obtinere non potuit, etſi ſapientiſſimas, vel fortiſſimas recenſeamus, cujuſque comparandæ rationem fruſtra innumeri penè Philoſophi meditationibus ſuis inveſtigarunt: arcanum ſcilicet illud Imperii cum Libertate vinculum, quod ad beatam inſtituendam Rempublicam neceſſarium fatentur omnes, quodque licèt olim cariſſimæ Divino Numini genti per leges ab ipſo traditas*

reve-

revelatum fuerit, labentibus in deterius moribus, mutatisque majorum institutis brevì dissolutum fuit, neque ampliùs cognitum, rebus in asperam impotentiam conversis. Ad quæ cùm animum verto, mirari desino, quæ sit in Republica Vestra familiaris quædam Religio, ne vel minimum quidpiam à veteribus institutis discedatur, non, inquam, à legibus, & patriis consuetudinibus, quæ simplices ac justissimæ, per omnem ætatem constantes, variationem & interpretationem non patiuntur, sed vel ab ipso cultu & ornamento corporis, imò & à veteri loquendi usu, quem in publicis rebus agendis immutare nefas elegantissimo cuique ac politioris literaturæ studioso, cui, ridentibus auditoribus, inanis in publico disertæ orationis fuerit conatus, nisi ad veterem sonum sit compositus, itaut eadem conditione sint in foro verba & moneta, ubi nonnisi probata per publicam imaginem accipiantur; unde facilè cognoscimus inter veteres Romanorum, Græcorumque Respublicas ac Venetam differentiam; in iis namque novæ leges mutatis moribus sæpissimè condebantur, contra verò Venetis labor omnis in revocandis ad primæva instituta moribus, ne quod semel ad publicam utilitatem expedire compertum est, novitatis studio, ac pernicioso Reipublicæ experimento in deterius vertatur; singulæ namque civilis rationis partes ita sunt inter se compositæ, atque harmonia quadam ordinatæ, ut vel unâ dissolutâ, ceteræ labare incipiant, ac paulatim everti, ne-

que

que restitui possint in ordinem, nisi nova forma Reipublicæ tradatur, in quo quantum periculi sit, ne recentiorum exempla repetamus, ipsis Græcis, & Romanis, utcumque sapientia, fortitudine ac fortuna clarissimis, tardè nimis ac post amissam libertatem exploratum est.

Alitur hisce argumentis apud Vestrates eximius ille amor in Patriam, quo Magistratus omnes & Senatorii Viri, quo Civium ordines universi ardentissimè flagrant, cuique caput & fortunas omnes devovere Venetis ita frequens, ut Curtios & Fabritios antiquitate celebratissimos in homuncione quoquam invenias. Is equidem foris animos addit, ac militarem fortitudinem adeò firmat, ut pugnantes pro Libertate Venetos victoria perpetuò subsequatur; domi verò consiliorum præstantiam suggerit, quæ ceteris nationibus miraculo sit; apud quas, ne arcana quidem esse possint, quæ cum paucis aguntur, Venetiis contra profundo custodiantur silentio, quæ frequenti tractata Senatu ducentorum Patrum fidei sæpissimè traduntur. Hinc ea in rebus adversis constantia, ad quam expugnandam non satis virium Europæ ferè universæ, quod tum satis compertum est, quando, sociali fœdere compositis rebus, in Venetos illata sunt arma, ea vi atque impetu, ut firmiora quæque nutassent imperia. Hinc mirabile illud singulorum in Rempublicam obsequium, quod elatos etiam ad supremam dignitatem Cives dicto parentes facit, atque ad deponendos Magistratus,

tus, vel militare imperium, ne momentò quidem cunctantes detineant, vel pœnarum metus, vel ambitionis illecebræ; quæ in Romanis Magistratibus oborta extremam Libertati ac Populo perniciem intulit. Hæ sanè virtutes diuturno donatæ sunt imperio Dei Optimi providentiâ, per quod Nationes etiam ceteras dignitate præcessistis; per has auctæ opes, ac protensi longiùs terra marique dominationis Vestræ fines, &, quod ex corde ominamur, ea Vobis erit æternitas imperii, quam frustra sibi Romani vel è victricium Legionum robore, vel ex Provinciarum numero præseferebant. Nec inane fuerit augurium, donec idem virtuti, patriisque Legibus honos habeatur ea in Urbe, quæ hostium vim timere non potest, nisi elementa officium suum deponant, vel commutent, & in antiquum chaos iterum revolvantur, vel è Vestratium animis libertatis amor radicitus evellatur. Hoc naturæ beneficium, per quod securi liberalibus studiis tot sæcula Veneti vacastis, Artes omnes aluit, atque in eam, qua nunc sunt, elegantiam educavit, queis ne dicam de ædificiorum magnificentia, quæ opum & otii crassius testimonium, aucta adeò in omni opere Urbs Vestra, ut Græcorum scientiam, & Romanorum prudentiam Venetias translatas nemo diffiteatur, cùm ad Sapientissima Vestrorum Civium scripta oculos convertat, ac Bembos, Contarenos, Barbaros, aliosque centum cum celebratis quibusque veteribus Scriptoribus contulerit. Quid si leges, &

præ-

præscriptam agendis civilibus causis formam notarit? Quid si Venetas historias perlegerit, ac ingentes terra marique copias uno tempore paratas enumeret, vel Ducum egregia facta, & militarem fortitudinem? Quid si ad mechanicas artes se converterit, ad Pictoriæ scilicet, Statuariæ, atque Architectonicæ Artis studium. Nonne Athenas in Vestras insulas translatas, & Academiam Græcorum apud Vestrates contemplari queat, ac fateri cogatur ab Orientis atque Occidentis Imperio post Barbarorum illuviem quidquid boni, quidquid elegantiæ superat in Vestram tutelam se recepisse, atque iterum per universam Italiam, nationesque ceteras fuisse diffusum; neque argui posse timeo quasi longiùs à vero per adulandi studium ferri me patiar; testes enim producam quotquot in hac Collectione Scriptores vulgabimus, eosque plurimos, ut necessarium erat nobis agentibus de rebus Venetis, quibus historico stylo enarrandis non satìs fuerint unius hominis ætas, & vires. Iis omnibus, ut initio dicebam, Dandulum *præposuimus, qui ceteros ætate præcellit; sed cùm assero primum locum ei datum fuisse, nolim quis intelligat nos in præcedentibus Tomis nulla produxisse Veneta monumenta: plura namque dedimus in singulis Tomis, quæ ad Serenissimam Rempublicam, & Civitates sub imperio ejus sitas pertinent, ut cuique patebit, sed ob eam causam* Andream Dandulum *primum appellavi, quòd primus sit inter eos, qui*

so-

solam sibi Venetam historiam scribendam præposuerunt; eumque ceteri deinde, si DIs placet, erunt subsequuturi. Prodeat igitur sub felici SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ *auspicio Serenissimus Auctor, quantum fieri potuit à mendis expurgatus, sitque perpetuum Mediolanensium Sociorum obsequii testimonium; cùmque studia nostra in servandis Italicis monumentis à temporum injuria communi nomini ac famæ præsidium parent, amplissimæ Urbi ac Dominationi Vestræ non inutilem operam navasse credimus, unde patrocinium laboribus nostris & gratiam, quam unicè optamus, comparare possimus, quod* SERENITATI VESTRÆ *humiliter profiteor & obtestor.*

Dabam Mediolani VII. Kalendas Augusti MDCCXXVIII.

ELENCHUS
TOMI DUODECIMI.

ANDREÆ DANDULI Venetorum Ducis *Chronicon Venetum*, à Pontificatu S. Marci ad Annum usque MCCCXXXIX.
Succedit *Raphaini Caresini* continuatio usque ad Annum MCCCLXXXVIII. nunc primùm evulgata ex MStis Codicibus *Bibliothecæ Estensis*, ac cum altero *Bibliothecæ Ambrosianæ* collata, & aucta. pag. 1

FRAGMENTA *Annalium Romanorum* italicè scripta ab Anno MCCCXXVIII. usque ad Annum MCCCXL. Auctore *Ludovico Bonconte Monaldesco*, nunc primùm in lucem efferuntur ex Manuscripto Codice *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*. pag. 525

DOMINICI *de* GRAVINA *Chronicon* de rebus in Apulia gestis ab Anno MCCCXXXIII. usque ad Annum MCCCL. nunc primùm in lucem educitur ex MSto Codice *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*. pag. 545

HISTORIÆ PARMENSIS *Fragmenta* ab Anno MCCCI. usque ad Annum MCCCLV. Auctore *Fratre Johanne de Cornazanis* Ordinis Prædicatorum, Latinè primùm, sed heic tantùm Italicè scripta, cum additamentis usque ad Annum MCCCCLXXIX. nunc primùm prodeunt ex Manuscripto *Codice Torelliano*. pag. 725

CORTUSII PATAVINI duo, sive *Gulielmi* & *Albrigeti* Cortusiorum *Historia* de Novitatibus Paduæ, & Lombardiæ ab Anno MCCLVI. usque ad MCCCLXIV. solerti *Felicis Osii* calamo seriò castigata, beneficio MSStorum exemplarium IV. quorum primum sumministravit Illustrissimus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Senator, & obliteratæ Veterum Scriptorum memoriæ restitutor *Dominicus Molinus*. Secundum, exaratum Viri docti *Francisci Mussati* manu, consanguineus ejus, & J. U. C. *Marcus Antonius Mussatus*. Tertium *Bartholomæus Petardus*, Veronensis J. C. &c. Postremum *Jacobus Philippus Thomasinus* Canonicus Secularis Sancti Georgii ab Alga Venetiarum, & Sanctæ Mariæ ab Avantio Patavii Prior.
Omnia nunc prodeunt castigatiora ac ampliora ope quinque MSStorum Codicum: Primum suppeditavit *Bibliotheca Estensis*. Secundum Nobilis Vir *Antonius Rambaldus Comes Collalti*, intimus Augustissimi CÆSARIS Consiliarius. Tertium Clar. V. *Apostolus Zenus* ejusdem Augusti Historiographus & Poëta. Geminos verò *Bibliotheca Ambrosiana*. pag. 757

ADDITAMENTA duo ad *Chronicon Cortusiorum*, unum ab Anno MCCCLIX. usque ad Annum circiter MCCCLXV. Alterum ab Anno MCCCLIV. usque ad MCCCXCI. Patavina dialecto scripta ab *Auctoribus Anonymis*, & nunc primùm evulgata è MSto Codice *Bibliothecæ Estensis*. pag. 955

GUALVANEI *de la* FLAMMA Ordinis Prædicatorum *Opusculum* de rebus gestis ab Azone, Luchino, & Johanne Vicecomitibus ab Anno MCCCXXVIII. usque ad Annum MCCCXLII. nunc primùm in lucem editum è MSto Codice *Bibliothecæ Ambrosianæ*; adjectis aliquot adnotationibus Clarissimi Viri *Joseph Antonii Saxii* eidem Bibliothecæ Præfecti. pag. 991

CHRONICON MODOETIENSE ab origine Modoëtiæ usq; ad Annum MCCCXLIX. ubi potissimùm agitur de gestis priorum Vicecomitum Principum, Auctore *Bonincontro Morigia* Synchrono, nunc primùm prodit è MSto Codice *Bibliothecæ Ambrosianæ*. pag. 1053

INDEX Rerum, & Nominum. 1185


ANDREÆ DANDULI
VENETORUM DUCIS
CHRONICON VENETUM
A PONTIFICATU SANCTI MARCI
ad Annum usque MCCCXXXIX.

SUCCEDIT

RAPHAINI CARESINI CONTINUATIO
Usque ad Annum MCCCLXXXVIII.

Omnia nunc primùm evulgata

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS,
ET CUM ALTERO
BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
Collata, & aucta.




IN CHRONICON VENETUM ANDREAE DANDULI EJUSQUE CONTINUATOREM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SCriptor hujus Historiae fuit *Andreas Dandulus*, sive *Dandalus*, ut nonnulli sed perperam, ut puto, Venetiis in inclyta Urbe natus, & ex praeclarissima Familia, quae jam tres Duces Venetorum Reipublicae dederat. Literis ac moribus excolendis adolescens ipse ita operam dedit, ut famâ sapientiae & singularis comitatis partâ, ad ejusdem Ducatus honorem deinde evectus & ipse fuerit Anno Christi 1343. nec sine hominum admiratione prae viridi ejus aetate; quippe tunc annos tantum natus XXXVI. menses VIII. dies V. Marinus Sanutus Leonardi filius Patricius Venetus in Historia MSta *De Origine Urbis Venetae, & Vita omnium Ducum*, quam Bibliotheca Estensis servat, haec de illo habet Italicis verbis: *Andrea Dandolo Doxe, cognominato Contesin, essendo Procurator della Chiesa di San Marco e Dottor di Leze, ricco e zovene d'anni 37. fu eletto da i Quarantuno a dì 7. Zener. Havia 36. anni, mesi 8. giorni 5. Fu homo facondo, Letterato, & amantissimo della Republica: peritissimo in le divine & humane Scientie. Scrisse due Croniche di Venezia fin' al suo tempo Latine, una grande, e l'altra breve. E al suo tempo li Libri della Canzellaria fece radrizzar, come appare in li Proemii* &c. *Fu creado Doxe el dicto Ser' Andrea Dandolo, dicto Conte, Procurator della Chiesa; e fu electo di Sabbato a dì* 4. *Zener* 1342. (ita ille, quum Annum novum Veneti non a Kalendis Januarii deducant, sed ab Incarnatione, hoc est a die XXV. Martii subsequentis.) *Questo era homo dottissimo, disceso di Mess. Ugo Dandolo Doxe*, (scribendum reor *Arrigo*; neque enim ullum Hugonem Dandulum Ducem Venetiarum novi). *Si chiamava Contesin, fu fiolo di Mess. Fantin da San Luca. Avea tre fioli nominati Fantin, Lionardo, che fu Cavalier, e Piero.* Franciscus Sansovinus in Venetiarum Descriptione Lib. 13. scribit, Dandulum primum fuisse ex Venetis Patriciis, qui Doctoratus insignia acceperit. Agnomen autem *Contesini*, hoc est parvi Comitis, quo ipsum fuisse auctum testatur Sanutus, monet nos, conferendum esse locum in Historia Veneta Marci Antonii Sabellici Italico sermone edita & aucta Dec. 2. Lib. 3. ubi haec legimus: *Fu di natura piacevole e liberale: per la qual cosa si dice aver tratto il cognome di Comisino*. Paria occurrunt in Historia Rer. Venetar. Petri Justiniani Lib. 4. his verbis: *Andreas Dandulus, vir singulari doctrina & eloquentia clarus, qui Venetorum gesta eleganti stylo conscripsit, comisque ad haec, atque a natura adeo affabilis, ut Comisini cognomen traxerit*. In altera Historia Veneta MSta (cujus Auctorem ignoro) ab Urbis origine usque ad Annum 1612. perducta, & in Estensi Bibliotheca adservata, haec de Dandulo nostro leguntur: *Era chiamato il Certosin, per esser di natura affabile e cortese verso tutti*. Sed inepta haec omnia; neque enim apud Italos aut *Comisini*, aut *Certosini* agnomen Virum exhibet comitate præstantem. Immo hanc ejus indolem ac virtutem ne vocabulum quidem *Contesini* satis prodit, ut dubitare tamdem coactus fuerim expungenda haec omnia, atque appellatum fuisse Dandulum *il Cortesin*, quo certe nomine nil aptius ac propius ad significandam singularem Viri illius humanitatem. Quae quum scripsissem, conjecturam meam firmatam deinde vidi ex altero Codice MSto Bibliothecae Estensis, pariter complectente Venetorum Historiam. Ibi haec leguntur de Dandulo nostro: *Questo fu un sapientissimo homo, e cortese a tutti comunemente, e perciò el vegniva ditto il Cortese di sopranome*. Similia habentur in *Vitis Ducum Venetorum*, quae in altero ejusdem Bibliothecae Codice exstant, ubi is appellatur *Andrea Dandolo, detto il Cortese*

Ad Annum usque 1354. vixit & regnavit Dandulus, sed inter tempora difficillima, atque adeo inter bella parum Patriae suae secunda, quibus consilio non mi-



nus, quam fortitudine, quantum potuit, consuluit. Literatorum hominum amantissimus fuit, & prae ceteris Franciscum Petrarcham carum habuit, qui literas ad ipsum Dandulum non unas dedit hortatorias ad pacem. Hae autem leguntur inter ipsius Petrarchae Opera Latina una cum iis, quas Dandulus ipse rescripsit. Nunc Sanutum rursus audiamus diligentissimum ex iis, quos noverim, rerum Patriae suae Scriptorem ad Annum 1354. in Historia MSta, ubi ejus mortem refert: *Fu Dottor valente: Studiò sotto Ricardo Malombra, gran Jurisconsulto. Compose una Cronica Latina, e un' Opera chiamata Mare Magnum, dell' Origine delle Nobili Fameje di Venexia, la quale par sia nel Consejo de' Diese, & il Compendio Latin di Venexia. Lasiò un Fio nominato Lunardo, qual fu Cavalier. Et esso Doxe, per dolor dell' Armata inimica, venuta a brusar Parenzo, si ammalò. Stè 22. zorni ammalado. Et havendo dogado anni XI. mesi VIII. moritte a dì 7. Settembre, e fu sepulto nella Capella del Battisterio di San Zuanbattista in arca bella intajada, che poi li fu fatta. Questo portava li Zii in l'arma*. Postremus etiam Ducum fuit, Sanuto ipso teste, cujus corpus in Sancti Marci Basilica sepulturae traditum fuerit. A Jacobo autem Caroldo in Historiis Venetis MStis dicitur ad Ducalem dignitatem evectus, *per essere dottissimo nelle divine & umane lettere, eloquente, facetissimo, grave, e molto liberale, e sopra l'altre prestanti Virtù sue era giustissimo, clemente, & umanissimo*. Epitaphium ejusdem editum heic reperies post Epistolam Benintendii in Prolegomenis.

Nunc ad Chronicon venio, quod ex duobus Codicibus MStis Bibliothecae Estensis descriptum publici juris facio. Sitne hoc *magnum Chronicon*, seu universalis Historia ab ipso Dandulo literis consignata, an ejusdem *Historiae Compendium*, ab eodem Auctore elucubratum, sciscitabuntur Lectores. Olim nihil aliud mihi videbatur, nisi *Compendium*, seu *Breviarium* amplioris Historiae; atque in eam conjecturam ducebar, quod hoc Opus viderem sectum in Libros, hos autem omnes in Capitula, atque haec in Partes. Quae utique divisio (quum paucissimis saepe, atque interdum una aut duabus lineis Partes ipsae expediantur) superioris Libri. Atque ita conjectabar Sed opinionem hanc deserere sum coactus, inspecto altero ex duobus Codicibus MStis Estensis Bibliothecae, in quo Chronicon idem continetur, a Libro Quarto exordium ducens, & in finem Quincti desinens. Ibi sequitur ejusdem Danduli *Chronicon abbreviatum* cum hocce titulo: *In Christi nomine Amen. Incipit Chronica per Annos Domini divisa, de Urbis & totius Provinciae Venetiae initio constitutione Ducum, ac laudabilibus operationibus sub ipsis gestis, summarie faciens mentionem*. Heic autem post enarratam Venetiarum fundationem, Vitae Ducum Venetorum habentur a Paulutio usque ad Bartholomaeum Gradonicum Ducem, ad eum nempe, qui in Ducatu Dandulum ipsum praecessit, illorum rebus gestis breviter exhibitis, reliquis vero omissis, quae ad aliarum gentium Historiam spectant. His autem verbis Chronicon istud, sive Breviarium, exorditur Dandulus: *Cum Deus omnipotens, a quo omnia subsistentia sumserunt initium, Venetorum Ducatum in Christianorum Principibus mirifice exaltaverit, quod supradicto respectu ab ipsius principio suis laudabilibus operationibus noscitur processisse, de quibus moderni & futuri informati, de bono in melius debent rationabiliter proficisci: Ob hoc ego Andreas Dandalo proposui sub brevi compendio Provinciae Venetiarum initium, & ipsius incrementum, & pro ut sub Ducibus constitutis notabilia facta fuerunt, summatim enarrare. Sed si quis de praedictis latiorem notitiam habere desiderat, ad Chronicam a praesenti Auctore compositam recursum habere debeat. Ex his namque, quae dicentur, quaedam vidi & audivi, quaedam vero ex lectione Annalium mihi innotuere. Unde principium, progressum, & consummationem operis ex illius expecto auxilio, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Rex magnus & Dominus super omnes Deos*. Deinde incipit: *Majorum tradit antiquitas* &c. Itaque Chronicon Danduli, quod nunc prodit, illud est, cui *Chronici magni* titulus postea accessit. Nihil autem habet Breviarium Historiae, quod in latiore fere semper non invenias.

Uti jam innui, Chronicon istud in MStis Codicibus exordium habere solet a Libro Quarto, atque ita observatum inveni in duobus Estensibus, atque in Ambrosiano infra memorando. Quare conjicere possumus, Dandulum Historiam suam pro more Seculi; quo scripsit, ab Orbe condito deduxisse, & per tres Libros ad Apostolorum usque tempora perduxisse. Excidisse videtur, aut saltem omissa fuisse a Librariis pars illa Historiae, quod nihil novitatis neque utilitatis exhiberet. Et certe si tempora ante Christum descripta in iis Libris habebantur, nihil deperdimus iis deperditis. Ceterum Historiae, quam nunc profero, alibi etiam varia exstare exemplaria MSta, compertum habeo, nempe Venetiis, in Vaticana Bibliotheca, in Regia Parisiensi, atque in Ambrosiana Mediolani. In Ratisbonensi quoque Sancti Emmerammi Monasterio *Andreae Danduli Venetiarum Ducis Chronicon* adservari testatur Bernardus Pezius Benedictinus in Differt. Isagog. ad Tom. I. Thesaur.

ſaur. Anecdot. noviſs. Sed quod mihi moleſtum in primis erat, duo Eſtenſes Codices, quibus in hac editione ſum uſus, ita a Librariis deſcripti fuerant, ut mendis non paucis ſcaterent: quo infortunio laborare alios quoque hujus Hiſtoriae Codices alibi adſervatos novi. Et quidem ſuſtuleram ego, quae craſſiora videbantur, & in oculos incurrebant, corrigenda Lectoribus dimittens, quae forte ſuperfuerant, prout quiſque veritati & rationi plus convenire putaſſet. Sed ne ſic quidem & Hiſtoriae magni faciendae, & Lectorum juſtae cupiditati factum fuiſſet ſatis. Bene ergo ſit Clariſſimo Viro Joſeph Antonio Saxio Ambroſianae Bibliothecae Praefecto, qui ad hujus quoque Chronici editionem purgatiorem efficiendam, numeriſque, ut ita dicam, omnibus abſolutam, opportuno ſubſidio vix rogatus mihi praeſto fuit. Scilicet noram ego, inter MStos Codices, olim ad Johannem Vincentium Pinellum celeberrimum Literarum cultorem ac patronum ſpectantes, & poſt ejus obitum in Ambroſianam invectos, haberi Codicem ejuſdem Hiſtoriae, ex cujus collatione cum Eſtenſibus multum frugis ſperandum erat. Neque me ſpes mea ac opinio fefellit: iis enim dotibus abundat Ambroſianae Bibliothecae Codex, ut facile neque caſtigatiorem, neque uberiorem alterius cujuſquam ſcrinia claudant. Quid vero ſupra Eſtenſes ille complectatur, malo Lector accipiat verbis humaniſſimi Saxii, quam meis. Ita ergo ille literis ad me datis IV. Non. Junii hoc eodem Anno 1728. ſcribebat.

CLARISSIMO, AC DOCTISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

COLLEGIO, AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS

S. P. D.

„ ANdreæ Danduli hiſtoriam, quam proferre in lucem meditaris, prorſus „ non dubito ab erudito quolibet viro recenſendam fore inter ſelecta illa „ temporum ſuperiorum monumenta, quæ rariorum gemmarum ad inſtar „ pretio ſuo conſpicua, ſummam florentiſſimæ huic Collectioni laudem concilient. „ Quo circa non tam gratulationem, quàm operam qualemcumque meam ad au„ gendum editionis hujus pretium deeſſe minimè paſſus ſum. Quippe Ambroſiana „ Bibliotheca, quod non ignoras, Hiſtoriæ hujus exemplar cuſtodit, exactum adeò „ plenumque, ac pluribus inſuper documentis & adnotationibus ad rem Venetam „ illuſtrandam idoneis refertum, ut illud in commune bonum nunc minimè ſuppe„ ditare, non religioni modò ſed piaculo reputaſſem. Laborem hunc poſteritati „ gratiſſimum debemus Johanni Vincentio Pinello, cujus ſingularis in Literas & Li„ teratos amor, *nomenque celebratum ab omnibus ætatis ſuæ inſigniſſimis viris*, ut ſcribit „ in ejuſdem Vita Paulus Gualdus Patritius Vicentinus, adhuc perennia apud nos „ vigent, cùm quidquid ditiſſimæ illius Bibliothecæ, ac præſertim MStorum Co„ dicum ab inclementis pelagi & piratarum injuriis ſuperſtes fuit, multo compa„ ratum auro, in Ambroſiana ſcrinia deduxerit immortalis famæ Cardinalis Fede„ ricus Borromæus. Erat Pinellus acerrimi ingenii ac inexplebilis deſiderii, ut re„ condita quæque Archivorum documenta luſtraret exſcriberetque. Sorſque pro„ pitia votis arriſit; teſte ſiquidem memorato Gualdo, univerſa Venetæ ditionis „ Tabularia eidem patuere. Nactus itaque exemplar Danduli Hiſtoriæ, illiuſque „ pretium digna pendens æſtimatione, nihil curæ neglexit, ut opportunis omnibus „ ſupplementis adjectis ornatior exactiorque inſtitueretur. Quandoquidem verò „ geminum opus edidit Dandulus, Chronica nempe extenſa, decem Libros, Ca„ pita, & Particulas continentia, quibus complexus eſt univerſam Hiſtoriam, & „ Chronica abbreviata, quæ ad res præcipuè Venetas pertinent, hiſce poſtremis „ partim ad marginem, partim in chartis interjectis addidit quidquid in extenſis „ legebatur, adeò ut utraque illa monumenta Pinelli Codex nobis relictus conti„ neat. Neque hac diligentia ſatìs voto ſuo factum exiſtimans, Codices alios me„ lioris notæ conſuluit, duos præſertim Marci Antonii Michaëlis, & Jacobi Con„ tareni, quorum nomina & familiæ tum ſanguinis nobilitate & præcipuarum in „ patria dignitatum ornamento, tum ſingulari Literarum amore & cultura, non „ modicum laudis argumentum Venetæ Hiſtoriæ Scriptoribus præbuere. Alterum „ quoque Nicolai Zeni ad conferenda ſimul ſcripta Danduli & Raphaini Continua„ toris adhibuit; atque ex iis omnibus illa decerpſit, quæ aut explendis apogra-

„ phi

„ phi sui lacunis, aut puriori restituendæ lectioni commoda parabantur. Quin imò cùm Marcus Antonius Michaëlius plura ad Codicem suum adnotasset, quæ privatæ eruditionis genio sive ab aliis Historicis, sive ab Archivorum scripturis, ad hujus Historiæ seriem spectantia collegerat, ea etiam Pinellus, alieno proficiens labore, in exemplar hoc transtulit. Quanto autem diligentis studii conatu Pinellus ipse insudaverit, ut in hisce Danduli Annalibus nihil ferme, ad antiquam Venetæ Reipublicæ Historiam pertinens, desiderandum relinqueretur, præfixa eidem index pagina satis superque testatur. In ea siquidem describuntur Libri, è quibus documenta & appositæ adnotationes desumtæ fuere: *Chronica* videlicet *Capivacci*: *Codex Johannis Bembi*: *Liber* appellatus *Fractus*, qui Rubricas Communis Veneti complectebatur: Geminus alter *Pactorum* dictus, qui sancita cum finitimis remotisque fœdera, paces, pactaque referebat: *Capitulare Consiliariorum*, in quo inductæ consuetudines, decreta, legesque pro temporum varietate à Reipublicæ Rectoribus editæ recensebantur; aliique plures, quos heic singillatim enumerare non vacat. Hæc omnia ad præsentem Danduli editionem nobiliùs adornandam libentissimè protuli; licèt non modicè elaborandum fuerit, ut confusa indigestaque tot rerum insertarum farrago, quibus in magnam molem Pinelli Codex excreverat, suis quibusque locis adaptaretur, & per ordinem temporum distributa, Danduli Historiæ lucem, Lectoribus verò commodum multiformis eruditionis oblectamentum afferret. Nec diffiteri possum, in ejusmodi cura plurimum ingenio, sedulitati, patientiæque *Philippi* nostri *Argelati* fore tribuendum.

„ Reliquum hìc foret, ut ad peculiaria quædam indicanda descenderem, quæ munus hoc, Venetæ Reipublicæ obsequio dicatum, gratius eruditis reddere possunt. Plura siquidem in hisce additamentis occurrunt, quæ non ita facilè in vulgatis reperias annalibus; Ecclesiarum nempe, ac Cœnobiorum quorundam origo; exemptiones ac Privilegia publico decreto iisdem concessa; gestæ à conspicuis viris in urbe Veneta ac subditis Provinciis Præfecturæ & Magistratus; amplum in viginti populos dominium Reipublicæ tempore Henrici IV. in cujus diplomate Veronæ dato confinia inter eandem & Imperium statuuntur; Procerum multorum nomina, quos ab urbe Constantinopolitana sub Emanuele Comneno profugos non tam benignè excepit urbs Veneta, sed adoptatos in Cives, nobilium quoque familiarum suarum catalogo inseruit; Chronologia denique Rerum Venetarum nonnullis mendis expurgata, & continuata ferme annorum serie variis eventibus, edictis, ac documentis aucta usque ad postremum Danduli historiæ. Sed ne modum epistolæ excedam, videarque tibi historiarum peritissimo aliquid supervacaneum obtrudere, calamum sisto. Vale.

Haec ad me amicus Saxius. Et Ambrosiano Codici revera quisque perspiciet quantum debeat ista editio, quum & ejus ope, quod Estensibus deerat, suppletum, pluraque inde sublata fuerint menda, quae nullâ fortasse conjecturâ expurgare antea fas erat. Nihil tamen mihi dissimulandum. Missum ad me fuit specimen ejusdem Codicis, ut meis ipse oculis inspicerem, quid illinc ad publicam utilitatem emergere posset; atque e vestigio perspexi, ne illum quidem a Librariorum vitiis immunem abire, multisque in locis lectionem Estensium esse praeferendam. Quod tamen prae ceteris miratus sum, dissidebat interdum ab Estensium Codicum stilo Ambrosianus: hoc est, eaedem plane res utrobique, diversis tamen verbis ac phrasibus, diverso etiam ordine enarrabantur. Fuissent, quibus Ambrosianus textus, tanto labore a Pinello exornatus, anteferendus videretur. Mihi secus constitutum est, non privato caecove affectu erga Bibliothecam, cui praesum, sed re, ut mihi visum est, sic exposcente. Nihil enim mihi occurrebat in Mediolanensi Codice, quod in Mutinensibus non haberetur; & contra in his plura quam in illo se se offerebant. Ad haec non semper fidendum Ambrosiano locus me monuit, ubi videlicet de Attila Hunnorum Rege aedificatore Budae scriptum erat: *Teutones interdictum Attilae veriti, non Sicambrum, ut puto, sed Ethbullut appellarunt. Hunni vero Oribundam appellarunt, usque ad tempora Danduli*. Quid rei hoc est? Non ita scripseris Dandulus, sed quidem alius, qui post ejus mortem scripta ab eo minime veritus fuerit aliquâ licentiâ retractare; atque is fortasse idem censendus est, qui non paucis aliis in locis Danduli stilum immutandum sibi sumserit. Estenses profecto Codices primigenia Danduli verba hoc in loco retinuisse videntur, quum ibi legatur: *Theutonici interdictum formidantes, vocaverunt eam Ethbulbur. Hunni vero Oribundam usque hodie vocant*. Itaque in edendo foetu hoc Danduli tutius duxi Estensium Codicum fidem sequi. Subjectae vero Notae, hoc est additamenta, pluresque tabulae, & variantes Lectiones, omnia ex Ambrosiano excerpta, ad inclytae Venetorum gentis Historiam plenius hauriendam Lectorem manu, ut ita dicam, ducent.

Suo autem Chronico Majori, quod omnibus in posterum legendum nunc trado, finem fecit Dandulus, nisi me fallunt MSti Codices, quos hactenus vidi, in morte Jacobi Contareni Ducis. Ibi desinit *Tomus Primus Chronicorum Andreae Danduli*. An ipse fusiori stilo descripserit subsequentium Ducum Vitas, & reliqua Italicorum gesta usque ad Annum electionis suae, compertum minime habeo. Hoc tantum monebo, quae in Codicibus eisdem subsequuntur post obitum Contareni Ducis modo memorati, ab Anno videlicet 1280. usque ad 1342. addita fuisse e Chronico breviato Danduli ipsius, uti ex collatione librorum manu exaratorum didici. Praeter haec Historiam Venetam continuatam heic habes ab Anno eodem 1342. sive 1343. ad Annum usque 1388. praemissâ Epistolâ in laudem Danduli nostri. Quis mantissae hujus Auctor fuerit, nunc est aperiendum. Dum olim Venetiis essem, intellexi, Chronicon Danduli continuatum fuisse ab *Anonymo* quodam, tum a *Raphaële Caresino*, magno Venetiarum Cancellario. Mihi etiam significatum est, apud nobiles Viros Contarenos, prope Templum Caritatis habitantes, adservari brevem Venetarum rerum Historiam, cujus auctor fuit *Benintendius de Ravignanis*, magnus pariter Venetiarum Cancellarius, Dandulo & Petrarchae summa familiaritate conjunctus, uti etiam constabit ex illius Epistola Chronico Danduli praefixa, & literae Petrarchae ipsius editae produnt. Ex *Anonymo* illo (nisi forte sub ejus nomine venit ipsius Danduli Chronicon contractum) nescio an quidquam delibarit Pinellus in additamentis heic evulgatis ex Ambrosiano Codice. Quis vero Danduli Historiam continuarit, silentibus Estensis Bibliothecae Codicibus, Ambrosiana Bibliotheca jamdiu mihi revelarat. Pinellianus enim Codex ibi adservatus, ipse quoque a Libro Quarto, hoc est a Pontificatu Sancti Marci, exordium ducens, in Annum 1342. desinit. Tum subsequitur inscriptio haec: *Chronica edita per me Raphaynum de Caresinis post Chronicam compilatam per illustrissimae memoriae D. Andream Dandulum inclytum Ducem Venetiarum*. Deducitur autem Historia ad Annum usque 1388. uti & in Codice Estensi. Itaque Continuator Chronici Danduliani fuit *Raphainus*, sive Raphaël *de Caresinis*, idemque ille est, quem Sabellicus, Sanutus, & alii quidam rerum Venetarum Scriptores memorant, sed Sansovinus, Vossius, & alii ignorarunt. Hujus viri mentio est in Historia Belli Genuensis contra Venetos ad Fossam Clodiam. Nam Anno 1379. inter eos, qui se obtulerunt pro tutela Venetae Urbis fuit *Raffain Caresini* (in altera Historia appellatur *Raphaël*) *Cancelliere della Signoria di Venezia, che donò Ducati* 500. *d'oro, che aveva imprestati ad essa Signoria*. In Chronicis autem MStis Marini Sanuti, de Caresino haec leguntur: *Rafain Carexini Canzelier grande offerisce lui con due buoni compagni a suo salario e spese, e un famejo; andar su l'armada, e pagar le spese di tutti uomini da remo al mese ducati* 4. *& alli ballestrieri ducati* 8. *al mese per uno. Item dona tutti prò de' suoi imprestiti, & imposizion che l'ha. Così farà in la presente guerra. E prestar ducati* 500. *d'oro a renderli mesi doe dopo finita la guerra*. Et quidem ejus meritis gratam se deinde praestitit Venetorum Respublica, quippe illum in catalogum Nobilium cum ejus descendentibus recepit, absoluto bello Clodiensi, ut ipse testis est, ac reliqui rerum Venetarum Scriptores. Adtexebantur post Caresini Historiam in Codice Estensi Acta nonnulla ad Venetam Historiam spectantia. Haec itidem luce digna censui. Aderat & Blondi enarratio *de Origine & Gestis Venetorum*, quam utpote jamdiu editam praetermisi.

Quod superest; Andreae Danduli Historia multis nominibus se Lectori commendat, scripta quippe a Viro gravissimo, & pro conditione temporum illorum eruditissimo, & praecipue quum multa ille nobis monumenta ex antiquitate, & res gestas in Venetia, Istria, finitimisque partibus tradat, quae frustra alibi conquirerentur. Quae tamen dicta velim, non ut dissimulem quaedam nutare apud illum, sed ut excusem. Nam ne ille quidem a fabulis satis cavet, ubi remota a temporibus suis narrat, & in Chronologia interdum caespitat, & praecedentium Scriptorum fabulas quasdam & errores facile adoptat. Quod homini accuratissimo minime vitio vertendum, sed Seculo, quo vixit, Librorum inopiâ laboranti, Linguarumque & Criticae subsidiis ferme destituto. Commune id infortunium fuit reliquis illorum temporum Historicis, quos tamen contemnere iniquum foret, quum multa nobis ex antiquioribus excerpta servarint, & Seculi sui res gestas plerumque sincero amore veritatis enarrent. Est autem & Dandulus ex illorum numero, qui a remotissimis temporibus Historiae suae exordium ducunt, quum a *Sancti Marci Evangelistae Pontificatu* cursum incipiat. Dubius aliquando fui, num ederem, quae florentissimae Urbis Venetae fundationem praecedunt. Verum omnia retinere placuit atque evulgare, ne nobilissimam Ecclesiam Aquilejensem monumentis suae antiquitatis atque originis aliqua ex parte fraudarem. Non ea quidem inconcussa, nedum certissima; ut enim quaelibet Principum ac Nobilium fami-

mi-

militia ad quempiam aliquem vetustum magni nominis Virum originem suam referre solet, ita & Ecclesiae ipsae eo speciosiora primordia sibi tribuere consueverunt, quo plus subsequutis temporibus dignitate ac opibus inter Christianos effulsere. Sed non idcirco spernenda, quae Dandulus de Aquilejensium Episcoporum exordio adfert, quippe ex illius Ecclesiae traditione atque Historiis accepta. Quae vero is addit de amplissimae Urbis Venetiarum origine ejusque incrementis, utique magni habenda; & certe graviorem de iis rebus Scriptorem nullum proferas. Ejus autem modestiam & calamum a partium studio alienum suspiciant velim Lectores: quam laudem si in ejus Continuatore Caresino desiderari dicam, non injuriâ dicam. In recentioribus Venetorum Historiis, sive editis sive manu conscriptis, quod est ad remotiora Secula, nihil ferme nisi victorias ac triumphos legas. At Dandulo cura major veritatis fuit, ita ut egregii Historici in eo exemplar habeamus; mirumque sit, cur illius Chronicon tamdiu in tenebris derelictum majores nostri passi fuerint, ejusque primùm evulgandi gloriam mihi reservare voluisse quodammodo videantur. Quod superest, Danduli ipsius gesta ex additamentis Historicis ejusdem *Caresini* petenda sunt; ejus autem laudes ex Epistola *Benintendii de Ravagnanis* Cancellarii Veneti, quae Chronico praemissa legitur. Praefationem hanc claudat nummus argenteus, sub ipso Andrea Dandulo percussus. Illius ectypon ad me misit amicissimus vir Johannes Baptista Bianconus Bononiensis, sacrae Theologiae Doctor, quem ob ejus perspectum eruditionis amorem suo famulitio nuper adjunxit amplissimus & Clarissimus S. R. E. Cardinalis Vincentius Ludovicus Gotti, ingens nostris temporibus sacri Ordinis Praedicatorum ornamentum, in cujus honore amplificando famam & gloriam suarum virtutum auxit sanctissimus Catholicae Ecclesiae Pastor BENEDICTUS XIII. Romanus Pontifex felicissime regnans. En ipsum nummum, quem modo pollicebar.



AN-

ANDREAS DANDULO

Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SI non minùs dies illos, quibus conservamur, quàm quibus nascimur, jucundos, & illustres computare debeamus, quia salutis certa lætitia est, nascendi non certa conditio, quoniam qui sinè sensu nascimur, cum voluptate servamur; Sique inter mortales ullum laudis locum teneat beneficii gratitudo, illas honorificentias intactas servare, quas nobis jugi sollicitudine paravit antiquitas, nihilo minores, quàm novas, edere censeamus, in quo & nostra sublimatur auctoritas, posterorum providetur utilitas, & accepti muneris grata memoria commendatur. Quocirca recensentes in animo, quantis præcessorum nostrorum laboribus, & exquisitis vigiliis Corpus, & thesaurum inextimabile gloriosi nostri signiferi Sancti Marci de transmarinis partibus sit quæsitum; quantaque devotione dedicatam ab eis in ipsius honorem Basilicam sibi Capellam propriam deligentes, & juris Patronatus ministerium exercentes, in ea statum ipsius nedum conservare, sed augere semper in melius studuerunt: non immeritò libenter occurrimus, ne quavis insolentia, vel errore, ejus, immo nostris veriùs, in hac parte juribus derogetur.

Sanè cùm sicut certò didicimus, quandoque contigerit, & contingat, quòd nonnulli ex Capellanis nostris Ecclesiæ supradictæ, velut negligentiæ filii, nescientes se ipsos, Canonicos Sancti Marci se nominant, & faciunt nominari; quod quippe apud rei nescios posset de facili nobis, seu successoribus nostris, & consequenter Capellæ nostræ prædictæ præjudicium generare: in evidentiam veritatis aliqua subinferre decrevimus, per quæ contingentes, & qui contingere possent, impósterum exstirpentur errores, & vetustati bene gestæ rei, nobis quoque consequenter honor diutiùs habeatur. Constat enim, Corpore venerabili memorato de transmarinis partibus delato Venetias, inclytæ recordationis Justinianum Prædecessorem nostrum, in fundo Ducali juxta Palatium Ecclesiam ordinasse prædictam, in quo per Successorem ejus Joannem, & fratrum diligentia, multa sunt constructa, & eodem Corpore reverentiùs ibi collocato, nonnulli sunt cum singulis portionibus dispositi Capellani. Et subsequenter per Petrum Ursiolo, qui Ecclesiam ipsam in occasu Petri Candiano Ducis Decessoris sui exustam incendio renovavit. Quam Dominicus Contareno postea in forma, quæ nunc cernitur, restauravit. Procurator eidem Ecclesiæ, & Fabricæ cum annuis redditibus extitit constitutus, quadam oblationum particula ipsi Fabricæ deputata. Ecclesiam Sancti Georgii tunc Capellæ pertinentem prædictæ Tribunus Memmo Joanni Mauroceno Monacho propria auctoritate concessit, quæ nunc trans Canale majus honorabilis conspicitur Abbatia. Similique modo Vitalis Michaël Ecclesiam Sancti Cypriani tunc positam in litoribus Mathemauci eidem Capellæ spectantem Abbati Sancti Benedicti de Pado Vetulo divina quidem liberalitate donavit. Quid plura? Primicerius, & Capellani præsentati Duci investiuntur per eum, & recognitionem pecuniariam sibi tradunt. Qui Capellani ad requisitionem Ducis, cum eo, vel filiis, in expeditiones bellicas & exercitus ire tenentur. Et insuper si quis eorum ab aliquo sociorum sentiat se gravatum, patrocinium Ducis implorat; & volentes residentiam apud Ecclesiam facere, de Ducis mandato domum pro sua habitatione recipiunt. Qui Dux constituendi Mansionarios ad celebrandum in eadem Ecclesia Divinum Officium, liberam habuit, & habet facultatem. Custodes etiam deputandi in ea à Duce per traditionem clavium confirmatur; & vasa Ecclesiastica cuncta, & alia paramenta recognoscunt ab eo; & cùm finitur ipsorum Officium, claves Duci resignare tenentur.

Patet etiam, quòd Duces quamplurimi sepulturas apud ipsam Ecclesiam motu proprio elegerunt. E quibus omnibus apertiùs demonstratur, ipsam Ecclesiam fuisse, & esse Capellam nostram, & Præcessorum nostrorum, & eos, qui penes Primicerium ibi sunt, fuerunt, futurique sunt, dici debuisse, & debere nostros proprios Capellanos. Quare attendentes, quòd error, cui non resistitur, approbatur, quòdque malum quodlibet nascens facilè tollitur, inveteratum fit plerumque robustius: hoc saluberrimo statuimus edicto:

Quòd de cetero nullus in eadem nostra Ecclesia, & Capella, se nominare, scribere, aut appellare Canonicum, vel Præbendatum audeat ullo modo, sed Capellanum solummodo, prout rei veritas manifestat. Si quis autem in contrarium iverit, privamus eumdem, pœnâ nihilominus juris nostro arbitrio juxta delinquentis mentem & propositum reservatâ.

Data in nostro Ducali Palatio Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo Tertio Indictione sexta die sexta Junii.

EPISTOLA

Domini Benintendi de Ravagnanis Cancellarii Venetiarum in commendationem Chronicarum per Illustrissimum Dominum Andream Dandalum Inclytum Venetiarum Ducem editarum.

MAgnificis & circumspectis Dominis suis Consiliariis Civitatis Venetiarum, nec non Universitati Civitatis ejusdem B.R. vester Cancellarius, licèt indignus, cum recommendatione se ipsum. Frequenter sciscitatus sum, Viri Clarissimi, unde tanta Scriptorum provenit inopia. ut eorum, qui hujus Reipublicæ auctores, & gubernatores fuere usque ad hæc tempora, jaceat sepulta memoria, indignè ferens, ut eos, quorum beneficio vivimus, à nobis excidisse tam facilè passi simus. Quid enim labores moderni? quid inclyti Ducis vestri solertes vigiliæ? quid ejus circa Rempublicam diligentia studiosa? quid denique ceterarum dotium ejus pretiosissimus chorus, quas cùm potiùs divinas, quàm humanas existimem, non facilè numerare, sed difficiliùs scribere possem, sibi sperare queunt, si fama veterum extincta cernatur, quæ semper in nobis debuit viguisse? Vita enim mortuorum in vivorum memoria sita est, cùm brevis à natura vita nobis data sit. At memoria bene redditæ vitæ sempiterna; quæ si non esset longior, quàm hæc vita, nullus esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem, gloriamque contenderet. Ad id namque vos excitare debuerat, & si non alia, saltem posterorum vestrorum utilitas, ut bene gestas res, velut in ænigmate positas contemplantes, se tantæ successionis heredes, & necessitatem sibi indictam probitatis agnoscerent. Optimè enim à parentibus hereditas relinquitur filiis omni patrimonio præstantior gloria virtutis, & rerum gestarum, quibus esse dedecori nefas est, & vitiosissimum judicandum. Sed ineffabile munus fortunæ vobis, utinam non ingratis, oblatum est, Ducem habentibus memorem vestri, oblitumque sui, qui semper animo excubat, ut omnem à vobis repellat inscitiam, & nominis vestri laudes, nunc recentis claritate virtutis, nunc veterum elucidatione gestorum propagare laboret. Cujus virtus nihil habens protinus inaccessum, domestica simul, & peregrina parans, ab origine Urbis hujus magna lucubratione descripsit quæcumque foris bella, domi seditiones gesserint; quique mores fuerint, & quæ vita, per quos viros, quibusque artibus Civitatis imperium auctum sit. Res quippe vetustate nimia difficiles & obscuras, eo quòd perraræ iis temporibus literæ fuere, una tantum fidelis custos rerum memoria nunc servat. Nec tamen opus tantum adorsus curam Reipublicæ intermisit. Quin immo divina quadam providentia sic feliciter gubernavit, ut quod antea inauditum, nunc publicè notum sit, nobili, & plebejo pariter gratus existat.

In hoc viro tanta vis fulget animi, ingeniique, ut quocumque loco natus foret, etiam exili, fortunam eam sibi facturus videatur. Nulla ei ars deest, privatæ, aut publicæ rei gerendæ. Ad summos honores alios Juris scientia, alios Eloquentia, alios gloria bellorum pervexit. Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. Bellis invictissimus, multisque sui temporis insignibus clarus pugnis. In Pace, si Jus publicum, aut privatum consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, mira, & incredibili facundia eloquentissimus. Ita ut ista ejus lingua ne dum vivo eo vigere credetur, sed potiùs æternum habitura sit memoriæ monumentum. Cujus corpus nullo labore fatigari, aut animus vinci potest. Cibi potionisque modus plusquam finitus. Vigiliarum, somnique, nec die, nec nocte discriminata tempora. In se parcus, in alios liberalis. Id quod publicis rebus gerendis superest, quieti dandum. Et neque in molli strato, neque silentio malè fungi. Et ut ipsius innumerabilia dona breviori claudam compendio, haud dubio illa ætate, quæ Virtutum feracior fuit, tantis dotatus virtutibus locum inter Divos clarissimum tenuisset. Hunc ergo Virum vobis cœlesti numine præstitum, quæso, summa devotione, & debita gratitudine colite, & supplices pro ejus salute Divinam misericordiam implorate, ut ipso vobis superstite, quæ sibi cura una est, vos, Remque publicam vestram decoret, & augeat felicibus incrementis. Ipse ut inter cetera, sic in servandis, & ampliandis juribus, & honoribus Patriæ curiosus, crebrò perquirens, unde Investitura illa, quam à Duce percipiunt Ducatus Venetiarum Prælati, sumsisset exordium, compertum habuit antiquissimis monumentis, Duces Venetiarum olim ex longæva consuetudine, ne dum hujus Investituræ, sed Electionis etiam, & Confirmationis Prælatorum, à quibus insuper de fidelitate, ut à ceteris Laicis, consueverunt juramentum exigere usque ad tempora Petri Polani Ducis, prærogativam plurimam habuisse. Quo tempore Patriarcha Gradensis Henricus nomine de stirpe Dandaloa, utique acrioris conscientiæ vir, dum in Electione cujusdam Abbatissæ Sancti Zachariæ Dux uti vellet solita potestate, se quibus potuit monumentis opposuit, astruens se vendicare velle Ecclesiæ libertatem. Sicque, ut fieri solet, ex parva scintilla flamma maxima succrescente, altero pro vetusta ejus honorificentia, altero pro libertate, ut dicebat, Ecclesiæ contendente, graves hinc inde discordiæ sunt exortæ. Adeò ut intumescentibus animis, & Patriarcha ad Romanam Curiam pluries personaliter laborante, spirituales processus, & interdicta quamplurima contra Ducem & Venetos emanarint; & è contra pœnis temporalibus per eumdem Ducem & Venetos usque ad exilium, & ruinam domorum, & publicationem bonorum ipsius Patriarchæ, & fratrum, sequaciumque suorum perventum sit. Cœpit autem ipsum dissidium tempore Innocentii Papæ II. duravitque successivè temporibus Cœlestini, Lucii & Eugenii successorum suorum. A quibus Episcopales Literæ plurimæ, & quatuor Cardinales Legati diversis temporibus ad partes Venetiarum pro sedanda ipsa, concordandaque discordia, missi sunt. Interim Dux ipse ab hac luce subtrahitur, cui successit Dominicus Maurocenus, qui dum ad tuendam consuetudinem Patriæ modesta animositate vellet insurgere, tamdem illo volente, qui languidorum mentes sanat, & corpora, & ad cujus nutum stat spiritus procellarum, de conniventia, immo quodam consensu Romanæ Ecclesiæ, idem Dux, & Patriarcha in rescriptum ex utraque parte servandum deinceps concorditer & unanimiter consenserunt, cujus rescripti tenorem cùm ab ipsius inclyti

Ducis

Ducis incompatabili bonitate, sicut & pleraque alia didici, ne vos & posteros lateat, quos videtur communiter tangere, decrevi in vestram & publicam notitiam deducendum, ut ex ipsius vestri Ducis laboribus in posterum aliquam odoris fragrantiam sentientes, quàm uberrimos fructus ex eo perceperitis hactenus, sitisque Deo propitio inposterum percepturi, ipsi memoriter judicare possitis.

Datum Nonas Decembris MCCCLII.

Forma Rescripti talis est.

F*Acta confirmatione Electionis Patriarchæ, & enunciatione Duci, tertia die ante quàm veniat Electus pro suscipienda Investitura, Sancti Marci mittatur Primicerio, vel Capellanis, de adventu Electi; deinde veniat Electus ante Altare Sancti Marci ad suscipiendam Investituram. Tunc dicat Capellanus, sive Primicerius sinè dilatione, & exactione:* Per Deum, & Sanctum Marcum recognosce hunc Episcopatum. *Deinde vadat ad Ecclesiam Electi, & ad Domum ejusdem Ecclesiæ, cum eo & similiter dicat. Et sic Electus Domum Ecclesiæ, & Episcopatum intromittat. Et si per Capellanum, vel Primicerium steterit, nisi fraude fiat Patriarchæ, aut Electi, vadat Electus, & intromittat Domum Ecclesiæ, & Episcopatum, in quo Electus est. Postea consecretur, & post consecrationem veniat ad Ducem, & suscipiat ab eo Investituram. Hac accepta à Duce, vadat cum eo Capellanus Ducis ad Episcopatum, & mittat eum in Regalium possessionem, quæ ad Ducem pertinent. Hoc totum fiat sinè pretio. Infra XV. dies post consecrationem suam hoc fiat. Tertia die, ante quàm veniat, denunciet hoc Duci per Parochianos suos. Similiter hoc totum, quod superiùs dictum est, servetur in electione Patriarchæ, Episcopi, Abbatis, & Abbatissæ, reliquis, quæ ad Patriarcham, vel Episcopos pertinent, in suo statu manentibus. Cetera verò, quæ ad Ducem, & Commune pertinent, permaneant in priori statu.*

Epitaphium D. Andreæ Danduli Ducis.

Quem veneranda cohors Virtutum tempore nullo
Deseruit, gelidi brevis hæc tenet aula sepulchri.
Membra valentis erant, probitas, cui dogmata, sensus,
Ingenium penetrans, modus atque profaminis alti,
Nobilitatis opus, motum, seriesque vetusta,
Qui dedit assiduos Patriæ memorandus honores.
Et quia clara sonant Populis sua gesta per Orbem,
Plura sinit calamus meritò recitanda notare.
Dandula quem soboles peperit generosa, Ducatum
Andream omnimoda Venetum ratione merentem.
Septima dumque dies Septembris mille trecentis
Quatuor ac decies jam quinque dedisset, obivit.

LIBER QUARTUS.

Incipit à Pontificatu Sancti Marci Evangelistæ in Aquileja Anno Domini XLVIII.

LIBER QUINTUS.

Incipit à Novæ Provinciæ Venetiæ constructione sub Pontificatu Augustini Aquilejensis Episcopi Anno Domini CDVII.

LIBER SEXTUS.

Incipit à translatione hujus Sedis Metropolitanæ de Aquilegia in Grado Anno Domini DLXXI.

LIBER SEPTIMUS.

Incipit ab Intronizatione Ducum Venetiæ in Heraclia Anno Domini DCXCVII. primo, deinde in Mathemauco Anno Domini DCCXLII.

LIBER OCTAVUS.

Incipit à nova situatione Ducalis Throni ex Mathemauco in Rivoalto Anno Domini DCCCIX.

LIBER NONUS.

Incipit ab acquisitione novi Ducatus Dalmatiæ sub Petro Ursiolo secundo Duce Anno Domini DCCCCI.

LIBER DECIMUS.

Incipit à primo Duce per Electionem creato Anno Domini MCLXXII.

AN.



ANDREÆ DANDULI CHRONICON.

INCIPIT LIBER QUARTUS CONTINENS CAPITULA XIV.

CAPITULUM PRIMUM.

De Pontificatu Sancti Marci Evangelistæ habens partes V.



Arcus Evangelista in Aquilegia primò Catholicam Ecclesiam fundavit Anno Christi Jesu Domini nostri XLVIII. Hic ex genere Levi Sacerdos, Evãgelista Dei electus, & Petri Apostoli in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus, prædicante Petro Romæ, ut quotidie audientibus nulla fatietas fieret, rogatus est à fratribus, ut ea, quæ ille verbo prædicaret, ad perpetuam eorum commonitionem scripturæ commendaret. Petrus verò ut per Spiritum Sanctum se spoliatum comperit, furto delectatus, factum confirmavit, legendamq; Ecclesiis scripturam tradidit.


Pars Prima.

MArcus itaque, assumpto Evangelio, quod ipse confecerat, jussu Petri Aquilegiam vênit, & in quem primum egressus est locum, Mursiana vocatur, ubi Ecclesia sui nominis postea constructa est; & innumeros sua prædicatione, & doctrina, subsequentibus signis, ad Christi Fidem convertit. Nam (*) juvenem quemdam Athaulfum filium Ulsi lepræ morbo percussum in suburbanis Aquilegiæ sanitati restituit, & supplicantibus Neophytis Evangelium suum transcripsit, & observandum dedit, quod usque in hodiernum diem in eadem Ecclesia devotissimè veneratur.

Pars II.

CUm igitur Beatus Marcus hos cerneret in Fide roboratos, & jussu Petri Romam redire dispofuisset, Hermacoram Civem Aquilejensem, quem ad regendum Populum acquisitum aptiorem cognoverat, in navicula secum assumpsit, & directò navigans in Paludes, ubi nunc Rivaltina Civitas constructa dignoscitur, tamdem pervênit, cui tunc Rivoaltus nomen erat; & urgente vento naviculam ad Tumbam ligavit; apparuitque ei in extasi posito Angelus Dei dicens: *Pax tibi, Marce. Hic requiescet corpus tuum*. Cui cùm se passurum illico naufragium hæsitaret, subintulit Angelus: *Ne timeas Evangelista Dei, quia adhuc tibi grandis via restat, multaque te pro Christi nomine oportet pati. Post verò passionem tuam circumvicinarum Regionum devoti & fideles Populi, Infidelium crebras persecutiones declinare volentes, hic mirificam Urbem fabricabunt, & corpus tuum denique habere merebuntur: quod summa veneratione colent: tuisque meritis & precibus plurima beneficia consecuturi sunt*. Tunc Beatus Marcus ex-

(*) *Desunt hæc in Codice Ambrosiano.*



expergefactus gratias Deo egit, dicens: *Domine, fiat voluntas tua.* A

Pars III.

POstea Beatus Marcus prospero cursu Romam accedens, Petro Apostolo, quæ gesserat, enarravit; & ut Hermacoram, quem multis jamdiu experimentis approbaverat, Aquilegiensi Populo in Episcopum dignaretur concedere supplicavit. Petrus verò confortatus in Domino, Hermacoram Episcopum confirmavit, atque ei Pastoralem baculum tradidit, qui usque ad præsentia tempora in prædicta Ecclesia incorruptus perseverat.

Pars IV. B

HOc tempore inter Tricham, & Tirasiam in Ægæo Pelago Insulas de profundo Insula emicuit XXX. stadiorum spatio extenta.

Pars V.

RExit quoque Beatus Marcus annis fere . . cum dimidio Aquilegiensem Ecclesiam.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Pontificatu Sancti Hermacoræ habens partes XIX. C

HErmacoras Episcopus Aquilegiensis ordinatus est Anno Domini nostri Jesu Christi quinquagesimo. Hic natione Germanus, ex diutino incolatu Civis Aquilegiæ; & postea Beati Marci discipulus effectus est, & ab eo Episcopus electus, & à Beato Petro confirmatus, cum baculo Pastorali Aquilegiam vênit, & sua prædicatione, & miraculorum coruscatione cunctos ad se trahebat Italiæ Populos. Et in Ecclesia sua Presbyteros ordinavit, atque Levitas; & Fortunatum Archidiaconum fecit; Syrum verò virum Catholicum Episcopum consecravit, & eum cum Juventio suo Collega Ticinum, sive Papiam, Urbem Liguriæ delegavit. Presbyteros, D atque Levitas Trigestum, & ad alia similiter loca misit.

Pars Prima.

SEcundo Anno Claudius Judæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. Qui iterum contra Christum tumultuantes Judæos coërceri, & comprimi jusserat. An autem Christianos simul velut cognatæ Religionis homines voluerit expelli, nequaquam decernitur, ut dicit Orosius. Sequenti anno tanta fames Romæ fuit, ut de medio foro Imperator à Populo convitiis & fragminibus panis turpissimè pulsus fit; stabilitoque Imperio suo, omnium dictorum E atque factorum veniam sanxit, & civilis admodum exstitit, nimiosque honores recusavit. In cognoscendo, ac decernendo mira varietate animi fuit; modò circumspectus, & sagax, interdum inconsultus & præceps, ac nonnumquam amenti similis.

Pars II.

IN descriptione facta sub Claudio inventa sunt hominum centena millia 841. Quasdam etiam Insulas ultra Britanniam Claudius Romano subjecit Imperio, quæ Orcades dicuntur, quas Cæsar omiserat. Cùm verò deficeret, libertorum conjugis imperiis subjectus, Britannicum filium suum persuasionibus Agrippinæ uxoris suæ exortem Romani faciens Imperii, Neronem Octaviæ filiæ suæ maritum designavit Imperatorem. Periit autem veneno.

Pars III.

NEro VI. Romanorum Augustus accepit Imperium, quod decem & quatuor annos tenuit. Hic quinquennio valde molestus fuit, liberales Artes ferè omnes puer attigit; aversus à Philosophia, & ad Poëticam pronus carmina libenter, & sinè labore composuit. Orsus Imperium, graviora vectigalia abolevit, aut minuit. Senatorum nobilissimo cuique, sed re familiari destituto, annua salaria constituit. Sed has viri virtutes subsequenti tempore ingentia vitia coæquarunt, imò veriùs excesserunt. Nam de malis moribus, & actibus ejus legitur, quòd Populo, aut mœnibus non pepercit. Quasi veterum ædificiorum deformitate offensus, & angustiis, flexurisque vicorum, in XII. partibus incendit Urbem, arsitque Roma sex diebus & septem noctibus. Incendium autem de Turri prospectans, lætusque flammæ pulchritudine in scœnico habitu cantilenas de Trojano incendio decantavit; nullique concessit reliquias suas tollere, ut solus cuncta prædaret. Stupratas matrem, & sororem denique occidit. Virum duxit uxorem, & quasi uxor acceptus est. In Senecam Præceptorem suum aliquando verberum in pueritia illatorum reminiscens infremuit, & in vindictam exarsit; sed tamen Præceptori detulit, ut eligeret genus mortis, qui elegit in balneo venas præcidi, biennio ante Neronis obitum.

Pars IV.

JAcobus Frater Domini Episcopus Jerosolymorum, postquam Paulus ad Cæsarem missus est, in die Festo Paschæ à Pharisæis, & Scribis præcipitatus, & lapidatus est, posteaque pertica fullonis percussus obiit.

Pars V.

VItalis Miles cùm intrasset Ravennam, & Ursianum propter multa tormenta confortasset, Christianum etiam se profitens, jussu Paulini supinus sepelitur, & lapidibus, ac terra obruitur. Valeria autem ejus uxor cùm rediret Mediolanum, graviter verberata post triduum exspiravit.

Pars VI.

MArcus Evangelista, assumpto Evangelio, quod ipse fecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tantæ doctrinæ, & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Tamdem Pontifices Idolorum propter miracula, quæ faciebat, livore repleti collo ejus in die Paschæ Missam celebrantis funem imponunt, clamantes: Trahamus bubalum ad loca buculi; qui cùm traheretur gratias agens, octavo Neronis Anno emisit spiritum: Huic successit Anianus. Corpus autem ejus sub Justiniano Duce Venetias deductum est.

A

Pars VII.

THomas Apostolus fuit similis Salvatori, & postea quàm prædicavit Parthis, Persis, & Medis, Hircanis, & Batrianis, Orientalem intrans plagam, lanceis transfixus occubuit.

Pars VIII.

ANdreas Apostolus in Nicæa, Nicomedia, & Thessalonica multos ad Christianam Fidem convertit; posteaque cùm totam Achajam replevisset Ecclesiis, & populos multos Catholicos effecisset, in Civitate Patras Ægeæ Proconsule Crucis patibulo vitam finivit.

B

Pars IX.

MAtthæus Apostolus post scriptum Evangelium, multis gentibus per eum ad Fidem Christi conversis, cùm Ytartus Rex in Æthiopia in Civitate nomine Vederbet Ephigeniam defuncti Regis filiam virginem Deo consecratam in conjugem peteret, & Apostolus hoc non licere constanter prædicaret, jussu ejus à spiculatore ad Altare orans gladio percussus interiit.

Pars X.

C

SImon Apostolus postquam in Ægypto, & Judas in Mesopotamia & Ponto prædicassent, ambo in Persidam proficiscentes Ecclesiam Dei suâ Doctrinâ auxerunt, & tamdem in Urbe dicta Suamayr à Pontificibus, & Sacerdotibus volentibus eos Idola Solis, & Lunæ adorare, quæ suis precibus sunt dispersa, perimuntur.

Pars XI.

BArtholomæus Apostolus post prædicationem in Licaonia, & India, ad ultimùm in Albano Armeniæ Majoris jussu Astiagis Regis fustibus cæsus, & vivus excorticatus, postea decollatus est.

D

Pars XII.

PHilippus Apostolus post prædicationem, quam viginti annis in Syria fecerat in Jeropoli Urbe Asiæ Presbyteros ordinavit, & Hæresim Ebionitarum extinxit. Postea ab Infidelibus Cruci affigitur, sicque migravit ad Christum, & juxta eum duæ filiæ ejus, (*) sanctissimæ virgines, sepultæ sunt.

Pars XIII.

LUcas natione Antiochenus arte Medicus, Paulum sequutus usque ad confirmationem ejus, servivit Domino sinè crimine, & Spiritu Sancto instigante, in Achaia Evangelium scripsit; nam neque umquam Uxorem habens, neque filios, 74. annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu Sancto.

E

Pars XIV.

DEnique Nero decimo tertio Imperii sui Anno primus Imperatorum contra Christi Ecclesiam legitur insurrexisse, & inter XII. famosas persecutiones Ecclesiæ iste primam inchoavit, & Vespasianus eam consummavit.

(*) *Cod. Amb.* interfectis etiam cum eo ejus duabus filiabus.

Pars XV.

PEtrus Apostolus postquam Annis XXV. in Roma Cathedram tenuisset, & plurimos discipulos suos in fide provectos ad diversas Provincias delegasset, ac Simonem Magum confutasset, jussione Præfecti Agrippæ affixus Cruci tradidit spiritum.

Pars XVI.

PAulus Apostolus eodem Anno, & die, ut dicit Hieronymus, jussu Neronis decollatus est.

Pars XVII.

LInus natione Tuscus sedit annis XI. mensibus III., diebus XIII. quamvis Aymo dicat; quòd Linus & Cletus non sederunt ut Pontifices, sed ut Summi Pontificis adjutores. Hic gesta & certamina Beati Petri cum Simone Mago scripsit, & ex præcepto Beati Petri constituit, ut mulier velato capite intret Ecclesiam.

Pars XVIII.

EUfemia, & Dorothea neptes, ac Tecla, & Herosina filiæ Valentiniani Viri Catholici, & Nobilis Civitatis Aquilegiæ, ab Hermacora Episcopo baptizatæ, pro Christi nomine variis tormentis afflictæ, jussione Sevasti Præsidis à Valentiniano decollantur. Quarum corpora Sanctus Episcopus in Archis marmoreis in Domo Valentiniani reverenter recondidit, eamque in honorem Sanctæ Mariæ Ecclesiam consecravit. Et his diebus tria millia inter viros & mulieres ad Fidem convertit: Prælibatæ autem Virgines sub Paulo Patriarcha in Grado translatæ sunt.

Pars XIX.

HErmacoras itaque Episcopus cùm sua doctrina & exemplis innumeros Populos convertisset, jussu Sevasti Præsidis gravibus tormentis afflictus, in carcere includitur. Tunc Pontianus Custos videns in carcere lucidum lumen, & Gregorius Vir Clarissimus, cujus natum, qui à Dæmone vexabatur, hic Episcopus liberavit, effecti sunt Catholici. Et Alexandria Nobilis Fœmina ab Episcopo lumini restituita, à Fortunato Archidiacono similiter baptizata est, & ille propterea in carcere cum Episcopo positus est, quos Præses in carcere decollari fecit, quorum Corpora Pontianus recolligens, extra Urbis muros in agello Alexandriæ sepelivit; translatique sunt in Grado, sub Primogenio Patriarcha. Tenuit quoque hic Episcopatus Sedem annis XX.

CAPITULUM TERTIUM.

De prima vacatione Pontificatus Aquilejensis habens partes XXXVI.

AQuilegiensis Ecclesia destituta Pontifice vacare cœpit Anno Domini nostri Jesu Christi LXX. Quia plebs Catholica persecutionis fluctibus agitata convenire nequibat; sed singulariter in privatis hospitiis sacrificia Deo exhibebant. Tunc à Nerone Reipublicæ multa mala irro-

irrogante, aliquæ Provinciæ defecerunt, & Galba in Hispania Imperator creatus est. Nero autem à Senatu hostis judicatus quarto ab Urbe milliari gladio se interfecit.

Pars Prima.

GAlba post obitum Neronis Romam vênit, & imperavit menses VI. Hic avaritiæ, & segnitiæ deditus Pisonem Nobilem & industrium Adolescentem sibi in filium adoptavit; sed hos ambos Otho Romæ in medio Foro interfecit.

Pars II.

OTho igitur accepit Imperium, & imperavit mensibus tribus, contra quem veniens Vitellius, Lucio Vitellio ter Consule natus, qui in Germaniam à Galba missus fuerat dimicavit; sed cùm animadvertisset Otho suos vinci in prœlio, se ipsum interfecit.

Pars III.

VItellius autem Romam victor intravit, & imperavit mensibus VIII. Hic Pilato substituit fratris sui filium, & volens placere Judæis, avocavit Caipham à Sacerdotio, & substituit filium Annæ jam defuncti, & reddidit ei stolam solemnem antiquam, quam debebant habere Sacerdotes in potestate sua, ut ea uterentur in solemnitatibus, quam Pilatus acceperat, nec concedebat eam nisi acceptâ pecuniâ.

Pars IV.

PRosdocimus natione Græcus, & Petri Apostoli discipulus, & ab eo primus Episcopus Urbis Patavii constitutus, ejus jussu Civitatem intravit, & sua doctrina & miraculis CLX. baptizavit, & Vitalianum Regem, quem à morbo sanaverat, cum familia, & subditis ejus Christianos fecit, & Ecclesiam, quam Rex in honorem Agiosophiæ construi fecerat, destructis Templis Idolorum, consecravit. Rex autem postquam Fidem suscepit, ex Parpedigna conjuge sua genuit filiam, quem Sanctus Episcopus in Baptismo Justinam vocavit.

Pars V.

INterea Vespasianus debellabat Judæam, & convaluit in exercitu rumor civilium bellorum, & de Galbæ, & Ottonis nece, & de Vitellii Imperio. Tunc Vespasianus, licèt invitus, veniens circa Romam; Ducem exercitus Vitellii conflixit. De cellula autem quadam Palatio proxima, ubi se incluserat, extrahitur Vitellius, injectoque cervicibus laqueo, ligatis post tergum manibus, & discissa veste, semivivus in Forum trahitur. Tamdem minutissimis ictibus excarnificatus est, & inde unco in Tiberim tractus.

Pars VI.

VEspasianus igitur, illâ turbidâ Tyrannorum turbâ discussâ, Imperium adeptus, imperavit annos IX. menses XI. dies XXII. Hic multis Oppidis Judæorum captis, Romam vênit, & reliquit Titum filium suum ad procurationem obsidionis Hierusalem, ut & Romanis

(*) Cod. Ambr. XX.

A non deesset, nec Judæis, quem filius repræsentaret. Cujus anno primo Judæi bellis asperis, & seditionibus domesticis lacerantur. Civitas autem Hierusalem laborabat incendio, ruina, fame. Innumeri jugulabantur, sanguis universa replebat, eamque Titus obtinuit. Cæsa autem sunt per omne tempus obsidionis undecies centena millia; adducti sunt captivi ad nonaginta septem millia. Fessi denique multa cæde Romani quærebant, quibus captiva mancipia venderent: Sed quia multi erant venales, pauci emptores, non defuere qui triginta mancipia uno mercarentur numismate.

Pars VII.

B APollinaris discipulus Petri à Roma Ravennam missus est, ubi prædicatione, & miraculis pollens, Tribunum Civitatis, cujus uxorem sanaverat, cum magna ejus familia baptizavit, & Ducis filiam jam defunctam suscitavit; & Patrem cum familia Christianum fecit. Denique à Messalino Præfecto diversis afflictus tormentis, & tanto Judici præsentatus, à Paganis insequentibus in Vicum leprosum, usque ad mortem cæsus est.

Pars VIII.

C VEspasianus verò Anno vitæ suæ LXXVII. feriis joca quibus delectabatur admiscens, cùm ventris profluvio fessus surrexisset, *stantem*, ait, *Imperatorem excedere terris decet*; sicque exinanitus est.

Pars IX.

TItus Patri successit Anno Domini LXXXII. Vir omnium genere virtutum mirabilis, & Imperialium morum floribus ornatus; fuit enim nullo ante se munificentia minor; perseverantissimè enim tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Quia & monentibus domesticis, quòd plura polliceretur, quàm præstare posset, respondit: oportere à sermone Principis neminem D recedere tristem. Recordatus & super cœnam, quòd nihil cuique præstitisset illa die memorabile, & dignum laude verbum edidit: *Amici hodie*, inquiens, *hanc diem perdidi*.

Pars X.

CLetus natione Romanus sedit annis XI. mense I. diebus XI. Cessavit Episcopatus diebus XXV. Hic ex præcepto Beati Petri XXV. Presbyteros ordinavit. Hic primus invenitur posuisse in literis *Salutem, & Apostolicam benedictionem*.

Pars XI.

E TEnuit quoque Titus Imperium annis duobus, mensibus VIII. diebus XXIII. (*) & mortuus est majore hominum damno, quàm suo; decreto autem Senatus inter Divos relatus est.

Pars XII.

DOmitianus Titi frater ei successit Anno Domini LXXXIV. (**) Hic jus æquissimè peroravit, Romæ multa construxit ædificia, inter

(**) Cod. Ambr. qui imperavit annos XV.

terque mirificum Templum vocatum Pantheon. Primò quidem clemens visus est, sed nequaquam in tenore clementiæ permansit; nam plures Senatores, & aliquot Consiliarios injustè occidit; secundam quoque post Neronem persecutionem in Christianos exercuit. Et notandum, quòd à tempore Neronis usque ad Constantini conversionem fuit una continua persecutio Ecclesiæ. Dicuntur autem fuisse X. quia tot fuerunt Imperatores edictum persecutionis renovantes.

Pars XIII.

ANianus Alexandriæ Episcopus post Beatum Marcum suis meritis Ecclesiam Dei multipliciter auxit, dispositus mortis subire tormentum pro Christi nomine. Sed sicut Domino placuit, XXII. Anno sui Episcopatus de hoc turbine emigravit, translatusque Venetias sub Petro Polano Duce.

Pars XIV.

DOpnius natione Syrus à Beato Petro Episcopus ordinatus, in Dalmatiam vênit, & Ecclesiam à Tito incœptam in Salonam Urbem Metropolitanam Provinciæ plurimum auxit, & pro Christi nomine sacrificare renuens, à Præfecto Maurilio (*) martyrio coronatus est. Hæc quidem Sedes in Spalato, destructâ Salonâ, cum corpore Pontificis translata est.

Pars XV.

TItus à Beato Paulo Apostolo Cretensis Episcopus ordinatus est, apud quam Ecclesiam Urbis Corthinæ (**), ubi fuerat dignus Minister, sepultus est, bonum adeptus finem.

Pars XVI.

CLemens natione Romanus sedit annis IX. mensibus II. diebus X. cessavit Episcopatus dies XVIII. Hic quos baptizavit, non finebat mendicitati subjectos, & VII. Regiones divisit Notariis fidelibus, qui gesta Martyrum perquirerent, fecitque duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur.

Pars XVII.

TUnc autem Joannes Apostolus apud Ephesum comprehensus à Proconsule, cùm sacrificare nollet, jussu Domitiani Romam defertur, & in dolium ferventis olei mittitur; sed dum illæsus exiit, stupefactus Proconsul est, & à Domitiano in tanta reverentia habitus est, ut occidere eum ampliùs non tentaret; sed propter odium Christiani nominis, quod infelix de superbia mentis conceperat, quia se Deum credi volebat, in Insulam Pathmos relegavit, ubi apocalypsim scripsit.

Pars XVIII.

CUm autem Domitianus annis XV. Imperium tenuisset, & in Senatum Populumque sæviret, & foris malè compositum exercitum hostes assidua cæde conficerent, à Senatu damnatus in Palatio interficitur. Hoc quoque definitum est, ut omnes, qui ab eo exilio ex-

A trusi fuerant, decreto Senatus revocarentur, corpusque ejus humana caruit sepultura.

Pars XIX.

NErva Senex Domitiano successit Anno Domini XCVIII. Hic à Petronio Præfecto Prætorio, & Parthenio Spadone Domitiani interfectore Imperator creatus Trajanum adoptavit, per quem revera afflictæ Reipublicæ consuluit.

Pars XX.

B HUjus tempore Cherinthus, & Ebrion Christum negant Dei filium, contra quos Joannes suum Evangelium inchoavit: *In principio erat Verbum.*

Pars XXI.

MOrtuus est Nerva post annum primum, mense IV. die VIII. Imperii sui Romæ, atque inter Divos relatus est.

Pars XXII.

TRajanus genere Hispanus apud Agrippinam Galliæ Urbem insignia Imperii suscepit Anno Domini centum, moxque Germaniam C trans Rhenum subegit; & trans Danubium multas gentes superavit, barbaras etiam nationes, trans Eufratem, & Tigrim sitas redegit ipse in Provincias. Seleuciam denique, & Babyloniam occupavit, & usque ad Indiæ fines post Alexandrum accessit.

Pars XXIII.

CLemens Papa à Præfecto in exilium Chersonæ missus, jussu Trajani ligatâ in collo ejus anchorâ, præcipitatus est, cujus corpus exsiccatâ aquâ discipuli obtinuerunt.

Pars XXIV.

D ANacletus natione Atheniensis sedit annis IX. mensibus II. diebus X. Cessavit Episcopatus diebus XIII. Hic à Beato Petro fuit Presbyter ordinatus. Instituit, ut VII. Diaconi essent Romæ Cardinales. Item ut Clericus neque comam nutriat, neque barbam.

Pars XXV.

JOannes Evangelista, sciens supervenisse diem sui recessus convocatis suis in Epheso, post longam exhortationem descendit in defossum sepulturæ locum, orans, & gratias agens, quòd ad æternas delicias vocaretur; cùmque E orationem finisset, tanta lux super eum emicuit, ut nullus in eum respicere posset. Recedente itaque lumine fossa manna plena apparuit.

Pars XXVI.

EVaristus natione Græcus ex patre Judæo sedit annis X. mensibus VIII. diebus II. cessavit Episcopatus diebus XVIII. Hic titulos in Urbe Presbyteris divisit, & septem Diaconis constituit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum veritatis.

Pars

(*) *Cod. Amb.* Mauritio.

(**) *Cod. Amb.* Corcyræ.

Pars XXVII.

TRajanus tertiam Christianorum persecutionem excitavit, cui Plinius Veronensis Orator, & Historicus naturalis, qui Venetiæ Provinciam administrabat, multitudine interfectorum commotus, retulit, quòd innumera hominum millia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur, nisi quòd antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo; adulteria & cetera crimina ab eis penitus arceri, cetera verò eos agere secundùm communes Leges. Tunc Trajanus statuit, ut Christiani non quærantur; si qui tamen inciderint, puniantur.

Pars XXVIII.

HOc tempore Græco more primùm Christianorum Ministeria in Orientali Ecclesia celebrata sunt, quæ priùs tantùm Hebraicè celebrabantur.

Pars XXIX.

CUm itaque Trajanus Imperium tenuisset annis XIX. mensibus VIII. (*) apud Seleuciam Urbem Isauriæ profluvio ventris exinanitus est, inter Divosque relatus. Ossa verò ejus in urna aurea collecta in Foro sub Columna CXL. pedum posita sunt. Nulli enim gravis fuit, omnibus gratus, adeò ut usque ad nostra tempora in Senatu non aliter exclametur: felicior sis Augusto, & melior Trajano. Et legitur quòd Beatus Gregorius compassione permotus tantum oravit, quòd ab Inferno liberatus est.

Pars XXX.

ÆLius Adrianus consobrini Trajani filius, cùm Romæ Præfecturam splendidiùs ageret, ex Senatore Imperator creatus est Anno Domini CXIX. & ultra morem majorum Pater Patriæ in Senatu appellatus est. Alexandriam à Romanis subversam publicis restauravit expensis; & in privata vita inimicos habuit, quos factus Cæsar non odivit; unde & cuidam ipsorum dixisse fertur: evasisti.

Pars XXXI.

ALexander natione Romanus sedit annis VIII. mensibus V. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus XXX. Crescente enim Ecclesia ex gentibus, cœpit vexari erroribus, quia Basilides, & Menander Hæresiarchæ hoc tempore apparuerunt. Unde Papa constituit aquam in sale benedici, in Canone addidit. *Qui priùs quàm pateretur* usque ad verba consecrationis, & ut aqua vino misceretur, & oblatio fieret in azymo, & in parva quantitate. Postea verò Nonis Madii martyrio coronatus est.

Pars XXXII.

INterea Adrianus cùm esset Athenis, jussit, Christianos sinè objectu & probatione criminis non damnari propter Apologeticum Aristidis, & libellum Quadrati Episcopi de Christiana Religione eidem oblatum, & de his Proconsuli Asiæ Epistolam scripsit.

(*) *Cod. Amb.* & dimidio.

Pars XXXIII.

SIxtus natione Romanus sedit annis X. mensibus III. diebus XXI. Hic constituit in Missa cantari *Sanctus*, & ut Corporale de solo lino non tincto fieret. Postea III. Nonas Aprilis martyrio coronatus est.

Pars XXXIV.

BEatus quoque Prosdocimus, Ecclesiâ sua in fide firmatâ, ad Castrum Estense, & deinde Vicentiam accedit, & sua doctrina universum quasi Populum ad Fidem convertit; & in Asilo idem proficiscens Ecclesiam in honorem Sanctæ Mariæ construxit, & in ea ministros ordinavit; & in Feltro similiter Basilicam sub Sancti Petri Præceptoris sui nomine cum Clericis Deo servientibus dedicavit. Et in Altino Urbe mirifica multos Catholicos fecit, & in Urbe filiam Eufrosini nobilis viri à nativitate cœcam illuminavit, & in fluvio Sileris plures baptizavit, & in domo Comitis de Tarvisio Uxorem ejus longo morbo oppressam liberavit, eamque & familiam cum centum & XII. fontis baptismate delinivit; & Ecclesiam sub vocabulo Sancti Petri fecit, interea cùm Episcopus in Ecclesia sua rediret, Vitalianus Rex Patavii mortuus est.

Pars XXXV.

TElesphorus Papa natione Græcus ex Anachoritis sedit annis XI. qui constituit ut VII. hebdomadis ante Pascha jejunium celebretur. Hic martyrio coronatus est IV. Nonas Januarii.

Pars XXXVI.

ADrianus Augustus Antoninum in filium adoptavit, & Generum sibi fecit; tamdem post XXI. annos, menses X. dies XX. Imperii sui, morbo oppressus in Campania apud Bajas mortuus est, & primò renitente Senatu, denique inter Divos relatus est.

CAPITULUM QUARTUM.

De secunda vacatione Pontificatus Aquilegiensis habens partes XXXIV.

ECclesiæ Aquilegiensis inchoata vacatio continuare dignoscitur Anno Domini centesimo quadragesimo.

Pars Prima.

TItus Antoninus cognomine Pius eodem anno cum filiis suis Aurelio, & Lucio Pio, tenuit Imperium, & ærarium opulentum reliquit, & Rempublicam ampliavit, & Pater Patriæ appellatus est, & ita tranquillus fuit, ut meritò Pius appellatus sit. Nam ad illum exteræ gentes Legatos misêre, Judæi, Batriani, & Hircani, Justitiâ tantâ Imperatoris compertâ; erat enim carens apparentia gloriæ, & ostentatione. Hic benignus factus est Christianis propter librum de Christiana Religione à Justino sibi traditum.

Pars

Pars II.

HYginus natione Atheniensis sedit annis IV. mensibus III. diebus VI. Hic distribuit gradus in Clero, & constituit ut quæcumque ex materia Ecclesiastica constructa ad usum secularium converti non debeant.

Pars III.

GAllienus Medicus de Pergamo Asiæ doctissimus Hippocratis interpres hoc tempore floruit.

Pars IV.

POlicarpus Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smirnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Qui denique Ignis martyrio vitam finivit.

Pars V.

PApias similiter Joannis auditor, & Hieropolitanus Asiæ Episcopus quinque scripsit volumina de explanatione Fidei & sermonum Domini. Hic auctor fuit Hæreticorum, qui dicuntur Chilianistæ, idest Millenarii, non tamen inter hæreticos, sed inter Sanctos in Martyrologio computatur.

Pars VI.

PIus natione Venetus de Civitate Aquilegia ex Patre Ruffino, frater Pastoris, sedit annis XI. mensibus IV. diebus XXI. Cessavit Episcopatus diebus XIV. Hic constituit venientem Hæreticum ex Judæorum hæresi suscipi, & baptizari, & constitutum fecit de Ecclesia. Hic fecit ordinationes V. per mensem Decembris, Presbyteros XIX. Diaconos XXI. & Episcopos XII. per diversa loca constituit. Sub quo Hermes, cujus Paulus ad Romanos meminit, Librum scripsit, qui dicitur Pastor, unde multi veterum usurpaverunt testimonia, in quo mandatum continetur quòd ei præcepit Angelus Domini, cùm vênit ad eum in habitu Pastoris, ut Pascha in die Dominico celebraretur.

Pars VII.

DEcessit itaque Antoninus Pius Anno Imperii XXIII. ob cujus honorem Templa, Sacerdotes, & alia multa honorum insignia Romæ & Senatoribus sunt decreta.

Pars VIII.

MArcus Antonius Verus & Lucius Aurelius Commodus anno Domini CLXII. sumserunt Imperium, qui primùm æquo jure Imperium administraverunt, & hi ambo contra Parthorum Regem Voloscum vastantem Armeniam, Cappadociam, Syriam, admirabili virtute & felicitate pugnaverunt, & una de victoria Parthica triumphaverunt. Sub his quarta persecutio excitata est.

Pars IX.

HOc tempore Justina Virgo Clarissima à Vitaliano patre Rege Patavii, herede relicta, & Beati Prosdocimi Urbis Episcopi baptismate, filia Deo serviens, & virginitatem conservans, facultates suas pauperibus, & aliis piis operibus erogabat. Cùmque Maximianus atrocissimus persecutor Christianorum Patavium intrasset concupiscentia tactus Justinam sibi consentire, & sacrificare Marti renuentem, & in Campo Martio sibi præsentatam, gladio lateri ejus infixo, occidit, cujus corpus Episcopus sepelivit in Ecclesia, quam suo nomine Opilius nobilis Patricius ædificare jussit, similiter & consecravit.

Pars X.

BEatus quoque Prosdocimus Episcopus cùm CXIII. annorum foret, completis in suo Episcopatu annis XCIII. mense I. diebus XV. feliciter obdormivit in Domino.

Pars XI.

EGisippus omnem à Passione Domini usque ad tempora sua Ecclesiasticorum actuum texuit Historiam, & Historiam Judæorum à fine Machabæorum usque ad destructionem Jerusalem.

Pars XII.

ANicetus, vel Anicius, natione Syrus, sedit annis IX. mensibus III. diebus IV. Cessavit Episcopatus diebus XV. Hic constituit, ut Archiepiscopi nisi ex speciali titulo Primates non vocentur.

Pars XIII.

HOc tempore fuit Imperator extra catalogum nomine Didius Julianus, qui sæpe oleribus & leguminibus in cœna contentus fuit; & simulacrum marmoreum moveri jussum est, & ænea statua Herculis sudasse dicitur per multos dies.

Pars XIV.

SEleucia Syriæ Urbs cum CCC. millibus hominum capta est.

Pars XV.

SOter natione Campanus sedit annis IX. mensibus III. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus XXII. Hic constituit, ut uxor legitima non habeatur, nisi per Sacerdotem fuerit benedicta.

Pars XVI.

SUb hoc Philippus Cortinæ Urbis Cretæ Episcopus admiratione dignum edidit Librum.

Pars XVII.

FUit quoque Pestilentia tanta per totum Orbem, quòd pæne usque ad internecionem Romanus Exercitus deletus est.

Pars XVIII.

AUrelius Commodus Aquilegiam pervênit, deinde Concordiam. Qui dum cum fratre in vehiculo in Altinum proficisceretur, apoplixia subitò obmutuit, & in eamdem Altini Ur-

A Urbem delatus post triduum periit. Quidam tamen scripserunt, quòd ex veneno sibi in ostreis propinato defunctus sit. Regnavitque solus Antonius Verus paucis diebus, severiores leges novis conditionibus temperans, Provinciis tributa donans. In Pannonia repentino morbo obiit; ob cujus honorem Templa, Columnæ, & alia multa condita sunt.

Pars XIX.

AUrelius Commodus post patrem imperavit Anno Domini CLXXXI. Hic luxuriæ, & obscœnitati deditus, interfecit plurimos Senatores. Contra Germanos bella feliciter egit; Gladiatoriis quoque armis sæpissimè ludo dimicavit.
B In Amphitheatro se feris frequenter objecit, & fulmine Capitolio ictus est. Bibliothecam majorum cura & studio compositam, ædesque alias rapax turbo concremavit. Aliud quoque incendium Ædem Vestæ, plurimamque Urbis partem solo coæquavit: sic flagitia Regis pœna sequitur Urbis. Tunc pax ubique Ecclesiæ reddita, & ex omni genere hominum ad agnitionem Fidei conveniunt multi Romanorum Illustres cum conjugibus, liberis, & famulis baptizantur.

Pars XX.

ELeutherius Papa natione Græcus sedit XV. annis. Cessavit Episcopatus diebus VI. Hic requisitus à Lucio Rege Britonum erudito-
C res Fidei viros Religiosos sibi misit, à quibus idem Rex cum Populo baptizatus est.

Pars XXI.

POrrò Commodus Colossi capite sublato suæ imaginis caput jussit imponi. Erat enim Colossus imago quædam in Insula Rhodi mirabiliter fabricata, à qua eadem Insula vocata est Colossus, & illius Episcopus Colossensis. Commodus autem, cunctis incommodus, in domo Vestali XIII. anno Imperii sui strangulatus est, cujus nomen Senatus jussit abradi.

D *Pars XXII.*

HElius Pertinax annis LXX. major à Senatu Imperator creatus est. Præfecturam Urbis agens anno Domini CXCIV. qui cùm Senatus rogaret, quòd uxorem suam vocaret Augustam, respondit, sufficere quòd regnaret invitus. Pertinax LXXX. die Imperii sui Juliani scelere occisus est.

Pars XXIII.

JUlianus Vir peritus eodem anno accepit Imperium, quem Severus post VI. menses apud Milvium Pontem occidit.

E *Pars XXIV.*

SEverus genere Africus Tripolitanus ex Oppido Lepti eodem anno imperavit. Hic fuit natura sævus, Vir grandævus, in omnibus æquus, numquam accepit munera, neque adulatione seduci potuit. Multis bellis lacessitus, fortissimè quidem Rempublicam, sed laboriosissimè rexit; Nam Pescennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria ad Tyrannidem aspirabat interfecit. Judæos, Sarmatas, Parthos, & Arabes superavit.

Pars XXV.

VIctor natione Africus sedit annis IV. mensibus II. diebus X. cessavit Episcopatus diebus XII. Hic apud Cæsaream Palestinæ Concilium congregavit, ubi statutum est, ut semper die Dominico, qui sequitur XIV. Lunæ, Pascha celebretur.

Pars XXVI.

HOc tempore Severus V. persecutionem exercuit contra Christianos, & hæresis Artemonis pullulare cœpit, quam postmodum Paulus Samosatenus instaurare conatus est. Isti Christum fuisse hominem affirmant.

Pars XXVII.

ZEphyrinus natione Græcus sedit annis VIII. mensibus VI. diebus X. Cessavit Episcopatus diebus X. Hic constituit, ut in die Pascha omnes Christiani communicent.

Pars XXVIII.

SEverus itaque ad extremum Clodio Albino Socio Juliani in morte Helii Pertinacis, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, Lugduni interfecto, in Britanniam bellum transtulit, ibique magnis gravibusque bellis sæpe gestis Insulæ partem recepit, quam & vallo, & crebris curribus CXXXII. passus à mari usque ad mare inter Britones, & Pictos communivit, & dum annis XVIII. tenuisset Imperium, apud Eboracum Britanniæ mortuus est, relinquens duos filios Bassianum, & Getam, quorum ultimus publicus hostis nunciatus periit.

Pars XXIX.

ANtoninus Caracalla, qui & Bassianus, successit Patri Anno Domini CCXIII. Hic fuit libidine intemperatus, qui & Novercam duxit uxorem.

Pars XXX.

CAllistus natione Romanus sedit annis V. mensibus II. Hic fecit Cœmeterium, quod dicitur Callisti, ubi & sepultus est. Item constituit quatuor Tempora. Quo tempore Vir Sanctus Abagarus regnavit Edessæ.

Pars XXXI.

URbanus Romanus natione sedit annis VIII. mensibus XI. diebus XII. Cessavit Episcopatus diebus XXX. Hic constituit vasa Ecclesiastica aurea, vel argentea fieri, vel saltem stagnea, quæ Zephyrinus statuerat esse vitrea, cùm priùs ligneis uterentur. Item constituit, ut Ecclesia susciperet prædia, unde Clerici communiter viverent; priùs enim Ecclesia more Apostolorum vivebat, pecuniam tantùm recipiens pro egenis. Multos quoque Nobiles ad Fidem convertit, & ad Martyrium usque perduxit.

Pars XXXII.

ANtoninus autem contra Parthos egressus, cùm imperasset annis VII. (*) apud Edessam occisus est. Pars

(*) *Cod. Amb.* & mens. VI.

A

Pars XXXIII.

MAcer Macrinus Palatii Præfectus sinè ulla voluntate Senatus invasit Imperium Anno Domini CCXX. qui post annum unum, menses duos tumultu militari occisus est.

Pars XXXIV.

MArcus Aurelius Antoninus, Caracalla, ut putatur, filius imperavit Anno Domini CCXXI. Hic Sacerdos Heliogabali Templi, ubi erat statua Solis, voluit Romæ pro Deo coli. Cæsar extraordinarius nullam sui, nisi stuprorum, & flagitiorum infamem memoriam dereliquit. Anno quarto Imperii sui, tumultu militari cum matre occisus est, cujus nomen Senatus jussit abradi. Suoque tempore Urbs Nicopolis in Palæstina ædificata est.

B

CAPITULUM QUINTUM.

De tertia Vacatione Pontificatus Aquilegiensis habens partes LII.

SAnctæ Aquilegiensis Ecclesiæ diu durata vacatio continuat Anno Domini CCXXIV. Quo Anno Alexander Aurelius digno æquitatis præconio imperavit, & Regem Persarum Xersem gloriosissimè vicit. Et rogatus post victoriam, misit ad Regulos Indorum, & sic translatum est corpus Beati Thomæ (*) Edessam.

C

Pars I.

HIc Ulpianum, Paulum, Papinianum Juris peritos assessores habuit; & ejus mater Mammæa Christiana Origenem Presbyterum ab Antiochia evocatum audire curavit; & inclyti Martyres Christi Tiburtius, & Valerianus cum Beata Virgine Cœcilia Romæ martyrizati sunt, & subsequenter Urbanus Papa.

Pars II.

D

POntianus natione Romanus sedit annis V. mensibus II. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus X. Hic cum Hippolyto Presbytero ab Alexandro in exilium deportatus est in Sardiniam in Insula Bucina, ubi & defunctus est.

Pars III.

BErillus Episcopus Arabiæ in hæresim incidit, quæ Christum negat ante Mariam fuisse; sed ab Origene correctus multa scripsit utilia.

Pars IV.

E

BRichinus Venerabilis Episcopus Veronensis Urbis in Venetia, ac Doctor egregius plura præclara scripsit Opuscula.

Pars V.

CYriacus natione Græcus sedit anno I. mensibus III. sed quia cum voluntate Cleri, Anthero sibi substituto, cum XI. millibus Virginibus ivit, non ponitur in Catalogo Pontificum.

(*) *Cod. Amb.* ex India.

Pars VI.

ANtheros natione Græcus sedit annis XI. mense I. diebus XII. Hic constituit, ut Episcopus de Sede ad Sedem non posset transferri; & gesta Martyrum per Notarios inquisivit, & Ecclesiis legenda dedit.

Pars VII.

ALexander decimo tertio anno Imperii sui apud Moguntiam tumultu militari occisus est.

Pars VIII.

MAximus, qui & Maximinus Julius, à militibus sinè auctoritate Senatus Imperator creatus est Anno Domini CCXXXVII. Hic inchoatam persecutionem prosecutus est, vel fortè melius sextam inchoavit, maximè propter Christianam familiam Mammeæ Matris Alexandri, cui successit, vel præcipuè propter Origenem. Et idem Origenes Librum de Martyrio scripsit, quem plurimi legentes ad Christi processerunt confessionem.

Pars IX.

HIs diebus Ursula virgo genita Dinthi Britannorum Principis cum societate sua in Colonia pro Christi nomine passæ sunt. (**)

Pars X.

MAximinus autem subactâ Germaniâ sciens, quòd Senatus in ejus odium Pupienum, & Balbinum, & Gordianum Imperatores creasset, cum furore Italiam intravit, & Æmoniam Urbem Istriæ accepit, & Aquilegiam obsedit, & Legatos in Urbem misit, quibus Populus ferè consensit, nisi Menofilus, & Crispinus Consulares viri restitissent, dicentes etiam, Deum Belinum per aruspicem spopondisse, Maximinum esse vincendum. Redeuntibusque Legatis, facto ponte, de proximo Civitas expugnatur. Aquilejenses autem funes de capillis mulierum fecere, cùm deessent nervi ad sagittas emittendas. Cùm autem Maximino victualia ex decreto Senatus deficerent, ipse, & filius ejus à militibus occisi sunt, eorumque capita Romam delata sunt. Et post modicum Pupienus, & Balbinus à militibus interficiuntur.

Pars XI.

GOrdianus Anno Domini CCXL. sumsit Imperium. Hic fuit Literatissimus, & forma pulcherrimus, corpore subcrassus. Habuisse legitur XXII. concubinas, & ex qualibet earum tres aut quatuor filios.

Pars XII.

FAbianus natione Romanus sedit annis XIII. mense I. diebus XI. Cessavit Episcopatus diebus VIII. super hunc loquentem de futura Papæ electione, & rei exitum expectantem candida columba descendit dicens: Tu Romæ Episcopus ordinaberis. Hic VII. Diaconibus Regio-

(**) *Cod. Amb.* Alii à Præfecto Atilæ interfectam scribunt circa annum CCCCI.

A giones divisit, qui VII. Notariis imminerent, ut gesta Martyrum ex integro scriberent. Et constituit, ut omni anno Chrisma renovaretur, & vetus combureretur.

Pars XIII.

NOvatus Hæreticus negavit pœnitentiam post lapsum; factumque est Concilium Romæ quadraginta Episcoporum.

Pars XIV.

GOrdianus igitur admodum adolescens, Parthorum gente superata, cùm victor re-
B verteretur ad Euphratem, fraude Philippi Præfecti Prætorii anno VI. Imperii sui occisus est, ubi ei milites tumulum construxerunt, ossibus ejus Romam evectis.

Pars XV.

PHilippus circa Euphratem Imperator creatus Anno Domini CCXLVI. filium suum Philippum consortem fecit Imperii. Hic primus omnium Imperatorum Christianus fuit. Regnantibus Philippis, millesimus Romanæ Urbis completus est annus, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ sunt, Ludi in Campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus Populo pervigilante celebrati.
C Huic volenti interesse Vigiliis Paschæ, & communicare Mysteriis, restitit Fabianus Papa, nec permisit, donec confiteretur peccata, & staret inter pœnitentes.

Pars XVI.

COrnelius natione Romanus sedit annis III. mensibus III. diebus X. Cessavit Episcopatus diebus XXV. Hic constituit, ut Sacerdotes pro certa causa jurare possent. Cujus tempore corpora Apostolorum Petri & Pauli ab Orientalibus viris nocte furata sunt (*). Quo facto, terræmotus tantum Romam concussit, ut pæne omnes mori cogitarent; factumque est,
E ut tam Pagani, quàm Christiani prompti eos sequerentur, putantes totam ob id migrare Urbem. Dei verò nutu ea corpora cum honore reportantur ad Urbem; & Religiosi viri, quia devotionis intuitu id egerant, sinè pœna dimissi sunt; corpora autem apud Catacumbas inhumata jacuere. Ex Senatus quoque Consulto concessum est Romano Pontifici, ceterisque Christianis liberè ad sepulturas eorum insudare, impensis etiam sibi de Fisco auxiliis.

Pars XVII.

ORigenes adversùs quemdam Philosophum contra Christianos scribentem octo volumi-
E nibus respondit. Hieronymus quoque ultra sex millia librorum ejus se legisse memorat.

Pars XVIII.

HOc tempore Concilium factum est Romæ LXX. Episcoporum, & totidem Sacerdotum, ubi statuitur, ut lapsi redeuntes recipiantur propter Hæresim Novati, & Novatiani.

(*) *Cod. Amb.* VI. Kal. Julii.

Pars XIX.

PHilippus Urbem Philippopolis in Thracia construxit; & cum filio diversis in locis post e ptem annos Imperii sui fraude Decii successoris sui circumventi & occisi sunt.

Pars XX.

DEcius è Pannonia inferiori Budaliæ, sive Dalmatiæ Anno Domini CCLIII. imperavit. (**) Hic probatissimus miles Philippi fuit, redeuntique de Gallorum victoria, contra quos rebellantes missus fuerat, usque Veronam Urbem Venetiæ Philippus occurrit. Decius autem ejus mortem latenter procurans, cum filio suo, quem fecit Cæsarem, invasit Imperium; quod audiens Philippus junior, valde perterritus, Thesauros suos Ecclesiæ commisit, pauperibus erogandos. Qui & à Decio mortuus est. Hic odio Philipporum septimam excitavit persecutionem.

Pars XXI.

ISidorus Alexandrinus hoc tempore apud Chium cùm sacrificare Idolis renueret, à Numeriano Duce in camino ignis conflagrationem passus est, posteaque in puteo projectus, de cujus aqua Energumeni, & febricitantes sæpius potati sanantur. Ultimo verò decollatus est Idibus Maji. Cujus corpus sub Dominico Michaële Duce Venetias deductum est.

Pars XXII.

DIonysius Alexandrinus Episcopus, Origenisque auditor, scripsit Librum de lapsis, & multis confessionibus, multisque suppliciis clarus exstitit.

Pars XXIII.

AGatha Cataniæ Virgo clarissima sub Quintiano Præfecto pro Christi nomine martyrizata est.

Pars XXIV.

SEptem Dormientes fuerunt primi Palatii in Epheso, qui Christiani deprehensi, cùm Decius ibi contra Christianos sæviret, in crypta Cœlii Montis latuerunt. Quo comperto, jubente Decio, ut fame pereant, obturatur os speluncæ. Ministri autem Christiani eorum martyrium describentes inter lapides posuerunt.

Pars XXV.

HUgo Floriacensis ait: *Denique non possumus evolvere, quantæ multitudines, hujus persecutionis igne furente, in desertis & in montibus latitantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisque consumtæ sunt.*

Pars XXVI.

DEcius autem cùm anno I. mensibus III. imperasset, in medio Gothorum & Barbarorum sinu interfectus est; Filius autem ejus gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri.

Pars

(**) *Cod. Amb.* Imperium invasit, imperavitque annum I. menses III.

Pars XXVII.

GAllus Hostilianus, qui & Decius dictus est, cum filio suo Volusiano Anno Domini CCLIV. imperavit. Hic cùm initio Regni floreret, & cuncta ei ex sententia cederent, Sanctos Viros, qui pro pace & prosperitate Regni ejus orabant, persequi cœpit, unde à se pacem pariter & prosperitatem fugavit; Exorta enim persecutione, exorta simul est ultio violati nominis Christiani. Nulla ferè Romana Provincia fuit, nulla Civitas, quam pestilentia non occuparet.

Pars XXVIII.

LUcius natione Romanus sedit annis III. mensibus X. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus III. Hic constituit, ut duo Presbyteri, & III. Diaconi in nullo loco Episcopum deserant propter testimonium Ecclesiasticum. Qui primò exiliatus, postea capite truncatus est.

Pars XXIX.

GAllus & Volusianus, dum contra Æmilianum novis rebus studentem bellum moliuntur civile, elapsis eorum Imperii annis II. mensibus IV. occisi sunt. Æmilianus quoque tertio mense invasæ tyrannidis occisus est.

Pars XXX.

VAlerianus imperavit cum Gallieno filio, qui Decius dictus est, Anno Domini CCLVI. Primò in Græcia Augustus appellatus est ab exercitu, secundò Romæ à Senatu creatus est Cæsar. Miro autem modo Valerianus supra ceteros, qui ante eum fuerant, benignus & humanus erga famulos Dei fuit, ita ut domus ejus de Ecclesia diceretur. Depravatus autem fuit per quemdam Principem & Magistrum Ægyptiorum Magorum, ita ut Sanctos Viros persequi juberet.

Pars XXXI.

STephanus natione Romanus sedit annis IV. mensibus II. diebus XV. Cessavit Episcopatus diebus XXI. Hic statuit, Sacerdotes & Levitas veste sacra in quotidiano usu non uti; Et post X. Clericos suos decapitatos, in Sede sua, dum celebraret, decapitatus est. (*)

Pars XXXII.

SIxtus natione Atheniensis sedit annis X. mensibus XI. diebus VI. Cessavit Episcopatus diebus XXVI. Hic de Hispania duxit Laurentium, & Vincentium Consobrinos. Sed Vincentius in Hispaniam rediit. Hic constituit, ut consecratio semper fiat super Altare. Sed demum cum Felicissimo, & Agapito, jubente Valeriano Præfecto, decollatus est. (**)

Pars XXXIII.

LAurentius igitur post Sixtum clamabat dicens: *Noli me derelinquere, Pater Sancte, quia Thesauros tuos jam expendi*. Tunc milites audientes Thesauros, Laurentium tenuerunt, & Decio præsentaverunt. Qui post multa supplicia sub craticula in igne positus tradidit spiritum.

Pars XXXIV.

CYprianus autem primùm Rhetor, deinde Presbyter, postea Carthaginensis Episcopus post longum exilium revocatus decollatur. Hic multa præclara scripsit; postquam enim Rhetoricam docuit, Christianus effectus omnia sua pauperibus dedit.

Pars XXXV.

FErvente hujus persecutionis procella Paulus Thebeus ad montium deserta confugit, ibique in oratione viventi palma victum & vestitum præbuit. Cùm igitur CXIII. annorum esset, & Antonius XC. annorum jam in alia solitudine Deo serviens, ex revelatione Paulum visitavit, & post sacra colloquia ad Monasterium suum rediit. Post autem ejus felicem obitum corpus ejus Constantinopolim, deinde Venetias sub Jacobo Teupolo Duce transfertur.

Pars XXXVI.

DIonysius de patre Marco sedit annis II. mensibus III. diebus VIII. Hic Diœceses, & Parochias divisit, & Cœmeteria propter pœnitentes, ut quisque suis terminis sit contentus.

Pars XXXVII.

VAlerianus igitur nefarii auctor Edicti victus à Sapore Rege Persarum, ibidem ignominiosè consenuit, ut proclivus ad terram semper Regem ascensurum in equum, non manu sua, sed dorso attolleret. Gallienus autem tam præclaro judicio territus, pacem Ecclesiæ tepidam restituit. Divina quoque ultio minimè unius damnatione contenta, in Judices, & Executores pœnarum animadvertit. Germani enim, Rhætiâ, totâque Italiâ penetratâ, Ravennam usque perveniunt. Alamanni quoque Gallias pervagantes & Italiam vastant. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, Gothorum inundatione deletur, Dacia in perpetuum aufertur. Squadi, & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriam vastant. Concitantur etiam civilia bella.

Pars XXXVIII.

EUgenius Primus purpuram sumens Imperii, apud Nitriam occiditur.

Pars XXXIX.

POsthumus obscurissimè natus invasit tyrannidem multo Reipublicæ commodo; nam X. annis ingenti virtute & moderatione usus in pristinam faciem Provincias reformavit. Tamdem seditione militari occisus est.

Pars XL.

ÆMilianus cùm apud Maguntiam novas res moliretur, interfectus est.

Pars

(*) Cod. Amb. IV. Non. August.

(**) Cod. Amb. VIII. Id. Augusti.

Pars XLI.

MArius vilissimus post Posthumum purpuram sumsit, & secunda die oppressus est.

Pars XLII.

VIctorinus deinde à Gallis ultimò creatus, Vir strenuissimus, sed quia aliena invasit matrimonia, anno secundo occisus est.

Pars XLIII.

HOc tempore Zeno Episcopus Veronensis Doctor Egregius successit Brichino. Hic, ut testatur Coronatus, fuit Vir Christianissimus, sanctificatus in Utero Matris, & à cunabulis benedictus, qui & opere, & sermone radicem Orthodoxæ Fidei confirmavit. Cùmque Episcopus Apostolorum more in Athesi piscaretur, à Nuntiis Gallieni inventus ad eum ducitur. Qui ejus genitam à Dæmone oppressam, & multis intercessionibus, & medicaminibus nondum liberatam, suis orationibus sanam reddidit, & coronam ab Imperatore suscepit, & pauperibus erogavit, multique propterea baptizati sunt.

Pars XLIV.

SAbellii hæresis Ptolemaide oritur, quæ Divinas confundit personas.

Pars XLV.

FElix natione Romanus sedit mensibus X. diebus XXV. Cessavit Episcopatus diebus III. Hic constituit, Dedicationes Ecclesiarum annis singulis celebrari, & super Reliquias Martyrum celebrari Missas.

Pars XLVI.

THeodorus cognomento Gregorius, & Origenis discipulus, Neocæsareæ Ponti Episcopus clarus vita & doctrina hoc tempore viguit.

Pars XLVII.

EUtychianus natione Tuscus sedit annis VIII. mensibus X. diebus V. Cessavit Episcopatus diebus XIII. Hic constituit, ut Martyres sepeliens id ageret in Dalmatica, vel Colobio purpurato indutus. Hic CCCXLII. Martyres sepelivit, & constituit super Altare fructus benedici.

Pars XLVIII.

GAllienus Imperator cùm Mediolanum vellet intrare, à militibus suis comprehensus gladiis confossus est, postquam annis octo solus imperaverat.

Pars XLIX.

CLaudius consentiente Senatu Anno Domini CCLXXI. accepit Imperium. Hic Gothos vastantes per XV. annos Macedoniam, superavit. & incredibili strage delevit: unde clypeus ei aureus & statua Equestris decernitur à Senatu.

Pars L.

HIs diebus fuerunt plures extraordinarii Cæsares, videlicet Quintus, Donatus, Balista, Herodes, Meonius, Piso, Æmilianus, Alexander, Hermanus, Timolaus, Celsus, Zenobia, Victorianus, Titus, Censorius, & Claudius.

Pars LI.

CLaudius Imperator Alamannos prope Lacum Benacum, sive Gardæ, in sylva, quæ Ligana dicitur, mira probitate superavit. Posteaque cùm tenuisset Imperium anno I. mensibus VIII. obiit apud Syrmium, & inter Divos relatus est. Post quem Quintillus frater ejus ab exercitu electus est, & à Senatu approbatus in Aquilegia, Vir magnæ moderationis, & solus fratri præferendus. Sed septima die postquam in solio sublimatus est, gladio occubuit.

Pars LII.

AUrelianus in Syrmio Anno Domini CCLXXIII. Hic Vir militaris artis expertissimus in expeditione ad Danubium suscepta, Gothorum gentem duris prœliis profligavit, Ditionemque Romanam antiquis terminis stabilivit, & Syriam totam subjugavit. Quam Zenobia occiso Viro sibi vendicaverat. Hic nonam persecutionem excitavit.

CAPITULUM SEXTUM.

De Pontificatu Sancti Hilarii Martyris habens partes VIII.

HIlarius Episcopus Aquilegiensis decernitur Anno Domini CCLXXVI. Hic natione Pannonius in juvenili ætate Divinis eruditus Scripturis, Diaconatus Ordinem adeptus est. Posteaque Sacros Ordines gradatim assumens, nunc à Clero & Populo suis meritis Episcopus est electus. Qui mox Tatianum discipulum suum & coadjutorem Archidiaconum fecit, & Felicem, Largum, & Dionysium viros in Fide probatissimos auditores habuit, & suo sermone & opere in Venetia, & Istria Christianitas dilatata est.

Pars I.

CAjus natione Dalmatinus sedit annis XI. mensibus IV. diebus IX. Cessavit Episcopatus diebus XI. Hic constituit, ut primò quis Ostiarius fieret, secundò Lector, & sic de aliis Ordinibus. Item & difficiles quæstiones in Provinciis exortæ ad Sedem Apostolicam referantur. Item ut Hæretici, vel Pagani accusare Fideles non possint. Item, ut nullus apud Judices seculares Episcopos accusare præsumat.

Pars II.

AUrelianus post multas victorias in Oriente & Aquilone habitas, Romam rediens, firmioribus muris cinxit, & Soli Templum ædificavit. In Gallia quoque super Ligerim Urbem sui nominis construxit, & Castrum Divianum. Post quæ, dum imperasset annis V. mensibus VI.

VI. in Thracia inter Constantinopolim & Heracliam occisus est.

Pars III.

TAcitus, vel Tatius post eum imperavit mensibus VI. quo apud Pontum occiso, Florianus frater ejus partem Imperii invadens post dies LXXXIX. apud Tharsum occisus est.

Pars IV.

PRobus Anno Domini CCLXXIX. accepit Imperium. Hic in Syrmio natus, Barbaros, qui Gallias occupaverant, fortissimo bello devicit. Cujus tempore fuit quidam Maneus Per ses genere, acer ingenio, vita verò & moribus barbarus, qui secundùm nomen suum insaniens se Paraclytum nominabat. Ab hoc diffusa est Hæresis Manichæorum. Probus verò duo civilia bella gessit, unum in Oriente, quo Saturnum Tyrannum oppressit & cepit. Aliud quo Proculum, & Bonosum apud Agrippinam magnis prœliis superatos interfecit. Ipse verò, dum imperasset annis VI. mensibus IV. apud Syrmium in Turri ferrata militari tumultu occisus est.

Pars V.

KArus Narbonensis An. Domini CCLXXXV. imperavit, qui filios suos Karinum, & Numerianum consortes Regni fecit. Hic ad Parthicum bellum profectus, post victoriam apud Tigridem flumen fulmine ictus periit.

Pars VI.

SErvulus apud Tergestum ex Christianis ortus parentibus, adolescens factus, genitoribus relictis, ex Patria specum intravit, & post menses XXII. ut vox de Cœlo sibi dixerat, inde exivit, & serpentem horribilem signo Crucis in campo occidit, & Dæmoniacum quemdam, ac Fulgentiæ natum magnis febribus constrictum, & Dydimum structorem semivivum, quia ex alto ceciderat, liberavit, eosque cum familiis, & alios multos Christianos fecit. Tunc Hymulus jussu Numeriani in Tergesto præsens Servulum sacrificare renuentem variis tormentis afflixit, & eum gladio in gutture suo injecto Martyrem fecit IX. Kal. Junii, cujus corpus Clementia mater ejus sepelivit.

Pars VII.

MAurus genere Africus vitam Monachorum imitatus, Romamque profectus, sub Celeriano Præfecto hoc tempore decollatus est, cujus corpus compatriotæ in nave ducunt, quam Præfectus impletam sarmentis incendi fecit; sed tamen Deo ductore navis ad litus Parentinæ Urbis illæsa pervênit, ibi usque in hodiernum diem Beatus Maurus requiescit.

Pars VIII.

HIlarius Episcopus cùm suis meritis & exemplis multum Populum Deo acquisivisset, suggestione Monofantis Idolorum Templi Sacerdotis exhibita Beronio Præsidi, cum Tatiano Archidiacono, Felice, Largo, & Dionysio capitur, & variis suppliciis flagellatur, posteaque prædicti, cùm pariter sacrificare renuerent, XVII. Kalendas Aprilis decollati sunt, completis in Sede sua annis X. quos Viri Catholici à custode carceris redimentes extra Urbem Aquilegiæ sepelierunt.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Pontificatu Grisogoni Primi habens partes VII.

GRisogonus Episcopus laudatur Anno Domini CCLXXXVI. Hic origine Thracius de Civitate Bysantio, quæ nunc Constantinopolis dicta est, Vir Catholicus, & doctrina præclarus, à Christiana plebe Aquilegiæ Episcopus hoc tempore creatus est.

Pars Prima.

NUmerianus interea cùm ob dolorem capitis in lecticula veheretur, insidiis Apri Soceri sui interimitur. Vix autem fœtore cadaveris cooperto, Carinus post duos annos Imperii sui prœlio victus à Diocletiano in Dalmatia apud Margum occiditur.

Pars II.

DIocletianus origine Dalmatinus scribæ filius, obscuro loco natus, eodem anno imperavit. Hic primus gemmas vestibus, calciamentisque inseri jussit, cùm ante eum omnes Imperatores clamydem purpuream tantùm à privato habitu plus haberent. Hic amicos ita ditare voluit, ut paupertatem evaderent, & ex divitiis non superbirent; & Aprum interfectorem Numeriani propria manu occidit.

Pars III.

MArcellinus natione Romanus sedit annis VII. mensibus II. diebus III. Cessavit Episcopatus annis VII. mensibus VI. diebus XV. Hic quia incensum posuit Idolis, congregata Synodo Romæ CL. Episcoporum, eorum judicio se submisit. Illi responderunt: Absit, quòd Summus Pontifex ab aliquo judicetur. Negasti tu, negavit & Petrus magister tuus: & quis Apostolorum ausus fuit judicare eum? Sed egressus foras flevit amare. Tu igitur causam tuam in te ipsum collige, & te ipsum judica. Ad hæc Marcellinus: propter scelus Idolatriæ me judico deponendum, & anathematizo etiam qui corpus meum tradiderit sepulturæ. Et coram Diocletiano Christianum se profitens capitalem accepit sententiam.

Pars IV.

INterea Amandus, & Elinandus in Gallia, collecta rusticorum multitudine, perniciosos tumultus concitaverunt. Unde Diocletianus Maximianum Herculeum Cæsarem fecit, & in Gallias destinavit, qui facilè imperitam multitudinem militari disciplina compescuit.

Pars V.

IN hoc itinere Maximianus Mauritium cum Legione Thæbea, cùm sacrificare nollet, capite mutilavit.

Pars VI.

FElix & Fortunatus Vicentini Cives ab Apanio denunciati Euphemio Præsidi in Aquilegia, quia Christiani essent, & sacrificare renuerent, post varia tormenta extra Urbem Aquilegiæ juxta fluvium pridie Idus Maji decollati sunt. Veniuntque Compatriotæ, & Sanctorum corpora petunt, & Aquilegiæ Viri Catholici contradicunt, factaque est inter eos concordia, ut scribit Addo, ut corpus Felicis, & capput Fortunati Vicentini habeant; & corpus Fortunati cum capite Felicis Aquilegienses retineant. Quæ quidem, ut sub Ursone Ursiolo Duce narrabitur, in Clugia hodie requiescunt. Hic quoque Episcopus Annis IX. Aquilegiensem tenuit Ecclesiam.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Pontificatu Chrysogoni Secundi habens partes XXI.

CHrysogonus Episcopus Secundus statuitur Anno Domini CCXCV. Hic in Dalmatia natus, & in Aquilegiensi Ecclesia diu conversatus, à Clero, & Populo hoc tempore electus est.

Pars I.

HUjus diebus Caurasius, qui ad conservanda Oceani litora positus fuerat, quæ tunc Franci, & Saxones infestabant, prædam ereptam prædonibus nulla ex parte restituit, sed totum sibi retinuit. Propter quod à Maximiano jussus occidi, vir genere infimus, sed consilio & manu promtus, purpuram sumsit, & Britanniam occupavit. Igitur eo in Britannia rebellante, & Achilleo rebellante in Ægypto, & cùm Africam Ygentiani infestarent, & Narseus Rex Persarum Orientem: Diocletianus tanto periculo permotus Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium verò nepotem Claudii ex filia, & Maximianum Galerium Cæsares, tradens Constantio Theodoram Maximiani Herculii filiam, vel privignam secundùm Orosium, ex qua postea septem filios Constantini Magni fratres habuit; filiam verò suam Valeriam Maximiano Galerio. Et uxores, quas habebant, repudiare compulsi sunt. Caurasius Britanniâ sibi per VII. annos fortissimè vindicatâ, tamdem fraude Alecti soceri sui interficitur. Alectus verò per triennium Insulam tenuit, quam Asclepiodorus oppressit, & per X. annos habuit. Constantius igitur Cæsar in Gallia primo prœlio ab Alemannis suo profligato exercitu, vix ipse subreptus est. Secundo victor LXX. illorum percussit; & Maximianus Augustus Ygentianos perdomuit. Diocletianus Achilleum obsessum per septem menses apud Alexandriam cepit, & interfecit, & immoderatè victoria usus Alexandriam direptioni dedit, totamque Ægyptum proscriptionibus fœdavit. Erat tunc cum Diocletiano Constantinus juvenis, inclytus Constantii filius ex Helena priore uxore; voluitque eum Diocletianus dolo perimere, instigante Galerio; Deo tamen protegente salvus ad Patrem rediit. At Galerius Maximianus cum duobus jam prœliis adversùs Narseum conflixisset, tertio conflictu amissis copiis ad Diocletianum refugit, à quo arrogantissimè susceptus est, ita ut per aliquot millia

A passuum purpuratus ante vehiculum cucurrerit. Qua contumelia detrita Regii fastus rubigine de Illyrico, & Misia contracto exercitu contra Narseum reversus hostem fugavit. Narsei uxores, sorores, liberosque cepit, immensas gazas Persicas diripuit; & reversus in Mesopotamiam à Diocletiano magno cum favore susceptus est. Strenuè deinde adversùs Carpos, Basternosque pugnatum est, & Sarmatæ superati sunt, & ipsorum captivorum multitudo per Romanorum finium præsidia dispersa est.

Pars II.

B CRescente inter hæc per Orbem Ecclesia, turbo persecutionis viguit. Anno XIX. Diocletiani, ejus super hoc exiit edictum.

Pars III.

DIocletianus propterea in Aquilejæ partibus positus scripsit. Quòd aliis Christianis interfectis Grisogonus sibi mitteretur, quem Anastasia secuta est. Grisogonus igitur Præfecturam sibi oblatam, si Diis sacrificaret ad Aquas Gradatas, ubi postea Gradi Civitas constructa fuit, jubetur duci, ibique decollari, corpus autem ad litus jactatum est, ubi tres sorores morabantur Agape, Cyonia, & Hyrene cum Sancto Zoylo sene Presbytero, qui corpus capiti compaginans sepelivit. Quod cùm Anastasia visitasset, Aquilegiam rediit ad carceratorum curam agendam. Passus est autem Octavo Kalendas Decembris.

Pars IV.

AGape, Cyonia, & Hirene accusatæ Diocletiano, carceri traduntur, illoque in Macedoniam proficiscente à Dulcitio Præside Virgines suppliciis afflictæ, postea à Sisino Comite Agape, Cyoniaque igni traditæ spiritum emittunt; & subsequenter Hirene sagitta sauciata occiditur. Anastasia autem earum corpora in Aquilegia sepelivit.

Pars V.

D CAntianus, Cantius, & Cantianella, ut scribit Beatus Ambrosius, sacrificare Jovi in Aquilegia reluctantes, ne caperentur, Urbe in vehiculo exeunt, & ab insecutoribus ad Aquas Gradatas capti, jussi ne Dulcitii Præsidis, & Sisinii Comitis decollati sunt cum Protho pædagogo suo, quorum corpora senex Zoylus Presbyter sepelivit.

Pars VI.

E SEnex Zoylus Presbyter, ut ei Beatus Grisogonus indicavit, feliciter obdormivit in Domino.

Pars VII.

JUstus Vir Catholicus piis operibus intentus, à Manutio Magistratu in Civitate Tergesto extensus Crudii nervis affligitur pro Christi nomine; postea ligatis manibus & pedibus, & plumbo in collo ejus, in mare submersus est, cujus corpus ante Solis occasum ad litus Tergesti projectum Sebastianus Presbyter admonitus sepelivit.

Pars

Pars VIII.

FIrmus & Rusticus Cives Pergamenses in hac persecutione in Verona Urbe Venetiæ Martyrio coronati sunt.

Pars IX.

PRoculus Episcopus Veronensis propter persecutionem extra Urbem habitans, cùm Firmum & Rusticum carceratos sentiret, eos visitavit, & ad perseverantiam Fidei confortavit. Postea in Hierusalem peregrinans, multas tribulationes substinuit, & repatrians feliciter obdormivit in Domino.

Pars X.

ANastasius Civis Aquilegiensis fullonicæ artis exercitor sub Diocletiano in Salona Dalmatiæ Metropoli appositâ molâ in collo ejus pro Christi nomine die XXVI. Augusti suffocatus est.

Pars XI.

VItalis, & Agricola Bononiæ in loco Judæorum passi sunt, & in sepulcris eorum sepulti, revelatique sunt Beato Ambrosio, ut inter spinas legeret rosas. Vitalis enim priùs Agricolæ fuit servus, nunc collega Martyrii; & præcessit servus, ut videret locum.

Pars XII.

MArcellus interea natione Romanus sedit annis V. mensibus VII. diebus XXII. Cessavit Episcopatus diebus XXV. Huic apparuit Beatus Petrus post XXX. dies Martyrii Prædecessoris sui, dicens: Quare corpus inhumatum non sepelis? vade ergo, & accipe corpus Prædecessoris tui, & sepeli illud juxta me, ut quos justificavit gratia, non dividat sepultura. Hic constituit XXV. Cardinalatus in Roma propter Baptismum, & Sepulturas.

Pars XIII.

BArbara Virgo nobilis Nicomediæ, à patre Dioscoro in turri locata, & Martiano Præsidi accusata, quòd Christiana esset, post multos cruciatus decollata est pridie Nonas Decembris, cujus corpus sub Petro Ursiolo VII. Duce Venetias est delatum.

Pars XIV.

HErmolaus Presbyter origine Romanus Pantaleonem nobilem Virum ad Fidem convertit, & jussu Maximiani Cæsaris post multa supplicia cum Hermippo, & Hermocrate, in Nicomedia VI. Kalendas Augusti decollatus est.

Pars XV.

PAncratius, cùm esset in Phrygia, mortuis parentibus omne patrimonium distribuit pauperibus, & cùm Deos gentium graviter blasphemaret, jussu Diocletiani Romæ decollatus est, cujus corpus sub Petro Gradonico Duce Venetias est delatum.

Pars XVI.

CHristina Virgo duodennis in Tyro Italiæ apud Lacum Vulsinium ab Urbano patre, & Dione successore duris afflicta suppliciis, & jussu Juliani duabus percussa sagittis martyrium consummavit.

Pars XVII.

JOannes, priùs Neumas vocatus, Vir egregius Æliopolis, à Diocletiano Dux Alexandriæ constitutus, ab illo edictum contra Christianos suscepit. Cùm igitur illò pergeret, apparitione divina Christianus efficitur, quem Ulcon Princeps in Cæsarea Bythiniæ jussu Diocletiani injectis gladiis in gutture & pectore ejus, postea occidit. Cujus corpus sub Petro Ziano Duce Venetias transportatur.

Pars XVIII.

INterea Diocletianus inter Pannoniam, & Ruteniam quoddam construxit ædificium ex lapidibus porphyreticis satis excellens, quod adhuc licèt diruptum, magnum tamen inde transeuntibus admirationis spectaculum præbet. Et in Croatia Rubea, quæ est pars Dalmatiæ, urbem Diocliam juxta stagnum sub ejus nomine fabricavit, quæ illius Provinciæ Metropolis constituta est, & postea in solitudinem redacta, sedes in Antibarim translata est. Et in Phrygia Paciana, Asiæ nobilem Civitatem ejusdem nominis construxit, & sub Maximiani nomine in Bythinia urbs condita est.

Pars XIX.

DIocletianus cum Maximiano statuunt, ut Christiani deinceps nequaquam subirent interitum, sed omnes tamen, qui hanc tenerent confessionem, dextris oculis privarentur, cauterio poplite debilitato. Affuit quoque ultio Dei, & illos, qui primò, dum pacem servarent Ecclesiæ, & omni prosperitate Imperium gubernarent, in tantam rerum perturbationem deduxit, ut depositis Imperialibus insigniis privati & plebeji post Imperium viverent. Una enim die, Diocletianus, completis viginti annis Imperii sui, apud Nicomediam; Maximianus verò apud Mediolanum, deposuerunt Imperium. Alibi scribitur, quòd urgente Diocletiano Maximianus hoc fecit.

Diocletianus autem in villa, quæ haud procul à Salona est, præclaro otio senuit, ibique Palatium, & in eo Templum nobile fabricavit, quod Spalatum hodie nuncupatur. Hic etiam dum ab Herculio, & Galesio ad recipiendum Imperium rogaretur, gravissimè restitit.

Pars XX.

TUnc Galerius Maximianus, & Constantius Augusti in duas procurationes, Orientis scilicet & Occidentis Imperium Romanum diviserunt. Galerius igitur Illyricum, & Orientem tenuit. Constantius verò Gallia & Hispania contentus fuit, obiitque in Britannia, relinquens filium suum Constantinum Imperatorem Galliarum. Galerius autem Maximianus in Pamphilia Urbem construxit, quam Maximianopolim appellavit; duosque instituit Cæsares, Maximianum, quem Orienti præfecit, & Severum, cui Italiam de-

dedit; ipse autem in Illyrico commoratus est. Severus verò per Galerium contra Maxentium missus, Urbem obsedit, sed militum suorum scelere desertus Ravennæ interfectus est. Ipse autem Galerius per Orientem antiqua delubra reparavit, & incensor, ac signifer Christianæ persecutionis fuit. Ipse propterea tam multis variisque morbis, & insania mentis affectus est, ut nefariam sibi mortem asciverit.

Pars XXI.

HIs diebus Aquilegiensis Episcopus, completis in sede annis duodecim, vita cessit.

CAPITULUM NONUM.

De Pontificatu Theodori habens partes X.

THeodorus Episcopus in Episcopatu Aquilegiensi succedit Anno Domini CCCVIII. Hic genere Thracius, & fide sincerus, laudatione Catholicæ plebis his diebus Sedem obtinuit.

Pars I.

COnstantinus exoptatissimus sequenti anno Patri succedit, qui quarto anno persecutionis Britones, qui de suo exercitu erant, posuit in Occidentali parte Valliæ, ubi adhuc manent. Maxentius similiter Herculii Maximiani filius, Romæ Augustus appellatus est. A quo Pater expulsus, & ex Augusto privatus, occasione filii sollicitatus, qui super Imperium arripuit tyrannidem, & confugiens ad Constantinum generum, insidias ipsi, à quo religiosè susceptus est, sicut & filio moliens, in eoque turpiter per filiam Faustam deprehensus, turpiùs periit in Massilia, ubi fugerat. Licinius è Dacia oriundus, Constantiæ Sororis Constantini Vir, Carmenti creatur, & communi omnium sententia Augustus pronunciatur. Quæ res Maximianum vehementer offendit; quòd is tunc solummodo Cæsar in Oriente habebatur. Nec id ultra ferens ereptum sibimet nomen assumit Augusti. Itaque res sub quatuor novis Principibus agebatur, Constantino, & Maxentio filiis Augustorum, Licinio, & Maximiano hominibus novis.

Pars II.

EUsebius natione Græcus sedit annis II. mensibus VI. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus VIII. Hic constituit, ut nullus Laicus Episcopum suum accusare possit, nisi à Fide deviet. Et invênit Hæreticos Romæ, quos per manus impositionem reconciliavit.

Pars III.

LUcia Virgo Syracusana renuens sacrificare, post multa supplicia, misso gladio in gutture ejus jussione Pascisii Consularis, hoc tempore pro Christi nomine passa est. Quæ sub Henrico Dandulo Duce Venetias transducta est.

Pars IV.

MElchiades natione Africus sedit annis III. mensibus VI. diebus VI. Cessavit Episcopatus diebus XVI. Hic constituit, ut nulla ratione Dominica die aut V. Feria jejunium à Fidelibus agatur, quia eos dies Pagani quasi

A sacrum jejunium celebrabant. Et Manichæi Romæ inventi sunt.

Pars V.

CAtharina olim Costi Regis genita, scientiis liberalibus instructa, dum Idolis thurificare renueret, varia tormentorum genera toleravit. Quæ constantissima perseverans, jussu Maxentii, vel veriùs Maximini, in Alexandria Ægypti hoc tempore decollata est, moxque corpus ejus ad montem Sinai spatio itineris dierum viginti ab Angelis est delatum, ex cujus ossibus indesinenter oleum manat, quod languidorum corpora sanat.

B

Pars VI.

COnstantinus igitur septimum annum agens, nondum baptizatus, adversùs Maxentium, conspirante secum collega ejus Licinio, bellum paravit; & dum pergeret, multaque secum de imminenti pugna tractaret, vidit circa meridiem declinante jam Sole Crucis signum ex lumine factum, & scripturam ei consertam *In hoc vinces*. Similiter milites, qui cum eo erant. Dumque cogitaret, quid esset, vox supervênit, & dormienti Christus apparuit cum signo, quod in Cœlo viderat, jussitque, ut fieret ejus signi figuratio, & foret ei auxilium in congressionibus prœliorum. Signum ergo, quod ei

C apparuerat, in vexillis depinxit, & contra Maxentium processit, ipsumque fugavit, qui apud Pontem Milvium periit, ubi decipulam paraverat Constantino. Postea Constantinus Romam triumphans ingreditur, & totius Occidentis Imperium simul cum Licinio usque ad Oceanum obtinuit; statimque illi imagines Senatus ob triumphum erexit, & in ejus dextera Vexillum Cruce signatum cum inscriptione: *Hoc est signum invincibile Dei vivi*. Et supplicium Crucis, quod apud Romanos in usu erat, Lege prohibuit. Constantinus quoque, & Licinius confitentur Deum auctorem sibi omnium esse bonorum, sibique de Tyranno victoriam præstitisse; ideoque huic cultum, & venerationem

D exhibendum. Hanc quoque Legem, qui in Orientis partibus dominabatur, Maximiano transmittunt, qui eorum amicitias appetere videbatur, quam ille suscepit territus magnificis Imperatorum gestis.

Pars VII.

SYlvester interea natione Romanus sedit annis XXIII. mensibus X. diebus XI. Cessavit Episcopatus diebus V. Hic propter persecutionem in Monte Seraptæ latitabat; quo latente Constantinus, qui variis curis implicitus distulerat baptizari, lepra percussus est. Qui cùm

E ei consultum fuisset, ut in puerorum sanguine lavaretur, audiens maternos fletus ait: Dignitas Imperialis de fonte nascitur pietatis. Et sic pietas pii Imperatoris jussit matribus filios reddi: propter quam pietatem proxima nocte misit Dominus Jesus Apostolos suos Petrum & Paulum, qui suaserunt, ut per Sylvestrum Baptismum acciperet, & per Orbem Ecclesias restauraret. Citatus ergo Sylvester eum monuit, ut per hebdomadam jejunaret, Templa Idolorum clauderet, incarceratos relaxaret, eleemosynas faceret. Quibus peractis baptizavit eum coram Cratone Philosopho, & Zenophilo Illustri Judicibus. Superavit XI. Judæos de Fidei nostræ Articulis

culis disputantes, probans, quòd tres sunt Personæ, & unus Deus, & quòd Christus Deus est, & quòd ipse sit qui à Prophetis pronunciatus est. Duodecimum verò Judæum superavit vivificando Taurum, quem Judæi occiderant. Ad hæc igitur Helena mater Augusti, quæ judaizare incœperat, ad Fidem conversa est, & ad majorem nostræ Fidei assertionem Sylvester quibusdam Diaconis ora conclusit. Proinde Christiana Religio brevi tempore multiplicata est, & per Orbem usquequaque diffusa. Et qui hactenus in latebris convênit, ex nunc auctoritate Principum prædicavit publicè Fidem Christi, & Ecclesiæ Sacramentum. Nam edicto Constantini Templa Gentilium subvertuntur, Ecclesiæ verò construuntur. Nam & ipse Ecclesiam Beati Petri, terram ipsemet fodiens, & alias Patriarchales Romæ construxit Ecclesias, refugientibusque ad eas impunitatem concessit; & decimas ad ædificationem illarum censuit offerendas, & per Judices exigendas. Dominici diei vacationem indixit; Crucis patibulum prohibuit; signum Crucis in numismate figurari præcepit. Possessiones Ecclesiis concessit, nam & Regalia Sylvestro dedit, & statuit, ut omnes Episcopi subsint Romano Pontifici, sicut Judices Imperatori.

Pars VIII.

MAximianus interea se Constantino, & Licinio præferre ausus, Licinium bello petit, victus primo congressu, & dum secundum pararet exercitum, dolore viscerum correptus est apud Tharsum Ciliciæ. Licinius verò ejus filius jam sceleris socios, ejusque in Provinciis Judices paria, quæ intulerant, supplicia sustinere coëgit.

Pars IX.

COnstantinus quoque generalem ad omnes Episcopos scripsit Epistolam, in qua suæ conversionis modum retulit, & qualiter Romanum Episcopum omnibus Ecclesiis prætulerat, subjungens: *Urbis itaque Romanæ, & omnis Italiæ, seu Occidentalium Regionum Provincias Patri nostro Sylvestro, ejusque Successoribus decrevimus disponendum, unde prospeximus in Thraciæ Provincia nomini nostro Civitatem ædificari, & illic Imperium nostrum constitui. Quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis, ab Imperatore cœlesti constitutus est, justum non videtur ut Imperator terrenus habeat potestatem.*

Pars X.

HIc Aquilegiensis Episcopus, jam Ecclesiis pace reddita, cum annis XI. Pontificium tenuisset, dies suos feliciter terminavit.

CAPITULUM DECIMUM.

De Pontificatu Agapiti habens partes VIII.

AGapitus Episcopus Aquilegiensis annunciatur Anno Domini CCCXIX. quia plebs devota, unà cum Clero, edicto Catholici Principis confisi, publicè convenientes, hunc Civem Aquilegiensem Pontificem elegerunt, qui Ecclesias ædificare cœpit, & Christi Fidem coadunato Populo prædicare, & eam volentem suscipere Sacramenta Ecclesiæ conferre.

Pars I.

CUm ergo Ecclesia tali gloria proficeret, Licinius invidia percussus, quòd Constantinus non tam vi, & metu, quàm amore omnibus imperaret, in ejus odium in Christianos sævire cœpit. Et sub Præside Agricola apud Sebasten Armeniæ minoris quadraginta milites Cappadoces septimo Idus Martii Martyrio coronavit.

Pars II.

THeodorus similiter Vir militaris, qui Spiritu Sancto plenus in Euchaja Hellesponti iniquissimum Draconem interfecerat, jussione Licinii in Heraclia Ponti dum sacrificare renueret, post asperos cruciatus capite mutilatus est V. Idus Novembris, cujus reliquias Ancharius in patriam detulit, quæ de Mesembria sub Raynerio Zeno Duce Venetias delata sunt.

Pars III.

COnstantinus Christianissimus propterea contra Licinium hostiliter vadit, ac primùm in Pannonia, secundò ingenti apparatu bellum apud Cibalias instruentem repentinus oppressit, omnique Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas Provincias occupavit. Varia deinde inter eos bella, & pax reconciliata, ruptaque est. Postremò Licinius navali & terrestri prœlio victus apud Nicomediam se subdit, & contra religionem sacramenti apud Crysopolim captus in Thessalonica Urbe occisus est anno XIV. Imperii sui.

Pars IV.

COnstantinus nunc in Thracia Bysantii Urbem amplians suo nomine Constantinopolim appellavit, & transtulit illò omnes pæne nobiles Romanos, & ordines Senatorum cum uxoribus & liberis, quæ similiter Roma nova vulgariter nuncupata est.

Pars V.

ITaque cùm post Achillam apud Alexandriam Alexander Sacerdotium suscepisset, & Arium ab errore reducere non valeret, ab Ecclesia expulit. Ille verò contra eum seditionem excitavit. Quod audiens pius Princeps Sanctam Synodum CCCXVIII. Patrum apud Nicæam Bythiniæ convocavit, ubi cùm de Fide tractaretur, Imperator ait ad Sacerdotes: *Deus dedit vobis potestatem de nobis judicandi; vos autem non potestis ab hominibus judicari.* Symbolumque Apostolorum ibi exaratum est. Arius quoque, Photinus, & Sabellius Hæretici damnati sunt. In qua pro Romano Pontifice Vitus, & Vincentius Presbyteri, Macarius Hierosolymitanus, Eustachius Antiochenus, Alexander Alexandrinus, Athanasius consiliarius Alexandri, Paphnutius Episcopus Ægyptius, Spiridion etiam Cyprius Episcopus, & Jacobus cognomine Sapiens Persarum Episcopus, affuerunt.

Pars VI.

SAnctus etiam Nicolaus Civis Patharæ, & Mireorum Episcopus jam senex Concilio interfuit. Suis meritis terra, marique mirabilis effectus, moritur, & demum sub Vitale Michaële

chaële Primo Duce Venetias corpus ejus delatum est.

Pars VII.

SYlvester etiam Papa Romæ congregavit Concilium CCLXXVII. Episcoporum, permittente Constantino, & iterum Callistum, & prænominatos Hæreticos damnavit. Constituit etiam, ut nullus Laicus crimen Clerico audeat inferre; & ut Corpus Domini non in serico panno, sed lineo consecraretur; & nomina dierum Septimanæ in Ferias commutavit.

Pars VIII.

RExit quoque hic Episcopus annis XIII. Aquilegiensem Ecclesiam.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Pontificatu Benedicti habens partes XV.

BEnedictus Episcopus declaratur Anno Domini 332. Hic origine Romanus, Vir devotus, & piis operibus intentus his diebus hanc Sedem obtinuit.

Pars I.

HElena Mater Constantini hoc tempore divinitus inspirata Hierosolymam petiit, & locum Dominicæ Passionis, ubi Veneris erectum erat simulachrum, expurgavit, ubi tres Cruces invênit, quarum una fuit Dominica, quæ orante Machario Episcopo sic discernitur, quia tactu ejus mortuus suscitatur, mulier ab ægritudine liberatur. Præterea clavos invênit, partem quorum in galea filii, partem in freno posuit. Sicque adimpletum est illud Zachariæ: *& erit quòd in freno est sanctum Domino*. Ligni quoque pars est in theca Sacerdotali: pars, ut dicitur, in statua Constantini. Corpus itaque Helenæ ducante Petro Ziano Venetias delatum est.

Pars II.

ANtonius Monachus, cujus vitam Athanasius Alexandriæ Episcopus scripsit, hoc tempore floruit. Hic misit Ægyptiace ad diversa Monasteria Apostolici sensus Sermones & Epistolas VII. quæ in Græcam Linguam translatæ sunt, quarum præcipua est ad Arsenotas; per quem Dominus infinita miracula demonstravit, & in discretione spirituum gratiam magnam habens, tamdem Anno vitæ suæ 105. moriens, & deosculans fratres suos, in pace quievit.

Pars III.

EUsebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus in Scripturis divinis studiosissimus Ecclesiasticam Historiam scripsit usque ad tempora Constantini, quam Rufinus Presbyter Aquilegiæ de Græco transtulit in Latinum, & addidit ad obitum usque Theodosii. Et ipse gesta Martyrum, & Cathedrales Sedes, & plures alios Libros denotavit.

Pars IV.

MArcus natione Romanus sedit annis duobus, mensibus VIII. diebus XX. Cessavit Episcopatus diebus XX. Hic constituit, ut Episcopus Ostiensis, qui Papam consecrat, Pallio uteretur. Item ut Symbolum in Missa alta voce cantetur.

Pars V.

POst obitum Helenæ, Constantia Licinii derelicta Augusti fratris solatiis utebatur. Arianus quidam Sacerdos familiaris effectus, ubi tempus opportunum vidit, sermonem de Ario cœpit aspergere, asserens contra Arium invidia commotum Episcopum, quia apud plebem carus existeret. Quo accersito, Constantinus ad examen Concilii . . . . . negium produci jubet, ut quidam referunt; sed alii dicunt, quòd ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Ariano ultimo vitæ suæ tempore Constantinus rebaptizatus est. Filium etiam suum Crispum, & Uxorem suam Faustam occidi fecit. Anno itaque Imperii sui XXXI. in Urbana Villa Nicomediæ defunctus est, quem Græci Catalogo Sanctorum annumerant, & ejus Festum celebrant die XXI. mensis Martii.

Pars VI.

COnstantius filius Constantini Magni, cum Constantino, & Constante fratribus Anno Domini CCCXL. successerunt Imperio. Constantinus quidem Constantinopolim, & Orientem; Constans in Italia; Constantinus verò in Gallia. Cum quibus & Dalmatius eorum consanguineus imperavit, & dolo Constantis occisus est. Et non multò post tempore Constantinus, qui regnabat in Gallia, contra partem fratris Constantis invadit, simulque impetit fratrem armis. Sed incautè bello se offerens, dum cupit occidere, juxta Aquilejam à Ducibus Constantis est interemtus, Imperiique sui portionem Constans obtinuit.

Pars VII.

JUlius natione Romanus sedit annis XI. mensibus II. diebus VIII. Cessavit Episcopatus diebus XV. Hic multas tribulationes substinuit, & decem menses in exilio fuit, sepultus est in via Aurelia.

Pars VIII.

AThanasius itaque vir spectabilis apud Laodiciam Syriæ turbis adstantibus disputavit cum Ario. Probus autem vir quidam, Imperatoris jussu, arbiter stetit, ubi nitor Fidei ad purum discussus est. Indurata tamen Arii mente in errore permanens, cum Eusebio Episcopo Constantium eadem fœce pollutum inducunt, ut apud Constantinopolim Concilium congregetur. Quo adunato Arius ad Ecclesiam pergens, Episcoporum, & Prælatorum frequentia constipatus, necessitatis causâ ad publicum declinans locum, emisit viscera. Quo nunciato in Ecclesia, Eusebius plenus confusione recessit.

Pars IX.

SEcundo igitur Anno Constantii, dum Athanasius jam Alexandriæ factus fuisset Episcopus, impietas Ariana ejusdem Imperatoris fulta præsidio in Catholicos desævit, & Athanasium de libidine falsò diffamatum apud Tyrum ad Concilium ducunt, & ejus purgatione non admissa,

missa, clamor omnium repente attollitur, Athanasium esse Magum, factoque impetu suis eum discerpere manibus parabant. Sed ereptus à prædicto Concilio condemnatus est, qui in Orientali Imperio non tutus in Occidentem vênit, & annis VII. continuis in lacu cisternæ ita latuit, ut numquam Solem videret. Ibique composuit *Quicumque vult salvus esse*; & ab Ancilla cognitus Dei spiritu ad Constantem accessit, & benignè ab eo receptus cum literis suis securus in Alexandriam rediit. Sed mortuo Constante iterum à Constantio pellitur, & Georgius Arianus substituitur. A

Pars X.

B

SApor nunc Rex Persarum duram in Christianos persecutionem commovit, sub quo scribit Sozomenus sexdecim coronatos martyrio. Adversùs quem Constans dimicans vario eventu novem vicibus bellavit, & novissimè indiscretè congressus fugit. Hic consultè aliquando regnavit, Sicambrios mansuefecit; sed avarus effectus, militibus intolerabilis, Magnentii dolo in Oppido Elevali juxta Hispanias occisus est. Magnentius autem juxta Augustodunum usurpavit Imperium. Tunc & in Illyrico Vetrianonem senem milites Imperatorem creaverunt. Qui metu Constantii abjecit Imperium. Constantius autem postea contra Magnentium ivit, qui Africam, Galliam, Hispaniamque occupaverat, & eum vicit; & superatus se ipsum apud Lugdunum occidit. Et Decentius frater ejus, quem in Gallia creaverat Cæsarem, Senonis laqueo se suspendit; & Constantius solus imperavit. Et illico Gallum filium Patrui Cæsarem fecit, qui Judæos oppressit, & multos Nobiles Antiochiæ interfecit, sed demum à Constantio propter invidiam in Istria occisus est; & similiter Sylvanus, qui in Gallia res novas moliebatur, ab eo extinctus est; & Julianus frater Galli Mediolani Cæsar efficitur. C

Pars XI.

HOc tempore Paulus Constantinopolitanus Episcopus in Catusia Cappadociæ à Constantio relegatus, strangulatus est VII. Idus Junii. D

Pars XII.

ANdreæ Apostoli corpus, Lucæ Evangelistæ ossa, & Timothei discipuli Pauli Constantinopolim transferuntur. Eodem tempore Catholicis in fine Psalmorum addentibus *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, Ariani dicebant *Gloria Patri per Filium*, minorem Patre Filium significare volentes.

Pars XIV.

E

NUnc etiam Leontius, Flavianus, & Diodorus primi in duas partes choros psallentium diviserunt.

Pars XV.

PRæfuit itaque hìc Episcopus in prædicta sede annis XX. completis.

CAPITULUM DUODECIMUM.

De Pontificatu Fortunatiani habens partes XX.

FOrtunatianus Episcopus inthronizatur Anno Domini 353. Hic ex Africanis ortus parentibus, & in Foro-Julio ætate & scientia provectus, imperante Constantio, hanc tenuit Ecclesiam, qui, ut ait Hieronymus in Libro de Viris Illustribus, in Evangelia titulis ordinatis brevi sermone & rustico conscripsit Commentarios.

Pars I.

LIberius natione Romanus sedit annis XVI. mensibus IV. diebus III. Cessavit Episcopatus diebus XXV. Cùm itaque Constantius solus Imperio potiretur, Occidentales Episcopos per deceptionem ad consensum Arianæ hæresis cogere aggreditur.

Pars II.

OB hoc apud Mediolanum Concilium Episcoporum convocatur, ubi Dionysius Episcopus loci, & Eusebius Vercellensis, Paulinus, & alii duo dolum inesse negotio proclamantes, asserentesque, quòd subscriptio in Athanasium ad destructionem Fidei ordinatur, in exilium trusi sunt. His etiam Hilarius Episcopus Pictaviensis jungitur, ceteris vel ignorantibus, vel non credentibus dolum.

Pars III.

ANtedictis igitur de medio sublatis Concilium apud Ariminum congregatur, ibique proponitur quid magìs colere volunt, Christum, aut Omusion, illis quid Omusion significaret ignorantibus, per fastidium quorumdam in execrationem sermo deductus est; Christum se credere, non Omusion, confirmant, ac Omusion quasi à Scripturis alienum auferri de Fidei expositione decernunt. Sic multi ignoranter contra Nicænum Concilium veniunt, communionemque suam hæreticorum societate commaculant. Itaque Ecclesia dum alius alium persequitur, non ab alienis, sed à propriis devastatur. Huic Concilio Vir Catholicus Gaudentius Ariminensis Episcopus interfuit, qui multitudini resistere nequiens, denique martyrii palmam pro Fide suscepit.

Pars IV.

LIberius igitur Papa in exilium profecturus, postquam Sedem annis septem tenuisset, Concilium XLVIII. Episcoporum convocavit, & Felicem ordinavit in locum suum; & Liberius jussu Constantii in Urbem Verriæ Thessaliæ in exilium profectus est. Quo tempore Joannes Patricius visionem habens, ut Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis dedicaret ubi mane novas nives cecidisse prospexerit, Ecclesiam Sanctæ Mariæ Maioris in Roma construxit, & in hujus facti memoria Festum S. Mariæ Nivis singulis annis constitutum est celebrari.

Pars V.

FElix itque subrogatus in Concilio invênit Ursacium, & Valentem consentientes Constan-

stantio, & damnavit eos: Illi verò rogaverunt Constantium, ut reduceret Liberium, qui tœdio motus exilii factus Arianus Romam quasi victor intravit. Et depositus est Felix, & ab hæreticis denique incisione capitis martyrizatus est.

Pars VI.

ANno quippe decimo suæ Sedis Liberius reversus voluit more Arianorum baptizari; sed tamen Romæ pingitur sinè corona, quem Eusebius Presbyter Romæ cœpit Liberium declarare hæreticum: propter quod in ergastulo quatuor pedum post septem menses obiit.

Pars VII.

IStis quoque diebus hæresis Arianæ secta triformis apparuit, dum Eunomius & Arii complices, & Macedonius Episcopus Constantinopolitanus diversa sentirent. Propterea Constantius iterum apud Nicæam Concilium congregari jubet; sed Urbe ex terræmotu concussa, Concilium apud Seleuciam Isauriæ translatum est.

Pars VIII.

VIctorinus Rhetor, & Donatus Grammaticus præceptor Hieronymi nunc Romæ insignes habentur.

Pars IX.

JUlianus itaque factus Cæsar Gallos mira celeritate apud Rhenum superavit, & militibus suis gratus ab eis appellatur Augustus, quo nomine tumens, spreto Constantio, Italiam Illyriumque pervasit. Quod audiens Constantius, instructione belli Parthici derelicta, contra eum veniens, nimia cogitatione distractus, completis in suo Imperio XXIV. annis, inter Ciliciam, & Cappadociam apoplexia extinctus est.

Pars X.

JUlianus Imperium sumsit An. Dom. CCCLXIV. Hic cùm adolescens esset, & Christianus, in literatura, & eloquentia profecit, ita ut fama per populum volitaret, quòd Romanam Rempublicam regere posset: propter quod noluit Constantius eum Romæ esse, sed misit Nicomediam, prohibens ne cum Libanio Sophista conveniret. Julianus tamen libris illius utebatur. Pervênit quoque ad eum Maximus Philosophus Ephesius, fama ejus attractus, quem postea Valentinianus quasi Magum fecit occidi. Hic Imperii cupidinem animo ejus immisit: quod Imperatorem non latuit; sed Julianus, ut suspicionem tolleret, in Monachum tonsus est. Eusebia autem Uxor Constantii vix persuasit ei, ut non occideretur, sed ad philosophandum mitteretur Athenas, evocatusque ab Athenis Mediolani factus est Cæsar à Constantio, accepta Constantia Sorore ejus, vel Uxoris, in conjugem. Posteaque in Gallia sumtâ victoriâ Imperium obtinuit.

Pars XI.

HIc volens placere hominibus Catholicis, omnes ab exiliis revocavit, & Paganis licentiam dedit Idolis immolandi; Tamdem in impietate proficiens Diis immolans immolato sanguine nostrum Baptisma faciebat aspergi, cunctosque cibos venales.

Pars XII.

JOannes & Paulus fratres nolentes Idolis immolare, jussu Juliani à Terentiano decollati sunt, & in fovea intra domum eorum repositi, divulgaturque ipsos in exilium fore missos.

Pars XIII.

DOnatus similiter Episcopus Aretinus sub Quadraciano pro Christi Fide capite mutilatus est.

Pars XIV.

IN Sebaste sepulchrum Sancti Joannis Baptistæ aperuerunt, & ossa igni tradiderunt, pulverem dispersferunt. Sed Dei providentiâ quidam ex Hierosolymis Monachi, qui ossa colligentibus se miscuerunt, & magnam partem collegerunt, & ad Patrem suum Philippum detulerunt, qui ea Athanasio misit, quæ Theophilus Alexandriæ Episcopus in Templo Serapis à sordibus purgato, & in honorem Beati Joannis consecrato collocavit, cujus sancti manus postea Venetias deducta, sub Ordelapho Phaledro Duce noviter inventa est.

Pars XV.

COncilium hoc tempore Alexandriæ celebratum est, in quo Athanasius Episcopus, Eusebius Vercellensis, & Hosius Cordubensis inter ceteros affuerunt, ubi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Trinitatem nuncupaverunt. Lucifer verò in Sardiniam reversus, contraria sentiens, mortuus est, à quo Luciferianorum Hæresis sumsit exordium.

Pars XVI.

JUlianus itaque de Parthis victor rediens, in Persas profectus, dolo cujusdam transfugæ in deserta perductus, cùm vi sitis, & ardore Solis, atque insuper labore arenarum confectus periret exercitus, Imperator tanto rerum periculo anxius, dum vasta per deserta incautiùs evagatur, ab obvio quodam hostium equite contho ictus interiit, dum imperasset anno I. mensibus VIII.

Pars XVII.

JOvianus Anno Domini CCCLXVI. dum XXX. annorum esset, Imperium obtinuit. Hic genitus Patre Varoniano incola Agri Vigidonensis Provinciæ Pannoniæ, erat vir fortis, & nobilis, & illo tempore millenarius, quo Julianus proposuit Legem militibus, ut vel sacrificarent, vel militia cederent. Cessit ille, Idolis immolare negans, sciens graviora esse Dei judicia, & meliora promissa. Necessitate tamen Persici belli Julianus eum reassumsit. Cùm autem mortuo Juliano à militibus violenter ad Imperium traheretur, dixit, se nolle Paganis imperare hominibus, cùm ipse Christianus existeret. Cùmque vox omnium communiter proclamarent se Christianos fore, suscepit Imperium. Jovianus itaque Imperator factus cogitabat de communi salute, & quomodo posset de medio hostium exercitum illæsum deducere; sed cùm loci

loci militia captus, & ab hostibus circumseptus nullam evadendi facultatem haberet, cum eis pacem composuit, & Oppidum Nisibiæ, & partem Mesopotamiæ Superioris illis concessit. Inde ad Illyricum rediens per Galatiam iter agit, & cùm in cubiculum quoddam novum se se cubatum recepisset, calore prunarum, & nidore parietum nuper calce linitorum octavo mense Imperii sui suffocatus est.

Pars XVIII.

GEminianus Episcopus Mutinensis hoc tempore viguit, & suis meritis Sanctorum Confessorum numero aggregatus est.

Pars XIX.

VAlentinianus apud Nicæam Anno Domini CCCLXVII. consensu militum Imperator creatus fratrem suum Valentem Imperii consortem suscepit. Hic ex Pannonia Cibalensi ortus, cùm Christianus esset, sub Juliano immolare renuens, militiam dimisit, qui Saxones Francorum terminos invadentes superavit.

Pars XX.

HUjus itaque Aquilejensis Episcopi memoriam detestatur Hieronymus dicens: *Fortunatianus Episcopus, licèt in Evangelia Commentarios scripserit, in hoc tamen detestabilis habetur, quòd Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro Fide ad exilium pergentem primus solicitavit, & fregit, & in subscriptionem hæreseos compulit.* Præfuit quoque huic Ecclesiæ annis XV.

CAPITULUM DECIMUMTERTIUM.

De Pontificatu Valeriani habens partes XXVII.

VAlerianus Episcopatum accepit Anno Domini CCCLXVIII. Hic natione Gallicus Vir Orthodoxus scientia & vita clarissimus, sub Catholico Principe Episcopus factus, sua doctrina & exemplo Arianam perfidiam fugavit, & sibi subditum Populum in agnitionem Fidei puræ non solùm induxit, sed in perseverantia solidavit, Chromatiumque Hispanum Presbyterum, & Eusebium illius fratrem Diaconum, & Jovinum Archidiaconum constituit, de quibus Rufinus contra Hieronymum de se loquens ait: *Signaculum Fidei consequutus sum per Sanctos Viros Chromatium, Jovinum, & Eusebium optimos, & probatissimos in Ecclesiis Dei Episcopos; quorum alter tunc Presbyter Beatæ memoriæ Valeriani, alter Archidiaconus, alter Diaconus, simulque Pater & Doctor Symboli fuit.* Dicit etiam Sicardus Episcopus, quòd Aquilejenses Clerici hoc tempore quasi Chorus Sanctorum habebantur.

Pars I.

DAmasus natione Hispanus sedit annis XXVIII. mensibus II. diebus XXV. Cessavit Episcopatus diebus XXI. Cum Damaso de Pontificatu contendebat Ursinus; sed facto Concilio Sacerdotum plurima multitudo Damasum prælegit, & Ursinum Neapoli Episcopum statuit. Hic multa Corpora Sanctorum requisivit, quorum tumbas versibus exornavit. Accusatus de adulterio facta Synodo purgatus est à XLIV. Episcopis, qui etiam damnaverunt Concordium, & Calliatum Diaconos accusatores. Hic rogatu Hieronymi instituit in fine Psalmorum cantari *Gloria Patri, & Filio, &c.* Chorumque in duas partes divisit, quæ Psalmos alternatim cantarent.

Pars II.

ANno Tertio Imperii Valentiniani Frater ejus Valens per Uxorem ejus Arianus efficitur, & ab Eudoxio Episcopo Arianorum Constantinopolitano baptizatus juramentum fecit, ut in ea Secta maneret.

Pars III.

EOdem Anno Gratianus Valentiniani natus ex Uxore Severa Ambianis consors Imperii factus est.

Pars IV.

APud Constantinopolim tanti ponderis grando cecidit, ut homines interficeret. Apud Atrabatas lana de Cœlo cum pluvia cecidit.

Pars V.

AMbrosius post Auxentii feram mortem, cùm esset Cathecumenus, ad Episcopatum Mediolani multipliciter postulatus, fugiens à Valentiniano legitur audivisse: *Noli timere, quia Deus, qui elegit te, ipse te adjuvabit, & ego adjutor, & defensor tuus semper existam.* Post hæc consecratur Episcopus, & omnis tunc Italia ad Fidem convertitur.

Pars VI.

APollinaris Laodicensis Episcopus in Syria dogmatizavit, Christum carnem sinè anima sumsisse, & Deitatem vitam corpori præstitisse: quæ hæresis in Synodo congregata Romæ damnata est; & similiter Ariminensis Synodus reprobatur, & Nicæna comprobatur, & quæ gesta sunt, Damasus, Ambrosius, & Valerianus, & ceteri Episcopi in Roma collecti, scripserunt Episcopis per Illyricum constitutis, sicut in Historia Tripartita legitur.

Pars VII.

BAsilius eodem tempore Cæsariensis Episcopus Cappadociæ clarus habitus est. Fuerunt autem huic duo Fratres, Gregorius Episcopus Nyssenus, & Petrus, quorum alter in verbo doctrinæ, alter in operibus fratrem exæquabat.

Pars VIII.

GRegorius Nazianzenus ordinatus Episcopus turbinem Hæreticorum fideliter tulit; reddita autem pace Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire exoratus, advênit, ubi brevi tempore in extirpandis erroribus profecit. Deinde ad Sedem suam rediens scripsit Apologeticum dissensionis suæ, & reditus causas allegans.

Pars IX.

GUlfilas Episcopus Gothorum literas Gothicas invenit, quæ Toletanæ dictæ sunt, quibus Scripturas divinas in suum idioma convertit.

Pars X.

EOdem tempore Patres Monachorum vita & antiquitate Macharius, Isidorus, Heraclidas, & Paulus, Antonii discipuli, per Ægyptum, & maximè in Nitriæ partibus habebantur; magnis etiam miraculis coruscabant. Fuerunt etiam hoc tempore multi alii Episcopi, & Heremitæ meritis & miraculis notabiles.

Pars XI.

VAlentinianus autem, postquam Saxones, gentem periculosam Romanis finibus, eruptionem magnam olim meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit, Burgundionum quoque novorum hostium plusquam LXXX. millia vicit, qui non multo post tempore Christiani effecti sunt. Demum cùm bellum contra Sarmatas Pannoniam devastantes parasset, apud Bugionem completis annis XI. in suo Imperio subita sanguinis eruptione moritur.

Pars XII.

VAlens itaque regnavit cum Gratiano, & Valentiniano Fratre ex Justina Anno Domini CCCLXXVIII. Nam Severa Valentiniani magni Conjuge laudante pulchritudinem cujusdam virginis Justinæ, Princeps accensus, nolens Severam abjicere, publicam tulit Legem, ut liceret cuique duas habere Uxores, & sic etiam Justinam accepit. De hoc Valentinianus junior natus est, præter Gratam, Justam, & Gallam.

Pars XIII.

VAlens Orientem gubernans legem dedit, ut Monachi militarent, & contradictores cædi jussit, atque interfici. Ideo multi Monachi per Ægyptum contemnentes mandatum ejus, Martyrio coronati sunt.

Pars XIV.

HIc etiam Dæmonem consuluit, quis post eum imperaret, qui sibi ostendit quatuor literas T. E. O. D. Multos propterea, quorum nomina his literis scribebantur, occidi jussit, inter quos Theodosius Pater Theodosii postea Imperatoris, qui Mauros oppresserat, & Baptismi gratiam apud Carthaginem consecutus fuerat.

Pars XV.

HOc tempore ortâ controversiâ inter Frigiderium, & Athenaricum, Athenaricus cùm esset debilior, à Valente auxilio impetrato, adversarium superavit, postulansque fieri Christianus ab Ariano Imperatore, Arianos recepit Episcopos, & Gothi proinde Catholicos diutiùs afflixerunt, inter quos Nicetas natione Gothus à Theophilo, & Gulfila eorum Catholicis Episcopis de Fide instructus apud Istrum amnem martyrizatus est, cujus Corpus Marianus in Mopsuestiam Urbem Ciliciæ transtulit, quod postea Venetias in Ecclesia Sancti Nicolai de Dorso duro deductum est.

Pars XVI.

VAlens igitur Anno XIV. de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia Catholicos exiliis revocat. Tunc in Thracia flebile bellum commissum est, in quo Romanæ Legiones usque ad internecionem cæsæ sunt à Scythis, hoc est à Gothis, Ypogothis, Gepidis, & Vandalis. Valens autem sagitta saucius sæpe de equo cadens, ad vilem casam juxta Andrinopolim Thraciæ deportatus, à Barbaris in ea succensus est anno ejus XV. Nepotum verò IV.

Pars XVII.

GRatianus post obitum Valentis cum Valentiniano Fratre tenuerunt Imperium Anno Domini CCCLXXXII. quibus cùm mortuo Valente Gothi Constantinopolim venissent, Dominica Valentis relicta ab eis Urbem defensam restituit. Hic volens Reipublicæ subvenire, Theodosium. Hispanum virum fortem & religiosum, purpura apud Sirmium induit, & Orientis Imperatorem constituit. Cùmque potiretur Imperio, & apud Thessalonicam ægritudinem incurrisset, ab Anatolio Orthodoxo Episcopo loci baptizatus est, licèt à Progenitoribus Christianum dogma, & Fidem Nicæni Concilii sequeretur. Tunc itaque legem tulit, omnes Populos in ea Religione versari, quam Petrus Apostolus Romanis exhibuit, quam & Damasum Papam sequi claret; reliquos verò hæreticos & infames fore decrevit.

Pars XVIII.

HIc etiam omnem suam fiduciam ad opem Christi conferens, Hunnos, Alanos, Gothosque incunctanter aggressus vicit, & cum Athalarico Rege Gothorum fœdus iniit. Athalaricus ergo Constantinopolim veniens, & videns magnalia Imperatoris, & Urbis, ait: Imperator est Deus terrenus; cùmque in Urbe naturæ concesserit, Theodosius eum dignæ tradidit Sepulturæ; unde Gothi benignitatem Theodosii considerantes, se Romano dederunt Imperio. Parthi quoque ceteræque barbaræ nationes priùs inimicæ, ultro Legatos ad Theodosium miserunt, & cum eo fœdus inierunt.

Pars XIX.

HIeronymus natus ex Patre Eusebio in Oppido Stridonis, quod confinium Pannoniæ & Dalmatiæ tenet, Romæ puer baptizatus literis Latinis, Græcis, & Hebraicis eruditus, Monachorum vitam, & habitum diu tenuit. Annorum itaque XXXIX. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter ordinatus, dum quorumdam Clericorum lasciviam increparet, propter illorum insidias ad Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanum Episcopum profectus est, à quo sacras Literas pleniùs didicit; & post ad heremum properavit; tandemque Bethleem reversus, annis quinquaginta mensibus sex translationi, & explanationi Sacræ Scripturæ operam dedit.

Pars XX.

HIc etiam Chromatio, Jovino, & Eusebio Clericis Aquilegiensis Ecclesiæ utilem & moralem scripsit Epistolam, congaudens de expulsione hæresis Arianæ de confinibus eorum Ecclesiæ facta, & Valeriani Episcopi industriam circa hoc plurimum recommendat.

Pars XXI.

HIs diebus Justina Valentiniani Mater contra Catholicos execrabili odio desævit, rapientique Ambrosium de Ecclesia, & in Exilium perducenti munera promisit.

Pars XXII.

SUper Francos hoc tempore regnavit Marcomirus Priami filius, & Samio filius Antenoris, quorum Ducatu Franci Sicambriam egressi consederunt circa Rhenum in Oppidis Germaniæ, nec multo post Quintinum, & Heraclium Duces Romanorum cum omnibus pœne suis juxta Treverim deleverunt.

Pars XXIII.

MAximus quidam Constantini Magni Consanguineus interea partem Imperii sibi competere calumniabatur. Qui cùm Britanniæ factus fuisset Rex, cœpit superbire, & contra Romanum Imperium tyrannidem exercere.

Pars XXIV.

ANno Gratiani VI. secunda universalis Synodus CL. Patrum Constantinopoli congregatur jubente Theodosio, & annuente Damaso Papa, quæ Macedonium Constantinopolitanum Episcopum negantem, Spiritum Sanctum esse Deum, condemnavit. Ibique decretum est, ut Constantinopolitanus tamquam novæ Romæ Episcopus post Romanum Episcopum habeat Privilegium. Subsequenter sub hos Valeriano Episcopo Aquilejense ex decreto Imperatorum ad removendas altercationes, sicut testatur Beatus Ambrosius, & in Historia Tripartita legitur, omnium ferè Occidentalium Episcoporum Concilium, præsente Damaso Papa, in Aquilegia congregatum est, ita ut nemo deesset volens, nemo cogeretur invitus. Nec in tanta multitudine Episcoporum ulli de Hæreticis Episcopis sunt reperti, nisi Palladius, & Secundianus. Julianus verò, & Valens, auctores Schismatis, cùm prope essent, declinavere Concilium. Dicebant namque, Deum Patrem solum Omnipotentem, & Majorem Filio, sequentes Arium. Quorum dogma cum suis Auctoribus Sancta Synodus condemnavit, & quæ gesta erant, per suos Legatos & Literas, quas scripsit Beatus Ambrosius, Imperatori indicavit, & Orientales Episcopos, ut ad Concilium Romæ celebrandum accederent, monuit.

Pars XXV.

PRiscillianus in Hispania Episcopus Personas Sanctæ Trinitatis confundens, ajebat, Patrem esse, qui Filius, & Spiritus Sanctus, novam propterea sectam Hæreticorum instituit. Quæ hæresis in Concilio congregato Romæ cum Timotheo discipulo Apollinaris Hæretici condemnata est. Huic quoque Concilio Orientales Episcopi excusatorias scripserunt Epistolas, quare ad Concilium non venerant, & per Legatos suos Cyriacum, Eusebium, & Priscianum Episcopos Fidem Orthodoxam, quam tenebant, declaraverunt, & eis quæ in Concilio gesta erant, Damasus denotavit. In Gallia quoque in Synodo Burdegelansi Priscillianus à Sancto Martino & aliis Hæreticus judicatus est.

Pars XXVI.

GRatianus itaque cùm videret sibi hostes in Galliis imminere, fretus Christi potentia, impari numero se in hostem dedit, quos incredibili felicitate confregit. Sed Maximus jam in Britannia Imperator effectus contra Gratianum vênit, quem conflictum, & apud Lugdunum captum occidit, & Valentinianum Augustum de Italia expulit, & Victorem filium Regni sui consortem fecit.

Pars XXVII.

VAlerianus itaque Episcopus Aquilegiæ, dum suis meritis, & exemplis Clerum, & Populum sibi subditum auxisset, & Deo acceptabilem reddidisset, finitis in sede sua annis XIX. obdormivit in Domino.

CAPITULUM DECIMUMQUARTUM.

De Pontificatu Chromatii habens partes XXXIV.

CHromatius Episcopus Aquilegiæ consecratur Anno Domini CCCLXXXVIII. Hic Hispanus genere à Valeriano Prædecessore Diaconus, postea Presbyter ordinatus, Catholicisque disciplinis eruditus, collaudatione Cleri & Populi hanc sedem obtinuit, habuit quoque fratrem Eusebium nomine Pontificali prædictum dignitate, meritis & doctrina sibi etiam non imparem. Quo insuper tempore Julianus, & Niceas hujus Ecclesiæ Diaconi, & Grisogonus Monachus, & Paulus senex Concordiæ Heremiticam ducens vitam, viri venerabiles vigerunt: Quibus Beatus Hieronymus familiaritate conjunctus exhortatorias plures segregatim scripsit Epistolas.

Pars I.

THeonistus Fidei pugil, expulsus cum discipulis suis Urso, Albano, Traba, & Trabata peregrinans, Ursus in Augusta, Rhetiâ, & Albanus Maguntiæ, martyrizati sunt. Theonistus verò cum reliquis in Altino Urbe Venetiæ venientes ab Arianis super pontem marmoreum, transmeantes ramum Sileris, decollati sunt, quorum corpora sub Primogenio Patriarcha Paulus Episcopus in Torcello deduxit; sed aliqua pars in Monasterio Sancti Laurentii Diocœsis Castellanæ nunc requiescit.

Pars II.

HEliodorus Altinensis Ecclesiæ nunc factus Episcopus, expulsâ Arianâ perfidiâ, Clerum & fidelem Populum Deo acquisivit, & cuncta quæ gerebat, huic Beato Chromatio insinuabat. Ad quorum preces, sumtibus pro notario missis, Hieronymus plures libros veteris Testamenti in Latinum vertit eloquium. Et hic sua-

suasione Hieronymi Hierusalem iens in heremo illo diu stetit, & diutius stetisset, nisi quia Populo de reditu suo fidem dederat; & rediens Sancti Apostoli Jacobi brachium secum detulit, & honorificè receptus plures postea exhortatorias epistolas de renunciando seculo à Hieronymo suscepit.

Pars III.

A THeodosius igitur, mortuo Gratiano, inter hæc Imperium tenens, non immemor beneficiorum Gratiani, in vindictam ejus totius Orientis viribus insurrexit, & à Constantinopolitana Urbe progrediens, reliquit ibi Arcadium filium suum Imperatorem. Deinde cùm Thessalonicam pervenisset, invênit Valentiniani Duces in maxima tristitia constitutos, quia Maximum Tyrannum necessitatis causâ jam susceperant. Et dum inde ad Italiam properaret, Valentinianus ei occurrit, quem paterna pietate suscepit, & se se adversùs Tyrannum apparatu quidem minor, solâ autem fide major, exposuit. Nam cùm in Aquilegia Maximo consedente Andragatius Princeps exercitus ejus largissimis militum copiis Alpium & fluminum aditus occupavisset, & judicio Dei de navali expeditione incautum hostem prævenire, & obruere parat, sponte eadem castra deseruit; & ita Theodosius nemine repugnante vacuas hostibus transmeavit Alpes, atque Aquilegiam improvisus adveniens, Maximum cepit, & occidit. Andragatius verò Comes, Maximi nece comperta, præcipitem se se navi in undas dedit, & suffocatus est. Theodosius cum filio suo parvulo Honorio Romam vênit, & Rempublicam ordinavit, & Imperium Occidentis Valentiniano reliquens, Constantinapolim rediit. Tunc Valentinianus receptâ Italiâ, potitus Imperio est, qui à Matre corruptus Ambrosium in exilium mitti jussit. Sed tanta fuit perseverantia Fidelium, ut vitam amittere mallent. Deinde Valentinianus in Galliam transiit, ibique Victorem filium Maximi, quem Imperatorem reliquerat, interfecit. Cùmque tranquilla videretur Respublica, apud Viennam dolo Arbogasti Comitis sui strangulatus est; & ut voluntariam mortem sibi conscivisse putaretur, laqueo suspensus est. Arbogastus autem Eugenium Tyrannum mox Imperatorem creare ausus est.

Pars IV.

SIricius natione Romanus sedit annis XV. mensibus VI. diebus XXV. Cessavit Episcopatus diebus XX. Hic constituit, ut Monachi possent ad Ordines promoveri, erant enim Laici, sive Conversi. Item constituit, Hæreticum pœnitentem per impositionem manus Sacerdotalis ab Ecclesia recipiendum.

Pars V.

AMbrosius ritum canendi Antiphonas in Ecclesia primus apud Latinos transtulit Græcis, apud quos sic constitutum erat ab Ignatio, qui in cœlo raptus audivit, quomodo Angeli per Antiphonarum repetitionem Sanctæ Trinitati hymnos canebant. Item Ambrosius post Hilarium Pictaviensem primus in Ecclesia Hymnos canendos composuit.

Pars VI.

SAnctorum Gervasii & Protasii Martyrum corpora anno secundo Theodosii Mediolani ab Ambrosio reperta sunt.

Pars VII.

EOdem Anno Justina Valentiniani Mater hæresis infecta Arianæ in Ambrosium, & in omnes Ecclesias diversa genera injuriarum congerit.

Pars VIII.

B MArtinus Sabariæ Pannoniorum Oppido oriundus, & in Ticino alitus, postea Turonensis Episcopus factus, hoc tempore insignis habetur.

Pars IX.

AGnes Virgo clarissima genere nobilis XIII. ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam invênit, quia solùm vitæ dilexit auctorem.

Pars X.

C SAnctus Joannes Chrysostomus hoc tempore floruit, qui primò fuit Presbyter Antiochenus, postea verò factus Constantinopolitanus Archiepiscopus, cognomento Chrysostomus, doctrinæ fama clarissimus, cujus gesta maxime Tripartita Historia diligenter prosequitur.

Pars XI.

AUgustinus, cùm esset Manichæus, per Ambrosium ad rectam Fidem convêrtitur, & relictis scholis baptizatur, posteaque Hipponensis Episcopus fuit, de quo ita ait Gennadius: *Augustinus Vir eruditione Divina & humana, orbi clarus, vita purus, scripsit quanta nec inveniri possunt. Quis ergo glorietur omnia se illius habere? aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit?*

D *Pars XII.*

THeodosius interea mortem Valentiniani, sicut & Fratris, vindicaturus, antequam ad bellum procederet, cum Sacerdotibus, & Populo loca Orationum circuiens, ante Apostolorum & Martyrum Thecas cilicio indutus, se prosternebat, Sanctorum deposcens auxilia. Scripsit & in Ægyptum ad Joannem Monachum, & eventum rei requisivit; cui Vir Sanctus Victoriam nunciavit. Ipse autem contra Eugenium Gothos ante se misit, quorum X. millia ab Arbogasto cæsa sunt, & cùm in Alpibus hostibus occurrisset, ibique Arbogastus in eminentiori loco meliorem pugnandi opportunitatem haberet, facto congressu stetit aliquamdiu anceps victoria, stetitque Theodosius in rupe, unde conspicere posset, & conspici; & abjectis armis oravit dicens: *Omnipotens Deus, tu nosti, quia in nomine Christi filii tui ultionis justæ, ut puto, bella ista suscepi. Sin aliter, in me vindica; Si verò pro causa probabili, & in te confisus huc veni, auxilium porrige.* Confortatus priùs in somnis fuerat à duobus viris in vestibus albis & equis candidissimis, idest Johanne Evangelista, & Philippo Apostolo. Facta ora-

oratione ventus vehementissimus jacula ex parte Eugenii revocabat. De quo Claudianus Poëta;

O nimium dilecte Deo, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Ibi Eugenius captus occiditur; Arbogastus autem se ipsum interfecit.

Pars XIII.

CUm itaque Theodosius solus in pace regnaret, Templa Gentilium omnino destruxit, legesque instituit, lascivias in commessationibus prohibuit, Consobrinarum nuptias interdixit. Hujus quanta fuerit apud Deum & homines devotio, præsenti patet exemplo. Nam cùm apud Mediolanum Ecclesiam vellet intrare, prohibitus est ab Ambrosio Episcopo, nisi publicè poeniteret, quia ferè V. millia hominum Thessalonicæ occidi fecerat. Qui prohibitionem humiliter pertulit, satisfactionem non erubuit. Rursus cùm inter cancellos post oblationem moram faceret, ait Ambrosius: *Egredere, quia Purpura Imperatores non efficit Sacerdotes*. Imperator autem patiens obedivit.

Pars XIV.

SImulachrum Serapidis immensum apud Alexandriam destructum est, cujus capiti modius erat impositus.

Pars XV.

CApur Sancti Joannis Baptistæ hoc tempore Constantinopolim delatum est.

Pars XVI.

IN Emaus natus est puer ab umbilico sursum divisus, ita ut haberet duo capita, & duo pectora, & unusquisque proprios sensus. Et laudabant, & percutiebant se invicem, & vixerunt duobus annis; unus autem supervixit alteri quatuor diebus.

Pars XVII.

COrpora Abacuch, & Micheæ Prophetarum revelantur.

Pars XVIII.

HEraclides Vir religiosissimus de his, quæ vidit, aut ab aliis didicit, operibus Sanctorum Patrum Librum scripsit, qui Paradisus meritò intitulatur ad Lausum Episcopum. Deserta enim penetravit Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, Syriæ, Palestinæ, & sub Occidentalibus Regionibus Romam, atque Campaniam.

Pars XIX.

JOhannes Presbyter Damascenus hoc tempore viguit, qui infra XII. annos Liberalium Artium scientiam apprehendit, & Monachus factus apud Imperatorem de crimine diffamatus manum amisit, quam Beata Maria sibi restituit.

Pars XX.

DOnatus Episcopus Urbis Cusiæ Provinciæ Epiri ingentem Draconem, interfecit. Is enim circa pontem in via publica jacens, cibum

A habebat oves, capras, boves, equos, & homines comedebat. Qui contra Episcopum transeuntem dum caput levasset, quasi eum devoraturus, facto signo Crucis in os ejus inspuens eum interfecit, quem octo paria boum in campum vicinum traxerunt, & ibi combustus est, ne aërem foetore corrumperet. Hujus itaque Donati sepultura insignis erat, ubi Oratorium ex ejus nomine vocatur, habens fontem aquarum, quem ipse fertur orationibus invenisse, cujus corpus sub Dominico Michaële Duce Venetias delatum est.

Pars XXI.

B THeodosius igitur cùm post mortem Gratiani annis X. Imperium tenuisset, bene composita atque tranquillata Republica, apud Mediolanum mortuus est, & Constantinopolim postea delatus sepelitur.

Pars XXII.

ARchadius, & Honorius, defuncto Patre, in Imperium successerunt. Anno Domini CCCXCVIII. Honorio autem præcipiente, & Comite Constantino favente, sopitis apud Africam Hæreticis, pax Ecclesiis reddita est. Tunc apud Hipponam florebat Augustinus. Interea Gildo Comes, qui initio Regni fratrum Africæ
C præerat, attendens, quòd non facilè antea quisquam pupillus in Imperio relictus ad maturitatem viri ætatis pervenerit: ibi dominium sibi usurpare ausus est. Masahel autem frater ejus hoc perhorrescens, relictâ militiâ, cum duobus filiis suis in Italiam rediit. Qui contra fratrem, qui ejus filios jam occiderat, missus, sciens quantum in bellis valeant orationes Fidelium, exemplo Theodosii de Capraria Insula aliquos Dei servos duxit, & cum his orationibus & jejuniis die ac nocte vacavit; & sinè bello victoriam meruit. Nam cum V. millibus contra LXX. millia perrexit. Apparente ei Beato Ambrosio nuper defuncto in somnis, atque dicente: Hic, hæc, hoc; eoque prudenter interpretante,
D verbo locum, numero diem significari, perrexit; & cùm ad primos occurrentes pia pacis verba proferret, signiferum quemdam insolenter obsistentem gladio percussit, ac vexillum inclinare coëgit: quo viso reliquæ cohortes, deditionem primò fieri existimantes, se se certatim Masaheli subdiderunt. Gildo autem fugiens periit. Sanè ipse Masahel prosperitate elatus, postposito Sanctorum consortio, etiam Ecclesiam temerare ausus est, de ea aliquos extrahendo; sed accidit, ut etiam insultantibus, quos ad poenam protraxerat, solus occisus est.

Pars XXIII.

E SIngulis autem infantium Imperatorum per Theodosium Patrem cura ac disciplina est commissa, hoc est Rufino Orientalis Aulæ, Stiliconi Occidentalis Imperii. Sed primus sibi, alter filio optavit Imperium; & ut Reipublicæ necessitas occasio fieret implendæ ambitionis, Stilico barbarorum tumultus excitavit. Inter cetera Alaricum Regem cum Gothis suis solis victum, & sæpe conclusum, ut ait Orosius, semper dimisit. Fuit enim Stilico barbarorum Vandalorum, perfidæ & dolosæ gentis, genere editus. Sub tali turbine biennio ante debellatam Urbem Alani, Suevi, Vandali, & Burgundi in arma solicitati usque Pirenæum Gallias perva-

vagantur. Ab hoc quoque Stilicone Rufinus prædictus denique occisus est.

Pars XXIV.

TElemachus Monachus increpans Populum, quia gladiatorius ludus celebraretur Romæ, lapidatus, unde Honorius suo edicto ludum perpetuò amovit.

Pars XXV.

IMperatores quoque paternum zelum secuti toto Romano Imperio Idolorum Templa destrui jubent.

Pars XXVI.

ANastasius natione Romanus sedit annis II. diebus XXVIII. Hic constituit, ut cùm Evangelium legitur, nullus sedeat, & quòd stent curvi.

Pars XXVII.

RUfinus Civis, & Clericus Aquilegiensis, à à Valeriano Episcopo Fidem edoctus zelo Fidei, & scientiæ, Hierusalem ivit, & piis operibus intentus etiam Divinarum Scripturarum factus est Doctor, & dignus Interpretator, posteaque repatrians hujus Ecclesiæ factus est Doctor, & Presbyter. De quo ait Heraclides, eum apud Hierosolymam cum Sancta Melania in Monasterio XXVII. annis deguisse, pauperes, & peregrinos sumtibus propriis fovisse, multos etiam Hæreticos, vel Schismaticos ad Fidei unitatem, & pacem Ecclesiam revocasse, subjungens: *Erat*, inquit, *Vir nobilium morum, & in singulari proposito satis fortis, quo nullus mansuetior, & placidior, tamquam omnia sciens, in sexu virili, potuit inveniri*. De eo etiam Gennadius sic loquitur: *Rufinus non minima pars Ecclesiæ Doctorum fuit, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem Græcarum Bibliothecarum Latinis exhibuit, Basilii scilicet Cæsariensis Episcopi, Gregorii Nazianzeni, Clementis Romani Recognitionum Libros, Eusebii Cæsariensis Ecclesiasticam Historiam*, cui & duos Libros addidit ad petitionem hujus Beati Chromatii Aquilegiensis Episcopi. *Sententias Evagrii, etiam sententias Pamphili Martyris contra Mathematicos: Origenis autem non omnia, nam & Hieronymus transtulit aliquanta, quæ suo prologo discernuntur. Symbolum etiam ita discernit, ut in ejus comparatione ceteri nec exposuisse credantur. Benedictionum quoque Jacob super* Patriarchas, *& Epistolas multas ad Dei timorem exhortatorias. Obtrectatori Opusculorum suorum duobus voluminibus respondit. Scripsit & Expositionem super* Prophetas *tres, scilicet Oseæ, Johel, & Amos*. Nunc etiam Hieronymus, & iste Rufinus, orta inter se simultate pro quæstionibus Divinarum Scripturarum, Libros Invectivarum satis quidem luculentos, sed nimis mordaci sermone, in alterutrum conscribunt. Quem idem Hieronymus insimulavit Pelagianæ Hæresis præter hæresim Origenis. Sed ad suæ fidei ostensionem Rufinus Librum Apologeticum scripsit Anastasio Summo Pontifici. De quo propterea Gelasius Papa scribit: *Rufinus Vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit Libros; sed quoniam Beatissimus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ Beatissimum prædictum Hieronymum sentire cognoscimus; & non solùm de Rufino, sed etiam de universis, quos sæpiùs Vir memoratus zelo Dei & Fidei religione reprehendit*.

Pars XXVIII.

INnocentius natione Albanensis sedit annis XI. mensibus II. diebus XX. Hic instituit Sabbato jejunium propter Christi Sepulturam, & discipuli jejunaverunt. Item pacis osculum in Ecclesia dari. Item damnavit Pelagium, Julianum, & Cœlestinum ad petitionem Concilii Africani, in quo fuit Augustinus. Item excommunicavit Archadium, quia concessit, quòd Joannes Chrysostomus à sua pelleretur Ecclesia per uxorem Eudoxiam propter prædicationem, quam fecerat contra eam, quia mulieres & puellas ludere compellebat ante suæ speciei Imaginem, quod Idolatriæ vitio deputabat.

Pars XXIX.

INterea Archadius, & Honorius Patris donaria in Gothos subtraxerunt consilio Rufini Patricii. Hic in dolo deprehensus ante portas Constantinopolis decollatus est. Mox verò Gothi verentes, ne longa pace eorum strenuitas solveretur, indignum judicarunt, se Romanis, quos sæpe vicerant, esse subjectos. Sed in Ducis electione divisi, Radagusi scilicet & Alarici, se diversis laceravere cladibus. Tamdem conveniunt, ut ambo regnent, & Alaricus potior habeatur, & ad prædandas Italiæ partes ab invicem dividuntur. Erat autem Radagaisus Scytha, Vir barbarus, & sævus, atque Idolatra.

Pars XXX.

RAdagaisus igitur cum CC. millibus Gothorum per Dalmatiam, & Istriam veniens, Forojulium intravit, & inde procedens Paduam cepit, & violat, ac totam Venetiæ Provinciam vastat, pollicens se Diis suis immolaturum sanguinem Romanum. Sed in monte Fæsulano Tusciæ circumclusus à Stilicone Duce Romano fame potiùs quàm ferro cum exercitu consumtus est.

Pars XXXI.

ALaricus eodem tempore cum Gothis Gallias cepit, & postea Hispanias, veniensque intravit Italiam, & ab Honorio, qui Ravennæ erat, terras ad incolendum petiit, & obtinuit terram circa fines Hispaniæ, quæ tunc rebellabat Imperio. Sed dum ad eam possidendam proficiscuntur, Stilico Socer Honorii eos fraudulenter insequitur; sed amisso milite superatur. Tunc indignati Gothi ad Æmiliam revertuntur, & ea igne, ferroque vastata, Romam capiunt, dato priùs præcepto, ut qui in locis sacris se reciperent, securi essent, ceterisque extra loca sancta Christi, & Sanctorum nomina invocantibus piè indulgebant. Hoc fecit Anno ab Urbe condita MCLXIV. à Nativitate verò Christi CCCCX. IX. Kalendis Septembris. Innocentius autem Papa, ne mala suæ gentis videret, Ravennam vênit. Vastata itaque Urbe Alaricus ad Apuliam, & Calabriam Rhegium vênit, & ascensis Navibus, dum in Africam properaret, tempestate suborta multum amisit exercitum. Post paucos autem dies subita morte

te apud Consentiam periit. Sui autem præ nimio amore fluminis alveo derivato per captivos in medio effoderunt sepulchrum; & ibi cum multis copiis sepelitur; & reductis aquis fossores occidunt, ut locus ignoraretur. Succeffit autem ei Athaulphus consanguineus ejus.

Pars XXXII.

GOthi autem Romam redeunt, & quod residuum fuerat consumunt. Tunc murmur multum increvit blasphemantium Christum, & Christianitatis tempora inculpantes, quia neglecta essent Sacra Deorum, contra quorum vaniloquia Orosius Presbyter, hortante Augustino, Librum conscripsit.

Pars XXXIII.

GOthi verò de Urbe recedentes in Galliam, Placidiam quondam Theodosii natam se-

A cum duxere, quam Athaulphus in conjugem sumens, ejus precibus de finibus Romanorum discessit, & in Galliam prope Narbonam conscendit. Inde tamen per Constantinum, quem Honorius cum exercitu miserat, pulsus, in finibus Hispaniæ cum Gothis resedit.

Pars XXXIV.

DE hoc autem Chromatio Episcopo, Hieronymus scribens contra Rufinum dicit, quòd ad commonitionem Sancti Chromatii Papæ voluit ab injuriis desistere, & se cum Rufino pacificare. Qui dum Aquilegiensem Ecclesiam annis XVIII. tenuisset, jam ex invasionibus
B Barbarorum plurimum Italiâ perturbatâ, ad Dominum emigravit; & quia subsequenti Præsule novæ Provinciæ Venetæ constructio inchoabitur, ideo huic Libro conclusionem imponimus.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER

LIBER QUINTUS

CONTINENS CAPITULA XII.

A

CAPITULUM PRIMUM.

De Pontificatu Augustini, habens partes XXIII.

AUgustinus Episcopus Aquilejensis intronizatus est Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi CCCCVII. quia plebs Catholica ex Barbarorum invasione plurimum agitata unà cum Clero ad Fidei suæ robur hunc origine Beneventanum virum Orthodoxum, & Divinis Scripturis satis eruditum, sibi in Pontificem elegerunt.

B

Pars I.

HOc tempore Heliodorus Episcopus Altinatis cum Liberale Viro Orthodoxo, Fidei pugile ex constituto, suasione Sancti Hieronymi Eremiticam vitam eligens, Clero, & Populo suo suasit, ut Ambrosium virum curæ Pastorali satis utilem sibi successorem eligerent, & eis suæ Civitatis prædixit excidium. Quo facto ad Insulam maris pervênit, in qua degebat vir Sanctus Marcellianus, & cum eo Eremiticam vitam ducere decrevit. Cùm igitur pariter piis operibus inhærerent, Sanctus Marcellianus eodem Anno die V. Junii feliciter obiit, ibique

C

sepelitur, à quo eadem Insula Marcelliana vocata est. Heliodorus autem solus perseverans, à Beato Hieronymo Epistolis persuasivis aliqualiter reprehensus est, quia juxta Patriam vivere decrevisset. Post aliquod verò tempus Sanctus Heliodorus senio jam confectus spiritum Deo reddidit, quem Ambrosius Episcopus cum Clero, & Populo suæ Urbis juxta Sanctum Marcellianum dignè sepelivit. Cujus corpus denique, translata Altinense Sede, in Torcello deductum est.

Pars II.

D

INterea Stilico, qui fuerat Tutor Honorii, & ut filium suum substitueret in Imperio, plurimos Populos ad arma converterat, unà cum filio occisus est. Constantinus etiam Tyrannus in Britannia electus Imperator misit in Hispaniam filium Constantem nomine, contra quem Honorius Constantium Comitem strenuum, & bellicosum misit ad Gallias, qui Constantinum apud Arelatem occidit; filius etiam Constans apud Menam peremtus est. Attalus præterea Gothorum Imperator effectus à Constantio capitur. Hos, & alios multos Tyrannos Honorius industria Constantis superavit.

E

Pars III.

GOthorum ex his jam divisorum, qui in Italia erant, Romano subduntur Imperio; reliqui in Aquitania, & Tholosa Sedem sibi Regni constituunt. Confirmato autem Wisigothorum Regno, audiens Athaulphus insolentias Barbarorum, condoluit miseriis Hispanorum, & properavit contra Vandalos; sed in via apud Barcilonam à quodam ex suis jugulatus est.

Pars IV.

ARchadius autem Samuelis Prophetæ ossa Constantinopolim transtulit, moriensque anno XIII. Imperii sui octennem filium Theodosium sibi substituit; Ligdigiden verò Regem Persarum ejus Tutorem in testamento reliquit, qui tutelam benignè suscipiens, pacem firmissimam cum Romanis fecit.

Pars V.

HOnorius cum Theodosio nepote imperaverunt Anno Domini CCCCXI. Hoc anno Vandali Duce Crosco, cum Svevis, & Alanis Gallias pervagati Urbes, & Ecclesias subverterunt; sed Croscus captus à Mariano Præside Arelatensi, & per victas Urbes retractus ad mortem tormentatur. Hujus etiam tempore Vandali Hispanias, & Svevi Gallias occupant, & vastant.

Pars VI.

HOc tempore Corpus Sancti Stephani Protomartyris ex revelatione Gamalielis facta Luciano Presbytero inventum est, quod in Ecclesia Sion depositum, Juliana relicta Alexandri Senatoris, de Jerusalem Constantinopolim transtulit. Pro quo, ut plurimi Occidentalium scribunt, Legati Romanorum missi corpus obtinent, & Romano deferunt, ut Eudoxia Augusti nata, & à Dæmone oppressa liberaretur. Sed, ut Græcorum Historiæ narrant, Legati Romanorum decepti suppositum corpus obtinent, remanente verò corpore in Constantinopoli, quod sub Ordelapho Phaledro Duce Venetiarum Venetias delatum est.

Pars VII.

ANno IX. Honorii Samione, & Marcomiro Francorum Ducibus defunctis, Franci in concione deliberaverunt, ut & ipsi sicut & aliæ gentes habeant Regem, & Faramundum filium Marcomiri Regem constituunt.

Pars VIII.

NUnc Agentius ordinatur Patricius Romanorum, Vir inclytus, in bello strenuus, qui Burgundiones Romanis rebellantes perdomuit; quæ gens ab Italia quondam exiens super ripas Rheni consedit, per Burgos se dividens, unde Burgundiones dicti sunt.

Pars IX.

ATtila nunc Rex Hunnorum de Scythia egressus, Bessorum, Cumanorum, & Alanorum terras transiit, deinde Soldayam, Rutheniam, & Nigrorum Comanorum ingressus Coloniam, usque Tyez flumen, invitis gentibus, tamdem pervênit. Conspecta verò regione, eam cum Uxore, filiis & armentis incolere voluit. Tunc Pannoniæ, Dalmatiæ, Macedoniæ, Phrygiæ, ac Pamphiliæ Tetrarcha Macrinus

erinus Romanorum petit auxilia contra Hunnos. Quo suscepto, dum deliberant, unde Hunnos invadere debeant, Hunni noctis silentio super utres in Sicambriam transvadunt, & in tentoriis multos trucidant. A Romanis verò tamdem repulsi in propria rediere. Cognita (*) Occidentalium virtute, armorumque resumto proposito, exercitum parat, & usque ad XL. millia Hunnorum prostrata sunt. Occubuit & Macrinus, multique Germanorum Principes, & Romanus exercitus dispersus est. Tunc Attila fratrem Bledam à flumine Tyez usque ad fluvium Don rectorem constituit; Se autem Hunnorum Regem vocavit, metum Orbis, flagellum Dei.

A

Pars X.

B

His autem diebus Primates, & Populi Urbium Venetiæ ex Barbarorum incursu plurimum exinaniti, & instantes invasiones avidi declinare, maritimas Civitates, & receptacula refugii construere decreverunt. Primò namque Gallianus de Fontana, Simeon de Glanconibus, & Antonius Calvus de Limianis Consules Patavii suæ Urbis, non immemores invasionis, hoc perficere statuentes, ad maritima pervenerunt, & circa Ostia fluminis Realti Insulam, sive Tumbam ad opus meditatum satis habilem eligentes, Anno Domini CCCCXXI. die XXV. Martii felicis Urbis Rivoalti nova fundamenta jactarunt. Decretumque est, ut quicumque operi, vel exercitio navali utilis existeret, si in hac Urbe habitationem eligeret, immunitatibus gauderet, exceptis servis, & proditione, & falsitate damnatis. In qua Urbe post modicum Vir quidam Architecton, nomine, & cognomine Eutinopi, Magister navium, natione Græcus, habitationem elegerat, de cujus domo ignis emanans mansiones XXIV. concremavit; cumque inextinguibilis videretur ignis, idem cum compatriotis in oratione positus, Deo, & Beato Jacobo Apostolo votum exhibuit construendi in ejus nominis gloriam novam Ecclesiam in loco incendii exorti; Statimque ignis extinctus est; perfectoque voto Ecclesia consecrata est per Severianum Episcopum Paduanum, Ambrosium Episcopum Altinatensem, Jucundum Episcopum Trivisanum, & Eponem Episcopum Opiterginum; Felixque Presbyter vir Catholicus pro Sacramentis Ecclesiasticis exhibendis in ea deputatus est.

C

D

Pars XI.

Montificilicenses Populi, & ceteri circa montana degentes eadem clade ad maritima venientes in litoribus Mathemaucum, Albiolam, Palestrinam, & Clodiam pariter condiderunt.

E

Pars XII.

Eodem tempore Urbis Aquilejæ proceres ad aquas veniunt Gradatas, & in litore Castrum spectabile construxerunt, quod ab aquarum nomine Gradus appellatur, tamdem Metropolis novæ Venetiæ efficitur.

(*) *Cod. Ambr.* At is reparatis viribus Romanos fudit, magna de eis edita clade Macrino Tetrarcha interfecto, & Pannoniam in tuto possidet.

Pars XIII.

Zosimus natione Græcus sedit anno uno, menses VI. Cessavit Episcopatus diebus VI. Hic misit pro Concilio Carthaginensi Faustinum Episcopum, & tres Presbyteros Urbis Romæ ad ostendendum auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & actitata per Concilium roboranda. Ipse constituit Sabbato Sancto Cereum benedici.

Pars XIV.

Hic Epistolam satis utilem scripsit Esichio Salonitano Episcopo continentem, quòd volentes ad Sacerdotium pervenire, non repentino saltu, sed gradatim promovendi sunt.

Pars XV.

Floruit tunc Johannes Cassianus, qui à Johanne Chrysostomo Diaconus ordinatus, & postea de Ecclesia expulsus apud Massiliam Presbyter effectus, multa volumina scripsit utilia.

Pars XVI.

Honorius autem Augustus transactis annis X. quibus imperaverat cum Archadio fratre suo, & aliis iterum XVI. annis cum Theodosio nepote suo, Romæ humanis rebus excessit.

Pars XVII.

Theodosius solus post mortem Honorii imperavit Anno Domini CCCCXXV. Quo tempore Johannes primus Imperialium Conscriptorum misit ad Theodosium, petens, ut ejus susciperet imperium; at ille Legatos retrusit in carcere, misitque Magistrum Militum Ardaburium, qui multum laboraverat apud Persas (**). Qui in Salonam veniens exinde Aquilejam navigavit, contigitque ventum adversum flare, ita ut in Tyranni manus incideret, quo capto sperabat ad necessitatem pervenire Theodosium, ut per hoc eum decerneret Imperatorem, si vellet Magistrum Militum liberare. Imperator tamen, ut audivit factum, æstuabat, ne quid mali Ardaburius, sustineret. Aspar verò Ardaburii filius, ductu Angeli per paludem Ravennam ingressus, Tyrannum occidit, & patrem à vinculis liberavit.

Pars XVIII.

Bonifacius natione Romanus inter hæc sedit annis III. mensibus VIII. diebus XIII. Cessavit Episcopatus diebus XIX. Hic constituit, ut nulla mulier palàm Sacramenta Altaris contingat; & quòd nullus servus vel Curiæ obnoxius fieret Clericus. Eulalius autem contra Bonifacium ordinatur, & Ecclesia scinditur, & Augusti jussu ambo Urbe egrediuntur, & isto reprobato Bonifacius restituitur.

Pars XIX.

Anno Tertio Theodosii idem Valentinianus, Placidiæ Amitæ suæ ex Constantio filium, Im-

(**) *Cod. Ambr.* Comparato exercitu in eum proficisci jubet.

Imperatorem fecit, eumque cum matre Romam ad imperandum mittit; & regnaverunt annis XIV.

Pars XX.

COelestinus natione Campanus sedit annis VIII. mense I. diebus IX. Cessavit Episcopatus diebus XXI. Hic constituit ut Psalmus *Judica me Deus* dicatur ante Introitum Missæ, & quòd Psalmi CL. ante Missam psallantur antiphonatim: quod antea non fiebat. Legebatur autem Epistola Pauli, & Evangelium; ex isto autem instituto Introitus, Gradualia, Offertoria de Psalmis composita sunt. Hic misit in Hiberniam Beatum Patricium Archiepiscopum Scotorum.

Pars XXI.

NEstorius Constantinopolitanus Episcopus asseruit Christum purum hominem, non Deum, contra quem Tertia Universalis Synodus Ephesina CC. Patrum congregata est jussu Theodosii Augusti, ubi condemnatus est Nestorius duas in Christo personas asserens.

Pars XXII.

HIs diebus Diabolus apparuit in Creta Judæis in specie Moysi, promittens eos deducere pede sicco in Terram promissionis; quorum, cùm sequerentur eum, alii sunt submersi, alii evadentes ad Fidem conversi sunt.

Pars XXIII.

AUgustinus itaque Episcopus Aquilejæ suæ intronizationis Anno XXVIII. (*) defunctus est.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Pontificatu Delphini, habens partes VI.

DElphinus Episcopus Aquilejæ laudatus est Anno Domini CDXXXIV. Hic in Altino natus est, & Sancto Heliodoro Urbis Episcopo Diaconus ordinatus, Aquilejam vênit, ibique divinis institutionibus eruditus ad Sacerdotium meruit pervenire, qui nunc defuncto hujus Ecclesiæ Episcopo acclamatione Cleri, & Populi sedem obtinuit.

Pars I.

SIxtus III. natione Romanus subsequenter sedit annis VIII. & diebus IX. Cessavit Episcopatus diebus XXII. Hic constituit, ut nullus Clericus in Parochia alterius ordinari præsumat. Hic à Basso criminatur, & jussu Valentiniani Romæ congregata Synodo, coram LXV. Episcopis purgatur, Bassus verò damnatur.

Pars II.

PEtronius Bononiensis Episcopus vir sanctæ vitæ, Vitas Patrum Ægypti scripsisse putatur. Scripserunt quoque tunc Eutropius Presbyter, Virgilius Diaconus, Victorinus Massiliensis, & Theodorus Cyrrea Civitatis Episcopus.

(*) *Cod. Ambr.* Anno XX.

Pars III.

EUdoxia mater Theodosii sepulchrum, & alia loca sacra visitavit, cui inter cetera munera delata sunt Vincula Sancti Petri à quodam Judæo, quæ secum Romam detulit. Propter quod additâ illis tertiâ catenâ, qua Romæ vinctus fuit, Festum institutum est Kalendis Augusti, qui dies pro Octaviani Augusti victoria contra Antonium solemnis erat Romano Populo; sicque Augusti victoria ad Petrum transiit.

Pars IV.

INterea Gundericus Rex Vandalorum capta Hispali, cùm impiè elatus manus in Ecclesias extenderet, mox Dei judicio à Dæmone correptus interiit. Cui Gensericus frater in Regno succedens in Africam transiit, cunctaque vastans Catholicam insuper Fidem Ariana impietate fœdavit, & Catholicos Episcopos in exilium misit; & sub eo turbine Beatus Augustinus anno ætatis suæ septuagesimo sexto defunctus est.

Pars V.

LIberalis Civis Altini eruditione Heliodori Episcopi, jejuniis, vigiliis, & orationibus indesinenter inhærens, post renuntiationem ejusdem Episcopi, à Spiritu Sancto ductus, relicta Urbe, hominumque consortio, ad Insulam vocatam Castratio pervênit, in qua devota Ecclesia Sancti Laurentii constructa erat, ibique cum fratribus Deo serviens, ceteris sanctæ vitæ exemplaria ministrabat, cursuque humano feliciter consummato requievit in pace, cujus corpus sub Primogenio Patriarcha in Torcello delatum est.

Pars VI.

HIc itaque Delphinus Episcopus annis IX. hanc rexit Ecclesiam.

CAPITULUM TERTIUM.

De Pontificatu Januarii, habens partes IX.

JAnuarius Episcopus ordinatus est Anno Domini Jesu Christi CDXLIII. Hic in Pola Civitate Istriæ ortus, & Catholicis disciplinis eruditus, Episcopus factus, sua prudentia, & doctrina populum sibi subditum propter instantes persecutiones multis angustiis circumseptum ab erroribus conservavit illæsum. In cujus laudem Leo Papa sic ait: *Lectis Fraternitatis tuæ literis vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum Christi Pastoralem curam vigilanter exequaris, ne lupi, qui sub specie ovium subintraverunt, bestiali sævitia simplices quoque dilacerent.*

Pars I.

LEo Sermologus natione Siculus sedit annis XXI. mense I. diebus XXV. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic addit in Canone *Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hostiam*. Scripsit Epistolas decretales LXX. Sermones LXXIX. contra Euthycem Constantinopolitanum Abbatem de Incarnatione Verbi, & contra

tra Dioscorum Alexandrinum, qui dicebat unam Verbi, & Carnis esse naturam. Hic una die dixit X. Missas, alia septem.

Pars II.

CORpus Johannis Chrysostomi apud Cumanos in exilio defuncti per Proclum Episcopum Constantinopolitanum Constantinopolim delatum est, quod in Ecclesia Sanctorum Apostolorum collocatur.

Pars III.

IN Constantinopoli hoc tempore per IV. menses Terræmotus maximus fuit, tuncque primò cantatum est *Agios otheos*, &c. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*; & statim cessavit.

Pars IV.

MErlinus è Spiritu in specie Hominis conceptus, ut Mater coram Rege confessa fuit, hoc tempore in Anglia exstitit, qui multa obscura revelavit, multaque ventura prædixit.

Pars V.

APud Persas Christianitas dilatata est, quia Maurucas Mesopotamiæ Episcopus, cùm ibi esset Legatus, orando filium Regis à Dæmone liberavit; (*) sed gravior persecutio in Christianos exarsit.

Pars VI.

ATila igitur Rex Hunnorum Bledam fratrem occidit, & corpus in Danubium projici fecit, quia dominii sibi commissi fines excesserat, feceratque Sicambriam suo nomine vocari Budam, quam ipse suo nomine jusserat appellari Atilæ. Theutonici interdictum formidantes vocaverunt eam Ethulburg. Hunni verò Oribudam usque hodie vocant.

Pars VII.

POst hæc Atila belli amator apud Scibien solemnem celebrat Curiam, in qua multi Romanorum Principes illi fecere homagia. Consultum est tunc ei, ut Occidentalia invadat Regna. Fultus itaque fortissimarum gentium Ostrogothorum, Gepidarum, sive Danorum, & aliarum, quas sibi subjugaverat, præsidio, ad demoliendum Romanum Imperium contendit. Cujus astutias, hostiumque præparationes Aëtius Romæ Consularis solerti providentia agnoscens, Legatos ad Theodericum, qui eo tempore Gothis apud Tholosam regnabat, dirigit, ut cum eo pacis fœdera sociarent. Qui promittit se cum illo pariter pugnaturum contra Atilam. Fuerunt præterea Romanis auxilio Alani, Burgundiones, Franci, Saxones, Riparioli, Britones, & pæne totus Populus Occidentis. Conveniunt itaque hinc & hinc nationes fortissimæ in Campis Cathelonicis; conferuntur acies; fit bellum acre nimis utrumque ardore prœlii. Nec quievere, donec nox superveniens pugnandi finem daret. Eo siquidem prœlio CLXXX. millia hominum ex utraque parte cæsa sunt, quamvis neuter exercitus cessisset. Rex ibi Gothorum Theodericus occubuit. Turismundus ejus filius illico Rex efficitur, & ad adipiscendum Regnum consilio Aëtii Consularis perrexit. Atila autem Pannoniam repetiit.

Pars VIII.

APud Ephesum Septem Dormientes Fratres, à Decio Imperatore pro Christo tormentati, in spelunca se clauserant, & facta oratione ibi obdormierunt. Post annos suæ dormitionis circiter CXCII. ore speluncæ, quod in suo tempore detrusum obstruxerant, patefacto, divinitus à somno consurgunt, & asserta Fide nostræ Resurrectionis coram Theodosio Imperatore, de qua multum dubitabatur, iterum obdormiere in Christo.

Pars IX.

HUic Januario Episcopo Sanctus Leo Papa scribit: quòd Episcopi, & reliqui Clericalis Ordinis de Pelagiana, vel Cœlestina Hæresi ad unitatem Catholicam redire volentes, in suis Sedibus non restituantur, nisi publicè erroribus abrenuntiaverint. Transactisque annis VIII. in sua Sede hic Episcopus diem clausit extremum.

CAPITULUM QUARTUM.

De Pontificatu Secundi, habens partes VI.

SEcundus Episcopus factus est Anno Domini Nostri Jesu Christi CCCCLI. Hic natione Salicus, vir fide, & scientia approbatus, & in hac Ecclesia diu nutritus, & cognitus, nunc defuncto Prædecessore subrogatur.

Pars Prima.

HOc tempore Atila Rex misit speculatores suos in quatuor partes Orbis. Una pars in Coloniam, secunda in Lithuaniam, tertia in Doni fluvii litus, quarta in Jadram Civitatem Dalmatiæ. Ex Pannonia verò, Dalmatia, Macedonia, Phrygia, & Pamphilia multi transierunt in Apuliam propter crebras Hunnorum incursiones.

Pars II.

THeodosius igitur, ut dicit Prosper Episcopus, Librum omnium Legum legitimarum Principum in unum collectarum edidit, qui Theodosianus Liber appellatus est. Qui cùm post obitum Honorii annis XXVII. Imperium tenuisset, morbo correptus interiit.

Pars III.

MArtianus post Theodosium imperavit Anno Domini CCCCXLII. & fuit cum Valentiniano annis V.

Pars IV.

IMperii hujus anno primo instantia Leonis Papæ IV. universalis Synodus apud Chalcedoniam Bithyniæ congregatur, in qua Euthycem Con-

(*) *Cod. Ambr.* Itaque Persia ferè tota Christi Baptismum suscepit; quamquam gravior postea persecutio &c.

Constantinopolitanum Abbatem pronuntiantem Verbi Dei, & Carnis unam esse naturam, & Dioscorum ejus defensorem una Patrum sententia condemnavit. Ubi statutum est, ut Mater Domini Maria non solùm Christithocos, sed etiam Theothocos appellaretur contra Nestorium, asserentem eam non Deum, sed purum hominem genuisse.

Pars V.

EOdem anno Terræmotus pæne assiduè, & signa plurima in Cœlo ostenduntur.

Pars VI.

SEcundus itaque Episcopus in sede sua elapsis III. annis spiritum emisit.

CAPITULUM QUINTUM.

De Pontificatu Nicetæ, habens partes XXXVII.

NIceta Episcopus Aquilegiæ electus est Anno Domini CCCCLIV. Hic origine Græcus, vir Catholicus, hoc tempore factus Episcopus multas tribulationes passus est.

Pars Prima.

NAm Atila Rex Hunnorum reassumtis viribus circa mare pertransiit, cepitque Tragurium, Sebenicum, Belgradum, Jadram novam, Signiam, Polam, Parentium, Æmonam, Trigestum; & cùm veniret Aquilegiam, illi Reliquias Sanctorum cum parvulis, ac mulieribus, ac thesauris in Castro Gradensi tutaverunt. Atila autem longa obsidione fatigatus, cùm ciconiæ uno impetu ex Urbe volarent, & pullos rostris forinsecus exportarent, hoc augurio fultus urbem acriùs impugnavit; mortuisque ex parte Atilæ IX. millibus, Aquilegiensium verò II millibus, eidem non valentes resistere multitudini, Aquilegienses muros Civitatis statuis munierunt, & sic non advertente Atila Gradum quasi omnes fugerunt. Interim ille falcone dimisso, cùm super unam ex statuis resedisset, advertens Atila dolum, indignatus sic eos manus suas effugisse, Civitatem destruxit. Sed Virgo quædam nobilis, quæ remanserat, nomine Digna, nimis timens ab hostibus opprimi, in laudem castitatis in fluvio Nathisæ se jactavit. De hoc igitur sic ait Gothefredus: *Atila enim Urbem vacuam invenit, quia Cives per mare, quod est ei contiguum, Reliquias Sanctorum in Venetias cum omni supellectile navigio detulerunt; ibique deinceps perpetuò habitantes Veneti quasi advenæ sunt nominati. Unde inter Gradenses, qui priores ipsius loci fuerant habitatores, & Aquilegienses, de Patriarchatu usque hodie controversia versatur.*

Pars II.

ATila postea contra Concordiam processit, & hi similiter parvulos suos ad litus Maris suæ jurisdictionis contiguum miserunt, ibique urbem construentes à litoris nomine Caprulas appellavere, quæ aliter Petroina vocata est, ubi etiam amisit Atila XVII. millia hominum. Concordienses verò III. millia in navibus descenderunt Caprulas, non valentes resistere multitudini.

A

B

C

D

E

Pars III.

ATila post hoc Altinum transiit, quod priùs vocabant Antenoridem, quia ab Antenore primò ædificatum; & hi similiter parvulos cum matribus thesauris miserunt ad Insulas Maris. Tamdem verò non valentes resistere, nocte illinc fugerunt, Civitasque prædicta in solitudinem redacta est. Sicque adimpletus est sermo Sancti Heliodori Episcopi, quem ante prædixerat. Erat enim hæc Civitas magna, & Populo copiosa, habens VI. portas; quarum uniuscujusque incolæ Insulam apprehendentes, propriis portarum nominibus eas vocaverunt, videlicet Torcellum, Majorbium, Buranum, Amorianum, Constantiacum, & Amianum. Aliqui verò ex hujus Urbis Civibus, cessante persecutione, incolatum Paduæ, & Tervisii elegerunt, à quibus illarum porta quædam, ubi degebant, nomen assumens, Altinatus, vel Altilia nuncupata est.

Pars IV.

INde Atila transivit Paduam. Rex verò Civitatis Paduæ miserat Reginam cum filiis, mulieribus, & parvulis, & omne thesauro in Rivoalto. Atila autem urbem impugnans, priùs victus, postea victor fuit & Paduam destruxit. Cives verò, qui evaserunt, in Rivoalto, & Methamauco pervenerunt.

Pars V.

CUm itaque tantæ multitudini prædictæ Insulæ non sufficerent, Tumbam non longè ab his exstare in ostio portus prospexerunt, in qua antiquissima mœnia videbantur affuisse; compertumque est, hanc esse illam, in qua Trojani duce Anthenore post excidium Trojæ in sinu Adriatico primitus habitaverunt, vocatâ priùs Trojâ; postea verò Pagos, idest Castrum Olivulos Latinè dicitur *quid plenum*, ubi non est dare vacuum, & in ea profugorum pars non minima sua firmavit domicilia, Ecclesiaque sub vocabulo Sanctorum Sergii, & Bacchi, ibi postea constructa est per nobiles Tribunos Venetos Simachales nominatos, qui Cavatorta nunc vocantur. Hac quoque persecutione furente, ait Pontius, quòd Urbs Venetiæ nunc florens & potens, condita reperitur ab his, qui de Provincia Veneta manus Atilæ fugerunt.

Pars VI.

ATila itaque, Paduâ vastitati suppositâ, Vicentiam, Veronam, Brixiam, Bergamum, & ceteras Urbes Venetiæ destruxit. Mediolanum, Ticinumque arripuit. Æmiliæ Civitates exspoliavit, & ubi Mintius amnis in Padum influit, castrametatus est. Cùmque idem animo flutuaret, si Romam adiret, Leo Papa à Valentiniano, Senatu, Populoque Romano missus cum Abieno viro Consulari, & Trejectio viro Prætorio ad Regem truculentissimum ingressus est, cui Atila nil loqui valuit, nisi quod Papa voluit, sicque Romæ & totius Italiæ salutem reportavit, ut Atila bello abstineri præciperet, & ultra Danubium promissa pace discederet,

par

Pars VII.

POst discessum Pontificis interrogatus Atila, cur tantum Romano Papæ ultra solitum reverentiam exhibuerit: Respondit, se vidisse quemdam virum juxta eum in habitu Sacerdotali canitie venerabilem, sibi terribiliter gladio evaginato minantem, nisi cuncta, quæ ille peteret expleret.

Pars VIII.

CUm verò Atila Pannonias remeasset, Honoria Valentiniani germana Eunuchum dirigit, petens, ut eam à fratre petat uxorem. Ille itaque, licèt plures haberet uxores mandavit Valentiniano, comminans pejora, se proximè illaturum Italiæ, nisi sororem sibi tradat uxorem. Traditur; nuptiæ celebrantur, in quibus Atila crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus ejus, in nocte suffocatus est. Et eadem nocte Martianus Imperator vidit in somnis arcum Atilæ fractum, quo armorum genere gens illa utitur. Post mortem verò Atilæ regnavit Heruach filius ejus.

Pars IX.

IN hoc turbine completa videtur Prophetia Hieremiæ dicentis: *Ab Aquilone pandetur malum.*

Pars X.

HIs sedatis invasionibus, plurimi profugorum ad priora domicilia redierunt; ceteri verò de recidivatione dubitantes, in Insulis remanserunt, & Ecclesias plurimas secundùm eorum devotiones successivè construi fecerunt.

Pars XI.

PLurimæ quoque mulieres verisimiliter credentes, viros suos in hac persecutione à Barbaris fuisse occisos, cum aliis matrimonia contraxerunt; quibus repatriantibus coram Niceta Episcopo quæstio agitur. Qui responso Sancti Leonis Papæ, quem consuluerat, ut ad priores viros salubriter redeant, terminavit.

Pars XII.

VAlentinianus autem prosperos successus Aëtii Consularis pertimescens, Heraclio spadone multa sinistra Imperatori de Aëtio referente, Aëtium Consularem occidit, cujus mors non fuit inulta; nam sexto anno Martiani

Pars XIII.

VAlentinianus Imperator ab Urbe egressus ad ludos consilio Maximi Consularis viri, à Transilla milite, & aliis amicis Aëtii ab eo occisi interficitur cum Heraclio spadone trigesimo anno Imperii sui.

Pars XIV.

MAximus itaque tyrannidem arripuit; Eudoxiam relictam Valentiniani vi rapuit. Illa Gensericum ex Africa invitat, ut se Maximo eripiat. Interim Maximus à famulis Reginæ

A dilaceratus in Tyberim projectus est. Gensericus autem Romam capit, omnia diripit; & tamen ut ab igne, & cæde abstineret, Leo Papa obtinuit. Captivavit autem Eudoxiam cum duabus filiabus, & multo Populo.

Pars XV.

SPoliata Urbe diebus XIV. Vandali, & Mauri Campaniam ferro igneque consumunt. Capuam, & Nolam capiunt; Neapolim, & quasdam alias Civitates firmiores rebus, & angariis extenuant, & gladium evadentes captivos ducunt.

B Pars XVI.

PAulinus Nolanus Episcopus se pro filio Viduæ captivum dedit Johannes Baptista caput suum duobus Monachis revelavit.

Pars XVII.

EXigente autem uxore Garlais Duce Cornubiæ, quam Merlini incantationibus faciem Garlais assumendo cognoverat, & postea uxorem duxerat, habuit Arturum, & filiam Amam matrem Galvani, & Morgeganam in Astronomia peritissimam.

C Pars XVIII.

POst recessum Genserici Romani Avitum Imperatorem constituunt, cum quo Martianus composuit. Avitus autem intra Galliam ab exercitu suo spretus ad Italiam remeavit, & post paucos dies dignitatis honore deposito Placentiæ Episcopus ordinatus est. Martianus itaque, completis annis VI. mensibus VI. Imperii, in Constantinopoli obiit.

Pars XIX.

LEo autem in Oriente Imperator efficitur Anno Domini CCCCLVIII. Hic cum Walaine Ostrogothorum Rege fœdus iniit, & Theodericum fratruelem ejus puerum obsidem accepit filium Theodamarii, de quo Theotonici miram narrant audaciam. Leonem autem filium parvulum consortem fecit Imperii apud Romam. Mauronianus tamen apud Ravennam Occidentis invasit Imperium, qui anno quarto juxta Cortonam occisus est.

D

Pars XX.

SEverus postea Ravennæ Imperium accepit.

Pars XXI.

E ANthemius autem Severo successit, qui Servandum Galliarum Præfectum occidit volentem sibi Imperium usurpare. Inter hunc Anthemium, & Ritimium Patricium generum suum æmulatione suborta, Ritimius, qui Æmiliæ præerat, cum valida manu Romam contendit. Interea Leoni Augusto Olibrius mittitur, qui cum Ritimio congressus superatur: Ritimius victor Urbem invadens Anthemium perimit, & post tertium mensem moritur.

Pars

A

Pars XXII.

OLibrius autem Imperator, Ritimio mortuo, Gaudabarum nepotem Patricium fecit, eoque post menses septem defuncto, Gaudabarus Patricius voluntate exercitus Litterium Domesticum apud Ravennam Imperatorem constituit, quem nepos Patricius cum exercitu Romam veniens, purpura exuit, & in Salona Urbe Dalmatiæ Episcopum fecit.

Pars XXIII.

CErnens autem Eoricus Rex Visigothorum tot Romanorum Imperatorum mutationes, Burgundiones, Avernos, Arelatem, & Massiliam occupat, & consilio Genserici Regis ad ulteriora animum extendit. Callidè ille consulebat, ut quietus esset à Romanis.

B

Pars XXIV.

TUnc nepos contra Eoricum mittit Orestem militiæ Principem. Ille verò dum Ravennam cum exercitu pervenisset, Augustulum filium suum Imperatorem creavit. Nepos autem in Dalmatiam fugit.

Pars XXV.

HIlarius natione Sardus sedit annis VI. mensibus III. Cessavit Episcopatus diebus X. Hic constituit, ut nullus Pontifex sibi successorem constituat.

C

Pars XXVI.

SImeon, qui XL. annis in Columna stetit, mira sanctitate Antiochiæ hoc tempore claruit.

Pars XXVII.

HElisæus Propheta de Samaria transfertur Alexandriam.

D

Pars XXVIII.

SIgimbertus, Vincentius, Jacobus de Varagine, & Paulinus Episcopus, dicentes, corpus Sancti Marci Evangelistæ, hoc tempore de Alexandria translatum fore Venetiis, sub equivocatione Imperialis nominis errare dignoscuntur. Quia sicut ipsorum Venetorum verissimæ tradunt Historiæ, ipsius corporis translatio facta est sub Leone V. Imperatore Anno Domini DCCCXXVIII. quæ suo tempore sub Justiniano Duce singulariter describetur.

E

Pars XXIX.

MOrtuo Uterpedragor Rege Britanniæ, in Regnum sublimatur Arturus, cujus mirabiles actus linguæ personant populorum.

Pars XXX.

SImplicius natione Tyburtinus sedit annis XV. mense I. diebus VII. Hic constituit, ut nullus Clericus investituram accipiat à Laico: quod per Gregorium, & alios Pontifices firmatum est.

Pars XXXI.

AUgustulus, ut præmissum est, invasit Imperium; sed Odoacer Rex Gothorum Ruthenus genere, ex ultimis finibus Pannoniæ cum Turchilingis, & Cyris, & Herulis, & Ruthenis, à terra sua egressus, Orestem Patricium in terminis Liguriæ obvium habuit. (*) Orestes autem cùm resistere nequiret, in Papia se tutavit, ubi ab Odoacre capta Urbe occiditur. Odoacer autem in Italia Regium nomen sibi usurpat, & Romam ingressus per plures annos Regnum tenuit.

Pars XXXII.

THeodericus itaque Rex Ostrogothorum Italiam possessurus intravit. Gothi enim, qui erant in Italia, per Legatos obtinuerunt à Leone Imperatore, prædictum Theodericum Regem Patricium esse debere. Hic veniens Macedoniam depopulavit, & cùm per Ungariam, & Pannoniam in Italiam pervenisset, se suosque post magnos labores in uberrimis pascuis secus Lixontii amnem districtus Aquilejæ recrearet, Odoacer cum totius Italiæ viribus illum invasit, sed non prævaluit. Exinde Theodoricus prope Veronam evasit; sed Odoacer non minori quàm priùs apparatu occurrit, & denique terga dedit, & in Urbem fugiens receptus non est; inde Ravennam intrans, post diuturnam obsidionem à Theodorico capta Urbe occisus est.

Pars XXXIII.

PRosper Aquitanicus quondam Leonis Papæ Notarius nunc apud Regium factus Episcopus doctrinis, & miraculis claruit.

Pars XXXIV.

MAmertus Episcopus Viennensis tres dies Rogationum ante Ascensionem fieri ordinavit.

Pars XXXV.

LEo itaque Imperator XVI. anno Imperii sui in Oriente mortuus est.

Pars XXXVI.

ZEno natione Isaurus obtinuit Imperium Anno Domini CCCCLXXIII. Hic scripturam contra Fidem Catholicam composuit, Regnumque Italiæ accepit, sessionem suam in Ravenna constituit, & ut accepta tutiùs possideret, vicinis Regibus filias copulavit. Homo Arianæ Sectæ bestialem contra Catholicos gerens in animo crudelitatem. Hic Theodoricum Regem Ostrogothorum Consulem ordinarium fecit, quæ post Imperialem dignitatem prima est dignitas, & equestrem statuam auream ante Regiam illi collocavit.

Pars XXXVII.

NIceta itaque Aquilegiensis Episcopus tantis angustiis, & laboribus circumseptus, elapsis ab intronizatione sua annis XXX. mensibus IX. senectute etiam oppressus obiit.

CA-

(*) *Cod. Ambr.* Conflixitque cum eo.

CAPITULUM SEXTUM.

De Pontificatu Marcelliani, habens partes XII.

MArcellianus Episcopus Aquilegiæ sublimatus est Anno Domini CCCCLXXXV. Hic origine Thessalonicus, hujus Ecclesiæ Episcopus factus, non procul ab Aquilegia Civitate Monasterium Belignense construxit, & prædiis plurimis decoravit, & Sanctorum corpora illo in loco occultè deposuit, ipsumque Monasterium jure dominii in se retinuit, quamdiu vixit. Cùmque Theodoricus Rex Ariana labe pollutus, Catholicis Episcopis non modicum minaretur, hic Episcopus propterea elapsis in Sede sua annis IV. in Grado vênit, & cum Populo ibi tutato illæsam & puram tenuit fidem.

Pars I.

FElix Tertius natione Romanus inter hæc sedit annis VI. mensibus XI. diebus XVII. Cessavit Episcopatus diebus V. Hic convocato Concilio damnavit Acacium Episcopum Constantinopolitanum, quia revocavit Petrum Episcopum Alexandriæ propter hæresim damnatum. Hic constituit, ut accusato dentur induciæ, ut ad respondendum se præparare possit, & ut Judices tales sint, ut omni careant suspicione.

Pars II.

HOc tempore Gensericus Rex Vandalorum, successione regnandi inter filios suos ordinata, ut fratri morienti frater superstes sinè controversia filiorum suorum succederet, moritur, cui succedens Honoricus filius ejus regnavit annis VIII. Sub hoc Eugenius Carthaginensis Episcopus, & omnis Clerus contra Arianam Hæresim Vandalorum fortiter pro Christo agonizant.

Pars III.

HOc tempore facta est inventio Sancti Michaëlis Archangeli in Monte Gargano, qui hodie vulgariter Mons Sancti Angeli appellatur.

Pars IV.

BArnabas in Salamina Urbe Cypri corpus suum revelavit, cum quo Evangelium Matthæi invenitur, quod secum ferre solebat; & ubicumque inveniebat infirmos, id super eos ponebat, & tam fide Barnabæ, quàm merito Matthæi sanabantur omnes.

Pars V.

ZEnonis tempore Thracia à Bulgaris devastatur, & Urbs Constantinopolis igne consumitur. Cùm autem Zeno annis XVIII. Imperium tenuisset, vitæ cessit.

Pars VI.

ANastasius ab Augusta assumtus, Augustus simul & Augustæ maritus efficitur Anno Domini CCCCXCIII. Hic depravatus ab Achatio Constantinopolitano Episcopo Hæreticis favebat, & Catholicos persequebatur.

Pars VII.

GElasius natione Africus sedit annis IV. mensibus VIII. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic Manichæos in Urbe inventos damnavit exilio. Post Ambrosium Tractus, & Hymnos composuit. Id præcipuè *Verè dignum & justum est*; & Clericis negotiationem interdixit.

Pars VIII.

ANastasius natione Romanus sedit anno I. mensibus XI. diebus XXII. Cessavit Episcopatus diebus IV. Hic constituit quòd nullus Clericus rancore vel ira prætermitteret officium suum præter Missam, à cujus communione multi ex Clero se subtraxerunt, eo quòd communicasset Diacono Photino complici Achatii.

Pars IX.

SYmmachus natione Sardus sedit annis XV. mensibus VII. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic sub intentione ordinatus est uno die cum Laurentio, & æquo judicio Theoderici Regis Symmachus in Sede remansit. Laurentius autem à Symmacho Nucerinæ Urbis Episcopus factus est. Post IV. verò annos Festus, & Probinus cum falsis testibus criminaverunt Symmachum Theodorico Regi, & revocaverunt Laurentium, & propterea in Clero, & Populo Schisma denuo reviviscit.

Pars X.

HOc tempore vir quidam Petrus nomine Altinatem regebat Ecclesiam, quæ Urbs in Venetia sita est, homo astutus, & in gestis secularibus multum providus, sed ambitiosus, & Regi multum familiaris. Cùm igitur Senatores à Theodorico Rege peterent, ut Apostolicæ Sedi Visitatorem daret, hic Petrus Episcopus decretus est, & Sedem invasit. Et tunc Symmachus congregata Synodo CXV. Episcoporũ, à crimine falso se purgavit, & Laurentius, & Petrus insuasores damnati exulant, & Symmachus in Sede cum gloria restitutus est.

Pars XI.

SYmmachus Papa Captivos per Liguriam, & alias Provincias redemit, & CCXXX. Episcopis à Trasmundo Rege Vandalorum in Sardiniam relegatis necessaria ministravit, & *Gloria in excelsis Deo*, omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum cantari instituit.

Pars XII.

HIc autem Marcellianus Episcopus in Synodo celebrata Romæ legitur affuisse, qui cùm annis XIX. Cathedram tenuisset, in pace quievit.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Pontificatu Marcellini habens partes IX.

MArcellinus Episcopus Aquilegiæ constitutus est Anno Domini CCCCC. Hic natione Romanus hac sede adepta, ut Catholicum Populum ab Arianis ex favore Regio publicè prædicantibus in constantia veræ Fidei conservaret,

ret, in Aquilegia residebat, aliquando Gradum veniens, ut Hæreticorum persecutiones aliqualiter evitaret.

Pars I.

HOc tempore apud Carthaginem Olympus Episcopus Arianus Trinitatem in balneo blasphemans, tribus igneis baculis Angelo mittente combustus est.

Pars II.

BArabas quoque quidam Episcopus Arianus, dum contra regulam Fidei quemdam baptizari dixisset. *Te baptizat Barabas per Filium in nomine Patris, in Spiritu Sancto*: statim aqua Baptismi disparuit.

Pars III.

CLodoveus nunc Rex Francorum à Sancto Remigio baptizatus, Regnum suum per omnes Gallias dilatavit, moriensque in Basilica Sancti Petri Apostoli, quam ipse, & Regina Clotildis ædificaverat, sepultus est.

Pars IV.

SIgismundus, mortuo Patre suo Gudebardo, in Burgundia regnavit.

Pars V.

HOrmisda natione Campanus sedit annis IX. diebus XVI. Cessavit Episcopatus diebus XVI. Hic Clerum composuit, & reconciliavit Græcam Ecclesiam, quæ sub anathemate erat propter Petrum Alexandrinum Episcopum, & Achatium Constantinopolitanum. Direxit etiam solemnes Nuncios ad Anastasium de Consilio Theodorici Regis, ut ab Hæresi recederet Ariana, qui superbè inter cetera respondit: Nos jubere volumus, non juberi. Et Nuncios nec audire, nec videre voluit.

Pars VI.

ANastasius itaque duas Cathedrales Ecclesias suo tempore condidit, vocatas ab illo Anastasionopolim, unam in Gallitia Asiæ, aliam in Rodope. Vigesimo quinto annorum Imperii sui fulmine periit.

Pars VII.

JUstinus Senior Imperium suscepit Anno Domini DXIX. Ad hunc misit Hormisda Papa Legationem, ut Episcopos, quos Anastasius exulare coëgerat, ad proprias revocaret Ecclesias, quam cum grandi lætitia suscepit, & honorabiliter remisit.

Pars VIII.

HIs quoque diebus claruit Boëtius Vir Consularis conspicuus in utraque lingua eruditione omnium liberalium Artium, quas pæne omnes à Græco in Latinum transtulit, exposuit. Cujus tempore exorta est Hæresis de Trinitate; sed ipse congregata omnium Synodo se subtraxit, ne sibi propter facundiam eloquentiæ, causæ imponerentur agendæ: ob quam causam cùm suspectus à Christicolis haberetur, composuit contra ipsos Hæreticos librum de Sancta Trinitate. Cùm igitur Theodorico Regi Boëtius plus ceteris resisteret, in exilium missus Papiæ incarceratus est, ubi librum de Consolatione edidit. Tandem tamen ab eodem Rege interemtus est.

Pars IX.

MArcellinus autem Episcopus annis XV. Aquilegiensi præfuit Ecclesiæ.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Pontificatu Stephani, habens partes XIV.

STephanus Episcopus Aquilegiæ creatus est Anno D. N. J. C. DXXI. Hic de Mediolano originem duxit.

Pars I.

HUjus tempore Istriorum gens Barbarorum invasionibus graviter afflicta in Caprariam Insulam secedunt, & domos construunt, & in gloriam Catholici Principis fundatum Oppidum, Justinopolim vocaverunt.

Pars II.

EOdem tempore apud Africam Catholica reformatur Ecclesia; nam defuncto Transimundo Rege Ariano successit Hildericus filius ejus ex captiva filia Valentiniani Principis ortus, quem Pater moriens voluit affligere, ne Catholicæ faveret Ecclesiæ; at ipse priùs quàm Regni jura susciperet, universos Episcopos in exilium missos restituit, & Catholicam Ecclesiam in Africa reformavit, quæ LXXIV. annis fuerat destituta. Justinus similiter in Oriente cœpit satagere, ut Hæreticorum nomen extingueretur.

Pars III.

JOhannes natione Tuscus sedit annis II. mensibus VIII. diebus XVIII. Cessavit Episcopatus diebus VIII. Hic à Theodorico Rege Gothorum cum Viris Consularibus missus est ad Justinum Imperatorem petitum, ut Ecclesias redderet Arianis; alias totam Italiam gladio feriret. Contigit autem in Corintho, ut quidam Nobilis concederet ei equum conjugis; sed equus redditus, post Pontificem portare noluit mulierem; ideo Papæ missus est. Susceptus est autem ab omni civitate Constantinopolitana à milliario XV. cum Cereis, & Lampadibus, & Crucibus. Justinus quoque humiliavit se, & adoravit pronus in terra Johannem Papam. In conspectu autem omnium ad Portam quæ Aurea vocatur, roganti cœco lumen indulsit. Impetratis igitur cunctis, pro quibus iverat, Ravennam rediit. Theodoricus interim Symmachum, & Boëtium occidit. Johannem verò Papam, qui cum tanta gloria susceptus fuerat, carceris afflictione peremit; sed citò postea vidit eum quidam solitarius nudum, & discalciatum à Papa Johanne in olla Vulcani mergi.

Pars IV.

HUic Athalaricus nepos ejus in Regno Gothorum successit.

Pars

Pars V.

APud Mutalapsis Civitatem Cappadociæ Vir Sanctus Sabbas, qui diu Monasticam, & Eremiticam duxerat vitam, puritate, meritis, & abstinentia corporis omnibus post futuris eximiæ Sanctitatis reliquit exempla, cujus corpus sub Marino Mauroceno Duce Venetias delatum est.

Pars VI.

FElix natione Sabinus sedit annis IV. mensibus III. Cessavit Episcopatus diebus XV. Hic constituit, ut infirmi ante transitum ungantur oleo Sancto. Ipse excommunicavit Antimum Constantinopolitanum Episcopum, quia Arianus esset.

Pars VII.

BEata Brigida in Scotia virgo hoc tempore obiit.

Pars VIII.

JUstinus itaque Catholicus Imperator elapsis annis X. à sua creatione apud Constantinopolim moritur.

Pars IX.

JUstinianus ex sorore Justini nepos ejus successit anno DXXVIII. Hic ad reparandam Rempublicam animum accendit, & primò per Bellisarium Patricium Persas aggressus est, & devicit; & Libros Romanarum Legum in uno volumine, quem Justinianum Codicem vocavit, abbreviavit.

Pars X.

COrpus Sancti Antonii Monachi hoc tempore revelatum in Alexandria, vel in Constantinopoli, ut quidam scribunt, in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ collocatur.

Pars XI.

CRates Rex Herulorum, & alius quidam Rex Hunnorum, qui Vosforum Urbem inclytam gubernabat, Constantinopolim venientes baptizati sunt.

Pars XII.

BEllisarius etiam Vandalos cum Gelimere Rege eorum delevit, & Carthaginem, & totam Africam Romano restituit Imperio.

Pars XIII.

BOnifacius II. natione Romanus sedit annis II. diebus XXVI. Cessavit Episcopatus diebus VI. Hic constituit, ut Clerici à Laicis sint divisi in celebratione Missæ. Item quòd electio Papæ post tres dies fiat propter periculum evitandum.

Pars XIV.

HIc quoque Stephanus Episcopus aliquando in Aquilegia, aliquando in Grado residens, annis XII. mensibus III. diebus XV. Pontificatum tenuit Aquilegiensem.

CAPITULUM NONUM.

De Pontificatu Laurentii dicti Mauri, habens partes VII.

LAurentius Episcopus, qui alio nomine Maurus dictus est, confirmatus fuit Anno Domini DXXXIV. Hic in Pola Urbe Istriæ natus hoc tempore hunc Præsulatum obtinuit.

Pars I.

JOhannes nunc natione Romanus sedit annis II. mensibus II. diebus VI. Cessavit Episcopatus diebus VII.

Pars II.

INter hæc Athalaricus Rex Gothorum in tutela Justiniani Augusti cum Matre Amalasuinta susceptus ab Hilderico Rege Franciæ Narbonæ superatus est, & obiit, cujus mater de conniventia Principum Theodatum suscepit in Regnum, qui licèt esset Hæreticus, pacem tamen Catholicæ concessit Ecclesiæ.

Pars III.

AGapitus natione Romanus sedit mensibus XI. diebus XVIII. Cessavit Episcopatus dieb. VI Hunc Theodatus Rex, qui Amalasuintam Reginam exiliaverat, & in balneo postea occidi fecerat, pro impunitate impetranda sceleris ad Justinianum direxit. Accedens igitur Papa, reperiit Augustum in Euthychis dogma corruisse; unde ait, desideravi ad Justinianum Imperatorem Christianissimum venire; sed inveni Diocletianum. Justinianus itaque, licèt priùs minatus fuisset Papæ, tamen denique ad Fidem Catholicam reversus, Anthemium Constantinopolitanum Episcopum hæresis defensorem in exilium misit; Papa autem quidquid voluit à Justiniano obtinuit, & ad ejus preces Mennam Episcopum subrogavit. Ibique defunctus est, & postea Romam translatus.

Pars IV.

SYlverius natione Campanus ex Patre Hormisda Summo Pontifice sedit ann. I. mensibus V. diebus XI. Hic quia Anthemium Episcopum restituere noluit, procurante Theodora Imperatrice, consentiente Archidiacono ejus, qui Papatum ambiebat, Monachali veste indutus missus est in exilium in Insulam Ponti, ibique obiit.

Pars V.

THeodatus Rex ob commissum in Reginam scelus jussu Justiniani à Bellisario occisus est. Vitigis igitur in Regno successit, & Ravennæ filiam Amalasuintæ in conjugem sumit.

Pars VI.

VIgilius natione Romanus sedit annis XVII. mensibus VI. diebus XXVI. Cessavit Episcopatus mensibus III. diebus V. Hic constituit Missam celebrari in parte Orientali. Quo tempore Bellisarius de Africa victor rediens, de multis Thesauris acquisitis Crucem auream centum librarum Beato Petro obtulit.

Pars VII.

HIc itaque Episcopus Aquilegiensis dum sedisset annis IV. mensibus V. de hoc sæculo emigravit.

CAPITULUM DECIMUM.

De Pontificatu Macedonii, habens partes XX.

MAcedonius Episcopus Aquilegiensis subrogatus est Anno Domini DXXXIX. Hic natione Macedonicus factus Episcopus multas suo tempore tribulationes substinuit, & in Grado Ecclesiam in honorem Sancti Johannis Evangelistæ pulchro opere dedicavit.

Pars I.

BEllisarius quoque vir bellicosus contra Vitigium Regem Gothorum vires direxit, & Neapolim hostiliter cepit, & in Cives acriter desæviit, & Ecclesiarum bona diripuit, quia propter Gothos Cives eum recipere noluerunt. Deinde cùm appropinquaret Romam, Gothi, qui intus erant, Ravennam secretò fugiunt. Quos Bellisarius persequens campestri bello inito de eis victoriam obtinuit, & Vitigium Regem cepit, & Constantinopolim duxit. Et eodem anno tanta fames in Italia fuit, ut Matres carnes manducarent filiorum.

Pars II.

CApto igitur Vitigio, Gothi, qui trans Padum in Liguria habitabant, Hidelbrandum sibi præficiunt, qui eodem anno occisus est.

Pars III.

HUic successit Hercirius, qui illico peremtus est.

Pars IV.

TOtila tunc, qui & Baduilla dictus est, Regnum accepit Gothorum, quem Bellisarius effugavit.

Pars V.

BEllisarius igitur cum Vithigio Rege Constantinopolim rediit, & cum triumpho primò susceptus, postea Justiniano falsò accusatus detinetur, & bona ejus confiscata sunt. Veritate tamen comperta ad suum primum statum restitutus est. Vithigio autem Regi Augustus sedem honorabilem tribuit, ubi tamdem obiit.

Pars VI.

JUstinianus hoc tempore Christo Domino Ecclesiam fabricavit Agiosophiam vocatam secundùm exemplar sibi ab Angelo ostensum, quæ cuncta ædificia ita excellit, ut simile usque in hodiernum reperiri non possit.

Pars VII.

SAnctus quoque Benedictus cum sorore sua Scholastica, & discipulo Mauro eodem tempore floruerunt.

Pars VIII.

ANno autem Justiniani XIII. in diversis Galliarum locis varia signa visa sunt; Cometa apparuit in Paschate, Cœlum ardere visum est; verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum; & secutæ sunt ægritudines cum pustulis, & vessicis, ac glandulis, quæ homines in triduo occidebant; & subsequenter prælibata pestis discurrens invasit Italiam, quæ etiam consequenti anno Græciam, & maximè Constantinopolitanam pariter Urbem afflixit, & ob hoc statuta est solemnitas Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quæ Hypopantis, idest obviatio appellatur, & illico pestis antedicta cessavit.

Pars IX.

INterea Venetiæ Maritimalis Regio propter bellicas Clades Populis aucta in qualibet Insula Tribunos annuales constituit, qui Incolis Justitiam exhiberent. Facta verò in communi tangentia ab omnibus Comprovincialibus congregatis determinari consuetum erat. His navium copia maxima erat, & psalmarum exercitio totis viribus intendebant, ut Cassiodorus Ravennæ Urbis Senator, & postea Monachus, in quadam Epistola, quam eloquenti sermone conscripsit, latiùs dicit, quæ etiam errorem dicentium Venetiam, primò inchoatam fuisse ex adventu Longobardorum, excludit, cujus tenor talis est.

Pars X.

Tribunis Maritimorum, Senator Præfectus Prætorio.

„ DAta pridem jussione censuimus, ut Istria vini, & olei species, quarum præsenti anno copia indulta perfruitur, ad Ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos, qui innumerosa navigia in ejus confinio possidetis, pari devotionis gratia providete, ut quod illa parata est nobis tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utrisque gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo promtissimi ad vicina, qui sæpe spatia transcurritis infinita; per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per Patriam navigatis. Accedit etiam commodis vestris, quòd vobis aliud iter aperitur perpetua securitate tranquillum; nam cùm ventis sævientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amœnissima fluviorum. Carinæ vestræ per flatus asperos non pavescunt. Terram cum summa felicitate attingunt; & perire nesciunt, quæ frequenter impinguat. Putatur eminus quasi per Prata ferri, cùm eorum contigit alveum non videri. Tractæ funibus ambulant, quæ stare rudentibus consueverunt, & conductione mutata pedibus juvant homines naves suas: vectrices sinè labore trahunt, & pro favore Velorum utuntur passu prosperiore Nautarum. Juvat referre, quemadmodum habitationes vestras sitas esse prospeximus. Venetiæ prædicabiles quondam plenæ Nobilibus ab Austro Ravennam Padumque contingunt; ab Oriente jucunditate Jonii litoris perfruuntur, ubi alternus æstus egrediens modò claudit, modò aperit faciem reciproca inundatione camporum. Hic vobis aquatilium avium more domus est; nam qui nunc Ter-

„ restris, modò cernitur Insularis, ut illic magis existimes esse Ciclades; ubi subitò locorum facies respicis immutatas; earum quippe solitudine per æquora longè patentia domicilia videntur sparsa, quæ non natura protulit, sed hominum cura fundavit. Viminibus enim flexilibus illigatis, terrena illis soliditas aggregatur, & marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi. Scilicet quando vadosum litus moles arcere nescit undarum, & sine viribus fertur quod altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus igitur una copia est, ut solis piscibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus sub æqualitate convivit; unus cibus omnes reficit: habitatio similis universa concludit; nesciunt de penatibus invidere, & sub hac mensura degentes evadunt vitium, cui Mundum constat esse obnoxium. In Salinis autem exercendis tota contentio est. Pro aratris, pro falcibus cilindros volvitis. Inde vobis fructus omnis enascitur, quando in ipsis & quæ non facitis possidetis. Moneta illic quodammodo percutitur victualis; arti vestræ omnis fructus additus est. Potest aurum aliquis quærere, nemo est qui salem non desideret invenire: meritò quando isti debetur omnis cibus, qui potest esse gratissimus; proinde naves, quas more animalium vestris parietibus illigastis, diligenti cura reficite, ut cùm vos vir expertissimus Laurentius, qui ad procurandas spes directus est, commonere temptaverit, festinatis excurrere, quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris compendium vobis eligere potestis itineris.

Pars XI.

HOc tempore Vigilius Papa, quia secundùm promissionem suam noluit Anthemium restituere, Constantinopolim ignominiosè mittitur; & cùm nollet illum restituere, de Ecclesia Sanctæ Sophiæ, ad quam confugerat, extrahitur; & misso fune in collo ejus, per Civitatem à mane usque ad vesperas tractus, missus est in exilium in Illyrico; Sic enim malum, & ambitiosum purgavit introitum.

Pars XII.

TOthila autem Rex Gothorum, collecto exercitu, per Campaniam in Siciliam transiens, Romam obsedit in tantum, ut inedia coactæ matres natorum carnes comederent; Sed Romanis denique non volentibus tolerare, Rex Urbem intravit. Tunc Senatorum aliqui ad Imperatorem vadunt, & ut Urbi subveniatur implorant.

Pars XIII.

JUstinianus itaque Narsetem Eunuchum Cubicularium suum in Italiam cum exercitu mittit. Is autem Longobardorum potitus favore cum Gothis conflixit, quibus ad interemtionem deletis, Regem Tothilam, qui jam ultra annos X. regnaverat, interemit; & finitum est Regnum Gothorum in Italia.

Pars XIV.

SImiliter Theudepertus Rex Francorum Bucelinum, & Aumigum Duces ab subjicien-

A dum Italiam miserat; sed à Narsete superati sunt. Tertius Dux Lautherius fugiens inter Veronam, & Tridentum juxta Lacum Benacum mortuus est. Et propter insignes victorias, quas Narses obtinuerat, à Justiniano Patriciatûs honore decoratus est.

Pars XV.

INter Venetos & Ligures antiquata consuetudo inoleverat, ut Aquilegiensis, & Mediolanensis Episcopi se mutuò consecrarent, ita tamen quòd consecrator ad Ecclesiam accederet consecrandi. Contigit interea, defuncto Datio Mediolanense Episcopo, quòd Narses vir Catholicus, videns Italiam plurimis repletam erroribus, novi Præsulis electionem, irrequisito Imperatore, fieri non permisit; sed ejus suscepto consensu Honoratum electum Episcopum ad se venire fecit, & contra antiquam consuetudinem in Ravenna ipsi electo ab hoc Macedonio Aquilegiensi Episcopo munus consecrationis impendi jussit, sicut testatur Pelagius Papa in quadam Epistola Narseti Patricio: *Recolere enim debet Celsitudo vestra quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo & Istriam, & Ravennam Tyranno Tothila possidente, Francis cetera cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad Clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset ejus iterum scriptis recognovissetis, & intra ubique ferventes hostes, Ravennam, tam & is, qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, Providentia culminis vestri deducti sunt.*

Pars XVI.

AD supplicationem Romanorum Vigilius Papa ab exilio revocatus, in Constantinopoli quintam universalem Synodum CLXV. Patrum celebravit contra Theodorum Mesopotanicum Nestorii discipulum, qui dicebat, aliud esse Verbum, aliud esse Christum, & negabat Virginem Dei Genitricem, & contra Origenem, Evagrionem, & Didymum, ac adversus alias hæreses, in qua etiam quæ Chalcedonense Synodo decreta fuerant, comprobata sunt.

Pars XVII.

VIgilius Papa denique Romam rediens in Syracusa Urbe Siciliæ calculi dolore afflictus moritur, & Romam translatus est.

Pars XVIII.

PElagius natione Romanus sedit annis XI. mensibus X. diebus XVIII. Hic cùm alii in Urbe non essent, ordinatus est solùm à Johanne Episcopo Perusino, & Bono Episcopo Feretrano, & Andrea Presbytero Ostiense, & ab ejus communione Religiosorum, Sapientum, & Nobilium multitudo se subtraxit. Propterea consilio Narsetis Patricii ad Sanctum Pancratium ordinata est Letania, & cum Hymnis, & Canticis pervenerunt ad Ecclesiam Sancti Petri, in qua Pelagius inculpatus de morte Vigilii Papæ, tangendo Crucem coram omni Populo se purgavit.

Pars XIX.

HOc tempore Schisma maximum in Venetia, & Liguria, & Istria exortum est, quia Macedonius Aquilegiensis Episco-

 pus,

Pus, & Honoratus Mediolanensis, & Johannes Ravennas Episcopi cum suis Suffraganeis tria Capitula Chalcedonensis Synodi, quæ in Concilio nuper Constantinopoli peracto comprobata fuerant, confiteri, & recipere renuebant. Erga quos Pelagius Papa, cùm eos corrigere non posset, statuit, ut Hæretici, & Schismatici puniri debeant per Seculares Potestates, & ad hoc exequendum Narsetis Patricii invocat auxilium, dicens: *De Liguribus, Veneticis, atque Istricis Episcopis quid dicam, quos idonea est excellentia vestra & ratione, & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemtum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari? cùm si quid eos de Judicio universalis Synodi Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, fortè movebat Apostolicam Sedem, quomodo semper est factum, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possint, dirigere debuerunt, & non clausis oculis Corpus Christi Domini Nostri, hoc est Sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare hujuscemodi homines Principali, vel Judiciali auctoritate comprimere, quia regulæ Sanctorum Patrum hoc specialiter constituerunt, &c.*

Pars XX.

HIc Macedonius Episcopus, dum sedisset annis XVI. mensibus V. diebus V. durante Schismate defunctus est.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Pontificatu Pauli, habens partes XX.

PAulus Episcopus Aquilegiæ factus est. Anno Domini Nostri DLVII. Hic in Roma natus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & in divisione propter Schisma electus contra morem Episcopus ab Honorato Mediolanense Pontifice consecratus est. Quem Pelagius Papa execratum, & non consecratum fuisse asseverat. Cùm itaque Narsis Patricius vir Catholicus vellet hoc tempore Ecclesiam intrare, à Schismaticis Episcopis prohibitus est, dicentibus eum communicasse Pelagio, qui dum hæc illi scripsisset, ab eo tale obtinuit responsum: *Relegentes literas Excellentiæ vestræ, de injuria quadam, quam vobis iniquorum hominum præsumtio ingessit, valde doluimus. Sed quia scimus occulto Dei judicio animam vestram, & si per aliorum iniquitatem & superbiam à contaminatione Schismatis custoditam, egimus Omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis artibus hominum bona operari consuevit.* Et infra: *Ecce de quo Collegio sunt, qui quantum ad superbiam suam injuriam vobis inferre moliti sunt, & quantum ad providentiam Dei impollutos vos Ecclesiæ servaverunt. Auferte tales ab ista Provincia; utimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione: quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad Clementissimum Principem dirigantur, & maximè Ecclesiæ Aquilegiensis invasor, qui in Schismate, & in eo maledictus nec poterit honorem retinere nec meritum.*

Pars I.

CUm verò Narses timens manum in Clerum injicere, scripta per Pelagium Papam differret implere, Pelagius denuo sic eidem rescripsit: *Istud est quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus, ut Paulum Aquilegiensem Pseudoepiscopum, & Honoratum Mediolanensem Episcopum ad Clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis, & ut iste, qui Episcopus esse nullatenus potest, qui contra omnem Canonicam consuetudinem factus est, alios ultra non perdat, & illum, qui contra morem antiquum eum ordinare præsumsit, Canonum vindictæ subjaceat.*

Pars II.

ANno Justiniani XXXVI. Narses Veronam, & Brixiam Civitates Venetiæ, quæ per Gothos adhuc detinebantur, obtinuit.

Pars III.

JOhannes eodem anno sedit annis XII. mensibus XI. diebus XXVII. Cessavit Episcopatus mensibus X. diebus III. Hic præparavit Cæmeteria Sanctorum Martyrum.

Pars IV.

NArses etiam Sindual Regem Brentorum, qui adhuc de Herulorum stirpe supererat, quos Odoacer in Italiam veniens secum adduxerat, bello devicit. Huic Narses sibi fideliter adhærenti multa beneficia contulit; sed novissimè superbè rebellantem ipsum captum laqueo suspendit.

Pars V.

CEterum Narses vir justus & Religione Catholicus, ac in reparandis Basilicis studiosus, ditatus de spoliis Gothorum, & ceterorum Barbarorum, quos deviceràt, extra Urbem Ravennæ ad duo passuum millia Ecclesiam S. Vitalis Martyris, & in Classe Ecclesiam Sancti Apollinaris devotissimè fabricavit.

Pars VI.

HIc postea in Regione Maritima accedens, quia incolas sibi astitisse cognoverat, in Rivoalto duas in eadem Tumba construxit Ecclesias, unam in honorem Sancti Theodori Martyris, quæ hodie infra mœnia Ecclesiæ Sancti Marci inclusa est, & aliam sub vocabulo Sanctorum Mennæ Martyris & Geminiani Episcopi, secus rivum, quæ postea ducante Vitale Michaële secundo Duce, obturato rivo, in Capite Brolii reædificata est.

Pars VII.

JUstinianus igitur Augustus multis obtentis Victoriis, Alamannicus, Gothicus, Germanicus, Vandalicus, Alanicus, Persicus, & Africus meruit appellari. Cùm autem tenuisset Imperium annis XXXVIII. sibi substituto Justino nepote in pace mortuus est.

Pars VIII.

JUstinus Justiniani nepos cum Sophia conjuge sua coronatus est à Johanne Patriarcha Constantinopolitano anno Domini DLXVI. Hoc tempore Narses Patricius cùm ab incursu diversorum hostium totam quietam reddidisset Italiam, & specialiter à Gothis, auxilio Longobardorum, quos advocaverat, quibus & priùs con-

confœderatus erat, pro magnis beneficiis invidiam pertulit à Romanis. Mittitur igitur Justino, quia melius erat Romanis cum Barbaris esse, quàm cum Narsete: propter quod ab Imperatore deponitur, & Longinus Præfectus substituitur. Sophia quoque Imperatrix hanc exprobationem sibi misit, quòd cum puellis suis eum nere faceret. Cui Narses: Et ego talem ordiri telam procurabo, quam in vita tua deponere non valebis. Unde Neapolim secedens Longobardis mandavit, ut pauperrima Pannoniæ rura desererent, & ad Italiæ fertile solum confluerent: quod & fecerunt, commendantes terram amicis suis Hunnis. Tunc etiam cum Persis dissidium ortum est.

Pars IX.

FUerunt autem Longobardi gens quædam Germanica plurimum populosa, quæ de litoribus Oceani in parte Septentrionali egressa de Insula Scandinavia per bellorum multa certamina, diversarumque terrarum circuitum, tamdem pervênit Pannoniam, & ultra non audens procedere, sedem sibi habitationis ibidem constituit. Cùm enim in dicta Insula multiplicati habitare non possent, deliberato consilio per sortem tertiam partem ejiciunt sub Ducibus Agion & Ibor, quorum mater fuit sapientissima vocata Gamera, post quos regnavit Agelmundus.

Pars X.

HI quidem primò dicti sunt Guinuli, postea Longobardi; erat enim eis consuetudo longas portare barbas. Cùm igitur aliquando exploratores venissent, præcepit Alboinus eorum Rex, qui Glotosidam natam Clotharii Regis Francorum uxorem duxerat, ex qua habuit unicam filiam, ut omnes mulieres solutos crines circa mentum ducerent, ut homines ab exploratoribus putarentur; indeque Longobardi à longis barbis dicti sunt; Bardi enim illa Lingua sonat barbam. Hi asperrimi homines fuere, crudis vescentes carnibus, induti hispidis brutorum coriis, numquam incedentes absque arcu & sagittis. Hi primò in Regione Scoringa consederunt. Tunc Abrutasius Vandalorum Rex vicinas quasque Provincias opprimebat, & elatus victoriis mittit Guinulis, ut tributum reddant, vel ad bellum se parent. Commisso autem decies bello, Guinuli victores fuere.

Pars XI.

ORta deinde fame in Monrigiam Provinciam transire disponunt; sed Assipidi per suos terminos transitum prohibent. Guinuli illorum multitudinem formidantes, nec congredi audentes, Cynocæphalos se habere simulant, idest homines canina capita habentes, & humanum sanguinem sitientes, & pertinaciter bella agentes. Hoc vulgato partes convenerunt, ut exhiberent Guinuli unum ad singulare certamen; & si victus fuerit, redeant; si victor, procedant. Igitur servus ex Guinulis petit, si vicerit, libertatem: pugnat & superat. Tunc transierunt in Monrigiam, ubi modicum immorati duas transierunt Provincias Altriph, & Bathaël, & in Burgundiam pervenerunt, ubi aliquamdiu morati sunt.

Pars XII.

INterea mortuis duobus prædictis Ducibus creaverunt Regem Algimundum filium Guionis, & tamdem tempore Justiniani Alboinus primus intravit Pannoniam, & victis Gepidis petiit ejus filius Alboinus ad mensam sedere Patris, quia Turismundum filium Turismundi Regis Gepidarum stravisset; cui respondit Alboinus, suorum esse morem non priùs sedere, quàm arma sumsisset à Rege exteræ nationis. Quo audito Alboinus ad Turismundum accessit, & in convivio loco filii ejus, quem occiderat, sedit. Processu convivii Rex ait, locum sibi amabilem, sed personam ibi sedentem ad videndum gravem; & tamen volentes vindictam expetere, Gepidos prohibuit, dicens: non esse victoriam Deo gratam in propria Domo hostem perimere. Et tamdem simulata lætitia, ac completo convivio, petita filii arma Alboino dedit, & conviva Patris effectus est. Gessit autem Alboinus fortis & strenuus bellum contra Regem Gepidarum, eumque occidit, & contrivit ejus exercitum, filioque ejus laboranti pro Patris vindicta mortem intulit, & Gepidarum Regnum ad nihilum reduxit. Concordaverunt enim cum Avaribus, qui postea Hunni dicti sunt, filiamque ejus Rosimundam captivam duxit in uxorem, mortuâ Glotosindâ filiâ Clotharii Regis Franciæ; & de capite Patris cuppam sibi fecit, & argento inclusit, & de ea bibebat.

Pars XIII.

ALboinus igitur recepta Legatione Narsetis, Pannoniam deseruit An. Domini DLXVIII. postquam XLII. annis ibi constiterant, ea conditione, quòd si eos redire contingeret, Hunni possessiones sibi restituerent. Duxitque secum de Saxonibus 20. millia hominum cum uxoribus & filiis; qui cùm ad extremos Italiæ fines pervenissent, montem ascendit, ut contemplaretur Italiam, qui Mons propterea Mons Regis appellatus est. Et postea ingressus Venetorum antiquam Provinciam, in Forojulii, quæ in ostio ejus est, Ghisulphum nepotem suum Ducem constituit, ubi hic Paulus Aquilegiensis Episcopus sedem tenebat, qui Longobardorum adventum abhorrens ad Castrum Gradense profugit cum Corporibus Sanctorum Hilarii, & Cantiani, & aliorum Sanctorum, & omni Thesauro Ecclesiæ.

Pars XIV.

EAdem clade vir devotus Geminianus Presbyter de Trigestina Urbe jam in solitudinem reddita corpora XLII. Martyrum divina revelatione inventa auferens, & de Aquileja Sanctorum Cantiani, Cantii, & Cantianillæ, & Sanctarum Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ, & Herasmæ corpora in Grado portavit.

Pars XV.

INde Alboinus Tarvisium processit, & Felici Episcopo petenti super bonis Ecclesiæ privilegium concessit, & scripto firmavit. Hic Felix cum Fortunato socio carissimo, cùm ambo in oculis paterentur, intrans Ecclesiam Sancti Martini, de oleo lampadis ejus sumens, ex devotione infirmos linivit oculos, & sanati sunt: ob quam causam Fortunatus Turonensis vadens ad

ad visitandum limina Beati Martini, propter bonitatem & scientiæ probitatem ibi primò Sacerdos, deinde Episcopus factus est.

A

Pars XVI.

CEterum Alboinus ultra progressus, Vincentiam, & Veronam, Brixiam, & Bergamum Urbes Venetiæ obtinuit.

Pars XVII.

POstea cùm Alboinus in Liguriam tenderet, Honoratus Mediolanensis Episcopus, videns Urbem suam ad deditionem coactam, Januam fugam arripuit, eâque captâ Rex Ticinum obsedit per III. annos, & tamdem obtinuit. Ubi cùm per Portam ingrederetur, equus cecidit non resurgens, licèt calcaribus stimulatus: quod Deo volente factum est ob reprobum ejus votum; voverat enim se omnem hominem occisurum, qui se suo gladio non submitteret; sed impio voto rescisso equus surrexit extemplo.

B

Pars XVIII.

EO anno, quo Longobardi intraverant Italiam, tanta fuit ubertas, quantum nulla meminit ætas. Igneæ etiam acies in Cœlo apparuerunt humano sanguine, qui postea effusus est, coruscantes.

C

Pars XIX.

INterea furente Longobardorum sævitia antiquæ Venetiæ plurimi Proceres, & Populi multitudo, illorum declinantes furorem, Marinas Insulas petierunt. Cùm igitur multiplicatis incolis habitatæ Insulæ non sufficerent, Tumbas in Lubrio situatas nuper augere cœperunt, duasque construxerunt Ecclesias, unam in honorem Crucis, aliam verò sub vocabulo Sanctorum Hermacoræ, & Fortunati, qui in Aquileja Civitate ut Patroni, & Defensores ab universis summa reverentia colebantur.

D

Pars XX.

HIc Paulus Episcopus propter afflictiones Populi sui in anxietate positus, cùm tenuisset sedem annis XII. in Grado, obdormivit in Domino, cujus Sepulchrum in eodem loco præsentialiter exstat.

CAPITULUM DUODECIMUM.

De Pontificatu Probini, habens partes VII.

PRobinus Episcopus Aquilegiensis consecratus est Anno Domini DLXIX. Hic in Benevento natus, & Romanæ Ecclesiæ ordinatus, postea constitutus à Catholico Clero, & Populo, qui propter Longobardorum invasiones in Grado confugerant, hoc tempore electus, & intronizatus est.

E

Pars Prima.

PEr idem tempus cùm Alboinus Rex maximam partem sibi subjecisset Italiæ, præparato Veronæ convivio magno, fecit Rosim undam Conjugem suam in capite Patris bibere. Illa concepto odio Helinichis Ducis Alboini, qui cum quadam Domicella de domo Regis commisceri solebat, se nocte subjecit illa absente, & perpetrato scelere ait: aut in Patris mei vindictam Alboinum occides, aut ejus gladio morieris. Ille igitur ejus cameram intrans Regem occidit, & cum Rosimunda & Absvinda Regis filia Regales thesauros spolians Ravennam fugit, ubi Rosimunda pulchrum Longini Præfecti Ravennæ filium concupiscens venenum dicto Duci dedit, cujus amaritudinem ille degustans, jubet illam residuum sumere. Recusantem quoque, evaginato gladio coëgit; sicque ambo periere.

Pars II.

LOnginus itaque Præfectus Absvindam cum Longobardorum Thesauris Constantinopolim ad Imperatorem destinavit.

Pars III.

GEns autem Longobardorum in Ticini invenientes Cleph virum strenuum sibi Regem statuerunt. Hic multos Romanorum gladio occidit, & plurimos exulare coëgit, tenuitque Regnum anno uno.

Pars IV.

DEfuncto Cleph Longobardi in Regis electione discordes sub Ducum regimine per decennium permanserunt, qui multa bella Burgundionibus, Francis, Saxonibus, ceterisque finitimis intulerunt, & pertulerunt ab eis.

Pars V.

CIrca hæc tempora Narses vir Catholicus in Italia mortuus est, cujus corpus in locello plumbeo Constantinopolim delatum est.

Pars VI.

FUrente namque hac persecutione Probinus Episcopus dum sedem tenuisset anno uno, mensibus VIII. in Grado vitam finivit, ibique sepultus requiescit.

Pars VII.

QUia verò subsequenti Episcopo hæc Metropolitana sedes auctoritate Papali de Aquilegia in Gradum translata est: ideo hoc libro fine debito concluso sub novæ sedis Præsule alium Librum inchoabimus.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER SEXTUS

CONTINENS CAPITULA XI.

CAPITULUM PRIMUM.

De Pontificatu Heliæ, habens partes XXII.

HElias Aquilegienſis Epiſcopus renunciatus eſt An. Dom. DLXXI. Quo tempore cùm Provinciales Epiſcopi à ſedibus ſuis pulſi pro novi Præſulis electione convenire minime potuerunt; ſed qui remanſerant in Grado, unà cum Clero, & Populo hujus Eccleſiæ convenientes, hunc natione Græcum, moribus & ſcientia circumſpectum, Pontificem elegerunt, credentes propterea votis Imperialibus ſatisfacere, à cujus Imperii obedientia, unà cum Romanis, & Ravennatibus nullo tempore defecerunt, & contra Longobardos, requirentibus Patritiis ab Imperio miſſis, continuò affuerunt.

Pars I.

HIc etiam literas ſuſcepit, quas Africanum Concilium delegabat Paulo, & Probino Prædeceſſoribus, requirens, qualis modus eſſet ſervandus in lapſis Epiſcopis, ſeu ceteris Eccleſiaſticis Ordinibus ad unitatem Eccleſiæ redeuntibus. Quibus hic Epiſcopus complacere anhelans, vix ſex Provincialium Epiſcoporum, propter invaſionis furorem, invenire potuit; & propter hoc excuſatorias literas illis miſit, dicens, quòd cùm copiam ſuorum ſuffraganeorum habere poterit, eorum votis pleniùs complacebit.

Pars II.

SEquenti anno Juſtinus vir avarus archas ferreas faciens, in Hæreſim Pelagianam inceſſit, & juſto Dei judicio effectus amens, Tyberium Cæſarem fecit.

Pars III.

BEnedictus natione Romanus ſedit annis III. menſe I. diebus XVIII. Ceſſavit Epiſcopatus menſibus IV. diebus XI.

Pars IV.

ARmeni hoc tempore ad Fidem convertuntur.

Pars V.

JUſtinus quoque XII. ſui Imperii anno Conſtantinopoli mortuus eſt.

Pars VI.

TIberius Secundus qui & Conſtantinus, natione Thracius, jam à Juſtino Cæſar factus, & in filium adoptatus, Imperium obtinuit Anno DLXXVIII. Hic vir Catholicus in Conſtantinopoli multas ædificavit Eccleſias, & intravit potentiſſimè Regnum Perſarum, & tantam ſpoliorum multitudinem retulit, quæ poſſe ſatiare humanam cupiditatem putaretur. Fuit etiam in pauperes liberaliſſimus; & redargutus

A à Sophia Auguſta, quòd Rempublicam diſſiparet, reſpondit: Confido in Domino, quòd Fiſco noſtro non deerit pecunia, ſi de his, quæ Dominus contulerit, eleemoſynas faciemus. Et cùm tranſiret per Imperiale Palatium, vidit marmoream tabulam habentem Crucem inſculptam, & juſſit eam elevari, ne pedibus conculcaretur; & ſub illa vidit ſimiliter ſecundam & tertiam, & ſub illis inæſtimabilem Theſaurum reperit. Hic vaſtatâ à Longobardis Italiâ multas naves oneratas frumento in Ægypto miſit Romanis fame laborantibus.

Pars VII.

B PEr hos dies Longobardi, qui in Regis electione in diſcordia fuerant, ad unitatem reverſi Authari elegerunt, qui & Flavius dictus eſt, Clephonis genitum Regem ſtatuerunt, promittentes ſubditi Duces electo Regi ſuorum proventuum dimidium tribuere, ut Longobardos terminos non ſolùm conſervaret, ſed etiam augeret.

Pars VIII.

PElagius Secundus natione Romanus ſedit annis X. menſe I. diebus X. Ceſſavit Epiſcopatus menſibus VIII. diebus XXV. Hic ordinatus fuit abſque juſſione Principis, quia hoc tem- C pore Roma à Longobardis obſeſſa erat.

Pars IX.

HIs diebus Longinus Imperialis Præfectus in Conſtantinopoli rediens in Rivolatum pervênit, ubi ab incolis, quos in factis Imperii ſibi noverat adſtitiſſe, dignè receptus eſt, & cum eorum navigio ad Imperatorem acceſſit, & Venetorum devotionem plurimum commendavit. Huic Longino in officio ſucceſſit Smeraldus Patricius.

D *Pars X.*

HOc tempore itaque Helias venerabilis Epiſcopus Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ in domum pro ſua habitatione in Grado conſtruxit, & conſultu, & decreto Pelagii Papæ II. Epiſcoporum Concilium celebravit in ipſa Eccleſia Sanctæ Euphemiæ, quam, tranſlata ſede, totius Venetiæ, & Iſtriæ Metropolim auctoritate Papali de voluntate Synodi inſtituendam propoſuit, prout ex infraſcriptæ conſtitutionis tenore, quam, ut naſcentis Eccleſiæ dignitas apud poſteros memorabilis habeatur, ſicut in authenti- E cis & vetuſtiſſimis Codicibus reperimus, ſingulariter deſcribemus.

Pars XI.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummi æterni Dei noſtri.

„ IMperante Domino noſtro Sereniſſimo Ty-
„ berio Conſtantino Auguſto Anno Imperii
„ ejus V. eodem Conſule ſub die III. Nonarum
„ Novembrium Indictione decima tertia. Cùm
„ in

,, in Civitate Gradensi Helias Episcopus Sanctæ
,, ejusdem novæ Aquilegiensis Ecclesiæ, unà
,, cum Martiano, Leoniano, Petro, Vindemio,
,, Virgilio, Joanne, Charissimo, Patricio, &
,, reliquis Episcopis, & Sacerdotibus, quorum
,, nomina subscriptiones propriæ manifestant in
,, Concilium convenissent, & in nova Basilica
,, Sanctæ venerabilis Martyris Euphemiæ con-
,, sedissent, sedentibus quoque Presbyteris plu-
,, rimis, astantibus Diaconibus, propositis in
,, medio Sacrosanctæ Ecclesiæ Evangeliis, He-
,, lias primæ Sedis Episcopus dixit: Ineffabilia
,, sunt opera Domini nostri Jesu Christi, qui-
,, bus misericordia & benignitate fragilitatem
,, nostram sustentare dignatur, Sanctissimi Fra-
,, tres. Nam inter angores, quibus Ecclesia
,, Domini circumquaque depressa suspirat, &
,, gentium ferocissimas clades, quæ miseræ no-
,, stræ Provinciæ reliquias quatere, ac devasta-
,, re non cessant, fateor, me non præter spem,
,, sed vel ut verius dixerim supra spem meam
,, ad hunc venerabilem cœtum vestram invitasse
,, sanctissimam Caritatem. Angebar enim, ne
,, quid undecumque votis communibus obstitis-
,, set; verùm quia, ut præfatus sum, Jesus
,, Christus verus Deus, & Dominus noster, su-
,, pra quem credidimus & speravimus, præstitit,
,, ut vestra nunc in illo præsentia perfruamur,
,, dignum duxi, carissimi Fratres, mansuetudi-
,, ni vestræ commemorare, quòd ut prælibavi-
,, mus, intervenientibus malis nostris quotidie
,, hostile perpatimur flagellum. Jam pridem
,, ab Atila Hunnorum Rege Aquileja Civitas
,, nostra funditus est destructa, & postea Go-
,, thorum incursu, & ceterorum Barbarorum
,, quassata, vix respirat, etiam nunc Longo-
,, bardorum nefandæ gentis flagella sustinere
,, non valens. Si ergo consensu Beatissimi Apo-
,, stolicæ Sedis Papæ Pelagii, cui jam ante
,, communem nostram descripsimus necessita-
,, tem, vestræ Sanctitati placeat hanc Civita-
,, tem Gradensem nostram confirmare perpetuò
,, Metropolim, novamque eam vocare Aqui-
,, legiam? Sancta Synodus dixit: Quæ vestra
,, proposuit Beatitudo, omnes pari confirma-
,, mus assensu. Si vestræ Sanctitati placeat,
,, Beatissimi Papæ Pelagii Privilegium pro hac
,, ipsa intentione ab ipso transmissum, in me-
,, dio recitandum deferatur. Laurentius Pre-
,, sbyter Legatus Apostolicæ Sedis repræsentavit
,, vit Privilegium, quod suscipiens Epiphanius
,, Notarius, in medio stans, recitavit Privile-
,, gium Gradensis Ecclesiæ.

Pars XII.

,, PElagius Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Urbis
,, Romæ Episcopus Heliæ Aquilegiensi Pa-
,, triarchæ &c. Condecuit Apostolica modera-
,, mina pia Religione petentibus benevola com-
,, passione succurrere, & poscentium animis ab
,, hac re devotione impertiri assensum (*).
,, Ex hoc enim lucri potissimum à conditore
,, omnium procul dubio promerebimur, si ve-
,, nerabilia loca, opportunò transmutata tem-
,, pore, nostro fuerint studio ad meliorem sinè
,, dubio statum producta. Igitur quia petisti à
,, nobis per missa tuæ venerandæ Fraternitatis
,, brevia, consentientibus in eis Suffraganeis tibi
,, Episcopis, quatenus Gradense Castrum totius
,, Venetiæ fieri, & Istriæ Metropolim, ad re-
,, gendam Sanctam Ecclesiam, atque cum ti-
,, more Dei dispensandam, missa præceptione
,, concedere deberemus. Quapropter vestro
,, compatientes mœrori, necessitudinem, imò
,, etiam rabiem furentium perpendentes Lon-
,, gobardorum, inclinati precibus vestris, per
,, hujus Præcepti seriem suprascriptum Castrum
,, Gradense totius Venetiæ fieri cum omnibus
,, vestræ Ecclesiæ pertinentibus, etiam Istriæ
,, Metropolim perpetuò confirmamus. Statuen-
,, tes ea propter Apostolica auctoritate, sub in-
,, terminatione futuri Judicii, nulli licere no-
,, strorum Successorum, vel alii cuilibet hæc,
,, quæ à nobis decreta sunt, in quoquam de-
,, struere, aut convellere, quæ potiùs firma
,, stabilitate inconvulsa manere definimus, at-
,, que sub Anathematis vinculo perpetuis tem-
,, poribus observanda. Quamobrem hortor te
,, semper relevare oppressos, semper corripere
,, inquietos, ut zizania Dominicam non possint
,, suffocare messem. Gratia Domini nostri Jesu
,, Christi, & omnis Caritas Dei sit semper vo-
,, biscum.

Data XII. Kalendis Maji Imperante Tiberio Constantino Cæsare Augusto.

Pars XIII.

,, QUo perlecto universi Episcopi voce com-
,, pari clamarunt: Exaudi Christe, Pe-
,, lagio vitam; omnes uno consensu San-
,, ctissimi Pelagii præceptionem, & vestram
,, sequimur confirmantes Sententiam. Obser-
,, vandam enim Apostolicam auctoritatem de-
,, cernimus hanc Gradensem Civitatem vestram
,, Metropolim perpetuis temporibus esse. Qui-
,, cumque verò confirmationis hoc nostræ vio-
,, lare decretum præsumserit, anathema. San-
,, cta Synodus ter affirmavit. Fiat, fiat, fiat.
,, Helias primæ sedis Episcopus dixit: Si ve-
,, stræ Beatitudini placet, recitentur etiam ne-
,, cessariæ causæ ad Ecclesiæ statum pertinen-
,, tes, pro quibus vestram unanimem Sanctita-
,, tem ad nos usque similiter fatigari rogitavi-
,, mus. Sed ut magis dispositionum nostrarum,
,, determinata jam sedis hujus quæstione, ritè
,, constent ordiri primordia, recitetur Deo gu-
,, bernante nobis primùm Fides Sanctorum Pa-
,, trum, quæ cunctis actionibus nostris deinceps
,, secuturis velut immobile fundamentum exi-
,, stat de Fide Catholica Sanctorum Patrum.
,, Sancta Synodus respondit: Justissimum est
,, recitari, quod utilissimè provenit audiri.
,, Epiphanius Notarius ex Codice Synodali re-
,, citavit:
,, Sancta, magna, & universalis Synodus, quæ
,, secundùm Dei gratiam, & Sanctionem piissi-
,, morum Christianissimorum Imperatorum no-
,, strorum Valentiniani, & Martiani congre-
,, gata est apud Chalcedoniam Metropolim
,, Bythiniæ Provinciæ in atrio Sanctæ & vene-
,, rabilis Euphemiæ, deffinivit subter annexa.
,, Dominus noster & Salvator Christus notitiam
,, fidei confirmans, Discipulis suis ait. Pacem
,, meam do vobis, pacem meam relinquo vo-
,, bis, ne ullus à proximo suo dissonam doctri-
,, nam pietatis ostendat. Quoniam verò non
,, quiescit nequissimus suam zizaniam spargere,
,, novi aliquid contra veritatem semper inve-
,, niens, ob hoc consuetè Dominus noster pro-
,, videns humano generi, piissimum & fidelissi-
,, mum Principem ad zelum Fidei suscitavit.
,, Qui undique Sacerdotum Principes ad se
,, con-

(*) *Cod. Amb.* animis in hac re devotè, aurem perpendere attentum.

„ convocavit, quatenus gratiâ Domini feliciter „ impetratâ, ab ovibus Christi dogma quidem „ mendacii submoveret, germen autem pietatis, & veritatis pingue efficeret. Quod quidem & fecimus communi decreto dogmatum fugantes errorem; integrum verò Patrum revocantes Fidem CCCXVIII. Patrum „ Symbolum prædicantes, & tamquam domesticos, quòd pietatis hujus compositionem „ receperunt, Patres ascribentes, qui postea „ apud Constantinopolim convenerunt CL. qui „ & ipsi eamdem Fidem subsignaverunt. Definimus igitur ordinem, & omnes formam Fidei conservamus. Hos omnes quoque apud „ Ephesum olim facta est Sancta Synodus, in „ cujus congregatione Præsules fuerunt Sanctæ „ memoriæ Cœlestinus Romanæ Urbis Antistes, „ & Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul, „ agere quidem rectè, & immaculatæ Fidei „ expositionem CCCXVIII. Patrum apud Nicæam simul cum piæ recordationis Constantino Principe congregatorum: obtinuere autem „ etiam CL. Sanctorum Patrum apud Constantinopolim definitam ad interemtionem tunc „ exortarum Hæresum, confirmationem verò „ ejusdem Catholicæ nostræ fidei apud Nicæam „ CCCXVIII. Patrum.

„ Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli & Terræ, (a) „ Filium Dei Unigenitum, qui natus est ex „ Patre ante omnia secula, Deum verum de „ Deo vero, genitum, non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. „ Qui propter nos homines, & propter nostram „ salutem descendit, & Incarnatus est, atque „ humanatus est, & passus est, & resurrexit „ tertia die, & ascendit in Cœlum venturus „ judicare vivos & mortuos; & in Spiritum „ Sanctum. Eos autem, qui dicunt: erat aliquando, quando non erat; & priùs quàm „ nasceretur non erat, & quia exinde extantibus factum est, aut ex alia subsistentia dicentes esse, aut convertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Dei Ecclesia.

„ Helias Sanctæ Ecclesiæ Aquilegiensis Episcopus his gestis subscripsi.

„ Laurentius Presbyter Apostolicæ Sedis Legatus his gestis subscripsi.

„ Marcianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Opitergiensis his gestis subscripsi.

„ Leonianus Episcopus S. Ecclesiæ Tiborniensis his gestis subscripsi.

„ Petrus Episcopus S. Ecclesiæ Altinatis his „ gestis subscripsi.

„ Vindemius Episcopus S. Ecclesiæ Cenetensis his gestis subscripsi.

„ Virgilius Episcopus S. Ecclesiæ Patavinæ „ his gestis subscripsi.

„ Joannes Episcopus S. Ecclesiæ Celejanæ „ his gestis subscripsi.

„ Clarissimus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ „ Concordiensis his gestis subscripsi.

„ Patricius Episcopus S. Ecclesiæ Æmoniensis his gestis subscripsi.

„ Adrianus Episcopus S. Ecclesiæ Polensis „ his gestis subscripsi.

„ Maxentius Episcopus S. Ecclesiæ Juliensis „ his gestis subscripsi.

(a) *Cod. Amb. hoc loco* Visibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum Filium &c.

(b) *Cod. Amb. ita legit* Virgilius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Scaraviciensis his gestis subscripsi.

„ Severus Episcopus S. Ecclesiæ Triestinæ „ his gestis subscripsi.

„ Solatius Episcopus S. Ecclesiæ Veronensis „ his gestis subscripsi.

„ Joannes Episcopus S. Ecclesiæ Parentinæ „ his gestis subscripsi.

„ Aaron Episcopus S. Ecclesiæ Avoriciensis „ his gestis subscripsi.

„ Marcianus Presbyter locum faciens viri „ Beatissimi Ingenuini Episcopi Sanctæ Ecclesiæ Secundæ Rhætiæ his gestis subscripsi.

„ Agnellus Episcopus S. Ecclesiæ Tridentinæ „ superveniens his gestis subscripsi.

„ Vigilius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Scaravensis his gestis subscripsi (b), superveniens „ in Sancta Synodo, his gestis mihi relectis.

„ Laurentius Presbyter superveniens in Sancta Synodo locum faciens viri Beatissimi Fonteji Episcopi Sanctæ Ecclesiæ Feltrinæ, his „ gestis mihi relectis subscripsi.

„ Marcianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Petenatis superveniens in Sancta Synodo his „ gestis mihi relectis subscripsi.

„ Laurentius Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

„ (c) Emarus Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

„ Sergius Presbyter supra statutis Deo gratias „ agens subscripsi.

„ Dorotheus Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

„ Laurentius Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

„ Albinus Presbyter supra statutis Deo gratias agens subscripsi.

„ Leo Presbyter supra statutis Deo gratias „ agens subscripsi.

„ Marcianus Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

„ Severinus Presbyter supra statutis Deo gratias agens subscripsi.

„ Lucillus Presbyter supra statutis Deo gratias agens subscripsi.

„ Castus Presbyter supra statutis Deo gratias „ agens subscripsi.

„ Provincialis Presbyter supra statutis Deo „ gratias agens subscripsi.

Pars XIV.

HElias itaque de Aquilejæ Episcopo factus novæ Aquilegiæ Patriarcha, assistente Synodo corpora Sanctorum Hilarii, & Tatiani, & Quirini Martyris Ecclesiæ Sanctæ Euphemiæ, quam ipse construxerat, dignissimè collocavit.

Pars XV.

SImiliter Sanctorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ membra in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ hic Pontifex cum honore deposuit.

Pars XVI.

SAnctarum verò Virginum Euphemiæ, Dorotheæ, & Teclæ, ac Herasmæ ossa in Ecclesia Sanctæ Mariæ solemniter tumulavit. Corpora etiam XLII. Martyrum in Ecclesia Sancti Vitalis cum venerabili devotione recondidit.

Pars

Fontegius Episcopus Feltrensis superveniens in S. Synodo his gestis subscripsi.

(c) *Cod. Amb. addit* Martianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Patenatis superveniens Sanctæ Synodo his gestis mihi relectis subscripsi.

Pars XVII.

HÆc omnia, quæ in Synodo facta sunt, Tyberio Augusto patefacta, Imperiali Decreto confirmata fuerunt ab eo. Unde Ugo de Sacramentis inter ceteras Dignitates nominans Aquilegiensem Præsulem, ait: *Qui postea dictus est Gradensis* Patriarcha. Igitur ex superiùs recitatis patet, quòd Patriarchalis dignitas priùs in Ecclesia Gradense, quàm Aquilegiense fuerit inchoata, ut Joachin Abbas in Libro super Ezechiel ait, dicens in hæc verba: *Quod autem duo è Petro Christi Vicario Patriarchatus orti sunt, illud causæ est, quòd Judæ filio Jacob orti sunt duo filii ex Thamar, Zara, & Phares, quorum prior Gradensem, alter Aquilegiensem significat, ut sub Prioratus ordinem ad hoc materia sit divisa. Unde quia ipsa Mater Ecclesia typum Cœlestis tenet in Terris, quasi Vicos, & Plateas, duos ipsos Patriarchatus, quasi duos ordines in semetipsa reservat.*

Pars XVIII.

HIc Patriarcha Templum quoddam Paganorum in honorem Bethel in contiguo litore situatum in Monasterium puellarum sub Sancti Petri Apostoli vocabulo transmutavit; & non procul in vicina Insula Monasterium Monachorum in honorem Sanctæ Mariæ construxit, ubi sibi revelatum fuerat, quòd Barbanum appellavit, quia vir Catholicus Barbanus nomine, qui cum Tarilesso socio suo de Tarvisio illuc confugerant, constitutus ibi primò Abbas fuit.

Pars XIX.

HOc tempore Authari Rex Longobardorum Apuliam intravit, & usque ad Italiæ fines posuit terminum Longobardiæ, qui usque nunc dicitur Columna Authari; & rediens secus Padum Brexillum obtinet, fugato Droctulfo Duce, qui Imperiali nomine Castrum, quantum potuit, conservavit; sed cùm resistere nequiret, Ravennam aufugit, ipsiusque Castri Rex mœnia dirui fecit. Et inde cum Smaragdo Patricio usque ad triennium treugas iniit.

Pars XX.

TYberius quoque Augustus cùm annis VII. Imperium tenuisset, Mauricium post victoriam Persarum Generum sibi, & Cæsarem fecit, posteaque in Constantinopoli requievit in pace.

Pars XXI.

MAuricius in Cappadocia ortus vir strenuus, & sapientissimus, Anno Domini DLXXXIV. Tiberio ægrotante Constantiam ornatam filiam Imperialibus instrumentis recepit in Uxorem, sic dicente patre: Imperio meo cum hac puella utere feliciter, & incessanter in mente habe Justitiam & Æquitatem, quæ præcipua optimi Imperatoris est figura: quibus completis exhalavit.

Pars XXII.

EOdem tempore Helias Venerabilis Patriarcha elapsis ab intronizatione sua Annis XIV. mensibus X. diebus XXI. diem suum clau- A sit extremum, & in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ, quam ipse construxerat, sepultus est.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Pontificatu Severi habens partes XXIX.

SEverus novæ Ecclesiæ Patriarcha infulatus est Anno Domini DLXXXVI. Hunc de Ravenna ortum, & Patriarcham factum Smaragdus Patricius, veniens de Ravenna Gradum, de Basilica traxit, & secum duxit cum aliis tribus Episcopis ex Istria, videlicet Joanne Parentino, & Severo Trigestino, & Vindemio Cenetensi, atque Antonio jam sene Ecclesiæ Defensore, B quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati trium Capitulorum damnatori, qui tempore Vigilii Papæ à Romanæ Ecclesiæ desciverat societate. Elapso autem anno de Ravenna in Gradum reversi sunt, quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Episcopi eos receperunt. Smaragdus autem Patricius à Dæmonio non injustè correptus Constantinopolim rediit, cui Romanus successit, & illi Gallicinus. Post hæc facta est Synodus X. Episcoporum in Mariano, ubi recèperunt hunc Patriarcham dantem Libellum repudii erroris sui. Nomina verò Episcoporum, qui se ab hoc Schismate cohibuerunt, sunt hæc, Petrus Altinas, Clarissimus Concor- C diensis, Ingenuinus Sabionensis, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, Herontius Vicentinus, Rauracius Taryisinus, Joannes Feltrensis, Agnellus de Asilo, Laurentius Bellunensis, Maxentius Juliensis, & Adrianus Polensis.

Pars Prima.

PEr hos dies Agilulf Rex Longobardorum effectus, Theudelindam defuncti Regis Conjugem in Uxorem accepit, qui suo tempore multas Romanorum Civitates sibi subjecit.

Pars II.

D INter hæc ingens diluvium, præsertim apud Venetiam, & Liguriam, quale non fuit illud Noë, taliter, quòd Athesis fluvius in tantum apud Veronam intumuit, ut aquæ ad summum fenestrarum Sancti Zenonis ascenderent; nec tamen in Ecclesiam intraverunt. Facta est hæc inundatio XVI. Kalendas Novembris, & tonitrua tanta fuere, quanta solent fieri æstivo tempore. Post duos autem menses Verona magna ex parte cremata est.

Pars III.

POst diluvium Romæ multitudo serpentum ad litus à marinis fluctibus projectorum computruit, & secuta est plaga pessima, quam In- E guinariam vocant, quæ ita sævit, ut Pelagium Papam occideret, deinde Populum, ita ut plurimæ domus vacuæ remanerent.

Pars IV.

GRegorius Primus natione Romanus sedit annis XIII. mensibus VI. diebus X. Cessavit Episcopatus mensibus V. diebus XVI. Hic licèt totis viribus renitens à plebe Papa eligitur, cùm esset Levita, de consensu Imperatoris, qui pro removenda pestilentia Letanias septiformes fieri ordinavit. Quæ dum fierent octoginta ex eis subitò

subitò animas exhalarunt. Tunc Imaginem Virginis, quam Sanctus Lucas Evangelista depinxit, ante processionem portari fecit; & ecce tota aëris infectio, & turbulentia Virgini cedebat, & post Virginem mira aëris serenitas remanebat. Tunc auditæ sunt voces Angelorum canentium *Regina Cœli lætare alleluja, Quia quem meruisti portare alleluja, Resurrexit sicut dixit alleluja*. Statim Gregorius adjunxit *Ora pro nobis Deum alleluja*. Tunc Beatus Gregorius vidit super Castrum Crescentii Angelum cruentum detergere gladium, & in vaginam deponere, intellexitque cessare pestem. Locus ex tunc vocatus est Sancti Angeli Castrum.

Pars V.

HIc Papa multa scripsit; & addidit in Canone *diesque nostros in tua pace dispone*, & in Ecclesiis Romæ singulis diebus XL. ordinavit Stationes, & imagines Idolorum Romæ truncari fecit, & primus Romanorum Pontificum vocavit se *servum servorum Dei* in Literis suis, superstitiosum nomen abhorrens Joannis Constantinopolitani Patriarchæ, qui se universalem Papam vocabat.

Pars VI.

INterea Mauricio Catholico Principi gravia bella exorta sunt, Avaricum (qui & Hunni dicti sunt) & Persicum. Cùmque Avares Sirmium jam opulentam Civitatem invasissent, usque ad Muros Longos pervenerunt, de quibus Commentiolus Prætor missus victoriam obtinuit. Hi enim muri dividunt Græciam & Thraciam à solo Barbarico, incipientes à finibus Istriæ ab Urbe Tarsia, protendentes ultra terminos Constantinopolitanæ Urbis.

Pars VII.

SImiliter Persæ Armeniam prædis & incendiis invadentes Ecclesiam XL. Martyrum incendere non potuerunt. Sed postea Hormisdam Regem Persarum à Persis excitatus filius ejus Regni Consors occidit, & ad Mauricium Imperatorem confugit, ejusque virtute Persas debellans Narsete Duce Persarum Regnum accepit, & annis XXXVIII. regnavit.

Pars VIII.

IN supradicto bello capti sunt plurimi Turchi habentes Crucem in frontibus, quos Narses ad Mauricium misit; & Imperatore eos interrogante, qua de causa portarent hoc signum, dixerunt, ante multos annos pestilentiam fuisse in regione eorum, & quosdam Christianos hoc eos docuisse, & sic salutem sibi restitutam fuisse.

Pars IX.

ESt enim Turcorum Patria secus Caspium Montem, ducens originem à Turco filio Troili Regis Trojani, qui post excidium Urbis in illis partibus sequela maxima fugam arripuit.

Pars X.

MAuricius itaque Orientalibus bellis intentus IV. millia solidorum Childeberto Regi Francorum per Legatos misit, ut gentes Longobardorum de Italia extirparet. Ideo misit Exercitum, & prædas maximas fecit, & inveniens Urbes munitas, receptis muneribus ad propria pacificatus rediit. Mauricius hoc scito pecuniam repetit, cui Childebertus responsum non dedit.

Pars XI.

INgenuinus igitur Episcopus Sabionensis Vir pius, & Catholicus sexcentos viros, quos hoc tempore Francorum Exercitus in Ferugo captivaverat, datis DC. solidis, cum Agnello Tridentino Episcopo à captivitate redemit. Hæc enim sedes tunc novo Aquilegiensi Patriarchæ subdita erat, quæ processu temporis in Brixinam translata est, & Salisburgensi subdita manet.

Pars XII.

CIrca hæc tempora fuit pestis Inguinaria iterum apud Ravennam, Gradum, & Istriam, gravior quàm ante fuerat.

Pars XIII.

GRegorius Papa Libros Dialogorum Theudelindæ Reginæ transmisit, (*) & Festo Sanctorum Gervasii, & Protasii cum Romanis facere pacem induxit, sic in eodem Festo Papa Introitum Missæ decrevit: *Loquetur Dominus pacem*.

Pars XIV.

GAllicinus autem Patricius, rejecta pace, filiam Regis cum viro suo Godescalco de Parma arripuit. Tunc Rex cum exercitu Urbem Paduæ obsedit, quæ in devotione (**) hucusque remanserat, & post diutinam obsidionem, injecto igne flammis vorantibus, Cives Regi Urbem salvis personis liberè tradiderunt; quæ Regali jussione usque ad solum prostrata est.

Pars XV.

PLebs verò, & Proceres Civitatis Paduæ ad maritima pervenerunt, & plerisque Ravennam, & intra Rivoaltum, & Castrum Olivoli novas Insulas vocatas Geminos incoluerunt, in quibus duæ Ecclesiæ, videlicet Sancti Martini Episcopi, & Sancti Joannis Baptistæ, quæ in Bragora vocata est, Deo dicatæ sunt.

Pars XVI.

LEgati Agilulfi Regis, unione firmata cum Avaribus contra Romanos, redeuntes Legatum Cazani illorum Regis secum ducunt, qui ad Gallias ivit Regi dicens, ut pacem habeat cum Longobardis, sicut cum Avaribus, quia eis confœderati sunt.

Pars XVII.

EOdem tempore Longobardi cum Avaribus, & Sclavis Istriorum fines ingressi universa cæde & igne consumunt.

Pars

(*) *Cod. Amb. addit* quæ fide plena Agilulfum virum ad Fidem convertit.

(**) *Cod. Amb. addit* Romana.

Pars XVIII.

AGilulfo in Palatio Modoëtiæ nascitur filius de Theudelinda Regina, vocatusque est Adoaldus, & Regina in eodem loco Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ ædificare fecit.

Pars XIX.

POst diutinam obsidionem Longobardi forte Castrum Montis Silicis habuerunt.

Pars XX.

DE Ravenna expulso Gallicino Patricio, Smaragdus rediit. Tunc Agilulfus de Mediolano egressus cum Sclavis Cremonam cepit, & ad solum prostravit, pariterque & Mantuam. Castrum etiam Vulturniæ eis traditum est.

Pars XXI.

POst hæc fœdus renovatum est inter Romanos, & Longobardos restitutâ filiâ Regi cum Viro, & filiis, quæ captiva detinebatur.

Pars XXII.

INterea Tunica Domini nostri Jesu Christi, in Civitate Zafat, non longè à Hierosolyma confessione Simeonis Judæi inventa est, & in Hierusalem collocata est à Catholicis Patriarchis.

Pars XXIII.

GRegorius Papa, quod olim ipse facere intendebat, Augustinum cum aliis ad prædicandum in Anglia destinavit.

Pars XXIV.

IN Nilo Ægypti flumine visa sunt animalia humanæ formæ, vir scilicet & mulier usque ad lumbos super aquam extantes, qui & ab hominibus per Deum adjurati à mane usque ad nonam videndos se præbuerunt.

Pars XXV.

MAuricius itaque cùm exercitui stipendia non mandaret à Phocate creato Cæsare, completis in Imperio annis XXI. secus Chalcedoniam in Portu Eutropii cum Uxore, & filiis suis occisus est.

Pars XXVI.

PHocas itaque sumsit Imperium Anno Domini DCV. Hic primò fuit strator Prisci Patricii, postea miles, nunc Imperator factus. Leontiam Conjugem suam coronavit Augustam. Suo quoque tempore Hunni, Persæque hinc & illinc in Romanorum grassantur Provincias, Hierusalem capiunt, & Vexillum Crucis auferunt.

Pars XXVII.

GRegorius Papa Severo Patriarchæ scribens novæ Aquilegiæ Sedem per Privilegium confirmavit. Mortuo autem Gregorio Romani fame gravantur, & derogantes Gregorio, quasi nimia liberalitate Thesauros Ecclesiæ dissipasset, cùm non possent in eo altiùs vindicare, Libros

A ejus volebant comburere. Quibus obstitit Petrus Diaconus ejus, dicens se vidisse, dum scriberet super visione ultima Ezechielis, super caput ejus Spiritum Sanctum in specie Columbæ; & subsecuta statim morte, quod secundò prædixerat, confirmavit.

Pars XXVIII.

SAvinianus natione Tuscus sedit anno I. mensibus V. diebus IX. Cessavit Episcopatus mense I. diebus XV. Hic constituit, ut horæ per Ecclesias pulsentur.

Pars XXIX.

B HIc Severus Patriarcha cùm sedisset annis XXI. dies XXXI. mortuus est, relinquens bona sua Ecclesiæ Sanctæ Euphemiæ, commendans Sacerdotibus, ut omni die Sabbati pro ipso Missas celebrarent, atque oblationes offerrent; mensamque Pauperum fieri instituit, & in eadem Ecclesia sepelitur.

CAPITULUM TERTIUM.

De Pontificatu Marciani habens partes III.

MArcianus novæ Aquilegiæ Patriarcha ordinatus est Anno Domini DCVII. Hic ex C Pirano Oppido Istriæ ortus, & ab Helia Patriarcha edoctus, Presbyterque consecratus, in Synodo Gradense translationem Sedis cum cæteris approbavit, posteaque sub Severo gradatim ascendens, nunc illo defuncto Patriarcha unanimiter est electus.

Pars Prima.

BOnifacius III. natione Romanus sedit annis II. mensibus VIII. diebus XXVI. Hic constituit, ut nitidus pannus super Altare ponatur. A Phocate obtinuit, ut Roma caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scri- D bebat. Hic in Concilio LXII. Episcoporum decrevit sub anathemate, ut nullus vivente Episcopo de altero eligendo audeat loqui, vel partes sibi facere; sed tertio die depositionis ejus licentiam habeat, & à Clero, & Populo electio Sacerdotis fiat.

Pars II.

BOnifacius IV. de Civitate Valeria sedit annis VI. mensibus IX. diebus XXVI. Cessavit Episcopatus mensibus V. Hic Pantheon Romæ à Phocate impetratum vertit in Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & omnium Martyrum, & in E Kalendis Novembris ibi instituit solemnitatem omnium Martyrum, quæ postea crescente Religione Christiana decreta est fieri in honorem omnium Sanctorum.

Pars III.

HIc Marcianus Patriarcha plenus dierum elapsis in Sede sua annis tribus mense I. diebus V. in Grado mortuus est, & in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ sepultus.

CA-

CAPITULUM QUARTUM.

De Pontificatu Candiani habens partes IX.

CAndianus novæ Aquilegiæ Patriarchatum obtinuit Anno Domini DCX. Hic natione Annonienfis (*) de Vico Candiano à Provincialibus Epifcopis, Clero & Populo in Grado electus, & confirmatus eft hujus Ecclefiæ Patriarcha.

Pars I.

EOdem tempore Joannes Patriarcha Alexandrinus claruit, qui ob eximiam in Chrifto liberalitatem nomen Eleemofynarii habere promeruit, cujus corpus fub Marino Mauroceno Duce Venetias delatum eft.

Pars II.

NUnc etiam Prafini, & Veneti civile bellum facientes per Orientem, & Ægyptum mutua fe cæde pofternunt. Sunt enim hi duæ ftirpes, five cognationes Nobiles Urbis Conftantinopolis, quæ à coloribus infigniuin fuarum fic denominatæ funt.

Pars III.

POft hos dies Gifulphus Forojulianus cum confenfu Agilulphi Regis Longobardorum Joannem Abbatem in Aquilegia vetere, Candiano fuperftite, Patriarcham eligi fecit, confentientibus folum tribus Epifcopis Comprovincialibus, à quibus idem exoratus eft (**).

Pars IV.

DEufdedit natione Romanus fedit annis III. menfibus II. Ceffavit Epifcopatus menfe I. diebus XVI. Conftituit, ut proprios filios ad Baptifmum tenentes feparentur, & ut fi quis Commatrem fuam à primo dono Baptifmi, quod eft præambulum falis facrati ufque ad feptimum donum, in Conjugem duxerit, feparentur. Hic leprofum quemdam ofculando fanavit.

Pars V.

INterea Agilulfus Rex cum Phoca treguam compofuit annalem.

Pars VI.

COntra Phocam octavo fui Imperii Anno Heraclius Afri.æ Patricius à Prifco Phocæ Genero, & Senatu invitatus, navigio vênit, & bello inito Conftantinopoli Phocam devicit, quem Cives occiderunt, & ejus offa igni tradiderunt.

Pars VII.

HEraclius ergo fumfit Imperium Anno Domini DCXIII. & coronatus eft cum Eudochia Conjuge fua à Sergio Patriarcha Conftantinopolitano.

Hoc anno Eleutherius Patricius, & Cubicularius, Ravennam veniens occidit omnes, quos in nece Jo.nnis Exarchi, & Judicum, culpabiles reperit; & Romam ivit, & benignè à Papa receptus, egreditur verfus Neapolim, & Joannem Confinum ejufdem Urbis detentorem bello devicit, & Urbem obtinuit, & Tyranno occifo cum multis complicibus Ravennam rediit.

Pars VIII.

HOc tempore Concordienfis Epifcopus Joannes Longobardorum Patriarchæ renuens obedire. in Vico Caprularum cum Clero, & Populo Catholico pervênit, & cum auctoritate Deufdedit Papæ Sedem ibi locavit.

Pars IX.

CAndianus itaque Patriarcha jam in hac Ecclefia, ex electione Johannis exorto Schifmate, cùm fediffet annis V. mœrore confectus in Grado exfpiravit, & in Ecclefia Sanctæ Euphemiæ fepelitur.

CAPITULUM QUINTUM.

De Pontificatu Epiphanii habens partes IV.

EPiphanius Gradenfis Epifcopus laudatus eft Anno Domini DCXV. Hic natione Iftria de Oppido Humaghi vir Catholicus, & Scripturis Divinis fatis eruditus, Presbyter, & Notarius hujus fedis ab H.lia Patriarcha factus, in Concilio Gradenfe officium fibi commiffum fufficienter exercuit, & à Severo Patriarcha poftea Primicerius Notariorum conftitutus eft, nunc verò ab Epifcopis, Clero & Populo, qui in devotione Romanorum exiftebant Patriarcha in Grado electus, & confecratus eft, & propterea Gradenfis deinceps appellatus eft. Sic Hugo de Sancto Victore in Libris de Sacramentis nominans Aquilejenfem Patriarcham dicit: *Qui poftea dictus eft Gradenfis*. Et fic hoc tempore, ficut Paulus Hiftoriographus Longobardorum, & ficut R.cardus, & Paulinus Epifcopi referunt, duo Patriarchæ effe cœperunt.

Pars I.

EOdem anno Heraclius genuit filium Conftantinum ex Eudochia Conjuge, qui à Sergio Patriarcha Confors Imperii coronatus eft, mortuâque Eudochia Auguftus Martinam filiam fororis fuæ incœftuofis fibi copulavit nuptiis, & ex ea fufcepit filium Heracleonam.

Pars II.

HEraclius etiam, & Franci cum Agilulpho Rege Longobardorum pacem ad invicem inierunt. Qua de re Caganus Rex Avarorum, collecto exercitu, Forojulium ingreditur, & cum Gifulpho Duce Forojuliano fibi obviam accedente bellum peregit, & victoriam obtinens, Ducem cum exercitu fuo gladio peremit. Uxor verò Ducis cum Tafone, & Caccone filiis fuis jam adolefcentibus, & Romoaldo, & Grimoaldo adhuc infantibus, & quatuor filiabus fuis, ac pluribus, qui Avarum incurfionem evaferant, in arce Cividalis tutata eft. Caganus itaque igne & rapinis regionem devaftans, arcem obfedit, & ad proditionem Romildæ Ducifiæ, quam Rex promifit accipere in uxorem, illam obtinuit, & una nocte Romildam fecum habuit, alia

(*) *Cod. Amb.* Ariminenfis.
(**) *MS. Amb.* idem confecratus eft; qui tamen poftea ab Epiftola Bonifacii Papæ reprehenfi Gradenfi Ecclefiæ fe fubmiferunt.

alia autem tradidit eam duodecim Avaribus, qui sibi succedentes eam libidine satiarent. Novissimè jussit eam ligari ad palum, inquiens: Talem te dignum est habere maritum, quæ potiùs libidini, quàm consanguineorum, & civium saluti prospicere voluisti. Cùm itaque Rex victor rediret cum captivis, Taso, & Cacco, quos Rex occidere conceperat, ab eorum manibus liberati in Forojulium redeunt, & in Ducatu Patris succedunt.

Pars III.

IN hac quoque persecutione quædam nobiles ab Hunnis captivatæ crudas carnes sibi inter mammas ligaverunt, quarum fœtorem Barbari non ferentes, dixerunt omnes Lombardas fœtidas. Sic puellæ nobiles eorum lasciviam evaserunt. Adoald autem his diebus cum Theudelinda Matre in Regno Longobardorum successit Patri.

Pars IV.

INterea Epiphanius Patriarcha cùm sedisset anno uno mensibus III. diebus II. moriens, suam Ecclesiam heredem instituit, & in ea sepulturæ traditur.

CAPITULUM SEXTUM.

De Pontificatu Cypriani habens partes XIII.

CYprianus Gradensis Patriarcha electus est Anno Domini DCXVI. Hic in Pola Civitate Istriæ natus puritate mentis, & integritate corporis, hoc tempore huic sedi præpositus est.

Pars I.

HOc anno Bonifacius V. natione Campanus sedit annis V. diebus XIII. Cessavit Episcopatus mense I. diebus XIII. Hic constituit, ut fures Ecclesiarum anathematizentur; ut testamentum valeat Principis jussione. Item ut Acolytus Reliquias Martyrum levare non audeat, sed solùm Presbyteri. Item ut nullus trahatur violenter de Ecclesia. Item ut Monachi Sacerdotes utantur potestate ligandi, & absolvendi.

Pars II.

INterea Eleutherius Patricius Exarchus factus, assumsit Regnum, & Coronam: propterea à militibus Ravennatibus occisus est, ejusque caput ad Imperatorem delatum.

Pars III.

ANno Heraclii V. Hierusalem, & Palæstina, & Damasco à Persis captis usque ad IX. millia hominum perimuntur. Zacharias Patriarcha capivatur. Crux Dominica asportatur à Cosroë Rege Persarum.

Pars IV.

ANno sequenti, Cosroës totam occupavit Ægyptum, Lybiam, atque Carthaginem.

Pars V.

HOnorius natione Campanus sedit annis XII. mensibus XI. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus mensibus VII. diebus XVIII. Hic constituit, ut apud Sanctum Petrum omni Sabbato procederent Litaniæ, & Clerum salubriter erudivit, eleemosynis, & ornatui Ecclesiarum intentus, mitissimus & misericors fuit.

Pars VI.

EOdem tempore Taso, & Cacco Forojuliani Duces regionem Sclavorum, quæ Delia nuncupatur, usque ad Locum qui Mediva dicitur, possidebant, quos Gregorius Patricius Romanorum in Opitergio, sub velamine quòd Tasoni barbam incideret, & in filium adoptaret, se in Oppidum introduxit, eosque nil mali metuentes fraude peremit, & ne Tasoni fidem fallere crederetur, barbam mortuo incisit. Grasulphus autem eorum patruus in Ducatu successit, & eodem anno Sclavi multis interfectis militibus totam Istriam deprædati sunt.

Pars VII.

ADaloald itaque Rex cùm mente insaniret, à Longobardis ejectus est. Huic Arioald in Regno successit.

Pars VIII.

HEraclius itaque X. Imperii sui anno facta pace cum Avaribus, collectoque exercitu in Asiam contra Cosroëm Regem Persarum profectus est, ferens secum Sanctæ Dei Genitricis Iconem, non hominis manu, sed divino miraculo pictam. Ut autem Cosroës hoc audivit, fuga usus est, quem Heraclius persequens, Euphratem, & Thaurum montem transiit, & Cosroë superato Crucem Domini Hierosolymam reportavit, & Urbes amissas recuperavit.

Pars IX.

POst VI. annos Heraclius cum victoria Constantinopolim rediens, detulit secum corpus Anastasii Persæ, qui priùs Magus fuit, postea Monachus à Persis captus, post verbera, vincula, & carceres, sub Cosdroë Rege obtruncatione capitis Martyr Christi gloriosus effectus est, cujus corpus sub Henrico Dandulo Duce delatum est Venetias.

Pars X.

DEtulit & secum de Alexandria Cathedram, in qua Beatus Marcus Evangelista in eadem Urbe Pontificatum tenuit, quæ sub sequenti Patriarcha Venetias delata est.

Pars XI.

HOc tempore terræmotus magnus fuit mense Augusti, & sequuta est clades in Populo, percussio scilicet scabierum, ita ut nullus posset agnoscere mortuum suum.

Pars XII.

SUbsequenter Cyprianus Patriarcha, quem merito bonorum operum, recitantes Venetorum gesta Sanctissimum affirmant, XV. anno (*) suæ Sedis, humanæ sortis tributum solvit, & in Gradensi Ecclesia Sanctæ Euphemiæ sepelitur.

(*) *Cod. Amb. addit* mens. III. dieb. XX.

Pars XIII.

POst hunc Fortunatus Hæreticus Longobardorum audacia sedem invasit, qui quintam universalem Synodum minimè credens, ob sui erroris piaculum pavens, totam Gradensem Ecclesiam Metropolitanam denudans auro, vestibus, & ornamentis, simul & Ecclesias Baptismales Istriæ, & Xenodochia, quæ huic Ecclesiæ subjecta erant, fugam apud Cormones Castrum Forojulii petiit, ibique pestilenter sedem tenuit; contra quem Gradensis Ecclesia ad Honorium Papam scripta direxit. Et quia hic Fortunatus sedis invasor describitur, ideo sub Capitulo præcedenti conjunctim de eo fecimus mentionem.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Pontificatu Primogenii habens partes XXV.

PRimogenius Patriarcha consecratus est Anno Domini DCXXX. Nam Honorius Papa, veritate comperta, Fortunatum sedis invasorem, non solùm Sacerdotio exuit, sed etiam cum ut Hæreticum condemnavit; & hunc natione Aretinum Subdiaconum (a) promovit, & consecrandum cum Pallii benedictione ad hanc regendam Ecclesiam misit, scribens suffraganeis ejus, ut sequitur.

Pars I.

„ HOnorius Episcopus Servus Servorum Dei. „ Dilectissimis Fratribus universis Episcopis per Venetiam, & Istriam constitutis &c. „ *infra*: Et suademus, & decretales apices „ Fraternitati vestræ dirigimus, per quas expetimus, ut in loco Judæ alius vitæ probabilis „ ad regendum gregem Dominicum promoveatur, & non immeritò is, qui dejectus est, & „ Judæ actibus comparatur, & moribus; nam „ quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. (b) Primogenium itaque „ Subdiaconum, & Regionarium nostræ sedis „ Gradensi Ecclesiæ Episcopali ordine cum Pallii „ benedictione direximus consecrandum. Oportebit ergo, Fraternitatem vestram juxta Legem Ecclesiasticam cuncta disponere, capitique vestro sinceram obedientiam exhibere. „ Nos enim dirigentes homines nostros ad Excellentissimum Longobardorum Regem, injunximus, ut eumdem Fortunatum, ubi relicta ab eo Republica, ad gentesque prolapsum, & abnegata concordiæ unitate Deo „ rebellem, & perfidum, nec non res quascumque secum aufugiens abstulisse monstratur, „ expetere & repetere non moretur, ut & hi, „ à quibus hæc repetuntur, à partibus Christianissimæ Reipublicæ parem justitiam consequantur. (c)

Pars II.

PRimogenius itaque intronizatus, cùm à Rege Longobardorum nihil obtinere potuisset, Apocrisarium suum ad Heraclium misit, & de nunciationem suæ Ecclesiæ, & subtractionem suorum suffraganeorum, quam Longobardi faciebant, seriosè enarrari fecit. Tunc piissimus Imperator ei auri & argenti plus remisit, quàm perdiderat, & insuper sedem Beatissimi Marci Evangelistæ ob confirmationem dictæ Metropolis direxit, quam ab Alexandria Constantinopolim secum duxerat.

Pars III.

NUnc etiam Primogenius in somnis, monitus Corpora Beatorum Hermacoræ & Fortunati de Aquilegiensi confinio Gradum transferre curavit. De agello igitur sanctæ mulieris Alexandrinæ (d) sumuntur, & ad scafam reverenter cum orationibus deferuntur, locusque ille, de quo navi imponuntur, dictus est Recessus, quia Sanctus Hermacoras inde recessit, & virenti deinde germine semper decorus apparet. In Grado autem occulto loco paucis arbitris reponuntur.

Pars IV.

PEr idem tempus Cyrus Alexandrinus Episcopus, & Constantinopolitanus Patriarcha Monothelitarum Hæresim prædicabant, qui unam tantùm in Christo naturam putabant esse à quibus depravatus Heraclius Augustus post tantas victorias aberravit à Catholica Fide: Unde divino judicio Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Homaro duce, ejus Imperium cœperunt graviter lacerare, orta prius simultate inter Christianos, & Saracenos, quia cùm spado quidam Imperatoris distribueret togas militibus, (e) dixit: Dominus vix dat togas militibus; quanto minus canibus istis? Illi dolore turbati rebellantes implacabile bellum cum Romanis commiserunt. Postea Damascum, & regionem Phœnicis, & Hierusalem, totamque Syriam, & Antiochiam occupaverunt. Sed Heraclius prævisus Crucem Sanctam Domini de Hierusalem Constantinopolim asportavit.

Pars V.

HAc tempestate Saraceni, Mahometh Pseudopropheta Duce, qui fuerant sub Persarum Regno, eos bello victos versa vice sub suo redegerunt Imperio; & ex tunc intitulatur Regnum Saracenorum pro Regno Persarum. Huic postea Arabes adhærent, & Orientale usque in Alexandriam sortitur Imperium.

Pars VI.

HIc Mahometh Arabs de genere Ismaël filii Agar, mortuo Patre Abimalech, Matre Fratomia, relictus pauperculus, ab Idolatra quadam nutritus est in loco Arabiæ dicto Salinga, & grandiusculus effectus conducens primò asellum, deinde camelos vitam transigebat, & tandem cùm in perfecta ætate foret, per Palæstinam & Ægyptum transiens mercatoribus sociatus, nunc à Christianis, nunc à Judæis plura didicit de novo & veteri Testamento. Sed & magis perfectus efficitur, Chortanque ingres-

(a) *Cod. Amb. addit:* & Regionarium Romanæ Ecclesiæ vita & moribus approbatum promovit.
(b) *Cod. Amb.* Nos quidem discreta mentis trutina considerantes Primogenium &c.
(c) *Cod. Amb. addit:* Deus vos incolumes custodiat, Dilectissimi Fratres; datum XII. Kal. Martii, Regnant. DD. piiss. Augusto Heraclio anno XVIII.
(d) *Cod. Amb. addit:* Sito milliaribus III.
(e) *Cod. Amb. ita legit:* militibus Saracenis indignatus dixit: Vix sufficit Augusto dare togas militibus &c.

ingressus, mulieri illius Provinciæ, quæ Cardiga vocabatur, familiaris efficitur, eique persuasit se esse Messiam, quem Judæi expectant, cui opinioni inhærebant plurimi Judæorum. Sed & plurimos Saracenorum ad se traxit tam ingenii calliditate, quàm incantationum fallacia. Huic astitit Sergius Monachus propter Hæresim Nestorii de Ecclesia pulsus, & ab eo susceptus, qui columbam enutriens sic edocuit, ut grana de ejus auribus sumeret. Unde quando Mahometh hæc videbat, super humerum ejus volans rostrum in ejus aures ponebat. Sergius post hæc Populo suadet illum sibi præfici debere, quem Sanctus Spiritus designaret. Statuto igitur tempore secretò columbam emisit, quam Populus Sanctum Spiritum credidit in aure ejus loquentem, & Divina sibi revelantem; cœpitque exinde novas Leges fingere de utroque Testamento. Nubit igitur illi Cardiga; adhærent Arabes; & sic usque in Alexandriam sortitur Imperium. Princeps ergo factus, quos ut Propheta ad observationem suæ legis alliciebat, nunc metu pœnæ eos cogebat. Postquam autem XL. annis multos Populos decepisset, imminentem mortem sentiens, jussit ne corpus suum sepelirent, quia id sciebat, post triduum deferendum in Cœlum; haustoque veneno obiit. Servatur autem corpus ejus non modò tribus diebus, sed duodecim, tantusque increvit fœtoris horror, ut illud humo operire coacti sint: propter quod multi se deceptos cernentes, abdicarunt legem ipsius.

Pars VII.

SEverinus Papa interea natione Romanus sedit annis II. mensibus IV. diebus VIII. Nam hoc electo, Mauritius Chartularius militibus ait: quid prodest nobis, quòd tot pecuniæ congregatæ sunt, nec militibus subvenitur? Milites itaque incitati ad arma prosiliunt; sed à multis prohibiti obtinere nequeuntes, Vestiarium Sancti Petri cum Judicibus sigillaverunt, & quæ gesta fuerant Isacio Patricio Mauricius indicavit. Qui de Ravenna Romam veniens omnes Primates Ecclesiæ in exilium misit, & de Vestiario thesaurum arripuit, ejusque partem Heraclio misit. Hic Papa Clerum dilexit, & pauperes, & possessiones Ecclesiæ ampliavit.

Pars VIII.

HOc tempore Rotharith Rex Longobardorum efficitur, qui fuit fortis & justus, sed Arianus, & tunc ferè in qualibet Civitate duo erant Episcopi, unus Catholicus, alter Arianus.

Pars IX.

HIc Opitergium Oppidum infestum, quia Romanis suberat, expugnavit, & diruit. Tunc Magnus Vir Sanctus, & loci Catholicus Episcopus cum devota plebe ad contigua litora perveniens, Civitatem construxit, quam sub Imperatoris nomine Heracliam vocavit, & Ecclesiam Cathedralem sub nomine Beati Petri Apostoli Deo dicavit, & auctoritate Severini Papæ, & Primogenii Patriarchæ, collaudationeque plebis, in eadem Urbe Sedem suam perpetuò collocavit.

Pars X.

HIc Magnus Heraclianæ Civitatis Episcopus vir eximiæ Sanctitatis, Clero, & Populo jam in eadem Urbe multipliciter aucto, & suis monitis roborato in Fide Catholica, in sua Ecclesia quievit in pace.

Pars XI.

PEr idem tempus Paulus Urbis Altinatis Catholicus Episcopus, cum Catholico Populo, acceptis Sanctorum corporibus Theonisti, Trabæ, & Trabatæ, & Liberalis, cum brachio Sancti Jacobi Apostoli, & ceteris Reliquiis, & Thesauro Ecclesiæ, in Torcello, & aliis Insulis convicinis advênit, & ibi primò de gentibus incolatum elegit; elapsoque mense uno mortuus est. Cui Mauricius in Sede subrogatus, de firmatione Ecclesiæ suæ in Torcello à Severino Papa, cum consensu Patriarchæ, & collaudatione Populi, Privilegium obtinuit. Hic etiam Divina revelatione per litora suæ Diœcesis sub plurimorum Sanctorum nominibus plures construxit Ecclesias.

Pars XII.

HOc tempore etiam, Catholico Episcopo suadente, Catholicæ mulieres vitam Monasticam eligentes, cum favore multorum procerum Monasterium sub Sancti Joannis Evangelistæ nomine devotissimè condiderunt.

Pars XIII.

JOannes IV. natione Dalmaticus sedit anno I. mensibus VIII. diebus XVIII. Hic Thesauris Ecclesiæ distractis multa millia hominum per Istriam, & Dalmatiam ab Hunnorum servitute redemit.

Pars XIV.

HUjus Pontificis fultus Privilegio Paduanæ Urbis Catholicus Episcopus Arianam Sectam declinans in Mathemauco, cum consensu Patriarchæ, & collaudatione Populi, sedem suam perpetuò transmutavit, in cujus Diœcesis Rivoltensis, & Olivolensis Insulæ situatæ erant, & tamquam spirituali Presbytero incolæ reverentiam exhibebant.

Pars XV.

THeodorus natione Græcus sedit Annis V. mensibus V. diebus VIII. Cessavit Episcopatus diebus LII. Hic constituit benedici Cereum in Sabbato Sancto, & Librum Pœnitentialem composuit. Hic Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum, & Paulum successorem ejus, qui non tantùm vesana doctrina, sed aperta persecutione Catholicos cruciabant, & Apocrisarios Romanæ Sedis ad correctionem missos incarceraverunt, seu verberibus afflixerunt, damnavit.

Pars XVI.

HIc Papa Primogenio Patriarchæ scribens ait: *Theodorus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Fratri Primogenio Patriarchæ Gradensi &c. Marianus eloquentissimus Con-*

Consiliarius Excellentissimi Filii nostri Domini Exarchi, in hac Romana Urbe adveniens adversùs Fraternit. tuam querelas nobis innotuit. (a) Et infra: *ideoque, quia inconveniens videretur, maximè Sacerdotibus, contra promissionis suæ tenorem agere, studeat Fraternitas tua promissa ad effectum perducere, maximè cùm ex omnibus jura tua Ecclesiæ se asserat observare.* (b)

Pars XVII.

CEterum Longobardi hoc tempore totam Terrestrem Venetiam possidentes, exceptâ Istriâ, illam vocare cœperunt Longobardiam. Maritima verò Regio ab eorum jugo exemta Venetiæ nomen antiquum obtinuit, certis limitata confinibus à Grado usque ad Caput Ageris. De hoc Paulus Historiographus Longobardorum sic ait: *Venetia enim non solùm in paucis Insulis, quas nunc Venetias dicimus, constat, sed ejus terminus à Pannoniæ finibus, usque ad Addam fluvium protenditur, cujus Aquilegia Civitas caput exstitit.*

Pars XVIII.

PEr idem tempus Rotharith Rex cum Ravennatibus, & Romanis bellum gessit ad fluvium Æmiliæ, qui Scultenna dicitur, in quo bello à parte Romanorum, reliquis terga dantibus octo millia perierunt.

Pars XIX.

POst Rotharith Rex cum Ravennatibus, & Romanis bellum gessit, & Rodoald filius ejus in Regno successit, qui Gundipergam Agilulfi, & Theodolindæ filiam sibi in matrimonium sociavit.

Pars XX.

HEraclius itaque, apertis Portis Ferreis Caspiis, reduxit homines strenuissimos, quos incluserat Alexander, cum eis sperans restaurare Imperium. LII. millia eorum per Angelum nocte interfecti sunt: propter quod Heraclius timidus effectus, & plenus dolore, hydropisim incurrit, & mortuus est trigesimo anno Imperii sui, qui dum Deo confidit, gloriosissimè triumphavit. (c)

Pars XXI.

HEraclionas itaque eodem anno cum Matre Imperium arripuit; sed illi ambo exiliantur cum Patriarcha, abscisso naso Filio, & lingua Matri.

Pars XXII.

COnstans, qui & Constantinus dictus est, nepos Heraclii postea cœpit imperare Anno Domini DCXLIII. Hic in Monothelitarum Hæresim incidit, sicut Avus ejus Heraclius. Deceptus enim à Paulo Patriarcha, Constantinopolitano typum exposuit contra Catholicam Fidem.

Pars XXIII.

MArtinus natione Tudertinus sedit Annis VI. mense I. diebus XXVI. Cessavit Episcopatus diebus XXVIII. Hic Concilium faciens CC. Episcoporum excommunicavit Paulum Patriarcham, à quo Imperator seductus est: propter quod mittitur Olympius Exarchus ad occidendum Papam, & regendum Italiam; & cùm aliter non potuerit, voluit eum à spiculatore percuti, cùm ab ipso communicaretur; sed tunc spiculator cœcitate percussus jussa adimplere non potuit. Martinus itaque cùm errori Imperatoris consentire nollet, per Theodorum Exarchum in Constantinopolim missus est; nec tunc Imperatori consentiens in exilio Chersonæ destinatus est, ibique defunctus. Festum ejus colitur in crastino Sancti Martini.

Pars XXIV.

INterea Rodoald Rex Longobardorum, dum uxorem cujusdam stuprasset, ab eodem interfectus est. Huic successit Aripert.

Pars XXV.

PRimogenius itaque Patriarcha, finitis in Sede sua Annis XX. mensibus III. diebus VII. in Grado quievit in pace, sepultusque in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ fuit.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Pontificatu Maximi habens partes XVIII.

MAximus Patriarcha Gradensis approbatus est Anno DCL. Hic origine Dalmatinus, vir justus & pius, nunc Patriarcha factus Monasterium Sanctæ Mariæ de Barbano in Territorio Tergestino plurimis possessionibus dotavit.

Pars I.

EOdem tempore plurimi devoti Principes in Diœcesi Torcellana, consentiente Julio Episcopo, Ecclesias Sancti Sergii, & Bacchi, & Maximi, & Marcelliani devotissimè construxerunt; vicusque ille ab Imperatoris nomine Constantiniacus appellatus est.

Pars II.

HIs etiam diebus Muhavias Princeps Saracenorum MDCC. scafas habens, contra Insulam Cypri exercitum duxit, & eam cœpit.

Pars

(a) *MS. Ambros. addit:* asserens Fraternitatis tuæ Ecclesiæ sibi promissionem fuisse præstitam, ita ut ingrediens in Urbe Regia jussionem Principis elicuisset, per quam præcipitur domum quamdam Stephani, uti constituta Civitate minimè debere Emphiteutico dari, ut domus ipsa salva quadam pensione eidem Mariano eloquentissimo, ex posita Emphiteusi dari deberet; promissionem tamen Fraternitatis tuæ, quamquam Hæreticorum Ecclesiæ tuæ subscriptam nobis ostendit, idcoque quia inconveniens &c.

(b) *Idem Cod. Ambr. addit:* atque eidem domui cohærentias salva pensione, quæ ab aliis dari . . . . . se modis omnibus esse daturum. Deus te incolumem custodiat.

(c) *Cod. Ambr. addit:* Constantinus, defuncto patre solus imperare cœpit, Anno Domini DCXXXVI. qui quarto mense Imperii sui, à noverca sua Martina, & Pyrrho CPlitano Patriarcha veneno exactus est.

Pars III.

SUbsequenter Muhavias revocato stolo Insulam Cretæ obtinuit, & cum Constante treguas per biennium composuit.

Pars IV.

EUgenius natione Romanus sedit annis VII. mensibus VIII. Cessavit Episcopatus mense uno, diebus XXVIII. Hic magna claruit Sanctitate.

Pars V.

COnstans Augustus completis treguis in Armeniam cum exercitu profectus, cognita proditione Passagnatis Patricii Armeniorum, qui se univerat Saracenis, in Constantinopolim, relictâ Armeniâ, rediit.

Pars VI.

ANno Constantis XI. ignis de Cœlo cecidit, & timor magnus super homines vênit tribus æstivis mensibus.

Pars VII.

VItalianus natione Campanus sedit annis XIV. mensibus VI. Cessavit Episcopatus mensibus VI. diebus XIII. Hic cantum Romanorum composuit, & organo concordavit; nunciosque misit ad Imperatorem, juxta morem significans de sua ordinatione, qui bene recepti renovatis Romanæ Ecclesiæ privilegis redierunt, portantes Evangelia auro scripta, gemmis ornata, quæ Imperator Sancto Petro obtulit.

Pars VIII.

HIc etiam Ferrariensem Ecclesiam Cathedralem fecit, & Marinum Ecclesiæ Romanæ Cardinalem in ea Episcopum ordinavit.

Pars IX.

SUbsequenter Constans cum Saracenis congressus navali bello secus Liciam, ignominiosè vincitur, & mutata veste, & navi, omnibus derelictis, aufugit.

Pars X.

MUhavias Princeps Saracenorum nunc Insulam Rhodi cepit, & Colossum in ea destruxit, quod duraverat per MCCCLXX. annos, à quo Paulus Apostolus scribens incolas Colossenses vocat, & usque in hodiernum diem Episcopus Colossensis vocatur. De cujus statuæ ære Judæus quidam, qui eam emit, nongentos camelos oneravit.

Pars XI.

VIgesimo anno Constantis inter Romanos, & Saracenos conventio facta est, ut Saraceni Romanis quotidie solvant mille numismata, servum, & equum.

Pars XII.

INterea Ariperto Rege mortuo Regnum duobus filiis Pertharith, & Gondiperto reliquit. Gondipertus quidem Ticini, Pertharith verò Mediolani sedem Regni habuit.

Pars XIII.

INter hos fratres de Regno ortâ discordiâ, vênit Grimoald Dux Beneventanus, & Gondipertum fraudulenter occidit: quo audito fugit Pertharith Mediolanum, & sic Grimoaldus Regnum accepit, qui Francos in Italiam venientes multa cæde prostravit juxta (a) curvas . . . . . .

Pars XIV.

COnstans igitur multos Orthodoxorum verberibus, & exiliis condemnavit, quia nolentes suæ Hæresi assentire, propter quod Constantinopoli factus est exosus omnibus gentibus.

Pars XV.

COnstans autem, ut Italiam à Longobardorum manibus eriperet, vênit Athenas, ibique mare transiens Luceriam Civitatem destruxit, & Geruntiam capere nequit, & Beneventum obsedit. Ibi Romoald Ducatum tenebat; qui hoc Grimoaldo Patri suo insinuavit. Cùm itaque Grimoald cum exercitu ad succursum filii proficisceretur, Imperator Neapolim ivit, deinde Romam, cui sexto ab Urbe milliario Vitalianus Papa reverenter occurrit, & eum ad Beati Petri limina cum magna populi sequentia perduxit. Quo cùm pervenisset, obtulit Sancto Petro palium optimum auro textum. Et cùm in Urbe jam per XII. dies resedisset, magna tactus cupiditate varia ornamentorum genera ex ære & marmore, quibus Urbs decorabatur, accepit. Postea in Siciliam profectus, ibi per quinquennium mansit, & taliter Calabriæ, Siciliæ, Africæ & Sardiniæ afflictionem Populis induxit, quòd nulli spes vitæ remaneret. Qui cùm quadam die secretiùs in balneo lavaretur in urbe Syracusa, à suis occisus est. Post cujus decessum milites assumentes Mezentium quemdam Armenum sibi Imperatorem crearunt.

Pars XVI.

INter hæc Lupus Dux Forojulianus, qui Agadoto successerat, in Gradum Insulam (b) transiens cum equestri exercitu, apud Neumas occisus est; cui Wectari origine Vicentinus in Ducatu successit. Qui juxta fluvium Natisonis in Sclavos, qui Forojulium intraverant, cautè irruens, ex eis multos (c) occidit. Post Wectari Ducatum tenuit, cui Rodoald successit. Et Grimoaldus Rex Forum Pompilii urbem sibi infestam cepit, & ejus Cives occidit; & subsequenter Opitergium, ubi germani ejus Taso, & Cacco fraude occisi fuerant, funditus destruxit, & ejus fines Tarvisinis Forojulianis, & Cenetensibus divisit. Incolarum verò plurimi in

(a) *Cod. Amb.* juxta Curiacensem.

(b) *Cod. Ambr. legit*: in Gradum Insulam cum equestri exercitu per stratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat, introivit, & Ecclesiæ thesauros reportavit. Qui dum contra Regem insolenter egisset, rebellis efficitur. Rex verò civile bellum excitare renuens, Cacanum Regem Avarum contra Lupum cum exercitu . . . . . . apud Neumas occisus est.

(c) *Cod. Ambr. pro* multos, *legit* MMMMM.

in Heraclianam urbem cum familiis pervenerunt.

Pars XVII.

CUm verò incolis Heracliana Civitas non sufficeret, Pastores equorum, & aliorum animalium ad litoralia venientes, Equilium construxerunt, vocatumque est hoc nomine à multitudine equorum, qui ibidem nutriebantur, eaque Urbs Episcopalis subsequenter ordinata est. Interea Acephalorum Hæresis invaluit.

Pars XVIII.

HIc Maximus postquam annis XX. Gradensem rexit Ecclesiam, moriens in Grado in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ tumulatur.

CAPITULUM NONUM.

De Pontificatu Stephani Secundi habens partes VIII.

STephanus Secundus Patriarcha creatus est Anno Domini DCLXX. Hic Parentio Civitate Istriæ natus, ab Episcopis, Clero, & Populo novæ Venetiæ, & Istriæ, qui à Longobardorum jugo exemti erant, Patriarcha electus, & consecratus est.

Pars I.

ADeodatus natione Romanus inter hæc sedit annis IV. mensibus II. diebus V. Cessavit Episcopatus mensibus IV.

Pars II.

COnstantinus itaque Constantis genitus, agnita occisione Patris, de Constantinopoli cum stolo egressus in Sicilia Mezentium invasorem Imperii superavit, & occidit, ac eodem anno Imperium sibi ascripsit, & in Italia rebus dispositis in Constantinopolim remeavit, & Tiberium, & Heraclium Fratres sibi Consortes Imperii suscepit.

Pars III.

SAraceni hoc anno Carthaginem capiunt, & postea Siciliam invadunt, & cum spoliis multis redeunt.

Pars IV.

GRimoaldus Rex post nonum diem flebotomiæ extenso arcu, ut columbam percuteret, venam brachii fregit, & apponentibus Medicis venenata remedia hoc anno defunctus est.

Pars V.

PErtharith verò profugus ut redeat in Italiam, voce Divina monetur, reversusque in Regem sublimatus est.

Pars VI.

ANno IV. Imperii Constantini Iris apparuit in Cœlo mense Martii, & tremuit omnis caro, ita ut dicerent omnes, quòd consummatio Mundi esset.

A

Pars VII.

DOnus natione Romanus sedit anno I. mensibus VI. diebus X. Cessavit Episcopatus mensibus IX. diebus XV. Hic Ravennatem conciliavit Ecclesiam, quæ segregata erat cum autocephalia, cujus Reparatus tunc Præsul erat.

Pars VIII.

STephanus itaque Patriarcha finitis annis V. mensibus II. in Ecclesia sua moritur, & in Capella Sancti Joannis in eadem Urbe sepultus est.

B

CAPITULUM DECIMUM.

De Pontificatu Agathonis habens partes XIII.

AGatho Patriarcha Gradensis factus est Anno Domini DCLXXV. Hic in Justinopoli Civitate Istriæ natus, his diebus electus Patriarcha à Suffraganeis suis novæ Venetiæ & Istriæ consecratus est.

Pars I.

C

AGatho natione Siculus sedit annis II. mensibus VI. diebus III. Cessavit Episcopatus anno I. mensibus VII. diebus XV. Hic Ecclesiam Ravennatem sibi in totum subjecit, & mediator fuit Olympius Dux Imperialis; Archiepiscopus verò Theodorus existebat.

Pars II.

ANno VII. Constantini homines & pecora fulgure peribant, & tanta fuit pluviæ inundatio, quòd nisi quotidianis Litaniis Deus propitiatus fuisset, triturare, vel in horreis blada recondere non potuissent.

Pars III.

D

ANno sequenti per tres menses à parte Orientali à galli cantu usque in mane Cometa apparebat, & ab ea parte maxima mortalitas secuta est.

Pars IV.

AGatho Papa causâ componendæ pacis inter Imperatorem, & Longobardorum Regem, Constantinopolim ivit, & cùm osculum cuidam leproso in porta Civitatis dedisset, ille sanatus est.

Pars V.

E

INterea Saraceni cum stolo immenso Constantinopolim veniunt, & tunc Gallienus Architectus Syriæ ad Romanos confugit ab Heliopoli, ignemque marinum adinvenit, quo usi Romani naves Saracenorum combusserunt, & quatuor cum animabus prorsus incenderunt, & ita victoria potiti sunt. Et propterea inter eos firmata est pax, ita quòd Saraceni Romanis auri librarum tria millia, & viros captivos quinquaginta & totidem nobiles equos annuatim solverent.

Pars VI.

COnstantinus itaque vir modestus & Catholicus restauravit Ecclesias tempore Proavi sui

ſui Heraclii diruptas. Inſurrexit poſtea contra Monethelitas, unde & Sextam Synodum univerſalem Conſtantinopoli congregavit CCLXXXIX. Epiſcoporum, in qua Legati affuerunt Agathonis Papæ, ubi in Chriſto duas eſſe naturas determinatum eſt. Tunc concordia redintegrata eſt inter Latinam, & Græcam Eccleſiam.

Pars VII.

PApæ Agathoni Conſtantinus remiſit, quod ſolitum erat dari Imperatori pro ordinatione Papæ, ita tamen quòd qui Electus fuerit, ordinari non debeat, niſi decretum introducatur in Regiam Urbem, & cum ejus juſſione debeat ordinatio provenire.

Pars VIII.

LEo Junior natione Siculus ſedit menſibus X. diebus XVII. Ceſſavit Epiſcopatus menſibus II. Hic conſtituit pacem dari in Eccleſia, fuitque eloquentiſſimus, in Divinis Scripturis ſufficienter inſtructus, Græca, & Latina Lingua eruditus, & in pauperes pius.

Pars IX.

BUlgarorum gens à Scythia egreſſa ſub Bathlia Duce, tranſacto Danubio per Mœſiam, & Thraciam paſſim graſſatur, & occurrentem ſibi Conſtantini exercitum ſic fugavit, atque contrivit, ut ei Imperator, facta pace, reddere ſic coactus annua pacta; & in eiſdem locis gens prædicta ſuæ habitationis ſtatuit Sedem.

Pars X.

BEnedictus II. natione Romanus ſedit menſibus X. diebus XII. Ceſſavit Epiſcopatus menſibus II. diebus II. Hic ab Imperatore inſtitutus eſt; vita autem ejus concordavit cum nomine.

Pars XI.

POſt Pertharith Cunipertus filius ejus Regnum tenuit; quem Alachis Dux Tridentinus, annuentibus ... i Aldone, & Grauſone Brixianis Civibus Regno, & Palatio Ticinenſi exuere tentavit. Verùm ipſe Rex de Alachis, & ejus exercitu victoriam habuit.

Pars XII.

COnſtantinus Auguſtus fratres ſuos Tiberium, & Heraclium ab Imperio repulit, & filium ſuum ſibi conſortem fecit.

Pars XIII.

HIc quoque Agatho Patriarcha poſtquam Gradenſem Sedem annos X. tenuiſſet, vitæ ſuæ finem feliciter tetigit, & juxta ſuum Prædeceſſorem ſepulturæ traditus eſt.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Pontificatu Chriſtophori habens partes XII.

CHriſtophorus Patriarcha Gradenſis intronizatus eſt Anno Domini DCLXXXV. Hic natione Polanus, vir in pauperes pius, & in fabricandis Eccleſiis ſtudioſus hoc tempore Patriarcha factus eſt.

Pars I.

PEr hos dies Ansfrit Ducatum Forojulianum abſque nutu Regis, Rodoaldo Duci arripuit, & in rebellionem contra Regem ſe poſuit, & Regis tenutas invaſit. Rodoald verò per mare tranſiens Regium exercitum contra invaſorem duxit, quem in Verona (*) captum Rex exoculare, & relegare fecit; & Aldo frater Rodoaldi à Rege Dux Forojulii conſtitutus eſt, cui Fredulphus ſubrogatus Sclavos, ut Forojulium intrarent, invitavit, à quibus cum Forojulianorum Nobilitate occiſus eſt in bello. Corvulus verò poſtea Ducatum tenuit.

Pars II.

JOannes V. natione Antiochenus ſedit anno I. diebus X. Ceſſavit Epiſcopatus diebus XXIX.

Pars III.

COnſtantinus Auguſtus completis annis XVII. in ſuo Imperio, ſatis reparatâ Republicâ, in pace quievit.

Pars IV.

JUſtinianus Secundus Patri ſucceſſit Anno Domini DCLXXXIII. Hic cùm eſſet annorum XVI. temeritate uſus puerili, pacem, quam Pater ejus cum Abimelech Arabum Principe fecerat, ſolvit, & idem cum Bulgaris egit, & removit à mari paratum exercitum, qui Imperium ejus ab impetu Arabum tuebatur.

Pars V.

COnon interea natione Romanus ſedit menſibus II. Ceſſavit Epiſcopatus menſe I. diebus XX.

Pars VI.

SErgius poſtea natione Antiochenus ſedit annis IX. menſibus IX. diebus VIII. Ceſſavit Epiſcopatus menſe I. diebus XX. Hic conſtituit, ut in fractione Corporis Chriſti Agnus Dei ter cantetur. Hic invênit in Sacrario Sancti Petri in obſcuro loco capſam argenteam vetuſtiſſimam, & in ea magnam partem Crucis gemmis ornatam, quæ in Exaltatione Sanctæ Crucis adoranda Populo monſtratur.

Pars VII.

CUniperth Longobardorum Rex moriens Regnum filio ſuo Liutperth derelinquit, eique tutorem inſtituit Anſprandum; ſed Ariperth puerum occidit, & tutorem fugavit, ac Regnum invaſit, Laudamque, & Pergamum cepit.

Pars VIII.

JUſtinianus itaque Sergium Pontificem, qui Actis illius Synodi, quam Conſtantinopoli fecerat contra Sextam Univerſalem Synodum, ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia Protoſpatario ſuo, Conſtantinopolim juſſit deportari. Sed mili-

(*) *Cod. Amb.* Verna.

militia Ravennæ, vicinarumque partium, jussa Principis nefanda contemnens, Zachariam cum contumeliis ab Urbe repulit.

Pars IX.

Defectio Solis facta est horâ tertiâ, ita ut quædam Stellæ claræ apparerent.

Pars X.

Anno X. adversùs Justinianum Leontius Patricius, conspirante secum Gallinico Patriarcha, & carceribus reseratis, solutisque multis retrusis, qui à sex vel octo annis in vinculis fuerant, quorum plures milites erant, cum eis exivit in Hippodromum, moxque Justinianum naribus amputatis apud Chersonam exilio relegavit.

Pars XI.

Leo igitur, qui & Leontius dictus est, sumsit Imperium Anno Domini DCXCVII. quo anno Beda XXX. annum agens floruit in Gallia.

Pars XII.

Ceterum quia Anno XII. hujus Patriarchæ Veneti sibi Ducem præesse decreverunt, à quibus maximè eorum, quæ dicturi sumus, executio dependere dignoscitur: ideo huic Libro finem imponentes, alium inchoabimus, cujus Capitula ab Intronizatione Ducum sument initium.

FINIS LIBRI SEXTI.

LI-

LIBER SEPTIMUS
CONTINENS CAPITULA XIV.

CAPITULUM PRIMUM.

De Ducatu Paulutii habens partes XXVII.

PAulutius Dux laudatus est Anno Domini DCXCVII. quia dum apud hanc Insularem Venetiam gentium multitudo copiosa conflueret, & in Vico quolibet habitaret, Tribuni, & omnes Proceres, & Plebeii cum Patriarcha, & Episcopis, & cuncto Clero, in Heraclia his diebus pariter concurrerunt, ut imminentibus damnis, & periculis obviarent, & suæ Provinciæ decus & statum prosperum in melius augerent. Cùm itaque Tribuni Insularum de prioritate disceptantes, sibi ad invicem deferre non vellent, Longobardi absque resistentia eorum fines pluries invaserunt, qua de re decreverunt unanimiter Ducem sibi præesse, qui æquo moderamine Populum sibi subditum gubernaret, & vim atque potestatem haberet in publicis causis generalem Concionem advocandi, Tribunos etiam, & Judices constituendi, qui in privatis causis, exceptis merè spiritualibus, tam Laicis, quàm Clericis æqualiter jura tribuerent. Ita tamen quòd gravatis quandocumque liceat Ducis remedium implorare, ejusque jussione Clericorum Concilia, & electiones Prælaturarum à Clero & Populo debeant inchoare, & electi ab eo investitionem suscipere, & ejus mandato intronizari.

His enim salubriter ordinatis, Christi nomine invocato, hunc Civem Heracliensem sapientia præditum, & nobilitate conspicuum, concorditer, Ducem constituerunt, & de regimine Ducatus justè, & æqualiter exercendo ei sacramentum præstiterunt, & in Throno cum insignibus Ducalibus posuerunt.

Pars I.

HOc tempore Synodus Aquilegiæ facta V. universalem Synodum à Justiniano Imperatore, & à Vigilio Papa Constantinopoli celebratam suscipere diffidit; sed à Sergio Papa dum salubriter redarguitur, ad concordiam revocatur.

Pars II.

MAjores natu cum devota Plebe Diœcesis Torcellanæ præsidente Deusdedit Episcopo, qui Juliano successerat, Ecclesiam Cathedralem Sanctæ Mariæ de novo construxerunt, & in ea cum devotione, & reverentia deposuerunt Corpora Sanctorum Heliodori Altinensis Episcopi, Liberalis Confessoris, & Trabæ, Trabatæ, & Theonisti Martyrum cum brachio Sancti Jacobi Apostoli.

Pars III.

LEo natione Romanus sedit annis II. mensibus XI. Cessavit Episcopatus diebus XXII. Iste per Patricium Romanorum factus est. Ideo in Romanorum Chronicis non ponitur; & in Decreto sequens Leo III. ponitur.

Pars IV.

ARabes Africam infestant, contra quos Leo direxit Joannnem Patricium, qui cùm pervenisset Carthaginem, Arabes in fugam vertit; deinde ad Imperatorem regressus est, ut majorem haberet apparatum. Interim qui in Africa remanserat exercitus, Absimarum sibi Imperatorem creavit.

Pars V.

ABsimarus, qui etiam Tiberius dictus est, creatus Imperator est Anno Domini DCXCIX. Hic continuò navigans Constantinopolim Leonem subitò apprehensum exilio damnavit.

Pars VI.

JOannes VI. natione Græcus sedit annis III. mensibus II. diebus XIII. Cessavit Episcopatus mense I. diebus XIX. Hic Martyrio coronatur.

Pars VII.

COrvulo Duci Forojuliensi, dum Regem offendisset, oculi eruti sunt. Penon autem Bellunensis natione, homo ingeniosus, de Patria propter seditionem pulsus, Ducatum postea tenuit. Hic Forojulianorum filios in bello mortuorum tamquam proprios enutrivit.

Pars VIII.

EOdem tempore Petrus Aquilejensem gubernabat Ecclesiam.

Pars IX.

JOannes VII. natione Romanus sedit annis II. mensibus VII. diebus XVII. Cessavit Episcopatus mensibus IX. Hic fuit vir eruditus, & facundus, & fecit Oratorium Beatæ Mariæ infra Ecclesiam Sancti Petri, & opere pinxit musaico, & ibi ante Altare sepultus est.

Pars X.

ALiperth Rex Longobardorum justè regnare studens occultè per Regnum interdum ibat, ut sciret quid de eo, suisque officialibus diceretur. Hic donavit Cottias Alpes Romanæ Ecclesiæ.

Pars XI.

JUstinianus superior Imperator de exilio ad Gazariam confugit Turchorum, cujus auxilio, acceptâ ejus germanâ in Uxorem, & auxilio quoque Trebalis Regis Bulgarorum, Imperium recuperat, & Leonem, & Absimarum cum Heraclio fratre suo invasores Imperii jugulat, & Callinicum Patriarcham cœcatum exiliat. Tenuit quoque Absimarus ferme annis VII. Imperium.

Pars

A

Pars XII.

JUstinianus itaque reassumpsit Imperium Anno Domini DCCVI. Hic multis Civibus interfectis, misit in Gazaria pro Theodora Uxore sua, & Tiberio filio suo, quos coronari fecit à Callinico Patriarcha, quem ab exilio revocaverat.

Pars XIII.

SIsinius natione Romanus sedit diebus XX. Cessavit Episcopatus mensibus VI. & magnum schisma fuit in Ecclesia.

Pars XIV.

COnstantinus Primus natione Syrus sedit annis VII. diebus XV. Cessavit Episcopatus diebus XL.

Pars XV.

HOc tempore Justinianus Fidem Orthodoxam, quam priùs execrabatur, amplectitur; & Felicem Archiepiscopum Ravennatem, Romanæ Ecclesiæ rebellem, Constantinopolim ductum exocalavit, & in Insulam Ponti in exilium misit, & Constantinum Papam in Constantinopolim venire fecit, & ab eo communionem suscepit, supplicans vultu in terra dimisso, ut pro suis peccatis oraret, eumque venientem, & redeuntem cum multa gloria prosecutus est.

Pars XVI.

POrrò Justinianus Chersonam, ubi in exilio fuerat, evertere statuit; cùm enim diceret se Imperium reassumpturum, loci incolæ dispo suerant eum interficere, vel ad Absimarum Imperatorem mittere: propter quod fugit, ut prædictum est. Per Mauritium ergo Patricium navigio omnes interfecit præter infantes; & quoties de naso guttam detergebat, aliquem ex conspiratoribus occidi jussit. Tamdem cùm Chersonæ infantes vellet occidere, homines Provinciæ Philippicum quemdam sibi præfecerunt, qui Constantinopolim veniens, Justinianum cum Tiberio filio suo peremit, completis in Imperio suo annis VII.

Pars XVII.

PHilippicus itaque sumpsit Imperium Anno Domini DCCXIII. Hic Bardonicus dictus, mandavit Constantino Papæ literas pravi dogmatis, & quòd Imagines combureret. Quas vir Sanctus consilio Romani Populi respuit, & præcepit, ne ejus nomen in chartis poneretur, aut percussura solidorum reciperetur, aut ad Missarum solemnia recitaretur. Fecerat quoque comburi Sanctorum Imagines, relegans exilio Callinicum Constantinopolitanum Patriarcham, & Joannem Pseudomonachum surrogavit. Et gesta VI. Synodi depicta in porticu Sancti Petri destrui fecit.

Pars XVIII.

BUlgari usque ad Portam Auream Civitatis Constantinopolitanæ invadentes, universâ Thraciâ populatâ, ad propria redierunt.

Pars XIX.

ADversus Philippicum Anastasius insurgens, eum oculis, & Imperio privavit. Tenuit quoque Imperium anno I. mensibus VI.

Pars XX.

ANastasius, qui & Arthemius dictus est, accepit Imperium Anno Domini DCCXV. Hic scripsit literas Constantino Papæ, quibus se fautorem Catholicæ Fidei, & VI. Concilii prædicatorem esse declaravit.

B

Pars XXI.

APud Longobardos Ariperth cùm fugeret à facie hostium suorum, in Ticino flumine submersus est. Asprandus autem post eum Regnum tenuit III. menses.

Pars XXII.

LIutprandus imminente morte Patris in Regali solio positus est, & illo mortuo in Regno confirmatus est.

Pars XXIII.

C

GRegorius natione Romanus sedit annis XVI. mensibus VII. diebus XXII. Cessavit Episcopatus diebus XXXV. Hic constituit VI. Feria jejunari, & Missarum celebrationem per totum annum fieri, quod ante non fiebat.

Pars XXIV.

HIc Paulutius Dux amicitiam cum Liutprando Rege contraxit, & pacta inter Venetos, & Longobardos fecit, per quæ sibi, & Populo suo immunitates plurimas acquisivit, & fines Heracliæ cum Marcello Magistro militum terminavit, videlicet à Plavâ majore usque in Plavam Siccam, sive Plavixellam.

D

Pars XXV.

CHristophorus Patriarcha Anno XXXII. suæ Sedis in Grado mortuus est, & sepultus in Ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ.

Pars XXVI.

DOnatus Patriarcha, natione Placentinus, sedit annis VII. moriensque in Grado in Ecclesia S. Euphemiæ sepultus est.

Pars XXVII.

E

PAulutius itaque Dux, dum Ducatum annis XX. mensibus VI. diebus VIII. feliciter tenuisset, in Heraclia mortuus & sepultus est.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Ducatu Marcelli habens partes XXIV.

MArcellus Dux approbatus est Anno Domini DCCXVII. Nam Comprovinciales Venetiæ cernentes, Ducalem Regimen experimento suo statui fructuosum in Heraclia, convenerunt, & hunc virum satis utilem Ducem constituerunt.

Pars

A

Pars I.

ALbinus Veneticæ Regionis Oceani Britannici confinis factus Andegavensis Episcopus, hoc tempore vita, & miraculis claruit, cujus festum agitur in Kalendis Martii.

Pars II.

ANastasius classem contra Saracenos in Alexandriam direxit, cujus exercitus aliud consilium capiens, de itinere Constantinopolim regressus, Theodosium inquirens Imperatorem elegit, & invitum Regali solio sublimavit. Qui Anastasium apud Nicæam gravi prœlio superavit, eumque apud Thessalonicam exulavit, & Clericum ordinari fecit. Tenuit namque Imperium annis tribus.

Pars III.

THeodosius Adrametinus sumsit Imperium Anno Domini DCCXVII. Hic gesta VI. Synodi fecit repingi, quæ à Philippico deleta fuerant.

Pars IV.

EOdem Anno Gregorius Papa Bonifacium à Britannia venientem Episcopum consecrat Moguntinum, qui Germanos ad Fidem convertit, & in Frisia prædicans Martyrio coronatus est.

Pars V.

ROmæ calamitosa aquarum inundatio Letaniis repressa est.

Pars VI.

PEtronax Civis Brixianus Monasterium Montis Cassini restauravit.

Pars VII.

ADversùs Thedosium elapso anno uno Leo Isaurus Prætor Orientalium insurrexit, & assumens Imperium, indemnem abire permisit; quia benignus fuerat. Ille verò Clericus factus, & postea Episcopus Ephesinus residuum vitæ suæ duxit in pace.

Pars VIII.

LEo Isaurus imperavit Anno Domini DCCXVIII.

Pars IX.

SEquenti Anno Constantinopolitani Saracenis, qui de Ægypto, & Palæstina venerant, prœlio fortiter restiterunt. Tamdem de Monasterio Sanctæ Mariæ Iconem ejus, quam Sanctus Lucas, ipso adhuc vivente, depinxit, accipientes, processionaliter illam deducunt, orantes, ut quæ toties in periculis juverat, nunc etiam opem ferret. Posita igitur Icone super undas, statim procella surrexit, & omnes naves Saracenorum aut mersit, aut fregit. Dicta est autem Icon hodigistia, idest dedutrix, quia duobus cœcis apparuit, & ad Ecclesiam deduxit, ibique eos illuminavit.

Pars X.

INtra Civitatem Constantinopolis propter obsidionem usque XXX. millia ex pestilentia perierunt, & ex Bulgaris & Saracenis usque ad XXXII. millia perierunt.

Pars XI.

HEremitæ cuidam mirabilis visio per Angelum ostensa est de Joseph, & Sancto Gradali, ait Helinandus, qui & historiam de Sancto Gradali scripsit.

B

Pars XII.

LIutprandus Rex Alpes Cottias confirmavit Ecclesiæ, in qua Provincia sunt Terdona, Monasterium Bobii, Genua, & Savona.

Pars XIII.

AD hujus Regis preces Gregorius Papa misit pallium Sereno Antistiti Aquilegiensi, qui Petro successerat, quem à tempore renovationis suæ Sedis prædecessores sui obtinere minimè potuerunt; eique inhibuit, ne umquam aliena jura invaderet, aut temeritatis ausu usurparet Jurisdictionem cujusquam, sed his esset contentus, quæ usque hactenus possederat.

C

Pars XIV.

SErenus posthac Papalis inhibitionis contemtor Regio potitus auxilio fines Gradensis Ecclesiæ minorare nititur: quod Dux, Patriarcha, & Episcopi, atque Plebs Venetiæ, & Istriæ grave ferentes, Papæ cum querimonia insinuant, & ultionem exposcunt. Papa autem de inobedientia Sereni turbatus, ei rescribit, & conquerentibus responsum tradidit continentiæ subsequentis.

D

Pars XV.

„ GRegorius Episcopus Servus Servorum „ Dei. Dilecto Fratri Sereno &c. Tanto „ munere quisque dicatur, quantum in sublimitate positus, de se ex mandato Domini „ Redemptoris humiliter sentit; & nostra Pa„storalis dignitas singulariter ex humilitate „ ornatur; spernendum quippe Apostolica le„ctio arguit elatos. Et si accepisti, quid glo„riaris, quasi non acceperis? Nam dum ad „ cumulum tui honoris, precibus eximii filii „ nostri Regis flexi, plurimum etiam pro recti„tudine Fidei, per quam te, tuamque Eccle„siam amplecti agnovimus, provocati, pal„lium tibi direximus, interdicentes, & inter „ cetera prohibentes, ne umquam aliena jura „ invaderes, aut temeritatis ausu usurpares Ju„risdictionem cujusquam, sed his esses conten„tus, quæ usque hactenus possedisti. Nunc ve„rò, ut cognovimus, Gradensis Patriarchæ ni„teris pervadere jura, atque ex his, quæ pos„sidet nunc usque, usurpare. Ne ergo in „ quoquam existas temerator, ex Apostolica „ auctoritate præcipimus, ne ullo modo termi„nos ab eo possessos excedas; sed in his habe„to, quæ usque modò possedisti, nec ampliùs, „ quàm in finibus procul dubio gentis Longo„bardorum existentibus gressum tendere præ„sumas, ut non injustè suscepisse te gratiam

E

„ col-

„ collatam pallii ex præsumptione ostendas, & „ de Apostolici rigore Concilii, si inobediens „ fueris comprobatus, ultione dignus judiceris.

Pars XVI.

„ GRegorius Episcopus Servus Servorum „ Dei. Dilectis Fratribus Donato Patriarchæ, & Episcopis, & Marcello Duci, „ & Plebi Venetiæ, & Istriæ.

„ Quamquam ex Ministerio, quod miseratione superna gerimus, quicquid providè deliberandum peragere absque obstaculo conveniat, attamen, ne frustra Judicium egisse videamur, illa cupimus prosequi, quæ non ad læsionem cujusquam, sed potiùs ad immunitatem respiciant, & illa satagere, unde non ex potestate divinitus concessa supplicia, sed præmia sperentur. Convenit enim, ut cùm unius votis paremus, alterius jura non fraudentur. Quia igitur missa relatione (*) nos à Deo salvata Communitas vestra petiit contra Forojuliensem Antistitem, agentes, quòd cupiat invadere ditionem Gradensis Patriarchæ, & ut numquam accedere terminum, vel jura invadere aliena, sed in iis, quæ hactenus possedit, se esse contentum; cui etiam in præsenti ne attentet, ex auctoritate Apostolica interdiximus; eique consensum ob hanc esse conditionem, Dilectissimi, sciatis, cui denuo ne præsumat excedere, præcipimus. Ne autem ingenio quodam, aut dissidio, locum gens eorum insidiando, ut assolet, invadat, pervigiles cavete, & potiùs solliciti de vestra, post Divinum præsidium, percogitate salute, quia illud non occasione agitur, sed ubi possunt, Deo eis non resistente, virtuti obtemperare nituntur. Optantes vos de reliquo in amore Domini nostri Jesu Christi pollere, & ab omni immunes adversitate manere. Bene valete.

Pars XVII.

HUsmanus Princeps Arabum hoc tempore vinum inhibuit Saracenis, & Christianos multos Martyres fecit, plurimosque apostatare coëgit, & eis immunitates contulit.

Pars XVIII.

LEo Augustus ex Maria uxore sua genuit filium nomine Constantinum, qui dum baptizaretur fœdavit Fontem, signum exhibens, futuri Ecclesiæ scandali, ut Germanus Patriarcha prophetavit. Hunc Pater Imperii consortem suscepit.

Pars XIX.

ANastasius, qui ab Imperio pulsus fuerat, cum Bulgaribus contra Leonem veniens, ab eo occisus est.

Pars XX.

SAraceni ex Africa in Hispaniam transfretant, eamque subjugant, Duce Abdirama, destructo Regno Wisigothorum & Suevorum.

Pars XXI.

ANno autem quarto Leonis¹, cùm Saraceni, depopulatâ Sardiniâ, locum fœdassent, ubi Corpus S. Augustini ab Hippone translatum fuerat, Liutprandus Rex magno dato pretio corpus obtinuit, & in Papia in Ecclesia S. Petri ad Cœlum-aureum collocavit.

Pars XXII.

POst obitum Donati Patriarchæ, Petrus Polensis Episcopus contra Statuta Canonum ad Gradensem Sedem se contulit, & à Gregorio Papa indignus utraque Sede judicatus, ad supplicationem Cleri, & Populi Venetiæ, & Istriæ, in prima Sede restitutus est. Papa verò supplicantes monuit, ut sinè pretio Pastorem idoneum eligere procurarent, offerens electo pallium in signum Metropolitanæ Dignitatis. (**)

Pars XXIII.

ANtonius Patriarcha natione Paduanus sedit annis XXII. mensibus X. diebus XX. Hic primò Monachus, postea Abbas Monasterii Sanctæ Trinitatis de Brondulo Ordinis S. Benedicti religiosam agens vitam, Patriarcha nunc effectus est. Qui rectam Fidem tenens, ab Hæreticis, & erroribus suo tempore imminentibus Ecclesiam suam immaculatam servavit, & Romanæ semper adhæsit, moriensque Ecclesiam Sponsam in bonis suis Patrimonialibus heredem instituit, & in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ sepultus est.

Pars XXIV.

EOdem tempore Marcellus Dux in Ducatu suo finitis annis IX. diebus XXI. vita cessit, & in Heraclia humatus requiescit.

CAPITULUM TERTIUM.

De Ducatu Ursi habens partes XIII.

URsus Dux confirmatus est Anno Domini DCCXXVI. Hic nobilis Heraclianus incola in Heraclia Dux concorditer factus, decus Patriæ inclytis actibus plurimum auxit. Perniciosum tamen exitum habuit, ut subsequentia gesta indicabunt.

Pars I.

SEreno quoque Aquilegiensi Præsuli Callistus Ecclesiæ Tarvisinæ Archidiaconus, annitente Luitprando Rege, successit; & Penon Dux Forojulianus apud Lauriam cum Sclavis bellum agens, magna eos cæde prostravit, & tamen in eodem loco cum eis pacem fecit, & ex illo tempore cœperunt Sclavi Forojulianorum arma timere.

Pars II.

EOdem tempore Luitprandus Ravennam obsedit, Classem invasit, atque destruxit, & post diutinam obsidionem Ildeprandus Regis Nepos, & Peredeus Vicentinus Dux Ravennam obtinuerunt. Exarchus autem Ravennas furorem Longobardorum evadens, in Venetia tutatus est; & propterea Gregorius Papa sibi compatiens, Patriarchæ, & Duci duas divisim infrascripti tenoris scripsit Epistolas.

Pars

(*) *Cod. Amb.* legatione.
(**) *Cod. Amb. addit*: extant literæ Pontificiæ sub *Tom. XII.*

¹ Leonis anno IX. qui, ut puto, respondet Anno Domini DCCXXVII.

A

Pars III.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Urso Duci Venetiarum &c. Quia peccato faciente Ravennatium Civitas, quæ caput erat omnium, à nec dicenda Gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius Dominus Exarchus apud Venetias, ut cognovimus, moratur; debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum Sanctæ Reipublicæ in Imperiali servitio Dominorum filiorumque nostrorum Leonis & Constantini Magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatium Civitas, ut zelo & amore Fidei nostræ in statu Reipublicæ, & Imperiali servitio firmè persistere, Domino cooperante, valeamus. Deus te incolumem custodiat, Dilectissime Fili.

Pars IV.

DUx autem cum Venetis zelo Fidei accensis cum navali exercitu Ravennam properantes, Urbem impugnant, & Hildeprandum Nepotem Regis capiunt, & Peredeum Ducem Vicentinum, viriliter pugnantem, occidunt; & obtenta Urbe Exarchum in sede restituunt. Quæ quidem Venetorum probitas, & fides laudabilis, testimonio Pauli gestorum Longobardorum Historiographi comprobantur.

Pars V.

INterea Leo Imperator à quodam Beser refuga Fidei seductus contra Imagines Christi, & Sanctorum ejus, bellum indicit, easque ubique deponi, & incendi edicit; mandavitque Gregorio Papæ, ut idem Romæ faceret; sed Pontifex, hoc contempsit, & Imperatorem excommunicavit. Et, ut Paulus, & Sicardus Episcopus testificantur, Exercitus quoque Ravennæ, & Venetiarum, fervore Fidei unanimiter restiterunt; elegissentque alium Imperatorem, nisi prohibuisset Pontifex. Cùm igitur plerique Constantinopolitani Imperatori resisterent, aliqui martyrizantur; & tunc passa est Sancta Theodosia.

Pars VI.

PEr idem tempus Carolus Martellus bellicosissimus, qui primo anno Anastasii successit Patri Pipino, subjugat Saxones, Frisios, Sucvos, Bavaros, & Alemaniam sibi fecit vectigalem, interfecto ejus Duce, Aquitaniam graviter vastat; & denique Lugdunum, & alias Civitates Burgundiæ sibi subjicit. Cùmque multitudo hostium, & assiduitas bellorum sibi incumberet, res Ecclesiasticas militibus suis concessit, pro qua re Sanctus Roticius Aurelianensis Episcopus vidit animam ejus in Inferni suppliciis detineri.

Pars VII.

GRegorius III. natione Syrus sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXIV. Cessavit Episcopatus diebus VIII. Hic addidit in secreta, *quorum hodie solemnitas in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Dominus Deus noster, in toto Orbe terrarum*. Hic videns Leonem incorrigibilem, Romam, Italiam, & Hispaniam ab ejus potestate discedere fecit, & vectigalia interdixit. Et Leo Augustus Germanum Patriarcham sibi resistentem deposuit, & Anastasium Hæreticum surrogavit.

Pars VIII.

CAllistus Præsul Aquilegiensis hoc tempore Insulas, quæ Centenaria, & Musiones Jurisdictionis Gradensis Ecclesiæ vocantur, occupans, subsequentes literas à Gregorio Papa suscepit.

Pars IX.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei.

„ CAllisto &c. Jam Triennium evolutum de-
„ cessoris nostri tempore. *Et infra*: Co-
„ gnovimus enim, quia aviditate devictus abu-

B

„ su illicito pervaseris possessiones, quæ Cente-
„ naria, & Musiones nuncupantur, pertinentes
„ Monasterio Sanctæ Dei Genitricis sito in In-
„ sula Barbiana, quas prisco & longo tempore
„ possidet sancto jure Gradensis Ecclesia, &
„ ejus hactenus fuerat ditionis: quod quia alie-
„ na nulli licet invadere, præcipuè Sacerdoti-
„ bus, quia contra Deum est, præcipimus
„ Beati Petri Apostolorum Principis auctorita-
„ te, cui à Domino, & Salvatore nostro li-
„ gandi, atque solvendi in Cœlo Terraque po-
„ testas concessa est, ut ea, quæ pervadere
„ contra Legem ausus es, in præsenti cum om-
„ nibus pertinentibus Gradensi Patriarchæ re-
„ stituere debeas, cujus ditioni pertinere vi-

C

„ detur. Scias enim, si extiteris temerator, &
„ reddere distuleris aliena, Apostolicæ Senten-
„ tiæ Canonicæ te subjacere correctioni atque
„ pœnitentiæ, dum justa fueris condemnatus
„ sententia.

Pars X.

CAllistus, receptis admonitionibus Papalibus, ad cor rediens, invasas Insulas Ecclesiæ Gradensi resignavit.

Pars XI.

PApa Gregorius Synodum DCCCIII. Episcoporum Romæ congregavit, ubi veneratio Imaginum Sanctorum confirmatur, & violatores anathematizantur.

D

Pars XII.

HUic Synodo Antonius Patriarcha cum Episcopis Venetiæ, & Istriæ, Suffraganeis suis, per literas Papales admonitus, personaliter adfuit, & inconcussam Fidem tenens, quod gestum est, comprobavit.

Pars XIII.

HIc Ursus Dux postquam tenuerat Ducatum annis XI. mensibus V. inter Venetos civilibus bellis exortis, nequiter occisus est.

E

CAPITULUM QUARTUM.

De Præfectura Dominici Leonis habens partes duas.

DOminicus Leo Magister Militum præsidere cœpit Anno Domini DCCXXXVII. quia Veneti, occiso eorum Duce, in novi Ducis promotione discordes annualem Rectorem sibi præesse statuerunt, quem Magistrum Militum appellaverunt, quæ quidem Dignitas secundùm Græcorum usum Tribunatu major, super eos, & cunctum Populum potestatem obtinet.

Pars

Pars I.

GRavis sanè per idem tempus inter Penonem Ducem Forojulii, & Callistum Patriarcham discordiæ rixa surrexit, quia Callistus in Aquilegia propter Romanorum incursiones nequiens habitare, in Cormono Sedem suam tenebat; & contra Amatorem Episcopum Fidentii successorem, qui in Castro Forojulii Diœcesis Aquilegiensis cum voluntate Ducis Sedem habebat, indignatus, eum de Forojulio expulit, & in ejus domo sibi habitationem fecit. Quem Dux propterea capiens, ad Castrum Putium, quod supra mare est, adduxit, & in mare præcipitare voluit; sed tamen Deo inhibente minimè fecit. Intra carcerem tamen detentum pane tribulationis substentavit. Quod Luitprandus audiens, Ducatum Penoni abstulit, & Ratchis ejus filium subrogavit.

Pars II.

PRæfuit autem hic anno uno regimini Venetorum.

CAPITULUM QUINTUM.

De Præfectura Felicis Corniculæ Magistri Militum habens partes duas.

RAtchis Dux Forojulii effectus in Carniolam Sclavorum Patriam cum suis ingressus, magnam multitudinem Sclavorum interficiens, eorum omnia devastavit; ubi cùm Sclavi subitò super eum irruissent, & ipse adhuc lanceam suam ab armigero non abstulisset, eum, qui primus occurrit ei, clava, quam manu gestabat, percutiens, ejus vitam extinxit.

Pars I.

FElix Cornicula Magister Militum gubernare cœpit Anno Domini DCCXXXVIII. Hic Vir humilis, & pacificus, Venetos discordes ad Concordiam revocavit, & Deusdedit occisi Ducis filium, quem occisores exulaverant, repatriare fecit.

Pars II.

HIc Felix uno anno rexit Venetiam.

CAPITULUM SEXTUM.

De Præfectura Deusdedit Magistri Militum habens partes duas.

DEusdedit Magister Militum regere cœpit Anno Domini DCCXXXIX. Hic occisi Ducis filius ab exilio revocatus, Magisterii militaris honore decoratus est à Venetis suæ injuriæ avidis aliqualem satisfactionem impendere.

Pars I.

HOc tempore fuit in loco, cui Forum nomen est juxta fluvium Tanarum vir miræ sanctitatis Bandolinus nomine, qui multis refulsit miraculis. Huic quoque non dissimilis apud Veronensem Civitatem Theudelapius nomine fuit, qui ambo inter miranda, quæ patrabant, præsago etiam spiritu multa, quæ erant ventura, prædixerunt.

Pars II.

SAnè hic Deusdedit Solium anno uno tenuit; & in aliquibus Codicibus invenitur, quod Solium tenuerit duobus annis, quod completo primo anno pro secundo denuo fuit approbatus.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Præfectura Jubiani Hypati Magistri Militum habens partes duas.

JUbianus Hypatus Magister Militum præesse cœpit Anno Domini DCCXL. Hic ex munificentia Imperiali Hypatus, idest Consul Imperialis, jam factus, vir nobilis, & virtute perspicuus, hunc honorem promeruit obtinere.

Pars I.

EOdem anno Luitprandus Rex in languorem decidit, quem Longobardi mori existimantes, Ilprandum nepotem ejus Regem levaverunt, cui dum contum, sicut moris est, traderent, in ejus conti summitate cuculus avis volitando veniens insedit. Tunc hoc portentum visum est significare Principatum inutilem fore. Rex autem, cùm hoc cognovisset, non æquo animo tulit; tamen convalescens eum Regni sui consortem habere voluit.

Pars II.

UNo quoque anno Jubianus huic præfuit solio.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Præfectura Joannis Febriciaci Magistri Militum habens partes duas.

JOannes Febriciacus Magister Militum præfuit Anno Domini DCCXLI.

Pars I.

HIs quoque diebus Gregorius Papa misit claves Confessionis Sancti Petri Carolo Martello, ut Romanam Ecclesiam à Langobardis defenderet, quoniam Luitprandus Rex Romam obsidebat.

Pars II.

HIc Joannes nondum sui honoris anno completo, à Venetis depositus, & oculis privatus est.

CAPITULUM NONUM.

De Ducatu Deusdedit habens partes XVII.

DEusdedit Dux decretus est Anno Domini DCCXLII. Quia Veneti experimento probaverant annuales Rectores sibi inutiles esse, in Mathemauco congregati hunc filium Ursonis Ducis occisi unanimiter Ducem elegerunt, & in eodem loco Ducis Sedem constituerunt. Hic quia nobilis erat, Imperialisque, Hypati, idest Consulis, honore fungebatur.

Pars I.

LEo Imperator XXIV. anno Imperii sui defunctus est.

Pars II.

COnstantinus natus Leonis solus imperare cœpit Anno Domini DCCXLII. Hic Caballinus, & Copronimus dictus est, qui impietati Patris addidit maleficia & cruenta Sacrificia, luxuriisque semper operam dedit.

Pars III.

ZAcharias natione Græcus eodem anno sedit annis X. mensibus III. Cessavit Episcopatus diebus XLI. Hic Carolo Martello, qui Romanam Ecclesiam, & Italiam à Longobardis liberaverat, imminentibus bellis assiduis decimas concessit. Ille verò res Ecclesiarum plus justo concessit Militibus. Qui mortuus Aquilegiæ in Italia, ad Monasterium Sancti Dionysii translatus est.

Pars IV.

HIc Papa inveniens etiam Rempublicam plurimum turbatam, annis XX. firmavit pacem cum Longobardis, & Dialogum Beati Gregorii de Latino in Græcum transtulit.

Pars V.

ILprandus post obitum Luitprandi solus Regnum tenuit Longobardorum mensibus VII.

Pars VI.

RAtchis Dux Forojulii subsequenter in Regno Longobardorum Ilprando successit, qui elapsis IV. annis, mensibus IX. dum rupto fœdere Romam inquietare nititur à Zacharia Papa non solùm reprimitur, sed ejus etiam instinctu cum uxore & filiis Romam veniens Monachus efficitur.

Pars VII.

PAulus vir Orthodoxus edicto Constantini inhibentis Imaginum venerationem resistens, variis tormentis jubetur affligi; & cùm perseveraret, erutis oculis, tantum per forum transjectus est, quòd spiritum emisit, & jam mortuus ad partes Alpatis pro esca canibus projectus, à Viris Catholicis conservatus est, & denique sub Petro Ziano Venetias deportatus.

Pars VIII.

ÆMilianus Patriarcha, natione Æmiliæ sedit annis VIII. diebus V. Hic primò Diaconus, postea Archidiaconus Gradensis Ecclesiæ fuit, moriensque in Ecclesia S. Euphemiæ sepultus est.

Pars IX.

CArlomannus frater Pipini Regis Divino timore compunctus, post aliquot annos Principatus sui Romam adiit, ibique à Zacharia Papa in Monachum tonsus, cùm multos Francos Romam venientes gratiâ visitationis haberet infestos, Montem Casinum petiit.

A

Pars X.

HIldericus in Regno Franciæ Theodorico successit fratri, quia absque liberis decesserat; & cùm esset Hildericus inutilis, Pipinus II. Francorum Princeps Legatos misit ad Zachariam Papam, consulens quis potiùs regnare deberet, vel qui magnos pro Regni pace subiret labores, vel qui otio deditus solo Regio nomine contentus esset. Cui Papa remandavit, illum regnare debere, qui bene ageret Rempublicam. Quâ responsione Franci animati Hilderico Rege Monastico habitu in Monasterio detruso, nullâ delatâ reverentiâ tantorum Progenitorum effœminato viro, Pipinum Regem constituunt in Civitate Suesiona; & rogante Zacharia Papa, à Longobardis validissimos muros factos in angustiis Montium destruxit, plurimis interfectis, in quo facto progenies Chlodovæi defecit, quia Reges Francorum solo nomine gubernabant. Erat autem apud eos Princeps coadjutor de cognatione, qui ex officio vocabatur Majordomus, qui totum Regnum regebat, quorum primus fuit Arnulphus postea Episcopus Metensis, Angisus filius ejus, Pipinus Grossus, Carolus Martellus, Pipinus Nanus, & Carolus Magnus Imperator.

B

Pars XI.

AIstulphus, qui Dux Forojulii erat, fratre Rachis facto Monacho, hoc tempore in Regno Longobardorum succedit.

C

Pars XII.

HIc Rex terminos Heraclianæ Civitatis designato tempore Paulutionis Ducis, & Marcelli Magistri Militum, integraliter confirmavit de Plave majore, usque in Plavem siccam.

Pars XIII.

STephanus II. natione Romanus sedit annis V. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus mens. I. diebus V.

D

Pars XIV.

ANno Constantini undecimo Aistulpho Rege contra Romanos adeò exardescente, ut tributum exigeret ab uniuscujusque capite, Stephanus Papa ad expetendum Pipini auxilium cogitur in Franciam ire. Mittitur etiam Carlomannus Monachus ad fratrem suum Pipinum à Rege Longobardorum ad perturbandam Apostolicam petitionem. Porrò Pipinus, ut Papam venire audivit, per tria milliaria de equo descendens, terræ prostratum in via cum Conjuge & filiis, stratoris vice usque ad Palatium deduxit.

E

Pars XV.

SEquenti anno Pipinus Italiam aggreditur, absolutus cum omnibus Principibus Franciæ à fidelitate Ilderici priùs Regis Franciæ, & superato Aistulpho ad nutum Francorum, ille cum Romanis componere cogitur.

Pars XVI.

HOc tempore Terræmotus horribilis factus est, ita ut Urbes aliquæ ex parte submersæ sint.

Pars

Pars XVII.

HIc Deusdedit Dux anno XIII. Ducatus, dum pro sui tutela ædificationi Castri fortissimi ex alia ripa Brentalis Portus operam daret, auctore Galla viro sceleratissimo à Venetis Ducatu & oculis privatus est.

CAPITULUM DECIMUM.

De Ducatu Gallæ habens partes IV.

GAlla Dux Ducatum arripuit Anno Domini DCCLV. Hic perpetrato scelere Mathemaucum vênit, & Ducis sedem, & titulum arripuit.

Pars I.

VItalianus Patriarcha natione Lucanus interea sedit annis XII. diebus XV. Hic Diaconus, & Protonotarius Gradensis Ecclesiæ fuit.

Pars II.

HOc favente, Stephanus Papa, supplicatione Cleri, & Populi Justinopolitani placatus, indulsit, ut Justinopolitana Ecclesia amodo Cathedralis existeret, sicque Joanni à Clero, & Populo ejusdem Ecclesiæ electo, hic Patriarcha confirmationem, & consecrationem contulit, & sponsionem Metropolitano debitam ab eo suscepit, & eo mortuo Senatori successori ejus subsequenter fecit.

Pars III.

CArlomannus Monachus Viennæ moritur.

Pars IV.

ADversùs hunc Gallam, dum ducasset anno I. mensibus II. Venetici unanimiter insurgentes, eum oculis & dignitate privarunt; & sic supplicium, quod injustè prædecessori intulit, nunc debitè in se ipso suscepit.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Ducatu Dominici Monegario habens partes XIII.

DOminicus Monegario Dux assumptus est Anno Domini DCCLVI. Hic origine Mathemaucensis, in Mathemauco præsentialiter factus est Dux.

Pars I.

SAnè uti mos vulgi est, qui numquam in proposita voluntate persistens, sed quadam superstitiosa stultitia varias adinventiones excogitans, in hujus Ducis creatione duos Tribunos annuales, qui sub eo consisterent, sibi præposuerunt.

Pars II.

EOdem Anno Constantinus Synodum congregat CCCXXX. Episcoporum in Constantinopoli, ubi edictum proponitur de Sanctorum Imaginibus deponendis, & Ecclesiam Dei nimium scandalizat.

Pars III.

STephanus Papa dum contra Longobardos, qui Romanorum terras invaserant, auxilium expetisset, à Constantino Augusto non solùm obtinere non potuit, sed illum conspiratione cum Rege facta contrarium habuit. Propter quod Papa sententiam excommunicationis in illos tulit, Regnumque Apuliæ abstulit, & ut esset Ecclesiæ perpetuò sanxit.

Pars IV.

AIstulphus rupto fœdere Romam obsidet. Pipinus Italiam repetens eum in Papia inclusum obsedit, & ad reddendum Sancto Petro quæcumque erant sui juris coëgit, Ravennam insuper donans & XX. alias (*) Civitates. Pipinus autem Patricius Romanorum factus est.

Pars V.

EOdem Anno Aistulphus in venatione pergens Divino ictu percussus interiit.

Pars VI.

DEsiderius itaque, qui Dux Istriæ erat, auxilio Papæ factus est Rex Longobardorum. Hic omnia supradicta sub sacramentis Papæ confirmavit, & Faventiam cum Castro Tibiaco, seu Gabellum cum Ferrariense Comitatu in integrum addidit.

Pars VII.

PAulus natione Romanus sedit annis X. mense I. Cessavit Episcopatus anno I. mense I. Hic constituit Officium celebrari in Quadragesima ante horam VI.

Pars VIII.

CRescente Francorum Regno, & decrescente Græcorum Imperio, Legati Constantinopolitani venerunt ad Pipinum cum magnis muneribus apud Compendium.

Pars IX.

TAxillo etiam Rex Bavarorum fidelitatem, & subjectionem ei exhibuit, & consequenter Saxones tributarios sibi fecit, quos gravi bello superaverat.

Pars X.

GUayfarium magnum Aquitaniæ Ducem prœlio pressit, & obsides dare coëgit. Iterum rebellante Guayfario atque Taxillone, post diversa prœlia primum occidit, secundum sufficienter oppressum subjugavit.

Pars XI.

DEcimo octavo anno Constantini Abdalas Princeps Saracenorum persequitur Ecclesiam Dei.

Pars

(*) *Cod. Amb.* Ravennam scilicet, & Romaniæ alias Civitates.

Pars XII.

VIgesimo primo Anno Turchi à Caspiis portis erumpentes Armeniam infestant, in quorum Patria cùm antiquo tempore pestilentia fuisset, suasu Christianorum in modum Crucis se totonderunt; & quia per hoc signum salus Patriæ reddita est, hunc tondendi ritum tenuerunt.

Pars XIII.

SEquenti anno Veneti conspiratione facta hunc Ducem, dum ducasset annis VIII. oculis & sede exuerunt.

CAPITULUM DUODECIMUM.

De Ducatu Mauricii habens partes XXXII.

MAuricius Dux pronunciatus est Anno Domini DCCLXIV. Hic in Heraclia natus, genere nobilis, & inclytis gestis nobilior, apud Mathemaucum nunc Dux effectus est, qui justè Regimen exercens discordes Cives reconciliavit, & ab Italicis turbationibus suo tempore imminentibus Venetorum Patriam illæsam servavit.

Pars Prima.

PEr idem tempus Constantinus Leonem natum ejus Imperii consortem suscepit.

Pars II.

JOannes Patriarcha natione Tergestinus sedit annis XXXVI. Hic vir pius & Catholicus suæ sedis tristem consecutus est exitum.

Pars III.

COnstantinus natione Romanus sedit anno I. mense I. Hic ex laico subitò ordinatus tyrannica ambitione Papatum invasit, & magno scandalo fuit Ecclesiæ; & manus Sergii, qui eum consecravit, aruit. Hic zelo fidelium ab Ecclesia deturbatur, & privatur oculis, & contra eum Philippus quidam electus fuit.

Pars IV.

PIpinus Rex Turonis infirmatur, & deportatus Parisiis moritur.

Pars V.

CArolus autem Patri in Regno successit; cum fratre Carolomanno biennio regnavit; solus verò annis XLVII. Hic pro felicitatis magnitudine dictus est Magnus.

Pars VI.

HUjus prima expeditio fuit in Aquitania contra Hunaldum bella inibi commoventem, & Lupum Ducem Vasconiæ, qui fecit Franciacum Castellum contra Burdegalam; utrumque autem per deditionem accepit.

Pars VII.

STephanus III. natione Siculus sedit annis III. mensibus V. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus diebus XXVIII. Hic ab Italia, & Anglia congregato Concilio Romæ, omnes ordinatos à Constantino degradat, ita ut Laici ab eo in Diaconos, vel Presbyteros ordinati degradarentur; & constituit, ut omni die Dominico cantaretur Gloria in excelsis Deo.

Pars VIII.

HUic Papæ Joannes Patriarcha de Rege Longobardorum, qui Clerum & Populum Istriensem personaliter & realiter affligebat, & de Episcopis Istriæ, qui ejusdem favore à Jurisdictione sua se subtraxerant, mutuò se consecrantes, per suas literas querelam deposuit, & opportunum requirit remedium.

Pars IX.

STephanus itaque Papa pari clade confectus, Patriarchæ respondet:

„ Reverendissimo & Sanctissimo Fratri Joanni „ Episcopo Stephanus servus servorum Dei „ Episcopus. *Et infra:* Suscepit itaque conspicuis Sanctitatis vestræ apicibus, eisque relectis, magna te Reverentissime Frater, angustia mœroreque fore attritum cognovimus à „ perfidis, & malignis Civibus vestræ Istriarum „ Provinciæ. Pro quo & noster protinus animus eadem lugubria attritus est; sed tamen „ fas nequaquam exigit, nostras, vestrasque „ mentes hoc nocumento odio affici & mœrore, quoniam certè confidimus, quòd jam „ prope est Dominus, ut arrogantium ferocitatem dejiciat, & humilium lachrymas, & „ gemitum consoletur. Quippe nos, carissime „ Frater, Deo propitio totis viribus inhianter „ satagimus decertandum, sicut Prædecessor „ noster sanctæ recordationis Dominus Stephanus Papa, ut vestra redemptio, atque salus, „ & immensa securitas, quemadmodum nostra, opitulante Divina misericordia, proficiat. Quoniam in vestro pacto generali, „ quod inter Romanos, Francos, & Longobardos dignoscitur provenisse, & ipsa vestra „ Istriarum Provincia, ut constat, est confirmata, atque annexa simul cum Venetiarum „ Provincia: Ideo confidat in Deo immutabili „ Sanctitas tua, quia ita fideles Beati Petri „ studuerunt ad serviendum jurejurando Beato „ Petro Apostolorum Principi, & ejus omnibus „ Vicariis, in Sede ipsius Apostolica usque in „ finem Seculi sessuris, in scriptis contulerunt „ promissionem, ut sicut hanc nostram Romanorum Provinciam, & Exarchatum Ravennatium, & ipsam quoque vestram Provinciam pari modo ab inimicorum oppressionibus semper defendere procurent. *Et iterum in fine:* Petisti etiam, Sanctissime Frater, „ corripi Episcopos Istriæ, ut à tanta & iniqua „ resipiscant temeritate. Qui quidem tuis annuentes votis, nostra Apostolica scripta eisdem „ contumacibus Episcopis dereximus, tam illi, „ qui eamdem illicitam perpetrare ausi sunt „ consecrationem, quàmque eis, qui ab ipsis „ enormiter ordinati sunt, obligantes eos validis interdictionibus, atque sacro Sacerdotali „ officio, & proprii honoris dignitate, sicut „ contemtores, privare studuimus.

Pars X.

EPiscopi quoque Istriæ, receptis Papalibus admonitionibus, seculari contagione polluti resipiscere noluerunt.

Pars

Pars XI.

CArolus secundo anno in Wormatia generali Curia celebrata limina Apostolorum visitare disposuit.

Pars XII.

ANno tertio Carlomannus frater ejus moritur, & uxor cum filiis, & Anglario ad Desiderium Regem confugit. Sic ad Carolum Magnum totum Regnum devolvitur.

Pars XIII.

HIs diebus Mauricius Dux Venetiarum, & Imperialis Consul jam effectus, compatiens Istriensi Populo, & dolens de minoratione Gradensis Ecclesiæ propter intolerabilem Longobardorum sævitiam, per suos Legatos Magnum Presbyterum Scriniarium, & Constantinum Tribunum, unà cum Patriarcha Stephano Papa insinuat. Sed Papa, superveniente obitu, ut optabat, plenè providere non potuit.

Pars XIV.

HAdrianus natione Romanus sedit ann. XXIII. mensibus X. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus diebus III. Hic ad tuendas res Ecclesiæ Carolum accersit. Desiderius enim cuncta, quæ Ecclesiæ dederat, abstulit Papæ, totam affligens Italiam. Carolus autem per montem Cinisium transiens, Desiderium cum suis fugat, & in Papia tandem obsidet, & post VI. Menses ibi relicto Exercitu, rationis causâ Romam pergit; & cùm appropinquaret per unum milliare, pedestris ivit; & omnes gradus Ecclesiæ sigillatim deosculans, ad Papam pervênit. Civitates, & Territoria Beato Petro concessit; & postea Papiam rediens, diviso exercitu Urbes ultra Padum cepit, ubi Anglarius cum uxore, & filiis Carlomanni latebat, seque cum illis Carolo dedit.

Pars XV.

PApia itaque pestilentiâ gravata portas Carolo aperuit Anno DCCLXXIV. & Desiderio capto, & in Franciam ducto, Regnum Longobardorum finem habuit. Filius tamen Desiderii Aldelgisius nomine per mare Constantinopolim transiens bella multa postea commovit.

Pars XVI.

USque ad hæc tempora Insulæ omnes in quibus primò Patavini Cives incolatum habuerunt, sub uno tantùm Episcopo, scilicèt Mathemaucensi, extiterunt. Nunc verò parte subtracta Cleri & Populi, pari collaudatione, in Castro Insulæ Olivolensis vetustissima Sedes Cathedralis instituta est, eique coadhærentes Insulæ geminis Rivoalti, Rupii, & Dorsoduri suppositæ sunt, quæ Privilegio Hadriani Papæ roboratæ fuerunt.

Pars XVII.

POst hæc Venetorum Populi & Cleri Synodus adunata, assistentibus Duce, & Patriarcha, Obelerium Clericum filium Hencageli Tribuni Mathemaucensis Sedis prædictæ Episcopum laudavit, & laudatus à Duce investitus, & intronizatus, à Patriarcha quoque consecratus est XI. Ducis anno. Titulus autem ei juxta Græcam pronunciationem Episcopus Olivolensis decretus est, secundùm Latinam verò Olibolensis. Tenuit quoque Episcopatum annis XXIII.

Pars XVIII.

POstquam reddidit Carolus cuncta Beato Petro, quæ Longobardi acceperant, & quæ Pater suus concesserat adjuncto Ducatu Spoletano, atque Beneventano, Hadrianus Papa cum Concilio CLIII. Episcoporum, & aliorum, dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam. Dignitatem quoque Patriciatus, insuper Archiepiscopis per universas Provincias investitura conferendi, sinè qua nullus debeat consecrari; omnesque huic Decreto rebelles anathematizavit, & obstinatè persistentium bona publicari jussit.

Pars XIX.

PEr hos dies Patriarcha Hierosolymitanus de Terra Sancta expulsus ad Constantinopolitanum Imperatorem accedens nuncios suos cùm literis Carolo misit, dicens: Age jam Auguste. Qui jussionibus Dei refugit obedire, minimè poterit culpam evadere. Rex igitur illachrymatus est pro Domini Sepulchro, jussitque Tribunum Archiepiscopum literas coram toto Populo exponere, quibus intellectis omnes proficisci Regem precantur. Tunc Rex per edictum proponit, ut omnes, qui possent arma ferre, secum contra Paganos irent, & qui eum non sequerentur, cum IV. libris nummorum servus fieret. Majorem itaque congregavit Exercitum, quàm fuisset, & profectus est.

Pars XX.

CUm autem pervenisset Hierusalem, fugatis Paganis, & recuperatâ Terrâ Sanctâ, obtinuit Carolus licentiam repatriandi ab Imperatore, postquam uno die Constantinopoli secum steterat. Et cùm cognovisset jocalia præparata, & Animalia diversi generis & coloris, aurum, & gemmas: quærit à Proceribus suis consilium, ne inurbanus appareat, quid agere debeat. Respondent illi, quòd à nemine quicquam deberet accipere pro opere, quod solius Dei amore susceperat. Approbat ipse consilium, eisque mandat, ut præsentata non dignentur aspicere.

Pars XXI.

COactus tamen precibus, vel Christi amore munus aliquod suscipere dignaretur, petiit sibi dari de Reliquiis Passionis Christi. Indicto ergo triduano jejunio, & peracta Letania, Carolus obtinuit Coronæ, & Ligni Crucis partem, unum de Clavis, Sudarium, Fasciam Christi, Camisciam Beatæ Virginis, & brachium senis Simeonis, quas rediens in Capellâ sua Aquisgrani deposuit, ubi plurimi variis languoribus oppressi sanati sunt.

Pars XXII.

COnstantinus itaque Augustus Anno XXXV. elapso post obitum Patris, incendii plaga divi-

divinitus percutitur, & clamans: *adhuc vivus, igni sum inextinguibili traditus*, miserabiliter moritur. Cujus corpus Theodora Christianissima consors sequentis Constantini de Sepulchro extrahi, & in platea comburi, & pulverem in mare jactari fecit consilio Theodosii Patriarchæ.

Pars XXIII.

LEo filius, qui dictus est Chazarus, solus imperare cœpit Anno Dom. DCCLXXVII.

Pars XXIV.

HHjus anno primo quibusdam in Italia rebellionem meditantibus, rediit Carolus Forojulium, cepit Rolandum ducem rebellionis, & decapitari jussit.

Pars XXV.

CApto similiter Tervisio urbe, ceteris majestate sui nominis terrorem incussit.

Pars XXVI.

SEcundo anno in Hispania Carolus Cæsar Augustus vastando Pampiloniam obsedit, muros destruxit, Vascos, duosque Saracenorum Regulos sibi subjecit, aliasque urbes in deditionem accepit. Albiam flumen transit, ibique in ejus gratiam Bardaganenses (*) in vera Dei Religione baptismum suscipiunt.

Pars XXVII.

EOdem anno Veneti avidi Mauricio Duci satisfacere, qui in negotiis publicis laudabiliter se habuerat, Joannem ejus natum dignitatis consortem, & postea successorem collaudarunt; duosque Duces eodem tempore Veneti habere cœperunt, perniciosæ rei exemplum successoribus relinquentes.

Pars XXVIII.

QUinto anno Leonis Carolus orationis gratiâ Romam veniens filios misit Reges Pipinum super Italiam, Ludovicum super Aquitaniam, Carolum super Saxoniam.

Pars XXIX.

CArolus etiam suâ munificentiâ Adelfonsum Regem Galliciæ, & Reges Gothorum sic attraxit, ut eum non aliter, quàm suum Dominum nominarent, seque subjectos, & servos illius.

Pars XXX.

LEo Imperator cùm insaniret cupiditate circa lapides pretiosos, adamavit magnam Ecclesiæ Coronam; & accipiens portavit eam; & exierunt corbunculi in capite ejus; & captus à febre quinto Imperii sui anno moritur.

Pars XXXI.

HIrene cum Constantino filio suo imperare cœpit Anno Domini DCCLXXXII. Horum Anno primo quædam lamina aurea invenitur, & in ea Vir jacens cum hac scriptura: Christus nascetur ex Virgine. Et credo in eum. Sub Constantino, & Hirene ò Sol iterum me videbis.

(*) *MS. Amb.* & Verodiutæ baptismum &c.

Pars XXXII.

MAuritius quoque Dux Venetiarum plenus dierum XXIII. sui Ducatus Anno dies suos feliciter terminavit.

CAPITULUM DECIMUMTERTIUM.

De Ducatu Joannis habens partes XXVI.

JOannes Dux solus Ducatum tenuit Anno Domini DCCLXXXVII. Hic post obitum Genitoris solus in Mathemauco sceptrum tenuit, qui verbo & opere Patri dissimilis commoda Patriæ non bene tractavit, perniciosumque suscepit exitum.

Pars I.

EOdem Anno signum Crucis in vestibus hominum apparuit.

Pars II.

SEcundo Anno Henricus Dux Forojulianus exspoliato in Pannonia Hynringo Avarorum Principe, inextimabilem Thesaurum ejus Regni Carolo misit. Hic Henricus in Liburnia juxta Tarsaricam maritimam Urbem insidiis Oppidanorum occisus est. Turli etiam Princeps Avarorum se & Patriam suam Carolo dedit, & gratiam Baptismi suscepit.

Pars III.

INstantiâ Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, & Hadriani Papæ, Synodus Universalis septima CCCL. Episcoporum congregatur, ubi in præsentia Hireni, & Constantini, Fides Catholica cunctorum subscriptione roboratur, & Hæresis execrantium Imagines in perpetuum abdicatur.

Pars IV.

CArolus perpendens inter Romanos, & Gallos dissonantiam in Cantu, misit Cantores Romam, qui edocti more Romano alios instruxerunt.

Pars V.

ALcuinus ex Britannia oriundus scientia Literarum pollet in Gallia, cujus præcipuò magisterio Carolus omnes liberales Artes didicit, qui & multa subtiliter scripsit. Hic studium à Roma Parisium transtulit, quod illuc quondam à Græcis translatum fuerat ad Romanos. Fundatores autem Parisiensis studii fuerunt IV. Monachi Bedæ discipuli, Rhabanus, Alcuinus, Claudius, & Joannes Scotus.

Pars VI.

COnstantinus Hirenem matrem Imperio privans, solus imperavit An. Dom. DCCXCII. Imperaverat quoque cum matre annis X.

A

Pars VII.

PIpinus Caroli filius ex Concubina gibbo deformis à quibusdam Francorum Proceribus promissione electus contra Patrem conjuravit. Unde convictus tonsuratur, & in Monasterio truditur.

Pars VIII.

HÆresis igitur Feliciana condemnatur in præsentia Hadriani Papæ,& ab ipso Felice auctore abdicatur, qui asserebat Dei Filium in natura Divina verum esse Deum, in Humana enim nuncupatione tantùm.

B

Pars IX.

CArolus construxit Aquisgrani Basilicam multæ pulchritudinis, pro cujus structura à Roma, & Ravenna, columnas marmoreas devehi fecit.

Pars X.

PEr idem tempus Joanne Duce Venetiarum annuente, Mauritius natus ejus, consors, & postea successor Ducatus laudatus est, quorum diebus apud Venetias adeò mare crevit, ut omnes Insulas ultra modum cooperiret.

C

Pars XI.

CHristophorus Episcopus Olivolensis natione Græcus sedit annis XII. Hic existens ætatis annorum XVI. faventibus Ducibus, Episcopus factus est.

Pars XII.

HOc tempore ab Artigeris & Scopariis Proceribus Venetis perfecta est Ecclesia Sancti Moysis Prophetæ, vineaque & prædiis ab eis dotata pro salute animarum suarum. Et Christophorus Convictus Episcopus Plebanus ipsi constitutus est.

D

Pars XIII.

LEo interea natione Romanus sedit annis XX. mensibus V. diebus XVII. Cessavit Episcopatus diebus III. Hic per omnia Venerabilis Claves Confessionis S. Petri cum Vexillo Urbis Carolo Magno misit. Hic fecit Porticum Sancti Petri Romæ, & eam muro cinxit propter Saracenorum incursum. Quidam etiam Romanorum clam armati Leonem Papam celebrantem majorem Letaniam sexto Kalendis Maji capiunt, eique linguam & oculos eruunt; sed Divino nutu restituuntur. Illi autem iterum radicitus evellunt, & iterum sanatur; & ad Carolum ivit, qui Romam veniens eum in Sede sua locat, causam examinat, reos legaliter damnat, & omnem in Romanis motum sedat. Capulum Primicerium, & Pasqualem Sacristam mori censuit; sed interventu Papæ vivere permisit, & ad pœnitentiam agendam exilio relegavit.

E

Pars XIV.

COnstantino itaque Augusto Imperii sui Anno VII. procurante matre oculi eruti sunt, & Imperio privatus est.

Pars XV.

HIrene igitur tenuit Imperium Anno Domini DCCXCIX. Hæc super erepto sibi Dominio fœmineo dolore abusa præstantissimum filium oculis, & Imperio privat.

Pars XVI.

PEr hos dies Sergius quidam in Senogalliæ partibus Dux erat dives, & timens Deum, qui leprosus effectus cùm nullo posset juvari medicamine, cœpit in infirmitate consumi. Apparuit autem afflicto & desolato Duci Archangelus Michaël in visione dicens: Licèt mihi in terris multa peculiaria loca sint, tamen ad locum Ecclesiæ meæ,quæ Brentalis dicitur, te ire præcipio; est enim electus, atque sanctificatus à me locus ille; ibique recipies sanitatem. Dum verò Dux, ubi sit locus ille, quærit, nec invenit, sequenti nocte Michaël navem præparare monuit, quia ipse eum ad locum perduceret. Cùm igitur cum Uxore Margharita, quam ex Græcia duxerat, & cum militibus suis navem studiosè apparatam ascendisset, tamdem Angelico ductu nocte ad locum pervênit; & facto mane mirantes se ad Portum applicuisse, à Monachis nigris, quibus Cistercienses successerunt, de nomine loci petunt. Cognito verò loco, nudis accedit pedibus; sed antequam Ecclesiæ ingrederetur limina, integrè ab omni lepra mundatus est. Tunc qui adstabant obstupescentes, alta voce cantaverunt Kyrie, gratias agentes Deo, & Beato Michaëli Archangelo. Dux verò non ingratus pro recepto beneficio, ibidem cum Uxore vitam finivit, & Monasterium magnis dotavit Possiessionibus.

Pars XVII.

ROmani, qui ab Imperatore Constantinopolitano jam diu animo defecerant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier eis imperaret, quæ filium propter Imperium excœcaverat, uno omnium consensu Imperatoras laudes Carolo acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant, Cæsaremque, & Augustum appellant. Pipinum verò filium ejus Italiæ Regem ordinatum collaudant.

Pars XVIII.

CArolus itaque magnus Romani Imperii nomen assumpsit Anno Domini DCCCI. Jam enim regnaverat super Francos annis XXXIV. Hic pro accipienda Hirene Imperatrice in Uxorem Nuncios misit, & cum Hirene consentiret, Euthycius Patricius præsentibus Legatis fratrem suum Nicephorum Imperatorem fecit.

Pars XIX.

HIrene Augusta postquam annis tribus imperaverat, à Nicephoro deposita, & relegata est in Insula Lesbii, quæ Mytilenæ vulgariter nuncupatur.

Pars XX.

NIcephorus igitur Orientale Imperium suscepit Anno Domini DCCCIII. Hic Nuntios Carolo misit, & cum eo fœdus iniit.

Pars XXI.

HIc etiam secundo anno Imperii sui coronavit Stauratium filium suum. In hoc fœdere, seu decreto nominatim firmatum est, quòd Venetiæ Urbes, & maritimæ Civitates Dalmatiæ, quæ in devotione Imperii illibatæ perstiterant, ab Imperio Occidentali nequaquam debeant molestari, invadi, vel minorari; & quòd Veneti possessionibus, libertatibus, & immunitatibus, quas soliti sunt habere in Italico Regno pacificè perfruantur.

Nam Gotifredus ait: Regni Caroli sic erat terminus: *A Bulgaria sive Illyrico usque ad Hispanos, atque à Danis usque ad Pharum Siciliæ, exceptis adjacentibus Regionibus, utpote Bohemia, Polonia, Dalmatia, Istria, Venetia, & Britannia.* Hugo etiam & Petrus sic dicunt: *Nicephorus ad Carolum Magnum designatum Romæ Imperatorem Legatos misit, & firmissimum cum eo fœdus composuit, totamque Venetiam illi sponte donavit.*

Pars XXII.

DE hac divisione Imperii sic ait Vincentius: Carolus autem pro Republica pugnans, tamdem in ultimis vitæ suæ terminis Imperii nomen assumpsit, ut qui Romani Imperii defensor extiterat, pro tantis meritis acciperet nomen Augusti, & inter cœlestes milites fortissimus prædicaretur. Ex tunc ergo apud Latinos Græcorum potentia terminata est, nullique Roma magis infesta, quàm Imperatori suo, dum duos Dominos habere contendit, & inter Pontificem & Imperium posita, alterum excludit, alterum contemnit. Anno ergo Domini DCCCI. cùm apud Græcos nomen Imperatoris mutaretur, Carolus Romæ moram faciens accepit à Leone Papa, & omni Populo Romano decretum, ut Carolus nomen Imperatoris indueret, & Augusti, eo quòd Romani Imperatores olim in Urbe Romana Sedem habuissent. Ex eo igitur tempore Imperio Græcorum apud Occidentem evanescente, nomen rediit Imperatoris ad quasdam partes Occidentis. Ex quo quædam Romani Imperii facta est confusio, de duobus nominibus unum tenentibus; divisio enim minuit potestatem, & sicut à solo Deo Græcorum dependet Imperium, ita à Sede tantùm Romana Papa affirmat Imperium Occidentis pendêre. Apud Principes quidem Alemanniæ Imperatorum est electio; apud Papam Electi confirmatio, & consecratio. Nova discretione Imperator nominatur ut Dominus; consecratur ut non Dominus. Nempe Imperialia non accipit insignia, quæ sibi soli collata Papa conservat. Ad Altare modicum in latere Basilicæ S. Petri consecratur à solo Papa; cùm è diverso Papa Imperatoris insignia, in sui consecratione teneat, & ad Altare majus Sancti Petri accipiat unctionem.

Pars XXIII.

PEr hos dies Joannes Dux sumpta occasione Mauritium filium suum cum navali apparatu Gradum misit, ut Joannem Patriarcham interficeret. Mauritius autem cum furore Civitatem invasit, in qua invasione Patriarcha captus à Venetis graviter vulneratus est, & de turri altissima Palatii sui ad ima dejectus exspiravit, cujus sanguis in testimonium mortis suæ in pe-
A tris præsentialiter apparet; sepultusque fuit in Sancti Marci Capella post Sanctorum Martyrum mausolea.

Pars XXIV.

FOrtunatus Patriarcha natione Tergestinus sedit annis XXVII. Hic consanguineus Patriarchæ occisi à Venetis, quibus scelus commissum displicebat, successor comprobatus est. Hic Ecclesiam Sanctæ Agathæ, quam impetus maris destruxerat, reædificavit, & in Capella Sancti Vitalis corpora Quadraginta Martyrum deposuit, & Ecclesiam Sancti Peregrini, quam Gradenses propter metum Francorum ruinavे-
B rant, renovavit, & Altaria Ecclesiarum Gradensis Urbis laminis argenteis decoravit.

Pars XXV.

HIc à Leone Papa pallium utendum obtinuit, sicut antiqui Romani Pontifices suis Prædecessoribus concessere cum Epistola infrascripti tenoris.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei.

„ REverendissimo & Sanctissimo Confratri „ Fortunato Patriarchæ Sanctæ Gradensis Ecclesiæ. Diebus vitæ tuæ tantummodo
C „ officium Sacerdotis assumere si interiori vigilantia perpendamus, plus est oneris, quàm „ honoris. Quippe cui propria curare non sufficit, nisi & salubriter gesserit aliena. Nam „ ad hoc Pastoralis regiminis curam aggreditur, ut aliorum in se sollicitudinem pia pro„ visione suscipiat, & in eorum se se custodia „ vigilanter disponat, ut lupus insidians possibilitatem in eo irrumpendi non habeat, nec „ læsionem ovibus inferat, sic qui animarum „ curam suscepimus, assiduam debemus sollicitudinem exercere, ut callido antiquoque „ humani generis inimico aditum præcludamus, & totis contra ejus voracitatem viribus „ obsistamus, ne nostra fortè desidia rabida
D „ (quod absit) quemquam fauce deglutiat, & „ ejus ad nostram non immeritò applicetur „ pœnam perditio, qui commissos sollicita custodire cautela negligimus. Exhibeamus ergo „ quod dicimus, & quibus Divini dispensatione consilii præesse nos contigit, prodesse „ quantum possumus festinemus, ut dum Creditor rationes nobiscum positurus advenerit, „ lucrum nos fecisse reperiat, & sua, sicut „ promisit, remuneratione lætificet. Hoc itaque, Frater carissime, considera, & locum, „ quem adeptus es, non ad requiem, sed ad „ laborem, te suscepisse, cognosce. Adhortationis opere Fidelium corda corrobora, Infidelium verò summopere converte: Quod ut
E „ ut faciliùs assequi merearis prædicationem „ tuam vita commendet. Ipsa eis instructio, „ ipsa magistra sit ad desiderium æternæ vitæ. „ Te docente suspirent, tuo viventes exemplo, „ & perveniant; temporalia despiciant, & quæ „ transitura sunt contemnentes, ad ea, quæ „ semper nullo fine clauduntur, desiderio anhelent. In his igitur studium adhibe. In his „ tota mentis intentione persiste, quatenus dum „ tua prædicatione, atque imitatione hæc fuerint consequuti, tanto majora à Deo nostro „ recipias, quanto congrua sollicitudine lucrandis ei animabus, officii tui exercere operam „ minimè destitisti. Pallium præterea juxta an-

„ tiquam

„ tiquam consuetudinem Fraternitati tuæ dedimus, quo ita uti memineris, sicuti Prædecessores nostri tuis Prædecessoribus concessere, privilegiorum tuorum scilicet integritate servata; Fidem autem Fraternitatis tuæ, quamvis in Epistola tua, quam direxisti, subtiliter debuisses exponere. Verumtamen lætamur in Domino, quia eam rectam esse ex solemni Symboli confessione didicimus. Oramus autem Omnipotentem Dominum, ut sua te munitione circumtegat, & Sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat.

„ Scriptum per manum Benedicti Notarii, & Scriniarii S. Rom. Eccl. in mense Martio Indictione XI. Bene valete.

„ Datum XII. Kalendas Aprilis per manus Eustachii Primicerii Sanctæ Sedis Apostolicæ. Imperante nostro Domino Carolo, piissimo perpetuo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatore Anno III. Indictione XI.

Pars XXVI.

HIc Fortunatus graviter dolens de occisione Prædecessoris sui, & consangninei, patefacta conspiratione, quam adversus Duces egerat, de Venetia abiit, quem quidam Venetorum Nobiles, quibus patratum scelus displicuerat, secuti sunt, videlicet Obelerius Tribunus Mathemaucensis, Felix Tribunus, Demetrius, Marinianus, Foscarus, Georgii, & plurimi alii. Patriarcha igitur in Franciam ivit; reliqui autem in Tarvisio remanserunt, qui suasione illorum, qui in Venetia morabantur, Obelerium Tribunum Ducem elegerunt, quo Duce comperto territi Ducatum & Patriam reliquerunt.

Joannes videlicet Genitor Mantuam, & Mauritius in Franciam perrexerunt, ubi repatriandi licentiâ denegatâ, dies suos concluserunt. Ducavit quoque Joannes cum Patre annis IX. & post obitum Patris annis IX. solus; cum Mauritio autem filio annis VII. & sic annis omnibus computatis XXV. Ducatum tenuit.

CAPITULUM DECIMUMQUINTUM.

De Ducatu Obelerii, & Beati habens partes XXV.

OBelerius Dux intronizatus Anno Domini DCCCIV. Hic Tribunus Mathemaucensis in Tarvisio à Venetis exulibus Dux electus, fugatis Ducibus, Venetias intravit, & cum honore susceptus à Populo in Mathemauco intronizatus est.

Pars I.

HIc ex collaudatione Populi Fratrem suum, Beatum nomine, consocium dignitatis suscepit.

Pars II.

CHristophorus quoque Olivolensis Episcopus, qui expulsorum Ducum familiaris exstiterat, adventum ejus formidans, de Venetia exivit, in cujus Sede Joannes Diaconus collaudatione publicæ concionis intrusus est.

Pars III.

FOrtunatus itaque Patriarcha, qui in Franciam iverat, Venetorum propositum, qui Constantinopolitano Imperio totaliter adhærere videbantur, & occisionem sui Prædecessoris Carolo enarrans, ipsius animum contra eos plurimum concitavit; tamen tempus habile ad vindictam expectare disposuit.

Pars IV.

PAtriarcha igitur Imperatori familiaris effectus privilegium immunitatis Ecclesiæ suæ infrascripti tenoris ab eo obtinuit.

Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, & pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum.

„ MAximum Regni nostri in hoc agere credimus emolumentum, si petitionibus Sacerdotum, vel Servorum Dei, quæ nostris auribus fuerint prolatæ, libenter annuamus, & eas in Dei nomine ad effectum perducamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, qualiter vir Venerabilis Fortunatus Gradensis Patriarcha, Sedis Sancti Marci Evangelistæ, & Sancti Hermacoræ Episcopus, Serenitati nostræ petiit, ut tale beneficium circa dictam memoratam Sanctam Ecclesiam ex nostra Indulgentia concedere, & confirmare deberemus, quatenus sub immunitatis nomine tam ipse, quàm Sacerdotes, & reliqui, nec non servi, & coloni, qui in Terris suis commanent in Istria, Romandiola, seu in Longobardia, vel ubique, quieto tramite vivere, & residere debeant. Cujus petitionem, ejus servitio, & meritis compellentibus, denegare noluimus, sed pro mercedis nostræ augmento in Dei nomine ita concessisse, & in omnibus confirmasse cognoscite, tam Episcopia, quàmque & Synodochia, vel Ecclesias baptismales. Præcipientes ergo jubemus, ut in vicis, vel villis, seu rebus, vel reliquis quibuslibet Possessionibus, undecumque præsenti tempore memoratus Patriarcha justè & rationaliter vestitus esse dignoscitur, nullus Judex publicus injustè ad causas audiendum, vel Freda exigendum, nec mansiones, seu paratas faciendum, nec ullas redhibitiones injustas requirendum, se ingerere, aut exactare præsumant. Sed dum prædictus Fortunatus Patriarcha advixerit, sub immunitatis nomine tam ipse, quàm ejus successores, & coloni, ac servi, qui super terras suas commanent, vel reliqui homines sui valeant ex nostra Indulgentia quieto tramite vivere & residere, ita ut melius eis delectetur pro nobis, vel pro stabilitate Regni nostri jugiter Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu propria subtus firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum gloriosissimi KAROLS *Caroli Imperatoris.*

Hardingus ad vicem Ercambaldi.

Data Idus Augusti in Sacro Palatio nostro (*) Anno Tertio Christo propitio Imperii nostri.

Pars

(*) *Cod. Amb.* Anno XXIII. Regni nostri in Francia XXVIII. in Italia & Imperii III.

Pars V.

EX serie autem hujus Privilegii verisimiliter elicitur, Venetiarum Provinciam à Jurisdictione Occidentalis Imperii fore segregatam, cùm Carolus immunitates Gradensi Ecclesiæ conferens, ceteras Imperii Provincias nominando, de Venetia nullam fecerit mentionem.

Pars VI.

EOdem anno Avares, qui & Hunni, & Pannonici dicti sunt, à Gallis perdomiti sunt. Tunc omnis eorum gloria, & nobilitas defecit, & eorum divitiæ, quas pæne ex toto Orbe congesserant, à Francis obtinentur. Numquam ullo bello Francia tantum ditata est.

Pars VII.

POstquam utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Datiam, Istriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis Civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, acquisiverat omnes barbaras, ac feras nationes, quæ inter Rhenum, & Insulas, fluviosque, & Oceanum, ac Danubium positæ erant, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret.

Pars VIII.

PRovinciæ quoque Istriæ ab Imperio Constantinopolitano subtractæ Joannes per Carolum Dux ordinatus est, de quo Primates, & Populi se gravatos sentientes, Carolo querelam exponunt, & remedium implorant. Qua de re Hyzo Presbyter, Cadolaus, & Ayo Comites, inquisitores missi, coadunatis Fortunato Gradense Patriarcha, Theodoro, Leone, Stauratio, Stephano, & Laurentio Episcopis, & CLXII. Primatibus Civitatum Istriæ, comperta veritate, Clerum, & Populum ab insolitis gravaminibus Joannis Ducis liberaverunt, & in statu, quo tempore Græcorum fuerant, eos restituerunt. Solvebat namque tota Provincia Istriæ Imperiali Cameræ marchas CCCLIV. (*) distributas inter eos juxta Urbium, & Castrorum possibilitatem.

Pars IX.

EOdem anno Luna tertiò obscurata est, & Sol semel. Acies quoque miræ magnitudinis visæ sunt in aëre.

Pars X.

PEr idem tempus Heracliana Civitas, de qua fugati Duces originem duxerant, in eorum odium, & contemptum, à Venetis in solitudinem redacta est. Vel, ut plurimi referunt, Pipinus Rex Italiæ jussione Patris, qui à Patriarcha Fortunato de Venetis malè informatus fuerat, Venetos bello devicit, & hanc Urbem, in qua nobilium Venetorum maxima pars degebat, abjecto fœdere destruxit.

Pars XI.

COnsumptâ ergo Heracliâ, Tribuni, & Primates Urbis in Mathemauco, Rivoalto, A Torcello, & reliquis coadhærentibus Insulis permanserunt, quorum progenies, ut eorum antiquitas pateat, singulariter subscriptæ sunt.

Particiaci, qui nunc Baduarii appellati sunt.
Versilui, sive Beligni, qui idem sunt.
Candiani, qui hodie secundùm plurimos Sanuti vocati sunt.
Ursoroli, qui & Ursioli dicti sunt.
Barbolani, sive Bulzani, vel Gausi, iidem sunt.
Silvi, qui & Beligni dicuntur.
Barcisesi, Viliatenes, & Mastalici, qui ab una originem duxerunt, hodie Baselii nominati sunt.

Centranici, Bonadi, Barbadici, Mauroceni, Grausoni, sive Gussoni, Gratici, sive Gradolici, B Bajaldi, qui Bonaldi dicti sunt, Navalrici, Belnarici, Noveli, qui Navigerosi dicti sunt, Kaloprini, Brandincici, sive Bagradini, Nigri qui dicti sunt Mauri, Metadori, Tornarici, sive Talonici, Bacchi, sive Benati, qui dicti sunt, Bembo, Cogodici, sive Mortaldellis, Alboni, sive Calbani, Curquelli, Gradani, sive Bredani, Cinopi, sive Cyrini, Transmondi, qui dicti sunt Stornati, Vallaressi, Macigni, sive Marcelli, Saracini, Regini, sive Ruzini, Vicentii, Mengani, Basaniti, qui dicti sunt Torselli, Pizani sive Pianipini, Deusdedit, sive Diodones, qui & Fannii dicti sunt, Saveni, Magadisi, qui Darbores vocati sunt, Manabri, Maximi, qui Mathelachius dicti sunt, Arbolini, sive Zopoli, C Marcurius Sartor Pipini, Calpini, qui vocati sunt Albini, Danii sive Danei, Scrinacales, qui nunc dicti sunt Cavatortas, Videlici, qui etiam Ba icesi nuncupati sunt, Ludovici, & Lupanici, Trodonici sive Trivixano, (**) Scarnata, qui Pantoni appellati sunt, Barbaromanus, Vilinicus, Torvaliti, sive Storladi, Busignati, sive Brusco, Fundareni, qui Fundateni dicti sunt, Carabi, Calabresini qui vocati sunt de Canali, Maurani, sive Mauri, Ceprefelli, qui dicti sunt de Spinales.

Pars XII.

SUbsequenter Proceres, & Magnates Aquilegienses, incolatus Parentum suorum relinquentes, in Rivoalto, & aliis supranominatis D Insulis domicilia sua transtulerunt, quorum cognomina subscripta sunt: Faledri, Blancanici, sive Babanici, Flabiani, Arminii, sive Armadi, Tribuni, Apuli, Triumdominici, Caloprini iterum, Vitrignati, Carosi, Jocavaceni, sive Janaxeni, Aulipati, Calvi, sive Calonici, Cerbani, Daspinales iterum, Adoaldi, Barbari, sive Gattilesi, Viliarenses, Barzicessi, seu Mastellaci iterum, Campoli, Alutini, qui dicti sunt Aurelli, Sirani, Saponarii, Sarcini, sive Salcinati, Salertani, Calpini, sive Albini iterum, Sapini, Cireni, Gausi, sive Bulzani iterum, Secredi, Calosi, sive Caysoli, Victores, qui dicti sunt E Deomarci, vel Mausoleni, Vauscani, Valerici, Cornarici, Theodorixi, sive Anastasii, Monchanici, qui dicti sunt Moysolmi, Marignoni, Rosei, sive Rosii, Marcurri, Capuani, qui Jane vocati sunt, Lugnani, Salviani, Miglumi, Larisagi, Gauli, qui Andreadi appellati sunt, Ronciagi, Vilientii, qui Genio dicti sunt, Scaudari, Cinopi iterum, Madii, Marini, Narisi.

Pars XIII.

CEterum quia Historiographi quidam, clamdem Heraclianæ Urbis describentes, has co-

(*) *Cod. Amb.* CCCXLIV.

(**) *Cod. Amb.* Trodocus sive Trimanoce Tivixano.

cognationes solùm in Rivoalto venisse commemorant, adsunt aliqui existimantes, plurimas, quæ præsentialiter Nobilitate præfulgent, his adæquandas non fore, quorum credulitas reprobatur, cùm ante hæc tempora Tribuni, & Proceres aliqui in Rivoalto degebant, & alii, qui in Torcello, Constantiaco, & aliis Insulis aderant, subsequenter cum plurimis Italiæ viris, diversis temporibus tamen, in Rivoalto habitare venerunt, qui suis strenuis actibus, & meritis se & Patriam non minus illis gloriosis titulis illustraverunt, ut per subscribenda clarè patebit.

Pars XIV.

Fortunatus itaque Patriarcha de Francia reversus cum Christophoro Olivolensi Episcopo non audens Venetiam intrare, in Sancti Cypriani Ecclesia Plebe Torcellensis sedis degere B cœpit, & Joannem Episcopatus invasorem incautè pergentem captivavit, qui postea fuga liberatus, Ducibus quæ passus fuerat enarrans, eos contra Patriarcham vehementiùs animavit.

Pars XV.

Fortunatus tamdem Venetorum mitigato furore ad Ecclesiam suam rediit, & eo consulente Christophorus Episcopus in sede sua restitutus est, Joanne invasore ad propriam domum redeunte.

Pars XVI.

Post hæc Niceta Patricius cum exercitu ad tuenda loca Dalmatiæ vênit, & succursum bellicum à Venetis requisitus obtinuit, quem postea Venetias accedentem Fortunatus Patriarcha præstolari non audens, in Franciam properavit; & Joannes Diaconus, qui Episcopatum invaserat, in Patriarchali sede surrogatus est. Hic ante Sanctorum corpora Martyrum, & Sancti Marci Capellam choros marmoreos composuit, & columnis etiam decoravit, & in Altare Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ciborium fecit.

Pars XVII.

Niceta autem Venetias accedens Obelerio Duci Spatarii titulum ex Imperiali largitione gratiosè concessit.

Pars XVIII.

Beatus quoque Dux consilio Venetorum cum Niceta Patricio Constantinopolim ivit secundum, secum deferens Christophorum Olivolensem Episcopum, & Felicem Tribunum, quos Veneti relegaverant, quia Francorum genti adhærere videbantur. Hic ab Imperatore honore quo decuit receptus Hypati titulo decoratus Venetias rediit.

Pars XIX.

Christophorus Secundus Olivolensis Episcopus natione Græcus sedit annis XVI. Hic Plebanus Sancti Moysis fuit, suaque hypocrisi decipiens Populum, factus est Episcopus. Qui

A dum in Ecclesia Sancti Theodori Missarum solemnia celebraret à Dæmone vexatus est, indignusque Episcopatus judicatus ejectus est.

Pars XX.

Interea sexto anno Caroli Moreses missus ab Aaron Rege Persarum Archam Sancti Nicolai Pontificis conterere jussus, pro ea aliam contrivit, pro qua temeritate, tempestate suborta, classem amisit.

Pars XXI.

B Tyrannus quidam Turelis nomine Nicephorum Augustum bello aggreditur, & nihil nisi solum Tarsaricum obtinuit, qui tamdem ad cor rediens ab Imperatore in gratiam benignè susceptus est.

Pars XXII.

Obelerio, & Beato Ducibus annitentibus, Valentinus eorum germanus, consors Ducatus à Populo laudatus est.

Pars XXIII.

Anno octavo Caroli Pipinus Rex Italiæ jussione genitoris relectus, rupto fœdere, C cum exercitu ad Venetiæ Provinciam subjugandam per litora vênit. Qui cùm Portus dividentes litorum Insulas cum resistentia difficillima pertransisset, fugatis Brondulensibus, Clugensibus, & Palæstrinensibus, ad locum quemdam, qui Albiola vocatur, in Ripa Mathemaucensis Portus situatum, tamdem pervênit, & nulla ratione pertendere in antea gressum valuit, putans tamen, Venetos brevi tempore famis inediâ posse arcere. Veneti verò hoc audientes, panum, ac paximatium multitudine machinis projecta exercituum verberant, ut famis opinionem excludant. Francorum tamen recalescentibus viribus Veneti Mathemaucensi urbe relicta in Rivoaltum venerunt, quos cùm qualiter D submittere posset Pipinus Rex subtilior indagaret, cujusdam vetulæ astutæ functus consilio, Pontem ex lignaminibus, vasculis, & viminibus connexis super aquas construi fecit, putans absque obstaculo Rivoaltum intrare. Statutâ itaque horâ equites cum fiducia Pontem ascendunt. Tunc Veneti hujus consilii non ignari, cum multis præparatis navigiis clandestinè obviam exiverunt in augmento aquarum, insultantes eos, de quibus ex dissolutione lignaminum submersis ferè omnibus, qui Pontem ascenderant, victoriam optatam habuerunt. Rex autem consternatus, videns amodo intentum suum complere non posse, adjacentia quæ potuit loca vastavit, & usque ad Ecclesiam Sancti Michaë- E lis omnia comburendo pervênit. Et ut quidam scribunt, Provinciam Venetiarum Nicephoro Constantinopolitano Imperatori juxta fœdus censuit relinquendam. Et non multo post Pipinus Rex Mediolani defunctus est. Nuncii verò Imperatoris Constantinopolitani, qui Legationis causâ ad eum venerant, absque profectu ad propria redierunt. (*)

Pars

(*) *In Cod. Ambrosiano hoc loco sequens additur caput, posita tamen in margine hac nota*: „ dubitatur an hæc sint Danduli verba, vel alterius, qui subdiderit. „ Alii dicunt, quòd ea hora, qua Veneti fuere ad manus cum Gallis, tanta tempestas venti orta est, ut pontibus, & viminibus dissolutis, sex partes exercitus, & præsertim Francigenarum, quos Rex Carolus in auxilium miserat Pipino, in maris angustia deletæ sunt, & sic Veneti tam propter

Pars XXIV.

SUbsequenter Veneti, assistente Hebersapio Imperiali Apocrisario hoc egerunt, ut utrique Duces dignitatem & Patriam amitterent. Unus, idest Obelerius, Constantinopolim, alter verò Beatus Jadram petiit. Valentinus Tertius frater juvenilem habens ætatem in Patria remansit. De Obelerio itaque Duce alii scripserunt, quòd dum Gallicam quamdam nobilem haberet uxorem, promissionibus allectus ad Regem perrexit, offerens Venetiæ Dominium sibi

A contradere; nec perfecit, ut præmissum est. Judicatusque indignus Ducatu, & Patria, à Venetis exulatus permansit. Tenuerunt quoque Ducatum annis V.

Pars XXV.

QUia Ducalis Thronus de Mathemaucense urbe sublatus, in Rivoaltina civitate amodo extare dignoscitur, ideo huic libro fine imposito, de nova situatione Sedis alium inchoabimus.

---

propter eorum animositatem, quàm propter tempus, fortè, de hostibus optatam victoriam adepti sunt. Pipinus verò Rex vix cum paucis evadens, casum eumdem accidisse conjectans suum iniquum propositum revocavit * à Duce, Petrus humiliter, ut cum aliquibus paucis personam suam visitaturus venire ad eum posset, quod sibi concessum est, ubi diebus manens aliquibus, Venetias multis donis, honorificentiis, & gratiis honoravit; nam & fines Provinciæ Venetorum, prout tempore Paulutii Ducis à Liutprando Rege limitati fuerant, suo privilegio confirmavit, postque

B idem Rex eum amore intimo, paceque tranquilla recessit, quem pro honore suo Dux Beatus cum suis Nobilibus & Populo in una scaula magna, qua tunc temporis pro Bucentauro Ducatus utebantur, usque Ferrariam sociarunt. Quibus euntibus Obelerius cum uxore nobili Gallica repertus à Populo captus, & interfectus est, adducens eum Populus Venet. extracto priùs corde de corpore ejus, ipsum postea in Sancto Martino de Strata, assistente Bersapio Imperiali Apocrisario, suspendi mandavit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER

LIBER OCTAVUS

CONTINENS CAPITULA XVII.

A CAPITULUM PRIMUM.

De Ducatu Angeli Particiaco habens partes XLIV.

ANgelus Particiaco Dux intronizatus est Anno Domini DCCCIX. Caroli verò Imperatoris VIII. Nam Veneti hoc tempore in Concione publica congregati sanxerunt Ducalem Sedem in Rivoalto persistere, & duos Tribunos singulis annis decernere, qui juxta Ducem in Civilibus, & Criminalibus Justitiam ministrarent. Quibus peractis hunc, qui ab B Heraclia originem duxerat, virum strenuum, & Catholicum, Ducem constituerunt.

Pars I.

HIc Ducale Palatium, ubi nunc extat, primitus fabricavit.

Pars II.

De nomine Civitatis Rivoalti, & de ejus Confinibus.

AThrono itaque Ducali, qui in Rivoalto C situatus est, tota Civitas à Populo Rivoaltus appellatur; à Clero autem ob Episcopalis Sedis situm Olivolensis, sive Castellana dicta est; vulgariter verò Venetia nuncupatur, Urbi nomen totius Provinciæ attribuentes, cujus termini sunt à Grado usque ad caput Ageris.

Pars III.

De Joanne Patriarcha Sede deposito, & alio subrogato.

JOannes siquidem, qui Patriarchatum invaserat, Synodali censura depositus est. Tenuit D quoque Sedem annis IV. Fortunatus autem favente Duce in Patriam reversus est; post modicum contra voluntatem Venetorum in Franciam remeavit, in cujus Sede Joannes Abbas Sancti Servuli intrusus est.

Pars IV.

De Immunitatibus Venetis concessis.

NIcephorus Imperator octavo Imperii sui anno cum Stauratio filio suo prœliaturus, E contra Criminum (a) Bulgarorum Ducem egressus est, in quo prœlio cum maxima cæde suorum superatus est, & occisus, cujus caput in ligno suspensum ad ostensionem plebis delatum est.

Pars V.

STauratius filius Nicephori solus imperavit Anno Domini DCCCXI. Hic in conflictu dato Patri vulneratus in dextera parte colli Constantinopolim rediit, & Imperator factus, post IV. menses mortuus est, vel veriùs, agente Michaële, factus Monachus Imperium deposuit.

Pars VI.

MIchaël Curopalates Imperium sumsit eodem anno. Hic fuit gener Nicephori, à quo Nicephorus (b) Catholicus Patriarcha sponsionem exegit de recta Fide, & ut mundas manus ab Orthodoxorum sanguine conservaret; erat quippe erga omnes Catholicos suavis, & clemens; circa verò Imperialium negotiorum dispositionem erat iners & remissus.

Pars VII.

HIc secundo Imperii sui anno exivit Constantinopoli prœliaturus contra Criminum Bulgarorum Ducem; sed dum non procul ab Adrianopoli decertarent, superatus est Imperator, & fugiens remeavit ad Urbem, metuque Populi, non Palatium, sed Monasterium in Insula Ponti (c) petiit, Monachusque effectus, cum uxore Procopia (d) ibi vitam finivit. Criminus verò Adrianopolim comprehendit.

Pars VIII.

LEo Armenus quintus imperare cœpit Annò Domini DCCCXIII. & Caroli XII. Hic cum Crimino Duce non verens bellum inire, Deo favente victoriam consecutus est. Constantinum filium quoque suum Consortem sibi decrevit.

Pars IX.

CArolus interea post insignes Victorias cogitabat à prœliis quiescere, invitatus tamen à Beato Jacobo Apostolo, ut à Paganorum manibus Hispaniam extirparet, post multas cædes Provinciam illam suo subjecit Imperio, & Ecclesiæ immunitates concessit.

Pars X.

PEr idem tempus Carolus Constantinopolitanos Imperatores grandi magnaniminitate, & patientia tulit; & illi hujus potentiam formidabant. Ideo cum Carolo Michaël (e) Orthodoxus, & cunctis amabilis, qui adversarios omnes Orthodoxæ Fidei nitebatur extinguere, & consequenter Leo, conveniunt. Sicardus autem, & Gotifredus, ut se Fratres vocent, & mutuò juvent, & Græcus Imperator Constantinopolim, & Orientem habeat, Carolus verò, &

(a) *Cod. Amb.* Crumnum *semper*.
(b) *Cod. Amb.* Nibafar.
(c) *Cod. Amb. aliter* Proti.
(d) *Cod. Amb. pro* uxore Procopia, *legit aliter* juxta Procopiam.

(e) *Notatur in margine Cod. Amb.* Hic Michael, cum quo Carolus transegit, fuit cognominatus Ragabè, & præcessit Leonem Armenum Iconomacum immediatè, & eodem anno, quo cum Carolo transegit, idest DCCCXIII. fuit dejectus de Imperio à Leone.

& Successores ejus Romam, & partem Occiduam.

Per hoc quippe decretum Carolus approbans, quod cum Nicephoro actum fuerat, novam Venetiam à se abdicavit, permittens Venetos amodo per totum Occidentale Imperium terras suas possidere, & illis immunitatibus gaudere, quibus sub Græcorum universali Imperio gaudere soliti erant.

Pars XI.

Clugienses domos restaurant destructos.

CLugienses autem, & ceteri, qui Francorum metu litoralia domicilia sua reliquerant, repatriantes Urbes suas in solitudinem redactas renovare cœperunt.

Pars XII.

EOdem tempore Abbas Monasterii Sanctæ Trinitatis, seu Sancti Michaëlis de Brondulo, de desolatione sui Monasterii multo consternatus mœrore ingemuit; sed tamdem Diœcesanorum auxilio & consilio Ecclesiam ad honorem Archangeli reædificavit. Cùm verò Episcopus ad consecrationem Ecclesiæ rogatus se præpararet, nocte apparuit ei Archangelus Michaël dicens: *Quid hic quæris, aut quid agere vis?* Quo respondente, quia vellet Ecclesiam consecrare, subintulit Archangelus: *Quid à me consecratam consecrare præsumis Basilicam? Tantummodo ingredere, & sacrificium Deo offerre satage; meaque ibi adesse beneficia firmiter tene.* Expergefactus Episcopus, & certus de visionis oraculo cuncta imperata gratanter implevit.

Pars XIII.

De Restauratione Heracleæ, vel Civitatis Novæ.

ANgelus quippe Dux Heraclianam Urbem, de qua originem traxerat, in solitudinem eadem clade redactam renovans, parvam Civitatem construxit, quæ amodo vulgariter Civitas Nova nuncupata est.

Pars XIV.

CArolus autem duodecimo anno Imperii sui Aquisgrani mortuus est annorum LXXII. & existente Leone Papa, Prælatis, & Principibus multis in Ecclesia ab eo condita sepultus est.

Pars XV.

DIcit (a) autem Gregorius Turonensis, quòd Carolus moriens Thesauri sui duas partes viginti & uni Metropolitanis Ecclesiis Regni ejus, & Suffraganeis suis dari ordinavit, nominans inter ceteras Gradensem, quod documentum est, quod hoc tempore Gradensis Ecclesia jus Metropolitanum, habebat non solùm in Venetia, sed in Istria etiam, quæ erat in suo Regno, & ideo eam inter sui Regni Ecclesias nominavit. Unde Ludovicus sequens Episcopos Istriæ à subjectione Gradensis Ecclesiæ exemit, & Aquilegiensi submisit.

Pars XVI.

LUdovicus filius ejus ab eo Imperator designatus imperare cœpit Anno Domini DCCCXIV. Hic audita morte Patris de Aquitania Aquisgranum properavit, ubi omnium consensu Principum Imperator confirmatus est.

Pars XVII.

Dux filium suum consortem dignitatis fecit.

HIc Dux Venetiarum cùm duos filios haberet, (b) Justinianum Constantinopolim misit, qui ab Imperatore Leone votivè susceptus, honorem Hypati, seu Imperialis Consulis ab eo obtinuit. Alterum quoque natum Joannem nomine Dux sibi consortem Ducatus esse procuravit. Post hæc repatrians Justinianus promotionem fratris indignè ferens, Palatium intrare contempsit, & in Ecclesia Sancti Severi cum Felicitate Conjuge degere cœpit. Pater verò turbationem filii non diu ferens, Joanni dignitatem interdixit, & apud Jadram eum relegavit, & non solùm Justinianum, sed etiam Angelum filium ejus consortes Ducatus esse laudavit. Tunc Joannes de Dalmatia iter arripiens ad Ludovicum, qui in Pergamo erat, perrexit, quem Imperator gratiosè suscepit, & Patri, ut petierat, remisit. Pater verò eum in Constantinopolim cum Uxore demandavit.

Pars XVIII.

STephanus Quartus natione Romanus sedit mensibus VII. Cessavit Episcopatus diebus XVIII. Hic mox in Galliam iens à Ludovico honorificè suscipitur, multos redemit captivos, & Ludovicum coronavit, & reversus Romam obiit sepultus in Ecclesia Sancti Petri.

Pars XIX.

PAschalis primus natione Romanus sedit annis VII. diebus XVIII. Cessavit Episcopatus diebus XXVIII.

Pars XX.

HIc Lotharium genitum Ludovici, consortem Imperii designatum Aquisgrani, in Italia coronavit.

Pars XXI.

HUic Paschali Ludovicus literas scripsit, postquam Dignitatibus renunciavit traditis per Hadrianum, in qua Epistola distinguit Terras Imperii à Terris Ecclesiæ præter Regnum. Tota enim Tuscia ad Ecclesiam pertinet, præter has Civitates, quas Imperiales vocat, Castellanam, Aretinam, Senensem, Vulterranam, Clusinam, Florentinam, Pistoriensem, Lucanam cum suis Territoriis. Ibidem etiam confitetur Romandiolam cum Bononia Jurisdictionis Ecclesiæ esse. Perusium, Tudertum, & Urbem veterem excludit ab Imperio cum aliis Civitatibus in circuitu Urbis Ecclesiæ reliquit. Anno Domini DCCCXIV. Ludovici verò Imperatoris I.

Pars

(a) *Integra hæc Pars deest in Codice Ambrosiano.*

(b) *In Codicis Ambrosiani margine hæc adnotantur:* alibi est legere, & tertium filium fuisse huic Principi, Justum nomine, qui fuerit Episcopus Torcellensis.

Pars XXII.

SUpplicante Fortunato Patriarcha Ludovicus Istriensi Populo concessit, ut Rectores, Gubernatores, Episcopos, Abbates, seu Tribunos, & reliquos Ordines licentiam habeant eligendi, & decretum per Legatos Caroli constitutum renovavit.

Pars XXIII.

SUbsequenter Fortunatus cum Venetis pacificatus propriam Sedem recuperavit. Joannes autem Abbas, qui intrusus fuerat, ad suum rediit Monasterium.

Pars XXIV.

De constructione Monasterii S. Zachariæ.

PEr hos dies Angelus Dux, vir Catholicus à Leone Imperatore suscepit Corpus Sancti Zachariæ Prophetæ, & partem Ligni Crucis, & indumentorum Christi, & Matris ejus cum plurimis thesauris, & sub Sancti Zachariæ vocabulo non procul à Palatio suo Monasterium fabricavit, quod Monialium esse decrevit, & terras & aquas sibi coadhærentes plenè concessit, & Reliquias susceptas in eadem Ecclesia deposuit. (a)

Pars XXV.

De Monasterio S. Hilarii.

DUx etiam cum Justiniano filio suo Consortium Monachorum degentium in Sancto Servulo, supplicante Joanne Abbate, ad Ecclesiam Sancti Hilarii in finibus Rivoalti positam, per Privilegium perpetuò transmutavit: per quod Venetorum confinia notoriè demonstrantur, & Ducalis jurisdictio super Clericos evidentissimè probatur, cujus tenor talis esse dignoscitur.

Pars XXVI.

„ IN Nomine Domini nostri Jesu Christi, „ mense Martio (b) Indictione XII. Rivoalti. Sanctarum Ecclesiarum semper vigili „ cura oportet satagere, maximè illis, quorum „ potestas eminet, de omnibus est providere „ consultum. Quoniam quidem Joannes venerabilis Abbas Monasterii Sancti Servuli cum „ catherva sui Cœnobii postulavit nostra suffragia, eo quòd in loco angusto constituti, „ & infra paludes manentes (c) Deo Christo „ deservirent, possessionibus carentes, unde victui necessaria subministrarent, postulantes, „ ut ob Christi, & Sanctorum amorem eisdem „ subsidium, & juvamen ad hoc impertiremur. „ Atque ideo nos quidem Angelus, & Justinianus per Divinam gratiam Venetæ Provinciæ „ Duces, unà cum Reverendissimo Domino „ Fortunato Sanctæ Gradensis, & Aquilegiensis Ecclesiæ Patriarcha, seu Christophoro venerabili Episcopo Sanctæ Olivolensis Ecclesiæ, atque universis Venetiarum Populis habitantibus Plebe Christo dilecta, atque pretioso Sanguine acquisita. Quapropter nos pro „ Divino amore, & nostræ animæ, sive parentum nostrorum salute, pari & salubri consilio tractantes, cogitantes cogitavimus, qualiter eumdem Dei servum Joannem nomine, „ Presbyterum, & Monachum, atque Abbatem, cum suis Fratribus de prædicta Ecclesia Beati Christi Martyris Servuli transferentes, quo loco transmutare deberemus, vel „ quo ordine vivendi pacificè perpetualiter ponere possemus: ad nostram devênit memoriam, ut Cappellam quamdam in honorem „ Beati Hilarii Confessoris Christi super fluvium Himæ (d) ad jura proprietatis nostræ, „ cum suo Territorio constructam sibi concedentes, quieto possent vivere tramite, & ordine, quo decet Beati Benedicti Regulam. „ Ita tamen, ut ipsa supradicta Ecclesia Beati „ Christi Martyris Servuli, in sua & suorum „ successorum perpetualiter remaneat potestate, & custodia, suosque Monachos, sive Clericos ita constituant ad diurnum, sive nocturnum peragendum Officium, & quidquid „ ad suorum usum necesse habuerint, ipsis vel „ successoribus eorum subministrent, & ipsi eis „ perpetualiter respondeant. Concessa igitur „ prædicta Capella Beati Hilarii Confessoris „ Christi cum suis Territoriis, finibus, & terminis, cum omnibus appendiciis, vel adjacentiis suis, quod est super totum circumdatum lateribus, idest a flumine, qui dicitur „ Clarino, percurrente usque in Canale, qui „ dicitur Gambararia, & inde in Fossa, quæ „ dicitur Ruga, ac deinde in Canale de Luna „ percurrente in Sencho, & usque in paludibus aquis salsis. Similiter à prædicto flumine „ Clarino descendente ad locum, ubi dicitur „ Aurilia, & finalibus, descendente in Canale, „ qui dicitur Avisa, perexiente in supradicto „ flumine Himæ. & deinde percurrente usque „ in paludibus similiter tribus millibus aquis „ salsis. Hæc autem nostra decrevit voluntas „ pro remedio animæ nostræ, & Parentum nostrorum salute, ut prædicta Capella Beati „ Hilarii Confessoris Christi cum suis supradictis Territoriis, & terminis perpetualiter „ maneant ad usum, & substentationem Monachorum, qui nunc modò in præsenti, „ vel in posterum pro futuris temporibus perpetualiter ordinandi sunt, & sub illorum, „ & Successorum suorum in perpetuum maneant potestate ordinandi, & disponendi, „ absque omni nostra, vel heredum nostrorum contrarietate aliqua. Et placuit nobis, & omni Potentatui, nostrisque fidelibus, ut omnis pertinentia eorum sit quieta, „ & libera ab omni sanctione publica, tam de „ nostris Molendinariis, quàm de Piscatoribus, „ sive Colonis ubique residentibus, ita ut nullus de publicis nostris Gastaldis, vel aliqui „ de nostro Palatio Missi supradictos vestros „ audeat inquietare, vel molestare, aut in angariam mittere, aut exenia ab eis aliqua exigere, sed absque omni molestia vobis servire „ con-

(a) *In margine Cod. Amb. hæc notantur*. In alio Codice sequuntur hæc verba: Sunt aliqui, qui non ab Angelo, sed à Justiniano reliquias susceptas, & Monasterium ædificatum scribunt, quibus suffragatur tenor concessionis factæ dicto Monasterio hujus tenoris videlicet. Cognitum sit omnibus Christianis &c. ut alibi, & in calce Leonis &c. itaque placuisse videtur præfatum Monasterium constructum fuisse de bonis Imperialibus per Justinianum Ducem.

(b) *Cod. Amb.* Maji.

(c) *In Cod. Amb. inter duas parenteses legitur*; hic desunt verba.

(d) *Cod. Amb.* Unæ *semper*.

,, concedant. Iterum ergo placuit nobis inter-
,, dicere nostræ Gradensis sedis Patriarchis, sive
,, nostris Rivoaltensis sedis Episcopis, ut nullum
,, ex vobis invitis ad Concilium trahere au-
,, deant, nec ullam angariam, vel prandia,
,, (*) aut exenia à vobis requirere liceat ali-
,, qua, sed absque omni molestia, vel quæstio-
,, ne liceat vobis regulari lege vivere. Contra-
,, dicimus etiam illis, ut de omnibus existenti-
,, bus sub potestate vestri Regiminis, Monachis,
,, aut Clericis, aut Consamiliaribus, quos vos
,, mittere visi fueritis, suscipere, vel defendere
,, non præsumant. Unde & adjuramus, & ob-
,, testamur per terribile nomen Dei Omnipoten-
,, tis omnes Successores nostros, ut quod pro
,, amore cœlestis Patris, & exemplum boni
,, operis, & augmentum Sanctæ Congregationis
,, devota mente concessimus, nullus umquam
,, audeat violare. (**) Quem Privilegii textum
,, scribere præcepimus Demetrium Tribunum
,, Notarium, nostræ Capellæ Primicerium, &
,, nostris subtus firmavimus mense & Indictione
,, suprascriptis feliciter.

Pars XXVII.

HOc tempore cùm contigisset, Loca Sancta, quæ erant Hierosolymis profanari, Leo cum filio Imperatores Augusti edictum proposuerunt, ne quis in Syriam, vel Ægyptum accedere auderet; quod Catholici Duces Venetiarum approbantes subditis suis pariter inhibuerunt.

Pars XXVIII.

LEo Imperator cùm esset Apostata, completis octo annis Imperii sui, factione Michaëlis Domestici in Palatio in die Nativitatis Domini occisus est.

Pars XXIX.

MIchaël Domesticus, sive Comes Palatinus, sumpsit Imperium An. Dom. DCCCXXI. Hic Teophilum filium consortem Imperii coronavit.

Pars XXX.

HIs enim Imperio sublimatis Duces Venetiarum Angelum Justiniani natum, cui nobilis fœmina, Romana nomine, uxor erat, Legationis causâ Constantinopolim direxerunt, qui paucis interjectis diebus ibidem diem clausit extremum.

A

Pars XXXI.

De constructione Ecclesiarum S. Laurentii, & Severi.

URsus Episcopus natione Rivoaltensis ex Patre Joanne Particiaco sedit annis XXXII.

Pars XXXII.

HUjus Parentes viri devoti Ecclesias Sancti Severi Episcopi, & Sancti Laurentii Martyris sibi contiguas in Geminas construxere, in quibus hic Episcopus succedens Ecclesiam San-
B ēti Laurentii in Virginum Monasterium ad suum obitum commutari disposuit.

Pars XXXIII.

De constructione Ecclesiæ Sancti Petri.

HIc Olivolensem Cathedralem Ecclesiam sub Sancti Petri Apostoli vocabulo inchoavit, quam post novem annos completam tertio Kalendas Junii consecravit, & Reliquias Sanctorum Sergii, & Bacchi in ea deposuit.

Pars XXXIV.

C EUgenius Secundus natione Romanus sedit annis III. mensibus II. diebus XXVIII. Cessavit Episcopatus . . . . . Hic electus fuit in discordia Populi, & per Romanos Laicos excæcatus Martyrio coronatus est.

Pars XXXV.

HOc tempore Veneti adversùs Patriarcham Fortunatum denuo concitati, eum de Patria expulerunt.

Pars XXXVI.

PEr Fortunatum itaque Patriarcham, & Le-
D gatos suos Michaël Imperator Libros Beati Dionysii translatos in Latinum mittit Ludovico Imperatori, qui Parisiis portati sunt in Festo ipsius: propter quod Beatissimus Martyr XIX. ægrotos ipsa nocte sanavit. Quærebant autem duo: pacem firmari, & de Imaginum veneratione. Primum expedivit. Super secundum Papam consulere voluit. Fortunatus verò Patriarcha post modicum tempus in Francia defunctus est relinquens Ecclesiæ suæ, & ceteris piis locis mul-

---

(*) *In Cod. Amb. alia lectio* Præstadia *ponit*.

(**) *In Cod. Ambrosiani margine sic legitur*: Nullus umquam audeat violare; & qui contempserit, & contra hanc privilegii seriem ambulare voluerit, primitus in Dei Omnipotentis iram incidat, & à congregatione Sanctorum separari valeat, & pars ejus sit cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, & lepra Naam Syri incurrat super eum, & sententiam patiatur, sicut in CVIII. Psalmo legitur. Quam verò præcepti & largitatis nostræ chartulam Dimitrio Tribuno nostro scribere præcepimus, ubi & manibus nostris nos & plures subscripsimus, & signum Sanctum Crucis fecimus, ut hæc largitas permaneat stabilis &c. in mense, & Indictione supradicta.

✠ Fortunatus misericordia Dei Patriarcha in hac largitatis chartula, sicut superiùs legitur, manu ss.

✠ Christophorus gratia Dei Episcopus in hac largitatis chartula, sicut superiùs legitur, manu ss.

✠ Agnellus Dum. in hac largitatis chartula, sicut superiùs legitur, manu ss.

✠ Petrus Peccator Presbyter quiens Monasterii Beati Gregorii in hac largitatis &c.

E ✠ Johannucci Tribuno in hac &c.

✠ Valentinus in hac &c.

✠ Zeonianus Talonicus in hac &c.

✠ Savinus Talonicus &c.

✠ Stephanus Talonicus &c.

✠ Bonus Clennisius &c.

✠ Agnellus Chavis &c.

✠ Georgius Catuni ista exempla d. alia exempla de Summo vetere.

Ego Petrus Subdiaconus, & Notarius exemplavi anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi . . . . nec ampliavi, nec minui, d. solo teste.

✠ Ego Johannes Gradonicus, Dei gratia Gradensis Patriarcha, quod sensi in matre, firmavi in filia.

Ego Johannes Civitatis-Novæ Episcopus subscripsi.

multa ornamenta Ecclesiastica, quæ vivens ipse acquisiverat.

Pars XXXVII.

VEnerius Patriarcha natione Rivoaltensis ex Patre Basilio Transmundo, sive Stornato, sedit annis XXIV. mensibus VIII. Hic fuit primus Patriarcha, qui de nova Venetia originem duxit; pluresque clade bellorum diruptas Ecclesias restituit, & restauravit, & juxta Corpus Sancti Quirini Martyris in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ sepultus est.

Pars XXXVIII.

HIs quoque diebus Duces Venetiarum Justum Presbyterum Legatum suum cum Petro Diacono Patriarchæ Nuntio mittunt Ludovico, & Lothario, pro impetranda confirmatione immunitatum, quas Carolus Ecclesiæ Gradensi concesserat de bonis in Regno sibi subdito situatis, & petitionem suam per Privilegium consecuti sunt.

Pars XXXIX.

VAlentinus natione Romanus, sedit diebus XL. Cessavit Episcopatus diebus III.

Pars XL.

ARioldus Rex Danorum cum uxore, & filiis Maguntiæ baptizatus est, & ab Imperatore parte Frisiæ dotatus. Fecit quoque baptizari XIV. Duces Boëmorum, & de Christiana Fide instrui.

Pars XLI.

INterea quidam Veneticorum conspirationem adversus Duces facere conati sunt; ex quibus Joannes Tomacicus, qui Talonicus aliter dictus est, & Bonus Bradanisso, sive Bragadino auctores sceleris, prope Sancti Georgii Ecclesiam suspensi sunt. Joannes autem Monetarius fuga elapsus est ad Lotharium Regem; tamen quidquid habuit, & domus & bona omnia depopulata sunt.

Pars XLII.

PArentes quoque Joannes Talonici Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Baptistæ, quæ vulgari nomine in Bragula dicta est, in Geminas condiderunt.

Pars XLIII.

BOni autem Bragadino Progenitores Ecclesiam Sancti Danielis Prophetæ non longè ab Episcopatu similiter construxerunt, quæ sub Petro Polano Duce in Monasterium Monachorum Ordinis Sancti Benedicti conversa est.

Pars XLIV.

ANgelus itaque Dux senio confectus, completis annis XVIII. in suo Ducatu spiritum emisit, sepultusque est in Monasterio Sancti Hilarii, quod ipse fundaverat.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Ducatu Justiniani Particiaco habens partes X.

JUstinianus Particiacus Dux genitore defuncto solus ducavit Anno Domini DCCCXXVII.

Pars I.

HIc Dux Imperialis Consul ab Imperatore requisitus quasdam bellicosas naves contra Saracenos, qui Siciliam invaserant, destinavit, quæ unà cum Græcorum stolo æmulos suos non invenientes, Venetias redierunt.

Pars II.

GRegorius IV. natione Romanus, sedit annis XVI.

Pars III.

HIc Gradensem Sedem approbando, Venerio Patriarchæ Pallium concessit, utendum in diebus Resurrectionis, Natalitiis Apostolorum, Sancti Joannis Baptistæ, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis Domini, & solemnitatibus Ecclesiæ suæ, & anniversariis ordinationis ejus.

Pars IV.

EOdem anno in Vasconia annona (*) de cœlo pluit, frumenti similitudinem habens, tamen breviora grana.

Pars V.

SEcundo Ducis anno Corpus Sancti Marci Evangelistæ de Alexandria translatum est Venetias. Ait enim Petrus Damianus: Marcus de Alexandria translatus est, Deo disponente, Venetias, ut qui totum Orientem velut aureus Lucifer illustraverat, nunc per plagas Occidui climatis præsentiæ suæ radiis enitescet. Per Ægyptum quippe sibi dedicat Ortum, per Venetias tenet Occasum. Illic Alexandriæ sortitus est Ecclesiæ solium; hìc renascendo Aquilegiæ novum statuit Principatum. *Sigibertus*, & *Vincentius* dicunt, quod Saracenis incursantibus Ægyptum, negotiatores Veneti Corpus Beati Marci Evangelistæ ab Alexandria transtulerunt Venetias. *Sicardus*, *Jacobus de Varagine*, & *Paulinus Episcopus*, & communiter ceteri Historiographi hanc translationem approbant, licèt sub æquivocatione Imperialis nominis eorum aliqui in tempore errare dignoscantur. Quæ quidem translatio taliter facta est.

Pars VI.

De Translatione Corporis S. Marci de Alexandria Venetias.

REx Saracenorum apud Babylonem sibi Palatium construere volens, mandavit ab Ecclesiis Christianorum, & aliis vulgaribus locis accipi lapides, ut splendidam sibi faceret domum. Accedentes autem ad Ecclesiam Beati Marci more solito Bonus Tribunus

(*) *Cod. Amb. pro* annona, *legit* manna.

bunus Mathemaucensis, & Rusticus Torcellensis, qui contra Venetorum edicta cum X. Navibus mercibus oneratis impellente vento Alexandriam iverant, vident Stauratium Monachum, & Theodorum Sacerdotem Ecclesiæ Custodes admodum tristes; erant autem Græci. Quærunt igitur causam tristitiæ, & audiunt, quia impio Regis edicto devastationem Ecclesiæ metuunt. Rogant illi corpus sanctum sibi dari, ut Venetias deferant, promittentes eos apud Ducem Venetiarum magnis extollere honoribus. Custodes Ecclesiæ petitionem exhorrent cum increpatione dicentes: Numquid non audistis, qualiter Beatus Marcus Evangelium, quod Petro dictante conscripsit, ipso jubente prædicavit in his partibus, hominesque contratæ hujus filios in Christo baptizando habuerit? Si propterea hoc fideles cognoverint, mortis periculum nequaquam possemus evadere. Ad hæc illi respondent: Si de prædicatione ipsius agitur, nos primogeniti filii ejus sumus, cùm in partibus Venetiæ, & Aquilegiæ prædicaverit primùm. De mortis autem periculo monet Christus: si persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam. Quod ipse Evangelista Marcus servavit, cum persecutionis terrore de Alexandria secesserit in Pentapolim. Tunc Custodes ajunt: Non est tanta persecutio, ut Pagani personalem inferant passionem. Interim autem pretiosum Ecclesiæ lapidem quidam confregit, ne tolleretur: propter quod durissimè flagellatus fuit. Videntes autem Custodes Ecclesiæ devastationem, & personis imminere periculum, votis petentium condescendunt, & diem statuunt, quo corpus sanctum accipiant. Jacebat autem in clamyde de serico involutum, & clausum in eadem à capite usque ad pedes multis sigillis. Portant itaque Beatæ Claudiæ corpus, & mantellum à tergo scindunt, indeque corpore B. Marci extracto, Beatæ Claudiæ corpus imponunt, sigillis intactis manentibus. Tanta autem Civitatem implevit odoris fragrantia subitò, ut cuncti stuperent miraculum; nonnulli quoque dubitarent, corpus Evangelistæ fore submotum. Currunt proinde ad Ecclesiam, capsam aperiunt, Clamydem sigillatam inveniunt. Sic delusi ad propria redierunt. Ad navem autem portantes, superpositis herbis, & carnibus porcinis, quærentibus, quid portarent, ostendunt. At Saraceni horrentes *Ganzir Ganzir* clamaverunt. In navi quoque reduxerunt in velo, donec recederent propter Saracenos naves perscrutantes. Cùm verò Venetias portaretur, inter cetera quæ egit miracula, navem, in qua deferebatur, cum pluribus aliis à naufragii periculo liberavit. Cùm enim naves tempestosa nocte velocissimè impellerentur à vento, & jam non multum distarent à Monte, Beatus Marcus Dominico Monacho Tomadensi (*) apparuit, ut nautas moneret citò vela deponere. Quod cùm fecissent, apparente Aurora viderunt se juxta Insulam, quæ Artalia dicitur. Denique Humagum applicant, & de contemptione Ducalis edicti obtentâ veniâ, ad Portum veniunt Olivolensem. Dux, Clerus, & Populus occurrunt, & cum laudibus in Capella Ducis corpus deponunt.

Pars VII.

EOdem anno contra Ludovicum Filiorum, & Optimatum commovetur simultas.

Pars VIII.

JUstinianus quoque Dux Joannem fratrem suum, qui apud Constantinopolim relegatus manebat, ad Patriam revocavit; & morbo confectus, non habens heredes, eum sibi consortem, & successorem decerni comprobavit.

Pars IX.

REquirente demum Michaële Imperatore Duces naves plurimas bello aptas, in Siciliam miserunt, quæ aliquem triumphum minimè consequi valuerunt.

Pars X.

DUx itaque Justinianus, imminente sibi morte, testamentum condidit, & Felicitatem Conjugem suam, & Romanam nurum fideicommissarias ordinavit, & Monasteriis Sancti Hilarii, & Sancti Zachariæ possessiones plurimas legavit; Ecclesiamque fieri pro repositione Corporis Beatissimi Marci Evangelistæ, quod suis diebus recipere promeruerat, devotissimè disposuit. Quod testamentum authenticatum pluries vidimus, & legimus. Mortuusque est secundo sui solius Ducatus anno, & sepultus apud Sanctum Hilarium in sepulchro Patris sui.

CAPITULUM TERTIUM.

De Ducatu Joannis Particiaco habens partes XIV.

JOannes Particiacus Dux defuncto Fratre ducare cœpit Anno Domini DCCCXXIX.

Pars I.

HUjus diebus Ecclesia sub vocabulo Sancti Marci, in angulo Ducalis Palatii condita est, & in ea gloriosum corpus suum depositum fuit, ordinatique sunt Capellani ad diurnum, atque nocturnum Officium peragendum, & Primicerius unus, qui dictam Ecclesiam, quæ Ducum Capellam esse perpetuò instituta est, regat, & gubernet, sicut sibi per Ducem injunctum fuerit, & ordinatum (**).

Pars II.

De Pace Venetorum cum Narentinis.

HUic Duci Narentini nuncium suum mittunt, & petitam pacem ab eo obtinent, quam non diutiùs servaverunt. Nuncius autem, qui Infidelis erat, hortatu Ducis Baptismum suscepit. Erant enim Sclavi adhuc Gentiles, quia à Gothis originem traxerant, & continuò exercebant piraticam artem. Ideo cùm Venetis diu in pace permanere nequibant.

Pars III.

LUdovicus Augustus quosdam adversantium sibi exauctoravit, quosdam exulavit, quosdam bonis privavit; & per hoc Filios, & Optimates magis contra se excitavit. Judith verò cau-

(*) Cod. *Amb.* Comaclensi.

(**) *Hoc loco notatur in margine Cod. Ambr.* Sunt qui scribant Michaelem Imperatorem Græcorum ob impetrata auxilia à Duce Venetorum Joanni Particiaco dono misisse Cathedram marmoream, in qua primùm Divus Petrus Antiochiæ sedit, quæ post Altare Majus in æde Divi Petri & nunc extat.

causam malorum Uxorem suam ab se abdicavit; qui tamdem à suis desertus, ac proditus, atque in potestatem filiorum redactus, Episcoporum judicio arma deposuit, & ad poenitentiam agendam inclusus est. Sol, & Luna eclipsantur.

Pars IV.

INter hæc Michaël Imperator nono Imperii sui anno defunctus est.

Pars V.

HOc tempore Obelerius, qui Ducatu & Patria fuerat privatus, Venetias rediit, & in Vigilia Civitate apud Circulum se intrusit; quem Joannes Dux congregato exercitu obsedit, & Urbem expugnat. Tunc Mathemaucenses, de quibus Obelerius originem duxerat, relicto exercitu intra Urbis moenia ad Obelerium adiverunt. Dux propterea divertens Mathemaucum expugnat, & igne consumpsit; & revocato exercitu Vigiliam Civitatem, & Obelerium cepit, & eum decollari jussit, cujus caput Mathemaucum delatum, postea in Sabbato Sancto juxta S. Martini imaginem suspensum est.

Pars VI.

TEophilus genitus Michaëlis Imperatoris solus imperavit Anno Domini DCCCXXX.

Pars VII.

INterea Ludovicus relaxatus, arma, & Imperium, & Uxorem recepit, filiumque Lotharium in Italiam redire coëgit, statuitque, ut in Gallia, & Germania Festum omnium Sanctorum celebraretur, sicut & Romæ. Tunc etiam Reliquiæ Beati Viti Martyris à Parisiis ad Corbejam Saxoniæ translatæ sunt.

Pars VIII.

PEr idem tempus Maxentius Patriarcha Aquilegiensis Lotharii Regis fultus favore, Gradensem Ecclesiam in Suffraganeis Istriæ turbare nititur, nec à Gregorio Papa admonitus desistere voluit. Immo repetito seculari subsidio antedictos Episcopos ad sibi reverentiam, & subjectionem Metropolitano debitam exhibendam in totum coëgit.

Pars IX.

Dux à Patria expellitur.

EOdem tempore Proceres quidam Veneti, auctore Caroso Tribuno filio Bonici Tribuni scelesta inita factione Joannem Ducem à Patria expulere, qui in Franciam pergens à Ludovico Pio Rege de favore sibi exhibendo satis gratum responsum habuit.

Pars X.

De Punitione Tyranni Ducis.

CArosus igitur, qui auctor fuerat sceleris, Ducatum invasit. Tunc Basilius Transmundo, Joannes Marturio, & Dominicus Ortianico, & alii triginta, quibus commissum scelus displicuerat, de Venetiis exeunt, & apud Sanctum Martinum de Strata habitationem eligunt. Ad quos paulatim Veneti confugiunt, & unanimiter Venetias introeuntes, Carosum in Palatio capiunt, & auctore Dominico Ortianico sibi oculos eruunt, & de Venetiis expellunt. Tenuit quoque Ducatum mensibus VI. Sui autem complices, videlicet Deusdedit Grurus, Marinus Patricius, Dominicus Monetarius, & Tritulkus Gradensis occisi sunt.

Pars XI.

Veneti sibi Rectores eligunt.

HIs autem gestis Veneti Joannis Ducis reditum præstolantes Ursonem Olivolensem Episcopum, Basilium Transmundo, & Joannem Marturio sibi Rectores esse decreverunt, posteaque Joanne Duce reverso cum laudibus Ducatum integraliter restituerunt.

Pars XII.

HIc Joannes Marturio vir devotus Ecclesiam erexit in honorem Sancti Juliani Martyris non longè à Ducali Palatio.

Pars XIII.

PEr hos dies Narentani Sclavi, rupto foedere, mercatores Venetos Benevento redeunte capiunt, & ferè omnes morti tradunt.

Pars XIV.

Dux Ducatu, & barba privatus Clericus efficitur.

DUcis itaque anno octavo Venetorum quidam cognatione Mastalici, conjuratione inita, Ducem de Ecclesia Sancti Petri in ejus Festivitate venientem ceperunt, & detonsâ barbâ cum capillis Clericum apud Gradensem Urbem consecrare fecerant, ubi denique diem clausit extremum.

CAPITULUM QUARTUM.

De Ducatu Petri Trandonico habens partes XLIV.

PEtrus Trandonico Dux sublimatus est Anno Domini DCCCXXXVI. Hic ex Nobilibus ortus parentibus, qui de Pola originem duxerunt, & in Equilio diutius habitaverant, nunc in Rivoalto degens, suis meritis factus est Dux, cognominatusque est à Populo Transdominico; sive Trandonico.

Pars I.

HIc Joannem genitum suum sibi socium in dignitate Ducatus laudatione Populi habere promeruit.

Pars II.

DUces quoque Deo devoti Ecclesiam in honorem Sancti Pauli Apostoli cum reverentia construxere.

Pars

Pars III.

Veneti contra Sclavos piratas procedunt.

TErtio sui Ducatus anno Petrus Dux cum navali exercitu contra Sclavos in Dalmatiam navigavit, cupiens illos à nefanda arte piratica cohibere, & in loco, cui nomen est Sanctus Martinus Curtis (a), potenter apparens, pacem cum Octo (b) Sclavo illorum Principe firmavit; & ad Narentanas transiens Insulas, cum Drosaico Marianorum Duce fœdus renovavit, licèt modicum perduraret; reversusque est cum gloria.

Pars IV.

Veneti à Sclavis vincuntur.

SUbsequenter Dux renovato exercitu cum Diuclito (c) Sclavo in Dalmatia bellum peragens, plusquam centum ex Venetis occisis, non lætus ad propria remeavit.

Pars V.

TUnc in mense Madii hora VI. obscuratus est Sol, & facta est Eclipsis (d).

Pars VI.

PEr hos dies Theodosius Patricius Venetias veniens Imperiali nomine Petrum Ducem Spatarium Imperii constituit, & Venetos requisivit, ut contra Saracenos apparatum bellicum mittere velociter procurarent.

Pars VII.

Veneti contra Saracenos pugnantes vincuntur.

VEneti quoque zelo Fidei accensi, paratas LX. naves bellicas usque Tarentum destinarunt, ubi Saba Saracenorum Princeps cum exercitu maximo aderat. A quibus obviam venientibus Veneti viriliter bellantes, multitudini nequeuntes resistere, pæne omnes capti, & interfecti sunt.

Pars VIII.

SAraceni autem elati cum exercitu in Dalmatiam venientes, Auserensem Urbem in Feria secunda Paschæ incendio consumunt, & transfretantes Anconitanam Civitatem pari clade affligunt; & redeuntes cum præda Venetorum naves, quæ mercibus oneratæ repatriabant, capiunt, & intus existentes gladio extinguunt.

Pars IX.

INterea Ludovicus Imperator XXVI. anno Imperii sui mortuus est.

Pars X.

LOtharius post patrem solus imperavit Anno Domini DCCCXL. Ad hunc Theophilus Imperator Constantinopolitanus Legatos misit, promittens dare filiam in uxorem filio suo Ludovico; sed dum ista geruntur, Theophilus Augustus XIII. anno Imperii sui defunctus est.

Pars XI.

HIc anno suo primo Pactum initum inter Venetos, & vicinos eorum subjectos Imperii, super jure reddendo, & solutione datiorum, requirente Duce, per quinquennium confirmavit, finesque Ducatus distinxit à Terris Italici Regni, & terminationem factam inter Paulucium Ducem, & Marcellum Magistrum Militum de finibus Civitatis novæ sub Luitprando Rege, & Astulpho confirmatam comprobavit.

Pars XII.

HUic etiam Petrus Dux Nobilem Virum, Patricium nomine, Legatum misit, & ab eo Privilegium infrascripti tenoris obtinuit.

Pars XIII.

In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Lotharius Divina ordinante Providentia Imperator Augustus.

„ DIgnum est, ut Celsitudo Imperialis quantum ceteros honoris, & potestatis fastigio antecellit, tantum erga omnes pietatis suæ munus impendere satagat. Igitur omnium Fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorum, præsentium, & futurorum comperiat magnitudo, quia Petrus Dux, ac Spatarius Veneticorum per Evherardum fidelem Comitem nostrum, ac per Missum suum Patricium nomine, nostram deprecatus est Majestatem, ut ex rebus sui Ducatus, quæ infra ditionem Imperii nostri consistere noscuntur, confirmationis nostræ præceptum fieri juberemus, per quod ipse, ac Patriarcha, Pontifices, & Populi illi subjecti sibi debitas res absque cujusquam contrarietate seu refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus Avi nostri Caroli per decretum cum Græcis sancitum possederunt. Cujus petitioni, ut nobis cœlestis suffragatio copiosior adsit, libenter adquiescentes, hos Excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri; per quos statuentes decrevimus, ut nullus in Territoriis, locis, peculiaris, aut Ecclesiis, Domibus, seu rebus, & reliquis possessionibus præsignati Ducatus, quæ infra potestatem Regni nostri sitæ esse noscuntur, iniquam ingerere præsumant inquietudinem, diminorationem, seu calumniosam contradictionem, aut subtractionem nefandam, sed liceat eas præfato Duci, Patriar-

(a) *Cod. Amb.* Riscurtis.
(b) *Cod. Amb.* cum Muy.
(c) *Cod. Amb.* Deliviro, *aliter* Divelaro.
(d) *In Cod. Ambr. additur in margine*; alibi est legere „ Sub hoc Duce exortum fuisse dissidium „ inter sex nobiles familias, videlicet Pollanos, Justinianos, & Brapalios ex una parte; „ & Barbulanos, Silvios, atque Istoilos mutuò „ se impetisse, vulnerasse, interfecisseque sæpiùs, Ducemque, ut erat malignus, discordiam & dissidium aluisse, semelque Pollanos, „ & conjuratos, cùm in inimicos insurrexissent, plures ex eis interfecisse, reliquos illius factionis de Venetiis expulisse; expulsi „ ad Ludovicum Imperatorem in Provinciam se „ reduxerunt. Ludovicus Imperator obtinuit à „ Venetis, ut, assentientibus Pollanis, Justinianis, & Barxiliis, expulsi in patriam remearent; qui Regionem Dorsiduri tunc primùm habitarunt.

„ triarchæ, Episcopis, & Populo sibi subjecto,
„ seu Successoribus suis, & Heredibus, quietè
„ absque cujusquam insultantis machinatione,
„ aut sinistra cujuspiam molientis tergiversa-
„ tione, jure gubernare, & gubernando, prout
„ liquidiùs in prædesignato Decreto contine-
„ tur, legaliter possidere. Et ut hæc nostræ
„ confirmationis, atque corroborationis aucto-
„ ritas à Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ; &
„ nostris, veriùs credatur, & nostris Successo-
„ ribus per tempora labentia omni munimine
„ stabiliatur, manu propria fideliter eam fir-
„ mavimus, & annuli nostri impressione signari
„ jussimus &c. (*)

A

Pars XIV.

SAnè Carolus & Ludovicus fratres, dolentes de promotione Lotharii, movent illi bellum in plaga Altissiodorensi, & utrinque tanta facta est strages, qualis numquam in gente Francorum facta memoratur.

B

Pars XV.

HIs bellis Saraceni vehementiùs accensi contra Christianos, in sinu Adriatico veniunt, contra quos Veneti euntes, in loco vocato Sansagus bellum commiserunt, & non valentes tamdem resistere, terga dantes reversi sunt victi.

C

Pars XVI.

SImiliter dicti Saraceni immenso parato exercitu Romam accedunt. Tanta autem multitudo per Portum Centumcellensem intravit, ut quasi locustæ repleverint Terram. Roma capitur à Saracenis; Ecclesia Sancti Petri spoliatur; tamdem ad Papæ petitionem Guido Marchio Lombardiæ, & Ludovicus cum Gallis venientes illos depulerunt non sinè multo effuso sanguine Christiano. Illi verò in reditu Siciliam, & Apuliam vastaverunt.

D

Pars XVII.

HOc tempore Sclavorum gens ad damna Venetorum venientes Caprulensem depopulati sunt Urbem.

Pars XVIII.

MIchaël III. Patre defuncto cum Theodora Matre sua sumpsit Imperium Anno Domini DCCCXLII.

Pars XIX.

LOtharius quoque cum Fratribus inter se conveniunt. Carolo cessit Francia, & Britannia; Ludovico Bavaria, & Alemannia; Lothario Italia, & Provincia, quæ Lotharingia ab eo denominata est.

E

Pars XX.

SErgius II. natione Romanus, sedit annis III. mensibus II. Cessavit Episcopatus diebus X. Hic vocabatur Os porci; inde dicitur statutum esse, ut sequentes proprium nomen mutarent.

Pars XXI.

LUdovicus à Lothario Patre missus pro confirmanda Papæ electione, Beneventum cum Alomasale sibi æmulo cepit, & Romam iens à Papa Rex Italiæ unctus est.

Pars XXII.

HIc Papa cupiens sedare discordiam vigentem inter Ecclesiam Gradensem, & Aquilegiensem occasione Episcopatuum Istriæ, literas scripsit Venerio Patriarchæ Gradensi, & Andreæ Aquilegiensi, admonens eos, ne vicissim aliquid attemptarent, sed ad Concilium, quod adunare proposuit, assistente Imperatore, personaliter adesse deberent, ut dictæ lites debito fine terminarentur: quod morte ipsius perfici non potuit.

Pars XXIII.

LEo natione Romanus, sedit annis VIII. mensibus III. diebus VI. Cessavit Episcopatus mensibus II. diebus XV. Hic vita & scientia clarus, à Sergio Papa factus est Cardinalis, & Sergio mortuo, nedum sepulto, à Romanis unanimiter electus est. Qui mox Ecclesias Apostolorum Petri & Pauli, quas Saraceni devastaverant, reparavit. Hic pugnantibus Neapolitanis contra Saracenos in mari, Collectam fecit: *Deus, cujus dextera Beatum Petrum &c.* & tamdem in mari Saraceni submersi sunt. Et postquam muros Civitatis Leoninæ perfecit, apponendo serras fecit Collectam. *Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus.* Hic constituit, ut ex Laicis nullus in Presbyterium ingredi præsumat. Item ut Octava Assumptionis Sanctæ Mariæ ubique celebraretur.

Pars XXIV.

PEr hos dies fertur, Ragusinam civitatem maris, & venti impetu maxima ex parte cecidisse; & Anconitana Urbs denuo deprædata est.

Pars XXV.

VIctor Patriarcha natione Venetus ex Patre Bello Ausibiaco, sive Berentano, vel Baciotum, sedit annis VI. mensibus III. diebus IV. Hic Pallium suscepit à Leone Papa utendum diebus contentis in Privilegiis Ecclesiæ suæ, sepultusque est in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ.

Pars

(*) *In Codice Ambrosiano Privilegium istud ita completur:*

Signum Serenissimi [monogram: LOTARIUS] Klotarii Augusti.

Crombaldus Notarius.
Datum Kalendis Septemb. anno Christo propitio Imperii Dom. Lotarii piissimi Augusti in Italia XXII. in Francia II. Indictione VIII.
Actum Thermis Villa Pal. Regio. In Dei nomine Amen feliciter.

Pars XXVI.

DUces itaque duas naves bello aptas ad sua tuenda loca miserunt, quæ more Græcorum Falandriæ dictæ sunt, numquam ante apud Venetos usitatæ. (a)

Pars XXVII.

HOc tempore Ursus Episcopus Olivolensis senectute gravatus, disposuit Ecclesiam Sancti Laurentii à suis Progenitoribus fabricatam fieri Monasterium Monialium, cui Romanam sororem suam præesse decrevit, & ipsi Ecclesiam Sancti Severi subesse, terras & aquas sibi coadhærentes dimisit, & alias pias eleemosinas fieri constituit.

Pars XXVIII.

MAurus Episcopus natione Venetus ex Patre Geniano Busignaco, sedit annis X. Hic Genianus Ecclesiam Sanctæ Margharitæ devotè construxit.

Pars XXIX.

EOdem anno inconsuetæ tempestates fuere. Fulgur homines consumpsit veste intacta remanente; talisque glacies apud Venetias fuit, qualis nec antea, nec postea visa est.

Pars XXX.

DEfunctâ quoque Theodorâ Augustâ Michaël solus imperare cœpit Anno Domini DCCCLIV.

Pars XXXI.

JOannes natione Anglicus, sedit annis II. mensibus V. diebus IV. Cessavit Episcopatus mense I. Mulier (b) fuit, & ab Amasio sub veste virili in variis scientiis edocta, Athenis, & Romæ magnos auditores habuit, & magnæ opinionis fuit. Et cùm de Sancto Petro iret Lateranum, subitò irruerunt in eam dolores partus, & mortis.

Pars XXXII.

BEnedictus Tertius natione Romanus, sedit annis II. mensibus VI. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus XVI. Hic Porticum à Civitate usque ad Sanctum Paulum, & usque ad Sanctum Laurentium restauravit.

Pars XXXIII.

HIc sicut in quibusdam antiquissimis Libris reperimus, insidiantium versutias formidans, ab urbe Roma profugus ad civitatem Venetam, quam sibi tutiorem credidit, accedens, à Ducibus, ac Venetis cùm honore susceptus est. Qui Monasterium Sancti Zachariæ cum devotione visitavit, & requisitus ab Agnete Maurocena Abbatissa, & Monialibus, quæ tunc vitam religiosissimam peragebant, promisit, cùm rediret Romam, sibi reliquias designare; reversusque Nunciis earum concessit Corpora Sancti Pancratii (c) Martyris, & Sanctæ Sabinæ Virginis; quæ Venetias deducta in prædicto Monasterio cum honore collocata sunt.

Pars XXXIV.

VItalis Patriarcha natione Venetus ex Patre Joanneceno (d) Particiaco, sedit annis XIX. mense I. diebus VI. Hic à Benedicto Papa Pallium suscepit utendum diebus contentis in Privilegiis Prædecessoribus suis concessis, sepultusque fuit in Grado in Ecclesia Sanctæ Agathæ Virginis.

Pars XXXV.

LOtharius Augustus anno Imperii sui XVI. tribus filiis suis Regnum, quod ei supra contigit, sic divisit. Lothario dedit Lotharingiam; Carolo Provinciam, & Burgundiam; & Imperium Ludovico filio, & renunciavit seculo, & in Præmonstratensi Monasterio Regularem sumpsit habitum, & non multo post tempore obiit.

Pars XXXVI.

LUdovicus Secundus filius supradicti imperavit Anno Domini DCCCLVI.

Pars XXXVII.

HUic commoranti Mantuæ Petrus Dux misit Legatum suum Deus dedit nomine, qui ab eo obtinuit Privilegium de Possessionibus Cleri, & Populi Venetorum infra ditionem sui Imperii situatis, legaliter possidendis, & gubernandis, quemadmodum temporibus Atavi sui Caroli per Decretum cum Græcis sancitum posse derunt.

Pars XXXVIII.

HIc etiam cum Augusta Conjuge sua Venetias accedens, ab utroque Duce, & Venetis ei obviam euntibus juxta Ecclesiam Sancti Michaëlis de Brundulo digno cum honore susceptus est. Qui ad dilectionis, seu pacis vinculum corroborandum, Joannis Ducis genitum de sacro Fonte levavit.

Pars XXXIX.

NIcolaus natione Romanus, sedit annis IX. mensibus II. diebus XX. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic post Gregorium Magnum maximus fuit. Ejus ordinationem Ludovicus sua præsentia roboravit.

Pars

(a) *In Codice Ambrosiano additur in margine*: ex alio Codice „ Hoc tempore Duces Venetorum Justum Presbyterum Legatum suum cum „ Petro Diacono nuncio Patriarchæ Ludovico „ & Lothario misit pro impetranda confirmatione immunitatum, quas Carolus concesserat de bonis in Regno sibi subdito situatis, „ & petitionem suam per privilegium consequuti sunt.

(b) Fabellam hanc à Dandulo quoque potatam jam satis declaravimus in Tomis III. & X. hujus Collectionis.

(c) *In margine Cod. Amb. sic legitur*. Circa annum CCCII. Pancratius Frix vita functis ejus parentibus totum Patrimonium suum pauperibus erogavit, & cùm Deos Gentilium execratus esset, jussu Diocletiani Romæ capite est mulctatus.

(d) *Cod. Amb.* aliis Romaceno.

Pars XL.

HIc Concilium convocavit, in quo Vitalis Patriarcha Gradensis Papalibus literis evocatus adfuit, & excommunicavit Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum, quia Ignatium Patriarcham deposuerat, & Photium præfecerat; & Lotharium Regem propter pellicis copulationem.

Pars XLI.

PEr hæc tempora Normannorum gentes CCCLX. navibus aggressi sunt Constantinopolim, & Suburbana impugnant, multosque occidunt, & cum gloria redeunt.

Pars XLII.

SImiliter Saraceni venerunt ex Africa contra Beneventum; & Imperator misit pro fratre suo Lothario Rege Lotharingiæ qui cùm intrasset Italiam, Placentiæ mortuus est. Unde ejus Regnum Carolus Patruus Rex Francorum invasit; sed adveniens Ludovicus ipsum Regnum cum patruo divisit, ita quòd sedem apud Aquisgranum sibi retinuit.

Pars XLIII.

DOminicus Episcopus natione Venetus ex Patre Joanne Apollo sedit annis X. Hic suasione Ducis factus est Episcopus, quia erat de cognatione sua.

Pars XLIV.

INterea Joannes Dux extremum clausit diem, & Ducatus in suo Genitore remansit, qui XXIX. suæ sedis anno, dum in Sancti Zachariæ Monasterio diem celebraret Festum anniversarium ipsius Ecclesiæ consecrationis, à pessimis hominibus, exeunte eo peracto Vespere de Ecclesia, insons crudeliter interemptus est die XIII. Septembris, cujus corpus Sanctimoniales in ejusdem Ecclesiæ atrio sepelierunt. Nomina autem illorum, qui hoc facinus peregerunt, sunt Joannes Gradonico cum quodam nepote suo, Petrus filius Stephani Candiani, Stephanus de Sabulo, Dimitrius Calabrisino, sive de Canale, Dominicus Phaledro, Ursus Grugnacius, duo fratres filii Talingnani (*) Joannes Labresella, qui non multum postea, ut sequentia demonstrabunt, digna ultione puniti sunt. (**)

CAPITULUM QUINTUM.

De Ducatu Ursonis Particiaco habens partes XXXVII.

URrsus Particiacus Dux factus est Anno Domini DCCCLXIV. Nam Ducis perpetrato scelere, servi ejus, qui cum ipso erant, ad Palatium redeuntes requirebant à Populo, ut occisores pœnâ debita punirentur, renuentes aliter Palatium restituere; decretique Judices sunt Petrus Episcopus Equilinus, Joannes Gradensis Archidiaconus, & Dominicus Masono, quorum judicio servi relinquentes Palatium, duæ partes ipsorum in Pupiliæ Insula ad habitandum sunt positi, reliqua verò in fines.

Pars I.

ET promiserunt subsistere perpetuo omni Ducum famulatui, in cujus remissionis culpæ demonstratione Dux singulis annis Gastaldionem Pupiliæ cum VII. ejusdem Loci antiquioribus Feriâ secundâ post Pascha ad osculum pacis recipere consuevit.

Pars II.

VErùm antequam auctores facinoris de tanto coërcerentur crimine, Joannes Gradonico cum duobus natis, Stephanus de Sabulo, & Joannes Labresella occisi sunt. Petrus postea Candianus, Petrus Cletensius, Petrus Flabianicus, ac Dominicus Phaledro per Judices constitutos Constantinopolim sunt relegati. Ceteri namque, scilicet Stephanus Candianus cum nepote Joannis Gradonici, & reliqui plurimi in Francia exulati sunt, neque repatriandi licentiam aliquo tempore habere valuerunt. Ursus tamen Grugnacius, qui in Patria remansit, à Dæmonio conquassatus exspiravit.

Pars III.

HIc Dux cum navali expeditione contra Domagoi Sclavorum Principem, qui Venetos sæpiùs læserat, properavit, cum quo recusante pugnam, resarcitis damnis, & acceptis obsidibus, pacem composuit, & cum gloria repatriavit.

Pars IV.

PEr hos dies Ecclesia Sanctæ Mariæ Formosæ, quæ vetustate pæne consumpta erat, à filiis Marini Patricii consolidata est.

Pars V.

EOdem tempore Constantinus natione Thessalonicus, cui Papa Cyrillus nomen imposuit, Vir Catholicus, Divinisque Scripturis eruditus, & in variis idiomatibus peritus, Regem Bulgarorum cum gente sua ad Fidem convertit, & acceptis à Sede Apostolica Sacri Ordinis ministris, adeò Rex in Fide solidatur, ut non multo post filio majore in Regem ordinato ipse abrenuncians Seculo factus sit Monachus.

Pars VI.

SEd cùm filius ejus juveniliter agens, ad Gentilitatem redire vellet, Regio cultu resumpto, & baltheo militari, filium cepit, & trusit in carcerem, effossis oculis sibi, tribuens Regnum filio minori. Deinde autem Sacrum assumpsit Habitum, & usque ad mortem in eo permansit.

Hujus etiam Beati Cyrilli prædicatione Svethopolis Rex Dalmatiæ, qui ab Ostroillo Germano Totilæ Regis Gothorum originem duxerat, cum toto Populo suo Fidem Catholicam susce-

(*) Cod. Amb. Salviani.

(**) Hoc loco additur in margine Codicis Ambrosiani: Ducante Petro Gradonico, inter Veronenses & accolas Benaci ortum est bellum. Veronenses miserunt Venetias petentes auxilia, quibus impetratis Benacenses victi sunt, & capti à Veronensibus, & Venetias missi, qui Insulam Pupiliam habitare sunt jussi; itaque tunc primùm ea Insula habitari est cœpta.

suscepit, & ab Honorio Cardinale Legato Apostolicæ Sedis, assistentibus Orthodoxis Episcopis, & Apocrisariis Michaëlis Imperatoris Constantinopolitani, à quo Regnum suum recognoscebat, in Plano Dalmatiæ coronatus est, & Regnum suum in quatuor partes divisit.

Est autem Dalmatia prima Provinciarum Græciæ, quæ habet ab Oriente Macedoniam, ab Occasu Istriam, à Meridie Mare Adriaticum, & Insulas Liburnicas, & à Septentrione Pannoniam, quæ est pars Misiæ Russiæ. A Plano itaque Dalmatiæ usque Istriam, Croatiam Albam vocavit; & à dicto Plano usque Dyrachium, Croatiam Rubeam; & versùs Montana à flumine Drino usque Macedoniam, Rasiam; & à dicto flumine citra, Bosniam nominavit. Et Jupanos in unaquaque Regione constituit; & in Salona, & in Dioclia Archiepiscopos; & in reliquis Civitatibus Regni sui Episcopos, ut antiquitus fuerant, esse decrevit. Moderni autem maritimam totam vocant Dalmatiam; Montana autem Croatiam.

Pars VII.

HIc Beatus Cyrillus pæne omnium Sclavorum dictus est Apostolus, qui hos ad Fidem reduxit, & Divinum Officium in lingua Sclavonica eis transtulit, corpusque Beati Clementis Papæ à Chersona, ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari siccato, abstulit, & Romam detulit, ubi in Ecclesia sui nominis reconditum est. Et consequenter Beatus Cyrillus paucis interjectis diebus obiit.

Pars VIII.

MIchaël Augustus anno sui Imperii XXV. sensu diminutus, adeò mente excessit, ut familiares suos juberet occidi, quos tamen ad se rediens sibi præsentari exigebat. Sequenti verò anno quidam nomine Basilius, quem idem Michaël pauperem ex familia unius Abbatis adsciverat, & Cubicularium factum ad tantos honores provexerat, ut alter Imperator appellaretur, sæpe ab Imperatore per insaniam occidi jussus, timens ne tali occasione occideretur, Imperatorem apud Chrysopolim interfecit.

Pars IX.

BAsilius natione Macedonicus sumpsit Imperium Anno Domini DCCCLXVII. Eodem anno Carolus filius Ludovici per III. dies in præsentia Patris, & Optimatum vexatur à Dæmone, & in ipsa vexatione confitetur hoc sibi accidere, quia conspiraverat contra Patrem.

Pars X.

BAsilius eodem anno primogenitum filium suum Leonem sibi consortem coronari fecit. Hic inter cetera munera mittit Ludovico crystallum miræ magnitudinis auro gemmisque ornatum cum parte non modica Sanctæ Crucis.

Pars XI.

ADrianus II. natione Romanus sedit annis V. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic disposita per Nicolaum complevit, mittens Constantinopolim Donatum Ostiensem Episcopum, & alios; & congregata Synodo restitutus est Ignatius, & sedatum est Schisma. Sed favente Basilio, iteratò Ignatius deponitur, & Schisma inter Latinos, & Græcos renovatur. Hanc Synodum Græci inter Generales non suscipiunt, quia in ea de Articulis Fidei non est actum, & etiam propter Photii depositionem.

Pars XII.

IN Brixia tribus diebus & noctibus pluit sanguis de Cœlo, & signa plurima in Gallia apparuerunt, ita quòd pestilentiâ, & inediâ tertia pars gentium diminuta sit.

Pars XIII.

HOc tempore Ursus Dux exiens cum expeditione navali contra Saracenos, (*) qui juxta Tarentum manebant, bellum cum eis egit, & victoriam gloriosam obtinuit. Barii verò Civitas ab exercitu Ludovici capta est, quam annis XXX. tenuerant.

Pars XIV.

SEquenti anno Saraceni ab Insula Cretæ egredientes, Bratiensem Urbem, & alias Civitates Dalmatiæ depopulati sunt: quod Dux sciens exploratoriam misit Naviculam, ne Saraceni ex improviso fines Venetorum intrarent. Quæ cùm de Grado in Istriam navigaret, à piratis Sclavis, qui in Portu Sylvoclis latitabant, capta est, & Veneti occisi sunt, qui in ea erant.

Pars XV.

ALdegisius quoque Dux Beneventanus sub fiducia Græcorum adjunctis sibi Campanis, Lucanis, atque Samnitibus, Ludovico rebellare proposuit. Imperator autem Beneventum invasit; sed receptis ab Aldegisio muneribus redire persuasus est. In reditu enim omnes Urbes Campaniæ, præter Capuam, feliciter habuit. Consequenter captâ Capuâ Episcopus cum Clero deportans Reliquias Urbi veniam impetravit. Totam autem Apuliam, & Campaniam à Græcis vendicavit. Postea verò Aldegisii consilio absque exercitu Beneventum intravit. Aldegisius verò Imperatorem meridie dormientem aggreditur, & cum domo cremare minatur, nisi juramento promittat, se eorum fines de cetero non intrare. Imperator verò post ignominiosam pactionem Romam rediit, & coram Papa Adriano, præsente Senatu, casum exposuit. Tunc Aldegisius à Senatu hostis judicatus est.

Pars XVI.

JOannes Octavus natione Romanus sedit annis X. diebus II. Hic injuriam perpessus est à Romanis,

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Saraceni ingenti classe comparata Adriaticum sinum ingressi, & Dalmatiæ oram & Istriæ devastarunt, inde redeuntes, Apuliam infestarunt; interim Veneti comparant classem, & eos in Apulia consequuntur, & inito prœlio eos fuderunt, fugaruntque, ut nonnulli sunt auctores, quod unam tantùm expeditionem eodem anno à Saracenis factam in Sinu Adriatico, non duas duobus annis, ut hic Dandulus, asserant.

manis, ita ut in custodia teneretur, quia Carolo non favebat, cùm in Francia fuit; nam cum Ludovico Baldo ei contrario ferè per annum fuit. Sub isto celebrata est Synodus Constantinopoli CCCLXXXIII. Patrum, cui præfuit Petrus, & Paulus Antiochensis Episcopus, & Eugenius Episcopus Ostiensis Papæ Apocrisarius. Photius enim Patriarcha priùs ibi duo Concilia celebraverat. Hic constituit Principes ordinatos esse debere pro defensione Ecclesiarum: quod si requisiti negarent Justitiam, communione eos privatos denuntiat.

Pars XVII.

PEtrus Patriarcha natione Venetus ex Patre Joanne Marcurio sedit annis IV. mensibus VI. diebus VIII. Hic vir sanctitate præcipuus, scientia decoratus, dum Diaconus esset, priusquam eligeretur, tanti honoris se indignum judicans, in Longobardiam fugit; sed tamen precibus reductus, invitus Patriarchalem acceptavit sedem. Qui cum Duce maximam habuit altercationem, renuens confirmare electum Episcopum Torcellanum. Hic etiam Synodo LXX. Episcoporum Ravennæ celebratæ interfuit cum Joanne Papa; & denique cum Duce reconciliatus apud Ecclesiam suam Sancti Juliani in Rivoalto decessit, translatusque in Gradum in atrio Ecclesiæ Sanctæ Euphemiæ sepultus est.

Pars XVIII.

EOdem anno Ludovicus Pius Imperator XXI. Imperii sui anno Veronæ defunctus est.

Pars XIX.

CArolus Rex Francorum sumpsit Imperium Anno Domini DCCCLXXVI. Hic dictus est Calvus, fuitque patruus Ludovici; nam eo mortuo hic Romam properans, Romanos sibi muneribus reconciliavit; & factus Imperator Ludovicum fratrem hostem habuit. Quo defuncto Lotharingiæ Regnum violenter invadere molitur, & cum dedecore repulsus est.

Pars XX.

HIs quoque diebus inter Ducem, & Patriarcham Venetorum discordia maxima suscitata est, quia mortuo Senatore Episcopo Torcellano Petrus Patriarcha confirmare, & consecrare renuebat Dominicum filium Leonis Caloprini Abbatem Altinatis Monasterii, qui favente Duce in Torcellana sede surrogatus fuerat, dicens eum indignum, quia pro imposito sibi crimine virilia sibi absciderat, & Monasterium Sancti Hilarii, in quo tunc erat Monachus, & Patriam apostatando reliquerat. Cùmque Patriarcha Duci obtemperare renueret, coactus Patriam relinquere Romam ivit; & cum Joanne Papa Ravennam vênit, & ad Synodum congregandam convocari fecit Petrum Equilensem, & Leonem Caprulensem Episcopos, & alios, qui in eadem Provincia Episcopi electi erant, ut contentio, quæ inter Ducem, & eum erat, solemniter sopiretur. Qui quia jam Synodo completa venerant, à Papa communione privati sunt, sed postea interpellante Duce restituti. Tamdem verò inter hos pax solidata est hoc modo. Quòd Dominicus electus Episcopus diebus vitæ Patriarchæ careat consecratione; Episcopali tamen Domo, & bonis omnibus ipsius Episcopatus interim possit & valeat gaudere.

Pars XXI.

INterea Saraceni advenientes Gradensem Urbem capere conati sunt; sed Civibus fortiter resistentibus Saracenorum impietas non prævaluit. Tamen cùm duobus diebus prædictam Urbem obsedissent, denunciatum est Duci Venetiarum, qui instanter filium suum Joannem cum navali exercitu contra eos misit. Quod dum Saraceni fortè investigassent, protinus recedentes ab urbe Comaclensem Villam depopulati sunt.

Pars XXII.

VEneti quoque videntes Joannis Ducis nati probitatem, favente Patre, eum Ducatus consortem constituerunt.

Pars XXIII.

QUo tempore mercatores Veneti lucri cupidi à Piratis, & Latrunculis mancipia comparabant, & transfretantes de eis commercium faciebant: cui manifesto facinori Duces obviare dispositi, unà cum Clero, & Populo Venetiarum piè decreverunt, ne quis de mancipiis commercium faciat, vel in navibus recipiant, imponentes graves pœnas contrafacientibus.

Pars XXIV.

QUia Sclavi cum navibus venientes Umagum, Ciparum, Æmoniam, & Rubinum urbes Istriæ depopulaverant, Dux propterea cum XXX. navibus exiens, cum Sclavis bellum peregit, & victoriam obtinuit, & non ingratus ablata Ecclesiis Istricis restituit, & propter fœdus, quod cum Sclavis habebat, omnes captivos liberè dimisit. Tamen Sclavi reputantes se offensos, fœdus irritum habuerunt, quod mortuo Domogoi renovatum est, non inclusis Narentanis Venetorum maximis æmulis, contra quos Dux exercitum misit.

Pars XXV.

SAudan Saracenorum Princeps qui in Barensis Urbis captione detentus fuerat, ab Aldegisio nunc dimissus est, qui postea Tarentum rediit, & multa intulit damna Christianis.

Pars XXVI.

HOc tempore Flandria cœpit esse Comitatus, & potentior facta est. Primitus à Portariis Regis Francorum regebatur. Balduinus enim quidam potens rapuit Judith filiam Caroli redeuntem de Anglia, mortuo viro suo Alveredo Rege: Propter quod excommunicatus est consensu Episcoporum; sed reconciliatus Regi recepit Flandriam cum uxore perpetuò possidendam.

Pars XXVII.

JOannes Episcopus natione Venetus ex Patre Marino Patricio, sedit annis . . . Hic erat Archidiaconus Olivolensis Ecclesiæ, qui nunc electus Episcopus, unà cum Leone Episcopo Mathemaucense, & Joanne Civitatis Novæ, à Petro Patriarcha consecrati sunt.

A

Pars XXVIII.

ITeratò Carolus Imperator contra uxoris, & suorum consilium Italiam profectus, subitò audit, Carolum Mannum filium quondam Ludovici Regis Germaniæ, qui pro acquirendo Imperio laborabat, cum valida supervenire manu; & cùm ipse esset imparatus, in Franciam rediens, à quodam Sedecia Judæo potionatus dicitur, & mortuus est in Alpibus, & sepultus apud Lugdunum. Tenuit quoque Imperium anno I. mensibus IX.

Pars XXIX.

B

CArolus filius Ludovici Regis Germaniæ postea imperavit Anno Dom. DCCCLXXIX. Mortuis enim duobus fratribus ejus Carlomanno, & Ludovico, ad Imperium intendens, duobus annis cum Ludovico Balbo Rege Franciæ, qui Imperium expetebat, pertransiit, & de inimicis triumphans Regnum Alemanniæ obtinuit, & post biennium mortuo Ludovico solus imperavit, à Joanne Papa coronatus, qui Ludovico favebat.

Pars XXX.

HIc primo anno Regni sui Ravennæ existens fœdus inter Venetos, & subiectos suos Italici Regni per quinquennium renovavit, & instituit, ut contra Sclavos, qui utrosque maritimis latrociniis nitebantur invadere, debeant unanimiter & concorditer non solùm resistere, sed etiam invadere.

C

Pars XXXI.

VIctor Secundus Patriarcha natione Venetus ex Patre Ursone Particiaco, sedit annis XVII. mensibus XI. diebus XIII. Hic Presbyter erat Ecclesiæ Sancti Silvestri, qui licèt invitus, ut Duci promiserat tempore suæ electionis, Dominicum electum Episcopum Torcellanum consecravit, redarguens eum, quòd contra statuta Canonum Dignitatem Episcopalem accipiebat. Hic ab Adriano Tertio Papa obtinuit Pallium utendum diebus contentis in Privilegiis Prædecessoribus suis concessis, sepultusque est ante Ecclesiam Sanctæ Euphemiæ.

D

Pars XXXII.

PEr hos dies Sedan Sclavus ex progenie Tibinuri, fultus Imperiali præsidio Dalmatiæ Ducatum arripuit, filiosque Domogoi exilio misit, quem non multo interjecto tempore Branimirus occidit, & Ducatum ejus accepit.

Pars XXXIII.

E

EOdem tempore Ursus Dux Venetorum per Apocrisarios Basilii Imperatoris Protospatarius effectus magnis etiam muneribus ditatus est. Qui honoris suscepti non ingratus XII. magni ponderis campanas Imperatori delegavit, & ex illo tempore Græci campanis uti cœperunt.

Pars XXXIV.

HIc in Heraclia Civitate, de qua Progenitores sui originem duxerant, Palatium construxit, & licentiam tribuit in Rivoalto Paludes cultandi, & domos ædificandi contra Orientem, & Insula, quæ Dorsum durum vocatur, eo consulente composita est. Quæ gentibus aliquibus ad servitia Ducis deputatis, qui Excusati Ducatus dicti sunt, concessa est; & usque in hodiernum diem omnes in eodem degentes sextario, piscatores, & aucupatores, de his quæ capiunt, tenentur tributum annuatim persolvere Duci. (*)

Pars XXXV.

JAm dudum quoque ingens discordia inter Venetos, & Forojulianos pacis dulcedine sopita est; promisit namque Walpertus Patriarcha Aquilegiensis Gradensem Metropolim, nec fines vel Jurisdictiones ejus non invadere, vel aliquo alio modo inquietare, vel turbare; & ei, dum vixerit, Ursus Dux promisit Portum, vocatum Pilum apertum, permittere. Ita tamen ut honor sibi debitus conservetur, & ei deferatur, & Populus suus in emendo, vel vendendo ultra solitum, non gravetur; & IV. mansiones, quas Dux in Aquilegiensi Foro obtinet, ei reservatæ sint; neque de negotio Ducis proprio debeat solvere datium, vel tributum.

Pars XXXVI.

LAurentius Episcopus natione Venetus ex Patre Barbataurello, sedit annis XXIX.

Pars XXXVII.

FUit nempe Dux præfatus multæ sapientiæ & pietatis vir, pacisque amator, quatuorque filios reliquit Joannem consortem, Baduarium, Ursum, & Petrum. Quidam etiam addunt quinctum Victorem Patriarcham, duasque filias Felicitatem, quam Rodoaldo filio Joannis Ducis Bononiæ in Conjugem tradidit, & Joannam Abbatissam Sancti Zachariæ, quæ ipsum Monasterium vetustate corruptum restauravit. Mortuusque est XVII. sui Ducatus anno completo, & sepulturæ traditus est in prælibato Sancti Zachariæ Cœnobio.

CAPITULUM SEXTUM.

De Ducatu Joannis Particiaco Ducis II. habens partes XIII.

JOannes Particiacus Dux solus ducare cœpit Anno Domini DCCCLXXXI. Hic mortuo Patre Baduarium Fratrem suum Romæ delegare proposuit, ut à Joanne Papa Comitatum Comacli obtinere posset: quod Marinus Loci Comes præsciens, hunc in crure vulneratum in itinere cepit, & post modicum relaxavit, cogens eum, ut sacramento suo promitteret non petere emendam injuriæ, vel damni illati sibi ullo tempore. Qui Venetias rediens, ex vulnere sibi illato illico mortuus est. Ob quam causam

(*) *Integra hæc periodus additur in Codice Ambrosiano*: Hoc tempore Illicus-banus Princeps Sclavoniæ contra pacis fœdera veniens, civitates Istriæ maritimas damnis, & derobationibus flagellavit; propter quod Ursus cum manu forti personaliter adversùs eum exiens, est victoriam consequutus, terrarumque per ipsum Illicum occupatarum indebitè, atque spoliorum restitutionem obtinuit cum triumpho.

causam Dux cum navali exercitu Comaclum pergens properans Urbem bellando cepit, & dimissis ibi suo nomine Judicibus, & Ravennatibus damnis illatis, qui de captione fratris conscii fuerant, Venetias rediit.

Pars I.

MArtinus II. natione Romanus sedit anno I. mensibus II. Cessavit Episcopatus mensibus III. Cujus tempore Guilielmus dictus Pius Dux Aquitaniæ, & Comes Alverniæ, cùm non haberet heredem, Cluniacense Monasterium in fundo proprio construxit, & magnis dotavit divitiis.

Pars II.

HIc Joannes Dux Carolo Imperatori existenti Mantuæ Legatos misit, & Privilegium infrascripti tenoris ab eo obtinuit.

Pars III.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. „ Carolus divina favente Clementia Imperator Augustus. Dignum est, ut Celsitudo Imperialis quantum ceteris honoris, ac Potestatis fastigio antecellit, tantum erga Deum „ pietatis suæ munus impendere satagat. Igitur „ omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorum scilicet præsentium & futurorum „ comperiat magnitudo, quia Joannes Veneticorum Dux per Legatos suos Laurentium „ Venerabilem Episcopum, atque Vigilium, „ seu Leonem Veneticos, nostram deprecatus „ est Clementiam, ut ex rebus sui Ducatus, „ quamque & suam proprietatem, quam in „ Venetia haberet judicialiter, vel quæ infra „ ditiones Imperii nostri sitæ esse noscuntur, „ ei confirmationis nostræ præceptum fieri juberemus, per quod ipse suique heredes, ac „ Patriarcha, Pontifices, Abbates, atque Populus sibi subjectus, debitas res absque cujuspiam contrarietate, seu refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus „ Bisavi nostri Caroli per decretum cum Græcis sancitum possederunt. Petiit etiam Celsitudinem nostram, ut in quibuscumque Provinciis, ac Patriis Regni nostri quispiam Veneticus esset, suæ potestati maneret subjectus, atque omni fide, vel obedientia submissus. Cujus petitionibus ut nobis cœlestis „ suffragatio copiosior adsit, libenter acquiescentes, hos Excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri, per quos statuentes decernimus, „ ut nemo ex nostro Regno in finibus Civitatis Novæ, vel Melidissea, sive in Villa, „ quæ dicitur Caput ageris, vel in finibus, vel „ possessionibus ejus, vel etiam vineis, terris, „ pratis, pascuis, sylvis, atque piscationibus „ ipsius, aut in ceteris locis, quibus in Pacto „ eorum legitur, vel ubi infra ditionem Imperii nostri proprietates habere videntur, aliquam venationem, aut pabulationem exerceat, unde homines ejus, qui eo ambitu circum inhabitant, aliquam substineant molestationem, vel forciam; sed securiter atque „ in pace ibi vivere queant. Immo per Loca „ & flumina cuncto nostro in Regno liberè sua „ peragant negotia, ita tamen ut nullum gravamen sentiat Populus ejus, nisi quod æquum „ est; tantummodo telonaria, & ripatica solvat. Nam verò prædictus Dux, suique hæredes nullo in loco persolvant de quacumque „ re, sed ex nostra largitate quieto more ubique sua perficiant. Statuimus etiam, ut nullus in Territoriis, Locis peculiaribus, aut „ Ecclesiis, Domibus, seu rebus, & reliquis „ possessionibus præsignati Ducatus, ac sua „ proprietate, quam in Venetia obtinere videtur, vel quæ infra potestatem Imperii nostri „ sitæ esse noscuntur, iniquam ingerere præsumat inquietudinem, diminorationem, seu „ calumniosam contradictionem, aut subtractionem nefandam, sed liceat eas præfato „ Duci, ac Patriarchæ, Episcopis, Abbatibus, „ vel Populo sibi subjecto, seu Successoribus „ eorum, ac heredibus, quietè absque cujuspiam insultantis machinatione, aut sinistra „ cujuspiam tergiversatione jure gubernare, & „ gubernando, prout liquidiùs in prædesignato „ Decreto continetur, legaliter possidere. Concessimus quoque Sanctæ Metropolitanæ ejus „ Ecclesiæ, vel Episcopatibus sibi subjectis, „ atque Monasteriis, Cœnobiis, justitiam requirendam de suis rebus in annos legales, „ secundùm quod Ravennas habet Ecclesia. „ (Sed hoc constituimus, atque per hoc nostrum Præceptum mansurum confirmamus, „ ut in quacumque Patria Regni nostri quislibet „ Veneticorum fuerit, ejus sit potestate distringendus, ejusque per omnia debeat obedire præceptis, adeò ut nulla major vel minor persona contra eum quempiam Veneticum defendere præsumat.) (a) *Et infra*. „ Porrò, ut hoc veriùs credatur, diligentiùsque „ observetur, propria manu firmavimus, & „ annulo nostro jussimus sigillari.

Signum   *Domni*
Caroli      *Serenifs.*
Imperatoris   *Augusti.*

„ Inquirinus Notarius ad vicem Archicancellarii recognovi. Datum Tertio (b) Idus „ Maji Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione I. Anno verò Imperii „ Domni Caroli in Italia Tertio in Francia „ Secundo.

„ Actum Mantuæ in Dei nomine feliciter. „ Amen.

Pars V.

ADrianus III. natione Romanus, sedit anno I. mensibus III. Cessavit Episcopatus mense I. Hic constituit, ut Imperatores se non intromittant de electione Papæ, quæ constitutio inchoata fuit per Nicolaum Primum.

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur*: In libro primo Pactorum C. prima verba inter duos parenteses contenta desiderantur; sed loco eorum interjacent hujusmodi verba: „ adjungimus inter hæc propter amorem Dei „ Omnipotentis, quia nefariè malum est alicujus interficere seniorem, aut Ducatus sui „ privari honore; ne quilibet deinceps hoc „ agere præsumat; quod qui fecerit exilio retrudatur, & cæteri in hoc facinore deprehensi centum libras auri componere cogantur, medietatem Palatio nostro, & medietatem præfato Duci, suisque hæredibus; quapropter statuimus, ut si quis ex cunctis locis „ nostri Imperii hanc nostram jussionem postponere præsumserit, & omnia, quæ superiùs „ dicta sunt, observare neglexerit, similiter „ centum libras auri componat, salva ex omni „ Populo Veneticorum debita obedientia, & „ singulorum hominum justitia, atque querela. „ Porrò ut hoc &c.

(b) *Cod. Amb.* VI.

Pars VI.

BAsilium aliqui ponunt communiter. De eo non fit mentio; causam non reperi.

Pars VII.

HIc Joannes Dux cùm morbo gravi esset oppressus, laudante Populo Petrum suum minorem fratrem sibi successorem constituit; & postea convalescens eum consortem habuit. Ille verò post modicum defunctus est; erat quippe ætatis XXV. annorum.

Pars VIII.

HIc etiam, defuncto Petro Fratre suo, Ursum similiter germanum suum sibi parem suscepit in honorem; fundavitque in Mathemaucensi litore in loco vocato Vinea Ecclesiam in honorem SS. Cornelii & Cypriani, quam Capellæ suæ Sancti Marci immediatè subjecit. Eam verò postea Vitalis Michaël Dux I. concessit pro Monasterio construendo Monachis Sancti Benedicti de Pado Vetulo.

Pars IX.

INter hæc Basilius Imperator, completis annis XVII. Imperii sui, mortuus est.

Pars X.

LEo filius ejus post obitum Patris cum Alexandro Fratre suo Imperium tenuit Anno Domini DCCCLXXXV.

Pars XI.

PEr idem tempus Diluvium maximum aquarum in finibus Venetiæ fuit in tantum, ut Ecclesias, & Domos penetraret.

Pars XII.

EOdem tempore gens Ungarorum à Scythia egressa in Pannoniam primitus vênit, & ejectis inde Avaribus usque hodie ibi manent. Hæc gens inculta nimis crudis carnibus vescebatur, & sanguinem potabat humanum.

Pars XIII.

DUm autem hic Dux post Patris obitum tenuisset Ducatum annis V. mensibus VI. morbo gravi denuo opprimitur, ut cum voluntate Populi Ursus consors jam factus dignitatem tenuit. Tunc Joannes Dux videns se regimini Veneto superesse non valere, permisit Populo, ut alium eligeret quem vellet.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Ducatu Petri Candiano habens partes II.

PEtrus Candiano Dux assumtus est Anno Domini DCCCLXXXVII.

Pars I.

HIc in domo sua à Populo Dux creatus die XVII. Aprilis, ad Palatium accedens, à Joanne olim Duce clementer susceptus est,

A & insignia dignitatis ab illo obtinuit, & intronizatus cum eodem Joanne Prædecessore suo satis honorificè se habuit, & pari modo cum Ursone germano suo.

Pars II.

HIc confestim contra Narentanos exercitum navalem misit, qui cùm sinè effectu reversus esset, tunc per semetipsum cum XII. bellicis navibus in mense Augusti egressus est, & ad Montem Sclavorum perveniens, in loco qui vocatur Mucubes exivit, licèt cum paucis; sed Sclavos sibi resistentes primùm in fugam vertit, multosquè ex illis occidens V. B naves illorum securibus fregit. Sed demum irruentibus Sclavis die XVIII. mensis Septembris cum aliis VII. occisus est. Cujus corpus Andreas Tribunus surripiens in atrio Ecclesiæ Gradensis postea sepelivit. Fuit namque vir bellicosus, & audax, sapiens, & admodum largus, Ecclesiarum verò in tantum devotus, ut nullo tempore Divino currente Officio defuerit. Fuit etiam statura mediocris, & annorum XLV. tenuit quoque Ducatum V. mensibus.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Ducatu Joannis Particiaco habens partes III.

C JOannes Particiacus Dux reassumtus est Anno Domini DCCCLXXXVII. Hic licèt infirmus, & aliàs Ducatui renunciasset, deprecante Populo ad Palatium rediit, & Dux se intronizari permisit, ut commodiùs sopitis popularibus clamoribus de idoneo Duce, absque Schismate valerent providere.

Pars I.

STephanus V. natione Romanus, sedit annis VI. diebus VIII. Cessavit Episcopatus diebus V.

D *Pars II.*

CArolus Imperator animo & corpore deficiens, ab Optimatibus Regni repudiatur, imperavitque annis VII. & postea annis V. privatam duxit vitam, & ad tantam devênit inopiam, ut parvos reditus ab Arnulpho nepote ejus gratanter acciperet.

Pars III.

ISte Dux Joannes, completis mensibus VI. diebus XIII. jam publicis sedatis rumoribus Populo persuasit, ut de Duce sibi providerent, & ad propriam rediit mansionem.

E
CAPITULUM NONUM.

De Ducatu Petri Tribuni habens partes XXXVI.

PEtrus Tribunus Dux creatus est Anno Domini DCCCLXXXVIII. Hic natus ex Patre Dominico, & Matre Agnella nepte olim Petri Ducis occisi, vir omni bonitate plenus, hoc tempore Dux concorditer factus est.

Pars

Pars I.

HUnc quoque Ducem Leo Imperator Constantinopolitanus Protospatarium constituit.

Pars II.

AB hoc tempore usque ad Otthonem confusè regnatum est, & diversimode scindebatur Imperium, quià mortuo Carolo, qui imperavit annis XII. diversæ Provinciæ sibi Reges constituerunt.

Pars III.

ARnulphus filius naturalis Caroli vocatur à Francis, & Alemannis, imperavitque Anno Domini DCCCXCI.

Pars IV.

EOdem anno Italicorum usitata divisio una pars sibi Regem elegit Berengarium Forojuliensem. Reliqua verò Guidonem, seu Liudonem Ducem Spoletanum, qui vicissim pro Imperio certantes bella maxima inierunt.

Pars V.

HUic Guidoni in Papia solium tenenti Petrus Dux Venetorum Legatos misit primo anno Imperii sui Dominicum Presbyterum, & Capellanum ejus Mauricium, & Vitalem nobiles cives suos, & ab eo obtinuit Privilegium in ea forma, qua Prædecessores sui Imperatores Ducibus Venetiarum retroactis temporibus concesserant.

Pars VI.

FOrmosus natione Romanus, sedit annis V. mensibus VI. Cessavit Episcopatus diebus XII. Hic fuit Portuensis Episcopus, & cùm aliquando in sinistram opinionem venisset Joanni Papæ, ejus timore fugit; & quia revocatus redire noluit anathematizatur. Tamdem ad satisfaciendum Papæ in Galliam iens, usque ad Laicalem habitum degradatus est, jurans se ampliùs non intraturum Romam, nec suum Episcopatum repetiturum; & non solùm Romam intravit, sed etiam Papatum suscepit contra voluntatem aliquorum Romanorum, qui Sergium præficere volebant Diaconum Romanæ Ecclesiæ: quod multis annis turbationis materia fuit, aliis judicantibus consecrationes ab eo factas irritas esse, aliis contra sentientibus propter ordinatorum fidem præsertim, cùm à Papa fuerit à juramento absolutus.

Pars VII.

ARnulphus compositis rebus in Germania, intravit Italiam, Berengarium Regem cepit, Ambrosium Comitem in furca suspendit, & Italia se sibi subdidit, & per montem Jovis in Galliam rediit.

Pars VIII.

DEinde datâ Lotharingiâ Cendebuldo filio Spurio, invitatus à Formoso Papa Romam vênit, cui portas Romani clauserunt. Clamante autem exercitu fortissimè post fugientem leporem versùs Urbem, Romani timentes se de muro præcipitant; & tunc hostes ascendunt. Captâ autem Româ, qui Papæ injuriam fecerant, interimuntur, Imperator quoque à Papa benedicitur.

Pars IX.

BOnifacius VI. natione Tuscus, sedit diebus XV.

Pars X.

GEorgius Patriarcha natione Venetus ex Patre Gregorio Andreadi, sedit anno I. mensibus VI. diebus XXII. Hic fuit frater uterinus Victoris suprascripti Patriarchæ, & Pallium suscepit à Bonifacio Papa, utendum diebus Prædecessoribus suis concessis; sepultusque est in Grado ante Ecclesiam Sanctæ Euphemiæ.

Pars XI.

STephanus VI. natione Romanus, sedit anno I. mensibus III. Cessavit Episcopatus diebus III. Hic primùm à Formoso Papa ordinatus Episcopus Anagnæ. Alibi dicitur Moguntinus, ordinationem Formosi irritat, & in eum horribilia exercuit. Legitur enim, quòd ipse, & non Sergius, corpus Formosi in Concilio prostratum, & Papali veste exutum, Laicali induit habitu, & abscissis duobus digitis in Tyberim præcipitari jussit.

Pars XII.

DUx quoque Venetiarum sui Ducatus anno IX. cupiens tutare Populum suum ab improvisis hostium irruptionibus, muros construi fecit à capite Rivoli de Castello usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Jubenico; maximaque catena ferri inibi composita erat, quæ uno suo capite in fine prædicti muri, alio verò in Sancti Gregorii Ecclesiæ margine, quæ trans ripam posita est. Coërcebat ob hoc videlicet, ne ulla navis penetrandi facultatem nisi dissolutâ catenâ haberet.

Pars XIII.

EOdem anno Guido Rex Italiæ, qui cum Berengario de Regno contenderat, Arnulphum Imperatorem fugit, se usquequaque persequentem. Demum cùm Imperator illius uxorem obsideret, jamque illa rebus suis diffideret, per unum familiarem Imperatoris multa pecunia corruptum ei mortiferum poculum dedit, Quo hausto per triduum excitari non potuit. apertisque oculis nihil loqui, aut sentire valebat: quem Guido Rex persequens à Deo percussus obiit.

Pars XIV.

LAmbertus Guidonis Regis filius post obitum Patris Romam iens se Imperatorem vocari fecit.

Pars XV.

ROmanus natione Romanus, sedit annis III. diebus XIII. Vitalis Junior Patriarcha natione Venetus ex Patre Joanneteno Particiaco dicto

dicto Pauretta, interim sedit annis III. (a) diebus IV. Hic Pallium recepit à Romano Papa utendum diebus Prædecessoribus suis concessis, sepultusque est in Grado in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ juxta Corpora SS. Martyrum Hermacoræ & Fortunati.

Pars XVI.

PEr hæc tempora Normanni, & Dani, qui per annos XL. & amplius Regnum Francorum ad nihilum redegerant, ad Fidem convertuntur. Rollonem quoque Regem eorum Robertus Comes Parisiensis de Sacro Fonte levavit, nomen ei communicans, & hic fuit primus Dux Normannorum, cui Carolus Simplex dedit in uxorem Gallam filiam suam, & totam Neustriam, sive Normanniam.

Pars XVII.

DOminicus Patriarcha natione Venetus ex Patre Petro Tribuno, sedit annis VII. mensibus XI. diebus III. Hic fuit Ducis filius, vel ut quidam referunt solùm de sua cognatione. Qui Pallium obtinuit à Theodoro Papa utendum diebus Prædecessoribus suis concessis, in quibus diebus Fredericus Patriarcha Aquilegiensem regebat Ecclesiam.

Pars XVIII.

THeodorus natione Romanus, sedit diebus XX. Hic contra sentiens Stephano Papæ, reconciliavit ordinatos à Formoso Papa.

Pars XIX.

JOannes Nonus natione Romanus, sedit annis II. diebus XV. Hic pugnam fecit cum Romanis. Ipse ad confirmandam Formosi ordinationem Synodum congregavit Ravennæ LXXIV. Episcoporum, ubi Synodus Stephani contra Formosum reprobata est.

Pars XX.

PEr idem tempus iste Dux Privilegium (b) indulsit Clugiensibus degentibus tam in majori Clugia, quàm in minori, per quod fines eorum terminavit, videlicet à suo Portu usque in Athicem per litus, & de Athice usque ad Babiam, & de Babia usque ad Concas, & de Conchis usque ad eorum Portum; & designavit eis servitia, quæ sibi, & Ducatui perpetuò facturi erant.

Pars XXI.

BEnedictus Tertius natione Romanus, sedit annis III. mensibus II. Cessavit Episcopatus diebus VI.

Pars XXII.

ARnulphus autem longa ægritudine dissolutus, & multitudine pediculorum afflictus, ita ut à nullo Medicorum adjuvari potuerit, obiit completis annis XII. in Imperio suo.

Pars XXIII.

LUdovicus postea imperavit Anno Domini DCCCCIII. Hic fuit filius Arnulphi, vel ut quidam dicunt, Bosonis, qui Emii Rex creatus à Principibus Lotharingiæ, quos Cendeboldus offenderat, ad Regnum totius Belgicæ invitatur, ipseque Cendeboldus multa mala committens, à Comitibus Gerardo, Stephano, & Manfredo peremptus est; & sic Ludovicus liberè Regno potitur, Imperiali tamen caruit benedictione.

Pars XXIV.

BErengarius Rex similiter in Italia reassumpsit Regnum, vel ut certi dicunt, hic est alter Berengarius qui per hæc tempora in Italia Rex constitutus est.

Pars XXV.

LEo Quintus natione Romanus sedit diebus XL post quos Christophorus Presbyter ejus ipsum capiens, & in carcerem trudens rapuit Papatum.

Pars XXVI.

CHristophorus sedit mensibus VII. post quos à Sergio deponitur, & in carcerem truditur.

Pars XXVII.

INterea Leo Imperator apud Constantinopolim obiit completo XVIII. Imperii sui anno.

Pars XXVIII.

COnstantinus itaque, defuncto Patre, cum Alexandro Patruo suo imperavit Anno Domini DCCCCIV. vixitque Alexander cum Nepote anno I. Hic Imperator factus misit pro Romano, qui Delongarii fungebatur officio, quem Pater primum conductorem exercitus contra Saracenos mitti constituerat, ut Constantinopolim rediret, à quo responsum habuit se non rediturum, nisi eum in Palatio majorem Consiliarium, & quasi Patrem coleret. Vênit ergo ille cum exercitu ad Civitatem, quæ Tuitis (c) dicitur, & in tantum Urbem Constantinopolitanam inedia constrinxit, ut Cives coacti eum, ut expofcerat, in Palatio susceperint. Qui mox filiam suam Helenam Constantino Imperatori in Conjugem tradidit, sibique & Christophoro, Stephano, & Constantino filiis suis Imperialem Coronam imposuit, sicque eodem tempore V. Imperatores erant; sed unus eorum, videlicet Christophorus, illico mortuus est.

Pars XXIX.

SErgius III. natione Romanus sedit annis VII. mensibus III. diebus XVI. Cessavit Episcopatus diebus VII. Hic per Formosum à Papatu reprobatus, tamdem Papa factus ad Francos se contulit, quorum auxilio deposuit Christophorum.

(a) *Cod. Ambr. addit* mensibus III.
(b) *Additur in margine Cod. Ambrosiani hæc nota*: Extat Privilegium hoc usque in hunc diem, quibusdam (literis) dimidiatis & manchis, cujus exemplar est apud me, in quo est legere nescio quid de Petri Caloprini filio, ut suspicor, dissidium inter Clugienses, & Duces Venetos ortum ob susceptos Caloprinos à Clugiensibus, vel quid simile.
(c) *Cod. Ambr.* Avitis.

rum. Aliqui ponunt, quòd iste Formosum capite truncavit, & in Tiberim projici fecit, cujus corpus à piscatoribus inventum, cùm in Ecclesiam Sancti Petri deportatum esset, quædam Imagines palàm visæ sunt venerabiliter eum salutasse.

Pars XXX.

LUdovicus igitur in Italiam veniens Berengarium expulit, & cùm tota Italia liberè potiretur, dimisso milite cum paucis Veronam se contulit, ubi à Civibus capitur, & revocato Berengario excœcatur. Berengarius autem ex tunc Romani obtinuit Coronam Imperii militari dotatus prudentia.

Pars XXXI.

HOc tempore, videlicet Anno DCCCCVI. Hungarorum Pagana & crudelissima gens in Italiam veniens, incendiis & rapinis cuncta devastans, maximam multitudinem hominum interficiens, nonnullos etiam captivos reservavit. Contra quos Berengarius Rex direxit exercitum XV. (a) millium hominum, & pauci ex eis reversi sunt. Hungari verò pertranseuntes Tarvisium, Patavium, Brixiam, ceterosque fines, Papiam, & Mediolanum venerunt, & usque ad Montem Job, vel Jovis, depopulantes cuncta.

Pars XXXII.

HUngari interea Venetias introgressi cum equis, atque pelliceis navibus, primùm Civitatem Novam, fugiente Populo, igne concremaverunt, deinde Equilum, Finem (b), Clugiam, Caput Ageris incenderunt, litoraque maris depopulaverunt; verùm etiam tentantes Rivoaltum, & Mathemaucum ingredi per loca, quæ Albiola vocantur, in die passionis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Petrus Dux cum navali exercitu Dei protectus auxilio prædictos Hungaros in fugam vertit. Fuit namque hæc persecutio in Italia uno anno continuo.

Pars XXXIII.

REx igitur Berengarius datis obsidibus, ac donis, prædictos Hungaros retrocedere fecit cum omni præda, quam fecerant.

Pars XXXIV.

LAurentius Patriarcha natione Venetus ex Patre Petro Mastalico sedit annis XII. mensibus IX (c) diebus XXIV. Hic ab Anastasio Papa suscepit pallium, utendum diebus Prædecessoribus suis concessis, tumulatusque est in Grado in Atrio Sanctæ Euphemiæ.

Pars XXXV.

DOminicus Episcopus Olivolensis natione Mathemaucensis ex Patre Barbaro Mauro Vilinico sedit annis V. (d) mensibus VI. Hic ut quidam referunt, contra voluntatem Ducis Episcopus factus est, & coactè à Patriarcha, & ceteris Episcopis consecratus est. (e)

Pars XXXVI.

SCripserunt similiter plurimi, quòd hic Dux pessimus & iniquus fuit, atque quòd suis demeritis à Populo occisus est, errantes, sicut authenticis scripturis manifestè comperimus. Fuit namque sapiens, & pacificus, & benignè Ducatum rexit, mortuusque est naturali morte, completis in suo Ducatu annis XXIII. diebus XXIII. & in Monasterio Sancti Zachariæ sepulturæ traditus. De cujus morte Veneti plurimum condoluerunt.

CAPITULUM DECIMUM.

De Ducatu Ursonis Particiaco II. habens partes XX.

URsus Particiacus Secundus laudatur Dux Anno Domini DCCCCXII.

Pars I.

HIc pronomine dictus Paufeta, mox ut Dux effectus est, filium suum Petrum Constantinopolim destinavit, qui cum honore susceptus ex Imperiali munificentia Protospatarius factus, aliisque receptis donis, repatriare disposuit; at in itinere fraude Sclavorum Ducis Michaëlis circa fines Croatorum captus, & bonis omnibus spoliatus est, atque missus in custodiam Simeonis Regis Bulgarorum. pro cujus redemptione Dux genitor misit Dominicum Archidiaconum Mathemaucensem, qui maximis exhibitis donis Ducis filium recuperavit, & propterea suasione Ducis suæ Ecclesiæ Episcopus postea factus est.

Pars II.

COnradus Alemannus eodem anno imperavit; mortuo enim Ludovico Ottho Dux Saxonum ab omnibus petitur. Eo autem per senium recusante, Conradus accepit Imperium: Imperiali tamen benedictione caruit, quia in Italia non regnavit.

Pars III.

ANastasius III. natione Romanus sedit annis III. Cessavit Episcopatus diebus VII.

Pars IV.

DOminicus Episcopus natione Venetus ex Patre Petro Ortiano sedit annis XVIII. mensibus VII. Hic habebat uxorem, & filios, (f) vir in Scripturis Sanctis eruditus, qui à Clero, & Populo pariter expetitus Episcopus, abscissâ barbâ sibi, invitus Episcopatum accepit, cum quo uxor, & filii in Episcopatu permanebant, castitatem servantes, & præcepta Divina custodientes. Sed denique Episcopatum renuit, & in Hierusalem peregrinando ivit.

(a) *Cod. Ambr.* XX.
(b) *Cod. Ambr. non habet* ✠ Finem.
(c) *Cod. Amb.* II.
(d) *Cod. Amb.* II.
(e) *Hoc loco notatur in Cod. Ambr.* Ex alio Codice: „ Hic Dux quemdam habuit filium, Dominicum nomine, qui fuit Patriarcha Gradensis: „ hic à Carolo Imperatore III. multis fuit honorificentiis prosequutus, quibus Ducis Domum plurimùm insignivit.
(f) *Cod. Amb. addit*: IV.

Pars V.

QUarto Conradi anno Saraceni Italiam graviter premunt; Conradus autem contra Hungaros multùm dimicavit.

Pars VI.

LAndo natione Romanus sedit mensibus VI. Cessavit Episcopatus diebus XX.

Pars VII.

JOannes X. natione Romanus sedit annis XIII. Hic fuit filius Sergii Papæ, & Episcopus Ravennas per intrusionem, ab omni Populo Ravennate depositus. Hujus consilio & auxilio Saraceni, qui tunc dominabantur in Italia, primò prope Urbem victi sunt; deinde ipse Papa cum Marchione Alberico intrans Apuliam, contra Saracenos apud Garilianum, cum Saracenis durum bellum habentes victores effecti, postquam redierunt Romam, cum magno gaudio recepti sunt. Sed tamdem Joannes Papa à Guidonis militibus captus, cervicali super os ejus posito, strangulatus est; cui alter Joannes subrogatur frater Alberti Romani; sed quia malè intravit, statim ejectus est, & ideo non ponitur in numero aliorum.

Pars VIII.

PEr idem tempus Stephanus, & Constantinus Imperatores, filii Romani, cognatum suum Constantinum Imperatorem, prohibente Patre, occidere moliuntur; qui ægrè ferentes se juxta Patris severitatem à juvenili ætate coërceri, dispositis in Palatio insidiis, Romanum Patrem de solio deposuere, & tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam Insulam Pannonatiam, in quo Cœnobitæ philosophabantur, transmiserunt. Nec multo post cùm ad convivium ex condicto sedissent, & de prioratu sedendi inter se contenderent, dato signo à viris Constantini filii Leonis, ambo Fratres solio deturbati sunt, & tonsis capitibus ad idem Monasterium, quo Patrem transmiserant, etiam ipsi ad philosophandum transmissi sunt. Quos ut Pater vidit, redarguere cœpit, & Genero Constantino misit: *Noli quæso mecum filios in uno exilio esse, quia quos unum Palatium tenere nequivit, neque unum exilium capiet*. Tunc Constantinus Stephanum ad Insulam Proconessum, & Constantinum ad Samairam Insulam exulari jussit, cui post modicum à quodam Imperatoris milite caput abscissum est; & sic Constantinus solus Imperium tenuit.

Pars IX.

DUx quoque Venetiarum interea Clugienses ultra solitum morem inquietabat; sed de Privilegio à Prædecessore suo eis concesso conscius factus non solùm ab his, quæ requirebat, destitit, immo consensu Populi concessum Privilegium renovavit.

Pars X.

HUngari hoc tempore Pannoniam egressi Moraviam & Bohemiam invadentes spoliavere, interfecto eorum Duce. Postea Croatiam invadunt. Ultra Castrum Leopoli Moraviæ Dux Gottifredus, Duxque Hardus cum Aquilegiense

A Patriarcha illis occurrunt. In eo prœlio uterque Dux occiditur, Patriarcha verò fuga salvatus est. Exinde spoliatâ Croatiâ, & Styriâ, cum maxima præda in Pannoniam redeunt, & postea Bulgariam spoliant.

Pars XI.

ROdulfus Regnum Italiæ obtinuit Anno Domini DCCCCXXI. Hic fuit filius Ricardi Ducis Burgundiæ, qui invitatus ab Italicis in Lombardiam vênit, & Berengarium Regem bellando vicit, & sic Regnum obtinuit, cui Lancea mirandi operis cum clavis Christi quondam Constantini donatur à Sansone Comite,
B quæ Henricus Rex obtinuit, & ad tutamen Imperii posteris reliquit.

Pars XII.

HIc Rodulfus Regni sui anno IV. Papiæ solium tenens Dominico Episcopo Mathemaucensi, & Stephano Caloprino Nuntiis Ducis Venetorum libertates, & immunitates Venetorum in Regno Italico ab antiquis Imperatoribus & Regibus concessas per Privilegium renovavit, & in eodem declaravit Ducem Venetiarum potestatem habere fabricandi monetam, quia ei constitit, antiquos Duces hoc continuatis temporibus perfecisse.

C

Pars XIII.

COnradus interim Rex, cùm rebellasset ei Dux Bavariæ, & cum uxore, & filiis ad Hungaros fugisset, filios suos succedere sibi noluit; sed propter defensionem Imperii moriens, coram Principibus Regni adversarium suum Regem designavit Henricum filium Othonis Ducis Saxonum. Tenuit quoque Conradus Imperium annis VII.

Pars XIV.

D HEnricus postea imperavit Anno Domini DCCCCXXI. Hic diadema nunquam capiti imposuit, & Regnum viriliter auxit; Lotharingiam quoque à Rege Francorum sustulit; tertioque anno ejus Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam depopulantibus, & Saxoniam, juxta urbem Metisbruth congressurus vovit pro adipiscenda victoria, se Hæresim Simoniacam de Regno eradicaturum, & inextimabili cæde eos usque ad interemptionem pene delevit.

Pars XV.

MArinus Patriarcha natione Venetus ex Patre Theodosio Contareno, sedit annis XXXIV. mensibus III. diebus VII. Hic Pallium
E suscepit à Joanne X. Papa utendum diebus Prædecessoribus suis concessis.

Pars XVI.

HUgo itaque insurgens Regnum Italiæ assumit Anno Domini DCCCCXXVII. qui filium habens Lotharium Sexto sui Regni anno sibi consortem in Regno recepit.

Pars XVII.

DUx quoque Venetiarum eodem anno Hugoni Regi Papiæ residenti Legatos suos misit

misit Joannem Flabianicum, & Stephanum Caloprinum, & ab eo obtinuit Privilegium libertatum, & immunitatum à Prædecessoribus suis in Regno Italiæ Ducibus Venetiarum retroactis temporibus concessarum.

Pars XVIII.

LEo VI. natione Romanus, sedit mensibus VII. Cessavit Episcopatus diebus . . . . .

Pars XIX.

STephanus VII. natione Romanus, sedit annis II. mense I. diebus XII. Cessavit Episcopatus diebus II.

Pars XX.

ANno XX. Ducis completo ipse jam senex effectus terrena penitus parvipendens Monasterium intravit, & habitum suscepit, vovitque in Monasterio Sancti Felicis de Amianis, quod quidem Monasterium dum urbe Celtinati sub Sancti Stephani vocabulo primitus existeret, postea Urbe in solitudinem redacta, in hunc locum translatum fuit. Hic Dux fuerat ingenio præclarus, Sanctitate præditus, Justitiæ amator, Eleemosynarum dapsilis, omnibusque bonis fultus. Qui denique moriens in eodem Monasterio Catholicæ sepulturæ traditus est.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Ducatu Petri Candiano Secundi habens partes XIII.

PEtrus Candiano Secundus Dux elevatus est Anno Domini DCCCCXXXII. Hic fuit filius Petri Candiani Ducis, qui in Dalmatia à Sclavis occisus est. Vir sapiens, & modestus & Venetorum regimini satis utilis. Nam auctâ Venetorum potentiâ, hic Dux finibus suis non contentus vicinos Populos, aliquos Consules, alios Subditos, seu Fœderatos sui regiminis benignitate, seu etiam terore, perfecit.

Pars I.

ISte Dux illico filium suum sibi æquivocum Constantinopolim delegavit, & ex Imperiali liberalitate Sedem Protospatarii cum donis pluribus obtinuit.

Pars II.

JOannes Undecimus natione Romanus sedit annis IV. mensibus X. diebus XV. Cessavit Episcopatus diebus VII.

Pars III.

EOdem anno in Civitate Genuæ fons sanguinis largissimè fluxit in loco, qui usque in hodiernum diem Fontanella dicitur, futuræ cladis præsagium. Veniunt namque Saraceni de Africa, & Urbem capiunt, & omnes homines occidunt adultæ ætatis, mulieres verò, & infantes captivos secum deferunt. Ex quibus postea redeuntibus, infantes nati & successores eorum Saracenorum, apud quos manserant, aliqualem morem retinuerunt, inhiantes Christianorum sanguinis effusioni, & opes eripere alienas.

Pars IV.

EOdem anno Dux Venetiarum contra Comaclenses, qui Venetos ceperant, exercitum mittit, & Urbem cepit, atque igne consumpsit, Oppidanos plurimos occidit, & reliquos captivos ducit, & postea relaxavit, juramento suo promittentes suæ subesse ditioni, suisque perpetuò obtemperare jussionibus.

Pars V.

PEr idem tempus Audebertus Locopositus, & Joannes Scavinus Faragarius, Advocatus totius Populi Civitatis Justinopolis, huic Duci Urbem suam fœderatam, & censualem exhibuerunt, promittentes unoquoque anno dare centum amphoras vini, & Venetos in toto districtu suo defendere, & conservare.

Pars VI.

HIs diebus cùm Wintherius Marchio Istriæ insolitas exactiones ab hominibus Venetiarum extorqueret, & Incolis in eorum Possessionibus degentibus collectas, & angarias imponeret, & Venetis jura petentibus denegaret justitiam: ideo contra eum, & Subditos suos, Dux saluberrimum sancivit edictum, inhibens Venetis, ne in Istriam pergerent, & Istriensibus, ne Venetias accedere auderent: quod tamdem Dux removit precibus delinitus Marini Patriarchæ Gradensis, qui supplicatione Marchionis, & Populi Istriæ se mediatorem opposuit, promittentibus illis Duci, Venetos, & eorum bona in suo districtu conservare, & insolitas exactiones removere, & si jussio Regalis advenerit, ut contra Venetos aliquid mali agatur, eos prævisos reddere, ne quid damni in personis, vel rebus suis pati valeant.

Pars VII.

PEtrus Episcopus natione Venetus ex Patre Petro Tribuno Duce interim sedit annis VIII.

Pars VIII.

HIc Corpora SS. Saturnini, & Nicodemi Presbyteri, cum capite S. Romani Monachi, Venetias nunc translata, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Formosæ, quam sui Progenitores fabricaverant, devotissimè collocavit.

Pars IX.

SPictingerius Dux Bohemorum ad Fidem convertitur, & justè & religiosè suos gubernavit, cui successit filius Welaris æquè clarus, ut infra dicetur.

Regnum quoque Aragonum hoc tempore inchoavit, quia Raynimirus filius Sancii Regis Austuriæ, qui à Regina Noverca sua, cui Aragonia propter nuptias donata erat, eamdem Provinciam obtinuit, & hoc Pater confirmavit: qua obtenta post Patris obitum se Regem Aragonum vocari fecit.

Pars X.

LEo VII. natione Romanus sedit annis III. mensibus IV. diebus XII. Cessavit Episcopatus mense I.

A

Pars XI.

HEnricus Rex decimo octavo anno completo moritur carens Imperiali benedictione.

Pars XII.

OTto Primus post obitum Patris imperavit Anno Domini DCCCCXXXVIII. Hic in Palatio Aquisgrani à Maguntino Archiepiscopo coronatus est. Ipse Sclavos, & Bohemos sibi resistentes oppressit. Belgicos ei transitum Rheni prohibentes fugavit, & totam Belgicam in deditionem accepit, & Successoribus reliquit. Hic Hungaros juxta Augustam, vocatus à Sancto Episcopo Udalrico superavit: Hic etiam in Goslaria Saxonica argentinas fodinas primus invênit.

Pars XIII.

SEptimo quoque Ducis Venetorum anno completo, idem Dux suæ vitæ feliciter diem clausit extremum.

CAPITULUM DUODECIMUM.

De Ducatu Petri Baduario habens partes III.

PEtrus Baduario Dux decernitur Anno Domini DCCCCXXXIX. Hic fuit filius Ursonis Particiaco Ducis, qui à Sclavis captus paterno postea favore liberatus fuerat, ex quo satis clarè monstratur, quòd Particiaci, & Baduarii, licèt nomine uterentur diverso, tamen ab uno principio exordium habuere.

Pars I.

EOdem anno Sanctus Venceslaus Dux Bohemorum à fratre occisus, qui post XXX. annos apparuit Henrico Regi Dacorum, dicens quòd suo genere mortis moreretur, & quòd suo nomini Monasterium ædificaret; sed antequam id compleret, à fratre occisus est.

Pars II.

STephanus VIII. natione Romanus sedit annis III. mensibus IV. diebus XV. Cessavit Episcopatus diebus III.

Pars III.

ISte Dux post tres annos sui Ducatus in pace dies suos terminavit.

CAPITULUM DECIMUMTERTIUM.

De Ducatu Petri Candiano III. habens partes XV.

PEtrus Candiano Tertius Dux statuitur Anno Domini DCCCCXLII. Hic fuit filius Petri Candiani Secundi Ducis & nepos primi, qui ex meritis suorum Progenitorum, suaque virtute promerente, præsentialiter Ducatum obtinuit.

Pars I.

MArtinus III. natione Romanus sedit annis III. mensibus VI. diebus XIV. Cessavit Episcopatus diebus III.

Pars II.

De pace inter Venetos, & Patriarcham Aquilejensem.

HOc tempore discordia, quæ erat inter Venetos, & Lupum Patriarcham Aquilejensem, interpositione Marini Patriarchæ Gradensis sedata est; promisit namque Patriarcha fines Ducatus, & Gradensis Ecclesiæ nullatenus inquietare, & Venetos tractare, & eis jura exhibere secundùm seriem Pacti.

Pars III.

B

EOdem tempore Constantinus Imperator Constantinopolitanus Romanum filium suum consortem sibi coronari fecit.

Pars IV.

AGapitus natione Romanus, sedit annis VIII. mensibus VI. diebus X. Cessavit Episcopatus diebus XII.

Pars V.

C

URsus Episcopus natione Venetus ex Patre Petro Magadisio, sedit annis VII. Hic fuit Vicarius Ecclesiæ Sancti Cassiani, vir omni bonitate, & sapientia plenus, cujus progenitores etiam Darbones sunt cognominati.

Pars VI.

SExto sui anno hic Dux XXXIV. naves, quas Veneti Gombarias nominant, contra Narentanos Sclavos misit, quibus præfuerunt Ursus Baduario, & Petrus Rusolus, qui absque notabili profectu redierunt. Iterum namque totidem contra eosdem mittere studuit, quæ cum Sclavis renovato fœdere reversæ sunt.

Pars VII.

D

LOtharius interea Rex Italiæ post Ugonem Patrem solus in Italia imperavit annis II. cujus tempore Sol factus est sicut sanguis, & post paucos dies magna hominum cædes secuta est. Hic in morte Adheleitam uxorem suam relinquens, nil de Regno disposuit.

Pars VIII.

BErengarius postea Rex laudatus Veronæ, absque Reginæ nutu Imperium sumpsit Anno Domini DCCCCXLVIII. & tenuit cum filio suo Alberto annis XI. & Reginam cum una famula, & Martino Presbytero in Arce Gardæ posuit.

E

Pars IX.

ISte Rex residens in Olona curte Regia sui Regni anno primo renovavit fœdus inter Venetos, & subjectos suos, & eorum Civitatum fines ab Urbibus Italici Regni distinxit, & à Venetis quadragesimum solum solvi debere declaravit.

Pars X.

DOminicus Episcopus natione Venetus ex Patre Joanne Talonico, sedit annis X. Hic

Hic fuit Capellanus Sancti Marci, & Ducis Cancellarius, qui de Provincia vocata Bragula Reliquias Sancti Joannis Baptistæ deduxit, & in Ecclesia, quam sui Progenitores sub Sancti vocabulo fabricaverant, cum devotione deposuit, vocataque est hac de causa Sancti Joannis Bragulæ.

Pars XI.

JOannes XII. natione Romanus, sedit annis VII. mensibus X. diebus V. Cessavit Episcopatus diebus XII. Hujus tempore Albericus cùm esset potens, vocatis Romæ nobilibus, eos juramento adstrinxit, ut filium ejus Octavianum Papam facerent; & ita contigit. Hic venator erat, & lubricus, & publicè fœminas tenebat. Quidam autem Cardinales occultè scripsere Ottoni, ut Ecclesiæ succurreret: quod cùm ille cognovisset, Joanni Diacono Cardinali nasum, & alteri Joanni Subdiacono, qui literas scripserat, manum amputari jussit. Hic fuit frequenter per Ottonem, & Clerum admonitus, nec correctus; deinde à tota Italia collecto Concilio, dum venire renuit, damnatus cessit.

Pars XII.

ROmanus Imperator Constantinopolitanus post obitum Constantini Patris solus imperavit annis IV.

Pars XIII.

ANtedictus quidem Petrus Dux Venetiarum habuit tres filios; unus Dominicus nomine jam erat Episcopus Torcellanus; alium quoque nomine Petrum, Populo suggerente, consortem sibi elegit, qui paterna monita vilipendens adversùs eum insurgere tentavit, adeò ut quodam die utrarumque partium sequaces ad pugnam peragendam in Rivoaltino Foro convenirent. Sed dum infirmo & vetulo Patri major pars Populi obtemperaret, filiumque perdere vellent: tamdem Pater misericordia motus, ne illum occiderent, rogare cœpit; tamen volens Populo satisfacere, extra Patriam illum exire jussit. Deinde omnes Episcopi, Clerus, & Populus unanimiter juraverunt, quòd numquam nec in vita, nec post obitum Patris eum Ducem haberent.

Pars XIV.

IS autem Petrus, qui Patria pulsus fuerat, comitante illo Georgio Diacono, & Gregorio Presbytero, cum XII. propriis servis ad Widonem Marchionem Regis Berengarii filium pervênit, qui eum devotè suscipiens Regi præsentavit, & ad Spoletanam Marchiam debellandam secum duxit. Qui postea à Rege obtentâ licentiâ de Venetis vindicandi, Ravennam vênit, ibique VI. armatis navibus VII. Venetorum naves mercibus oneratas, quæ Fanum navigare proposuerant, juxta Portum Primarii hostiliter cepit.

Pars XV.

PEtrus autem Dux, qui jam senex, & infirmus à filio sibi, & Venetis illatis afflictionibus, plurimum etiam exinanitus, completo XVII. sui Ducatus anno diem suum clausit extremum. Post filii quidem creationem non plus quàm duobus mensibus, & XIV. diebus vixisse fertur.

CAPITULUM DECIMUMQUARTUM.

De Ducatu Petri Candiano IV. habens partes XXXIV.

PEtrus Candiano IV. Dux eligitur Anno Domini DCCCCLIX.

Pars I.

NAm omnis multitudo Venetorum unà cum Episcopis, & Abbatibus, confestim defuncto Duce hujus genitore, convenere, & sacramenta oblivioni tradentes, cùm CCC. pænè navibus præparatis Ravennam, ut hunc in Ducatus honorem constituerent, properant. Quem suscipientes cum tali apparatu ad Palatium duxerunt, sacramentorumque fide Ducem iterum recrearunt.

Pars II.

PEtrus Episcopus natione Venetus ex Patre Theodosio Marturio, sedit annis VIII. Hic cum parentibus suis fundavit Ecclesiam Sancti Augustini Episcopi, quam in subjectione suorum Episcoporum successorum esse perpetuò per testamentum disposuit.

Pars III.

BOnus Patriarcha Venetus ex Patre Georgio Blanchanico, sedit annis IX. Hic fuit primò Episcopus Equilinus, qui nunc Patriarcha factus Pallium suscepit à Joanne Papa utendum diebus Prædecessoribus suis concessis.

Pars IV.

DEfuncto quoque eodem anno Dominico Torcellano Episcopo Mineus (*) natione Venetus ex Patre Tribuno Encinapo, vir ambitiosus nimis simoniacè intrusus est, cui suasione Ducis à Venetis oculi eruti sunt, canonicèque post surrogatus Joannes natione Venetus ex Patre Petro Aurio Tribuno de Vico Buriniani.

Pars V.

ANno XIV. Romani Imperatoris Indictione III. iste Dux cum Bono Patriarcha, Petro Episcopo Olivense, Joanne Episcopo Torcellano, & ceteris Episcopis, Clero, ac Populo Veneto decretum ab Ursone Duce conditum renovantes sanxere, inhibentes commercium de mancipiis Christianis, & delationem Epistolarum, quæ ab Italicis, seu Alemannis mitterentur Græcis, vel eorum Imperatori, infligentes contrafacientibus pœnam spiritualem, & temporalem.

Pars VI.

INterea Regina, quæ cum famula, & Martino Presbytero in Arce Gardæ servabatur, fugere contigit, & cum navicula quamdam ad In-

(*) *Cod. Amb.* Miricus.

Insulam deduci. Sacerdos verò de die eleemosynam pro omnibus quærebat. Suspicans autem Regina dixit Sacerdoti Adhelardum Episcopum Reginum suum fidelem fuisse amicum. Ipse requisitus eos securo tutaret loco. Requirit ergo Sacerdos Episcopum; & ille gaudens ait se tuto carere loco, & Sacerdotem ad Avunculum suum Azonem transmittit. Ille Regis priùs amicissimus Reginam suscepit, & in Turri, quam instruxerat, collocavit X. ab Urbe milliario tutissimo loco, juxta quem à montium fontibus aqua procedit, quæ Brachiana vocatur, à quibusdam verò Mentia, & Causam Arcem appellavit. Deinde conscio Joanne Papa, Ottoni Regi eam offerunt, dicentes, quia per eam possit Longobardorum, & Romanorum obtinere Imperium. Vênit proinde Veronam, & à Berengario Rege honorificè suscipitur, inde procedit Regium, & per Azonem ad Reginam deductus est, & eam in uxorem susceptam in Saxoniam duxit. Berengarius hoc tempore Azonem obsidet mensibus XV. Tunc ab Apostolica Sede mittuntur Legati ad Ottonem conquerentes de tyrannide Berengarii, & ejus auxilium implorantes. Gualpertus etiam Episcopus Mediolanensis, & Gualdo Cumanus (*) Episcopus cum ceteris Italiæ Principibus pro eadem causa ad Ottonem iverunt. Tunc Otto filium Ottonem coronavit, & per Vallem Tridentinam intravit Italiam. Sequenti anno Berengarium in Monte Sancti Leonis obsedit, Filius autem ejus Albertus in Corsicam fugit. Otto autem per deditionem Berengarium Regem accepit, & in Saxoniam deductum Reginæ præsentavit, quæ eum in teterrimo carcere clausit, & miserrimè vitam finivit.

Pars VII.

ROmanus Imperator Constantinopolitanus sextodecimo Imperii sui anno obiit relinquens duos filios in juvenili ætate constitutos, Basilium scilicet, & Constantinum.

Pars VIII.

NIcephorus Phocas cum Basilio, & Constantino postea imperavit Anno Dom. CMLXI. Hic timens à filiis expelli, quia senex erat, eos eunucare voluit; Mater verò eorum suasit uni ex eis Joannes nomine, ut Patrem occideret, & imperaret: quod & factum est anno nono sui Imperii.

Pars IX.

POst Ottonis autem discessum Albertus Regnum recuperans, instar Patris Azonem obsedit, qui auxilium Ottonis repetens, Litulphum ejus filium cum mille militibus suscepit. Mortuo autem Litulpho in conflictu Azo victor fuit. Albertus autem ad Nicephorum Imperatorem Constantinopolitanum fugit Anno Domini DCCCCLXII. & sic Regnum Italicum finem habuit.

Pars X.

SEquenti Octobri Otto Imperii diadema suscepit à Leone Papa constituto; post cessionem Joannis Papæ, Azonem Liguriæ præfecit, & demum curam Italiæ in sui absentia co-

(*) *Cod. Amb. rectius*: Cremonensis.

A misit. Post hæc Regina anno quarto vita excessit, & Azo eodem anno sepultus est apud Monasterium Sancti Apollonii.

Pars XI.

POst electum autem Leonem Papam à Romanis Joannes iterum recipitur, & collecta Synodo Leonem deposuit, ejusque gesta cassavit. Tamdem cum uxore cujusdam se oblectans à Diabolo in tempore percussus, sine poenitentia obiit.

Pars XII.

B BEnedictus V. Romanus natione sedit mensibus III. Hic à Romanis vivente Leone Joanni subrogatur, licèt Romani Ottoni jurassent, numquam se Papam electuros absque sua, aut filii sui voluntate. Vênit proinde Otto Romam, eam obsedit, donec Leo restitutus est. Benedictus autem degradatus ab Imperatore in carcere strangulatur est. Aliqui scribunt, quòd in Saxoniam missus fuit.

Pars XIII.

LEo Octavus natione Romanus sedit anno I. mensibus IV. Cessavit Episcopatus diebus IV. Hic adhuc Laicus electione omnium &
C consensu Imperatoris, Papa substituitur, qui in Concilio tradidit Ottoni, ejusque Successoribus Italicum Regnum perpetuò defendendum, & facultatem sibi Successorem eligendi, & Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, dandi quoque investituram Episcopis, sine qua consecrari non debeant, & donationes factas à Justiniano, Ariperto, Pipino, & Carolo, Ecclesiæ Romanæ in Regno Italico de consensu Cardinalium, Cleri, & Populi Romani, Ottoni remisit.

Pars XIV.

JOannes XIII. natione Narnensis sedit annis VII. mensibus XI. diebus XV. Cessavit Epi-
D scopatus diebus XIII. Hic à Petro Urbis Præfecto comprehensus est, & in Castello S. Angeli detrusus, deinde in Campaniam in exilium missus, sed post dies XXVIII. reversus est Romam. Otto quosdam persecutores trucidavit, quosdam exulavit.

Pars XV.

ANno Ducis Sexto ipse Joannem Contareno, & Joannem Deneum Diaconum Legatos misit Ottoni Imperatoris, & ab eo obtinuit Privilegium renovationis de bonis Ducatus Cleri, & Populi Venetiarum in Regno Italico situatis, pacificè possidendis, quemadmodum tempori-
E bus Caroli per Decretum cum Græcis sancitum possederant.

Pars XVI.

GEorgius Episcopus natione Venetus ex Patre Andreadi Georgio Tribuni de Equilo sedit anno I. mensibus VI. diebus XV. Hic fuit Ducis Capellanus in sua Capella Sancti Marci.

Pars

Pars XVII.

NOno quoque sui Anno Dux cum Patriarchâ Episcopis, Clero, & Populo Venetiarum Legatos misit Joannem Contareno, & Joannem Venereum Diaconum Joanni Papæ, & Ottoni Imperatori Romæ existentibus in Synodo ibi congregata, ubi visis, & discussis Privilegiis Gradensis Ecclesiæ definitione Synodi terminatum est, dictam Ecclesiam esse Patriarchalem, & Metropolim totius Venetiæ, cui, & Episcopis, ac Ecclesiis sibi subjectis concessit Otto Privilegium in acquirendis Justitiis, sicut Universalis ac Sancta Romana habet Ecclesia in annos Legales, ita ut liceat eis omnia suarum Ecclesiarum mancipia, colonos, advenas, servos, & reliquos, qui supra Terras Ecclesiarum ipsarum manent, omni jure, & ordine judicandi, & distringendi singulariter potestatem habere, & alias exemptiones, & immunitates Ecclesiis Venetiarum contulit in Regno Italico.

Pars XVIII.

OTto etiam Imperator ad requisitionem Legatorum fœdus inter Venetos, & subditos Italici sui Regni, quod per quinquennium renovari solitum erat, per Privilegium perpetuò mansurum confirmavit.

Pars XIX.

SImiliter Otto filium suum Ottonem, quem jam Regem coronaverat, consortem sibi, & successorem Imperii fecit Anno Domini DCCCCLXVIII. cui etiam Theophaniam filiam Imperatoris Constantinopolitani in conjugem dederat.

Pars XX.

VItalis Patriarcha natione Venetus ex Patre Leone Barbolano sedit anno I. mensibus V. Hic Pallium obtinuit à Joanne Papa utendum diebus Prædecessoribus concessis, & contentis in Privilegiis Ecclesiæ suæ.

Pars XXI.

INterea iste Dux ficta occasione Joannam uxorem suam dimisit, & Monachalem vestem in Cœnobio Sancti Zachariæ eam suscipere coëgit. Filium siquidem, quem ex ea habuit, nomine Vitalem, Clericum fecit.

Pars XXII.

POstea Dux Walderadam sororem Ugonis Marchionis conjugem sumpsit, à qua servorum, & ancillarum copia ingenti, prædiisque maximis dotalitii jure acceptis, exteros milites de Italico Regno, cum quibus defendere & possidere prædicta prædia posset, acquirerè studuit; namque tantæ audaciæ fuisse fertur, quòd & subditos virtutis rigore plus solito premeret, extraneosque sibi obsistentes ulciscendo devinceret. Ferrarensis quippe Castelli Populum debellavit; Opitergineum quidem Castrum igne consumptum devastari jussit; nonnullaque alia se objurgantibus aspera intulit.

A

B

C

D

E

Pars XXIII.

MArinus Episcopus natione Venetus ex Patre Petro Cassianico sedit annis XX. mensibus II. Hic fuit vir Catholicus, & omni bonitate ornatus.

Pars XXIV.

JOannes Cimisci post occisionem Patris, cum Basilio, & Constantino sumpsit Imperium Anno Domini DCCCCLXIX. mortuusque est anno sexto Imperii sui.

Pars XXV.

VItalis Patriarcha natione Venetus ex Patre Petro Candiano Duce sedit annis ferè L. Hic à Patre factus Clericus, sua promotione nunc Patriarcha effectus est, qui etiam à Joanne Papa pallium suscepit utendum diebus Prædecessoribus suis concessis.

Pars XXVI.

ANno Ducis XIII. idem cum Vitale Patriarcha filio suo, & Marino Episcopo Olivolensi, & ceteris Episcopis, Clero, & Populo Venetiarum, zelo Catholicæ fidei cupientes Constantinopolitanis Imperatoribus satisfacere, qui ad recuperandam Terram Sanctam operam dare proposuerant, piè statuerunt, ne quis subditus, vel fidelis Venetus audeat, vel præsumat mittere, vel deferre ad Terras, seu Loca Saracenorum arma, ferrum, lignamina, vel alia, cum quibus possint impugnare Christianos, vel ab eis se defendere, sub pœna librarum centum auri, Duci, vel Successoribus suis applicandarum; & si contrafaciens non habuerit unde solvat, capitalem debeat subire sententiam.

Pars XXVII.

BEnedictus VI. natione Romanus, sedit anno I. mensibus VI. Cessavit Episcopatus diebus XX. Hic captus in Castello Sancti Angeli strangulatus est à Tithio Theodoræ filio.

Pars XXVIII.

BAsilius & Constantinus post obitum Joannis imperare cœperunt An. Dom. CMLXXIV. Hi suo tempore Cretam, Barium, Calabriam, Syriam, & multas alias Civitates suo Imperio subjugarunt, & plurimas victorias obtinuerunt, tenueruntque Imperium XLVIII. annis.

Pars XXIX.

DOnus natione Romanus, sedit anno I. mensibus VI. Cessavit Episcopatus diebus X. Obiit autem Otto primus Imperator anno XXXVI. sui Regni, Imperii autem XII.

Pars XXX.

OTto Secundus post obitum Patris solus imperavit Anno Domini DCCCCLXXIV.

Pars XXXI.

HIc existens Verhelæ eodem anno Privilegium concessit Andoëno Capellano, & Nun-

Nuntio Vitalis Gradensis Patriarchæ, confirmans Gradensem Ecclesiam Metropolitanam, exemptiones, & immunitates, & libertates, quas Otto I. eidem Ecclesiæ concesserat, per Privilegium renovavit.

A

Pars XXXII.

BOnifacius VII. natione Romanus, sedit anno I. mense I. Cessavit Episcopatus diebus XX. Hunc Romani strangulato Benedicto Papa fecerunt; sed non valens in Urbe consistere, deprædatâ Ecclesiâ Sancti Petri fugit Constantinopolim, & cum magna pecunia rediens, Joanni Diacono Cardinali oculos eruit; ipse verò subitò extinctus est.

B

Pars XXXIII.

BEnedictus VII. natione Romanus, sedit annis VIII. mensibus VI. Cessavit Episcopatus diebus V. Hic bonus fuit, & Ottonem Secundum confirmavit, qui in Italiam cum Theophania Conjuge sua ad eum venerat.

Pars XXXIV.

DEcimo octavo Ducis anno idem cum filio suo parvulo Petro nomine, quem de antedicta Walderada genuerat, taliter interfectus est. Nam dum illum longo tempore Veneti ob austeritatem suam exosum haberent, facultatemque perdendi sedulò machinarentur, quadam die facta conspiratione in illum insurgere, adorsi sunt Palatium; qui à bellicosis, licèt paucis, militibus illum stipatum noverant, nulla ratione ausi sunt penetrare. Tamdem nequam consilium Petri Ursiolo secuti, ut ait Petrus Damianus, propinquas Domos, quæ extra Palatium circa Rivulum consistebant, igne mixto piceo fomento accendere studuerunt, quatenus flammarum flexibilia culmina attingere & concremare possent. Unde factum est, quòd non modò Palatium, verùm etiam Sancti Marci, Sanctique Theodori, nec non Sanctæ Mariæ Jubenico Ecclesiæ, & plures quàm CCC. mansiones eo die urerentur. Is autem Dux cùm ignis calorem, fumique suffocationem diu intra Palatium ferre nequiret, per Sancti Marci atrii januas evadere cum paucis conatus est; ubi nonnullos Venetorum majores unà cum generis affinitate suum expectantes periculum reperit. Quos ut cernit, taliter allocutus est: *Et vos fratres mei ad exitii mei cumulum venire voluistis? Si aliquid in verbis, vel operibus publicis deliqui, meæ inspiratæ vitæ spatium rogo, & omnia ad velle vestrum satisfacere promitto.* Tunc ipsi sceleratissimum & morte dignum eum affirmantes, diris vocibus clamaverunt, quòd nulla evadendi in illo possibilitas foret. Et instanter mucronum ictibus undique illum vulnerantes, taliter percusserunt, quòd anima corporeum reliquit ergastulum. Filium siquidem Petrum, quem nutrix ab incendii pœna liberavit, à quodam nequissimo cuspide transverberatus est; pariterque milites, qui illi favere nitebantur, occisi sunt. Quorum gelida corpora Genitoris scilicet, & geniti, ob ignominiam primitus exigua nave ad forum Macelli, deinde à quodam sanctissimo viro Jacobo (*) Gradonico nomine interpellante ad Monasterium Sancti Hilarii detulerunt.

C

D

E

(*) *Cod. Amb.* Joanne.

CAPITULUM DECIMUMQUINTUM.

De Ducatu Petri Ursiolo habens partes XIV.

PEtrus Ursiolo primus Dux pronunciatus est Anno Domini DCCCCLXXVI.

Pars I.

NAm patrato supradicto nequissimo scelere Veneti in Ecclesia Sancti Petri convenientes, hunc genere clarum, fide, & moribus circumspectum, die XII. Augusti in Ducatus honorem sublimare decreverunt. Qui à puerili ætate nil aliud quàm placere Deo studens, ad tantæ dignitatis provectum scandere contemnebat, timens ne Secularis ambitione honoris propositum amitteret Sanctitatis. Tamdem importunè interpellante Populo, non humano favore, sed totius Reipublicæ commodo, hujusmodi Principatus apicem accipere non recusavit. Deinde sacramentorum fide ab omnibus confirmatus, in propria domo degere voluit circa Curtis rivulum situata, ut interim Sancti Marci, & Palatium recreare posset.

Pars II.

HUic siquidem erat Conjux Felicia nomine, & meritò, unius nati tantummodo Mater, qui Patris æquivocus nomine, non dissimilis exstitit opere. Post cujus conceptionem, quam Angelico judicio Diva mater fertur cognovisse, maritalem thorum, viro sibi obtemperante, inviolatum vicissim Deo conservare deinceps decrevere.

Pars III.

COepit namque hic Dux Venetorum causas bene & utiliter tractare, censuramque legis in omnibus studiosè observare, & omnium virtutum gratia pollere. Combustum verò Palatium, & Sancti Marci Ducalem Capellam, de suo proprio ad hoc conferens, reintegrare studuit, & ipsius Evangelistæ pretiosum corpus in eadem Ecclesia paucis consciis secretè deposuit, & tabulam in ipsius Ecclesia Altare miro opere ex auro & argento Constantinopoli peragi jussit.

Pars IV.

INterea Vitalis Patriarcha filius Ducis occisi quorumdam Venetorum consilio Saxoniam ad Imperatorem properans, de occisione sui genitoris querelam exposuit, & remedium imploravit, quem Imperator devotè suscipiens sibi condoluit, & eum secum manere rogavit.

Pars V.

WAlderada etiam interfecti Ducis consors Lege Salica desponsata, nobilibus adjuta favoribus, Ducem & Venetos coram Adeleyda Imperatrice inquietare nititur. Cum qua Dux satis benignè se gerens composuit, & quietationem obtinuit subsequenter per Imperatricem approbatam Placentiæ Dominico Carimano Venetorum nuntio procurante.

Pars

A

Pars VI.

SEcundo Ducis anno inter Venetos, & Sicardum Comitem, ac Populum Justinopolitanæ Urbis jam nata discordia de novo contracto fœdere pacificata est, cujus tenor talis est.

Pars VII.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi.

Imperante Domino nostro Domino Ottone Serenissimo Imperatore Anno Quarto die XII. mensis Octobris Indictione V. Actum in Civitate Justinopoli.

B

„ DEnique dum nos omnes, Sicardus Comes cum cunctis habitantibus Civitatis Justinopolitanæ, tam majoribus, quàm mediocribus, & minoribus, convenientibus unà nobiscum Domino Petro Urseolo gloriosissimo Venetiarum Duce, quàmque & cum cuncto vestro Populo, cùm propter decessum Antecessoris tui Petri Candiano Ducis constet, cunctas chartulas esse ab igne crematas, tam vestras, quàm similiter & nostras, iterum ad reformandam pacem, & convenientiam, & pro amore dilectionis & caritatis, cunctâ à nobis purgatâ præteritâ discordiâ, per hanc præsentem convenientiam, & constitutionem plenissimè affirmamus, ut omnibus pro futuris temporibus amodo in antea omnes vestri fideles ad nostra loca Civitatis Justinopolitanæ ire & redire, & negotiari securiter absque alicujus ex nobis contrarietate debeant; nam verò Teloneum ab eis nihil sumere debeamus, sed pacificè remeare ad propria debeant, quia vos à vestra digna mercede, ita nostris de dicta Civitate, ostendere dignati estis. Unde nos vestris Prædecessoribus soliti facere fuimus, servitium de centum amphoris vini, & iterum simili modo dare, & adimplere quolibet anno debeamus tam vobis, quàm successoribus vestris usque in perpetuum. Ceterum si aliquis ex vestris Veneticis ad nostra loca morando legem inquirere voluerit, secundùm consuetudinem nostram, & vestram facere debeamus. Si autem, quod absit, omnes habitatores Istriæ vobiscum aliquam turbantiam, vel molestiam habuerint, nos verò absque eis prædictas centum amphoras de vino, quod rectum est, quemadmodum pristinis temporibus factum fuit, vobis persolvere debeamus, absque ulla occasione proponenda. Et si omnes Civitates Istriæ, ut diximus, inter vos, & illos rixa aut contentio, vel objurgatio aliqua acciderit ad invicem (*) nos vobiscum observare debeamus pacem, & verissimam caritatem. Et si unus ex nostra Civitate de foris consistentibus in aliquo insurgere contra vestros præsumpserit, nos autem uno corde & animo omnes adjutores, & defensores esse debeamus. Si igitur &c. „ Hoc quippe tributum à Justinopolitanis debitum Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ Ducali nomine recepere usque ad hos dies vigore concessionis, quam eis fecit Dominicus Sylvius Dux Venetiarum.

C

D

E

(*) *Cod. Ambr. addit*: nostra Civitas cum cuncto Populo in ea commorante vobiscum &c.

Pars VIII.

EOdem tempore Carinus Venerabilis Abbas Monasterii Sancti Michaëlis de Cusano de partibus Aquitaniæ de Roma veniens, Venetias accessit ex devotione, quam singulariter exhibebat Corpori Sanctissimi Marci Evangelistæ, quo illico accersito per Ducem, & diu collatione habita inter eos, Abbas justam Ducis dispositionem perpendens, suasit eidem, ut spretis mundanis honoribus Deo feliciter deserviret. Cujus monitis Dux aquiescens, spatium temporis petiit, ut Civitatis, & domesticis rebus suis primò bene dispositis, sua monita liberiùs exequi valeret. Tunc devotus Abbas ad proprium rediit Monasterium, Duci promittens, se statuto die rediturum, ut Dux suum pium propositum valeat adimplere.

Pars IX.

ANtedictus verò Dux cœptam Patriæ salutem solerti studio procurare non desiit, licèt aliquanti, quorum consilio, ut diximus, Patriarcha ad Imperatorem adiit, suæ ditioni perversi repugnatores efficerentur, adeò ut vitam suam crudeli funere perdere molirentur. Tamen tantæ bonitatis, & Divinæ virtutis gratiâ vigebat, ut quidquid ipsi de se clanculo iniqua machinatione determinarent, nemine indagante cognosceret, nullique resistenti aliquod nefas recompensare voluit, sed æquo animo Dei timore omnia sustinendo tolerabat.

Pars X.

FUit nempe hic Dux pauperum nutritor, ædificans non procul à suo Palatio Hospitale, quod hodie Sancti Marci nuncupatur, Ecclesiarum etiam reparator, Clericorum, & Monachorum fautor, omnibusque benivolus, milleque libras de suis facultatibus ad Venetorum commoda tribuit, & alias mille in pauperum alimoniam contulit.

Pars XI.

STatuta die Guarinus Abbas Venetias reversus est, ea occasione, quòd Hierosolymam transire vellet, quem Petrus Dux libenter suscepit, & prima die nocte Kalendarum Septembris ipse unà cum Joanne Gradonico viro Sanctissimo, & Joanne Mauroceno Genero suo Civibus Venetis, Romualdo, atque Marino Ravennatibus, nesciente uxore, & filio, omnibusque fidelibus, occultè de Patria exierunt, secum portans maximi thesauri copiam, de qua Monasterium, in quo erat mansurus, plurimum decoravit; erat quippe annorum quinquaginta, quando secularem deposuit gloriam. Ducavitque annis II. diebus XX. Hæc Venetorum segregatæ scripturæ de hujus Ducis vita innuere videntur.

Pars XII.

PEtrus quoque Damianus Doctor egregius in vita Sancti Romualdi de hoc Duce sic incidenter commemorat: „ Eodem verò tempore Petrus cognomine Ursiolus, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas, qui videlicet ad hujus fastigium dignitatis ascendere idcir- „ co

„ co meruerat, quia Prædecessoris sui Petri
„ Candiani peremptoribus fautor extiterat. Cur
„ autem ille à suis extinctus sit, non abs re
„ esse arbitror, si servato compendio brevitatis
„ exponam. In conjugium namque germanam
„ Hugonis magni Marchionis acceperat, &
„ æmulatione levi suadente, multos ex Lombar-
„ diæ partibus, atque Tusciæ, milites profusis
„ pecuniarum stipendiis acquirebat. Hoc au-
„ tem Venetiarum accolæ non ferentes, clam
„ iniere consilium, ut repentino impetu Ducis
„ Palatium armati violenter irrumperent, eum-
„ que cum omni domo sua in ore gladii absque
„ ulla detractione necarent. Hujus denique
„ conventiculæ conjuratione comperta, Petrus
„ Dux nocturnis diurnisque vallatus excubiis,
„ hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis
„ autem hæc & alia tentantibus, sed ad incœp-
„ tæ factionis effectum attingere non valenti-
„ bus, tamdem visum est, ut domum Petri,
„ quæ Ducis Palatio adjacebat contigua, priùs
„ incenderent, istoque modo Ducem caperent,
„ & universa ejus domestica concremarent.
„ Istius verò rei experiendæ consensum à Pe-
„ tro, qui eorum consilii particeps fuerat, fla-
„ gitantes, hujus mercedis fœdere pacti sunt,
„ ut pro una ejus domo, quam ignis consume-
„ ret, totam Ditioni ejus Venetiam subderent,
„ & deleto illo, quem exosum habebant, Du-
„ cem hunc loco ejus subrogarent. Hoc igitur
„ modo Petrus Dalmatici Regni adeptus est
„ Principatum, qui postmodum ambitionis suæ
„ jam voluptate potitus, respectu Divinæ gra-
„ tiæ demum corde compunctus est. Quidam
„ autem Venerabilis Abbas Guarinus nomine
„ ex ulterioris Galliæ partibus orationis gratiâ
„ per diversas Mundi regiones peregrinari soli-
„ tus erat. Hic quoque ad Ducem veniens, ab
„ eo protinus, ut sibi ad evadendum tanti rea-
„ tus periculum consultum præberet, exoratus
„ est. Accersitis igitur Marino, & Romualdo,
„ hoc sibi communi jubetur sententia, ut secu-
„ lum simul cum ipso, quem per nefas invase-
„ rat, Ducatu relinqueret; & quia ad alienæ
„ Dominationis arcem injustè proruperat, ipse
„ se alienæ potestatis dominio subjugaret. Ille
„ autem, homo nimirum in potestate positus,
„ quia conversionem suam manifestè facere au-
„ sus non est, tutum putavit hoc utendum con-
„ silio. Imminente igitur Festivitate cujusdam
„ Martyris, ex cujus vocabulo Basilicam in
„ propria possessione adhuc privatus habuerat,
„ illuc pridie uxorem suam præmisit, ipse quo-
„ que mox secuturus. Hoc ei præcipiens ut
„ ornatum Ecclesiæ accuratissimum provideret,
„ & secum venientes sumptuosas epularum de-
„ litias in crastinum præpararet. Ipse autem
„ post conjugem remanens, his de suis thesau-
„ ris, quæ sibi videbantur ablatis, cum quo-
„ dam suo familiari Joanne scilicet Gradonico,
„ qui prædictæ conjurationis conscius fuerat, &
„ cum tribus illis beatis viris, quos præposui-
„ mus, navem ascendit, deinde in Galliam ad
„ Monasterium Abbatis Guarini magnus con-
„ versus aufugit. Petro Duce, & Joanne Gra-
„ donico Monachis in Sancti Michaëlis Cœno-
„ bio factis, Marinus, & Romualdus non lon-
„ gè à Monasterio degentes, ad singularem vi-
„ tam, cui assueti fuerant, revertuntur. Qui-
„ bus etiam ipsi dicti fratres, peracto vix anni
„ spatio, ad perferendam ejusdem solitudinis
„ districtionem aggregati sunt. Romualdus quip-
„ pe per annum continuum nihil aliud in cibum
„ habuit, nisi tantùm per singulos dies ex uno

A „ pugillo elixi ciceris vixit. Tribus verò annis
„ ipse, & Joannes Gradonicus sarculis terram
„ frangentes, & triticum seminantes, ex ma-
„ nuum suarum labore vixerunt. Qui nimirum
„ dum agriculturam exercebant, pondus jeju-
„ nii duplicabant. Contigit autem aliquando,
„ ut Romualdus Librum de Vita Patrum le-
„ gens, in illum locum incideret, ubi contine-
„ tur, quia quidam fratres per continuam heb-
„ domadam singulariter jejunantes, Sabbatoque
„ pariter convenientes, ipso die Dominico je-
„ junii rigorem interponerent, & remissiùs vi-
„ ctitarent. Quem vivendi ordinem statim Ro-
„ mualdus arripuit, & in eo XV. annis ferè,
„ vel eo ampliùs continua austeritate perman-
B „ sit. Petrus autem Dux, quia multis educari
„ solitus fuerat delitiis, jamjam sub tam distri-
„ cti jejunii pondere succumbebat. Unde se
„ ad pedes Beati Romualdi humiliter stravit,
„ jussusque ut surgeret, necessitatem suam cum
„ verecundia coactus innotuit. Pater, inquit,
„ quia magnum habeo corpus, pro peccatis
„ meis ex hac paxematii medietate sustinere
„ me non possum. Romualdus igitur fragilitati
„ ejus piè compatiens, consuetæ mensuræ qua-
„ dram paxematii superadidit, & sic labenti
„ jam fratri ne omnino deficeret, misericor-
„ diæ manum tetendit, & ad peragendum bene
„ vivendi iter, quod cœperat, confirmavit.
„ Hunc filius sibi æquivocus vir valde secun-
C „ dùm seculum prudens aliquando visitavit,
„ cui Pater, nescio utrum Prophetiæ spiritu,
„ sive revelatione aliqua, quæque sibi essent
„ ventura prædixit. Novi, inquit, fili mi, pro-
„ cul dubio, quia Ducem te constituent, &
„ prosperaberis. Tu tantummodo satage, ut
„ Ecclesiis Christi jura sua conserves, & erga
„ subditos alicujus amore, vel odio à justitia
„ non declines.

Pars XIII.

„ CEterum dum Sergius Genitor Romualdi
„ in Ravenna Monachus factus Monaste-
„ rium relinquere vellet, Romualdus ad ipsum
D „ convertendum redire disposuit, sed priùs
„ ejusdem consilio Oliba Comes regionis Mun-
„ dum relinquere, & Casini Montis Cœno-
„ bium intrare persuasus est. Tunc Oliba Co-
„ mes sua relinquens filio cum multa divitia-
„ rum copia XV. scilicet onustis thesauro so-
„ mariis, comitantibus eum Guarino Abbate,
„ & Joanne Gradonico, ipso quoque Marino,
„ ad Beati Benedicti Monasterium se contulit,
„ & vale dicens his, qui secum venerant nil
„ tale usque tunc suspicantes, multis gemiti-
„ bus, & amaris se fletibus affligentes ad pro-
„ pria remeare coëgit. Marinus autem paulò
„ post Apuliam versùs abiit. Ibique postmo-
„ dum in solitudine habitans, ab Agarenis est
E „ latrunculis interfectus. Brevi post tempore
„ Guarinus orationis causâ discurrere solitus,
„ Joannis Gradonici fratris exemplo ad idem
„ Religionis officium provocatus, Hierosoly-
„ mam commeare pari consilio decreverunt.
„ Hoc igitur Oliba cognito, tristis & flens ob-
„ secrare devotissimè cœpit, ne se violata fide
„ desererent, sed sicut Beatus Romualdus præ-
„ ceperat, in Dei illum servitio custodirent.
„ Addens etiam: Memento tu saltem, Joannes,
„ quia Magister tuus in tua me propensiùs fide
„ commisit, & titulum tibi inobedientiæ, si
„ discesseris, opposuit. Illi autem obstinata
„ intentione in proposito persistentes, relicto
„ tam-

„ tamdem Oliba, peregrinationis iter arripiunt. „ Cùmque descendentes de monte jam in campestria declinassent, figentes se loco, necessarium aliquid inter se tractare cœperunt, & „ inter agendum subitò Guarini equus furioso „ rotato impetu in aliam partem invito sessore „ divertit, & Joannis tibiam ferrato calce percutiens fregit, qui illico ad terram nimio dolore prostratus, jam serò memor, magistri „ præcepta ad mentem revocat, & se perfidum, „ & se inobedientiæ reum verbis publicæ confessionis accusat; in fracto namque crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit, & „ quia ipse rationis capax Magistro inobediens „ extitit, ad incolumitatis suæ custodiam irrationale animal sessori obedire nescivit. Deinde „ illuc unde venire cœperat rediens, cellam sibi „ ædificari prope Monasterium petiit, ibique „ per XXX. ferè annos, quamdiu vixit, in „ sancta conversione permansit. Multa in eo „ caritas, mira humilitas, abstinentia verò districta nimis & cauta, ita ut nec intra „ Claustrum Monasterii quisquam sciret, vir „ Sanctus qualiter jejunaret. Inter reliqua „ autem virtutum dona, ita exosum habebat „ detractionis vitium, quatenus mox ut quis, „ ad detrahendum videlicet, os aperiret, velut „ sagitta vigore lapidis repercussa, in dirigentem protinus redundaret. Post ejus verò obitum nonnulla miracula Divinitus facta sunt.

Pars XIV.

INterea supradictus Petrus Dux XIX. sui Monachatus anno apud Monasterium Sancti Michaëlis de Cusano in confessione Catholicæ Fidei die XI. Januarii feliciter ad Cœlestem gloriam convolavit; cujus laudabilis vita, & obitus, & miracula suis meritis demonstrata, etiam clariùs, & seriosiùs comprobantur per antiquatam Legendam, quæ apud Fratres dicti Monasterii ad eorum exemplum continuò recensentur, & relatione multorum comprovincialium, & exterorum, qui devotionis causâ visitare non desinunt sepulchrum, in quo ejus venerabile corpus digno honore requiescit, & colitur.

CAPITULUM DECIMUMSEXTUM.

De Ducatu Vitalis Candiano habens partes III.

VItalis Candiano Dux acclamatus est Anno Domini DCCCCLXXVIII. Hic vir plenus prudentia & bonitate filius fuit Petri Candiano Tertii Ducis, & frater Petri Ducis à Venetis interfecti, cujus promotionem Vitalis Patriarcha audiens, qui apud Veronensem Marchiam morabatur, in Venetiam intravit.

Pars Prima.

HIc Patriarcha à Duce requisitus cum suis Nunciis ad pacem inter Ottonem Imperatorem, & Venetos, consolidandam Theotonicam regionem petiit, quoniam propter Ducis Petri Candiano occisionem admodum ipsos execrabiles exososque habebat; qui firmato fœdere ad propria reversus est.

Pars II.

EOdem tempore Eduardus Angliæ Rex Sanctus interfectus dicitur, procurante Noverca ejus, ut regnaret cum filio Elderedo, qui dum baptizaretur à Sancto Dunstano in sacro fonte minxit, ubi prædictum fuit illum malum esse futurum, & quòd ejus tempore exterminium Angliæ fieret.

Pars III.

ISte Dux à sui Ducatus exordio corporali aggravatus molestia elapso anno I. mensibus II. habitum sumpsit Monachalem, & facta professione ad Monasterium Sancti Hilarii se deferri fecit, qui post IV. dies moriens in eodem Monasterio tumulatus requiescit.

CAPITULUM DECIMUMSEPTIMUM.

De Ducatu Tribuni Memmo habens partes XVII.

TRibunus Memmo Dux censetur Anno Domini DCCCCLXXIX. Hic, ut Historiographus quidam Venetorum ait, licèt seculari solertia careret, maximis tamen fortunæ copiis exuberabat. Temporibus cujus aurea Venetia nonnullis ignominiorum periculis dehonestata est; quia quidam Veneticorum majores contra Ducem insidias moliti sunt, & inter se dissidentes odiorum nequitiis inficiabantur (*).

Pars Prima.

INterea inter Maurocenos, & Caloprinos Venetiæ Proceres maximum jurgium exortum est, adeò ut Stephanus Caloprino cum filiorum, & parentum affinitate, Ducis prædicti consensu, & virtute, quadam die in Maurocenos abolendos insurgeret; sed Dei virtute periculi hujus flagitium providi omnes evadendi facultatem consecuti sunt. Unus tantùm illorum, idest Dominicus Mauroceno, in Sancti Petri Olivolensis foro occisus est, cujus corpus in Monasterium Sancti Zachariæ delatum cum dolore immenso ibidem sepelitur, adeò ut ad hoc scelus ulciscendum cognati opportunam expeterent diem.

Pars II.

De conditione Monasterii S. Georgii Majoris.

ANno sui quarto iste Dux piè obtulit, & concessit Joanni Mauroceno Monacho (**) Ecclesiam Sancti Georgii Martyris ex opposito sui

(*) *Notatur in margine Cod. Ambrosiani:* Tribuni Memi uxor & Ducissa fuit Domina Marina, quæ supravixit marito, & eorum filius fuit Mauritius Memus, qui Monachum se fecit in Monasterio Sanctæ Trinitatis, sive S. Angeli de Brondulo, & donavit dicto Monasterio & Abbati cessum de Cannas usque ad Casas de Concha, & ambas Fogolanas; quod quidem cessum Vitalis Patriarcha Gradensis donaverat dictæ Ducissæ, & Mauritio ejus filio &c.

(**) *Hoc loco hæc in Codice Ambrosiano in margine leguntur:* Extat contrascriptum instrumentum stipulatum *Anno Jesu Christi DCCCLXXXII. Imperantibus Basilio & Constantino fratribus, filiis q. Romani Imperatoris magnis, & pacificis, anno eorum Imperii post obitum Johannis ZimisKi undecimo, die XX. Decembris, Indictione XI. Rivoalti &c.* manu Vitalis Presbyteri & Ducalis Notarii, cum signo Tribuni Ducis subscripto subscriptione adhibita CXXX. testium, quos puto fuisse de Consilio Venetiarum; stipulatum est etiam manu Hieremiæ Presbyteri & Notarii &c.

sui Palatii situatam cum aquis & paludibus sibi adhærentibus ad jus, & proprietatem suæ Capellæ Sancti Marci pleno jure spectantem, ut Monasterium construeret sub Sancti Benedicti regula; & pro victu in eo servientium possessiones dedit, sic inter cetera in eadem concessione dicens:

Verùm quia Ecclesia fuerat pertinens ad dominium Basilicæ Sancti Marci, quæ est Capella nostra, & libera à servitute Sanctæ matricis Ecclesiæ: Volumus ut eadem libertate semper consistat, ut nullus Episcopus servitutis usum requirere, aut prandia præsumat, nisi tantùm ut provisorem decet, & rectitudinem illos tenere doceat, & pabulum vitæ æternæ ministret. Fuit namque iste Joannes gener Petri Ursiolo Ducis, qui terrena parvipendens ad Monasterium Sancti Michaëlis de Cusano cum eo ivit, & factus Monachus, nunc repatrians hanc Ecclesiam impetravit, ut in Religione, sicut voverat, dies suos feliciter consummaret.

Pars III.

EOdem anno Otto II. Imperator ad Italiam veniens, Veneticorum fœdus ob Petri Candiani Ducis funus dirumpere est conatus, quem Dux nuntiis suis placare studuit; misit namque Petrum Mauroceno Monachum (*), Badoarium Noheli, & Petrum Andreadi Tribunum, Legatos suos, Veronam, ubi Imperator residebat, & ab eo qualibet dissensione sublata renovationem fœderis inter Venetos, & subditos suos Regni Italici, obtinuit.

Pars IV.

INterea Otto Apuliam, & Calabriam transferre conatur ad Occidentale Imperium, maximè ratione uxoris Theophaniæ de sanguine Orientalis Imperii procreatæ. Basilius autem, & Constantinus Imperatores Græcorum, conducto mercenario exercitu Saracenorum, cum Imperatore in Calabria congrediuntur, ubi pæne omnes Romanæ vires deletæ sunt; ipse verò cum difficultate vix ad litus pervênit, & duas Græcorum naves inveniens non cognitus intravit, & postea subtili ingenio, licèt à Græcis cognitus, manus eorum evasit, & Romam cum uxore vênit, deinde Veronam.

Pars V.

HOc tempore Stephanus Caloprinus expertus quòd Mauroceni Ducis favore cognati sui mortem ulcisci vellent, clam cum Dominico, & Stephano filiis suis, Urso Baduario, Dominico Sylvio, Petro Tribuno, & Joanne Benato, & aliis quampluribus complicibus suis de Venetiis exivit, & ad Ottonem Veronam properavit, & sui adventus causam indicavit, persuadens Cæsari, quòd si vellet suis consiliis acquiescere, Venetias faciliter obtineret; cui devictâ Patriâ, si Ducatum sibi concederet, pecuniam dare spopondit. Tunc Imperator præceptum intulit, ne aliquis Venetias auderet accedere, seu victualia mittere, nec Veneti in Terras Imperii venire, unicuique Veneticorum secum degenti imponens, ut cum suis Nuntiis loca, quibus alimenta Venetias confluere possent, solerti studio custodirent. Quo peracto Veneti undique circumsepti innatam sibi libertatem desiderantes conservare, inæstimabili inedia graviter afflicti sunt.

(*) *Cod. Ambr.* Marcum.

Pars VI.

SAnè municipes Castri Capitis Aggeris, suasionibus extrinsecorum ducti, à Ducis fidelitate recedentes, Imperatori se subdiderunt, & ab eo de Laureto, Cervas, & Saurinia (**) privilegium obtinuerunt. Similiter & Joannes Bellunensis Episcopus in finibus Heracliæ, Venetorum plurima prædia occupavit.

Pars VII.

TRibunus itaque Dux sceleratorum Civium domos ruinari jussit, & uxores cum infantibus ne aufugerent custodiri jussit.

Pars VIII.

CUmque Imperator erga Venetos inconsueta jam persisteret pertinacia, Romam disposuit visitare, ubi valida ingruente febre mortuus est Anno X. sui Imperii; & sic Venetia Divinitate propitia ab instanti periculo liberata est.

Pars IX.

OTto III. filius Ottonis defuncti sumpsit Imperium Anno Domini DCCCCLXXXIII

Pars X.

JOannes eodem anno natione Romanus sedit mensibus IX. Cessavit Episcopatus dies X. Hic in Castro Sancti Angeli per aliquos Nobiles Romanos inclusus fame excruciatus moritur.

Pars XI.

JOannes XV. natione Romanus sedit mensibus IV. Cessavit Episcopatus die uno.

Pars XII.

JOannes XVI. natione Romanus sedit annis X. mensibus VII. diebus X. Cessavit Episcopatus diebus VI. Hic fuit in Literis eruditus, & Libros composuit. Hunc Crescentius Urbis Patricius persecutus est, donec Urbe egressus est. Tamdem cognoscens, quòd pro Ottone mitteret, ipse cum Senatu ad pedes Papæ veniam postulavit.

Pars XIII.

ANno quarto Ottonis Ludovico Rege Franciæ mortuo absque liberis, & fraude conjugis, Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem fratrem Lotharii Regis patruum ipsius Ludovici, dum res ad Concilium defertur, Regnum usurpat Ugo Capeth filius Ugonis Parisiensium Comitis ex Hadvige sorore primi Ottonis Imperatoris, & regnavit annis IX. Hic factus Rex Corona uti noluit, & post annum filium Robertum fecit Regni consortem, jussitque eum Remis coronari.

Pars

(**) *Cod. Ambr.* Sauma.

Pars XIV.

PEr idem tempus Stephanus Caloprinus Papiæ cum complicibus sua scelerata intentione frustratus, Imperatrici supplicavit, ut suis precibus repatriare valeret; qui imperfecto negotio mortuus est. Sequaces namque sui precibus Augustæ ad Ducis gratiam recepti, sub quatuor juratorum fide in Venetias cum securitate redierunt.

Pars XV.

SAnè Mauroceni, quod gestum erat considerantes, firmiter propinqui sui mortem vindicare decrevere. Quapropter dum quadam die tres nati Stephani Caloprini de Palatio solito vellent domum parva nave redire à quatuor Maurocenis occisi rivuli latices proprio cruore infecerunt; quorum corpora à quodam suo domestico de aqua sublata orbatæ genitrici, atque conjugibus, delata sunt, quæ sequenti die in Monasterio Sancti Zachariæ sepeliuntur; à quo

A tamen facinore licèt Dux se inculpabilem redderet, nonnulli tamen eum conscium affirmabant.

Pars XVI.

TErtio decimo sui Ducatus anno hic Dux Mauricium filium suum misit ad Basilium, & Constantinum Imperatores Constantinopolitanos, ut congruam, atque honorabilem sedem obtineret. Quo anno Dux infirmitate confectus Monachus ordinatus est in Monasterio Sancti Zachariæ, quod non voluntaria fecisse scribitur, sed cogente Populo Veneto, ibique post VI. dies obiit, & in eodem Monasterio tumulatus

B est.

Pars XVII.

CUm hujus itaque Ducis obitu hunc Librum congruo satis fine concludimus, alium illico inchoantes ab acquisitione novi Ducatus Dalmatiæ principium assumentes.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONUS

CONTINENS CAPITULA XV.

CAPTULUM PRIMUM.

De Ducatu Petri Ursioli II. habens partes LII.

PEtrus Ursiolo II. Dux stabilitus est Anno Domini DCCCCXCI. Hic juxta Prophetiam Sancti genitoris sui trigesimo ætatis suæ anno Dux creatus, Patriæ commoda non solùm in priscum consolidando reduxit statum, verùm in tantum Rempublicam auxit, ut suis temporibus Venetia inter ceteras Provincias decore & opulentia sublimata diceretur.

Pars I.

HIc in exordio sui Ducatus Legatos misit Basilio, & Constantino Imperatoribus Constantinopolitanis, & ab eis Crysobolium obtinuit, continens libertates, & immunitates (*) favorabiles concessas Venetis navigantibus, seu mercimonia exercentibus in omni Civitate, & loco suo Imperio subjectis. Omnes etiam Saracenorum Principes suis legationibus sibi benevolos, & amicos fecit.

Pars II.

OTtoni etiam Tertio Regi nono sui Regni anno residenti Molimhusen, hic Dux Marinum Diaconum, & Joannem Ursiolo nuntios delegavit, eumque benignum, & Venetorum statui conformem in tantum fecit, ut non solùm immunitates solitas habere Venetos in Regno Italico confirmaret, sed etiam augendo novas munificentias gratiosè concederet, ut in subsequenti Privilegio continetur.

Pars III.

In nomine Christi humani generis Creatoris & misericordiosissimi Redemptoris.

„ OTto Dei misericordiâ Rex omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus, ac futuris, notum esse volumus, eo quòd Petrus Dux Veneticorum per suos Nuntios Marinum Diaconum, & Joannem Ursiolum, interventu, & petitione nostræ dilectissimæ Dominæ Aviæ Adheleidæ Imperatricis Augustæ, nostram adiit Celsitudinem efflagitans, quatenus Pactum, quod Pater noster bonæ memoriæ Imperator Otto tempore Tribuni Ducis eis concessit Veronæ, nostræ confirmationis præcepto corroborare, & confirmare dignaremur. Cujus petitionem justam cernentes, amore nostræ dilectissimæ Aviæ, & considerata legalitate prædicti Ducis, suæque gentis, idest superius Pactum à nostro Genitore eis concessum nostræ confirmationis præcepto confirmavimus, & inconvulsum fieri jussimus, & omnia, quæ in pa-

A „ gina ipsius scriptionis esse Pacti videntur, ea ratione, ut nullus mortalium sub nostra potestate habitantium corrumpere, lædere, aut falsum vocare audeat, sed si in Regno nostro quietè vivere desiderant, amicari, & observare studeant in omnibus, videlicet in observandis riparum legibus, in transituris, ut nulla nova consuetudo eis imponatur, sed secundùm antiquam consuetudinem, & jussionem Pacti Patris nostri, eis pacificè liceat vivere, nec in deprædando, aut pignorando aliquam Veneticorum, vel flagellando, aut de capulò Sylvarum ampliùs tollendo, quàm antiqua præstat consuetudo, nec de servis fugitivis, quos comprehendunt, aliquod damnum eis

B „ facere, aut transfugare præsumat aliquis; sed ubicumque inventi fuerint, secundùm Legem reddantur eis. Præcipimus etiam de Terris Palatii Venetiæ, sive Patriarchatus, Episcopatuum quoque, Cœnobiorum, tam virorum, quàm mulierum, & omnium Ecclesiarum inibi consistentium, ac omnium habitantium hominum in antedicta Venetia, ubicumque positæ sint in toto nostro Imperio, in Civitatibus, Castellis, in montibus, & planitiebus, cultis & incultis, in aquis, & in paludibus, in sylvis, & in buscaleis, in aquis, aquarumque ductibus, molendinis, piscationibus, & venationibus, & in omnibus, quæ dici, vel nominari possint, tam quæ modò possidere

C „ videntur, quàmque retro à XXX. annis possederunt, prout justè, & legaliter possumus, jubemus ut quietè teneant, & perditas recuperent; & ut nullus Princeps, vel pauper, aliquem Veneticorum distringere, aut legem facere de aliqua habita substantia, vel ad placitum ducere, nisi in præsentia illorum Ducis, aut fodrum tollere de illorum Terris præsumat, aut bannum mittere tam de hominibus habitantibus in Venetia, quàm de illorum hominibus ubicumque habitantibus, justitiam aliquam accipere præsumat, nisi in præsentia Dominorum suorum. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum salsa aqua continet, eorum subjaceat potestati. Insuper vo-

D „ lumus, atque confirmamus, ut Episcopatus Civitatis Heraclianæ habeat totam decimam in integrum à terminatione, quæ facta est tempore Luitprandi Regis inter Paulucionem Ducem, & Marcellum Magistrum militum usque ad mare. Civitates etiam, & Loca, per quæ soliti sunt discurrere Venetici, sive negotia agere, nemo illis contradicere, aut bannum, seu distringere sinè Imperiali vel Regali jussione præsumat. Et si ipsi aliquam querimoniam fecerint Comitibus, vel alicui potestati de aliquo contrario ipsis peracto legem facere voluerint, ipsis proclamantibus tribus vicibus, si vindictam aliquam acceperint, nullam molestiam inde habeant. Ad sal-

E „ tum etiam infra, vel extra, supra aliquem eorum locum, vel Veneticum non faciat. Et si aliquis Veneticorum rebellis potestati Ducis fugerit inde exiens, nullum locum apud no- „ strum

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* alibi est legere, à Basilio & Alexio, non Constantino impetratum jus agendi commercia in Thracia absque solutione.

„ ſtrum fidelem habeat, niſi in acquirendo A
„ gratiam. Si quis autem &c. (*)
„ Datum Decimoquarto Kalendas Auguſti
„ Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCII.
„ Indictione V. Anno verò Domini Ottonis III.
„ Regnantis nono. Actum Molinhuſen feliciter.
„ Amen.

Iſte Dux cum Italicis Principibus amicitiam contraxit, & cenſum ſolitum dari Sclavis pyraticam exercentibus à Venetis navigantibus, per mare Adriaticum; per edictum prohibuit.

Pars IV.

DUx quoque Gradenſem Urbem antiquitate conſumptam à fundamentis uſque ad pro- B pugnaculorum ſummitatem muro vallavit, & juxta Occidentalem Turrim Palatium ſibi conſtruxit, & Eccleſias devotiſſimè reparavit, & in Crypta Sancti Marci Corpora Sanctorum in quatuor capſis recondita occultiſſimè cum inſcriptis titulis collocavit. In prima Corpora exſtant Fortunati & Felicis. In ſecunda Hermacoræ & Fortunati. In tertia Dionyſii, & Largi. In quarta Hermogenis, & Fortunati. Et eodem tempore hic Dux apud Heracliam Palatium, & Eccleſiam de novo conſtruxit.

Pars V.

CEterum Joannes Epiſcopus Bellunenſis cùm C ab invaſione cœpta tempore Tribuni Ducis in finibus Venetorum, neque Regalibus literis, vel nunciis, vel ſententiis reſipiſcere voluiſſet, Dux ſalubri uſus conſilio ſtatuit, ut Veneti prædictam Marchiam auſi non forent adire, vel cum eis commercia agere. Unde incolæ regionis illius carentes ſale, & aliis rebus maritimis, pacem à Venetis petierunt, quam Ottone Rege in Italiam veniente, reſtitutione priùs facta, conſecuti ſunt.

Pars VI.

OTtoni itaque Regi pervento Veronæ Dux requiſitus natum ſuum Petrum nomine delegavit, D quem Rex in Chriſmatis unctione tenens, omiſſo nomine paterno Ottonem vocavit, & cum muneribus patri compaternitatis vinculo ſibi vincto remiſit.

Pars VII.

EOdem Regi reſidenti Ravennæ hic Dux Petrum Gradonico, & Joannem Diaconum miſit Legatos & Privilegium de Portu, & mercato (**) tenendo cum tribus locis cum omni Datio, & Theloneo obtinuit.

Pars VIII.

E DOminicus Epiſcopus natione Venetus ex Patre Dominico Gradonico, ſedit annis XXXIV. menſibus VI. Hic Civis electus fuit Epiſcopus, aſſiſtente Duce, & à Vitale Patriarcha conſecratus, à Duce poſtea inveſtitus, & intronizatus exſtitit.

Pars IX.

GRegorius Quintus natione Saxo, ſedit annis II. menſibus V. Ceſſavit Epiſcopatus diebus XV. Hic Bruno priùs vocatus, conſanguineus Imperatoris, ad dicti Imperatoris inſtantiam electus eſt, & ab illo poſtea Imperialem accepit benedictionem.

Pars X.

PEr idem tempus Croatarum Judex propter denegationem cenſus Venetis moleſtias inferre conatus eſt, unde Dux miſit Baduarium Bragadino cum VI. navibus bene præparatis, qui Iſſam eorum Urbem bello devincens, utriuſque ſexus captivos Venetias conduxit, & ex hoc majoris odii cumulus inter Venetos, & Sclavos repullulavit.

Pars XI.

ROmani autem, abſente Imperatore, Gregorio Papa Urbe expulſo, Joannem Epiſcopum Placentinum de legatione Conſtantinopolitana cum magna pecunia redeuntem Papam præfecerunt. Imperator autem rediens, de adverſariis ultionem expetiit. Gregorium reſtituit, Joannem in Caſtro Sancti Angeli obſeſſum, & captum exoculari fecit, & mutilari, & aliquos Nobiles Romanos captivos ſecum duxit.

Pars XII.

OTto cùm prolem non haberet, ordinavit cum Papa Gregorio V. Electores Imperatoris Officiales Imperii, qui his verſibus continentur.

Maguntinenſis, Treverenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer Dux portitor enſis,
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.
Hic Regem ſtatuunt ſummum concorditer omnes.

Abbas verò Sancti Galli eſt ſcrutator eorum; eſt enim Archiepiſcopus Moguntinus Cancellarius in Germania, Treverenſis in Gallia, Colonienſis in Italia.

Pars XIII.

JOannes natione Græcus ſedit menſibus X. Hic XVI. hujus nominis ab Imperatore damnatur; vivente enim Gregorio, datâ pecuniâ, per Conſulem Urbis eſt creatus.

Pars XIV.

INtereà iſte Dux Joannem filium, requiſitus à Baſilio, & Conſtantino Imperatoribus, miſit Conſtantinopolim, qui honore & muneribus ab eis decoratus ad Patrem rediit.

Pars

(**) *In Codice Ambroſiano hæc adduntur*: Si quis autem contra hoc noſtræ confirmationis præceptum facere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum libras D. auri optimi, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædictis Veneticis, quos inquietaverit. Quod ut veriùs credatur, diligentiùſque obſervetur, manu propria ſubtus confirmantes, ſigilli noſtri impreſſione adnotari juſſimus.

Signum glorioſiſſimi  Domini Ottonis Regis &c.

Datum &c.

(**) *In margine Cod. Ambr. adnotatur*: Codex Egnatii de Deſpotatu, & Vicariatu.

Pars XV.

HOc tempore, mortuo Tyrpimiro Rege Croatorum, inter filios Mucimirum (*), & Suriguam cupiditate regnandi orta contentio schisma magnum in illa regione generavit. Mucimirus tamen prævalens, plurimis in rebellione positis, Regnum obtinuit, damna inferens maritimis Civitatibus Dalmatiæ. Qua de causa Veneti ab illis evocati cum permissione Basilii, & Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum, à quibus Reges illi sceptrum antiquitus recognoverant, dominium Dalmatiæ primitus acceperunt, ut historia, quam reperimus in antiquissimis Græcorum, & Venetorum Codicibus, prout sequitur, seriosè declarat.

Pars XVI.

ILlis namque temporibus in Dalmatianorum confinio non plus quàm Jadrenses Cives Veneticorum Ducis ditioni obtemperabant. Quos Croatorum, & Narentanorum Principes crebrò affligere solebant, in tantum ut Narentani horum quadraginta comprehendentes secum vinctos deportarint. Unde Dalmatini Populi omnes pæne simul convenientes, Petro Veneticorum Duci suis internunciis hæc demandaverunt: Quòd si ipse venire, aut exercitum mittere vellet, qui eos à Sclavorum severitate libera et, ipsi, & illorum Civitates perpetua stabilitate suæ suorumque Successorum potestati subditi manerent. Hoc audiens Petrus Dux, nulla interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem parare expeditionem peregit.

Pars XVII.

SEptimo quoque sui Ducatus anno Petrus Dux, nulla ut supra interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem paravit expeditionem, & in Ascensionis Domini Festo cum suis in Sancti Petri Olivolensis Ecclesia ad Missarum mysteria percipienda convenire voluit, cui Dominicus ejusdem loci Episcopus triumphale Vexillum contulit, & una classem conscendentes, illo die Equilensem Portum intraverunt. Dehinc velis libratis, occiduoque vento flante, Gradensem applicuerunt Urbem, quos Dominus Vitalis Patriarcha, præeunte Plebe cum Clericorum apparatu excipiens, digna suo Principi obsequia exhibuit, cujus quoque dexteram victrici Sancti Hermacoræ signo condecoravit. Inde Pelagi sulcando undas, Istriensem ad Provinciam transeuntes, Civitatis Parentinæ juxta Insulam velis depositis pernoctare disposuerunt; quibus Venerabilis Andreas Episcopus occurrens, famulatum Petro Duci multum impertitus est, humiliter rogitans, ut Sancti Mauri Oraculum adire non recusaret; cujus petitioni acquiescens, multo milite stipatus Urbem intravit, & expletis in Sancti Mauri Ecclesia ministeriis sacris, arrepto exinde itinere, remigantibus nautis, apud Monasterium Sancti Andreæ in Insula, quæ juxta Polensem Civitatem manet, grata hospitia habere voluerunt. Manè (**) Bertaldus Episcopus Polensis eximius Episcopus cum Clericorum, & Civium multitudine festinus advênit, & utroque honore eumdem Ducem glorificavit.

Pars XVIII.

DUx deinde vastum velificando æquor Auserensem ad Urbem delati sunt, ubi non modò Cives, verùm omnes de finitimis tam Romanorum, quàm Sclavorum Castellis convenientes, tanti hospitis adventum se prævenisse gaudebant, & sacramentis ab omnibus peractis, sub illius Principis potestate manere decreverunt. Hoc peracto, sacrum diem Pentecostes solemniter celebrantes prædicto Principi laudis modulamina decantavere. Tunc omnibus, quibus ætatis plenitudo aderat, secum venire jussit, & acceptis stipendiis dispositum iter continuare decreverunt.

Pars XIX.

ALtera verò die Jadrensem antequam appropinquarent Urbem, ejusdem Civitatis Prior cum Episcopo & ceteris, suum Dominum receperunt, & ingressi Urbem, ibi illi Regionis majores confluentes ejusdem Principis dominationi subesse peroptabant, inter quos Veglensis, & Arbensis Episcopi cum eorum Civitatum Prioribus adfuerunt, & pari voto super sacra Evangelistarum dicta jurarunt, quòd juxta illorum scire & posse deinceps Domini Petri Ducis fidem observare debuissent. Insuper Episcopi eisdem sacramentis confirmaverunt, quòd feriatis diebus, quibus laudis pompam in Ecclesia depromere solebant, istius Principis nomen post Imperatorum laudis præconiis glorificarent.

Pars XX.

CRoatorum itaque Rex Ducem advenisse, & quæ egerat cognoscens, Nunciorum studio eumdem placare pacificis nisus est verbis: quod Dux omnino parvi pendens eosdem Nuntios redire dimisit; & sic tractare cum utriusque gentis exercitu adorsus est, quomodo inimicorum aditus intrare, vel quibus argumentis illorum munitissima loca indemnis capere posset.

Pars XXI.

DUx tunc quorumdam Narentanorum relatione didicit, XL. Narentanorum nobilium de Apuliæ partibus, peractis negotiis, ad propria velle reverti, X. naves hominibus oneratas ad Insulam, quæ vocatur Caza, sub omni festinatione destinavit; quæ dum irent, facili certamine eosdem comprehendentes, ad Traguriensem Urbem accelerare voluerunt.

Pars XXII.

DUx namque utriusque & Dalmatinorum & Veneticorum militibus circumseptus, sexta die Jadrensem Urbem relinquens, ad quamdam non longè à Belgradensi Urbe Insulam advênit, de qua talem legationem Civibus mittere placuit, ut si spontaneum famulatum persolvere & fidelitatem sibi jurare vellent, gratiam adipisci valerent; sin autem, se certamine capiendos procul dubio scirent. Hoc verò audientes Sclavorum Reges, periculum incurrere formidabant, & tanto Principi resistere non valebant: unde in utroque discrimine positi quid agerent penitus ignorabant. Tamdem Venetorum ditioni

(*) *Cod. Ambr.* Murmura, & Surigura *semper*.

(**) *Cod. Ambr. pro* manè, *legit* illuc.

ni subesse eligentes, & sacramenta obsequia persolverunt.

Pars XXIII.

EGressi verò inde Lenigradæ Insulæ coloni egregio Duci occurrentes, sacramenta promptè fecerunt.

Pars XXIV.

CUmque Dux Traguriensem Urbem peteret, ab Episcopo, Civibusque sacramentis corroboratus est, ibique suos, quos ante ex Jadrensi Civitate misisse diximus, victores reperit.

Pars XXV.

SClavorum etiam Regis Frater, Surigna nomine aderat, qui quondam fraterno dolo deceptus Regni amiserat diadema; ipse namque non modò sacramenti vinculo se eidem Duci associavit, verùm etiam Stephanum puerulum carissimam sobolem sibi pro obside commendavit, cui Dux Hicelam filiam suam Conjugem tradidit.

Pars XXVI.

HUic ad Spalatinam nobilissimam & validam Urbem, quæ totius Dalmatiæ Metropolis constat esse, prædictus Princeps advênit, quem Petrus Archiepiscopus sacro infulatus officio cum urbana tam Clericorum, quàm Laicorum multitudine excepit, & Missarum solemnia celebrans, ex voto jurisjurandi fide eidem omnes placere satagerunt.

Pars XXVII.

NArentanorum quidem Princeps XL. suorum captivitate mancipatos expertus est, qui suis internunciis Ducem continua prece sibi illos reddi imploravit. Hoc videlicet pacto, quòd priusquam ipse Dux de illis exiret finibus, tam ille Narentanorum Princeps, quàm omnes sui majores, sibi ad satisfaciendum pro suis votis convenirent; & nec censum aliàs extortum aliquo modo exigere, nec quempiam itinerantem Venetias molestare deberent. Tunc Dux captivos reddere jubens, sex tantùm illorum, ne ipse pacem violasset, retentos secum servavit.

Pars XXVIII.

HIs definitis, Dux ad alios illius regionis subjugandos gressum tendere cœpit, qui apud Sancti Maximi Ecclesiam hospitium habere dum voluisset, Ciurzulæ Insulæ habitatores suis recusantes parêre jussionibus valida manu acquisivit, suæque potestati subjugavit.

Pars XXIX.

PRæterea dum idem Dux quiquid cordi aderat, Deo fautore ad votum consequeretur, improbos Lesinæ (*) Insulæ habitatores aggredi conatus est, à quorum rabie Venetici illa pernavigantes loca, propriis facultatibus privati, nudi sæpissimè evasere. Erat siquidem eadem Insula scopulosis promontoriis circumsepta, & licèt aditum intrantibus non denegarent, montium tamen sublimitate ostentabatur, ex quibus vivis murorum mœnibus, turriumque ædificiis munitis inexpugnabilis ab omnibus putabatur. Dum verò prædictus Princeps multitudine navium collecta, quemdam illius Insulæ Portum penetravit, mandat Civibus, ut relictâ pertinaciâ ad se venirent, aut pugna se se perituros scirent. Qui timore constricti pacifica verba protulerunt; postmodum illis injunctum fuit, ut nulla ratione pacem à Duce consequi possent, nisi Civitatem ipsi destruerent, destructam verò irreparabilem, & inhabitabilem relinquerent: quod omni nisu facere interdicentes, tanto exercitui se se obsistere adorsi sunt. Tunc idem Princeps suos ad certamen præparare, illosque impugnare acriter jussit; verùm quia arduus locus difficilem dabat appropinquantibus ingressum, jaculorum ictibus hostes aliquamdiu procul virtute qua poterant coërcere satagebant. Tamen Dei Omnipotentis dispensatione major pars exercitus ex illo loco, unde nullius munitionis ostia patebant, impetum facientes reliqua montis per devia conscendendo, turres, ubi aquarum vascula tuebantur, comprehenderunt, in quibus consistentes in tantum luctamine comprimebant, donec dejecti animo armis depositis nihil ampliùs, quàm mortis exosum periculum evadere flexis exorabant poplitibus. Dux itaque pietatis amator omnes vivos conservare constituens, Civitatem tantùm devastare præcepit.

Pars XXX.

HOc peracto victor Princeps Sancti Maximi Ecclesiam receptavit. Illuc Ragusiensis Episcopus cum suis conveniens, eidem Principi sacramenta omnes facientes obsequia multa detulerunt.

Pars XXXI.

INde Dux prædictas Civitates repetendo remeans pari omnium consensu Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit, & ad Venetiam tamdem cum tali triumpho regressus est. (**)

Pars XXXII.

INterea Ottone Augusto in Italiam tertiò nunc vento, Joannes Diaconus Ducis Venetiarum Nuntius sui Domini progressum, & subsequenter triumphum susceptum cum gaudio nunciavit, & cum eo Romam ivit, & ab eo obtinuit confirmationem, & per terminos declarationem finium Venetorum secus Heracliam, sicut Petrus Candianus Dux tenuit. Videlicet à Plave majori, unde est factus unus argilis, qui nominatur Formiclinus, pertingens usque in Plagionem, in quo ipso Argile sunt tres montes manu hominum facti, inde pertingit ex alia parte Plagionis per Ovillam usque in Fossam de Lugagna, & finitur in Plavicella, quæ veniens influit per Opitergium, & ab hoc termino usque ad mare. Et concessit, quòd in his terminis Episcopatus Civitatis novæ totam decimam habeat,

(*) *Cod. Ambr.* Tadestinæ.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur*: Tunc missi præfecti ex Venetis in urbes Dalmatiæ, videlicet:
Otto Urseolus Spalatum, alibi Ragusium, & Spalatum ejus filius.
Dominicus Pollanus Tragurium.
Johannes Cornarius Sicum.
Vitalis Michael Belgradum.
Maffæus Justinianus Jaderam.
Marinus Memus ad Insulam Corcyram-nigram, hodie Curzolam, & ad alias Insulas.

beat , & similiter ex alia parte Lyventia quæ vocatur Pigalus major usque ad mare. Quibus peractis Otto de Venetorum congaudens triumpho, Ducis nuncio redeunti ait velle voti perficiendi causâ clandestinè Venetias accedere, & cum Duce sibi dilecto pariter congaudere: quæ omnia Duci relata sibi lætitiam attulerunt. A

Pars XXXIII.

OCtavo Ducis Anno Christi DCCCCXCVIII. Otto de Roma Ravennam rediens sub specie sumendæ potionis Pomposiam vênit , & nocte navem intrans cum sex tantummodo sibi secretis , & Joanne Diacono , navigando ad Sancti Servuli Monasterium ignotus applicuit , B & cum Duce noctis tempore ad Ecclesias Sancti Zachariæ , & Beatissimi Marci Evangelistæ vênit , & satìs dignas laudes exsolvens vota sua perfecit, & Ducis Palatium ascendit. Erat sanè vili , ne agnosceretur , habitu indutus , neque fas Duci fuerat cum eo in die manere, ne quis ejus præsentiam posset agnoscere. Ad prandium cum aliis palàm conveniebat , serò unà cum Cæsare dapibus & colloquiis reficiebatur. Cujus filiam ad vinculum perfectæ fidei Imperator de sacro levavit fonte , & pallium , quod pro pacti fœdere à Venetis solvebatur , perpetuò remisit. Et satìs domesticis donis à Duce susceptis , Ravennam rediit , & unde venerat omnibus propalavit . C Dux itaque Venetorum Populum post triduum in Palatio convenire indixit , cui hujusmodi gestum patefaciens , non minus fidem Imperatoris , quàm peritiam sui senioris collaudabant.

Pars XXXIV.

SIlvester II. natione Gallicus sedit annis IV. mense I. diebus II. Cessavit Episcopatus diebus XXII. Hic à pueritia apud Floriacum adolevit , deinde Abbas Bobiensis , postea Rothomagensis Episcopus , & subsequenter Archiepiscopus Ravennas , & ultimò Papa effectus est . Qui cùm Magicus (a) foret, interrogavit aliquando ab una Imaginum , D quæ in possessione præsidentium spirituum dantur , ut ab eis de rebus dubiis respondeatur , quibus Idololatræ utuntur , si Apostolicus futurus erat. Respondit : Etiam . Et iterum : moriar , antequam Missam cantem in Hierusalem ? Respondit : Non . Et tamdem cùm statio esset ad Sanctam Hierusalem, & celebraret, graviter infirmatur, & advocans Cardinales, diu facinora sua flevit, quibus stupentibus , & nihil referre valentibus insaniens ille se dilaniari, & membrari, & foras projici jussit; *habeant*, inquiens , *membra , quorum quæsierunt homagia. Numquam animus meus amavit id sacrilegium.*

Pars XXXV. E

HIc Papa Metropolitana jura Gradensis Sedis super Episcopos Venetiarum , & Istriæ, supplicante Vitale Patriarcha per Privilegium renovavit.

Pars XXXVI.

EOdem anno Petro (b) Gastaldio cum Populo Capitis Ageris coram Duce, & Judicibus , Justitiam requirit de Laureto, & palude vocato Trinas (c), & Canale de Sauma , petentes jus facere vigore cujusdam Privilegii sibi, dum in rebellione persisterent, ab Ottone II. concessi. Cujus petitio non solùm renuenda, sed etiam reprehensione digna judicata est; & propterea idem Gastaldio ad cor rediens, de acquisitis plenam quietationem fecit.

Pars XXXVII.

OTto quoque anno vigesimo Romam rediens . Civium formidans insidias , in quodam Castello Paterno nomine vitam finivit, cujus corpus Coloniensis Archiepiscopus Aquisgranum deferri fecit.

Pars XXXVIII.

HEnricus II. Dux Noricorum, idest Bavariæ, filius Henrici fratris Ottonis Primi quorumdam Principum animos concilians , imperavit Anno Domini MIII. Et nota , quòd plures Henrici fuerunt Reges , quàm Imperatores ; unde cùm legitur Henricus Primus ratione Imperii , ratione nominis est Secundus . Idem intellige de Conradis.

Pars XXXIX.

EOdem tempore Ardoinus filius Dodonis Comitis, Longobardis sibi faventibus , Regium nomen assumpsit , adversùs quem Henricus Rex Ottonem Ducem cum exercitu in Italiam mittit, inter quos juxta Alpes in campo , qui Vitalis dicitur , bellum peractum est. In quo licèt ex utraque parte plurimi ceciderint , tamen Otto cedere coactus est. Hoc audiens Henricus Italiam intravit, & Ardoinum de Verona expulit, & Longobardos sibi subditos fecit.

Pars XL.

JOannes XVIII. natione Tuscus sedit mensibus V. diebus XXV. Cessavit Episcopatus diebus XX.

Pars XLI.

JOannes XIX. natione Romanus sedit annis V. Cessavit Episcopatus diebus X.

Pars XLII.

POpulus Venetiæ merita hujus Ducis cupiens compensare, Joannem filium Ducatus consortem, & Successorem , in concione publica laudavit.

Pars XLIII.

HIc Petrus Dux cum Joanne filio, & consorte suo, Joannem Diaconum , & Capellanum ejus intimum Ratisponam ad Henricum Cæsarem Nuncium misit , & ab eo obtinuit Privilegium confirmans omnes exemptiones , libertates , & immunitates, quas Duces, Ecclesiæ, & Populis Venetiæ soliti sunt habere in Italico Regno, & hunc non solùm Ducem Venetiæ, sed etiam Dalmatiæ in eodem privilegio nominavit.

Pars

(a) *Recole jam adnotata in Tomo XI. col.* 1049.
(b) *Cod. Ambr.* Proto.
(c) *Cod. Ambr.* Cervas.

Pars XLIV.

ISte Dux etiam contra Saracenos, qui Barensem Urbem Apuliæ obsessam detinebant, cum navali stolio perrexit, & Urbem intravit, & victualibus munit, & cum Gregorio (a) Catapano Imperiali Urbe exiens de Saracenis victoriam habuit, & liberata Urbe ab obsidione Venetias rediit.

Pars XLV.

POst Ducis reditum anno videlicet . . . . . . Joannem Ducem cum Ottone fratre mittit Constantinopolim ad Basilium, & Constantinum Imperatores, qui cum honore suscipientes illum, Mariam (b) ex sorore neptem filiam nobilis viri Argiropolis satis splendide dotatam sibi in conjugem tradidere, statutoque die nuptiarum conjuges in Capella Imperiali à Patriarcha Constantinopolitano munus Benedictionis, & ab Imperatoribus aurea Diademata capitibus suis suscepere. Celebratis itaque cum honore nuptiis, Joannes ad repatriandum dispositus, rogatu Basilii euntis contra Bulgaros, usque ad ejus reversionem in Urbe cum uxore remansit. Reversus quoque Basilius Joannem Ducem Patricium fecit, & supplicanti nepti corpus Sanctæ Barbaræ filiæ Dioscori gratiosè concessit. Quibus obtentis Joannes cum uxore & fratre Venetias rediit, à patre, & Venetis cum gaudio receptus, & in Capella Ducali corpus Sanctæ Barbaræ deposuit. Cujus conjux filium in Constantinopolim conceptum peperit avunculi sui Basilii nomine vocatum.

Pars XLVI.

PEr idem tempus Stephanus I. Rex Hungarorum, qui Geizæ Duci patri suo in Regno successit, prædicatione Sancti Adalberti Primi Pragensis Episcopi, & suasione Gil æ sororis Henrici, quam in conjugem sumpserat, Fidem Christi cum suo Populo devotè suscepit. Sanctus verò Adalbertus prædicatâ Bohemiâ, & Hungariâ, Prutiam ingreditur, & ibi Martyrio coronatur. Rex quoque devicto Boam Bulgarorum Duce, atque Sclavorum, de ejus thesauris ædificavit atque dotavit Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Alba, & tamdem multis natio-

A nibus subjugatis, cogitavit renunciare seculo, & filio Almerico æquè literato & Sancto committere gubernacula Regni; sed juvenis virgo cum sponsa sua virgine postea miraculis coruscans præventus est morte. Deinde Rex idem obiit, cujus merita per Hungariam multa miracula ostendunt, & commendant.

Pars XLVII.

QUinto decimo Ducis anno fames, & mortalitas tanta fuit in Venetia, & per totum pæne Orbem, ut vacantes sepulchris cum mortuis obruerentur, & inter ceteros Joannes Dux cum uxore sua Maria sexdecim dierum

B spatio in Sancti Zachariæ Monasterio uno sepulchro clausi sunt. Veneti quoque ut tantis malis quoddam præsidium adesset consolationis, pariter Ottonem Ducis genitum ætatis XIV. annorum Conducem constituerunt.

Pars XLVIII.

HOrum Ducum tempore requirentibus Incolis plebis Sacci, & probantibus non debere solvere pro ripatico in Venetia, nisi solùm ducentas libras Lini, determinatum fuit, ut sicut antiquis temporibus servatum erat, ita deinceps inviolabiliter perseveraret.

C *Pars XLIX.*

PHaledri genere clari, & fide devoti, Ecclesiam Sancti Benedicti Abbatis, Monachis de Brondulo Ordinis, nunc ejusdem Sancti, cum terra adjacente piissimè obtulerunt. (c)

Pars L.

DEcimo septimo Ducis anno Ursus ejus filius defuncto Valerio Episcopo Torcellano, laudante Clero, & Populo, in eadem Ecclesia subrogatus est. Hic cum favore paterno Ecclesiam suam Cathedralem jam vetustate corruentem cum Episcopio renovare fecit. Filia quoque Ducis Felicia nomine Sancti Joannis Evan-

D gelistæ de Torcello similiter Abbatissa ordinata est.

Pars


(a) *In margine Cod. Ambr.* aliis Hieronymo.

(b) *Cod. Ambr.* Martham *semper*.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani hæc notantur*: In primo libro Pactorum extat privilegium Henrici I. vel II. Regis Romanorum datum Abbati SS. Hilarii, & Benedicti: „ In nomine „ &c. Ipse Legatus præceptum detulit ante no„ stram præsentiam, in quo continebatur, quòd „ Sanctissimi Imperatores Carolus Primus, & „ Secundus, & Tertius Otto concesserunt Ec„ clesiæ SS. Hilarii, & Benedicti &c. Colonos „ XII. & bona ac jura habita per commuta„ tionem ab Landolo Episcopo Tarvisino, vi„ delicet Ceresarium, & Pladanum posita ab „ uno latere in Insula Piscinica, ab alio in „ Tercola, à tertio in Strata, à quarto in ipso „ vico Pladano, quæ omnia nos confirmamus „ &c. Item de pluris dictæ Ecclesiæ donamus „ Curtem dictam Fresegulo, & Curtem dictam „ Aureliaco, sitas in Comitatu Tarvisino &c. „ Datum in Svorcheim anno ejus V. & regni „ sui septimo, Christi autem MVIII. Idibus „ Julii &c.

In secundo etiam Pactorum extat aliud privilegium: „ In nomine Sanctæ & Individuæ „ Trinitatis &c. supplicavit nobis Petrus Abbas „ SS. Hilarii & Benedicti, quòd vellemus su„ scipere in protectionem ejus Monasterium po„ situm in loco dicto Viculo territorii Rivo„ altensis &c. Et sic suscipimus, volentes, quòd „ dictum Monasterium nihil solvat, neque ho„ minibus Ducis aut Episcopi, neque Episcopo „ Tarvisino, aut Successoribus ejus, ut specia„ liter contradictum est per præcepta antecesso„ rum nostrorum, Ottonis I. II. III. atque „ Conradi, & Tertii Henrici Regis aut Comi-

E „ tis &c., in calce præcepimus sigillari, appo„ situmque est signum. Datum Patavii Anno „ MXCI. Indictione XIII. Octavo Idus Janua„ rii &c.



„ Ego Ogerius Dei gratia . . . Prior Episco„ pus, & Vicecancellarius, Vice Germani Ar„ chicancellarii recognovi &c.

Desunt testes.

Pars LI.

HOc tempore ad supplicationem Feliciæ Abbatissæ corpus Sanctæ Barbaræ Virginis de Ecclesia Sancti Marci sumptum, ex collaudatione Populi in Monasterio Sancti Joannis Evangelistæ de Torcello cum reverentia translatum est.

Pars LII.

PEtrus quoque Dux præfatus cum uxore sua Maria votum castitatis emisit, & Palatium Ducale cum Capella complevit, & substantiæ suæ partem inter filios & filias divisit, & reliquam ad solatium Reipublicæ, pauperum, & Ecclesiarum vivens dedit, transactisque ab ejus exordio Annis XVII. Mensibus VI. suæ ætatis Anno XLVIII. dies suos feliciter terminavit, & solemnibus celebratis exequiis in Ecclesia Sancti Zachariæ sepelitur.

CAPITULUM SECUNDUM.

De Ducatu Ottonis Ursiolo habens partes XVI.

OTto (*) Ursiolo Dux defuncto Patre præesse cœpit Anno Domini nostri Jesu Christi MIX. Hic erat Fide Catholicus, virtute serenus, Justitia robustus, Religione perspicuus habitu decorus, divitiis præpotens, omnique bonitate adeò repletus, ut meritò optimi Patris, Sanctique Avi Successor esse ab omnibus dignissimus judicaretur.

Pars I.

ERat quippe Annorum ferè XVIII. Dux. Quo tempore filiam Geyzæ Regis Hungarorum, & Sororem Stephani successoris duxit in uxorem, mulierem utique generositate serenam, facie facundam, & honestate præclaram.

Pars II.

SErgius IV. natione Romanus, sedit annis II. mensibus VII. Cessavit Episcopatus diebus VIII. Hic ad supplicationem Vitalis Patriarchæ Gradensis jus Metropolicum, & Ecclesiæ suæ suffraganeos Venetiæ & Istriæ per Privilegium approbavit.

Pars III.

ANno Henrici septimo Eclipsis facta est Solis hora secunda diei. Terram Hierosolymorum Turcæ invadunt, & Hierusalem capiunt. Sepulchrum tamen Christi, Ecclesias Bethlem, & montis Sion destruere Divina virtute prohibiti sunt; sed post tres annos omnes qui loca Sancta fœdaverant, fame & gladio consumpti sunt; Et eodem Anno Judæi multi præ timore conversi sunt.

Pars IV.

BEnedictus VIII. natione Tusculanus, sedit annis XII. Cessavit Episcopatus anno I.

A Hunc ait Petrus Damianus, vidit Episcopus Capuanus nigro equo insidentem, ac dicentem graviter sibi esse; & rogantem, ut iret ad Fratrem suum Joannem Papam, eique suaderet, ut pecuniam, quæ in tali theca erat, pro se Pauperibus distribueret, sic enim sibi miserandum Divina benignitas decreverat, quæ enim pro se tradita fuerant, nihil sibi profuerant, quia de rapina exstiterant, quod cùm Episcopus peregisset, Religionis habitum sumpsit.

Pars V.

SEptimo Ducis Anno Hadrienses, qui Venetorum fines invaserant apud Lauretum, sui
B reatus pœnam à Venetis hostiliter exeuntibus debitè receperunt. Unde Petrus Episcopus cum Primatibus loci ad Ducem venire coacti, veniam habuerunt, promittentes amodo non præsumere, vel attentare similia.

Pars VI.

NOno Ducis Anno Crosimurus Croatorum Præsidens Regno, Jadram, & alias maritimas Civitates Dalmatiæ quotidianis incursionibus inquietat. A quibus Dux requisitus cum stolo exiit, & Civitates tutavit, hostes in fugam vertit, & Cives illarum in sua fidelitate, & obedientia solidavit. Et rediens à Vitale Epi-
C scopo Veglensi, & Majo Episcopo Arbensi, & Martino Episcopo Ausenensi, & ab universo Clero, Prioribus, & Populo dictarum Insularum, de tributo sibi, & Successoribus suis annuatim in perpetuum solvendo sponsionem suscepit.

Pars VII.

URsus Patriarcha natione Venetus ex Patre Petro Ursiolo Duce, sedit annis XXVII. mense uno, diebus XV. Hic existens Episcopus Torcellanus, ex collaudatione Cleri & Populi, nunc Patriarcha factus est. Vitalis quoque Frater ejus vacantis Ecclesiæ ordinatur Episcopus.
D Hic pro statu & juribus Ecclesiæ suæ conservandis instantissimè laboravit.

Pars VIII.

HOc tempore Imperante Basilio apud Græcos corpus Sancti Tharasii taliter Venetias translatum est XVI. Kalendas Octobris. Quidam namque mercatores Veneti ad Promontorium quoddam pervenerunt, cui nomen Chilendro, & dum moram ibi contraherent quidam Sacerdos Mathemaucensis Ecclesiæ cum duobus sociis Petro & Joanne ad Ecclesiam, quam prope sitam audiverat, orationis causâ profectus est; & cùm illuc appropinquassent Monasterium
E cernunt, sed in eo neminem reperiunt. Cùmque Sacerdos Ecclesiam intrare vellet inspiratus intelligit sibi dici: *Tolle hoc corpus Sanctum, & defer tecum*. Cùm autem corpus ubi esset ignoraret, utpote qui numquam affuerat, super Ecclesiæ pavimentum se stravit, & lachrymabiliter Divinam precabatur Clementiam, ut si Divina fuerit commonitio, sibi plenius

(*) *Etiam hoc loco in Codice Ambrosiano hæc adnotantur*: Indictione VII. mense Martio per Instrumentum stipulatum Rivoalti manu Foscarii Presbyteri & Notarii Otho Urseolus Dux & Judices Civitatis, & Populi Venetiarum concessit Civitati novæ vacationem à nonnullis gravaminibus, quibus à Principe gravabatur, item nonnullas exemptiones, item jus in quibusdam confinibus Insularum Venetiæ &c. ut in eo subscripto manu quadraginta testium.

nibus referetur. Surgit autem post Orationem, & ei suggerebatur, ut tolleret Corpus Sanctum; cœpit ergo per Ecclesiam omniquaque respicere, & tamdem ad Altare accedens videt superius Sancti Imaginem, cujus subscriptio erat Sanctus Tharasius, videtque in pariete pannum affixum, quo elevato per fenestram intra speluncam quandam aspexit. Ibi enim Sanctum jacebat corpus serico panno velatum, quatuor lampadibus ardentibus ante eum. Casu autem quodam Sacerdos manu læsus erat, eamque ad collum pendentem tenebat. Ut verò fenestræ eam apposuit, continuò sanitatem recepit. Lætus igitur & animosior factus, securus manum imposuit, ut probaret si corpus movere posset. Cùm igitur sinistra manu apprehendisset, tanta corpus agilitate sublevatum est, ut vivens videretur ipse consurgere, & dicere: *tolle me, quia tecum venire præsto sum*. Sublatum igitur corpus ad navem, quæ tribus milliaribus aberat, celeriter portant, cujus Dominus & patronus erat vir nobilis & devotus Dominicus Dandulo, qui læto animo corpus Sanctum cum reverentia suscepit, à quo degradando duo Duces, videlicet Henricus Dandulo, & nos Andreas, qui loquimur originem duximus. Non multo autem post corpus sequuntur Monachi cum lachrymis ululantes, atque proclamantes: reddite nobis Patrem nostrum crudeles homines; hinc exire non poteritis, nisi reddatis eum. Una alia vice quidam exteræ nationis unum ipsius dentem furati sunt, & donec redderent, nequaquam exire potuerunt. Veneti autem se ad reditum parant, eorumque verba contemnunt; & cùm aliæ naves procellarum violentia jactarentur, illa, in qua erat pretiosus thesaurus, quasi anser natare super undas Maris videbatur. Cum reverentia igitur multa deducitur, & devotione incomparabili ab Episcopo, Clero, & Populo Venetiarum suscipitur, potissimè à Monialibus Sancti Zachariæ, ubi tunc ducentarum Ancillarum Christi Collegium manebat, ibique sacrum corpus depositum est. Patuit autem incunctanter tam ex loco, quàm ex habitu, quòd Heremiticam duxerat vitam, nam post tergum cujusdam feræ pellem quasi pro pallio habere videbatur.

Pars IX.

COnstantinus post obitum Fratris solus imperavit in Constantinopoli Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo vigesimo tertio. Hic filiam suam Zoë in Conjugem dedit cuidam nomine Romano Heliopolitano, quam, cùm non haberet heredes masculos, post tres annos Imperii sui moriens, heredem suam cum viro ejus esse decrevit.

Pars X.

EOdem Anno Popo Patriarcha Aquilegiensis ex Germanorum claro genere ortus Gradensem Ecclesiam sibi subjicere anhelans cum favore Imperiali, mittit Nuncios suos Benedicto Papæ, & de Insula, & de Ecclesia Gradensi justitiam requirit, & Ursonem Patriarcham, quem detemptorem nominat, citari petit. Ille ergo citatus dum obedire vellet, cognovit tractatu Poponis insidias sibi in itinere paratas fore; unde rediens Legatos suos Papæ mittit, & causam suæ absentiæ prætendit, videlicet. Imperialis timoris; quam Papa justam cernens excusationem admittit, & eum à citatione absolvit.

Pars XI.

JOannes Vigesimus natione Romanus sedit annis IX. Cessavit Episcopatus diebus IX. Hic cum Romanis guerram habuit.

Pars XII.

EOdem Anno cùm inter Venetos gravis discordia orta usque adeò perducta esset, ut Dux & Frater ejus Patriarcha, relictis propriis sedibus, apud Istriam exulare coacti forent, Popo Patriarcha Aquilegiensis Gradum adiit, petens recipi adjutorem Fratris sui Patriarchæ, & amici sui Ducis; cui cùm nollent acquiescere, per decem octo suorum sacramenta firmavit, quòd ad salvam faciendam illis Civitatem intraret. Ubi postquam intratum est, Ecclesias, & Monasteria diruit, Sanctimoniales violavit, thesauros abstulit, & Civitatem, licèt destitutam, munitam suis reliquit.

Pars XIII.

ADdens quoque iniquitatem super iniquitatem, Popo Nuntios suos mittit Joanni Papæ, & de subjectione Insulæ & Ecclesiæ Gradensis tacita veritate privilegium obtinuit, adjecta hac conditione, *sicut justè & canonicè sibi pertinere dignoscitur.*

Pars XIV.

INterea Veneti deceptionis perfidiam experti, Ducem, & Patriarcham repatriare statuunt, & eis sedes suas restituunt, & cum exercitu ad expugnandum Gradum ire decreverunt. Quo peracto Dux cum Patriarcha illuc properat, & Civitatem impugnant. Custodes autem formidulosi effecti Civitatem reddunt, quam Dux forticiis reparavit, & Ecclesias diruptas renovavit, ut in portis præsentialiter scriptum Epitaphium ait.

Has portas jussit Otto Dux nectere fano. (*)
Pondere pro ferri capiat sibi præmia Regni.

Pars XV.

OBtenta igitur Civitate gaudium accidit Venetis, sed cordis jubilum minuit, quòd Hermacoræ & Fortunati corpora sublata formidant. Cœpit exinde Patriarcha mente revolvere, quosdam ex Clero antiquos sæpiùs dixisse, in dedicato sibi Altari non existere, sed ignoto celari latibulo. Inquirenti igitur veritatem, Ecclesiæ custos Monachus, antiqua fide probatus & moribus, ait: Petrum jam defunctum Venetiæ Ducem, prædictorum Ducis, & Patriarchæ genitorem pretiosas Reliquias occultasse, & tres tantùm secretè conscios fuisse, quorum superstes erat ipse. Locum denique ostendit in crypta Sancti Marci. Ibi igitur fodientes quatuor capsas inveniunt. In prima, docente titulo, corpora exstant Fortunati, & Felicis. (**) In secunda Hermacoræ & Fortunati. In tertia Dionysii, & Lar-

(*) *Cod. Ambr.* ferro *pro* fano.
(**) *Hoc loco in margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Circa Annum Domini CCXC. Imperante Diocletiano Felix & Fortunatus Vicentini Cives ab Apamio accusati sunt apud Euphomium Præsidem in Aquileja, quòd Christiani essent, & Idolis sacrificare detrectarent: quare Præses post multa supplicia illis in-

Largi. In quarta Hermogenis, & Fortunati. Et dum ipsi removerent, miram senserunt odoris fragrantiam. Prima verò capsa Mathemaucensi Episcopo conceditur; reliquiæ paucis consciis reponuntur. Post hæc Urbs reparatur, & munitur, ut in portis præsentialiter sculptum reperitur, ut superiùs est dictum.

Pars XVI.

DOminicus igitur Gradonico Episcopus moritur. Dominicus autem ejusdem proles & nepos ætatis XVIII. annorum pariter eligitur, quem Dux investire renuit; & sic suscitatâ discordiâ, finitis à Ducis exordio annis X. septem, auctore Dominico Flabanico, Dux tonsâ barbâ in exilium Constantinopolim mittitur, & Ursus ut suspectus de Sede repellitur.

CAPITULUM TERTIUM.

De Ducatu Petri Barbolano Centranico habens partes III.

PEtrus Barbolano, sive Centranico, Dux decernitur Anno Domini Millesimo vigesimo sexto. Hic expulso Prædecessore præficitur, & cùm plurimis non placeret, schisma in Populo crebrò exoritur, & Popo Aquilegiensis Patriarcha Imperiali confisus auxilio, Venetorum confinia lacerabat. Imperator etiam illius inductione non solùm Venetorum fœdus approbare renuit, sed ut sibi æmulos illos persecutus est.

Pars I.

QUo tempore Conradus Henricum filium adhuc puerum post se regnaturum ordinat, & Italiam ingressus gloriosè recipitur, & à Joanne Papa coronatur. Eâdem verò septimanâ tumultuantes Romanos potenter repressit, & in Alemanniam subitò rediit. Rodulfus interea Burgundiæ Rex moriens Henrico Imperatoris filio nepoti suo Regnum reliquit. Otto autem quidam Celticus Comes dicens, Regnum Burgundiæ, sive Celticæ Galliæ, ad se pertinere, id invadit. Conradus verò Ottonem ad deditionem coëgit, & à militibus fidelitatem recepit.

Pars II.

BAsilius Constantinopolitanus nunc defunctus est. Constantinus ejus frater solus Imperium tenuit, qui cùm heredes masculos non haberet, filiam ejus Zoë primogenitam in conjugem Romano dedit. Andreas interea Hungariæ Rex Dalmatinos continuè inquietans, aliquos tamdem ad deditionem coëgit.

Pars III.

DEnique à Ducis exordio elapsis annis quatuor, Venetorum Populus Ottonem reassumere statuit, & hunc captum, & abrasum cum Monachali veste Constantinopolim mittunt.

CAPITULUM QUARTUM.

De Urso Ursiolo Patriarcha, & Viceduce, habens partes II.

URsus Ursiolo Patriarcha Ducatum tenuit Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo trigesimo primo. Nam ex absentia Ottonis Ducis hunc Præsulem ejus fratrem virtute, & generositate perspicuum vices ejus fungere laudant.

Pars I.

ET pro Ottone Vitalem Torcellanum Episcopum cum pluribus Constantinopolim mittunt. Dominicus igitur Flabanico cum ceteris, qui exilii Ottonis culpabiles fuerant, formidantes abierunt. Hic Urbem Gradensem, & Ecclesias reparat, & monetam parvam sub ejus nomine, ut vidimus, excudi fecit.

Pars II.

LEgati Ottone invento mortuo redeunt, & casum indicant. Tunc hic, qui vices ejus tenebat, finito anno I. mensibus II. relicta Ducali sede ad suam rediit Ecclesiam. Qui licèt Dux non fuerit, attamen quia justè rexit, antiqui Veneti in Catalogo Ducum illum posuerunt.

CAPITULUM QUINTUM.

De Ducatu Dominici Ursiolo, habens partem I.

DOminicus Ursiolo Dux sedem invasit Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo trigesimo secundo. Hic de stirpe Ottonis, modica parte Populi consentiente, Ducatum usurpat. Ceteri innatam libertatem, & non tyrannidem cupientes, in eum insurgunt. Ille perhorrescens dum præfuisset, uno die fugam arripiens, Ravennam fugit, ubi denique moritur, & sepelitur.

CAPITULUM SEXTUM.

De Ducatu Dominici Flabanico, habens partes V.

DOminicus Flabanico Dux sancitur eodem anno, nam expulso præcessore, qui auctores fuerant, reditum ejus timentes, hunc exulem Ducem collaudant, & redeuntem in Sede collocant. Hic à Constantino Augusto Protospatarius ordinatus est.

Pars I.

TUnc mortuo Joanne Papa, Benedictus Nonus natione Tusculanus, nepos superioris Benedicti Pontifex ordinatur.

Pars

inflicta, extra Aquilejam juxta fluvium pridie Idus Maji decollari jussit. Eorum corpora repetiere Vicentini, sed Aquilejenses illa ipsis denegarunt; itaque post discordiam, & diffidium tamdem convenere hi populi, ut Vicentini haberent corpus Felicis, & caput Fortunati, Aquilejenses autem caput Felicis, & corpus Fortunati sibi retinerent, ut inquit Oddo, quòd corpus, & caput ex Aquileja in Clugiam translata sunt sub Ottone Urseolo Duce, ut alibi Dandulus asserit.

Pars II.

DRogo autem Normannorum Comes in Apulia ter una die cum Græcis dimicans victoriam consequitur.

Pars III.

ANdreas Rex Hungariæ per senectutem inunxit filium suum Salomonem, consentiente Belo fratre Regis cum filiis suis. Trabs ignea in Cœlo visa est miræ magnitudinis ad Occasum vergere, & ad terram cadere. Quo anno Lombardi juraverunt nullum habere dominum, qui aliud, quàm quod ipsi vellent contra se ageret: Propter quod Conradus in Italiam vênit, ut rebellionem meditantes debellaret; quosdam quoque Episcopos in vincula jecit, & quia Mediolanensis Episcopus fuga est elapsus, suburbia Mediolani incendit. Die verò Pentecostes cùm in parva Ecclesia secus Urbem commoraretur, ad Missam tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui spiritum exhalarent.

Bruno verò Episcopus, qui Missam canebat, & Secretarius Imperatoris erat, cum aliis tribus vidit inter Missarum solemnia Beatum Ambrosium Imperatori comminantem.

Inde Cremonam pergens, obvium habuit Romanum Pontificem, quo honorificè dimisso, propter calorem ad montana conscendit.

Otto interea Comes Burgundiæ ruptis juramentis rebellat, sed à fidelibus Imperii occisus est.

Postea Imperator orationis gratiâ Romam pergit, inde Apuliâ visitatâ distemperantia aëris occultis motivis (*) repatriat, & transiens moritur. Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo quadragesimo, assistente, & favente hoc Duce Concilium Prælatorum & totius Cleri Venetiæ in Ecclesia Sancti Marci congregatum est, in quo interfuerunt Ursus Ursiolo Patriarcha, Dominicus Gradonico Episcopus Olivensis, Vitalis Ursiolo Episcopus Torcellanus, & Leo Episcopus Equilinus, & ceteri, ubi statutum est juxta Decreta Sanctorum Patrum, ut Consecrationes Presbyterorum ante trigesimum annum, & Diaconorum XXVI. non fiant, absque congruenti necessitate, & cum consensu tamen Metropolitani, & Monialium Consecrationes non fiant, nisi in Albis Paschalibus, Epiphania, & in festis Apostolorum. Item ut Chrisma, & Corpus Domini, vasa sacra, & paramenta, sub clavi in Ecclesia conserventur. Item ut nulla Altaria, Amictus, Casula à personis idoneis in cella laventur, & veterata comburantur; Calix verò & Patena, & Corporale non nisi à Ministris in Sacrario abluantur. Item ut Moniales vasa sacra non tangant, nec Altare velent, nec incensum faciant, & plura alia pro reformatione morum decreta sunt.

Pars IV.

EOdem igitur Anno Henricus III. filius ejus, vel gener secundùm alios, postea imperavit. Qui primò Bohemorum Ducem offendentem Imperium per deditionem accepit. Hic

A Vindelicos subegit Populos Suevis conterminos. Ceterùm defuncto Constantino Augusto Zoë filiæ, & Romano ejus viro Imperium remansit.

Verùm Petrus Damianus ait, quòd hoc tempore venerabilis vir Gaudentius Auserensem regebat Ecclesiam, per quem Deus non ignobile fecit miraculum, qui postea Episcopatum dimisit, & de Sclavonico Regno Italiam navigans, Litoribus Anconitanæ Urbis applicuit, in qua non longè post biennium feliciter obiit.

Pars V.

HIs diebus reperitur statutum, (**) ut Dux creandus consortem, vel successorem non B faciat, nec fieri permittat, eo vivente: quod salubre decretum usque ad præsentia tempora illæsum perseverat. Elapsis igitur annis X. mensibus IV. diebus XII. à sua promotione jam senio oppressus dies suos in pace consummavit, & in æde B. Zachariæ sepultus fuit.

Decretum de Conduce, seu successore non creando sub hoc Duce statutum est.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Ducatu Dominici Contareno habens partes XXII.

DOminicus Contarenus Dux assumptus est C Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quadragesimo tertio.

Pars I.

IN ejus initio, scilicet sequenti Anno, indictione XII. Popo ab Apostolica Sede jam multipliciter conquassata de subjectione Gradensis Ecclesiæ privilegium obtinuit, & Gradum furtim ingrediens, cunctis abominabile commisit flagitium, videlicet Civitatem cum Ecclesiis incendit, Altaria confregit, Thesauros abstulit, & quidquid ab igne remansit, præter Sanctorum Reliquias, quas invenire non potuit, Paganorum ritu secum detulit. Pro tanto igitur D repetito scelere Dux & Patriarcha Benedicto Papæ literas mittunt, sed antequam de tanto ausu coërceretur, sinè confessione, & viatico ab hac luce turpiter sublatus est. Denique hi Benedictum Abbatem Sanctæ Trinitatis de Brundolo, Joannem Stornatum, & Gregorium Clericum Nuncios Papæ delegant, & irritationem Privilegii à Popone obtenti cum ablatorum restitutione, & suæ Sedis approbationem, requirunt, & petita ex Synodali censura à Papa obtinent. Tunc Dux Urbem diruptam cum Ecclesiis reparare studuit.

Pars II.

E HIs peractis Ursus Patriarcha diem suum clausit extremum, qui vixit annis XXXVII. diebus XLV. Cui Dominicus Bulcano Sancti Marci Capellanus surrogatur, qui vixit VII. dies, cui successit Dominicus Marengo.

Pars

(*) *Cod. Amb.* multis mortuis *pro* occultis motivis.
(**) *In margine Codicis Ambrosiani hæc notantur*: Alibi est legere Dominicum Flabanicum curasse, ut decretum fieret à populo, ut quis ex domo Urseola ampliùs Dux esse non posset, nec aliquis de consortio, & quòd omnes in exilium mitterentur.

A

Pars III.

BEnedictus Papa inter hæc repellitur, & ei substituitur Episcopus Albanensis, & vocatus est Sylvester III. natione Gallicus, quo post LVI. dies similiter ejecto, Benedictus restituitur, & iterum ejicitur.

Pars IV.

POnitur autem Joannes Archipresbyter Sancti Joannis ante Portam Latinam, & nominatus est Gregorius VI. Hic illiteratus alium Papam secum consecrari fecit ad vices Ecclesiastici Ordinis exequendas.

B

Pars V.

HIc Clemens II. appellatus est, & ab eo Henricus III. Imperator benedicitur: qui cùm multis non placeret superinducitur tertius.

His diebus dum ex seditionibus Normannorum, Græcorum, & Saracenorum Apulia plurimis afflictionibus torqueretur, Maurus Torcellus, & Bartholomæus ejus filius cum suis navibus in Apuliam navigantes, à quibusdam Calojeris de Benevento, pretio & precibus brachium Sancti Bartholomæi Apostoli obtinuerunt, quod Venetias redeuntes in Ecclesia Sancti Hieremiæ Prophetæ, de qua fuerant principales fundatores, dignè deposuerunt.

C

Pars VI.

DAmasus II. natione Theotonicus, qui solus duorum suppleret vices electus est. Uno igitur contra duos, & duobus contra unum de Papatu altercantibus, per Henricum deponuntur.

Pars VII.

POstea substituitur Sindegarius, sive Bruno Tullesensis Episcopus, vir scientia, & Sanctitate clarus, & vocatus est Leo Nonus, natione Alemannus de Lotharingia, & juraverunt Romani se numquam electuros Papam sinè consensu Imperatoris.

D

De Benedicto Papa ait Petrus Damianus, quòd quidam equitans vidit eum habentem aures & caudam Asini, quia à principio usque in finem in luxuria vixit.

Corpus verò Ursi, quia medio tempore rapinæ studuit, & dicit se esse Papam solo nomine Benedictum, & in forma, qua vixerat, se ostendebat, per dumosa loca iturus usque ad diem judicii, tunc mitteretur in ollam gehennæ.

Apud Hierusalem reædificatur Ecclesia Sancti Sepulchri, quæ nunc usque exstat. Califa enim Ægyptius Deher, filius David facere promisit, quia conjunctus erat amicitia Romano Augusto Constantinopolitano: erat autem destructa annis XXXVII.

E

Pars VIII.

DEinde Romanus obiit. Zoë autem Imperatrix Michaëlem in virum assumpsit. Interea defuncto Dominico Gradonico Episcopo, Dominicus Contareno Ducis consanguineus successit.

Pars IX.

HOc tempore Salomon Rex Hungariæ terrestria loca Dalmatiæ inquietans, Jadratinos, qui promissam Ducis fidelitatem hucusque servaverant, ad rebellionem induxit. Postea itaque ortâ discordiâ inter Salomonem Regem, & Fratres Geyza, & Ladislaum, maximis Regnum conquassatur angustiis. Tunc iste Dux sui Ducatus anno II. hostiliter egressus, quibusdam Incolis consaventibus, Jadram recuperavit. Similiter ex Dalmatinis aliqui Ducis præsentiam cognoscentes, ad exhibendam subjectionem solitam accesserunt.

Pars X.

SAlomon tamdem Rex à Fratribus expellitur. Geyza autem regnavit. Tunc Populus ille quasi fidem reliquit, postea rediit. Hic constituit, omnia Fora fieri Sabbato, & Bisantia currere fecit.

In Gallicana Ecclesia oritur turbatio, dum Berengarius Turonensis asserit, Eucharistiam in Altari non esse verum Corpus Christi, sed figuram ejus, contra quem multi scripsere insigniter. Et Leo Papa super hoc congregavit Concilium Provinciale. Berengarius autem postquam se correxit, eos, quos depravaverat, convertere nequivit, unde & moriens producto gemitu: *Hodie*, inquit, *apparebit Dominus noster Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

Pars XI.

LEo Papa in Synodo Dominico Patriarchæ Pallium tribuit, & ut Crucem ante se deferret concessit, Patriarchalemque suam sedem approbavit, & Episcopis Venetiæ & Istriæ scripsit, ut huic Patriarchæ tamquam Primati suo obedientiam & reverentiam exhibeant, cùm Aquilegiensis Antistes his terminis debeat esse contentus, qui sunt in finibus Longobardorum juxta privilegium antiquitus præfatis Ecclesiis concessum. Post hæc idem Pontifex ob singularem devotionem, quam ad Beatum Marcum gerebat, Venetias accedens, à Duce, & à Civibus reverenter suscipitur, & Ecclesiam intravit, & Evangelistæ orationes, & laudes exsolvit, ac Ducatui, & huic Ecclesiæ, & aliis piis locis Indulgentias, & immunitates indulsit.

Robertus Viscardi Apuliam obtinuit, sed dum incolas affligeret, Leo Papa volens eum armata manu repellere, in Beneventum fugere coactus est. Tanta autem fuit utrinque cædes, ut acervus ex ossibus mortuorum usque ad hæc tempora soleat ostentari.

Pars XII.

PRoximo Anno Leo Papa moritur, post quem Victor II. natione Alemannus, Papa efficitur timore Henrici Imperatoris. Hic Papa vocatus est Gebehardus Episcopus Aistetensis. Hic enim apud Florentiam Synodum celebravit, & mul os Episcopos propter simoniam & fornicationem deposuit. Ad ejus requisitionem Imperator misit militiam contra Normannos, qui Apostolica jura Ecclesiæ occuparant, & malè cessit illius militiæ.

Robertus Saracenos Campaniam obsidentes fugavit in Apulia. Ut ait Sigibertus, erat quædam

dam statua marmorea circa caput æneum circumhabens sic inscriptum: *Kalendis Martii* (*) *oriente Sole habebo caput aureum*. Quod quidam Saracenus captus à Roberto Guiscardo quid portenderet intelligens, pro sui redemptione exposuit. In Kalendis igitur prædictis notatâ umbrâ capitis in ortu Solis, & defossâ terrâ ibi magnus thesaurus inventus est.

Hic Dux ab Henrico Augusto approbationem fœderis, quod Pater ejus renuerat per Dominicum Sylvo, & Bonum Dandulo Legatos suos obtinuit. Zoë Augusta à Michaële repudiatur, quem Theodora soror cepit, & excœcavit. Zoë rediit postea. Michaël Bricas Imperium tenuit.

Pars XIII.

MOrtuo Henrico III. Henricus IV. ejus filius successit. Tunc Imperium in se ipsum divisum est, & conspirantibus Saxonibus rebelliones fiunt, & multa inhonesta contra Imperatorem deferuntur ad Papam per Annonem Coloniensem Archiepiscopum, & Hermannum Bambergensem, qui peracta Legatione ad satisfaciendum de simonia, & aliis, monitorias literas portaverunt. Tunc Saxones manifestè rebellant, & Urbes, & Castra, quæ ille in Saxonia fabricaverat, subvertunt. Tamdem verò hinc inde multo effuso sanguine cruentam victoriam Imperator habuit. Papæ tamen consilio Saxones Rodulphum elegerunt, ejusque instinctu contra Imperatorem pugnant. Rodulpho quoque Burgundiæ Duci coronam Papa mittit, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Hunc Archiepiscopus Maguntinus in Regem benedixit, & facta à Maguntinis seditione ambo una nocte aufugerunt.

Pars XIV.

DUm hæc fierent, Michaël Augustus Constantinopolitanus ab Isachio monachatur. Ille autem postea imperavit.

Pars XV.

POst hunc Constantinus Ducas Imperium tenuit.

Pars XVI.

VIctori Papæ Stephanus Nonus natione Lotharingus subrogatur. Hic fuit Abbas Casinensis, cujus tempore Robertus Guiscardi totam occupat Apuliam, expulsis Græcis, exceptis quibusdam Ecclesiis adhuc ritum Græcorum tenentibus.

Pars XVII.

DEfuncto Stephano Florentiæ, Benedictus Decimus successit, qui fuit Episcopus Velitrensis, & per violentiam factus est Papa. Tunc Robertus dilatat potentiam, obtentâ enim Apuliâ, & Calabriâ, in Siciliam transiens cum Rogerio suo fratre de Saracenis stragem edidit, & Rogerius vocatus est Comes Siciliæ. Robertus verò Comes Apuliæ, postquam rediit cum parte exercitus, veniens versùs Lucaniam eam subjecit. Inde ivit Salernum, & cum Prin-

A cipe ejus Gisulpho pugnat, & superat, & Civitatem peculiarem sibi faciens, Beati Matthæi fundavit Ecclesiam, quæ aliarum Ecclesiarum inibi mater est. Deinde ad alias Civitates Campaniæ antiquæ transiit.

Pars XVIII.

POst decessum Benedicti Papæ Nicolaus Secundus natione Burgundus, dum esset Episcopus Florentiæ, à Cardinalibus unanimiter est delectus. Hic Roberto, & fratri recognoscentibus Terram Apuliæ & Siciliæ esse Ecclesiæ, Vexillum dedit, & de dictis Terris investivit. Ille verò pro se & fratre fidelitatem juravit, &
B Vassallos se ac suos heredes confitetur ratione prædictæ Terræ. Hic formam electionis Papæ edidit, quæ habetur distinctione XXIII. in nomine Domini. Et celebravit Romæ Concilium, in quo, ut præmittitur, Berengarius errorem suum revocavit. Constantinus Augustus hunc Ducem Magistrali sede decoravit.

Pars XIX.

ET illico moriens Eudochia conjux cum filiis imperavit, quæ postea Romano Diogeni nupsit, & hic Imperium tenuit.

Pars XX.

C IN Olibolensi litore Dux Monasterium Monachorum sub Sancti Nicolai Episcopi vocabulo, & non procul Monachorum Cœnobium Sancti Angeli fieri fecit, & dotavit, Abbatique ipsorum curam commisit.

Pars XXI.

LAndislaus post Geyzam tenuit Hungarorum Regnum. Nicolaus Papa obiit.

Pars XXII.

ALexander verò Secundus, natione Medio-
D lanensis Pontifex efficitur. Hic vocatus Anselmus Lucanus Episcopus, concorditer est electus. Contra hunc Cadolus Parmensis Episcopus ferè ab omnibus Episcopis est electus, & cum magno exercitu Romam vênit, ut Papatum invaderet, sed non prævaluit. Alexander autem rogatu Imperatoris in Lombardiam descendit, & Mantuæ Concilium celebravit, in quo de simonia se juramento purgavit. Cadolus verò simoniacus repudiatus est.

In hoc Concilio Papa Dominico Patriarchæ assistenti Patriarchalem Dignitatem, & Sedis honorificentias renovavit.

Dux itaque, ut Patronus Sancti Hilarii in finibus Rivoalti positi, Ubertum de Fontanina
E in ejus vita de ipsius Advocatione investivit.

Anno Ducis penultimo, ut ait Sigibertus, Sanctus Theobaldus obiit in Vicentia Urbe Venetiæ inclusus.

Completis itaque in suo Ducatu annis XXVII. mensibus IX. dies suos feliciter terminavit, & in Monasterio Sancti Nicolai sepulchro reconditur.

CAPI-

(*) *Cod. Amb.* Maji.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Ducatu Dominici Sylvi habens partes XI.

DOminicus Sylvo Dux censetur Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo septuagesimo primo. Nam prædecessore necdum sepulto cunctus Populus hunc Ducem in Sancti Nicolai Templo unanimiter acclamavit, & ipsum cum hymnis & laudibus in Sancti Marci Ecclesia nondum completa (*) duxit, qui investitionem cum Vexillo suscepit, ad quam perficiendam crebrò operam dedit.

Pars I.

QUo tempore jam afflicta Ecclesia Hierosolymitana, & Constantinopolitana ultra brachium Sancti Georgii, & Antiochena pæne totaliter destructæ sunt. Nam Orientalis Rex potentissimus Belzeth cum infinito exercitu Persarum, & aliorum adversùs Constantinopolim faciem direxit; Civitates, & loca penitus capiebat, & omnia destruebat; jamque omnes territi fugiebant, non audentes illius expectare adventum. Tamdem occurrit illi Romanus Augustus undique contracto exercitu, & commisso bello Imperator capitur multo Græcorum effuso sanguine. Tunc Belzeth elatus tanta victoria, sedens coram Principibus, super guttur Imperatoris pedem tenebat; & cùm pluries hoc egisset, illæsum abire permisit. Græci verò dedignantes tam confusum hominem Imperatorem habere, eum exoculant.

Pars II.

MIchaël igitur privignus ipsius imperavit. Obtinuit itaque Belzeth à Cilicia Syriæ usque ad brachium Sancti Georgii universa per spatium triginta diætarum in longitudine, & decem, & alibi quindecim in latitudine; & vastavit Ecclesias ædificia; & Populum universum tantus terror invasit, ut usque ad sex, vel septem diætas nequaquam securus consisteret. Nocuit hoc plurimùm Christianis Terræ promissionis, quia Imperator sæpe dabat eis auxilia.

Tunc Belzeth posuit unum suum nepotem Solimanum Soldanum Turchiæ quasi murum inter Persas, & Imperium; & alium nepotem Ducatum Soldanum in Damasco quasi murum inter se, & Calipham Ægyptium, & Antiochiæ præfecit Turcum vocatum Anxiens, & Aleppiæ servum suum Asagur. Sic manet desolata ubique Orientalis Ecclesia, prævalentibus undique Saracenis.

Hortatu Michaëlis Augusti Dux Constantinopolitanam accepit uxorem, cui ille Protoproedri Sedem concessit.

Pars III.

AIt Petrus Damianus: *Dux Venetiarum Constantinopolitanæ Urbis habebat uxorem, quæ tam artificiosa voluptate se mulcebat, ut communi aqua se nollet abluere; cibos digitis non tangebat, sed quibusdam fuscinulis aureis & bidentibus suo ori applicabat. Cubiculum ejus tot aromatibus redolebat, ut auri-*A *bus incredibile videretur. Vibrato igitur super ea mucrone Judicii, dum adhuc viveret corpus ejus omne computruit, ita ut totum cubiculum fœtore compleret, & quantum fuit in deliciis, tantum ei datum est cum luctu tormentum.*

Pars IV.

IStis diebus defuncto Dominico Episcopo Olibolense Henricus defuncti Ducis filius subrogatur, qui dimisso Olibolense titulo primò Castellanus Episcopus se inscripsit.

Tunc Dux collecto Clero & Populo, Patriarchalis Sedis inopiæ compatiens, ducentarum amphorarum vini censum à Justinopolitanis annuatim sibi debitum, & Terras in Heraclia Patriarchæ B perpetuò concessit. Cui etiam Episcopi, & Abbates, annuales honorificentias exhibere promiserunt.

Interea Normanni fines Campaniæ devastant, quos Dux Spoletanus Gotifredus, & Comitissa Mathildis expulere.

Pars V.

POstea Alexandro Papa mortuo Gregorius VII. natione Senensis elapso biennio Pontificatum accepit. Hic vocatus est Hildebrandus Prior Cluniacensis, postmodum Cardinalis, quem factum Papam, & in nocte Nativitatis Domini C celebrantem apud Sanctam Mariam Majorem ad Præsepe Cincius Præfecti filius cepit, & in Turri sua posuit; sed Romani ipsa nocte turri destructa Papam liberant, & Cincium Urbe expellunt.

Pars VI.

HIc secundo anno celebrato Romæ Concilio CX. Episcoporum Simoniacos excommunicat, & Sacerdotes uxoratos à divino removet officio, & Missas eorum Laicis interdixit. Excommunicavit etiam omnes Clericos, qui investituram Ecclesiarum de manu Laici acciperent.

In quo tempore Normanni Dalmatinorum D fines invadunt, & destruunt. Dux igitur egressus eos abire coëgit, & ab Incolis solidam fidelitatem cum promissione non adducendi Normannos in Dalmatiam suscepit.

Bessi Ungaris infestissimi, spoliatâ Ungari fugiebant; sed ab Ungaris ita oppressi dicuntur, ut ne unus quidem effugerit.

Pars VII.

MIchaël Augustus à Nicephoro Votoniato ejectus ad Robertum pergit, eique ut Imperium invadat persuasus est; qui suam cupiens dilatare potentiam, congregato exercitu apud Idruntum cum Michaële Augusto, & E Boamundo suo filio Avalonem pervenit, & Dyrachium obsedit, fingens hæc agere, ut Augustum ejectum restitueret.

Pars VIII.

NIcephorus cum terrestri apparatu Alexium Megadomesticum mittit, Venetorum petit auxilium; Dux illico cum stolo potenter egressus, cum Normannis secus Durachium bellum

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc notantur*: Anno MLXXI. ædes D. Marci cœpta est reparari in eam formam, qua nunc visitur, non sub Dominico Silvio, sed sub Dominico Contareno, quo tempore primùm institutus unus Procurator dictæ ædis.

lum iniit, illosque tamdem conflictos abire coëgit, & Durachium ab obsidione liberatum victualibus muniit.

Pars IX.

ALexius in itinere à Nicephoro stipendia petit, nec obtinuit: propter quod tumultus oritur in Exercitu, quibus ait Alexius: *si mihi credideritis, vos omnes ditabo*. Qui seducti faciem contra Constantinopolim direxerunt, & Urbem obsidentes tamdem proditione Ammonii Magistri militum per Bulgarorum Portam intrarunt in die Cœnæ Domini.

Nicephorus autem, ut proditionem cognovit, Monachus ordinatus est, & Alexius Populo illuso fingens, quòd Michaëlis Imperii heredis nomine hoc ageret, obtento dominio in die Paschæ Imperialia Diademata suscepit, & donaria infinita fecit. Sumpto igitur Imperio, & Civibus bene dispositis, Alexius cum ingenti militia, & Venetorum classe contra Robertum, (*) qui jam ad Imperii damna redierat, egressus, circa Durachium bellum commisit, in quo ex suis, & Venetis multis occisis, & captis, succumbens fugam arripuit. Michaël, qui heres dicebatur Imperii, in prima acie interemptus est. Et Robertus post hæc Durachium & vicina loca capit, & undique Imperium conquassavit; & in Apuliam rediens Boamundum ejus natum ibi dimisit. Post reditum verò Alexius quos ex Imperiali sanguine potuit invenire, occidi fecit.

Pars X.

DOminico Marengo jam mortuo Dominicus Cerbano substituitur, qui vixit Annos VII. menses III. Henricus Imperator in Pentecoste conventu habito Maguntiæ Hildebrandum decernit à Papatu deponendum, & Guibertum Ravennæ Episcopum ei substituendum. Idem cum Saxonibus congreditur, & multi eorum cum Rodulpho Rege perimuntur; prædixerat enim Hildebrandus tunc filium Regem moriturum, sed hunc esse Henricum malè interpretatus est.

Pars XI.

HIc Dux Venetis exosus propter excidium stoli contra Robertum missi, dum Annis XII. præfuisset, repudiatur, & de Sede expellitur. (**)

CAPITULUM NONUM.

De Ducatu Vitalis Phaledri habens partes X.

VItalis Phaledro Dux approbatur Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo octogesimo quarto. Hic promissione & donis expulsionem Prædecessoris Populo persuasit.

Pars I.

QUi Augusti hortatione Andream Michaëlem, Dominicum Dandulo, & Jacobum Aurio Legatos Constantinopolim misit, ut Jurisdictiones Dalmatiæ, & Croatiæ sibi ab Incolis traditas obtineret, quas Constantinopolitano Imperio pertinere noverat, quia secundùm Historiographos Dalmatia, prima Provincia est Græciæ, quam in partitione Imperii inter Carolum, & Nicephorum per decretum sancitum Carolus Orientis Imperio habere permisit, & illam usque ad tempus Basilii, & Constantini, Reges, & Principes præsidentes nomine ipsius tenuerunt.

Pars II.

EUntes autem Legati ab Alexio alacriter visi Crusobolium Dalmatiæ, & Croatiæ, & Sedis Protosevastos obtinuerunt. Quibus postea reversis Dux suo addidit titulo: *Dalmatiæ: atque Croatiæ, & Imperialis Protosevastos*. Interea Boamundus, absente Patre, cum Græcis duo prœlia gessit, quorum primum viriliter vicit, alterum verò Alexius cautelosè agens obtinuit.

Pars III.

TUnc inter Imperatorem, & Papam, condicto die ad causam discernendam, cùm pax non fieret, multi ex Romanis, & Italiæ Episcopis à Papa deficiunt. Papa autem fugit ad Normannos. Postea Romani Imperatorem recipiunt, & eorum judicio Hildebrandus à Papatu abdicatur, & recipitur Ravennæ Archiepiscopus, Brixiæ à seditiosis Episcopis ei substitutus, & Clemens vocatur. Quem Henricus ab Episcopis Bononiensi, & Mutinensi, & Cremonensi fecit benedici, & Romam sine Cardinalibus ducens, ab eo in die Pascha coronatur. Deinde Gregorium cum Cardinalibus in Castello Sancti Angeli obsedit; sed audito quòd Robertus Viscardi Papæ in auxilium veniret, destructo Capitolio, & urbe Leonina, cum suo Papa fugit Senas. Robertus autem eodem die Urbem capiens, igne ferroque consumens, Gregorium in sua Sede restituit. Post Henricus Maguntiæ consilio Regali, & Synodali auctoritate exegit ab omnibus, ut Hildebrandi depositionem, & Guiberti electionem subscriptione approbent.

Pars IV.

GRegorius autem in Apulia descendens, apud Salernum moritur, & coruscat miraculis.

Victor igitur Tertius, qui fuit Montis Casini Abbas, eligitur. Tunc Bruno natione Theutonicus ex Colonia, literis à pueritia eruditus, Remensis Canonicus, & Scholarum Magister, relicto seculo Heremum Carthusiæ fundavit, pro-

(*) *In Codicis Ambrosiani margine hæc leguntur:* Alibi est legere, Silvio Duce Alexium à Venetis impetrasse classem navium onerariarum XXXVI., triremium XIV., galeotarum IX. contra Robertum Normannum, qui pacem tunc maluit cum Alexio; itaque Veneti ab Alexio domum remissi ingentia dona, inter quæ Corpora Sanctorum, & alias Sanctas reliquias, necnon & largum Chrysobolium ab Imperatore Græco cum gratitudine reportarunt. Alibi etiam est legere, Silvio Duce Justinopolitanos coactos fuisse à Venetis eis solvere quot annis loco tributi præter id, quod solvebant, amphoras duas vini.

(**) *Hoc loco in margine Codicis Ambrosiani legitur:* Dominicus Silvius ex Monacho fecit instaurari ædem D. Jacobi Rivaltini in eam formam, quæ nunc visitur.

propositumque Monasticæ vitæ elegit.

Rogatu Alexii Dux contra Robertum stolum mittit, qui unà cum Græcis à Roberto apud Sasinum superatus, confusus rediit.

Pars V.

VIctor Papa ex veneno sibi in calice mixto obiit; & Urbanus II. natione Francus subrogatur. Fuit autem Monachus, Episcopus Ostiensis. Celebravit Synodum Placentiæ cum Episcopis Galliæ, Lombardiæ, & Thusciæ, ubi inter ceteras ordinationes Guiberti irritavit; & novem Præfationibus decima addita est, *& te in veneratione Beatæ Mariæ*. Ubi Dominico Patriarchæ suæ Sedis Privilegia innovavit, & ejus petitioni de Clericorum incontinentia idem Papa sic ait: *Erubescant impii, & apertè intelligant, judicio Sancti Spiritus eos, qui in Sacris tribus gradibus, scilicet Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, positi, si mulierculas non abjecerint, & castè non vixerint, excludendos ab eorum graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur; secretorum autem cognitor, & Judex Deus est.*

Postea Dominicus Patriarcha moritur, cui Joannes Sapponario substituitur. Post pusillum idem Patriarcha apud Constantinopolim vita cessit, cui Petrus Badoario nobilis subrogatur Anno MXCIV. Quo tempore Henrico Augusto Tarvisii existenti Dux Grausonem Cancellarium, Vitalem Michaëlem, & Petrum Zopolo, Legatos mittit; quem ad Venetorum statum favorabilem invenerunt; & in dilectionis indicium Ducis natam de sacro Fonte levavit, & antiquati fœderis renovationem per eosdem nuntios Duci mandavit.

Pars VI.

De Inventione Corporis S. Marci.

EOdem anno, videlicet Ducis Anno X. dum gloriosissimi Marci Evangelistæ Corpus intra quamdam columnam de lapidibus marmoreis factam, Duce, & quibusdam consciis esset repositum, ut ibi cautiùs servaretur, contigit, ut occiso Petro Candiano Duce cum filio, Ecclesiaque cum Palatio igne consumpta, & ceteris, quibus hoc patuerat, ex transcursu temporum sublatis, nemo ubinam sanctus esset thesaurus, jam renovatâ Ecclesiâ posset cognoscere, & nec aliquibus indiciis invenire, fit ex hoc planctus in Clericis, desolatio ingens in Laicis, mœror imminet universalis. Formidabat siquidem Plebs devota, ne Patronus tam inclytus furtivè fuisset sublatus; ideoque jejunium solemne indicitur, Processio solemnissima ordinatur. Et ecce videntibus cunctis, & stupentibus, lapides à columna (*) prosiliunt, & Archam ubi Corpus latebat, cunctis evidenter ostendunt. Mox devotas laudes agunt Creatori omnium, qui suum eis est dignatus revelare Patronum; sicque dies illa, videlicet sexto exeunte Junio, illustrata tanti prodigii gloria, annis decurrentibus posteris fit festiva, & generalis Processio in memoriam devotissimè renovatur.

Pars VII.

DIe itaque octava Octobris subsequentis, Deo dicata Ecclesia, consciis Duce, Primicerio, & Procuratore, reverendum corpus in ea secretè collocatur. Locus igitur omnibus usque in hodiernum diem præter eorum successoribus, extat incognitus; nec propterea nescientium fides vacillet, cùm ego, qui loquor, primò Procuratoris gerens officium, nunc Christi gratiâ Dux effectus, possim dicere verba Joannis Capitulo XIX. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, & ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis*; & Joannis Apostoli Cap. . . . . *ut credentes ejus meritis vitam habeatis*; dies enim illa singulis annis celebratur.

Pars VIII.

HIs Henrico Augusto patefactis, devotione motus, Venetias veniens Beato Marco reverentiam exhibuit, Urbemque gyrans, situm, & politiam insigniter commendavit, & Monasteriis pluribus immunitatum concessis privilegiis, de Venetiis recessit.

Robertus Guiscardi post immensas victorias apud Casiopam Insulam moritur. Huic Rogerius filius successit, qui Amalphiæ juramentum fidelitatis præstitit. Urbano Papæ super Terras Apuliæ, & se hominem ligium Ecclesiæ confessus est; & hoc etiam sub vexillo nunc Bodinus Raxiæ Durachium accepit, & postea pace cum Imperatore Constantinopolitano composita, illi Urbem resignavit. Post Ladislaum Colomanus, Geyzæ genitus, Hungaricum tenuit Regnum. Iste Dux Laureti Fortilicium vetustate corruptum, in formam Castri renovavit, & Incolis, terris & aquis & immunitatibus pluribus privilegiatis custodiendum dedit. Ille autem fidelitatem, & tres pullos annuatim pro unaquaque familia, & caput cum pedibus silvestrium . . . . ac Anguillas capitaneas, ac Denarium Duci exhibere polliciti sunt. (**)

Interea post pœnitentiæ lamenta, cognitionem-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani adnotatur*: Alibi est legere, Columnam illam esse, quæ ad Aram D. Leouardi stat.

(**) *In Codicis Ambrosiani margine hæc adduntur*:

Anno X. sui Ducatus, qui fuit à Christi Natali MXCIV. Princeps Privilegium fecit Lauretanis, cujus formula, quæ ab ipsis in hunc usque diem servata est, sic se habet:

„ IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri „ Jesu Christi, Anno ab Incarnatione ejus- „ dem Redemptoris nostri MXCIV. Mensis „ Decembris III. Indictione Rivoalti. Quia „ stimulante cupiditate, avidorum hominum „ mentes, qui proprio jure, propriisque perti- „ nentiis tantùm contenti aliena invadere, ca- „ lidè subripere, violenter etiam rapere desu- „ dant; Iccirco principalium potentia suorum „ contrariorum, attento respectu, ad rapien- „ tium temeritatem sapienter providens instru- „ ctiones, & tuta castra, firmissimasque Civi- „ tates priùs concertari antiquitus, & adhuc „ construere nititur. Altæ quidem rationis, „ magnæ utilitatis, continuæ tranquillitatis est, „ ubi etiam jus se habet evadendi nulla haberi „ occasio puniendi, & ubi est animi tranquil- „ litas, nulla est metuendi necessitas; utrique „ parti utile est certo experimento, & necessa- „ rium. Raptoribus enim via, & jus rapiendi „ perit, unde illis magna hic est securitas, il- „ lic etiam nulla puniendi anxietas, istis verò „ utilius est sua possidendi, & contento suis „ nulla est necessitas aliorum jura invadendi.

„ Hæc omnia Nos Vitalis Faletro de Divinæ „ gratiæ largitate Venetiæ, Dalmatiæ, atque „ Croatię Dux, & Imperialis Protosevaston plurimùm animadvertens, & tantas hujusmodi utilitates perpendens, vera hæc instruente nos „ ratione, accensus amore, & communi ho- „ nore

,, nore patriæ nostræ, & securitate inde trans- A
,, euntium, ne à multorum calliditate, & insi-
,, diis latrocinia, quæ sæpissimè ibi fiebant, ul-
,, teriùs exercerentur, sit secura nostris, & om-
,, nibus via transeundi haberetur. Insuper etiam
,, videns intollerabiles oppressiones quærentium
,, sub potestate nostra, & nostri tranquilli ju-
,, ris quiescere, & unanimiter nobiscum morari,
,, nostro proprio expendio, & pretio Castrum,
,, quod vocatur Lauretum, ædificari à funda-
,, mentis, & construi cum universis munitio-
,, nibus suis jussimus, petentibus, & roganti-
,, bus nos Petro Presbytero, & nunc Plebano,
,, & Petro Gratulo, Michaele Martino, Be-
,, rengo Ubaldino, Joanne Gastaldiono, Bonal-
,, do, Dominico, Petro Patravino, Crispino,
,, Dominico, Zeno, Alberico Alterano, Domi-
,, nico Berengo, Ursone, Petro, Vitale, An-
,, drea Mauritio, & alio Mauritio, Dominico
,, Leone, Lupiseno, Ademberto Clerico, Pe- B
,, tro Senuriso, Petro Juliano, Georgio Girar-
,, do, Joanne Adam Diacono, Adam Patavino,
,, Federico Vidone, Andrea Martino, Domi-
,, nico, & alio Dominico, Joanne Gafarello,
,, Joanne Diacono, Manfredo Lugnano Diaco-
,, no, Pagano Benedicto.
,, Quo circa nos prænominatus Vitalis Fale-
,, tro Dei gratia Dux, unà cum Petro Badua-
,, rio Venerabili nostro Gradensi Patriarcha,
,, & cunctis nostris Episcopis, & Judicibus,
,, nec non cum nobilibus Principibus nostris,
,, & populo Venetiarum, cum nostris successo-
,, ribus, vobis totis Clericis, Castellanis, &
,, cæteris omnibus, qui ibi venturi sunt, &
,, vestris heredibus, & successoribus ad perpe-
,, tuò retinendum, & possidendum ad nostram,
,, nostrorumque successorum perpetuam fidelita-
,, tem totum prædictum Castellum concedimus, C
,, & damus, secundùm firmatur cum omnibus
,, suis pertinentiis in uno capite in Atice, &
,, alio capite, quantum nostra pertinentia elun-
,, gatur, uno latere firmante in Argada, & in
,, capite de Orsa, unde solitus est transitus na-
,, vium, & inde in antea quantum nobis per-
,, tinet, quod justè dare possumus; & alio ejus
,, latere firmante in Boscho nostro, quem vo-
,, bis sic damus ad utendum, fruendum, qua-
,, tenus vos & heredes, & proheredes vestri
,, habeant, & ad nostrum, nostrorumque suc-
,, cessorum venatum semper permaneat. Hoc au-
,, tem prædictum Castellum cum prænominatis
,, capitibus, & lateribus suis, & cum omni-
,, bus, quæ circa illud sunt, & in præsignatis
,, capitibus, & lateribus capiuntur, habentur,
,, damus ad omnem vestram necessitatem fa-
,, ciendi, excepta Piscaria de Laureto, quæ in
,, nostra virtute remaneat, & transitu ante ip- D
,, sum Castellum, quem nobis, nostrisque suc-
,, cessoribus perpetualiter reservamus. Statutum
,, est inter nos, & à nobis confirmatum, quòd
,, prædictum Castellum ab hodie in antea cum
,, vestris successoribus, & heredibus in die, &
,, in nocte providè custodire firmiter ad nostram,
,, nostrorumque successorum fidelitatem retinere
,, vos debeatis; & perpetuis temporibus cum
,, successoribus, & heredibus vestris habitare
,, in eo, & usque ad medium gravium viam
,, à latronibus defendere, & securam illam sem-
,, per reddere debeatis, & per unumquemque
,, Mansionarium ex vobis dare nobis, nostris-
,, que successoribus debeatis pullos tres, & de-
,, narios tres per annum, unum, scilicet ad
,, Nativitatem Dominicam denario suo, alte-
,, rum ad carnis laxationem cum denario suo,
,, tertium verò in Pascha cum denario suo. E
,, Pulli quidem nostri erunt, denarii verò Ga-
,, staldionis, qui pullos illos collegerit. De an-
,, guillis capitaneis, quas venales vocatis, re-
,, ctum decimum ad Ecclesiam ipsius Castelli,
,, & ad Plebanum, & Ordinarios ejus dare de-
,, betis. Nobis verò de eisdem anguillis unde-
,, nam anguillam daturi estis, tracto priùs omni
,, expendio clanguræ piscariarum. Si cenglarem
,, aprum aliquo venatu ceperitis, caput illius
,, cum pedibus nobis, nostrisque successoribus
,, portaturi estis. In Placitis nostris, & offen-
,, sionibus nostris, si quando cecideritis, ean-
,, dem legem vobis servare debemus inde, quam
,, in cæteros Veneticos nostros servamus. Ple-
,, banum verò, & Gastaldionem nullum vobis
,, alium daturi sumus, nisi quem vos vestra lau-
,, datione, & communi consensu quæsieritis.
,, In hostem verò nullo modo vocare, neque
,, in quolibet alio servitio mittere, neque de
,, aliqua alia datione, præter illam, quæ dicta
,, est, inquirere vos debeamus. Gundulam verò
,, nullam, nisi libera voluntate vestra facturi
,, estis. Quòd si quocumque tempore contra no-
,, stræ confirmationis, & constitutionis præsen-
,, tem paginam ire tentaverimus; Tunc com-
,, ponere promittimus cum nostris successoribus
,, vobis, & vestris successoribus, & heredibus
,, auri obrizi libras centum, & hujus præsen-
,, tis confirmationis, & constitutionis pagina
,, perpetuis temporibus firma, & inconcussa,
,, & inviolabilis in sua firmitate permaneat:
,, quam scribere jussimus Joannem Ecclesiæ San-
,, cti Bassi Vicarium, & nostri Palatii Nota-
,, rium. Prædictum Boschum sic debetis uti,
,, quòd in venatione vestra damnum nullum
,, habeamus &c. MXCIV.
,, Ego Vitalis Phaletro Dei gratia Dux manu
,, mea ss.
,, Ego Petrus Baduario Dei nutu Gradensis
,, Patriarcha ss.
,, Ego Ericus Urseolus Judex.
,, Ego Joannes Baduario Judex.
,, Signum manus Joannis Faletro de Donis,
,, qui hoc rogavit fieri.
,, Signum Constantini Faletro.
,, Signum manus Aviti majoris, qui hoc ro-
,, gavit fieri.
,, Ego Michael manu mea ss.
,, Ego Vitalis Vitaliano manu mea ss.
,, Ego Rainerius Mauroceno.
,, Ego Urso Baduario.
,, Signum manus Dominici Foscareni, qui
,, hoc rogavit fieri.
,, Signum manus Petri Zopulo.
,, Ego Joannes Stornato.
,, Ego Otho Urseolo.
,, Ego Joannes Justinianus.
,, Ego Stephanus Fuscarenus.
,, Ego Joannes Jolo.
,, Ego Gervasus.
,, Ego Dominicus Pantaleo.
,, Ego Vitalis Foscareno.
,, Ego Dominicus de Ponte.
,, Ego Joannes Foscarus.
,, Ego Aurio Gattulo.
,, Ego Fatius Gregorio.
,, Ego Dominicus Decemnovem.
,, Ego Dominicus Superantio, qui hoc roga-
,, vi fieri.
,, Ego Dominicus Sezerito.
,, Ego Angelus Susmonis.
,, Ego Dominicus Testis.
,, Ego Dominicus Superantius Testis.
,, Ego Jo: Pantaleo.
,, Ego Dominicus Pantaleo.
,, Ego Joannes Navigioso.
,, Ego Dominicus Juscolo.
,, Ego Dominicus Paulo.
,, Ego Dominicus Faletro de Donis.
,, Ego Dominicus Moranessico.
,, Ego Vitalis Calbo.
,, Ego Jo: Mauroceno.
,, Ego Theodosius.
,, Ego Jo: Calvo f. Joannis Calvo.
,, Ego Stephanus Stornato, *al.* Zuane.
,, Ego Dominicus Phaletro.
,, Ego Stephanus Ziani.
,, Ego Vitalis Navigroso.
,, Ego Dominicus Faletro.
,, Ego Jo: Mauranigo, *vel* Mocinigo.
,, Ego Marcus Malipetro.
,, Ego Clemens Uglati.
,, Ego Domenego da Canal.
,, Ego Marinus Bavario, *vel* Batturo.
,, Ego Florentius Villani, *vel* Viani.
,, Ego Albertus Signolo, *vel* Sumulo.
,, Ego Petrus Francho.
,, Ego Joannes Bubzino.
,, Ego Jo: Gumbaro, *vel* Gabano.
,, Ego Petrus Gambaro.
,, Ego Bonus Navalano.
,, Ego Bonus, filius Pepo.
,, Ego Joannes Saponario.
,, Ego Joannes Secreto.
,, Ego Dominicus Ziani.
,, Ego Petrus de Bonovicino Presbyter & No-
,, tarius vidi in matre, & testificor in filia.
,, Ego Rainerius Delphino Judex examinato-
,, rum vidi in matre, & testificor in filia.
,, Ego

A nemque peccati solita est Divina Clementia audire preces humilium. Talibus autem precibus inclinatus omnipotens, cuidam pauperculo homini de Regno Franciæ, Heremiticam vitam agenti, qui & Petrus Heremita dicebatur inspiravit, ut Dominicum visitaret sepulchrum. Quo visitato, vidit Simeonem Patriarcham, tamquam vile mancipium reputari, cunctosque fideles innumeris angariis pergravari. Et sic fidei zelo accensus pro liberatione Terræ Sanctæ cum literis Patriarchæ destinatus, Papæ, & Principibus Occidentis pervênit, & Urbano Papæ quæ viderat, intimavit.

Pars X.

B PAulò igitur postea Concilium apud Claramontem idem Pontifex celebravit, ubi statutum est, quòd Horæ Beatæ Virginis quotidie dicantur, & ut nulli de Clero aliquam dignitatem Ecclesiasticam de manu Laicorum accipiant, & ne Clerici in duabus Ecclesiis præbendas habeant. Item ut à Clericis Quadragesimalis jejunii observantia à Quinquagesima inchoëtur. Item ut ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ, & à prima die Rogationum usque ad Octavam Pentecostes nuptiæ non celebrentur. Ubi etiam excommunicatur Philippus Rex Francorum, & Conjux ejus, donec C alter recedat ab altero. Guibertus, etiam qui se pro Papa gerebat, & Imperator, & omnes eum defendentes. Deinde fecit sermonem ad Populum, & prædicavit Crucem pro Ultramarino passaggio.

Tunc Hugo Magnus frater Philippi Regis Franciæ, Robertus Comes Flandriæ, Robertus Comes Normandiæ, Gotifredus Eustachii Bolonienfis filius, & Balduinus, & Eustachius ejus fratres, & Boamundus Roberti Guiscardi natus, & ceteri Nobiles, unà cum Petro Heremita, Crucem assumunt, & segregatim propter victualia cum multitudine bellatorum, alii per terram, alii per mare, Constantinopolim pluribus inventis obstaculis tamdem pervenerunt, & cum illis D Adamarus Episcopus Podiensis Legatus ordinatus iter arripuit, exhibitoque homagio Alexio Imperatori, ultra brachium Sancti Georgii transeunt, & Nicæam Urbem obsident, quam denique ad deditionem cogunt. Postea hi cum aliis, qui supervenerant, per diversos tramites Antiochiam profecti sunt, quam obtinentes Boamundo concedunt; & inventâ Christi Lanceâ contra hostes pro vexillo erigunt, & victoriam consecuti sunt Anno MXCV.

Fames diu concepta validissimè ingravatur, & fit annus calamitosus, multis fame laborantibus pauperibus, per furta, & incendia ditiores graviter vexantur. Cum valido ventorum turbine Terræmotus factus est media nocte quarto E Idus Septembris media nocte. Dum hæc agerentur, Dux sui Ducatus Anno XII. ex seculo migravit, & apud S. Marcum in die Nativitatis Domini tumulatur. (*)

,, Ego Michael Bonifatius Presbyter, & Ple-
,, banus Sanctæ Mariæ Jubanico, & Notarius hoc
,, exemplavi, currente Anno Dom. MCCXXIII.
,, mense Octobri, Indictione XII. Rivoalti,
,, nec minui, nec ampliavi, complevi, & ro-
,, boravi.

Præsens privilegium apparet, & est registratum in Cancellaria Ducali in Libro pactorum septimo charta MCCCCXXXI., & in Cancellaria Laureti refirmatum à Domino Christophoro Mauro, XXV. Augusti, MCCCCLXVIII. Indictione prima.

CAPITULUM DECIMUM.

De Ducatu Vitalis Michaëlis I. babens partes XI.

VItalis Michaël Dux statuitur Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo nonagesimo sexto.

Pars I.

QUo creato Veneti Crucem assumentes subsidium in acquisitione Terræ Sanctæ mittere decreverunt, & per Legatos suos Baduarium da Spinale, & Phaledrum Stornato Dalmatinos, ut conferant requirunt. Illi autem fidei zelo, & promissæ fidelitatis, assentiunt.

Pars II.

COngregata itaque concione in Capella Sancti Marci Henricum Contareno Episcopum in suum Rectorem, Joannem verò Michaëlem Ducis genitum in Ducem exercitus elegerunt, & ducentorum ferè navigiorum parato stolo, à Portu secedentes, in Dalmatiam veniunt, & ab eis sumpta fidelitate, ex ipsis secum assumunt, & Rhodum navigant, ubi hyemare coguntur. Suadente igitur Alexio Augusto reditum, Episcopus eos ad perseverantiam animat: aliàs incurrere eos asserit cum hominum infamia iram Dei, illud allegans: *Nemo mittens manum ad aratrum &c.*

Pars III.

OMnibus autem in Domino confortatis, annunciatur, Pisanos contra se cum quinquaginta advenisse galêis, & Imperialia assumpsisse insignia. Mittunt ergo Veneti priùs Legatos, & quiescere monent. Illi Portum sibi vendicare minantur. Itaque mittunt Veneti naves viginti bene munitas, quæ Pisanorum exturbant exercitum, & tamdem superveniente nocte vigintiduæ galêæ vix ex omnibus evasere. Veneti autem, ut Crucem Domini se portare ostenderent animo magìs, quàm humero, quatuor ex eis liberè abire permittunt, triginta viris apud se retentis majoris auctoritatis.

Pars IV.

A Rhodo autem transeuntes ad Urbem Myræ perveniunt; distabat enim Civitas, à Paganis lacerata, sex millibus à mari. Ad quam, præmissa oratione, declinare Episcopus jubet. Fugientibus verò Clericis quatuor tantùm Ecclesiæ custodes retinuerunt. A quibus de Beati Nicolai corpore requirunt, qui se id ignorare temporis antiquitate simulant. Archam tamen fractam muro adhærentem dicentes: Hic Barenses partem Reliquiarum tollentes, partem reliquerunt. *Si vultis, eam tollite.* Archam igi-

(*) *Hoc loco notatur in margine Codicis Ambrosiani:* Alibi est legere, in ultimis annis Vitalis Phaledri adeò validam famem ex terræmotu invaluisse, ut plebs Venetiis passim periret, & vita functo Duce plebem superstitem accessisse ad ejus sepulchrum in æde Marciana, jam cessante fame panes in sepulchrum jacientem, exprobrantemque famem, & cum ut nunc ederet panem, quem famescenti plebi subministrare nequivit.

igitur perquirentes, nihil in ea præter aquam & oleum invenerunt. Frangentes igitur pavimentum, & muros Ecclesiæ perforant, die & nocte sequenti frustra laborant. Unus tamdem Custodum importabili angustiatus tormento pro Antistite mittit, & ait illi: *Sancte Pater, cur me sinè causa affligi permittis. Licèt enim invitus secretum tibi pandam, Græcis quidem lamentabile, Venetis autem memorabile sempiternum. In hac Archa, quam vides, duo sunt Sancti Præsules, Beati Nicolai Prædecessores, vel in Altari Sancti Joannis Baptistæ sinè dubio requiescunt*. Archa igitur antiqua rumpitur, Altare prosternitur, & in Altari tres capsellas & in Archa duos Pontifices cum suis epitaphiis separatim in capsellis cypressinis collocatos reperiunt, quorum alter est Theodorus Martyr, alter Nicolaus Magni Nicolai Patruus, ambo magni meriti, & Ecclesiæ ejusdem Antistites. Has igitur Reliquias ad naves deducunt.

Pars V.

INspirati autem quidam Divinitus in Ecclesia tardantes, & ubi Sancti Nicolai Altare destruxerant, diligentiùs perscrutantes, inconsuetam senserunt odoris fragrantiam, ibique magnæ sanctitatis Reliquias esse reconditas non dubitabant. Compertumque est, quòd in præcipuis Festivitatibus Archiepiscopus non in Altari Sancti Nicolai Missam celebrabat, sed in loco plano supra sanctum corpus tripodem ponebat, ibique divina Mysteria celebrabat. Cernuntque imaginem Beati Nicolai superiùs rectâ lineâ esse depictam, ex quo conjiciunt, corpus ejus ibi fore sepultum. His igitur conjecturis præmonitus exercitus iterum rediit. Prioris ruinæ molem detrahit, & fodendo perveniunt ad massam vitream difficillimam ad frangendum. Post hanc ex bitumine aliam non minori labore frangunt. Tamdem post multos sudores tertiam ad solvendum difficiliorem, aperiunt, quæ cupo Mausoleo & bitumine glomerata ossa sanctissima glutinabat. Qua confracta ad desideratum thesaurum perveniunt. Tunc accedens Episcopus cum devotione sanctissimum corpus in sua cappa collegit. In sepulchro subtus & circa eum virides rami & frondes pullulabant, ex quibus multi particulas colligentes in testimonium veritatis ad propria deportarunt. In sepulchro autem illo Græcis literis scriptum erat: *Hic requiescit Magnus Nicolaus terra, marique mirabilis & gloriosus*. Cùm verò reportarentur cum reverentia sacræ Reliquiæ, Pisani Beati Nicolai amore relaxari petentes, plenæ libertati donati sunt. Mittuntur certi Nuncii Venetias, qui rem gestam nuncient. Fit in Clero, & Populo ingens gaudium, & de eo collocando dissensio oritur.

Interea Christiani Principes captâ Antiochiâ Hierusalem obsident, & denique superant & obtinent. Post octo autem dies Gotifredus eligitur. Tunc magna portio ligni Crucis invenitur. Requisitus igitur à Baronibus, ut Diadema Regni sumeret, nequaquam acquievit gemmeam portare Coronam, ubi Rex Regum spinis fuit coronatus.

(*) *Notatur in margine Codicis Ambrosiani*: Alibi est legere anno MCII. Methamaucensis Insula mari absorpta est, in ea erat Monasterium Sancti Cypriani, quod postea, anno videlicet...... multis probis civibus & patriciis opem præstantibus, translatum est in Murianum, condonante ad hoc fundum suum Petro Gradonico viro Patricio, reservato tamen sibi jure patronatus, Pontifice tunc Pasquali, Abbate verò dicti Monasterii Venerabili Dominico:

A

B

C

D

E

Pars VI.

EXercitus itaque Venetorum ad Terram promissionis profectus, in Portu Jopem, quem jam Christiani acquisiverant, dimisso navigio cum tuta custodia, Sepulchrum Domini nostri Jesu Christi visitavit. Postea deliberato consilio Acharon fortissimum Castrum Paganorum, quod nec Christiani, neque Saracenorum Soldanus obtinere potuit, expugnare disponunt. Capta autem Urbe Franci ad custodiam remanent.

Pars VII.

CAypham deinde, quæ alio nomine Porphyria dicitur, in litore maris sub prima parte montis Carmeli quatuor distantem stadiis, & nono milliario ab Acon conformiter acceperunt.

Pars VIII.

POstea immunitatum obtento privilegio, jam mortuo Gotifredo, Venetias redeunt, & ad Ecclesiam parvam Sancti Nicolai in litore Corpora sancta deportantur. Construitur ibi turris pro loci tutamine. Manet armatorum custodia, donec locus securus ædificetur. Interim Sancti coruscant miraculis. Horum Sanctorum inventio celebratur III. Kalendas Junii. Translatio verò in Venetias VIII. Idus Decembris; in ipso enim Festo Sancti Nicolai classis cum salute pervênit ad Portum tertio Anno ab incœpto itinere agitata. Hanc translationem Græcorum Codices comprobare videntur, negantes Barenses Cives Beatum corpus abstulisse, sicut scribit Joannes Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, & reliqui, qui translationi ab eo dictatæ crediderunt, cùm etiam in re dubia, sicut ipse testatur, sibi pertinenti ejus testimonium respuendum sit. Interea Boamundus ultra Euphratem incautè pergit, & à Turcis capitur. Balduinus autem Urbem in Mesopotamia Militana nuncupatam obtinet.

Pars IX.

POst Gotifredi obitum Balduinus Edessenus Comes subrogatur, & coronam suscepit millesimo centesimo primo. Similiter Ordo Cisterciensium de novo incœpit. Alexius Augustus Joannem Porphyrogenitum sibi æqualem, & postea Successorem constituit.

Pars X.

URbanus Papa apud Placentiam tertium Concilium celebrat; deinde obiit. Pasqualis autem Secundus illi subrogatur.

Hic Dux Religiosis se exhibens favorabilem, Ecclesiam Sancti Cypriani in litore Mathemaucensi in loco nominato Vinea condidit, & Capellæ Ducali immediatè subjectam, Abbati Sancti Benedicti de Padovetulo pro Monasterio construendo concessit, & pro ædificiis, & Fratrum alimentis, bona & possessiones donavit: quod denique Monasterium ex maris impetu dirumpitur. Fratres autem in Murano sub eodem vocabulo de novo Monasterium construunt (*).

Pars

Extabant nuper in Codicibus Abbatiæ dictæ in Mauriano, vel, ut alii dicunt, in quodam lapide, sive monumento sculpti infrascripti versiculi:

Del Patronato quì non ve nascondo
De Sancto Ciprian, cui n'è raxone,
Et de l'Abbate ancor la elettione,
Che 'l tema el mostra chiaro in stratondo,
Che 'l Gradonico Jacomo sia quello
El Cavalier, e descendenti d'ello.

Pars XI.

HOc tempore Colomanus Rex Hungariæ miſit exercitum in Dalmatiam, & occidi fecit Regem Petrum, & per Legatos ſuos cum Venetorum Duce fœdus iniit contra Normannos; & pariter exercitum in Apuliam ad eorum damna mittere ſtatuit. Parata autem claſſe per Venetos, Regius apparatus in Apuliam navigans, Brunduſium, & Monopolim obtinet, & tribus menſibus Apuliam vaſtant, & redeunt.

Ultimo Ducis Anno Comitiſſa Mathildis cum navigio Venetorum, & Ravennatum Ferrariam obſidet, & denique ſuperat.

His itaque geſtis tranſactis à ſuæ intronizationis initio Annis quinque, menſibus IV. Dux præfatus vitæ ceſſit, & in atrio Ducalis Capellæ ſepelitur.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Ducatu Ordelaphi Phaledro habens partes XXIV.

INter hæc Ducis Anno tertio defuncto Petro Badoario Patriarcha, Joannes filius Ordelaphi Phaledro Dux ſublimatur Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo ſecundo.

Hic fuit filius Vitalis Phaledro Ducis, vir eloquentiſſimus, ingenio clarus, conſiliis providus, armis ſtrenuus, ætatis ſatis juvenis, ſed ſenex moribus. Habens uxorem miræ probitatis, (*) ſceptrum obtinens, non ſolùm Reipublicæ geſſit decus, ſed etiam pro eodem multipliciter augendo dies ſuos glorioſiſſimè terminavit.

Pars I.

TUnc Balduinus Rex Hieruſalem peregrinorum adjutus præſidio Arſur, quæ alio nomine Antipatrida ab Antipatro nuncupata, devicit, & Cæſaream Palæſtinæ obſidens, tamdem devicit, & obtinuit. Poſtea cum Saracenis plu-
D ribus peractis bellis, Achon, quæ Ptolomaida vocatur, circumvallavit, illam undique contractis auxiliis oppugnans. Elapſis autem viginti diebus cùm frequentes inſultus diroſque congreſſus intrinſeci ampliùs ferre non poſſent ea conditione Regi oppidum tradunt, ut ſalvis perſonis & rebus liberè abſcederent.

Sanè Boëmundus Dux, qui captus fuerat ab Agarenis, datis obſidibus pro tranſmittenda pecunia liberatur. Invitatus igitur à Balduino Edeſſeno Comite, & Joachino ad obſidendum Urbem Caram perrexit, quo evadente illi à Turchis ſupervenientibus capti fuerunt. Boëmundus deinde, multis aggravatus debitis, in
A Apuliam rediit, ut theſauros, & pugnatores congreget, & ad Philippum Regem Franciæ uſque procedit, accepitque duas filias ipſius, Conſtantiam ſibi, & Tancredo Ciciliam, rediitque in Apuliam cum IV. millibus peregrinorum equitum, & XL. millibus peditum, ut ſubſequenter narrabitur.

Inter hæc Ducis Anno tertio defuncto Petro Badoario Patriarcha, Joannes filius Joannis Gradonico, qui erat Epiſcopus Equilianus à cœtu Cleri, & Populi ad Gradenſem Sedem transfertur, cui juxta ſolitum Dux inveſtitionem contulit anno MCV.

Sequenti anno Dux Tabulam auream gemmis & perlis mirificè Conſtantinopoli fabricatam
B pro uberiori reverentia Beatiſſimi Marci Evangeliſtæ ſuper ejus Altari depoſuit, quæ aliquibus interjectis theſauris aucta uſque in hodiernum exiſtit.

Pars II.

EOdem anno ignis de domo Henrici Zeno cauſaliter emanans, contratas Sanctorum Apoſtolorum, Sancti Caſſiani, Sanctæ Mariæ Matris Domini, Sanctæ Agathæ, Sancti Auguſtini, Sancti Stephani Confeſſoris, quaſi in totum conſumpſit.

Poſt LXIX. dies eadem clades ex Hoſpitio Cavetiani de Gemino ſuborta, Eccleſias, & habitacula Sancti Laurentii, Sancti Severi, Sancti
C Zachariæ, Sancti Proculi, Sanctæ Scholaſticæ, Sanctæ Mariæ Formoſæ, Sancti Baſſi, Sancti Juliani, cum aliquali parte Capellæ & Palatii Ducalis, Sancti Geminiani, Sancti Moyſis, Sanctæ Mariæ Jubenico, Sancti Mauritii, Sancti Angeli, Sancti Paterniani, Sancti Vitalis, Sancti Samuelis, Sancti Gregorii, Sanctæ Agnetis, Sancti Gervaſii, Sancti Barnabæ, Sancti Baſilii, Sancti Raphaëlis, Sancti Nicolai de Dorſoduro, pariter conſumptæ ſunt. Quod licèt incredibile propter ejus extenſionem appareat, verumtamen indagantibus, & materiam conſumptibilem ædificiorum conſiderantibus hæc digna relatu haberi poſſunt.

Pars III.

HIs diebus Mathemaucenſis Civitas ſimiliter maris profligationibus, & incendiis miſerabiliter devaſtata, tamdem in totum ſubmerſa eſt. Ex quibus anguſtiis Venetia, cujus fama jam per Orbem divulgata erat, in intimum conquaſſata eſt.

Pars IV.

POſt hæc Terræmotus immenſus ſuperveniens afflictis afflictionem adjunxit. (**)

Pars

E

(*) *Cod. Amb. addit* nomine Mathildem regiam prolem.

(**) *In Codicis Ambroſiani margine hæc adnotantur:* Extat diploma translationis Epiſcopatus Methamaucenſis in Clugiam, ſub nomine Ordelaphi Faledri Ducis, Judicum, & circiter XVIII. teſtium Conſiliariorum manu Johannis Molini Notarii Ducalis anno MCX. menſe Octobri, in quo ipſe Ordelaphus ſe Protoſpatarium Imperialem appellat: alibi verò leguntur qui ſubſcripſere hoc modo: „ Translationi
„ Epiſcopatus Methamaucenſis ultraſcripti ſunt
„ infraſcripti, videlicet
„ Ego Ordelaphus Phaletro Dudoni Dei gra-
„ tia Dux.
„ Ego Andreas Michael Judex.
„ Ego Dominicus Baduarius Judex.
„ Ego Petrus Baduarius.
„ Ego Stephanus Maramanus.
„ Ego Johannes Maurocenus.
„ Ego Johannes Baduarius.
„ Ego Stephanus Stornado.
„ Ego Dominicus Michael.
„ Ego Urſus Juſtinianus.
„ Ego Petrus Delphinus.
„ Ego Petrus Michael.
„ Ego Dominicus de Canali Judex.
„ Ego Dominicus Zianus.
„ Ego Dominicus Bageſſus.
„ Ego Dominicus Baduarius da Spinal.
„ Ego Blaſius Caſeolus.
„ Ego Lio.
„ Ego Alexander Bragadenus.
„ Ego Petrus Juſtus.

Pars V.

ANno Ducis V. Henricus Henrici Imperatoris filius apertè quos potest à Patre avertit, & sub obtentu meliorandæ Reipublicæ, & restaurandæ Ecclesiæ, in eum insurgit supra Rhenum, & Ducem Bohemorum, & Leopoldum Austriæ promissionibus à Patris amovit auxilio, quibus recedentibus Pater campo cedere compulsus est. Tamdem captus à filio exstitit. Ille verò postea imperavit. Tunc duo orbes in modum Solis forma & lumine, quotidiano Soli similes, apparuerunt, omnium colorum specie radiantes, instar arcus cœlestis. Henricus Genitor captus obiit Leodii.

Henricus autem Imperator V. per literas & Nuncios Pasquali Papæ refutavit omnem Investituram Prælaturarum, & ad eum accedens, à Clero & Populo Romano honorificè recipitur, & usque ad summitatem graduum Ecclesiæ Sancti Petri deducitur, ubi à Papa osculo receptus est, & Imperator designatur. Sed cùm ad Rotam porphyreticam pervenisset, requisitus de juramento, Papam, cum Cardinalibus, & ceteram Curiam captivavit, & Ulrico Patriarchæ Aquilegiensi tradidit. Quidam autem de Clero post Papæ liberationem tres Antipapas successivè constituerunt Albertum, Arnulphum, & Theodoricum, quibus Pasqualis prævaluit. Reformata autem Papæ auctoritate, & Henrico coronato, Papa cum Cardinalibus, & Prælatis cum eo extra muros Civitatis egressus est. In reditu autem tanta multitudo Populi obviavit Summo Pontifici, ut vix ad Lateranense Palatium circa Vesperas potuerit pervenire.

Pars VI.

PAsquali Papæ Guilielmus Primus, defuncto Rogerio Patre, pro Regno Apuliæ juramentum fidelitatis exhibuit.

Pars VII.

SExto itaque Ducis anno Boamundus Antiochenus Princeps, qui in Apuliam Crucesignatos duxerat, ad Venetam peregrinorum, ut asserebat, qui ab Alexio Imperatore injuriam passi fuerant, navibus transvectus per maritimas partes transiens cuncta vastabant, duasque Civitates in Epiro destruens, ad obsidendum Durachium inde processit. Alexius invasionem Imperii sentiens Ducem Venetiarum requirit, ut de opportuno subsidio sibi placeat subvenire. Dux igitur Imperialibus votis annuens, classem innumeram ad defensionem Imperii destinavit. Alexius itaque mari terraque collecto agmine, & Venetorum stolo conjunctus, Boamundo occurrit, misitque nuntios, & in pacis tractatu Boamundus relaxatis Terris retrocedere, Alexius autem Peregrinis transeuntibus se favorabilem exhibere promittunt. Boamundus verò reversus in Apuliam, cùm ad iter ultramarinum omnia præparasset, morte absumptus

A est, relicto ex nova uxore filio parvulo Boamundo. Mortuo inter hæc Henrico Contareno Episcopo Vitalis Michaël subrogatur.

Pars VIII.

SEquenti anno Badoarius Ecclesiæ Sancti Leonis Vicarius, Joannes, & Petrus Badoario Fratres, Deo, & Abbati Sanctæ Mariæ de Caritate Ordinis Cluniacensis Ecclesiam Sanctæ Crucis in Luprio, pro Cœnobio construendo concesserunt.

Pars IX.

B POstea anno octavo Dux devastationi Urbis Mathemaucensis, & Episcopalis Sedis compatiens, requirente Dominico Garchariolo Ecclesiæ Præsule, decrevit, ut eadem Sedes cum corpore Sancti Felicis, & capite Sancti Fortunati, cum thesauro, & omnibus suis honorificentiis in majori Clugia transferretur. Consideret ergo Clericorum cœtus Ducalis Throni auctoritatem, & eminentiam venerandam, absque quibus dignitatum spiritualium electio fieri non potest, & ipsis electis administratio inhibetur, donec investiti à Duce fuerint, & ipsis investitis suarum Ecclesiarum translatio, & immobilium alienatio, sunt prohibita: & sint amodo sua jurisdictione contenti, nec temporalia jura invadere ambitiosè per-
C quirant. (*)

Pars X.

ANno Ducis VI. eadem clade, Prior Sancti Cypriani Ordinis Sancti Benedicti de Pado Vetulo de Mathemauco, cum Ducis parabola pariter & consensu in Muriano se transtulit in fundo illi per Gradonicos oblato.

Abbatissa autem Sancti Leonis ejusdem Ordinis ab Abbate Sancti Hilarii Monasterium Sancti Servuli obtinuit, & pari causa cum suo conventu in eo ad habitandum vênit.

D *Pars XI.*

ANno Ducis octavo Corpus Beatissimi Stephani Protomartyris à Hierusalem sub Constantino Augusto Constantinopolim delatum Venetias transfertur; quia dum elapsis octo (**) annis Petrus Prior Sancti Georgii de Venetia ex jussione Tribuni Abbatis in Constantinopoli cuidam Ecclesiæ ipsi subjectæ præsideret, Divina revelatione scrutari cœpit, qualiter Corpus in Basilica, quam sæpiùs visitabat, repositum posset auferre, & oratione profusa Calogero custodienti cum timore secretum cordis aperuit. Quo denique consentiente ad Altare Sancti procedunt, & Archam lapideam, effusâ odoris
E fragrantiâ, eximio cum labore frangunt, & capsam, in qua corpus jacebat, inveniunt, quam absque onere auferens ad suam deportavit Ecclesiam; nec terrore Græcorum flebiliter murmurantium tantum thesaurum Venetias demandare

(*) *In Codice Ambrosiano hìc additur, præmisso monito, cætera quæ sequuntur non legi in Codice Contareno:* æquum præterea est ædes sacras, earumque bona à laico dominio in Venetiis pendere, primùm ob urbis nobilitatem, quæ novitate originis, magnitudine rerum gestarum, forma Reipublicæ, & insigni augmento, divitiisque sola industria acquisitis, cæteris præstat; deinde cùm eas ipsas ædes extruxerit, dotaveritque; postremò cùm paludes straverit, in quibus ædes constructæ sunt, continuòque moles mari objiciat, solum muniat contra impetum fluviorum, prope semper pugnet, vias sternat, puteos effodiat, rivos purget, atque hæc omnia magna impensa in ipsarum ædium sacrarum beneficium faciat, par esse videtur, ut tutelam etiam ipsarum gerat.

(**) *Cod. Amb.* novem.

dare ausus fuit tunc. Sed pacificato tumultu in quadam navi, multis nobilibus sociata, Venetias redeunte thesaurum oneravit, quod dum in periculo foret, ex voce divinitus emissa navigantibus propalatur apud Maleum. Illi autem corpori reverentiam cum supplicationibus exhibentes à periculo evaserunt. Dum igitur Venetias applicassent, de collocando corpore sedatis discordiis, in Monasterio Sancti Georgii ex generali collaudatione corpus devotissimè collocant, sub cujus vocabulo innumeri Cives Scholam celeberrimam perfecerunt, appellatumque de cetero fuit Monasterium Sanctorum Georgii, & Stephani Martyrum, & pro celebriori devotione perpetuis temporibus augenda decretum extitit, ut Dux invitatus cum insigniis Ducalibus Vesperi, & Missæ Festivitatis ejusdem debeat interesse, & cùm ibi affuerit, Abbas & Monachi honorificentias realiter, & personaliter ei debeant exhibere, quæ tanto Domino, & Patrono convenire videantur; & celebratis Vesperis post reditum regalia Duci mittere non omittant, quæ omnia ex miraculis demonstratis, & Græcorum Codicum assertione vera esse demonstrantur. Cujus Sancti veneranda Translatio VIII. Kalendas Junii devotissimè celebratur.

Pars XII.

INter hæc cùm jam diu inter Venetos, & Paduanos fuisset suborta discordia, nunc cum Trivisanorum, & Ravennatum præsidio secus Sanctum Hilarium Rivoaltinos fines invadunt, quos Dux cum bellicis navibus exiens, in flumine Brenta die IV. Octobris in conflictum posuit, ex quibus quinque centum & septem capti, reliqui verò fuga liberati sunt.

Pars XIII.

NOn multum post hæc Henricus Augustus V. Veronam venit, cui Paduani victi casum indicant, & remedium implorant. Dux tunc requirente Imperatore Legatos suos Vitale Faledro consobrinum suum, Stephanum Mauroceno ejus Capellanum, & Cancellarium, ac Ursium Justiniano mandavit (a): unde factum est, quòd remotis invasionibus, & resarcitis damnis, fœdus denuo inter Venetos, & Paduanos, & alios Italici Regni Imperii subditos, approbatione Imperiali renovatum est; statuitque idem Princeps ne erroris materia valeat de cetero suboriri, ut Venetorum fines (b) à nemine debeant invadi, occupari, vel minorari, & quæ à retro ab annis XXX. possederunt quietè possideant absque aliqua inquietatione; & in eodem fœdere immunitates Venetorum in prælibato Regno largifluè auxit, pro quibus solùm hi nuntii in Calendas mensis Martii annuatim solvere quinquaginta libras Venetorum totidem piperis, & unum pallium Ducis nomine spopondere (c). Ipsisque postea reversis Paduani capti relaxati sunt.

Pars XIV.

SEquenti Anno Dux, sui Prædecessoris exemplo, Terræ Sanctæ compatiens, stolum ferè navigiorum centum destinavit, qui à Balduino Rege alacriter visi, unà cum illo ad obsidendum Sidonem processerunt, & intrinsecos erectis machinis, & aliis ædificiis hostilibus, taliter conterruerunt, quòd in brevi de subsidio non confisi Urbis dominium salvis personis Regi liberè tradidere. Veneti autem zelo fidei vehementiùs accensi pluries Saracenos erga Christicolas molientes in stragem submittunt, quorum Rex opera expertus, Ecclesiam, Rugam, Plateam, pondera, & mensuras, ac merum & mixtum Imperium inter Venetos in Achon residentes, & alias immunitates in Hierosolymitano Regno ipsis concessit.

Pars XV.

INterea Calomanus Ungarorum Rex, multis jam Barbarorum gentibus occupatis, ad majora procedens, Pannoniam hostiliter egressus, omnia Oppida montana Dalmatiæ accepit, & postea Spalatum obsidendo obtinuit, deinde ultra procedens Jadratinam Urbem Regionis eminentiorem obsedit, & intrinsecos machinis, & aliis ædificiis impugnare non distulit. Illi autem promissæ fidelitatis memores Regiis insultibus viriliter resistebant, & meritis etiam Beati Joannis Episcopi Tragurini eis assistentis conservabantur illæsi. Rex verò dum belligerè suum non posse obtinere intentum perpenderet, cogitavit illicitis promissionibus Cives allicere, & sic effectualiter agenti Jadræ dominium Calomano traditum est.

Pars XVI.

HAc igitur occupata reliqui Dalmatini terrore commoti per Nuntios suas Civitates Regis voluntati obtulere, qui apud Jadram Curiam tenens Dalmatinos in suis libertatibus & consuetudinibus conservare promisit, & Spalatinæ Jadrensi, & Arbensi Ecclesiis pro unaquaque

(a) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Alibi est legere Stephanum Mauroceno Consiliarium, & Ursum Justinianum Capellanum, *& infra*: Henricum jussisse terminos lapideos inter Venetos & Patavinos figi.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur*: Extat Privilegium amplum concessum ab Henrico IV. non V. Ordelapho Phaledro, & pactum circa fines Imperii & Venetiarum Urbis, in quo ipsi Venetiarum fines explicati, videlicet litora & Insulæ à Gradu, usque ad Caput-aggeris, idque actum Veronæ, subscriptumque signo Henrici, missique sunt Oratores &c. Populi autem contenti in dicto pacto, qui sub Ducis Imperio continentur, sunt;
Rivoltenses,
Pelestrinenses,
Bebienses,
Muranenses,
Fesulenses,
Cavorlenses,
Clugienses,
Calorexenses,
Brentellenses,
Murorbienses,
Malamochenses,
Torcellenses,
Loretenses,
Altinenses (alibi vacant)
Civitanovenses,
Firexenses,
Gradenses,
Alibi additi Manenses,
Buranenses,
Constarnienses.
Datum sub anno MCX. immo MCXI. Indictione IV. in ordinatione Imperii sui anno V. 12. Kal. Aprilis, *alibi* Kal. Junii.

(c) *Hoc loco notatur in margine Codic. Ambrosiani*: Sub hoc Principe, anno ut puto MCXI. vel MCXII. missi sunt Oratores ad Henricum Johannes Pollanus, Petrus Capellanus Principis, & Orius Justinianus, qui pallium Henrico, ut puto, ex pacto attulerunt.

que Crucem unam contulit, & in Pannoniam rediit, & post pusillum improvisa morte sublatus est: quod divino judicio ex fœdere Venetis abrupto creditur contigisse. Bela igitur in Regno successit.

Pars XVII.

DUx igitur anno X. ad Dalmatiam recuperandam intendens, Patriarcham Constantinopolim cum XIV. galeis Alexio Imperatori Legatum mittit, & Regalem invasionem promissi fœderis oblitam exponi fecit, & subsidium opportunum ab eo sibi exhiberi postulavit, maximè quia opera comprobaverat, sui Imperii Venetos fuisse intimos zelatores. Augustus requisitioni consentiens ad intentum perficiendum dilationem consuluit, & sic Legatus obtento proposito ad Ducem rediit.

Pars XVIII.

VItalis Michaël Castellanus Episcopus cum electis Clericis Reliquias Præcursoris cautè inquirere disposuit in Altare dicti Sancti, ne fortè prolixitate temporis tantarum Reliquiarum subtraheretur memoriæ, vel de eis hæsitaret dubietas. Constat enim, eos à Philippo Hierosolymitano Episcopo, Athanasio Alexandrino Episcopo transmissas literas, teste Hieronymo, ubi postea fuit mirabilis Ecclesia fabricata, ex qua post longa tempora à Venetis circa talia solicitis Venetias delatæ sunt, & in Ecclesia S. Hermacoræ de novo ædificata reconditæ. Clausis igitur Ecclesiæ januis secretum Altaris aperiunt; Vas pretiosum honestè celatum reperiunt, in quo Baptistæ manus cum aliis de corpore Reliquiis, & aliquibus fragmentis lapideæ archæ erant, quam in Sebaste habuerant. Videntibus Populis convenientibus nonnulla miracula patrata sunt, postea cunctis astantibus denuo collocatæ.

Hoc tempore in Lauda, ut ait Sigibertus, natus est puer duo capita habens divisus usque ad renes cum suis brachiis, qui baptizatus triduo vixit.

Millesimo centesimo decimoquarto Urbs Mantuana, quæ XXIV. annis in rebellione Comitissæ Mathildis manserat, subjicitur. Anno Ducis duodecimo Bernardus juvenis egregius scientia, genere, & moribus clarus Castellione Castro Burgundiæ natus cum germanis fratribus, & aliis plus quàm triginta comitibus habitu Cistercii induitur, cùm esset XXII. annorum.

Tunc tantus terræmotus Orientem concussit, & Ciliciam maximè, ut Malmestram, & cuncta fortilitia in circuitu dejiceret, & alicubi etiam ædium nullum remansit vestigium. Homines quoque per agros errantes terra absorberi timebant. In Pago Bachinæ tanta nix cecidit Nono Kalendas Martii, ut etiam sylvas fregerit.

Anno MCXIV. apud Ravennam, & Parmam sanguis pluit in Junio.

In suburbano Antiochiæ Idibus Novembris terræmotus nocte plures turres & adjacentes domos cum habitatoribus absorbuit.

Pars XIX.

ORdelaphus Anno decimotertio in mense Augusti cum magno exercitu navali Dalmatiam aggressus est, & cepit Jadram, excepto Castor, & Belgradum, quas muniit, ne Hungari custodientes Jadræ Castrum subsidium obtinerent, & acceptis obsidibus rediit.

Pars XX.

IN sequenti mense Martii MCXVI. Henricus V. Imperator Venetias accedens in Ducali Palatio hospitatus est, liminaque Beati Marci, & alia Sanctorum loca cum devotione maxima visitat, & Urbis situm ædificiorumque decorem, & Regiminis æquitatem multipliciter commendavit. Curiam etiam suorum Principum tenens pluribus Monasteriis immunitatum Privilegia de suis possessionibus Italici Regni concessit, in quibus Ducalem Provinciam Regnum appellat. (*) Multis igitur à Duce, & Venetis sibi impensis honoribus in suo recessu, contra Hungaros denuo Dalmatiam invadentes auxilium spopondit.

Pars XXI.

DUx autem in proximo mense Madii suo undique collecto exercitu, & Henrici Imperatoris, atque Alexii Constantinopolitani adjutus præsidiis contra Hungaros, qui ad subveniendum Castrum Jadræ redierant, Dalmatiam aggressus est, & in die Sancti Pauli, videlicet secundo Kalendas Julii Dux cum Hungaris campestre bellum peragens, Bannum in fugam vertit, multos nobiles Hungarorum cepit, & victoriam consecutus est, cui custodes Castri Jadræ de subsidio desperati se cum Castro liberè tradiderunt. Ultra Dux procedens inexpugnabile Castrum Sebenici obtinuit, & diruit. Spalatum quoque. & Tragurium per deditionem accepit; & sic Dalmatiæ recuperato dominio, acceptis obsidibus, cum præda captivorum Venetias rediit. (**)

Hoc tempore MCXV. Comitissa Mathildis defuncta est, quæ in Monasterio Sancti Benedicti de Pado Vetulo ab ejus Progenitoribus fabricato sepulta fuit.

Pars XXII.

TUnc Anno MCXVIII. Alexius Imperator vita cessit. Calojani autem filio Imperium remansit.

Pars XXIII.

QUinto decimo Ducis Anno die decima tertia Januarii Indictione decima fuit Terræmotus mitior, alicubi validior, qui ædificia obruit, montes & rupes contrivit; terra etiam aperitur, & aquas sulphureas emittit; & ex hoc combusta est Ecclesia Sancti Hermacoræ cum adjacentiis suis. Manus autem Sancti Joan-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur*: Par privilegium fecerunt, aut id confirmaverunt Imperatores
Lotharius IV. Petro Pollano anno MCXXXVI. Indict. XIII.
Federicus Barbarussa Sebastiano Ziano anno MCLXXVII. XVI. Kal. Septemb.
Enricus VI. Enrico Dandulo anno MCXCIX. Indict. XV.
Otto IV. Petro Ziano anno MCCIX. Indict. XII.
Federicus II. dicto Petro Ziano anno MCCXX. Indict. IX.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Alibi legitur tunc tres Oratores, Vitalis Phaledro Ducis filius, Ursus Justinianus, & Marinus Mauroceno, unà cum Cancellario Venetiæ missi ad Regem inducias cum eo inierunt per quinquennium &c.

Joannis Baptistæ divinitus illæsa ab igne permansit.

Pars XXIV.

DUx quoque finitis annis XV. in Ducatu, contra Hungaros, qui Dalmatiam hostiliter invaserant, cum equitibus & stolo egressus est, pugnamque cum eis iniens, sicut Deo placuit, occisus fuit. Illi verò, qui à bello evaserant, Jadram sub tuitione Ducali protexerunt.

Ducis autem corpus Venetias delatum apud Sanctum Marcum tumulatur. (*)

CAPITULUM DUODECIMUM.

De Ducatu Dominici Michaëlis habens partes XXVI.

DOminicus Michaël Dux creatur Anno Domini MCXVII. Hic vir Catholicus, audax, & dierum plenus, primò Fidei, atque Patriæ æmulos bello contrivit, postea cum omnibus pacem, & tranquillam habere Rempublicam procuravit. Quo anno Balduinus Rex Hierusalem, ut Babyloniorum injurias vindicet, versùs Ægyptum pergit, Pharmiam cepit, & spolia bellatoribus distribuit. Ibi de Nili piscibus comedens, profluvio ventris extinctus est. Incredibilibus auctus victoriis, qui in Civitate, ubi Christus spinis coronatus est, numquam diadema portare consensit, honorificè sepultus sub Calvariæ loco, qui dicitur Golgotha.

Pars I.

TUnc casu Balduinus Comes Edessenus intravit Hierusalem peregrinationis causâ. Sepulto itaque Rege, Prælatis, & Baronibus convenientibus, aliqui dicunt Coronam deberi Eustachio Bononiensi Comiti fratri Regis defuncti; alii asserunt, ante illius adventum posse Regno imminere periculum. Jocelinus autem Dominus Tyberiadis ait: Ecce post hujus rei notitiam quasi celeriter missus advênit consanguineus Regis, probatissimus miles, Edessenus Comes. Huic propinquitas & probitas, sublato moræ dispendio, hunc honorem contulit. Igitur omnium consensu in Resurrectione Domini coronatus est. Tunc Turchomanni Principem, cui obedirent, elegerant Garim, cui jungitur Doldequinus Princeps Damasci, & Debeit Princeps Arabiæ, & Christianis plura mala intulerunt. Rex Antiochiam profectus, facto congressu, auxilio Sanctæ Crucis victoriam habuit contra Turchos, qui tunc Antiochiæ Dominus factus, munitis fortilitiis, Hierusalem regressus est. Tunc anno MCXVIII. Alexius Imperator vitæ cessit Calojoanni autem filio Imperium remansit.

Pars II.

POstea defuncto Pasquali Papâ, Gelasius II. natione Gajetanus subrogatur. Hic fuit Romanæ Ecclesiæ Cancellarius. At Imperator, qui electioni non interfuerat, Hispanum quem-

A dam nomine Burdinum ei superordinavit. Gelasius autem ordinato Concilio Remis Gajetam se transtulit cum Cardinalibus. Inde quoque per mare in Franciam transiens Cluniaci post annum moritur.

Pars III.

CAlixtus igitur II. natione Burgundus ibi concorditer est electus, qui primò, anno celebravit Concilium Tholosæ, ubi damnati sunt, qui Religionis speciem simulantes, Sacramenta damnabant Conjugii, Altaris, & Baptismi.

B Tunc Marcus Juliano Ecclesiam, & Monasterium Sanctæ Mariæ de Caritate vocábulo Venetorum construxit, & cum consensû Papæ Canonicos Regulares ibi residere decrevit: quod per Innocentium Secundum Priori Sanctæ Mariæ in Portu Ravennæ postea conceditur, deinde Alexander III Ecclesiam illam consecravit.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Joanni Priori, & Fratribus Sanctæ Mariæ in Portu salutem, & Apostolicam Benedictionem.

C „ FIlius noster Marcus Julianus Venetus à „ tempore Prædecessoris nostri Papæ Ca- „ lixti vovit Ecclesiam in honorem Beatæ Ma- „ riæ construere, Canonicos ibi Regulares sta- „ tuere, cujus videlicet Magisterium est vobis „ concessum. Verùm ejus vos tardantes vo- „ tum, nondum eam regere cœpistis. Ne igi- „ tur pium ejus evacuetur propositum, man- „ damus vobis, ut si commodum visum fuerit, „ absque dilatione, prædicti loci regimen as- „ sumatis, sicut etiam alios ibidem possitis sub- „ stituere Canonicos, aut liberè refutetis.

„ Datum Pisis X. Kalendas Julii.

Pars IV.

D DUcis igitur Anno tertio die Veneris XV. Decembris emanavit ignis in Ecclesiam Sancti Petri de Castello, cum adjacentibus ædificiis in totum comburens, vacante Ecclesiâ Pastore ex obitu Vitalis Michaëlis paulò antea mortui. Sequenti die Sabbati Bonifacius Faledro fuit Presbyter ordinatus, & die Dominico immediatè sequenti Episcopus electus est. Eodem Anno Ordo Præmonstratensium incœpit, cujus fundator Robertus de Lotharingia genere Nobilis, & divitiis potens exstitit.

Pars V.

E ORdines quoque triplicis Militiæ hoc tempore inchoant, quia Geraldus quidam nomine, qui Hospitali Sancti Joannis in Hierusalem diu serviverat, de licentia Abbatis adjunctis sibi quibusdam, habitum Regularem suscepit, & albam Crucem in pectore consuit, & Fratres Hospitalarii dicti sunt.

Deinde cùm Peregrinos Turchorum latrunculi spoliarent, aliqui devoti milites in manibus Pa-

(*) *Additur in margine Codicis Ambrosiani:* Ex alio Codice: Hic Dux anno sui obitus, videlicet anno Domini MCXVI. quamdam concessionem fecit cuidam Monasterio de Belgrado, quo tempore D. Marcus Michael Comes erat, in quo inter cætera continebatur, „ Ordelaphus Phaledro Dei gratia Dux Veneticorum, Dalmaticorum, & Croaticorum &c. „ Volo quod Ducali & Regali auctoritate concessimus, firmari &c.

Anno MCXVII. Pontius Comes Tripolitanus donavit Beato Marco domum in Tripoli, vocatam Darus sitam prope portum pro anima Raymundi avi sui, ac matris suæ: extat diploma in libro XI. pactorum &c.

Patriarchæ se devoverunt ad viam Peregrinis assecurandam, quos Rex juxta Templum habitare ad tempus concessit, qui habitu albo Crucem rubeam desuper posuerunt, & Templarii vocati sunt.

Postremò Alemannis in multitudine venientibus, cuidam probo viro inspiravit Deus pro eis recipiendis xenodochium construere, clamydemque albam, & nigras Cruces suscepit, & Alemanni vocati sunt.

Calixtus autem Papa Romam iens ubique gratè suscipitur, & Burdinus Peregrinos Romam euntes exspolians in Sutrio obsidetur, & captus in camelo ponitur versa ad tergum facie, & caudam tenens pro fræno, postea in Monachum tonsus est, & in arce trusus.

Pars VI.

QUo tempore ad Papam Calixtum, & Ducem Venetiarum, post calamitatem, quæ Rogerio Principi Antiochiæ contigit, in Orientali Ecclesia continuis Turchorum, & Saracenorum bellis inquietari, Antiochenus, & Hierosolymitarum Patriarchæ, & Balduinus Secundus Rex Hierusalem Legatos misère petentes, ut sicut necessitas exigebat, eis providerent, & auxilia necessaria ferrent. Calixtus etiam per suos nuntios Ducem ad hoc inducit, fideique vexillum ei contradidit (*). Dux igitur Christianis compatiens, concione collecta in Capella Beati Marci, de subsidio exhibendo Venetos exhortatus est. Pari ergo collaudatione Crucem assumunt, & ducentum inter galêas & naves bellicas, & onerarias parari decernitur.

Pars VII.

INterea Calojanni Augusto Dux Legatos mittit, sibique Crusobolium à Patre concessum approbari petiit. Ille omissis paternis vestigiis id facere renuit.

Romæ tunc Synodus celebrata est, ubi omnes ordinationes Burdini irritantur, remotàque controversiâ Investituræ Prælatorum, Papa cum Henrico Imperatore pacem iniit. Doldequinus itaque Princeps Damasci videns occupatum Regem, collecta manu Tyberiadis districtum vastare cœpit; sed advenientem Regem expectare ausus non est. Inde contra Tripolim, quia ei Comes negasset homagium, Rex pergit; sed Baronum interventu pacificati sunt. Deinde quoque Rex Antiochiam properat, quia Balach Admiratus Regis Alapiæ in circuitu sæpiùs equitabat, elatus nimis, quia incautè equitantes Jocelium Comitem Regis, & Galteranum consanguineum ejus de novo comprehenderat. Ad Civitatem igitur Ruges euntem Regem à latere Balach sequitur, & cùm transisset Euphratem cum familiaribus privatis, nil suspicatus adversi, & de nocte equitaret, dormitantibus pluribus, Balach comprehensum Regem ducit ad forte Castrum vocatum Quarta petra, & juxta Jocelinum posuit in catenis. Indignati autem ex his Armeni usque ad quingentos ex melioribus congregantur, & sub habitu, aut Monachorum, aut Fratrum, aut Mercatorum simulantium se injuriarum deferre querelas ad Dominum, occultato sub veste ferro Castrum intrant, & capiunt, carcerem frangunt, rumor fit in circuitu, & à Turchis Castrum undique obsidetur. In tanto tumultu Jocelinus evadit, Rex cum suis, Castrum muniit, sed tamdem contra advenientem Balach tenere non valuit. Ductus deinde in Acharon, stricto carcere ponitur, & catenis. Audiens autem Princeps Ægypti captum Regem, Ascalonem misit terrestrem exercitum, & Joppen LXX. galêas cum aliis multis navigiis. Post Petrum Patriarcham Joannes natione Venetus succedit.

Pars VIII.

DUm hæc agerentur, Venetorum parato stolo, Dux in mense Augusti Ducatus sui anno quinto potenter egressus, Dalmatiam intravit, & ex illis assumptis ad obsidendum Corphù, qui pro Imperatore Constantinopolitano tenebatur, accessit. Sed dum intrinseci diris insultibus continuè urgerentur, nuntius de Syria superveniens stolum, dimissa obsidione, antecedere fecit. De hoc Christiani Terræ Sanctæ præcogniti, congregantur non ampliùs sex millia, computatis parvulis & mulieribus. Turchi verò, qui Ascalonem venerant, sexaginta sex millia computati sunt, ex quibus commisso prœlio septem millia ceciderunt.

Pars IX.

TUnc Dux ad Christianorum subsidium adveniens, prope Jopem Babylonicam Classem septuaginta galêarum, & plurium navigiorum invasit, & in conflictum posuit, occisoque eorum Capitaneo, aquæ & aëris elementa præ nimiò cruore corrupta sunt.

Deinde versùs Zaris navigans decem naves Saracenorum mercationibus oneratas cepit, hominibus interfectis.

Pars X.

POst hæc rogantibus Baronibus, in Ptolemaida, sive Achon, ut Tyrum (**) obsideant taliter conveniunt, ut in omni Civitate, quam caperent, Veneti unam Rugam francham habeant, Ecclesiam, balneum, clibanum, mensuras etiam bladi, vini & olei, quæ omnia libera

(*) *In Codicis Ambrosiani margine hæc adnotantur:* alibi legitur Pontificem misisse ad Venetos vexillum cum imagine divi Petri, in quo Dux Venetorum insignia conjunxit, quod in hostes iturus explicaret. Classis verò, quæ profecta est in Syriam, fuit IV. navium onerariarum prægrandium, in quibus commeatus, maximè arma omnifariam imposita sunt, arsili multi ad deferendos equos & milites; & XL. triremes instructæ: quæ secessit ex Venetiis VIII. Augusti MCXVII.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Alibi reperio quod diffidentibus inter se Christianis Proceribus, utrum Ascalon an Tyrus invadenda post victoriam navalem foret, Princeps Venetus suasit, ut duæ schedulæ, una cum nomine Ascalonis, altera cum nomine Tyri super aram ponantur in pixide, & puero extrahente evenit priùs Tyrus; itaque, veluti consulente ita Deo, Tyrus petita. Erat Tyrus Metropolis Phœniciæ magnitudine & antiquitate insignis, urbs situ & arte munitissima, utpote mari propè undique cincta, muro etiam & antemurali crassissimis altissimisque munita, & à terra, quà adiri poterat triplici muro munita, & fossis profundissimis, atque aqua repletis; itaque eam priùs Balduinus per quatuor menses obsedit, neque obtinere potuit.

Additur infra: Venetos in obsidione Tyri centum millia aureorum cæteris Christianis mutuò dedisse, quo impensam obsidionis ferre possent, & eam non desererent.

A bera sint sicut propria Regis, & insuper annuatim trecentum bysantia in Festo Apostolorum Petri & Pauli de funda Tyri habere debent. Et si Venetus cum Veneto causam habuerit, secundùm ipsorum morem, & justitiam judicabitur. Civitatum etiam Tyri & Ascalonæ, si eas capi contigerit, tertiam partem cum suis pertinentiis regaliter & liberè obtinebunt, sicut Rex alias duas partes; & expensas in defensione ponent pro rata. Hæc in scriptis, sigillis, & juramentis Prælatorum & Baronum confirmata sunt, & additur, quòd liberatus de carcere Rex, aut illius Successor hæc omnia confirmabit; quod si facere recusaverit, pro Rege nequaquam habebitur.

B

Pars XI.

DUx itaque XV. Februarii Anno septimo. de Achon egressus Tyrum obsidet, & Barones pariter in Terra. Obsessa igitur undique Tyro, & diris impugnationibus conquassata, inter obsidentes oritur murmuratio aliquorum dicentium, Venetos cum galêis pericula posse evitare. Dux ob hoc de unaquaque galêa unam tabulam extrahi fecit, cessatoque propterea tumultu, exercitus unanimiter insultus replicat, & auget. Tunc Balach Crysopolim obsidet, cujus Domino ad colloquium vocato caput amputavit: propter quod Jocelinus eum aggressus,
C dirè percutit, caput abscindit, & Antiochiam mittit, ut transmittatur obsidentibus Tyrum. Tunc Civitas die ultimo Junii Christianis datur, & in turribus ponuntur vexilla primò Regis, secundò Venetorum, tertiò Tripolitani Comitis. (a)

Pars XII.

INter hæc Franci & Veneti cum devotione lapidem, super quem Christus extra Civitatem sedit, inquirunt, & inventum cum devotione ad navigia deferunt. De hoc Magister Historiarum sic ait: *Ante Tyrum fuit lapis marmoreus grandis, super quem sedit Jesus*
D *Christus, & mansit illæsus tempore Gentilium, sed postea à Francis, & Venetis mutilatus est. Super ejus autem residuum in honorem Salvatoris Ecclesia constructa fuit.*

Pars XIII.

EX his igitur Prælatorum & Baronum resumptis viribus, certioratus Dux Imperatorem Constantinopolitanum ad damna intendere Venetorum, cum illorum consensu recedens Rhodum applicuit, & ab incolis alimenta petiit, quibus renuentibus Urbem invadit, opes abstulit, & acceptas dividit.

E

Pars XIV.

INde procedens Chium obtinuit, & ex hyeme resedit. Interim Cerbanus Clericus de Venetiis in Chio solicitus de corpore Isidori mirifici Martyris, qui in camino conflagrationem inter cetera tormenta passus est, procuratis sibi quibusdam sociis compatriotis, cryptam post orationem devotissimè intravit, & aperto non sinè labore tumulo, trium Sanctorum Corpora respiciunt, & quartum quasi pueri, scilicet Sanctæ Hilariæ, Sanctæ Afræ, & . . . . . (b) cum filio Martyrum. Deinde locum attentiùs perscrutantes quamdam rimulam inspiciunt, incomparabilem sentientes odoris fragrantiam; & perquirentes Corpus Beati Isidori, cum Epitaphio argenteo simul cum Imagine reperiunt. Cùm illò igitur applicuisset exercitus, & de navi, ubi Reliquiæ servabantur, rumor esset, Duci super hoc querela dilata est, qui majorum & prudentum consilio quod factum est laudat, & decernit, quatenus Venetias è regione Templi Sancti Marci, corpore ipsius interjacente, Sancto Martyri Ecclesia construatur, ibique statuit, (c) lapidem, quem acceperant, locari, ut sicut eodem tempore Venetias deferunt, ita in eodem loco eis debita reverentia impendatur. Reliqua verò Corpora Civibus reddidere, ne abundantiori tristitia absorberentur. (d)

Pars XV.

DUm autem stolus ibi resideret, ipsius pars scandens Samum, Metalinum, Andrum, & alia Imperialia loca capit, & postea spolia distribuit.

Pars XVI.

SUperveniente vere Dux recedit, & Mothonum similiter occupat, & prædam inter suos partitus est.

Pars XVII.

POstea in Dalmatiam veniens, Spalatum, & Tragurium, (e) quos submiserat Hungarica rabies bello, fugatis illis, recuperavit, & sibi solitam fidelitatem exhiberi fecit. Mox Hungari expulsi in Belgradum veniunt, eisque resistentibus, Dux Urbem obtinuit, & vastationi supposuit. (f) Dux in Jadra à Clero & Populo tamquam suus verus Dominus receptus fuit, spoliaque apud Jadram Deo primùm, & pugnatoribus distribuit. Completisque à suo egressu annis duobus, mensibus X. in Junio Venetias feliciter rediit.

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani legitur*: in aliis Codicibus scribitur, tunc omnes Christianos voluisse eligere Regem loco Balduini II. captivi Dominicum Michaelem Ducem Venetorum, & ipsum renuisse, quin omnem operam dedisse, ut liberaretur; itaque è captivitate Soldani liberatus confirmavit privilegia per Patriarcham Venetis concessa, *& alibi* Rhodienses, jussu, ut creditur, Imperatoris Constantinopolitani abnuisse concedere annonam Venetis, itaque Venetos indignatos urbem cepisse, & ingressos spoliasse.

(b) *Cod. Amb.* & rupem Rufini.

(c) *In Codicis Ambrosiani margine hæc adnotantur*: Andreas Dandulus, ut puto, Dux curàvit inchoari ædificari ædiculam junctam ædi D. Marci, in qua poneretur cadaver Isidori, quam Joh. Gradonicus Dux absolvi fecit.

(d) *Ibi etiam notatur*: reliqua Corpora Sanctorum, quæ dimisere, fuere S. Fini, & S. Ruperti.

(e) *In ejusdem MS. margine hæc etiam adnotantur*: alibi Sibenicum etiam ab Ungaris captum, & à Venetis recuperatum reperio; illis urbibus præerant pro Venetis ab Ungaris ejecti, Sico Sebastianus Zianus, Tragurio Johannes Baduarius, Spalato verò Petrus Gradonicus. A cunctis urbibus recuperatis Dux obsides sibi dari voluit, quos Venetias secum abduxit.

(f) *Cod. Amb. addit*: quia Petrum (*aliis* Joannem) Sanutum eorum Comitem ejecerant.

Pars XVIII.

HOc anno mortuo Calixto Papa, Honorius II. natione Bononiensis sedem obtinuit. Hic fuit Episcopus Ostiensis.

Pars XIX.

ET tunc effectus Papa in gratiam recepit Rogerium Comitem Siciliæ. Cognovit enim Papa protestationem Baronum fraudulentam. Dicebant enim, ut Ducatum Apuliæ defenderent à dicto Rogerio, quia se tueri non poterat. Ideo Papa illum, recepto homagio, investivit de Ducatu Apuliæ, & factus in Apulia sicut in Sicilia Dominus, Regis sibi nomen assumpsit. Mortuo Balach Balduinus Rex Hierusalem, promissâ pecuniâ, datisque obsidibus post captivitatem XVIII. mensium liber Antiochiam rediit, & consilio postea Prælatorum, & Baronum, pacta Venetis promissa integraliter approbavit.

Pars XX.

ANno Ducis nono Stolus XIV. galêarum contra Imperatorem Constantinopolitanum, & ad Venetorum tuitionem egressus oppidum Cephaloniæ secus Epirum capit. Tunc quidam exquisitis indiciis Oratorium intrant, terramque fodiunt, ibique Corpus Beati Donati Episcopi & Confessoris cum emissione odoris, tamdem cum Epitaphio inveniunt. Hic Donatus apud Epirum Curiæ Episcopus sub Theodosio viguit, quæ Historia Tripartita, Miletus in Chronica sua, Jacobus de Varagine, & Petrus de Clugia sub Festo Sancti Petri ad vincula testantur, sputo oris sui ingentem draconem interfecisse, filiamque Theodosii à Dæmonio liberasse, & alia miracula divinitus per eum patefacta sunt, ut Græcorum Historiæ latiùs prosequuntur.

Thesaurum autem inventum cum reverentia tollunt, & ad galêas deferunt, & cùm repatriarunt, consilio Prælatorum & Primatum Venetorum, apud Murianum in Ecclesia Sanctæ Mariæ Diœcesis Torcellanæ dignè reponunt, usque in hodiernum miraculis coruscantem.

Pars XXI.

SEquenti anno Henricus Imperator ex morbo dragunculi vita cessit. Lotharius autem Dux Saxonum, qui & Lintherus dictus est, postea imperavit. Cùm enim Legati Apostolicæ Sedis, & Archiepiscopi cum Episcopis, & Optimatibus Imperii, ex condicto convenientes, Moguntiæ eum elegissent, virum sapientem, & industrem, Ecclesiastico juri devotum, auctum victoriis, potentem divitiis, à Federico Coloniense Præsule benedicitur, & inungitur.

Inter hæc Boamundus juvenis factus annorum decem & octo, de Apulia veniens, à Balduino Rege Antiochenum Principatum recepit, & Ailixiam secundam Regis filiam accepit in conjugem. Comiti autem Andegavensi vocato à Rege, & Baronibus, Milisceda Regis primogenita matrimonio copulatur. Deinde Pedonas Princeps Alapiæ Boamundum in planitie quadam Ciliciæ, nil suspicantem adversi, & quiescentem aggressus, trucidavit cum ceteris, qui fugere nequiverunt. Tunc Rex & Barones pro Raimundo filio Guilielmi Comitis Pictaviensis mittunt, ut Boamundi sobolem, & heredem cum Principatu Antiocheno accipiat. Quod munus ille libenter acceptat. Audiens autem hæc Calojannes Constantinopolitanus Imperator, ita exarsit, quòd id absque ejus convenientia factum esset, cùm Princeps ei de homagio teneretur; & contra Antiochiam iens cepit Tarsum, Adene, Malitustram, & Annamazan. Et tamdem obsedit Antiochiam; & cùm fieret Græcorum & Latinorum cædes non sine Turcorum lætitia, prudentum consilio pax taliter reformatur. Quòd Princeps homagium faciat, & Imperator illi juret, ut si posset, Cæsaream Cappadociæ, Alapiam, Hecmam, vincere, eas dabit Antiocheno Principi. Postquam verò in Tarso hyemavit, vocatis Antiochiæ, & Edessæ Principibus, Cæsaream obsedit, & cùm magnum usque ad vesperas fecisset insultum, manentibus duobus Principibus discalciatis, & mollibus indutis in suis locis, accersitos eos Imperator redarguit, & cùm nullam inveniret emendam, cùm prope esset, ut Castrum caperet, magnâ pecuniâ acceptâ versùs Antiochiam rediit, & inde Constantinopolim.

Pars XXII.

HUjus astutiam Venetis odientibus Dux reparans galêas assiduè pro tutela Navigantium mittit, mutuisque offensionibus, aucto jam schismate decretum fuit, ut Veneti qui hucusque nutriverant barbas, de cetero imberbes efficiantur.

Pars XXIII.

TAmdem Augustus ad cor rediens Ducem requirit, ut sibi Legatos mittat pollicens Crysobolium Veneticum plenius solito condonare. Ideoque Dux annuens per suos Nuntios oblata obtinuit, & fœdus reintegratur.

Pars XXIV.

POst hæc Calojannes circa Antiochiam non acceptus, in Cilicia congregavit exercitum; sed dum venenata sagitta petit aprum, manum vulnerat & moritur, & succedit ei filius Emanuel; & Isaach major natu, qui ad sepeliendum duos fratres una die in via defunctos, jussu Patris Constantinopolim rediens, illi subjici coactus est.

Pars XXV.

BElæ igitur Regi Ungariæ Geyza successit.

Pars XXVI.

DUx namque senio confectus, (*) & languore renuntians, Palatium reliquit anno sui Ducatus XIII. qui post paucos dies exspirans in Monasterio Sancti Georgii in sepulchro marmoreo

(*) *In Ambrosiani Codicis margine hæc adnotantur:* Alibi est legere, Dominico Michaele Duce, Curzolam Insulam à Venetis defecisse, Marsiliumque Georgium ex nobili gente inter Venetos natum, se suis armis, suisque sumptibus illam ad officium redire coacturum, si Respublica eam sibi, suisque successoribus de Gente Georgia possidendam, reservato jure superioritatis ipsi Reipublicæ, concederet; quo impetrato in expeditionem exiisse, & captam sibi subjecisse.

Et infra: In libro primo pactorum extat pactum initum inter Venetos, & Johannem Imperatorem, sive confirmatio pacti initi cum Alexio ejus patre anno ab Orbe C. 6234. quod respondet anno Christi 822., quod mendosum deprehenditur, itaque legendum anno ab O. C. 6634. anno nempe à Christi Natali 1127.

reo ponitur, quòd post Wita relicta ejus fieri fecit. (*)

CAPITULUM XIII.

De Ducatu Petri Polano habens partes XIX.

PEtrus Polano Dux laudatur Anno Domini MCXXX. quia generalis concio Ducis, qui renunciaverat, de sufficientiori promovendo consilium exquirens, hunc Ducis generum, senem virtutibus, licèt ætate juvenem, laudatum in Ducem promovit.

Interea Honorius Papa Joannem Patriarcham Gradensem, & similiter (**) Aquilegiensem deposuit, quia Schismaticis fuerant favorabiles. Et hoc anno Papa moritur.

Pars

(*) *In Codice Ambrosiano hoc additur Privilegium:*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

„ HÆ sunt conventiones, quas Balduinus „ Rex Hierusalem Latinorum secundus „ fecit Sancto Marco, & Dominico Mi- „ chaeli, suisque successoribus, & Baronibus „ secundùm prolocutionem literarum, & nun- „ ciorum suorum, antequam captus esset, eis „ destinare, consilio Patriarcharum, & Antisti- „ tum, & Principis Antiocheni, necnon utro- „ rumque Baronum, videlicet Hierosolymorum „ & Antiochenorum, postmodum à Domino Var- „ mundo Hierosolymorum Patriarcha, & Epi- „ scopis ejusdem Patriarchatus secundùm suum „ ordinem concessæ, atque Baronibus sacramen- „ tali manu confirmatæ in Ecclesia Sanctæ Cru- „ cis apud Acon in omnibus Civitatibus, do- „ minioque prædicti Regis, & omnium Baro- „ num suorum. Venetici Ecclesiam, & inte- „ gram rugam, unamque plateam, & balneum, „ necnon & furnum habeant jure hereditatis „ possidenda ab omni exactione libera, sicut sunt „ propria Regis. In ruga verò Hierusalem Ve- „ neti tantum ad proprium habeant, quantum „ ipse Rex solitus est. Quòd si apud Acon fur- „ num, molendinum, aut balneum, stateras, „ sive modios, & duram, ad vinum, oleum, „ vel mel mensurandum in vico suo facere vo- „ luerint, liberè liceat quicunque voluerint in „ omnibus inibi habitantibus absque omni con- „ tradictione precio suo coquere, molere, bal- „ neari, mensurare. Præterea illam ejusdem „ plateæ rugæ Acon partem, quam primus Rex „ Balduinus Beato Marco, & Domino Duci Or., „ suisque successoribus in acquisitione Sydonis „ dedit eidem Evangelistæ Marco, vobisque di- „ cto Michaeli Venetiarum Duci, vestrisque „ successoribus per præsentem paginam confir- „ mamus, rugam dico unum caput in mansio- „ ne Petri Zanni, aliud verò in Sancti Deme- „ trii Monasterio firmantem, & ejusdem rugæ „ aliam partem, unam Machomariam, & duas „ lapideas mansiones habentes, quæ quondam „ Casulæ de cannis esse solebant: vobisque po- „ testatem concedimus tenendi, possidendi, & „ quicquid vobis in perpetuum placuerit facien- „ di; Super ejusdem autem rugæ alia parte à „ domo Bernardæ de novo Castello, quæ quon- „ dam Johannis fuerat Juliani, usque ad do- „ mum Gumberti de Joppen generi Laude, re- „ cto tramite procedente, vobis eandem, quam „ Rex, potestatem penitus damus. Quin etiam „ nullus Veneticorum in tota terra, dominio- „ que Regis, suorumque Baronum nullam da- „ tionem in ingrediendo, aut in dominio Re- „ gis, suorumque Baronum morando, vel egre- „ diendo per ullum ingenium dare debeat, sed „ liberi ubique dominii Regis, suorumque Ba- „ ronum, sicut in ipsa Venetia, sic excepto, „ quando cum navibus exeunt peregrinos por- „ tantes; tunc quippe secundùm Regis consue- „ tudinem tertiam partem ipsi Regi dare de- „ beant. Unde nos omnes Duci Venetorum de „ funda Tyri ex parte Regis de Festo Aposto- „ lorum Petri, & Pauli trecentos unoquoque „ anno byzantios Sarracen. ex debiti conditione „ persolvere debemus. Si verò aliquod placitum „ vel litigationem Veneticus contra Veneticum „ habuerit, in Curia Veneticorum determine- „ tur, vel etiam si aliquis homo versùs Vene- „ tum querelam, vel litigationem habuerit, in „ Curia Veneticorum determinetur, vel diffi- „ niatur. Verùm si Veneticus super quemlibet „ alium hominem, quàm Veneticum clamorem „ fecerit, in Curia Regis emendetur. Insuper „ si Venetus ordinatus, vel inordinatus, quod „ nos sinè lingua dicimus, obierit, res suæ in „ potestatem Venetorum redeant. Si etiam ali- „ quis Veneticorum naufragium passus fuerit, „ de rebus suis nullum patiatur damnum; sed „ si in ipso naufragio mortuus fuerit, heredi- „ bus suis, vel Venetis res suæ remaneant. „ Præterea super Burgenses cujusque gentis, si „ in vicis eorum sint habitantes, & super do- „ mos eorum, easdem justitias, & consuetu- „ dines, quas Rex super suas habet, Veneti „ habeant. Denique duarum Civitatum Tyri, „ & Ascalonis tertiam partem cum suis perti- „ nentiis, & terrarum sibi pertinentium à die „ Sancti Petri Sarracenis tantùm servientium, „ quæ non sunt in manibus Francorum, quas „ Deus sua misericordia per eorum auxilium, „ & laborem, aut aliquod ingenium Christia- „ norum manibus tradiderit, liberè, & regali- „ ter Venetici habeant, sicut Rex alias duas „ & possideant. Verumtamen in defensione ter- „ ræ, secundùm quod tertiæ partis redditus con- „ venienter tollerare poterint, in commune ser- „ vitium Regis defensores habeant. Ego itaque „ Balduinus per Dei gratiam Rex Hierusalem „ Latinorum secundus ad Regnum Hierosoly- „ mitanum de Antiochena terra, ubi diu post „ meam liberationem moram feceram veniens, „ auditis, & visis conventionibus, quas me ab- „ sente Varmundus Hierosolymorum Patriarcha, „ cum Clero & Baronibus, cum Populo Domi- „ nico Michaeli Venet. Duci suisque successo- „ ribus, & Venet. secundùm privilegium ipso- „ rum affirmaverant, quas me confirmaturum „ illi promiserant has quidem supradictas uni- „ versaliter conventiones, secundùm quod pri- „ vilegium hoc continet, concedo, & confir- „ mo, & meæ auctoritatis sigillo observandum „ corroboro, quatenus nostro, nostrorumque he- „ redum, & successorum tempore in perpetuum „ inviolabiliter permaneant.

„ Ego Varmundus Dei gratia Hierosol. Pa- „ triarcha propria manu suprascripta confirmo.

„ Ego Ebremarus Cesanensis Archiepiscopus „ hæc eadem similiter confirmo.

„ Ego Bernardus Nazarenus Archiepiscopus „ similiter confirmo.

„ Ego Asquetinus Bethelemita Episcopus simi- „ liter confirmo.

„ Ego Rogerus Lidensis Episcopus similiter „ confirmo.

„ Ego Enfredus de Torone Episcopus simili- „ ter confirmo.

„ Ego Guido de Milliaco similiter affirmo.

„ Ego Rodulphus de Fontanellis similiter af- „ firmo.

„ Ego Goffridus similiter affirmo.

„ Ego Rainerius de Burgo similiter affirmo.

„ Ego Hugo Ludensis Dominus similiter af- „ firmo.

„ Ego Guibertus de Caifas similiter affirmo.

„ Ego Goldumus Abbas Sanctæ Mariæ Vallis „ Josaphat similiter affirmo.

„ Ego Gerardus Sancti Sepulchri Prior simi- „ liter affirmo.

„ Ego Acchardus Prior Templi Domini simi- „ liter affirmo.

„ Ego Arnardus Prior Montis Syon similiter „ affirmo.

„ Ego Reimundus Procurator Hospitalis Hie- „ rusalem similiter affirmo.

„ Ego Vall. de Bujers Tyberiadis Dominus „ similiter affirmo.

„ Ego Ugo Joppensis Dominus similiter af- „ firmo.

„ Ego Valterius Bribare Benthy Dominus si- „ militer affirmo.

„ Ego Romanus de Podio similiter affirmo.

„ Ego Ugo de Pagano Magister militum Tem- „ pli similiter affirmo.

„ Ego Eustachius Granerius similiter affirmo.

Datum apud Acon per manus Pagani, Regis Hierusalem Cancellarii anno MCXXX. Indict. III. VI. Non. Maji.

(**) *Cod. Amb. addit*: Peregrinum (quod Scriptor Aquilejensis minimè tradit).

Pars I.

EOdem anno in Papatu Innocentius II. natione Romanus Diaconus Cardinalis existens à majori parte eligitur, à minori autem Petrus Leonis per ambitionem ordinatur, & Anacletus vocatur. Hic opes congregaverat, quæ nunc in Populo dispersæ sunt. Sic per fas & nefas plebs venalis armatur, unde & domos Frangepanensium, ubi se Innocentius cum Cardinalibus receperat, aggreditur; sed quia in hoc non profecit, armata manu Ecclesias Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris exspoliat thesauris, gemmis, Calicibus, & aureo Crucifixo, & cùm Calices frangere, Crucifixos aureos dividere Christiani erubescerent, Judæos vocat, qui illa comminuant. Hic thesauro omnibus pæne corruptis Romanis, & Petro apud Sanctum Petrum ob parentelæ potentiam commorante, Innocentius cum Cardinalibus duabus vectus galèis in Franciam transiit, & à Ludovico Rege susceptus est, omnibus Galliæ & Germaniæ Episcopis sibi adhærentibus. Hìc ei occurrit Henricus Rex Angliæ. Hic Remis congregavit primò Concilium, & secundò Pisis. Imperator enim Lotharius expeditionem paravit in Italiam, & cum Episcopis & Archiepiscopis Innocentio occurrit, & Romam deduxit.

Petrum verò Leonis expugnans, cum tota progenie sua exstirpavit, & ab Urbe relegavit, & Innocentium in sua Sede locavit. In hoc reditu Innocentius, pacificatis Januensibus, & Pisanis, attendens, quòd servissent Ecclesiæ, Episcopum Januensem, qui sub Mediolanensi erat, Archiepiscopum fecit; Pisanum verò Primatem Sardiniæ. Et transiens cum Lothario per Apuliam, fugato Rogerio, qui Petro Leonis adhæserat, & Rainone in Apulia Comite constituto, Romam ivit. Hic constituit, ut violentas manus in Clericum injiciens sententiam excommunicationis incurrat, nec possit absolvi, nisi per Romanum Pontificem.

Pars II.

SEcundo Ducis anno Balduinus Rex Hierusalem graviter infirmatus Fulconi genero, & filiæ sceptrum Regni concessit, habitumque sumsit Canonicorum Sancti Sepulchri, sepultus sub Monte Calvariæ in Golgotha. Sequenti anno Hugo Gratianopolitanus Episcopus Brunoni cum quatuor Clericis & duobus Laicis Chartusiæ solitudinem intrantibus heremiticam Regulam tradidit.

Pars III.

HUic defuncto Bonifacio Episcopo, assistente Duce à Clero, & Populo, Joannes Polano subrogatur. Hic Ecclesiam Sancti Danielis (*) Abbati Fructuariensi pro Monasterio noviter fabricando cum terris, & lacu coadhærentibus benignè concessit. Mulier quædam in Hispania monstrum enixa est, quod ab una facie totus homo videbatur, ab alia canis in omnibus membris.

Joannes de Temporibus, qui armiger fuit Caroli Magni postquam vixit CCCLXVII. annis, mortuus est.

Pars IV.

HOc tempore Henricus Dandulo ex Patre Dominico ætate juvenis, moribus, & scientia circumspectus, Patriarcha efficitur. Hic ab Innocentio Papa vocatus Pisas ad Concilium celebrandum accessit, & ab illo Patriarchalis sedis in Grado, & usus Pallii, & delationis Crucis ante se, confirmationem obtinuit.

Hic Ecclesiam Sancti Georgii in Litore Pinetæ Diœcesis Aquilegiensis sibi subditam Fratribus Cistercienses Ordinis concessit: quod Innocentius Papa Danieli constituto Abbati supplicanti benignè confirmavit.

Pars V.

DUx itaque Anno septimo per suos Legatos Joannem Polano ejus fratrem, Petrum Donodei Capellanum, & Aurium Aurio, à Lothario Augusto in viridi Corrigia districtus Parmæ approbationem soliti fœderis obtinuit. (**) Lotharius post subactam Romanæ Ecclesiæ Apuliam, rediens in Patriam suam, Veronæ moritur.

Pars

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Alibi est legere Johannem Pollanum Episcopum donasse pro Monasterio ædificando fundum prope locum, ubi nunc navale vetus cernitur cum aquis, & terris, & loco Molendinorum, ædificatumque tunc Monasterium dicatum D. Danieli à .... Molino, ex illis Molinis, qui habent pro insigni rotam partim albam, partim rubram, idque fuisse Anno Domini 1142.

(**) *Hoc privilegium reperitur in Codice Ambrosiano*: In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c. Lotarius Imperator &c. Cùm Ugerius Abbas Monasterii SS. Hilarii & Benedicti positi in partibus Venetiarum in finibus Rivoaltensibus juxta flumen Unæ, supplicaverit &c. Nos prædecessorum nostrorum Imperatorum à tempore Karoli exemplo, confirmantes confirmamus Colonos omnes in Cerefiana & Pladano, & in finibus illis simul cum Capella in ipso Pladano in honorem B. Petri Apostoli fundata, & decimam de Ceresario & Pladano, & aliorum Colonorum pertinentium ad ipsam Capellam cum vineis, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, paludibus, portis in prædicto Pladano constitutis, cum ripaticis, teloneis, quarantesimis, & cum omnibus ad prædicta loca (pertinentibus). Testificantur quoque Præcepta prædicti Karoli, quòd ipse Abbas eadem loca per commutationem accepisset à Trivisano Episcopo, nomine Landolo, ut infra nos confirmamus &c. cum omnibus olim pertinentiis ad jura ipsorum, ac Xenodochiis B. Petri & Viti Martyris, quod est in Trivisina Civitate, & ex omnibus, quæ ad prædicta loca pertinent, Ceresaria, & Pladano & prænominata Capella cum prædicta decima cum designis, ac prædictis lateribus horum uno latere firmante in flumine currente juxta prænominatam Villam, alio latere in Aurelia, tertio latere in Cornio, quarto verò latere in aquis salsis; hæc omnia cum porta similiter à Burgo, quæ sunt juxta ipsum Monasterium, ipsi Monasterio confirmamus cum terris, vineis, &c. *infra* etiam comprehendimus, sed concedimus ipsi Monasterio Curtem Tresefculo, & aliam, quæ dicitur Aureliato, & Curtem Sanctæ Mariæ, quæ jacet juxta Pedragum in Comitatu Tarvisino cum omnibus appenditiis &c. *& infra*: Jubemus, ut nullus dehinc Patriarcha, Archiepiscopus, aut Tarvisinus, vel alius Episcopus, nullusque Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliqua magna, parvaque persona molestare audeat &c. In calce sigillo nostro insigniri jussimus; *signum tamen non adest, desunt & testes*.

Datum apud Castrum Sancti Bassiani Anno MCXXXVI. Indict. XIII. Regni ejus anno XI. Imperii IV.

Pars VI.

COnradus autem nepos Henrici ex forore, qui ante Lotharium Imperium affectaverat, postea imperavit. Hic electo Lothario restitit, qui postea progeniem Henrici humiliavit. Ideo Conradus cum fratre suo Federico à Papa Honorio excommunicatus est; & nihilominus Conradus à fratre, & quibusdam aliis factus est Rex contra Lotharium, & cum parvo exercitu intravit Italiam, & Mediolani apud Modoëtiam Coronam portavit. Deinde ad partes Romanorum processit, & tamdem rebus consumtis in Patriam rediit, & cum Lothario, relicto ei Regno, composuit. Nunc autem electus est præsente Legato Portuensi Episcopo, & statim Aquisgrani in Sede Caroli à Principibus locatus, ab eodem Legato coronatus est. Saxones tamen, & Dux Bavariæ Henricus in eum tunc non consenserunt; tamdem omnes in gratiam recepti sunt præter Ducem Bavariæ, qui cognominabatur Superbus, qui genere fuerat defuncti Imperatoris, & contumaciter adhuc detinebat insignia Imperialia, idest Crucem, Lanceam, Coronam, gladium, sceptrum, pomum aureum.

Ut scriptura sonat, Crux, ensis, sceptra, Corona,
Lancea, palla, bona nobis insignia donant.

Postremò insignia dedit, & consilio Principum proscriptus, & à suis derelictus vix quatuor militibus comitatus in partes Saxoniæ cessit.

Pars VII.

HUic Duci Anno XI. Consules, & Commune Fani, à Ravennatibus, Pesauriensibus, & Senogalliensibus bello hostiliter aggressi, perpetuam fidelitatem, reditus ponderum, & mensurarum, extraneorum receptiones nunciorum, ad concilia requisitos accedere, & contra Venetorum hostes exercitum mittere, & Beato Marco tributum unius milliarii olei, & Duci libras centum dare in Festo Purificationis spontaneè promiserunt. Dux itaque marino collecto exercitu, in Ecclesia Sancti Marci in concione publica de manibus Patriarchæ triumphale vexillum suscepit, & contra hostes fidelium suorum egressus, victoriam bellando obtinuit.

Pars VIII.

HOc tempore Bonfilius Michaël Vicarius Ecclesiæ Sancti Salvatoris cum suis Clericis habitum Canonicorum Regularium sumentes, Regulam Sancti Augustini professi sunt: quod tam salubriter gestum Innocentius Papa istis supplicantibus approbavit, & sic successivè observari decrevit; & Alexander III. postea ipsam Ecclesiam consecravit.

Vir devotus Petrus Gatileso in ripa Canalis Orphani Ecclesiam, & Hospitale in honorem Sancti Clementis Papæ sub protectione Patriarchæ Gradensis construi fecit, & dotavit.

Pars IX.

QUartodecimo itaque Ducis anno inter Venetos, & Paduanos discordia revixit, quia abjecto fœdere Paduani non procul à Sancto Hilario incisiones in flumine fecerunt. (a) Contra quos Dux turbatus bellicum mittit apparatum; sed dum adversariorum exercitus in quo militum Capitaneus erat Guido de Montagone, peditum verò Albericus de Bragacurta, resisteret, bellum agitur in loco Tumba. Tamdem trecentis quinquaginta ex Nobilibus Paduæ captis, reliquis fugientibus, Veneti victores rediere. Postea coram Duce XII. ex Primatibus Paduæ affirmantibus, in offensionem Venetorum incisiones fluminis non fuisse factas, relaxatis captivis, fœdera renovantur (b).

Pars X.

EOdem anno Processionis Scholarum, antiquitus institutæ, subortum litigium ex petitione Sanctæ Mariæ Formosæ devotæ plebis dicentis, illam rivum, qui Bodefontici (c) nominatur, intrare debere, & processionaliter ad eorum Ecclesiam accedere, hic Dux sic statuendo sopivit. *Sanè Prædecessores nostri viri Religiosi jussere, & Clerus, & Populus, cum devotione decreverunt, ut in unoquoque anno in Purificationis Beatæ Mariæ die, ad honorem Dei, & ipsius Virginis Processio Scholarum fieret, quæ ab ipsis, quorum exercitio optantur, eorumdem cura ipsæ Scholæ eodem die usque ad Ducis Palatium deberent deduci, ibique benedictione accepta, quæ ab eo pro Palatii dignitate datur, deberent deduci ad Sanctum Petrum Castellanum Episcopatum, ibique deberent repræsentari, & cantata Missa ipsa Processio proficisceretur usque ad Ripam Sancti Marci de Brolio, & ibi repræsentari. Episcopus autem Pontificalibus indutus vestibus, unà cum Altaris, ministris, Abbatibus, & aliis Clericis, devotè in laudem Dei, & ejus Genitricis gloriam canendo, Processionem sequi deberent usque ad ipsam ripam. Postea hi Palatium ascendant, & cum Duce, & Nobilibus, & Capellanis processionaliter in Ecclesiam Sancti Marci se dirigant, benedictisque candelis renovetur Processio usque ad ripam, & cum Sclavis usque ad rivum Fontici nuncupatum; & si aqua permiserit, per eumdem rivum ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Formosæ; si autem ex parvitate aquæ id fieri nequiret, usque ad Canalis exitum eadem Processio dirigatur.* Quæ solemnitas hodie in triduo trispartita peragitur.

Hic Dux duos filios habuit, quorum Guido ex collaudatione Populi Auseri factus est Comes, Raynerius autem Arbensium electione, & Ducis approbatione Comes efficitur.

Pars XI.

MOrtuo Fulcone Hierusalem Rege successit ei Balduinus filius ejus cujus tempore Sanguius, cernens Edessam à Jocelino malè munitam, ob-

(a) *Cod. Amb. addit:* ita quòd flumen ipsum in Stagna Venetorum novo alveo influebat.

(b) *Clariùs hæc repetuntur in margine Codicis Ambrosiani:* Veneti Oratores Patavium missi sunt, postulantes, ut fluvii novam derivationem averterent. Patavini superbè responderunt, sibi licere suos fluvios per suos agros, quàcumque libuisset immittere. Veneti indignati conductis equitibus cataphractis, peditibusque, illis præficiunt Guidonem de Monte-Giove, his Albertum de Bragacurta, vel, ut alii scribunt, Petrum Gambacurta, cui exercitui Venetos plurimos Balistarios addidere, qui cum exercitu Patavino pugnavit ad Tombam &c.

(c) *Cod. Amb. legit* qui hodie Forinti.

obsedit, & sicut illa, quæ numquam Infidelitate polluta est Idolatrarum post suam conversionem, à Turchis obsessa, & capta est.

Innocentius solemni celebrato Concilio in Laterano moritur. Huic Cœlestinus II. natione Thuscus successit. Hic Guido primò vocatus Presbyter Cardinalis sub titulo Sancti Marci fuerat.

Pars XII.

POst V. verò menses eo defuncto, Lucius II. natione Bononiensis, Romanæ Ecclesiæ Cancellarius eligitur. Per idem tempus contigit, ut inimicitiæ inter Pisanos, & Venetos in tantum excrescerent, ut nec personis parcerent, sed ablatis rebus alter alterum vulnerabat, nunc perimendo, nunc semivivum relinquendo, cujus dissensionis Lucius Papa mediator exstitit.

Pars XIII.

FInitis itaque mensibus XI. ei Eugenius III. natione Pisanus subrogatur. Hic vocatus Bernardus, Monachus Clarevallis, fuit discipulus Sancti Bernardi, & Abbas Sancti Anastasii, qui electus, ad Farfense Monasterium propter metum Senatorum, qui contra voluntatem Prædecessoris sui electi fuerant à Populo, vocatis Cardinalibus, & Prælatis consecratus est. Hic primò simplex mirabilem gratiam & eloquentiam à Deo accepit. Contra hunc Romani Jordanem Senatorem, & Patricium erigentes, Urbe eum deturbant. Ille verò excusso in litigantes pulvere pedum, eos reliquit, & in Galliam iens Ludovicum Regem Cruce signavit, & celebrato Remis Concilio, ad Urbem rediit, cui Clerus occurrit, & Populus.

Pars XIV.

DUcis igitur anno XVI. Justinopolitanus Populus cum Insulano, qui antiquitus Ducibus fuerant tributarii, nunc fideles effecti, Duci cum stolo XV. galêarum à Ragusio supra mittere unam galêam, & à Ragusio infra pro rata hominum mittere, Venetosque ubilibet immunes habere perpetualiter, promiserunt.

Pars XV.

EOdem anno Urbis Polæ municipes Duci fideles esse, & erga ejus æmulos à Ragusio supra de XV. galêis unam, & ab inde infra pro hominum rata mittere, & Venetos immunes habere, & Duci illuc applicanti obsequiosa servitia exhibere, similiter promiserunt.

Pars XVI.

ILlo autem anno Ursus Baduario Sancti Leonis de sua palude inter Muranum, & Majorbium sita, Joanni Truno de Majorbio pro Hospitali construendo ad honorem Sancti Jacobi pro peregrinorum receptione concessit: quod postea in Monasterio Monialium Cisterciensium conversum est.

Arnadus de Brixia, cujus dicta propter arctam vitam quam tenebat, plurimi decepti sequebantur, dum Romæ delicias & thesauros Clericorum reprehenderet, denique dignus patibulo judicatus est.

A Guilielmus puer in Anglia à Judæis crucifigitur. Conrado Augusto, cunctisque ferè ejus Principibus Sanctus Bernardus signum Crucis imposuit apud Franquefordiam, & socii peregrinationis multiplicati sunt supra numerum. Et mense Madii virtute incomparabili peregrinationem aggressus, transito prosperè freto, consilio Emanuelis Augusti ad expugnandum Iconium inconsultè divertit, consumtisque terræ graminibus, & deficientibus victualibus, cum suis fame afflictus rediit, & persequentibus eum Turchis, multa millia suorum amittit.

Ludovicus Rex Franciæ ab Eugenio Papa Cruce signatus eodem anno per Hungariam profectus, transito Bosphoro occursu Conradi Regis
B exceptus, ab Imperatore Græcorum navibus fuit Hierosolymam evectus. Franci autem post eum per deserta Syriæ, dolo & astutia Græcorum, & assultibus Turcorum, detrimenta passi, & fame cruciati, ita ut nonnulli equorum & asinorum carnibus vescerentur, vix tamdem Seleuciam venerunt, & inde Antiochiam, & Palæstinam navibus petiere.

Obsessa per triduum Damasco à Francis, Germanis, & Hierosolymitanis, anterioribus muris jam captis, qui hortos ambiebant, cùm in brevi Civitas capienda putaretur, dolo Principum Palæstinorum obsidio removetur. Imperator, & Rex Francorum condicto die ad obsidendum Ascalonem, iterum Jopem conveniunt;
C Sed Hierosolymitanis juxta condictum non venientibus, Imperator Constantinopolim navibus evehitur.

Pars XVII.

DUm hæc fierent, Rogerius Rex Siciliæ Emanuelis Imperatoris æmulus, incustoditas fore Imperii partes agnoscens, apud Idrontum collecto exercitu, Corphiensem Insulam cepit, & muniit, procedensque Corinthum, Thebas, Nigropontum, & alia Imperii loca devastavit, & rediit. Emanuel itaque vindictam appetens, parato exercitu per nuntios suos Venetorum subsidia petit, & uberiorem Crusobolium
D solito obtulit.

Pars XVIII.

OB hoc Dux recepto Crusobolio decimo octavo sui Ducatus anno cum potenti stolo usque ad Crapulas pergit, & Venetis in Romania degentibus ut ad exercitum properent, in mandatis dedit. Sed Dux ibi languore oppressus Joanni Polano ejus fratri, & Raynerio filio commisit stolum, & Venetias rediit. Hi navigantes, tamdem Emanueli Corfù obsidenti se obtulerunt. (*)

Pars XIX.

E EO tempore Rogerius Georgium Ducem cum exercitu LX. galêarum de Sicilia mittens, Ludovicum Regem Franciæ à Palæstina navigantem, ac à navibus Græcorum captum eripuit. Hic Constantinopolim pergens in Palatium Regium sagittas igneas injecit, & incensis suburbanis, de fructibus hortorum Regis violenter abstulit. Sed dum segregatim rediret, à Venetis & Græcis galêæ XIX. ejus, ceteris evadentibus, captæ sunt.

Ad

(*) *Cod. Amb. addit*: qui missa classe sua Corcyram versùs, ipse terrestri itinere Butrontum accedens ad obsidionem Corcyræ transiit.

Ad obsidionem igitur cum triumpho redeuntibus Venetis, obsessis, machinis, gattis & scalis primò compositis, duplicantur insultus. Cùmque Veneti ad Castrum obtinendum alios suaderent, bellantes plurimi ex eis defecere; sed tamdem illud Imperatori subjicitur.

Capitanei igitur feliciter redeuntes Ducem, cùm annis XVIII. mensibus IV. Ducatum rexisset, jam mortuum invenerunt, qui in Monasterio Sancti Cypriani de Muriano sepultus in pace quiescit.

CAPITULUM DECIMUMQUARTUM.

De Ducatu Dominici Mauroceno, & actitatis sub illo habens partes XVII.

DOminicus Mauroceno Dux eligitur Anno Domini MCXLVIII. Hic Dux probus & humilis primus fuit expugnator Tyri. His diebus excelsa Turris mirandi operis in tenui Broili solo, vulgariter Campanile Sancti Marci vocitata, condita est usibus Ecclesiæ, & Reipublicæ deputata. In cujus opere Deus Omnipotens meritis sui Evangelistæ non ignobile demonstravit miraculum. Nam vir quidam dum in summitate dicti Campanilis quoddam opus exerceret, subitò cadit improvidus, membratim toto corpore laniandus. In ipso tamen casu suo Sancti Marci non immemor, ejus patrocinium imploravit, qui cadens ex insperato cuidam ligno prominenti subsistit, & dato fune illæsus evadit, & ad opus pristinum consumandum devotus assurgit. Tunc redeuntibus absque omni victoria Conrado Imperatore, & Ludovico Rege Franciæ, Turchi pro nihilo reputant de terra illa exterminare fideles. Norandinus itaque Orientales convocans Turchos, contra Antiochiam properat, cui Raymundus obviat, & temerè securus, multitudinem non metuens, à pluribus trucidatur. Transit exinde Norandinus usque ad mare, cuncta devastans. Tripolitanus postea Comes ab Arsacidis perimitur, relicto filio Raymundo annorum XII. Rogerius Rex Siciliæ rapit insignem Civitatem in Africa, quæ dicitur Africax, Villas Afax, Elopeam, aliaque Castra plura, Regemque Tunixii sibi tributarium facit. Tunc in suo inscripsit gladio:

Apulus, & Calaber, Siculus mihi servit, & Afer.

Ab isto Rogerio Anglicus quidam in Astronomia summus ossa Virgilii sibi concedi impetravit, si invenire posset. Et cùm literas Regis Neapolim detulisset, & sepulchrum in medio montis, ubi nec scissuræ apparebat vestigium, cum libro ad caput, ubi inter cetera erat ars notoria, reperisset, ossium deportationem Neapolitanus prohibuit, quia plura stupenda circa Neapolim operatus fuerat. Locavitque in Castro maris juxta Urbem. Literatus autem ille interrogatus, quid de ossibus intendebat, respondit, se per conjurationem effecturum, quod ad ejus interrogationem ossa Virgilii omnem sibi ipsius artem panderent. (*)

Pars I.

NOn multum postea mortuo Rogerio Rege Guilielmus filius succedit in Regno.

Pars II.

ANno Ducis secundo mense Octobris ignis exivit de Contrata Sanctæ Mariæ Matris Domini, & combussit XIII. Ecclesias cum Ecclesia Sancti Raphaëlis.

Pars III.

QUo anno Dux Henricum Patriarcham discordem sibi reconciliare affectans, Civiumque suorum mentes unire, filiam Rainerii Polano Comitis defuncti Ducis nati, Andreæ Dandulo, nepoti Patriarchæ, matrimonialiter copulavit, & domos suas Ducali jussione vastatas de publico reficere annuit. Quibus ab Eugenio Papa approbatis, Henricus Patriarcha cum suis adhærentibus Venetias rediit, & solita Civium unitas tunc vehementiùs augetur.

Pars IV.

POstea Dux anno tertio galêis quinquaginta bene paratis Dominicum Maurocenum ejus filium, & Marinum Gradonico Capitaneos esse decrevit, illosque contra Polam, & aliquas Urbes Istriæ marinis latrociniis deditas mittens, primò Polam obsederunt. Incolæ autem primis insultibus resistentes, postea fidelitatis promissæ memores humiliter veniam postularunt. Qua obtenta, renovata fidelitate, uberiùs duo milliaria olei pro illuminatione Ecclesiæ Sancti Marci annuatim solvere promiserunt.

Pars V.

CUmque Rubinium postea pergerent, venerunt municipes, & humiliter perpetuæ fidelitatis juramentum, Venetosque immunes habere, & Romanatos V. Operæ Ecclesiæ Sancti Marci singulis annis Ducali nomine Capitaneis solvere promiserunt.

Pars VI.

PArentium autem cùm accessissent, Incolæ obtentâ veniâ, perpetuò fideles esse, Venetosque immunes habere, & hostem mittere à Jadra, & Ancona infra, cùm Dux miserit, & operæ Sancti Marci libras XV. olei, & arietes XX. Duci annuatim solvere polliciti sunt.

Pars VII.

DEhinc Vitali Michaëli Humagum misso Oppidani duos Romanatos singulis annis Duci dare, & reliqua omnia, quæ cæteri Istrienses facere promiserant, & ipsi adimplere contenti sunt. Quibus gestis stolus cum triumpho repatriavit.

Postea ab Æmonia Civibus eadem clade infectis fidelitatis, & solutionis XL. librarum olei Beato Marco annuatim, & exercitus, ut prædicitur, destinandi, cum immunitate Venetorum, promissionem recipiunt. (**)

Pars

(*) *In Codicis Ambrosiani margine hæc adduntur*: In primo libro pactorum extat privilegium Manuelis Imperatoris factum Venetis, in quo confirmat privilegia patris Johannis, & avi Alexii, & eis addit nonnulla anno ab Orbe C. 6656. quod respondet anno à Christi natali 1149. Indict. XI. mensis Octobris.

(**) *Cod. Ambr. addit*: Populus verò Civitatis novæ libras XL. olei Ecclesiæ S. Marci annuatim, & auxilia requisitus semper à Duce classi Venetæ adjungere promiserunt.

Pars VIII.

ANno Ducis quarto quatuor Admirati fratres, qui Hierusalem dicebant se debere jure hereditario possidere, collecto undique exercitu, usque ad montem Oliveti processerunt. Magna fuit trepidatio in Hierusalem propter Baronum absentiam, qui erant Neapoli congregati. Invocato tamen piè Divino auxilio, exiverunt obviam Turchis inepto situ repositis. Illi verò in fugam conversi gladio, & praecipitio usque ad V. millia periere.

Pars IX.

EOdem anno Dominicus Mauroceno Ducis filius, cujus acta Istricus Populus laudare non desinit, Jadrae Comes efficitur.

Millesimo centesimo quinquagesimo primo Castrum Hostiliae primò factum est à Veronensibus.

Pars X.

POst Conradum, qui benedictione caruit Imperiali, Fedricus Primus Dux Sueviae nepos ejus, filius Federici Ducis Suevorum fratris Conradi II. Regis de progenie Carolorum imperavit.

Pars XI.

HOc tempore Anconitani in tantum Duci confoederati sunt, ut Veneti Anconitanos, & contra, mutuis favoribus ubilibet defensarent. (a)

Pars XII.

ILlo anno Eugenius Papa vir sanctus moritur, cui Anastasius IV. natione Romanus successit.

Dum haec agerentur, cùm de Salonensi Spalatum foret translata Metropolis, eamque Tragurium Sebinicum, & plura alia loca Croatiae Hungarica rabies occupasset, Jadra cum Insulanis Urbibus sub Ducali protectione manentibus, gravis inter ipsas Civitates est orta dissensio. Tunc Lampredius Jadrae Episcopus Ducis praesidio ab Anastasio Papa, ut Jadrensis Ecclesia Metropolis, & palliata de cetero foret, privilegium obtinuit, illique Insularum Cathedrales Ecclesias Romanae Ecclesiae obedientes subjecit. Quam Ungarorum invasionem hic Pontifex in privilegio de hoc obtento injustam decernit.

Rege Hierosolymorum Ascalonem obsidente, milites Templi Civitatem se capturos putantes, ingressi trucidantur. Ceteri verò obsessores ante Crucem Domini se prosternunt, divinum implorantes auxilium, quod eis continuò affuit, ita ut Pagani Civitatem traderent, liberè abire permissi.

Pars XIII.

MOrtuo Anastasio, Hadrianus IV. natione Anglicus Papa efficitur. Hic fuit Episcopus Albanensis, & Legatus convertit Norvegienses. Federicum etiam in Imperatorem electum in Ecclesia Sancti Petri coronavit.

Pars XIV.

IMperatori igitur, cùm rediret, Dominicum Mauroceno Jadrae Comitem, & Ducis natum, Vitalem Faledro, atque Joannem Bonaldo, Dux Legatos mittit, & soliti foederis approbationem obtinuit.

Pars XV.

DUx postea pacis fervidus cum Guilielmo Rege ad pacem devênit, Terrasque Venetorum à Ragusio infra, & eos similiter, exceptis illis, quos in favorem Constantinopolitani Imperatoris inveniret, securos reddit, & immunitates plurimas in suo Regno negotiatoribus Venetis indulsit.

Pars XVI.

HIc Dux judicio Judicum, & Populi collaudatione utiliter statuit, quòd nullius testimonium dicentis, aliquem recepisse aliquid super bonis suis, recipiatur, nisi chartam ostenderit, excepto socero, si nurum receperit in domum suam. Item nullius testimonium ad vadimonium comprobandum valeat, nisi infra VIII. dies in Curia praesens dixerit, se in Patria fuisse. Item quòd scrineam, idest res, quae hodie portantur in cofanis alicujus foeminae, non debeat esse majoris pretii librarum quinquaginta Venetorum; & si pluris fuerit, nil ultra exigatur. Item nullius testimonium valeat, nisi vocatus fuerit ab utraque parte, exceptis de fortis, de furto, & vadimonio.

Pars XVII.

HOc tempore Clerus Grausoni Ecclesiam, & Hospitale sub Sanctae Mariae vocabulo in proprio fundo construens, Ordini Cruciferorum illa postea obtulit cum terris & aquis coadhaerentibus bonis havere Grausoni. Ejus heres deinde dotavit. (b)

Anno Domini Millesimo centesimo quinquagesimo quinto Leonardus (c) Cornario obtulit Deo, & Henrico Patriarchae fundum, in quo subsequenter ipse, & ceteri convicini Ecclesiam in honorem Sancti Matthaei Apostoli devotissimè construxere.

Dux itaque cùm ducasset annis VII. mensibus VII. de mense Februario feliciter transmigravit, & apud Sanctam Crucem in sepulchro marmoreo sepelitur. (d)

CA-

(a) *In margine Codicis Ambrosiani haec adnotatur:* Anno MCL. extructa classe VI. Triremium, illis Maurocenus Mauroceno Principis filius praeficitur, qui obviam factus quinque Triremibus Anconitanis, quae pyraticam exercebant, praefecto earum Viscardo, cum eis proelium iniit, & captis omnibus Viscardum praefectum suspendi fecit.

(b) *In Cod. Ambr. haec adduntur:* Anno Domini MCLIV. Papae Hadriani anno primo Henricus Dandulo Patriarcha Ducis hortatu Romam properans approbationem Patriarchalis Sedis in Grado, & jus primatus super Jadratinum Archiepiscopum & ejus suffraganeos sibi traditione Pallii reservata, ab Hadriano obtinuit, ut sicut Populus antiquis temporibus Venetorum Duci obtemperabat, ita Clerus eorum Patriarchae pariter obediret.

(c) *Cod. Ambr.* Bernardus.

(d) *In Codice Ambrosiano additur ejus Epitaphium, quod in aede Sanctae Crucis reperiri adnotatur:* Anno MCLV. mense Februario. Hic jacet Dominicus Mauroceno qu. Dux Venetiae cum Sophia uxore sua Ducissa, qui Dux fuit bonus, &

CAPITULUM DECIMUMQUINTUM.

De Vitale Michaële Secundo Duce, & actis suo tempore occurrentibus, habens partes XXVII.

VItalis Michaël Secundus Dux confirmatur Anno Domini Millesimo centesimo quinquagesimo sexto. Hic à concione more solito laudatus, providè Ducatum rexit.

Pars I.

LIcèt ultra non succedente fortuna dirè fuerit interemptus, qui antiquâ sedatâ discordiâ Pisanos illico sibi amicos & benevolos fecit.

Pars II.

EOdem anno Crucis signum in Luna apparuit.

Pars III.

GUilielmus Rex Siciliæ transfretans in Ægyptum, Tampnes Civitatem diripuit, & revertens stolum Imperatoris Constantinopolitani incurrrit, & licèt quantitate navigii inferior esset Græcorum tamen centum quinquaginta naves superavit, & spoliavit.

Pars IV.

STephanus post Geyzam ejus patrem Hungariæ Regnum tenuit.

Hadrianus Romanam Curiam primò transtulit ad aliam Civitatem, & propter vulnerationem unius Cardinalis usque ad condignam satisfactionem Urbem supposuit Ecclesiastico Interdicto.

Pars V.

HAdriano mortuo, Cardinales divisi duos elegerunt, Rolandum Cancellarium natione Senensem, qui Alexander Tertius dictus est, & Octavianum genere nobili Romanum, qui Victor appellatus, Federicum Augustum favorabilem habuit. Reges autem Franciæ & Angliæ Alexandro adhæserunt.

Imperator itaque cum Antipapa in Italia schisma faciens, post longam obsidionem Mediolanum obtinuit, & (*) destruxit.

Tunc Corpora trium Magorum olim de Perside, deinde miraculosè per Sanctum Eustorgium Mediolanum transvecta, per Rainaldum Coloniensem Archiepiscopum Coloniam nunc transferuntur.

Pars VI.

CUm ergo Ducis anno sexto ipse Clerus & devotus Populus Venetus Alexandro consaverent, Imperator abjecto fœdere variis insultibus eos impugnari jubet. Unde Veronenses cum Ferrariensibus, & Paduanis, obtemperantes ei, Castrum Capitis Ageris proditoriè invaserunt, contra quos Dux exercitum mittit. Illi ex hoc territi cum præda, & captis, relicto Castrò, aufugerunt. Tunc exercitus Hadriam, & Hadrianum invadens, commissis ad vindictam spoliis, postea rediit.

Pars VII.

EOdem concursu Ulricus Aquilegiensis Patriarcha Octaviano confavens, Schismaticus per Alexandrum denuntiatus est. Qui Gradum bello aggrediens, à galêis Venetorum obviam destinatis, cum pluribus Nobilibus Forojulii in die Jovis de Carnisprivio capitur. Multi autem, qui aufugerant usque ad eorum Oppida, à Venetis insecuti, obtentis & vastatis Oppidis, similiter capti sunt.

Pars VIII.

TArvisini eadem clade infecti, qui ut Caprulas caperent, tunc advenerant, Venetorum reditum abhorrentes, cùm fugerent, aquarum semitas nescientes, ex parte necati sunt.

Pars IX.

VIctores itaque Veneti redeuntes, Patriarcham cum septingentis ferè Nobilibus in carcere recludunt, qui denique XII. porcos magnos, & XII. panes unius sextarii annuatim in die Mercurii de Carnisprivio perpetuò Duci in ejus Palatio exhibere promittens, cum captivis liberatus est.

Pars X.

OB hoc reperitur statutum, ut annuatim in die triumphi assistente Duce, & jubente, uni tauro & animalibus antedictis in platea capita amputentur; deinde ut Dux in majori sala procedens coram Populo cum baculis ferratis Castra figuraliter condita dejiciat, ut eorum pœna in animalibus figuraliter designata, & Castro-

---

& prudentissimus, plenus fide & veritate & amator patriæ: iste fuit primus expugnator Tyri; tempore istius capta est Istria & Pola cum quinquaginta Galeis, de quibus erant Capitanei Dominicus Mauroceno filius ejus, & Marinus Gradonico. Iste gloriosus Dux fecit pacem cum Ecclesia, quia ante illum magna discordia fuit inter Pollanum & Henricum Dandulum Patriarcham. Iste Dux nobilissimus fecit pacem cum Rege Siciliæ VVilelmo, ideo quia in magna discordia erant Veneti cum Rege Siciliæ pro Imperatore Manuele. In tempore istius Serenissimi Ducis fuit renovatum . . . . . . à Federico Romanorum Imperatore per Dominum Maur. Legatum, ejusdem Ducis filium, Arbæ Comitem, & Bufalerum atque Bonoaldum, obitus ejus Ducis feliçissimæ mortis Anno MCLV. mens. Februarii, Indict. IV.

(*) *In Cod. Ambr. hæc adduntur*: Mediolanum obtinuit, & quamquam Mediolanenses se dedidissent, pacti salutem suam, urbisque, ac substantiarum, idque Imperator promisisset, tamen non servata fide destruxit, *In margine ejusdem Codicis hæc adnotantur*: Sunt qui scribant Federicum post dirutum Mediolanum cunctas urbes Longobardiæ, & Venetiæ usque ad aquas salsas vastasse; itaque Venetos commiseratione vicinarum urbium motos, comparato exercitu, ingentique vi pecuniarum subministrata sociis, Imperatoris exercitum in Venetia devicisse, urbesque in pristinum statum & libertatem reduxisse, inde Oratoribus suis Florentiam, ad aliosque Italiæ populos missis impetrasse, ut communi ope Mediolanum reficeretur, in qua re primi Veronenses plaustra sua ad id opus misisse, unde postea Mediolanenses Divum Stephanum tutelarem Veronensium juxta suum insigne adhibent, & suburbium unum urbis instauratæ cognomine D. Marci, ob Venetorum in se merita, in hac instauratione appellarunt.

ftrorum Patriarchæ depressio in Castris ligneis exemplariter demonstrata, tanti triumphi posteris memoriam derelinquant. De occisis taliter animalibus Dux postea omnes & singulos de maiori Consilio participes reddat; ut sicut in obtinenda victoria se periculis submisere, ita eâ obtentâ illam sibi sentiant fructuosam.

Alexander Papa videns omne Patrimonium Sancti Petri, & quasi totam Italiam occupari, transit in Galliam, & Turonense Concilium celebravit. Defuncto inter hæc Victore Antipapa apud Lucam, Guido de Crema, qui Paschalis dictus est, à Schismaticis illi substituitur.

Balduino Regi Hierusalem Almericus frater succedit in Regno.

Pars XI.

POst obitum Joannis Polano Episcopi, Vitalis Michael illi Sedi præficitur. Alexandria in honorem Alexandri Papæ hoc tempore ædificata est; rebellantibus Federico omnibus Civitatibus Lombardiæ præter Papiam; & ideo Papiæ Episcopus Cruce & Pallio, quibus antea utebatur, privatus est. Alexandriæ verò Episcopalis titulus concessus fuit, quo satis citò privatur, quia primus ibi Episcopus occisus est.

Anno Ducis decimo Alexander Papa in Italiam rediit, cui occurrit Rex Guilielmus, qui eo anno Guilielmo patri successerat, & Regnum ab eo cognoscit, renovato fidelitatis juramento. Demum Romam iens cum magna processione suscipitur à Romanis.

Pars XII.

HIc eodem anno Anagniæ, interventu Ducis, Ecclesias Sancti Marci Tyrensis, & Acon, & omnia alia bona in Hierosolymitano Regno per quoscumque Operæ Sancti Marci de Venetis olim concessas, Leonardo Fradello nunc ipsius Operæ Procuratori auctoritate Apostolica confirmavit.

Papa etiam Justinopolitanam Urbem, quæ jamdiu Cathedrali Sede privata fuerat, ad supplicationem Ducis Venetiarum, cujus fideles erant, in integrum restituit, & Episcopum eis dedit.

Pars XIII.

HIc Dux Arbensibus indulsit, (*) ut quatuor ex suis Civibus in Comitem eligerent, & sibi electionem præsentarent, de quibus quem sufficientiorem cognoverit, approbabit; & si in hoc concordes non fuerint, ut ex Nobilibus Rivoalti duobus electis unum aptiorem confirmabit; & his non factis, elapsis quinque mensibus, Comitis electio ad Ducem spectet, sicut & confirmatio. Illico Nicolaus Michaël Ducis natus electione Arbensium, & Ducis approbatione, eorum factus est Comes. Hujus rei privilegium Bulla Ducali plumbea com-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani reperitur formula hujus privilegii, quæ sic se habet:* ,, Quotiescumque earum rerum memoria necessariò posteritati transmittitur, vinculo scripturæ innodari oportet, ne processu temporum abusu memoria antiquata aliquid in dubium rediviva contentio revocet, & gignat ex pace litigium. Quapropter Nos quidem Vitalis Michael, Dei gratiâ Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux omnibus nostris fidelibus suæ antiquitatis statum, & quod sic juris esse dignoscitur intemeratè perpetuò servare cupientes, ea, quæ Ven. Dom. Henrici Danduli Gradensis Patriarchæ, nostrorum Judicum & Sapientum consilio inter nos & Nobiles Arbensis civitatis fideles nostros quietè sancita sunt, in scriptis redigere fecimus, ut hujus sanctionis pagina solidam perpetuis temporibus firmitatem obtineat, nostra, & supra memoratorum illustrium virorum subscriptione roborari, nostrique Sigilli impressione muniri decrevimus. Cùm itaque jam dictæ Civitatis Nobiles Viri, Andreas Sacerdos, & Christophorus, & Vitalis Sacerdotes de Bregna, præstantes Judices Lampridius, Juppanus, Albertus Dobrosclavo, Fusius, Stephanus, Berthaldus, Nicolaus Grude di Migna, & ceteri, qui cum eis fuerunt, ad præsentiam nostram venissent, secundùm suæ antiquitatis statum liberam eligendi Comitis electionem instanter requirebant: Nos verò è contrario licèt prorsus ista primò abnuerimus, in potestate nostra esse Comitis electionem, & confirmationem asserentes, præmemorati tamen Venerabilis Patriarchæ, Judicum, & Sapientum communicato consilio, liberam eligendi Comitis facultatem prædictæ Civitatis civibus tamdem tali conditione concessimus, ut ipsi quatuor de concivibus suis nobilioribus personas, sinè exactione aliqua eligere, & nostro debeant conspectui præsentare; Nos verò unum ex his, qui nobis aptior & fidelior visus fuerit, Sapientum, qui tunc religione jusjurandi honoris Veneti astricti erunt, consilio confirmare debeamus. Quòd si fortè inter se dissenserint, & de suis, sicut supra scriptum est, concorditer eligere noluerint, de Venetiis duos, quos voluerint absque exactione liberè eligant, & non de alienis; Nos verò unum ex illis, quem voluerimus, communi consilio confirmabimus, in præsentiarum verò unum, quem voluerint, eligere debeant. Actum est hoc in Palatio Venetiæ, tempore Ducatus Vitalis Michaelis Dei gratia nobilissimi atque gloriosissimi Ducis Anno MCLXVI. Indict. XIV. IV. Kal. Julii. Præfatæ tamen electioni si noluerint, postquam à Nobis præmoniti fuerint, infra V. menses electionem, sicut scriptum est, facere, in potestate nostra electio, sicut confirmatio remaneat, & hoc sinè Dei impedimento.

,, Ego Vitalis Michael Dei gratia Dux manu mea subscripsi.
,, Ego Sebastianus Ziani.
,, Ego Vitalis Dandulo.
,, Ego Petrus Urseolo.
,, Ego Craton Dandulo.
,, Ego Johannes Bembo.
,, Ego Johannes Cornario.
,, Ego Petrus Ziani.
,, Ego Enricus Contareno.
,, Ego Marcus Gausoni.
,, Ego Petrus Rumbalo.
,, Ego Dominicus Celso.
,, Ego Andreas Zeno.
,, Ego . . . . . Zeno.
,, Ego Johannes Contareno.
,, Ego Johannes Navigagioso.
,, Ego Petrus Michael.
,, Ego Stephanus Matriamano.
,, Ego Johannes Dandulo.
,, Ego Leo Falero.
,, Ego Angelus Medius.
,, Ego Michael Citino.
,, Ego Philippus Bonus.
,, Ego Ananius Quirinus.
,, Ego Dominicus Contarenus.
,, Ego Henricus Dandulo Dei gratia Gradensis Patriarcha, & Dalmatiæ Primas.
,, Ego Henricus Bono.
,, Ego Guido Michael.
,, Ego Marcus de Vidone.
,, Ego Angelus Chabriel.
,, Ego L. Magro.
,, Ego Renerius Giane.
,, Ego Henricus Contarenus.
,, Ego Leonardus Sagorninus.

Bulla plumbea habet à fronte sculpta hæc verba: VI. MICHAEL DEI GRAT. VENET. DALM. ATQ. CROAT. DUX. *altrinsecus verò imaginem Ducis genuflexi ante Divum Marcum.*

communitum, apud Arbenses usque in hodiernum diem conservatur illæsum. Quod illorum errorem, qui asserunt, Alexandrum Papam hanc auctoritatem Sebastiano Ziano Duci contulisse, manifestè confundit, cùm hoc principaliter non concesserit, sed monstratas literas Imperatori mittendas, Bulla Ducali plumbea communitas, laudavit, & approbavit.

Ducis Anno decimosecundo dum Imperator Romam obsidet, omnis pæne exercitus ejus peste periit, unde cum paucis in Alemanniam rediit (a).

Pars XIV.

EManuel Imperator Constantinopolitanus suis Nunciis cum Guilielmo Rege pacem composuit, & vinculo juramenti Mariam ejus genitam Regi in uxorem tradere promisit; sed cùm desisteret, schisma inter eos denuo reviviscit. Tunc Emanuel tres Legatos cum tribus galêis mittens, Ducem requirit, ut solitum subsidium pro Imperii tutela mittere velit. Dux autem pacem cum Guilielmo servare cupiens, & maximè intuitu Ecclesiæ, id facere recusavit: quod Emanuel grave ferens, erga Venetos malum in corde concepit. De hoc Dux providens Venetis, ne in Romaniam pergerent, universaliter interdixit.

Pars XV.

EOdem Anno die XV. Decembris ignis exiens de solario Sancti Salvatoris, Ecclesias Sancti Lucæ, Sancti Paterniani, Sancti Benedicti, Sancti Gabrielis, Sancti Samuelis, Sancti Barnabæ, & Sancti Basilii cum pluribus adjacentibus Domibus concremavit (b).

Sequenti Anno Peregrini Hierosolymitani pæne omnes pestilentia periere. Tunc in terra Promissionis, & partibus Orientis, exigentibus peccatis hominum, terræmotus multas Urbes obruit, & innumera populorum millia hians terra glutivit.

Eodem anno in Sicilia multa Castra cum innumerabili populo concussa sunt. Urbs verò Cathania terræmotu subvertitur, Episcopus, & Clerus, Abbas de Mileto, cum Monachis XL. & omnis Populus circiter XV. millia repentina morte periit.

Almericus Rex Hierusalem cum Emanuele certas conventiones tractavit, ut Ægyptios vexarent, & cepit Belbeis. Soldanus verò Norandini implorat auxilium, qui misit continuò Saracenum, qui Soldanum proditione occidit, & consensu Caliphæ factus est Soldanus (c).

Rex interim ab Emanuele receptis centum galêis, & aliis navigiis, obsedit Damiatam; sed in longa obsidione fame, & frigore, & aëris intemperie repulsus est.

Inter hæc Stephanus Rex Ungariæ cum Duce amicitiam fingens, Leonardo ejus nato Comiti Auseris filiam Ducis Edessæ in conjugem tradidit, & Nicolao similiter Ducis nato, & Arbæ Comiti Mariam filiam Ladislai de stirpe Regali in uxorem dedit.

Rex autem, quod in corde conceperat evomens, ad maritima cum exercitu vênit, & immunitatibus Dalmatinos attrahens, Spalatum, Tragurium, & Sebinicum, & plura alia loca demum obtinuit, illosque largisluis privilegiis insignivit.

Pars XVI.

JAdratini igitur subjectionem sui Archiepiscopatus Patriarchæ Gradensi molestam habentes, nunc tertiò rebelles Duci effecti Dominicum Mauroceno defuncti Ducis natum eorum Comitem expulerunt, & Regis vexilla erigentes, se ejus dominio tradiderunt. Dux illico XXX. galêis armatis Jadram properat; quam ab Hungaris munitam inveniens, dum obtinere nequiret, Venetias remeavit.

Pars XVII.

HOc tempore Anconitani Emanuelis obedientes Imperio, Venetos ut sibi æmulos ceperunt habere. Dux ob hoc sex missis galêis illorum V. çepit galêas, ex quibus Jacobus de Molino, & Guizardinus fuerunt suspensi in ligno.

Pars XVIII.

DUx itaque Anno XV. ingentem paratum exercitum cum Dominico Mauroceno Capitaneo denuo Jadram mittit, quos ex Hungarorum præsidio in errore tenaces, appositis scalis, & gattis, diris & variis insultibus idem Capitaneus impugnare non desinit. Hungari ob hoc territi, relictis tentoriis fuga salvati sunt. Cives tunc desolati de solita Venetorum gratia confidentes, Jadrensem Civitatem Capitaneo liberè tradiderunt, qui eamdem muniens ducentum de Nobilibus Jadræ secum assumptis Venetias rediit.

Jadrenses igitur, qui advenerant, jus primatis, super quo Archiepiscopum, Patriarchæ Gradensis concessum profitentes, diruptis muris, & datis obsidibus, obtentâ à Duce veniâ, in Urbe sua restituti sunt, & Dominicus Mauroceno, qui Comes primò, & postea in acquisitione Civitatis Capitaneus fuerat, in Comitatu reintegratus est.

Pars XIX.

EManueli itaque Spalatum, Tragurium, & Ragusium, ac pæne tota Dalmatia subjugatur.

Qui

(a) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Anno MCLXIII. mense Augusto Vitalis Michael concessit Veglæ Comitatum in feudum Bartholomæo & Guidoni filiis Doimii defuncti; sicut & Dominicus Michael, Petrus Pollanus, Dominicus Maurocenus concesserant; quamquam Dandulus horum privilegiorum non meminerit, & ipse eorum pater Doimus tenuerat. Extat privilegium in libro Soc. subscriptum a Duce & multis de Consilio.

(b) *In margine Cod. Amb.* Alibi in Chronicis sic legitur: Vitalis Michael Dux nihil curabat Fridericum ei minantem, fretus amicitia Emanuelis, & Guilielmi Regum, & pro Emanuele stabat, dum Fridericus juraret, & minaretur se Græciam Emanuel ademptRurum. Igitur Fridericus impulit Populos Venetiæ Venetorum loca infestare, contra quos Veneti sæpe invehebantur, & prædam & captivos ex eis adducebant. Quare anno MCLXVIII. Veronenses, Paduani, & Ferrarienses proditoriè ceperunt Castrum Aggeris, captis, deductisque Custodibus Venetis. Veneti comparata Classe Atriam, & Atriatinum capta devastarunt, præda de omni ablata Incolis in captivitatem adductis.

(c) *In margine Codicis Amb. hæc adduntur*: Anno MCLXVII. Indictione XV. Boamundus Princeps Antiochiæ filius q. Raymundi concessit privilegium Venetis anno principatus sui quarto, ut in primo Pactorum ch. 169. & in secundo Pactorum ch. 8.

Qui etiam inter hæc, quod dolosè conceperat exequens, per Nuntios Ducem allicit, ut cum solita securitate, & fructu Venetos ad Terras Imperii mittat; & sic Dux, & Veneti antiquæ caritatis memores, & Nuntiorum verbis confisi, Civibus suis licentiam tribuit, ut cum mercibus suis in Romaniam liberè navigarent. Qui lucri avidi, & Imperii loca propria habitacula reputantes, cum innumerosis navigiis, hominibus, & mercibus oneratis, ad varia loca Græcorum perrexere, & cum eis Sebastianus Ziano, & Aureus Mastro-Petro Ducis Nuntii ad Imperatorem, ut illum favorabiliorem redderent, se dirigunt. Qui primò benignè ab eo recepti, postea de suo doloso proposito informati, ad eum denuo rediere. Qui licèt jam omnibus sibi subjectis pariter præcepisset, ut Venetos cum eorum bonis eadem die detinerent, attamen anathematizando ait, erga eos nil mali cogitasse.

Pars XX.

ANno Ducis decimosexto die decimasecunda Martii Græci exequentes mandatum, Venetos detinent, (*) & navigia, & bona eorum auferunt, & Imperatori mittunt.

Pars XXI.

CUmque hoc Duci, & Venetis inclarescit, timor imminet universis, & sapientium consilio decretum fuit, ut Legati mittantur Imperatori, qui captionis causam exquirant & restitutionem procurent. Superveniunt illico XX. naves Venetorum, qui prævisi in Larimiro, irruptionem illatam evaserant, & quod gestum fuerat, seriosiùs narrant. Tunc Veneti suorum damna pensantes vim vi repellere proponentes, quod statutum fuerat pariter irritarunt.

Pars XXII.

ET postea statuunt, ut centum galêæ, & viginti naves, quæ exercitui necessaria devehant, velociter fabricentur, & omnibus opportunis bellico operi fulciantur, cum quibus ad vindictam tantæ offensæ Dux personaliter accedere debeat; & quòd Leonardus Michaël ejus natus vices ejus in Venetiis teneat. Sed ut quod sancitum fuerat, viriliter exequeretur, Dux absentes Cives per edictum admonuit, ut ante Kalendas mensis Septembris Venetiis interesse deberent. Istricisque, & Dalmatinis Populis præceptum dedit, ut juxta posse eis concessum se taliter præpararent, quòd illuc

A applicante stolo, cum eo pergere invenirentur fulciti.

Pars XXIII.

FAbricatis igitur & paratis in centum diebus centum galêis, & viginti navibus, Dux de mense Septembris cum ipsis egrediens, decem galêas Istriensium, & Dalmatinorum assumpsit, & contra Tragurinos, qui Emanueli subjecti erant, XXX. misit galêas, quæ Urbem belligerè obtinentes, ut posteris cederet ad terrorem, non solùm pro parte eam diruit, sed etiam propriis thesauris exspoliavit.

Pars XXIV.

B DUx autem cum reliqua stoli parte ultra procedens Ragusinos pollicitæ fidelitatis immemores sibi rebelles fore invênit. Erexerant similiter Imperialia vexilla in turribus & muris suis, contemnentes non solùm Ducem, quem sibi ab antiquis temporibus in Dominum elegerant honorare, sed ut sibi æmulo armata manu resistere præsumserunt.

Dux hoc indignè ferens, bellicis instrumentis Urbem impugnari jussit. Veneti autem quod jussum fuerat audacter exequentes continuis insultibus eadem die quasdam turres ascenderunt, & depositis Imperialibus insignibus, Beati Marci Evangelistæ effigiem desuper posuerunt.

C Cùmque altera die ad reiterandos insultus Veneti pararentur, communicato consilio egrediens Tribunus Michaël Archiepiscopus Ragusis, Clerus, & Populus universus, præmissis Crucibus de commissis veniam postularunt. Qua obtenta Dux cum hymnis & laudibus Civitatem intravit, & consuetæ fidelitatis sacramenta renovavit; quamdamque turrim, quæ Imperatori servabatur cum maritimis muris, dirui fecit, & Archiepiscopus, consentientibus Clero & Populo, contentus fuit suam Ecclesiam subjicere Gradensi Patriarchæ, si hoc à Papa poterit obtineri, quibus Dux Raynerium Zane dedit in Comitem.

Pars XXV.

D POstea ex eis secum assumtis iter prosequens Nigropontem pervênit, magistralemque ipsius Insulæ Civitatem, quæ Græcorum exercitu fulcita erat, impugnare cœpit. Ille autem, qui ex Imperatoris jussu exercitui præerat, de Venetorum potentia stupefactus Duci promisit, quòd si ad Imperatorem Legatos mitteret, restitutionem suorum Civium, & bonorum plenariè obtineret. (**) Cui Dux annuens Magistrum Pas-

(*) *In margine Codicis Amb.* Alibi est legere Emanuelis jussu Venetos detentos anno MCLXX. mense Majo in die S. Georgii.

(**) *In margine Codicis Amb.* Alibi Emanuel Classem comparavit, & in Venetos emisit, sed cùm Venetam Classem, & robore, & numero navium superiorem intueretur, pugnam committere noluit, & ad insidias conversus aquas infici veneno jussit &c. sunt qui scribant Principem dum Venetias redit, Urbes, Ragusium vetus, & Sibenicum, quæ Imperatori parebant expugnasse, Sibenicoque Rugerium Zanium (aliis Zenum) dicunt præfuisse.

Proditum est memoriæ cunctam gentem nobilem apud Venetos Justinianam in hac expeditione interiisse, uno tantùm Monacho ex ea gente superstite, itaque Principem Michaelem dolore cladis tantæ gentis, & interitu permotum, suppliciter à Pontifice petiisse, ut liceret illi Monacho Cœnobio relicto uxorem ducere, indeque tam nobilem gentem propagare, cùmque à Pontifice impetrasset, illi filiam suam uxorem tradidisse, indeque omnes qui nunc sunt Justinianos fuisse progenitos.

Hac etiam tempestate tradunt nonnulli multos nobiles Constantinopoli patria sua relicta ob sævitiam Emanuelis Venetias accessisse, & à Venetis, quod nationi suæ in Græcia favorem præstitissent, Civitate, & nobilitate donatos fuisse, & de majori Consilio factos.

Eorum nomina sunt:

E Michael Cottotantus.
Zanachius Massolus.
Joannes Agathe.
Nicolas Mazamanus.
Georgius Agrinalis.
Michael Bonhomo.
Nicolaus Bollonerius.
Petrus Cotantus.
Luchas Colofrini.
Zanachius Rugerius.
Antonius Mastalicius.
Demetrius Rozinus.
Theodorus Mollus.
Michael Stazi.
Demetrius Tolonuchus.
Theodosius Grimanus.
Paulus Tonistus.
Arseni Donatus.
Alexius Costantinus.

Pasqualem Episcopum Equilinum, qui Græcam Linguam noverat, & Manassem Badoario Legatos Imperatori misit.

Pars XXVI.

EXinde postea Dux abiens Chium navigavit, & Urbem cum tota Insula per deditionem accepit, & ibi suorum Nuntiorum reditum expectans hyemare disposuit. Et de pace confidens, suos à læsione Imperii abstinere fecit. Quod Imperator cognoscens, Ducales Nuntios dolosè simulationibus trahebat in longum. Sed illi à Duce admoniti, cùm vellent recedere, de pace fienda ab Imperatore fiduciam susceperunt.

Pars XXVII.

IMperator quidem cum Legatis redeuntibus Nuntium mittit, non ad pacem, sed ad moram, & ut conditionem exercitus integraliter persentiret. Qui fictè Ducem alliciens, illi persuasit, ut secum Legatos Imperatori remitteret; qui pacis avidus eos, quos primò miserat, & Philippum Græco Legatos remisit.

Cùm igitur hæc agerentur, pessima pestis in tantum invaluit, ut paucis interjectis diebus ferè mille homines peremti sint: quod creditur advenisse ex usu aquarum, quas Imperator fecerat venenari.

Dux ob hoc de pace non credulus, acceptis Reliquiis, & aliis thesauris, de Chio recessit, & ad Insulam Sanctæ Panagiæ applicuit, ubi

A eadem clade plurimi mortui sunt. Imperator verò de his, quæ exercitui acciderant, præscius, Ducis Legatos audire renuit, & cum eis suum Nuntium remisit, qui Duci exposuit, quàm grave quod gestum erat, Imperatori fuerat. Tunc prudentum consilio pro obtinenda pace Henricus Dandulo, & Philippus Græco cum illo pariter remittuntur. Postea stolus Methelinum vênit, deinde Staliminum, & denique impellente, vento Schirum, ibique invalescente peste, in luctu Paschalia Festa peregit. Dux autem populares clamores nequiens sustinere Venetias rediit, & Urbem ex mutua conversatione infecit, in tantum ut paucis interjectis diebus infiniti mortui sint.

Unde Veneti ex his afflictionibus ex intrinseco conquassati, prò sua reformatione in Ducis Palatio concionem publicam convocarunt. Tunc

B quidam Ducem de his, quæ acciderant, culpabilem fore asserentes, erga eum insurgunt. (a) Qui dum tanto furori resistere nequiret, de Palatio descendit, & per viam maris versùs Monasterium Sancti Zachariæ pergens, à quodam lethaliter vulneratus fuit, & nihilominus ultra procedens, imminente sibi morte, cuidam Sacerdoti, qui ex Monasterio sibi obvius accedebat, sua peccata confessus est, & illico sui Ducatus Anno decimo septimo, die XXVII. Martii (b) ad Deum transvolavit. Quod cùm divulgatum foret, afflictis afflictio addita est; & Clero, & universo Populo congregatis in prædicta Ecclesia Dux dignè sepelitur. (c)

(a) *Cod. Amb. addit*: accusabant eum inter cetera, quòd impræstita instituisset.
(b) *Cod. Amb.* Maji.
(c) *Cod. Amb. addit*: cum maximis fletibus, & lachrymis.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMUS

CONTINENS CAPITULA IX.

CAPITULUM PRIMUM.

De Sebaftiano Ziano Duce, & actitatis in fuo tempore habens partes XXXIX.

SEbaftianus Ziano Dux eligitur Anno Domini Millefimo centefimo feptuagefimo fecundo die . . . . quia Prædeceffore fepulturæ tradito, cunctus Populus in Ecclefia Sancti Marci pariter congregatus pro evitanda difcordia falutiferum primò decrevit edictum, ut XI. viri virtuofi nominarentur, (*) qui juramenro adftricti illum in Ducem eligerent, quem fapientiorem, & legaliorem cognofcerent, & electum poftea publicarent, & Ducem publicatum fore Ducem abfque alia indagatione ftabilitum eft.

Ab his autem hic vultu humilis, & divitiis copiofus, feptuagenarius jam exiftens, coadunatæ concioni Dux declaratus fuit, qui Deo gratiis exhibitis ad Altare Sancti Marci delatus, de libertate Ecclefiæ confervanda præftitit juramentum, & à Primicerio cum vexillo inveftitionem recepit, & in Palatio poftea intronizatus eft.

Pars I.

HIc Rempublicam multis anguftiis irretitam reintegrare cupiens Prædecefforis homicidam latentem, & denique inventum per fententiam Judicum, qui hodie de proprio appellantur, fufpendi fecit, & fchifmata ex his, quæ occurrerant inter Cives exorta reconciliavit.

Pars II.

SImiliter cùm Fifci Camera ex frequentatione guerrarum tenues proventus, & magnos exitus habuiffet, nec creditoribus, qui mutuaverant, & expenfis occurrentibus fubvenire valeret, ob hoc Dux Sapientum confilio falubriter

A ftatuit, ut impræftita hinc retro facta in cuftodia Procuratoris Sancti Marci fequeftrata manerent, donec Refpublica in melius profecta creditoribus fatisfacere poterit, ut tenetur.

Inter hæc Emanuel Agnetem filiam Ludovici Regis Franciæ filio fuo Alexio accepit conjugem; & Almericus Rex Hierufalem ad illum fe tranftulit, & muneribus ac promiffionibus honoratus eft.

Pars III.

POft Stephanum Hungariæ Regem Ladislaus Dux ufurpavit Regnum fex menfes; poftea frater ejus recuperavit Regnum menfibus V. &

B plures Nobiles occiduntur. Poftea de Regno pellitur. Deinde regnavit Bela frater. Stephani Græcus, quem Geyza, & Gregor apud Imperatorem diu tenuerunt.

Pars IV.

EManuel itaque erga Venetos furore accenfus fe eos ad nihilum redacturum adjurans, in Legatis, dum ea, quæ pacis erant, requirerent, injuriosè prorupit. Cui Henricus Dandulo pro falute Patriæ conftanter refiftens, vifu aliqualiter obtenebratus eft. Qui illatam injuriam fub diffimulatione fecretam tenens unà cum focio Venetias redeunt.

C

Pars V.

CEterùm Venetis de confequenda pace data fpe, Dux denuo Vitalem Dandulo, Manaffem Baduario, & Vitalem Faledro Legatos Imperatori mittit, qui cùm ab illo in longum producerentur, Duci infinuant. Dux ob hoc Henricum Dandulo, & Joannem Baduario Guilielmo Siciliæ Regi pro unione contra Imperatorem componenda Ambafciatores delegat. Qui dum irent,

---

(*) *In margine Codicis Ambrofiani*. Alii tradunt confilium minùs decreviffe, ut XI. eligerentur, quibus maxima poteftas eft attributa in hujufcemodi electione iique annui facti, his data libertas puniendi capitali pœna eum, qui Principem læfiffet tunc etiam inftitutum, fed nefcio ab ipfis XI. ne, an à confilio, ut Princeps domo exiturus à nobilibus, & populo comitaretur.

Sunt qui fcribant Duce Sebaftiano Ziano tres prægrandes columnas, quarum duæ nunc in Foro Marciano erectæ fpectantur, ex Conftantinopoli Venetias tribus magnis navibus, vel . . . . . . devehectas fuiffe, & cùm diu duæ ex eis, nam tertia in Canali ante Forum cecidit, jacerent, demum opera artificis cujufdam ex Cifalpina Gallia ad hoc Venetias profecti, erectas. Addunt huic Artifici cognomen fuiffe Baratteriorum, idque actum MCLXXXI. vel MCLXXXIV., quod fi concederem, non Sebaftiano Ziano Duce id factum fuiffet, utpote quòd ad eum annum non pervenit. Scribunt etiam hunc Artificem primum pontem Rivaltinum conftruxiffe. Eundem excogitaffe arcas ligneas ductiles, quibus furfum, & deorfum ductis, calx arena lapides ipfi denique fabri . . . . . . Turre Marcianæ, qua per fe inftaurari neceffe erat admoveretur, cùm ante hunc mira difficultate ipfa Turris concinnari poffet, demum fub ipfo multos difcipulos architecturæ, & mechanices peritos evafiffe. Eundem impetraffe . . . . liceret impunè aleatoribus inter columnas illas ludere, tradunt

D eumdem Venetiis honefto falario ftipendiatum confenuiffe.

Hunc tradunt ad erigendas columnas ufum ergatis, & capreis robuftiffimis, aliifque machinis in terra fixis, inde funes recentes ergatis circumvolviffe, & capreis admodum madefactos fæpiùfque mutatos.

Sunt qui tradant hoc Duce primùm creatos confiliarios, qui Ducem circumftant, vel decretum fuiffe vacante Ducatu.

XI. viri, qui elegerunt Sebaftianum Zianum in Principem.

Vitalis Dandulus.
Enricus Navigajufus, alibi ex Chronicis Marthæi Bebii.
Philippus Grettus.
E Aureus Maftropetrus.
Manaffe Baduarius.
Candianus Sanutus.
Vitalis Faletro.
Leonardus Michael Comes.
Rainerius Zane.
Dominicus Maurocenus.
Enricus Polanus.

A irent, Legatos redeuntes cum Nuntiis Imperatoris in Sclavonia obvios habuere, & de pace confisi cum illis redeunt. Horum autem Legatorum commissiones Bulla Ducali plumbea communitas vidi, & legi: quod opinionem afferentium, Alexandrum Papam, cùm Venetiis foret, Duci primò hanc retribuisse, auctoritatem excludit.

Nuntii itaque, qui ab Emanuele missi fuerant, non firmata pace, sed de firmanda Duci spe data, cum Vitale Dandulo, & Henrico Navigajoso redeunt, & cùm nihil ab Imperatore nisi moram obtinerent, mortuo ibi Vitale Dandulo, alter cum duobus Imperialibus Nuntiis ad Ducem vênit.

B *Pars VI.*

FEdericus inter hæc Christianum Archiepiscopum Maguntinum ad Italiam mittit, & Urbes plurimas, aliquas vi, & alias per deditionem accepit. Tunc ille contra Anconitanos Ducis subsidium postulavit. Dux autem non ad requirentis favorem, sed ad Anconitanorum excidium, quos ut Emanuelis fautores jam diu exosos habuerat, sui Ducatus anno secundo stolum bellicum mittens cum militia Imperiali Anconam obsident. (*) Cùmque ex longa obsidione, & virilibus impugnationibus Urbs ad deditionem coartata crederetur, superveniunt Comitissa de Bertenoro, & Guilielmus de Marche-
C sella de Ferraria, & improvisis obsidentibus, obsessos gentibus & victualibus muniunt. Veneti denique aëris intemperiem sustinere nequeuntes redeunt.

Pars VII.

NUnc tertiò Federicus ad Italiam rediens, suâ potentiâ multas Civitates, quæ rebellaverant, ad fidelitatem reduxit, & Romam ivit, & Archiepiscopi Maguntini suasione Ducem, ut Legatum sibi mittat, requirit. Quo misso idem remissis offensionibus firmavit pacem vinculo juramenti cum Duce, & Successoribus ejus in perpetuum Anno Ducis tertio.

D *Pars VIII.*

HIc Dux ad reprimendum infrascriptorum hominum malitiam, Officiales, quos Justitiarios appellavit, de novo laudante concione constituit, videlicet venditorum vini, bladi, fructuum, Pistorum, Tabernariorum, Bechariorum, Ternariorum, Gallinariorum, & Piscatorum, & hos æquis sanctionibus regulavit.

Ab hoc officio successivè auctâ Republicâ infrascripta officia originem habuerunt. Videlicet ipsi Justitiarii veteres, Justitiarii novi, Officiales Frumenti, Datiarii vini, Vicedomini Ternariæ, & Officiales Becharia, & post hæc Provisores bladi.

E *Pars IX.*

HIs diebus Beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus pro tuenda libertate Ecclesiæ à ministris Regis Angliæ IV. Kalendas Januarii in Ecclesia occisus est. Rex autem misit solemnes nuntios ad Alexandrum Papam, qui jurantes in animam ipsius de morte Archiepiscopi eum excusarent. Tunc Papa misit duos Cardinales ad partes Angliæ, ut de ejus innocentia inquirerent, coram quibus Rex juravit, quòd hoc numquam de consensu vel jussu suo factum fuerat, sed quia occasione mutuæ turbationis hæc acciderant. Mox obtulit ducentum milites ultra Mare per annum, & illuc in triennium personaliter se iturum: quod ex morte superveniente nequiens adimplere, filius postea adimplevit.

Pars X.

INterea Norandinus Rex Turchorum moritur, & Saladinus ex fratre nepos genere Turchus, plus consilio, quàm armis strenuus occupat Regnum, omnem Regiam stirpem extinguit, Regnum Syriæ & Ægypti sub una redigit potestate. Hic enim Caliphæ Ægypti sæpiùs accusatus, temeritate timorem excludit; simulans se ire ad orationem clava occidit, jussitque Baldacensem tantum esse Calipham. Postea puero Salech filio Norandini defuncti in Alepia Regnum abstulit Damascenum. Mortuo postea prædicto puero cum patruo ejus Tataberino Insussula jure hereditario obveniret, eam Saladinus occupat, Edessamque, & Charam, Hamam quoque obtinuit, & Maumeth Emissenam dictam Camelem, & Cæsaream magnam.

Pars XI.

HOc tempore Almericus Rex Hierusalem moritur ex dysenteria, cui successit Balduinus filius, qui licèt permittente Deo leprosus fuerit effectus, Regnum tamen strenuè defensavit.

Pars XII.

GUido igitur de Crema Antipapa, qui Paschalis appellatus erat moritur, cui per Schismaticos Joannes Abbas de Struma, qui Callixtus nominatus est, subrogatur.

Ignis hoc tempore manans ædificia Paduanæ Urbis consumsit, & multos Cives nobiles morti tradidit. (**)

Pars XIII.

DUm itaque Nuntii Emanuelis, qui ad Ducem venerant, sæpiùs quæsitam pacem effectui non mandarent, Dux Aureum Mastropetro, & Aureum Dauro pro unione exequenda Guilielmo Regi Siciliæ Legatos mittit. Tunc Imperiales Nuntii stupefacti Ducem ut remittat Legatos hortati sunt. Ille annuens Leonardum Michaëlem Comitem Auxeri, & Marinum Michaëlem, atque Philippum Græco Ambasciatores suos delegat; & hi cum Apocrysariis Emanuelis imperfecto tractatu redeunt.

Pars

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Sunt qui scribant Anconitanos tunc temporis maris Hadriatici custodiendi onus & dignitatem habuisse, & ab eis ad Venetos tunc temporis hanc dignitatem translatam, hujusque rei publica monumenta extare tradunt; cujus tamen Principis diplomata ea sint, ne Anconitani id oneris & honoris Venetis tradant.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani:* MCLXXIV. die quarta mensis Martii ortum est incendium Patavii, unde combustæ sunt domus MMDCXIV. quæ tunc temporis non tegulis, sed scandulis, & paleis tectæ erant, itaque versus tunc celebrati de eo incendio ad posterorum memoriam transmissi sunt, videlicet:

Marthia ploravit, Paduam cùm flamma voravit
Urbis majores tres partes & meliores;
Sexcentæ verò domus mille bis cecidere
Bis septem pone tot collige cum ratione.
Annis millenis centenis septuagenis
Nec non & quarto, Nonas Martis quoque quarto.

A

Pars XIV.

REx Guilielmus Ducis Nuntios alacriter videns, fœdus cum eis usque ad viginti annos, & plus, si de partium consensu processerit, composuit; & Venetis in Regno negotiantibus immunitates contulit. Et hæc nuntii redeuntes Duci referunt. Et tunc omnium collaudatione Nuntii Emanuelis juxta solitum dilationes exquirentes licentiati sunt.

Pars XV.

DUx, inter Venetos, & Anconitanos successivè invalescente discordia, cum Consulibus, & Communi Arimini pacta componens, viam Maris taliter illis undique clausit, quòd inde exire penitus formidabant, Callixto Antipapa moriente, Lando quidam nomine, qui Innocentius vocatus est, subrogatur.

B

Pars XVI.

BAlduinus Rex Hierusalem cum equitibus trecentum septuaginta quinque circa partes Ascalonæ Saladinum cum XXVI. millia equitibus superavit; ex Christianis verò non plures V. cecidere. In alio prœlio circa Tyberiadem, cùm essent cum Saladino viginti millia, eum superavit, interfectis ex Turchis usque ad mille.

Pars XVII.

BEatus Thomas Cantuariensis Episcopus à Papa Alexandro canonizatus est.

C

Pars XVIII.

ANno Ducis quinto Alexander Papa furorem Imperatoris abhorrens, cum galêis Guilielmi Regis Siciliæ die XXIII. mensis Martii Venetorum portus applicuit, & in Monasterio Sancti Nicolai pernoctans, sequenti die, assistente Duce, Patriarcha, & Clero, & Populo, Rivoaltinam Urbem ingressus, in Ecclesia Sancti Marci solemniter receptus est, & inde exiens in Patriarchæ Palatio habitationem elegit. Hæc Historiæ communiter tradunt; Venetorum autem Historiæ (a) narrant, & Frater Petrus de Clugia in legendis suis idem confirmat, quòd Alexander Papa ignoto habitu Venetias veniens in Monasterio Sanctæ Mariæ de Caritate humili forma divina officia ministrabat. Qui tandem cognitus in Ecclesia Sancti Marci supradictis assistentibus, & inde in Patriarchatum honorificè deductus est.

D

Pars XIX.

VEnit ergo Alexander Papa Venetias propter Civium fidelitatem, & Civitatis inexpugnabilem securitatem, cui Dux zelo Fidei accensus, se & subditos offerens, de procuranda pace requisitus, Papæ requisitioni consensum præbuit. Papa tunc in hujus oblationis memoriam cereum dealbatum Duci, & Successoribus congruis solemnitatibus deportandum contulit.

Pars XX.

DUx itaque Imperatori Legatos mittit, & dulcia epigrammata solitâ Bullâ plumbeâ communita, (b) quæ Alexander conspiciens laudavit, & Ducem suas literas taliter sigillare approbavit.

Pars XXI.

IMperator gratè suscipit Nuntios; sed cùm de pace, & concordia legitur, mutato vultu sententialiter respondit:

Ite: Duci vestro nostrum reddatis amorem:
Et licèt hæc nostra referat sibi pagina chartæ,
Ore nihilominus nostra hæc referatis amico,
Verba Duci vestro: Nostrum non ampliùs hostem,
Sustineat, mittat nobis custodibus illum.
Ac si fortè neget fugitivum tradere Papam,
Credat amicitiæ dissolvi fœdera nostræ.
Securum quod si Dux se facit æquore, classes
Injiciam, cùm tempus erit, tantisque galêis
Propulsabo fretum, ut Venetos quoque remige Portus
Ingrediar, Marcique Urbem, figamque Plateis
Victrices Aquilas non ante in secula fixas.

Pars XXII.

DUx autem Nunciis redeuntibus intellecta Imperatoris voluntate confortans Papam ait:

Si ruber nobis Federicus bella movebit,
Nos non inveniet clausos, sed in æquore lato,
Obvius ibo sibi Venetis comitantibus armis,

Pars XXIII.

IGitur contra Ottonem Imperatoris filium venientem cum galêis septuaginta quinque proficiscenti Sebastiano Venetiarum Duci cum galêis non ampliùs XXX. (c) Papa ensem splen-

E

(a) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur, addito monito eadem non reperiri in Codice Contareno:* prima nocte, qua appulit Venetias, stetit ad portam S. Salvatoris usque ad lucem, inde per triduum in Monasterio dicto Caritatis dissimulata persona, demum agnitus à Peregrino, Principi factus est notus.

(b) *Cod. Amb. addit:* qua ante hoc tempus uti solebant Duces.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Sunt qui Præfectos Venetarum Triremium, quæ cum Ottone pugnarunt, tradant fuisse hos, videlicet:

Marcus Justinianus, cognomento Petrus (*)
Paulus Quirinus.
Nicolaus Navigajosus,
Joannes Orius.
Vitalis Dandulus.
Joannes Contarenus.
Marcus Pollanus.
Dominicus Silvius.
Petrus Zianus.
Vitalis Faletrus.
Marcus Vionius.
Petrus Gradonicus.
Jacobus Maurocenus.
Vitalis Michael.
Joannes Superantius.
Joannes Quirinus.
Bartholomæus Barbus.
Paulus Georgius.
Franciscus Michael.
Joannes Basilius.
Nicolaus Præmarinus.
Marcus Sanutus.
Otto Baduarius.
Dominicus Memius.
Petrus Cornarius.
Nicolaus Dolfinus.
Paulus Celsus.
Petrus Baronus, vel Barocius.
Bernardus Centranicus.
Daniel Bragadenus.
Leonardus Fradellus.
Franciscus Georgius.
Stephanus Zianus.
Jacobus Tonisertus.

(*) Si anno ante circiter quarto, videl. MCLXXIV. omnes Justiniani interiere, quo pacto nunc Marcus Justinianus Triremi præfuit?

splendidè ornatum tamquam Ecclesiæ pugili dedit, quem Venetiarum Duces secum de cætero portari faciant in signum prædicti honoris.

Pars XXIV.

ET cùm processissent Veneti per milliaria quinquaginta, de Christi auxilio confidentes in Sancto Ascensionis die stolum Imperatoris aggressi, victoriam habuerunt, & Imperatoris filium Venetias perduxerunt.

Pars XXV.

TUnc Summus Pontifex gratias Deo agens, annulum Duci porrexit dicens: *Te fili Dux, tuosque successores aureo annulo singulis annis in die Ascensionis mare desponsare volumus, sicut vir subjectam sibi desponsat uxorem, cùm verè ipsius custos censearis, quia ab infestationibus nostris mare taliter infestatum quietasti.*

Pars XXVI.

SUperveniunt itaque Pontius Claremontis Episcopus, & Abbas Bonæ-Vallis Nuncii Ludovici Regis Franciæ, & Henrici Regis Angliæ, & alii Prælati, & Principes seculares, & pacem procurant, sed nequeunt obtinere.

Pars XXVII.

POst aliquod verò detentionis tempus filius Imperatoris à Summo Pontifice, simulque à Communi Venetiarum impetrat ad Patrem ire, pacem & concordiam procurare juramento se astringens; quòd si id perficere non valebit, potestate Domini Papæ, & Communis Venetiarum plenariè se submittet.

Pars XXVIII.

ELapso jam tempore Ducis anno sexto, cùm filius Imperatoris Patrem pertraxisset ad pacis consensum, præter hæc enim cernebat Imperator, Papæ prospera cuncta succedere, & ad eum totam Italiam inclinare, ille cum multis proceribus procedens Papæ & Duci Venetiarum denuntiat Imperatoris adventum.

Pars XXIX.

DUx illico Petrum filium suum cum sex galêis obviam Imperatori usque Ravennam mittens, illum usque Clugiam, & multiplicatis Navigiis, Principibus, & Populo, per Olivolensem Portum die XXIV. Julii honorificè deductus est ad Ecclesiam Sancti Marci. Qui ante fores Ecclesiæ humiliavit se pedibus (*) Summi Pontificis, & absolutionem, & benedictionem, & gratiam ejus promeruit. Sic Ecclesiæ, & Imperii longum dissidium finem accepit, quo nullum pejus aut incanduit vehementius, aut perseveravit diutiùs, quia annis XVI.

Pars XXX.

PApa medius postea inter Imperatorem & Ducem, ad Altare Beati Marci procedit, & sermonem pacis, & Venetorum laudes Populo faciens in conclusione sic ait:

(*) *In Cod. Ambr.* ad pedibus.

A Sicut Dux & Veneti in die Ascensionis Ecclesiam de magnis angustiis liberaverunt, ita concedimus, ut verè contriti & confessi singulis annis eodem Festo accedentes ad hanc eorum Ecclesiam plenissimam suorum delictorum veniam, & infra Octavam septimæ partis remissionem consequantur.

Pars XXXI.

HIstoria autem hujus concessionis & reconciliationis in Ecclesia Lateranensi depicta erat cum his versibus:

Anno milleno centeno septuageno
Septeno donis claruit Urbs Veneta.
B *Cessit Alexander veniam tunc Papa Beati*
Ecclesiæ Marci, tertius ille fuit.
Si quis in Ascensu Domini convenerit illuc,
Confessus verè cordeque pœniteat,
Vespere utroque lavat totum, quod inter utrumqꝫ
Christus, tum culpa pœnaque nulla manet.
Additur & rursus Octavæ tempore toto,
Septima peccati pars relevatur ei.
Gratiat Ecclesiam, Regalibus atque Ducatum
Ampliat, & decorat rebus, & officiis.
Nam profugus latet in Venetis, tamdem manifestus
Regi Romano pacificatus abit.

De hujus itaque Papæ adventu Venetias habentur literæ missæ Domino Joanni Delphino C Duci Venetiarum per Vicarium Urbis, quarum tenor, & copia ad clariorem evidentiam veritatis hìc inferitur.

Integrum hoc documentum additur ex Cod. Amb.

„ NOs Frater Jacobus de Urbe Dei gratiâ „ Episcopus Calaritanus, locum tenens „ in Urbe, ejusque suburbiis, & districtu, „ Reverendi in Christo Patris, & Domini D. „ Pontii eadem gratia Episcopi Urbevetani, „ Domini nostri Papæ in ejusdem Alma Urbe, „ suisque suburbiis, & districtu in spiritualibus „ Vicarii generalis: Illustri Domino Joanni „ Delphino Dei gratiâ Duci Venetiarum inclyD „ to, & Consiliariis, nec non Nobilibus viris „ & Dominis Marco Lauredano, & Nicolao „ Justiniano Procuratoribus Ecclesiæ Sancti „ Marci Civitatis prædictæ salutem in eo qui „ est omnium vera salus. Quoniam ex verbo „ Evangelico pro talento abscondito servus re„ prehenditur, & ex latenti notitia, quasi ut „ admissa culpa formidari debet. In tali uno „ quoque quia thesaurus absconditus, & scien„ tia invisa quæ utilitas in utroque; hinc est, „ quòd ab hoc nos volentes dubio esse penitus „ alieni, vestroque pio studio, non tantùm pla„ cere, sed & proficere posse noscentes. Quæ„ dam mandavimus vestræ magnificentiæ autenE „ ticè significari magnæ utrique gloriæ majoris „ concordiæ & remissionis plenariæ, quæ nos „ ex originali de verbo ad verbum pluries audi„ re voluimus de antiquo volumine utique fide „ digno, & difficulter reperto, cujus est titu„ lus. De historiis sacræ legis, & antiquitati„ bus in particula de memorabilibus Alexandri „ Papæ III. cujus præfatæ particulæ initii pro„ cessus & finis sacramentaliter tenor est talis.

„ Hic vir natione Thuscus, sed ratione fide „ sufficientia præditus sed sanctimonia inclytus „ gratus in verbo, & fortis in bello in perse„ cutionis fornace multipliciter est probatus; „ nam

„ nam illo suggerente cujus anhelitus prunas „ etiam mortuas in ardorem hæresis reviviscere „ facit, IV. in Ecclesia schismata surrexerunt. „ Quibus Petrus, quam Christi Vicario Eccle- „ siæ primogenitus Imperator indivisibiliter hæ- „ rens, unà cum sponsa dilecta, videlicet Ro- „ ma, prædictum Alexandrum Papam ex Urbe „ secedere compulerunt, cinereque dolore con- „ spersum, ut olim David jam senex, & Hie- „ rusalem etiam nudis pedibus fugiens ceden- „ dum quandoque docuerat minorum iræ & „ furori etiam filiorum. Quo usus consilio ad „ Christianissimum Francorum Regem se trans- „ ferens, ut Pastor ovium benignissimè est re- „ ceptus, quod molestè ferens Federicus ad „ ferrum convertitur, & opus pium in gladium „ acuens prægrandem exercitum congregavit „ Regum Angliæ, Bohemiæ, Datiæ auxilio „ fultus, in Burgundiamque veniens per ipsum „ fidelissimum Francorum Regem magis, est „ cœlitus quàm armis conflictus, sed ne præ- „ sentia Papæ occasio foret & causa effusionis „ sanguinis filiorum, in se volvens discrimen „ potius quàm in filiis, idem pius Papa clam „ fugere cogitavit, clamque discessit, ut in se „ potiùs quærendam, quàm de conflictu ulci- „ scendum Imperatoris animum provocaret, in „ Apuliamque perveniens, quia cognitus ex „ eadem causa ibidem gradum sistere noluit, „ per mareque ut ignotus pervênit Venetias Ci- „ vitatemque tutissimamque omnibus, & in Re- „ ligiosorum loco, qui Sancta Maria dicitur de „ Caritate, ut simplex Sacerdos Capellanatus „ functurus officio se locavit, ubi tam humili- „ ter, quàm frequenter celebrans, post aliquam- „ diu à quodam Venetiarum Cive utique no- „ bile ejus orationi affecto, qui aliquando ejus „ pedes osculari meruerat evidentibus signis „ est certitudinaliter agnitus, Ducemque Civi- „ tatis ipsius adiens secretò dixit Dominum „ Apostolicum in Civitate adesse in loco Sanctæ „ Mariæ dictæ superiùs; quo audito Dux ipse „ facie, & animo lætus factus occultè missis „ exploratoribus aliis, qui eum optimè vultu „ noverant deprehenderunt eum esse Pontificem „ Summum, paratisque vestibus calciis, & „ mitra decentibus, Dux ipse cum omnium „ Civitatis nobilium comitiva & viris qui eum „ noverant ad locum pervênit, & eo viso cun- „ ctis genibus provolutis se non negavit, obla- „ tisque quæ & tulerant cum ingenti lætitia, „ concurrente populo universo, in majus ipsum „ Palatium per Ecclesiam conduxerunt, hono- „ res ei honoribus proferendo, ejusque Ascensu „ Ambaxatam solemnem pro pace, & concor- „ dia reformandis Imperatori mittentes nus- „ quam, ut nec dum à Deo tactus assensit, „ sed nimis Ambaxiatores exagerans petebat „ sibi captivari Pontificem, quod illis nequa- „ quam se facturos dicentibus ad propria re- „ deuntes diffidavit ut hostes, paratisque stolis „ ex utraque parte, & multis galèis ampliori „ numero excedente Imperatoris exercitu cui „ præerat legitimus Imperatoris filius juxta Ve- „ netorum litora ad bellum convenientes exer- „ citus crudeli pugna peracta, tandem magis „ Deo favente, quàm gladio, expugnatur, suc- „ cumbit Imperatoris virtus, incolumesque „ capti ipse Imperatoris natus, & Barones „ multi, qui postmodum ad fidem relicti „ adeuntes Imperatorem, manumque Domini „ sibi adversam monstrantes, post multam filii, „ & nobilium, & Baronum instantiam, jamque „ à Dominio incipiens deliniri pacem assensit, „ etiam usque Venetias se venturum asserens, „ culpamque suam coram Vicario Christi re- „ cognoscere velle, quod & fecit. Nam usque „ ad fores Ecclesiæ Sancti Marci Civitatis ipsius „ perveniens ibidem coram Summo Pontifice „ se prosternens veniam petiit, nec minus li- „ benter, & lætiùs Papa remisit, simulque Ec- „ clesiam ipsam intrantes universi

„ Te Deum laudamus solemniter cantave- „ runt, & Missam, quam ipse Pontifex cele- „ bravit devotè, ad Imperatorisque verbum ex „ instantia Venetorum, in æternam memoriam „ pacis tam gratè Ecclesiam ipsam ampla be- „ nedictione dotavit, perfectè videlicet expur- „ gationis animæ in festo Ascensionis tantum- „ modo die tamen ipso perpetuis temporibus „ valitura, ut inquit, dumtaxat verè pœniten- „ tibus, & confessis in illam ingressus, ibidem „ autem Sanctissimus Papa, & Inclytus Impe- „ rator festa diebus aliquibus celebrantes ver- „ sùs Romam iter aggressi ad Urbem venientes „ Imperator, Papam in Sede Beati Petri festi- „ nus locavit, Ducemque Venetiarum eorum „ itineris factum comitem, spiritualibus privi- „ legiis; & honoribus insigniter decorarunt, „ sicque Ecclesiæ Urbi & Orbi feliciter pace „ data, Papa in sua Sede remanente, unusquis- „ que lætus, ad propria remeavit. Hæc autem „ particulariùs scripsi, ut quilibet noscat quan- „ tum obsit veritati, & Ecclesiæ obicem se „ dare, & quantum possit dura ferens pro Ec- „ clesia & fide, etiam in arduis optimum finem „ sperare, quem Christus nobis concedat, quæ „ quidem omnia supradicta ut fidem faciant in „ agendis. & lectoribus suis aures aperiant ad „ credendum suprascriptas particulas de libello „ facto de verbo ad verbum, prout in eo par- „ ticulariter continetur, manu quomdam Bar- „ tholomæi, omnia Sancti de Filippinis de Ur- „ be Notarii publici nostri scribere mandavi- „ mus, & fecimus transumptari, ac Notario- „ rum publicorum infrascriptorum subscriptio- „ nibus roborari, & sigilli nostri Pontificalis „ appensione muniri sub anno Domini millesi- „ mo tercentum quinquaginta novem, Pontifi- „ catus Dom. Innocentii IV. Papæ anno VII. die „ XVII. mensis Junii XII. Indictionis.

„ Ego Franciscus quondam Petri de Serangi „ à Lemosinis Romanus Civis Præfecturæ au- „ ctoritate Notarius publicæ auscultationi dicti „ exempli cum Originali simul cum infrascrip- „ tis Notariis præsens fui, & me subscripsi.

„ Ego Paulus Cecchi Jacobucci Romanus „ Civis Sacræ Præfecturæ auctoritate Notarius „ rogatus &c. ut supra.

„ Ego Jacobus Petri quond. Domini Stepha- „ ni de Strangi à Lemosinis Romanus Civis „ Dei gratiâ Imperialis Notarius &c. ut su- „ pra.

„ Ego Sanctus quondam Bartholomæi omnia „ Sancti de Filippinis de Urbe Imperiali au- „ ctoritate Notarius prædicta de originali „ exemplaris, & cum præfatis Notariis auscul- „ tavi, & publicavi.

Pars XXXII.

HIc Pontifex Ecclesias Sanctæ Mariæ de Caritate prædictam, & Sancti Salvatoris, & Capellam Gradensis Patriarchæ consecravit, & illis, & pluribus aliis Ecclesiis Indulgentias & immunitates contulit.

Pars

Pars XXXIII.

IMperator verò in Palatio Ducis residens, & per ea, quæ secuta erant, Venetorum opera grata habens, solita illorum fœdera die decima septima Augusti non solùm renovavit, sed etiam eos à datione quarentesimi immunes reddidit, & pluribus piis locis onerum exemptiones tribuit. (*)

Pars XXXIV.

CEterùm Imperator exequens, quæ pro pace stabilita erant, die decima octava Septembris in Lombardiam pergit, & Prælatos exules, & Seculares restituit, & malè gesta reformavit, & Ravennam vênit, & reintegranda restauravit.

Pars XXXV.

POstea die decima sexta Octobris Dux paratis decem galêis juxta condictum recedentem Papam, & assumptum Ravennæ Imperatorem sociat usque Anconam. Anconitani verò duas umbrellas præsentant, unam Papæ, Imperatori alteram. Tunc Summus Pontifex ait: Deferatur tertia Duci Venetiarum, cui meritò congruit, qui nos ab æstu turbationis liberans in refrigerio pacis posuit: quod bene umbrella significat. In cujus rei memoriam Duces Venetiarum volumus in suis solemnitatibus uti.

Pars XXXVI.

DEnique cùm Romam appropinquaret occurrerunt Romani cum tubis argenteis, & octo Vexillis diversorum colorum, quæ omnia Papa mandavit Duci Venetiarum offerri in memoriam victoriæ supradictæ, eisque voluit futuris temporibus uti Venetiarum Duces.

Pars XXXVII.

POst ostensas autem Reliquias varias Imperatori & Duci, Dominus Papa in Sede sua locatus, prædictas honorificentias omnes Duci Venetiarum confirmavit & roboravit. Ille verò Apostolica benedictione suscepta ad propria remeavit.

Pars XXXVIII.

SAnè ut per harum honorificentiarum exercitium Venetorum fides perpetuò laudetur, & posteris cedat pariter ad exemplum, decretum reperitur, quòd in die Ascensionis, quæ Venetos tanto illustravit trophæo Dux, Nobilibus sociatus in Bucentauro, quem Pupilienses remigare tenentur, cum Cereo, Spata, Umbrella, Tubis, & Vexillis, assistente etiam Castellano Episcopo, & benedicente, extra Rivoaltensem portum annulo aureo mare desponset, & rediens in Sancto Nicolao obviam venientibus Abbate, & Monachis cum Crucibus, Missam audiat, & ejus familiæ stipendiis exhibitis redeat.

Pars XXXIX.

HIc Dux suo tempore Palatium renovavit, & auxit. Qui senio & infirmitate confectus Reipublicæ, & suis ipsius negotiis virtuosè directis, jam in suo Ducatu ferè sex annis completis, dum quasi spiritum exhalaret, ad Monasterium Sancti Georgii se transferri fecit, & sequenti die, videlicet decima tertia mensis Aprilis vita cessit, & in sepulchro marmoreo, quod vivens fecerat præparari, dignè reconditur. (**)

CAPITULUM SECUNDUM.

De Aureo Mastropetro Duce, & incidentibus tempore sui Ducatus, habens partes XXXI.

AUreus Mastropetro Dux publicatur Anno Domini MCLXXVIII.

Pars I.

NAm Veneti de convalescentia prædicti Ducis penitus desperati, electionis processum utilem sibi cognitum subtiliùs elimantes, sanxere, ut quatuor viri providi eligendi XL. alios nominarent, per quorum majorem partem electus. Dux ab omnibus haberetur, qui ex consilio VI. Civium de diversis stirpibus de novo eligendorum, unius pro sexterio, Ducatus Regimen æqualiter exerceret. Ab electoribus igitur, defuncto Duce, post tertium diem hic prudens, & Sanctorum, ac pauperum cultor, Dux publicatus est, qui Vexillum suscipiens, & de servanda promissione juramentum exhibens in Throno imponitur.

Pars II.

EOdem anno Alexander Papa Lateranense congregavit Concilium, ubi ex diversis Terrarum partibus factus est innumerabilis conventus tam Episcoporum, quàm Abbatum. In hoc qui Saracenis arma, ferrum, lignamina, galêas deferunt, & ad expugnandum Christianos necessaria subministrant, vel in galêis eorum, sive piraticis navibus, curam gubernationis exercerent, excommunicationi subjecti sint, & rerum suarum per Principes seculares privatione mulctari, & capientium servi fieri censentur.

Pars III.

OStiensis Episcopus Hubaldus pro reconciliatione Lombardorum missus, ut tutiùs ageret, nunc Venetiàs accedit, & Altare sub vo-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Sunt qui tradant jussu Principis intra ædem Marcianam in medio suspensum pomum æneum, intra quod stabulum rastri præsepe sit inclusum; ad portam verò regiam suspensam parvam triremem; & post altare majus ex raufivo opere in pavimento fictum agrum aratum, ut satisfieret voto & juramento Federici, qui juraverat ex ipsa æde facturum stabulum & navale, & ibi seminaturum sal.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Sub hoc Principe primùm creatos tres Advocatos publicos nonnulli tradunt, qui ratiocinationem expensarum Communis tam bellorum præteritorum, quàm præsentium indagarent, qui postea Advocatores Communis sunt dicti. Hic etiam domus, quæ imminent areæ Marcianæ testamento legavit Communi Venetiarum, & ut singulis diebus carceratis tres panes erogentur in perpetuum; hospitalia etiam instituit, Monasteria dotavit; ac instituit, ut quotannis in die secunda Paschatis Princeps ad ædem D. Zaneniani accederet, quam ædem sui antecessores Ziani ædificaverant. Alii tamen aliam originem hujus juris repetunt, ut alibi scripsimus.

vocabulo Sancti Thomæ Martyris in Ecclesia Sancti Salvatoris nuper erectum consecravit, & Romam rediens postea Lucius Papa nominatus est.

Inter hæc Imperator Emanuel nepoti suo Isaco Regis Hungariæ filiam in conjugem sumsit.

Hic potenter contra Soldanum Iconii processit, & requisitam pacem renuens prœlium egit, suisque cum Dominica Cruce captis fugatus vix rediit; qui quanto gloriosior processit, tanto ignominiosior rediit, & postea treugis initis Crucem Domini recuperavit.

Pars IV.

ANno MCLXXXII. Emanuel angustiatus denique moriens Alexium Porphyrogenitum heredem Imperii tuitioni Andronici commisit, qui spreto juramento postea illum suffocavit, & Imperator effectus est.

Hic pro firmatione Imperii, ut Venetos sibi favorabiles exhiberet, mercatores per Emanuelem captos, requirente Duce, liberavit, & de resarciendis damnis annuatim promissionem fecit.

Pars V.

JAdratini suæ sedis dedignantes subjectionem, ne Lampredii defuncti eligendus Successor à Gradense Patriarcha confirmationem susciperet, ab Alexandro Papa Eugubinum Episcopum ab eis electum Archiepiscopum obtinuerunt, cui in traditione Pallii commisit Papa, ut Gradensi Patriarchæ obedientiam Primati debitam exhiberet, non intendens, ut scripsit, juri Gradensis Ecclesiæ ex hoc aliqualiter derogare. Archiepiscopus Jadræ receptus reverentiam Patriarchæ exhibere à Civibus non solùm prohibitus, sed etiam ut Ecclesiam suam eximeret, cum aliquibus Civibus Romam accedere coactus fuit, qui iens apud Fossam malam infirmatus, literis, & Nuntiis Jadrensium propositum Pontifici enarrat.

Pars VI.

PApa igitur eum redarguens inter cetera per Epistolam ait: *Venetia in communione Catholica laudabilis stetit, & fuit Civitas refugii Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, qui de Lombardia, Tuscia, & Marchia à Sedibus propriis instante Schismate illuc divertere voluerunt. In reformatione quoque Ecclesiæ & Imperii qualiter Sedem Apostolicam adjuverint & honoraverint, ad tuam credimus notitiam pervenisse. Quia igitur tibi imminet subjectos à præsumptione sua compescere, cùm non debeamus sequi Populum, sed docere: mandamus, quatenus infra tres menses, postquam Jadram iveris, pergens Venetias eidem Patriarchæ obedientiam, & reverentiam Primati debitam promittas & impendas, & Clerum & Populum tuum ad idem, sicut te decet, inducas, ita quòd ipse Patriarcha contra te materiam conquerendi non habeat, nec inter Venetos & Jadrenses gravis ex hoc & periculosa discordia oriatur. Alioquin usum tibi Pallii interdicimus, & te consecrandi Suffraganeos tuos, & Ecclesias dedicandi auctoritate privamus.* Quæ Archiepiscopus rediens per Jadrenses elatos adimplere pertinaciter prohibitus fuit.

Pars VII.

CUm Balduinus Rex Hierusalem propter Lepram matrimonio copulari renuisset, duas sorores, quas habebat, Sybillam majorem, & Isabellam nuptui tradidit; primam Guidoni (*) de Longa-Spata, secundam Domino Henfrido. Mortuo autem Guilielmo, & relicto parvulo Balduino, Rex Sibillam Guidoni de Lisignano tradidit, eique committit, quia infirmitate nimium gravabatur, gubernationem Regni, qua, cùm incurrisset Regis indignationem, privatur. Convocatisque Regni sui Baronibus Balduinum Nepotem suum Rex fecit inungi, & tam puerum, quàm Regni negotia Tripolitani Comitis commisit providentiæ & tutelæ.

Pars VIII.

ANno Ducis quarto Vitalis Michaël Castellanus Episcopus vita cessit, cui Philippus Casiolo subrogatur.

Pars IX.

EOdem anno Alexander Papa decessit, & Lucius Tertius natione Lucanus, qui Ostiensis Episcopus erat, Papa efficitur.

Pars X.

HIc Veletri Henrico Dandulo Patriarchæ solitas honorificentias & immunitates Gradensis Ecclesiæ Primatis super Jadratinum Archiepiscopum per privilegium confirmavit.

Mortuo Philippo Casiolo Episcopo Marcus Nicolai, Sancti Silvestri Plebanus, vir vitæ utique laudabilis, Castellanæ sedi præficitur, cujus plura Privilegia vidi bulla plumbea communita; sed quo titulo hoc ageret hæsito, cùm Prædecessores sui, & successores ea usi non sint.

Pars XI.

HIc Dux pro justitia Fisco, & Civibus commodiùs tribuenda, Judices Communis de novo constituit, qui causas vertentes inter Commune, & speciales personas audirent, & æquo judicio terminarent.

Hujus igitur anno sexto Philippus Rex Franciæ de debili statu Christianorum Terræ Sanctæ ab Heraclio Præsule certioratus strenuos milites & pedites propriis sumptibus misit, & Prælatis, ut prædicarent Crucem, licentiam tribuit.

Sequenti anno Balduinus Rex Hierusalem leprosus moritur. & subsequenter Balduinus Rex parvulus. Tunc Sybilla, ad quam Regnum jure hereditario pertinebat, procurante, Guido vir ejus sublimatur in Regem, Tripolitani Comitis irrequisito assensu, qui Regni constitutus fuerat Gubernator. Propter quod indignatus nimis, præsertim cùm aspiraret ad Regnum, non sinè Regni periculo treguas cum Saladino iniit, & ut majorem in Regno, & contra Regem haberet potentiam, Dominam Tiberiadis, & totius Galilææ accepit Uxorem. Et facta est in Regno divisio, dum nonnulli Civitatibus adhærerent, alii verò Regno.

Pars

(*) *Cod. Amb.* Gulielmo.

Pars XII.

INter hæc dum Veneti cum Pisanis, & Anconitanis divisim haberent discordias, Pisani Consules suis Duci delegatis Nuntiis, promiserunt Anconitanis subsidium non præbere, & treguas dimissis hinc inde captis usque ad decennium pariter juraverunt.

Pars XIII.

HOc tempore Jadrenses à Duce requisiti, ut Præsulem suum Gradensi Patriarchæ obedientiam exhibere permittant, exequi renuerunt, rebellesque nunc quartò effecti, se & Urbem Jadræ protectioni Belæ Regis Tertii Hungariæ subdiderunt. Rex tunc hominibus, & victualibus Civitatem munivit, & muro circumclusit.

Pars XIV.

DUx autem illatum scelus reformare anhelans, congregatam Concionem sibi conformem invênit, & Fisco ex continuatis angustiis nimis exinanito, dum de eis recuperandis collatio haberetur, Prælati, & multi Nobiles fidei pleni se liberaliter obtulerunt. Tunc pro congrua satisfactione decernitur, ut proventus Rivoaltini fori, & datia quarantesimi sint eis totaliter deputata. (*)

Pars XV.

CEterùm Dux paratam hostilem classem mittens, per mare Jadram obsedit, & viriliter impugnat, & Pagum, ceterasque Insulas sibi subjicit.

Pars XVI.

LUcius Papa compulsus Veronam vênit, & non multum postea vita cessit, & ibi sepultus jacet.

Pars XVII.

EOdem die Urbanus Tertius natione Mediolanensis Veronæ à cœtu Cardinalium Papa efficitur.

Dominicus Franco Presbyter Sanctæ Sophiæ Divino Spiritu illustratus, in Ecclesia Sancti Andreæ de Armano, quam Marcus Græco Plebanus Sancti Laurentii sibi concesserat, Regularem vitam vovens, sibi & fratribus suis arctissimæ observantiæ Regulam edidit, quam illo supplicante hic Papa integraliter approbavit.

Pars XVIII.

HEnricus Federici Imperatoris filius à Patre præficitur Italiæ, & Uxorem ducit Constantiam.

Rogerius enim primus Rex Siciliæ misit primogenitum suum ad Curiam Roberti Comitis Litii, ut nobilibus imbueretur moribus, qui unam Comitis filiam diligens nimio usu venereo factus est ethicus, revocatur à Patre, habens ex ea filium Tancredum, & filiam. Et videns, quia liberari non posset, negotii seriem Patri

A aperuit. Qui indignatione motus in dictum Comitem animadversionem comminatus est, & totius parentelæ ejus destructionem. Sed filius cum lachrymis obtinuit Comiti veniam, & ut posset filiam ejus desponsare, ne liberi sui pro spuriis haberentur. Rex tamen Rogerius, mortuo filio, Comitem persequens, & promissa frangens, in Romaniam cum suis fugere coëgit. Mortuo Rugerio Guilielmus successit ei in Regno, & huic successit, sublato per mortem primogenito ejus, Guilielmus secundogenitus, qui accepit in uxorem filiam Regis Angliæ, de qua tamen prolem non habuit. Hic pacificus, & justus fuit. Tancredum de Romania cum his, qui supervixerant, revocavit, eique concessit Litii Comitatum, & Dominam Constantiam Henrico filio

B Imperatoris tradidit.

Inter Henricum præfatum, & Urbanum Papam simultas oritur, ita ut Papæ apud Veronam commoranti negata sit facultas quòquam procedendi.

Ad Henricum itaque vênit Abbas Joachim, quem quidam dicebant habere Spiritum familiarem, quidam verò spiritum Prophetiæ, fertur que de eo, quòd cùm priùs idiota fuisset, donum scientiæ divinitus accepit, adeò ut quaslibet Scripturarum difficultates enodaret.

Anno Ducis decimo, præmisso præsagio plurium dicentium, se pluries vidisse Domum igneam per aëra discurrere, Saladinus totum

C sibi subjecit Orientem, & Guidonem Regem cum Cruce Domini devictum bello cepit. Achon, Beritum, Biblium, & Hierusalem, ac cetera loca, exceptis Tripoli, Tyro, & Antiochia (quas Conradus Marchionis Montis-ferrati cum septuaginta galêis Regis Guilielmi superveniens, in subsidium conservavit) idem occupavit, & cepit: Tunc in Cœlo tres Lunæ visæ sunt, & in medio signum Crucis; nec multo post visi sunt tres Soles; Sol etiam obscuratus est parum ante Nonam, & diu duravit, & Lunæ Eclipsis fuit pæne universalis Octavo Kalendas Aprilis.

D

Pars XIX.

DElata re tam lugubri Papæ Urbano ex animi consternatione languescens brevi post tempore Ferrariæ decessit, quò de Verona nuper advenerat.

Cui successit Gregorius Octavus natione Beneventanus, scientia, & facundia clarus, puritate & integritate animi clarior, qui ad succursum Terræ Sanctæ totus accensus erat. Sed tam decorus flos mox in suo ortu exaruit apud Pisas sepultus.

Huic Clemens III. natione Romanus successit.

E

Pars XX.

EOdem Anno Rex Hungariæ & Veneti diris cladibus vicissim in Dalmatia diutiùs flagellati, excidio Terræ Sanctæ compuncti, missis hinc inde Nuntiis treguas usque ad biennium peregerunt.

Pars XXI.

ISte Dux, qui dum cum tanto Rege bellum peregeret, Venetis pergendi ad varias Mundi partes cum mercibus licentiam dederat, nunc pro

(*) *In margine Cod. Amb.* Alii scribunt vectigalia Fori Rivoaltini, & quarantesimi, non privatis, sed bello Jadertino assignata fuisse.

pro eminentiori Terræ Sanctæ subsidio decrevit, A
ut Veneti ad præfixum terminum sub pœna personæ, & bonorum, redire Venetias teneantur, & interim navigia condecentia præparari jubet.

Ex his Henricus Dandulo Patriarcha jam senex exinanitus, postquam annis quinquaginta Gradensem Ecclesiam rexerat, vita cessit. Huic Joannes Signolo subrogatur, cui Clemens Papa Pallium misit, & Privilegium Ecclesiæ apud Lateranum innovavit.

Reges quoque Philippus Franciæ, & Henricus Angliæ pro sedando dissidio, quod erat inter eos convenientes, pro liberatione Sancti Sepulchri Dominicam Crucem assumunt. Et statuit Philippus, quòd Crucem non recipientes ad minus illo anno redituum suorum darent decimas; B
& dictæ sunt Decimæ Soldani; & nondum cœpto itinere, Henricus Rex moritur, cui Ricardus ejus filius in propositi executione & Regno successit.

Similiter Federicus Imperator cum filio suo Duce Sueviæ transmarinum iter arripuit.

Pars XXII.

DUx etiam Venetiis parata jam Classe cum Ravennate Archiepiscopo, & magno Italicorum agmine pro eadem liberatione mittit, quibus Archiepiscopus Pisanus cum navigiis & bellatoribus in itinere socius est effectus. Hi enim Tyrum appulsi magnum solatium præbuerunt Tyrensibus. C
Applicant illuc & multi Fidelium, sicque multiplicati Achon obsident; sed adveniente Saladino nihilominus Fideles in obsidione immobiles persistunt.

Interim Philippus Rex Franciæ, Regno suo prudenter disposito, Messanam applicuit, & hyemavit, gratèque suscepit Ricardum Regem Angliæ. His Regibus fertur Abbas Joachim respondisse: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Adveniente Martio Reges ascendunt naves. & Rex Philippus primus Achon applicuit, & gratè receptus jussit machinas erigi.

Pars XXIII.

REx autem Angliæ ad Insulam Cypri, quæ Imperatori Constantinopolitano subjecta erat, perveniens, cùm Incolæ malè respondissent, D
illam obtinuit, & Templariis locum servandum commisit, & Achon profectus est.

Pars XXIV.

DUm hæc fierent, Andronicus Imperator ab Isacho Emanuelis nepote capitur, & privatus oculo & manibus, sicut dolosè egerat, ita ignominiosè vitam finivit. Isachus igitur Imperator effectus est.

Pars XXV.

E
HUic Dux Petrum Michaëlem, Octavianum Quirino, & Joannem Michaëlem pro renovatione Crusobolii, & damnorum restitutione Legatos mittens, Crusobolium obtinuit, sed de resarciendis damnis dilationem habuit.

Pars XXVI.

FEdericus Constantinopolim accedens Isaci Imperatoris natam Philippo filio suo in Conjugem sumsit. Postea inter Nicæam, & Bythiniam strenuissimus Princeps, qui jam Soldanum Iconii, qui ei promissum non servaverat, persecutus Turcos debellavit, parvum Flumen transiens, equo cecidit, & vix extractus paulò post obiit. Filius autem cum exercitu in obsidentium Achon auxilium tandem pervênit, quam Saladinus, adventum Imperatoris pertimescens, aliis Urbibus derelictis bene muniverat.

Corpus autem Imperatoris, disponente filio, in Tyro sepelitur.

Pars XXVII.

CLemens Papa Tribuno Ragusino Archiepiscopo suæ Sedis Privilegia innovavit. Clementi igitur Papæ successit Cœlestinus natione Romanus, qui in die Paschæ consecratus sequenti die, videlicet Anno Ducis Venetiarum duodecimo, Henricum vivente Patre Regem electum, Imperatorem consecravit.

Pars XXVIII.

EOdem anno inter Regem Hungariæ & Venetos completæ treguæ usque ad biennium renovantur. Tunc vigesima tertia die Junii fuit Eclipsis Solis in septimo gradu Cancri, & duravit per quatuor horas.

Pars XXIX.

DUm autem Isachus Imperator Venetorum Legatos ad restitutionem ablatorum in longum traheret, Dux hoc anno Petrum Cornario, & Dominicum Memo Procuratores Sancti Marci similiter illi Ambasciatores mittit. Qui unà cum primis instantes de resarciendis damnis per singulos annos ex comedro eis deputato promissionem receperunt.

Pars XXX.

DUcis igitur anno decimo quarto Reges, Præsules, & Veneti cum aliis Crucesignatis, Saracenos in Achon obsessos post decursum ferè biennium, ex quo cœperat obsideri, ad deditionem Urbis coëgerunt, & illico Ecclesiæ Beati Marci, & suarum mansionum possessionem Veneti adepti, postea revertuntur. (*) Et dum Christiani gravi morbo affligerentur, filius Imperatoris, & Rex Franciæ, Duci Burgundiæ commisso exercitu, redeunt. Dux igitur Consulibus Ferrariæ Henricum Dandulo, & Petrum Fuscareno Legatos mittens super jure vicissim reddendo pacta composuit, & pro his exequendis in Ferraria Joculus Guido Taurelli, & O. de Mainardis Judices pariter electi sunt.

Pars XXXI.

COmpletis tamdem annis XIV. in Ducatu Dux jam senex effectus relicto Seculo vitam Monasticam in Monasterio Sanctæ Crucis professus est. In quo postea moriens sepultus requiescit in pace. (**)

Qua-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur:* Aureo Mastrophoro Duce percussus est nummus dictus aureus, diuque in usu urbis fuit, quorum singuli quinam libram valerent; unde diu servatum, ut in actis in mentione pœnæ apponerentur 5. libræ auri.

(**) *Codex Ambrosianus addit:* quatuor, qui elegerunt XL. viros, fuere Marinus Pollanus, Henricus Dandulus, Stephanus Viani, Antonius Navigajoso.

Quadraginta qui Aureum Maſtropetro prælibatum elegerunt in Ducem, ſunt.

Petrus Cornaro,
Joannes Michaël,
Otto Quirino,
Petrus Fuſcareno,
Leonardus Fradello,
Henricus Dandulo,
Dominicus Memo,
Marinus Storlato,
Nicolaus Fermo,
Nicolaus Maſtropetro,
Joannes Mocenigo,
Raynerius Polano,
Marcus Baſcio,
Dominicus Silvo,
Henricus Daurio,
Joannes Mauroceno,
Rogerius Premarino,
Jacobus Baduario,
Nicolaus Juſtiniano,
Stephanus Ziano,
Paulus Barbo,
Nicolaus Guſſono,
Petrus Baroccio,
Jacobus Viglari,
Antonius Viaro,
Ordelafus Faledro,
Paulus Marcello,
Bernardus Centranico,
Antonius Stornado,
Daniel Bragadino,
Jacobus de Molino,
Franciſcus Georgio,
Leonardus Maripetro.
Marinus Mauro,
Joannes Gradonico,
Nicolaus Delfino,
Franciſcus Viano,
Conradus Betanio,
Paulus Celſo,
Hermolaus Juſto.

CAPITULUM TERTIUM.

De Henrico Dandulo Duce, & de Triumphalibus geſtis in ſuo Ducatu, habens partes XLVII.

HEnricus Dandulo Dux annunciatus fuit Anno Domini MCXCII. Nam Conſiliarii nunc primò Regimini præfecti pro electione Ducis ſolemniter celebranda, Incolas à Grado uſque ad Caput Ageris per edictum citaverunt.

A A quibus in Concione decreta die congregatis more ſolito XL. Electores conſtituti ſunt. Qui hunc jam ſenem, ſed virtute magnanimum, ab eis electum die primo Januarii Populo poſtea nunciarunt. Ex ejus probitate Reipublicæ decus multipliciter auctum eſſe uſque in hodiernum manifeſtè colligitur. (*)

Pars I.

HAc illico Veronenſes, qui Venetos damnificaverant, ſuis inhibito commercio, poſtea per eorum Nuntios de reſarciendis damnis, & ſtrata Athicis non turbanda, & Venetis immunibus conſervandis promiſſione recepta, ad
B priſtinam amicitiam revocavit.

Pars II.

NUnc Græci contra tenentes Inſulam Cypri inſurgunt, & ſuccumbunt. Veniunt tamen dicti Conſervatores ad Regem Angliæ, illique conſignant, ut de ea ad libitum diſponat. Tunc Guido de Luſignano quondam Rex Hieruſalem eam impetravit, & ab eo coronatus milites exheredatos ſollicitat, ut ſecum pergant, promiſitque cum eis dividere Terram.

Pars III.

C NUnc occiſo Conrado Marchione, qui Iſabellam conjugem Henfredi, & heredem Regni Hieruſalem ſibi conjunxerat, Riccardus Rex Angliæ illam Henrico Comiti Campaniæ nepoti ſuo in uxorem dedit.

Pars IV.

DUx autem completis Hungarorum treguis, Jadrenſibus bellum innovat, & maris vias illis claudit. Dominicumque Michaëlem Pagi, & aliarum Inſularum Jadræ Comitem fecit.

Hic etiam anno ſecundo cum Guilielmo de Oſſa Poteſtate Veronæ ſuper jure reddendo, ac maleficiis, & debitoribus tranſmittendis, pacta
D compoſuit. Et turbatio vehemens inter Paduanos, & Veronenſes nuper exorta eſt, quam ipſe miſſis hinc inde Nuntiis ſedavit. (**)

Pars V.


SUbſequenter Dux argenteam monetam vulgariter dictam *groſſi Veneziani*, vel *Matapani*, cum imagine Jeſu Chriſti in Throno ab uno latere, & ab alio cum figura Sancti Marci, & Ducis, valoris viginti ſex parvulorum primò fieri decrevit.

Pars

(*) *In margine Codicis Ambroſiani hæc adnotantur:* Veneti exierunt cum ſex navibus magnis, & decem galèis in mare, & ceperunt tres naves magnas, & captas duxerunt Venetias.

(**) *In Codice Ambroſiano hoc loco hæc adduntur in margine:* Ex II. Libro Pactorum anno MCXCVI. Indict. XIV. X. Kal. Septembris extat Privilegium, quo Enricus VI. hujus nominis Romanorum Imperator, & Rex Siciliæ ad ſupplicationem Abbatis Monaſterii SS. Hilarii & Benedicti confirmat ea omnia, quæ continentur in Privilegio Lotharii, (quod ſupra dedimus ſub anno MCLVI.) Teſtes adſunt VVielmus Archiepiſcopus Ravennas, Angelus Archiepiſcopus Tarentinus, Albertus Vercellenſis Epiſcopus, Sicardus Cremonenſis Epiſcopus, Philippus Pater noſter Dux Sueviæ, Azelinus Marchio de Eſte, Vielmus Marchio de Pallodio, Aldebrandus Comes Maritimæ, Gunterus Comes de Venere Raberch, Gurgharcus Landgravius Magdeburgenſis, Arnaldus de Ottemburg, Marquardus Sineſchalcus, Enricus Mareſchalcus de Caledin, Enricus Pincerna de Lutra, & alii quàm plures &c.

E

Addito  *Signo.*

Ego Conradus de Neſſein electus, Imperialis ante Cancellarius, vice Adulfi Colonienſis Archiepiſcopi, & totius Italiæ Archicancellarii recognovi.

Datum apud Papiam anno MCXCVI. Ind. XIV. anno Regni ejus XXVII. & Imperii VI., & Regni Siciliæ Secundo per manum Albertis Imperialis ante Protonotarii X. Kal. Sept.

Pars VI.

ANno tertio Henricus Imperator totam Calabriam & Siciliam suo subjecit Imperio, & censum Regis Guilielmi solvit Ecclesiæ. Postquam enim Constantiam accepit conjugem, voluit eam in Theutoniam ducere; propter audita autem nova quædam, eam in finibus Regni dimisit, quæ contulit se Gajetam; & tunc mortuus est nepos ejus Rex Guilielmus, & Domina ivit Salernum. Tunc Tancredus occupavit Regnum, & Constantiam occupavit in quodam Castro, ita ut communiter omnes putarent eam mortuam. Postea mortuo Tancredo, Henricus veniens recuperavit uxorem, & Regnum, & filios Tancredi abbacinavit; filias autem liberas dimisit.

Pars VII.

DUx hoc anno Statuta edidit, & promissionem maleficiorum à Prædecessore conditam reformavit, qua, paucis additis, seu correctis, usque in hodiernum Veneti utuntur.

Pars VIII.

HIc anno quarto erga Pisanos, nunc finitis treguis decennalibus, galêas X. & naves VI. mittens, Joannem Mauroceno, & Rugerium Premarino Capitaneos ordinavit, qui Polanam Urbem obsequia debita denegantem potenter aggressi sunt, quam postea obtinentes, maritimis destructis muris, ad pristinam fidelitatem reduxerunt. (*)

Pars IX.

CApitanei autem navigantes Mothonum accedunt, & de VI. navibus Pisanorum mercibus onustis notitiam habuerunt, quas denique inventas debellati sunt viriliter, duabusque captis cum hominibus quatuor centum, & reliquis fugatis, victores rediere.

Riccardus Rex Angliæ rediens naufragium passus est; sed evadens à Duce Austriæ capitur, & dans denique ducenta millia Marcharum in Angliam per mare transiit.

Pars X.

POst Guidonem Regem Cypri Aimericus frater Regnum obtinuit. Hic mortuo Henrico Comite Campaniæ, qui vivens, & repatriare intendens Regni Hierosolymitani Coronam recipere renuerat, Isabellam desponsavit Reginam; & sic duorum Regnorum effectus est Rex.

Inter hæc Saladinus moritur apud Damascum. At ubi spem vitæ suæ amisit, ad signiferum suum ait: Tu in bello vexilla mea portare solebas; fer nunc mortis mei vexillum; Et imposito super lancea panno syrico, proclama: Ecce Rex Orientis moriens nil amplius, quàm vilem hunc pannum de tota sua gloria secum portat. Filios quoque tali instruxit exemplo Jussit enim singulos suos arcus afferre, omnesque simul admodum ligari fasciculis, & frangendos exhibuit singulis; nec quisquam frangere potuit; divisos autem suum quisque leviter fregit. Tunc ille intulit: Et vos simul unitos nullus frangere, separatos autem leviter superare poterit. Et inter eos divisit Regna.

Pars XI.

HIs diebus mortuo Bela Rege Hungariæ Emericus filius succedit in Regno, Regina autem cum multo apparatu Achon ivit, & citò obiit. Rex iste fratrem habebat Andream, qui erga eum conspirationem fecit; sed dum uterque exercitum produxisset, Rex fratri resistere nequibat. Tunc depositis armis solus cum Regali Virga aciem hostium intravit, dicens: Quis erit ausus manus extendere ad cruorem Regalis prosapiæ? Et sic omnes ad se attrahens fratrem captivavit:

Henricus Imperator audiens, quòd conjux esset gravida, & admirans, cùm quinquagesimum transisset annum, consuluit Abbatem Joachim, rogans, ut interpretaretur quædam dicta Merlini, & Sybillæ Eritreheæ: quod & fecit, dicens, quòd Federicus esset filius ejus & dictæ Constantiæ, & multa prædixit sibi de filio, & Successoribus suis, & specialiter quòd debebat mori in partibus Melatii, & quando; & sic accidit.

Pars XII.

HIc Ducis anno sexto apud Castrum Joannis Venetorum antiquata fœdera cum subjectis Imperii renovavit.

Pars XIII.

ISachus Constantinopolitanũ gubernans Imperium, fratrem habebat Alexium nomine, qui à Turchis captivus detinebatur. Itaque multis pecuniis, missisque Legatis captivum redimit, cunctis de Imperio suo præponit, & tamquam fratri carissimo præter Coronam & Imperii dignitatem, potestatemque omnium tradidit agendorum. Erat enim in armis strenuus, sed animo improbus. Cogitat itaque fratri & Domino pro fructu reddere pœnam, & pro pietate dolum. Ambitionis enim permotus stimulis, per ampla donaria seductis potentioribus Græcorum, usurpare sibi præsumpsit Imperium, Imperatorem excœcare, ejusque filium Alexium XII. ferè annorum carceri mancipare. Sed Dei nutu puer iste de carcere lapsus ad Regis Hungariæ confugit auxilium.

Pars XIV.

ALexio igitur Imperatori Dux pro renovatione Crusoboli, & restitutione damnorum ab Isacho promissa, Reinerium Zeno, & Marinum Mastropetro Legatos mittit, cum quibus, dum petita obtinere nequirent, Imperator Joannem Cataflorum Apocrysarium Duci delegat.

Pars XV.

DUx enim requisitionibus Imperialibus dissentiens Henricum Navigajoso, Andream Donato, & Benedictum Galliono, Alexio remittit. Et hi non concordes cum Protosevasto Joanne Monucopulo Legato redeunt. Sed cùm Ale-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi: Postmodum Pisani, & Veneti inter se pacificati sunt, & captivi Pisanorum eis liberè sunt redditi.

Alexius Venetorum petitiones admittere non intenderet, & timeret, ne Veneti erga eum nepoti assisterent, per hunc Nuntium tractata ad moram protrahit.

Pars XVI.

DUx autem celerem finem appetens, cum illo Petrum Michaëlem, & Octavianum Quirino Ambasciatores Imperatoris transmittit, qui à Nuntiis audiens, quòd timebat, largiorem Crusobolium solito, & restitutionem damnorum Venetis indulsit.

Pars XVII.

EOdem anno Cœlestino Papa mortuo Innocentius III. natione Campanus successit. Hic subtilis fuit valde tam in jure, quàm in Theologia, & factis Cardinalibus gratus fuit nimis.

Pars XVIII.

HEnricus Imperator Panormi moritur, qui per Tyrannidem in Regno multos & magnos peremit, & Prælatos trucidavit. Propter quæ Papa promotioni Philippi fratris ejus, in discordia Imperatoris electi, contrarius fuit, omnesque fautores ejus excommunicavit. Ottoni verò, Duci Saxoniæ viriliter adhæsit, & eum Aquisgrani in Regem Germaniæ coronari fecit.

Anno septimo multi in Gallia prædicatione Fulconis Sacerdotis Cruce signati, cum multis laboribus venerunt Venetias; sed quia inordinatè venerunt, nihil profecerunt.

Pars XIX.

SEquenti anno devotus vir Dominicus Franco, qui jam apud Ecclesiam Sancti Andreæ de Aymanis Canonicorum Regularium cum observantiis arctæ vitæ Conventum solemniter instituerat, nunc à Marco Nicolai Castellano Episcopo duas tumbas litoris obtinens, Monasterium sub vocabulo Sancti Andreæ Apostoli de novo fundavit, Canonicorumque ejusdem Regulæ ibi Deo servientium Prior effectus est. Plura etiam alia Monasteria idem perficiens, denique moritur, & in sua Ecclesia piè sepelitur.

Post Joannem Signolo Patriarcham Benedictus Faledro, existens Primicerius Sancti Marci, Patriarcha effectus est.

Pars XX.

HUjus Anno nono cùm Archiepiscopus Tyrensis Ecclesiam Sancti Marci de Tyro jamdudum Capellæ Ducali subjectam super jus Parochiale impeteret, Judices sibi suffraganeos impetravit. Qui ex causa recusati, lite non contestata, contra Ecclesiam sententiam protulerunt, à qua exstitit appellatum. Nunc Dux ob hoc Ursum Baduario, & Marinum Jacobæ, Papæ Legatos mittit, quibus prosequentibus sententia annullata est, & Ecclesia Sancti Marci in jure suo integraliter restituta, & ad perpetuam memoriam hæc notata est decisa, ut l. non contestatum C. accedens.

Pars XXI.

EOdem Anno inter Venetos, & Pisanos non sopitâ discordiâ, Pisanorum Classis Brun-

A dusinorum freta subsidio, vias Adriaci maris Venetis claudit. Dux hoc grave ferens paratum stolum cum Joanne Basilio, & Thoma Faledro Capitaneis ad aperiendum mare mittit. Sed cùm Pisani timorati jam aufugissent, Brundusinæ Civitati, quæ illis victualia exhibebat, hi injurias & damna maxima intulerunt, & illos postea correctos ad solitam Venetorum amicitiam receperunt.

Pars XXII.

HIs diebus Peregrinus Aquilegiensis Patriarcha, ut Tarvisinos sibi æmulos faciliùs comprimeret, Venetis confœderatur, & Civis

B efficitur, & congruas possessiones Venetiis emit, & erga eorum inimicos armigerum auxilium exhibere annuit. Dux autem victualia, & commercia Tarvisinis subtraxit, & ne unus absque reliquo cum illis componat, vicissim pacti sunt.

Pars XXIII.

ANno Ducis decimo Nuntii Balduini Comitis Flandrensis, Ludovici Comitis Blesensis, & Theobaldi Comitis Trecensis Venetias accedentes, cum Duce & Venetis pro recuperatione Hierusalem, & Sancti Sepulchri confœderati sunt.

Eis enim promisit Dux pro quatuor millibus

C & quingentis equitibus, & octo millibus peditibus transfretandis navigia, & victualia opportuna eorum sumtibus, & quinquaginta galêas stipendiis Venetorum præparatas quàm citiùs exhibere; & vicissim per annum integrum in Dei servitio perseverare, & acquirenda æqualiter dividere pacti sunt.

Pars XXIV.

DUx licèt senex corpore, animo tamen magnanimus, ad exequendum hoc personaliter se obtulit; & ejus pia dispositio à Concione laudatur; & decernitur, ut eo absente vir inclytus Raynerius Dandulo natus ejus Patris

D vice fungatur.

Pars XXV.

SEquenti anno paratis galêis, & aliis navigiis, Comites Gallici cum militia equestri & pedestri ascendunt naves, & Dux cum multitudine Venetorum, & Italicorum è Portu de mense Octobris feliciter exeunt; trecentorum enim navigiorum ferè stolus erat.

Pars XXVI.

DUx tunc Tergestinos, & Muglenses Mare infestantes comprimere anhelans, cum

E parte stoli illuc divertit, & illos apertis portis obvios habuit, votivam fidelitatem & subjectionem offerentes. Dux autem mallens eos fideles, quàm subjectos acquirere, de perpetua fidelitate servanda, & immunitate Venetorum, & annuali censu quinquaginta urnarum vini à Tergestinis, & XXV. à Muglensibus sibi & Successoribus exhibendo promissionem suscepit; & illi missis Syndicis Venetias, hæc observare polliciti sunt.

Pars

Pars XXVII.

DUx illico secedens cum stolo Jadram pervênit, quæ favore Regis Hungariæ in rebellione hucusque permanserat; & obtemperantibus Francis Incolas monuit, ut solita ad eum subjectione redirent. Quibus renuentibus jubet Dux arma capere, & contra Civitatem insultum facere. Illi integra die renovatis instabant viribus. Jadrenses itaque pondus prœlii non ferentes, mane sequenti se voluntati Ducis sinè aliqua conditione submiserunt. Dux autem consilio totius Populi Veneti tunc præsentis maritimos muros circumquaque dirui fecit, & ibidem hyemare disposuit. Cives (a) itaque Jadræ Ducis gratiam non mereri formidantes, & de Regio favore confisi, ex Urbe exiverunt.

Pars XXVIII.

INterim puer nobilis Alexius nomine, filius Isachii quondam Imperatoris Constantinopolitani ex sorore Regis Hungariæ, Venetias vênit, credens Ducem invenire. Quo non invento, Jadram properavit, honorificè sociatus, & cum literis Philippi Romanorum Regis, qui Filiam Isachi habebat Uxorem, apud quem puer fuerat educatus, Regisque Hungariæ multis recommendationibus. Exponitur quoque pueri, & Patris miserabilis casus; & Venetorum petit opem atque consilium, quibus mediantibus sibi debitum recuperare possit Imperium. Promittit Venetis triginta millia marcharum summam, quam pro restitutione ablatorum per Emanuelem recipere debebant; & Proceribus Franciæ pecuniam, quam pro naulo dederant, si ei succursum præbeant, ac de Fisco suo cuncta exercitui ministrare; Ecclesiam etiam Constantinopolitanam Romanæ Ecclesiæ subjiciendo unire. Dux itaque tam fidelium, quàm prænominatorum Baronum cōmunicato consilio, benignè pueri assumunt negotia; illeque jurat servare promissa. Erant autem sibi favorabiles Franci, quia Emanuel Imperator filio suo Alexio Agnetem filiam Ludovici Regis Franciæ accepit uxorem.

Pars XXIX.

VEris adveniente tempore Veneti se mari & ventis committunt. Jadrenses illico Patria exules Venetos navigantes non modicum infestabant. At Ducis natus, missis galêis & navibus, ædificaverunt quoddam Castellum in Insula Malconsejo ante Jadram, ubi plurima conidens acies armatorum prohibebant Jadrensem Urbem ingredi, eos per mare undique insequentes Jadrenses tunc cum stipendio Regis acceptis X. galêis Cajetanorum, præsidium Venetorum impugnant & obtinent, & in Urbem jam desolatam redeunt, & timentes stolum, quem Veneti denuo præparaverant, per suos Nuntios gratiam implorant, & offerunt perpetuam fidelitatem, obsides, & cantationem laudum exhibere, Comitemque de Venetis eligere,

A & Archiepiscopum, qui reverentiam & obedientiam Primati debitam Gradensi exhibeat Patriarchæ, & erga hostes Venetorum insurgere, & annuatim tria millia pellium cunicularum tribuere. Qua oblatione benignè accepta ad gratiam restituti sunt.

Dux autem cum stolo non procul Constantinopolim tamdem pervênit; Alexius autem, qui Imperium occupaverat, hæc præsciens à loco Manganæ usque Galatas catenam transponi propugnaculis communitam fecerat, quæ ingressum penitus prohibebat. Mittit igitur Dux solemniter Alexio Imperatori ex parte sua, & Procerum Franciæ prædictorum, ut Imperium, quod fraudulenter occupaverat, resignet puero, quem secum duxerant, cui debetur ex jure. Quo renuente peritorum consilio paratur navis vocatâ *Aquila* magna valde, quæ impulsione Venetorum elevatis velis appositam confregit catenam, & sic stolus liberè Portum introivit.

Pars XXX.

TUnc disponitur prœlium. Græci infra mœnia Civitatis se undique recipiunt. Diebus septem terra marique Civitas expugnatur, & frequenti ac vario conflictu Latinis victoria obvenit. Octavo die Imperator egrediens (b) cum XXX. millibus equitum, & innumerabili multitudine peditum ad dimicandum contra Latinos acies ordinat. Sed proditor ille cernens Latinorum constantiam, infra muros (c) retrocedens multis comminationibus pugnare in crastino asseverat. Sequenti tamen nocte latenter effugit. In crastino Latini Urbem viriliter impugnant. Multi Gallorum cum scalis per muros ascendentes, inter Græcos se audacter præcipitaverunt, & magnam stragem ediderunt. Dum autem pauciores comprimerentur, Dux cum Venetis Civitatem irrupit, & licèt senex, & visu debilis, fortis tamen, & fremens animo, Gallis pugnantibus se adjunxit, & cunctis acerrimè pugnantibus, recalescentibus præcordiis, ac viribus sæpiùs & sæpiùs renovatis, hostes cædendo retrocedere cogunt; & tamdem Græcis ex toto cedentibus Civitas capta est.

Pars XXXI.

CApta Civitate Pater adolescentis in Palatio dominatur extractus ex carcere. Adolescens etiam à Græcis in Imperatorem eligitur. Mane facto portæ aperiuntur, Græci inermes suum quærunt electum, qui tam in Ecclesia majori, quàm in Palatio Imperiali solemniter coronatur, & promissa, adepto Imperio, sinè mora Francis implevit, sed non æquè Venetis, ut in eorum continetur Historia. Francorum tamen Historia narrat, ducenta millia marcharum data communiter Francis, & Venetis. Rogant consequenter Pater & filius Latinos, ut secum tota hyeme proxima commorentur. Pacta de obedientia Romanæ Ecclesiæ, & succursu Terræ Sanctæ innovantur, & confirmantur.

Pars

(a) *Cod. Amb.* divites, *pro* Cives.
(b) *Cod. Amb. addit*: è Porta Romana, & perveniens ad Portam Blanchanam cum &c.
(c) *In Codice Ambrosiano hæc adduntur; facto monito ista reperiri tantùm in Codice Contareno*: Veneti tunc Gallis se jungunt, & an dimicandum esset, an intra Castra, & Vallum permanendum, consultant. Andreas Maranzanus fortissimus eques suadet à prœlio abstinendum, cùm equi suorum, & mare jactati, & macie confecti sint, & quàm plures interierint; cujus consilio cùm omnes assensissent, intra Vallum cum Ballistariis ita se tutati sunt; ut Græci re infecta intra Urbem redierint.

Pars XXXII.

INterim instructus quidam vir Murciphus (*) nomine pravis consiliis erga puerum iniquè agens, & tamdem ei bellum inferens, mortuo in bello puero, Imperium sibimet violenter assumsit. Antea quoque Bonifacius Montisferrati Marchio, & Henricus Comes Sancti Pauli, & aliorum ingens multitudo pro succursu Terræ Sanctæ Latinis adjuncti sunt.

(*) *In Codice Ambrosiano adnotatur*: Hunc alii Marsilepsum appellant, & consanguineum Alexii faciunt, extractumque è carcere, & ab ipso Alexio prope comitem in Imperio factum.

(**) *In calce Codicis Ambrosiani additur hoc.*

Pactum Domini Balduini Comitis Flandrensis, & Theobaldi Comitis Trecenensis, & Lodovici Comitis Blesensis, fratrum, cum Domino Henrico Dandulo Duce Venetiarum pro passagio Terræ Sanctæ.

,, FRequenter manifestum est, evenisse, quòd
,, Hierosolymitana Regio occupata est à
,, Paganis, quando & sicut placuit Domi-
,, no, ad ejus laudem, & gloriam liberata,
,, sed incolatus hujus nostri temporis Regionis
,, illius in tantum est lachrymabilis continuò
,, subsequuta, ut ab adversariis Crucis Christi
,, multiplicata sibi phalange nequitiæ, capta
,, Hierusalem, in qua Corpus jacuit salutare,
,, captæ sint Civitates aliæ, & Castella, itaut,
,, nonnisi pauca loca remanserint, quæ non in
,, eorum devenerint potestatem, quod credere
,, non debemus ut ex injustitia Judicis ferientis,
,, sed ex iniquitate Populi potiùs delinquentis
,, provenerit, cùm legamus; Quòd quando Po-
,, pulus convertebatur ad Dominum, perseque-
,, batur unus mille, & duo transmovebant de-
,, na millia; Nam si voluisset Dominus, inex-
,, timabili Judicio suam injuriam vindicasset;
,, Sed experiri fortè voluit, & in notitiam du-
,, cere Christianis, si aliquis sit intelligens, aut
,, sit requirens Dominum, qui ostensum sibi pœ-
,, nitentiæ tempus, amplectatur gaudenter, &
,, apprehendat arma & scutum, & surgat in
,, adjutorium ejus. Ad cujus terræ liberationem,
,, licèt Principes multi, Imperator Romanus,
,, Reges Franciæ, & Angliæ, Duces, Marchio-
,, nes, Comites, & Barones in numero, &
,, alii accincti gladio fortitudinis properassent,
,, quia in servitio illius minùs plenè unanimes
,, extiterunt, non multum in illis partibus pro-
,, fecerunt. Placuit itaque Domino temporibus
,, istis vobis clarissimis Principibus Balduino
,, Flandrensi, & ..... & Theobaldo Trecenensi
,, Palatino, & Lodovico Blesensi, & Clare-
,, montis ...... & aliis exacti sanguinis viris
,, inspirare, ut Crucis charactere insigniti, &
,, in suum servitium arma sumeretis contra Bar-
,, baras pravitates. Unde vos decora maturita-
,, te pensantes, nec videntes quòd Terræ San-
,, ctæ possit unquam tam salubriter subveniri,
,, & adversariorum colla domari, quàm si asso-
,, ciati nobiscum, auctore Domino, servitium
,, hoc faciendum simul assumeremus. Quare ad
,, vos viros utique nobiles Cononem de Beti-
,, nia, Gaufredum Mereschalcum, Joannem de
,, Friges, Alardum Maquarellum, Milonem de
,, Privino, & Gualterium de Gaudonilla trans-
,, misistis, supplicantes attentiùs, ut Divinæ mi-
,, serationis intuitu vobis daremus consilium,
,, & auxilium in hoc facto. Quia vos & vestra
,, nostro prorsus consilio, & voluntati expone-
,, batis, & nostro consilio facere cuncta vole-
,, batis, quæ fuerant facienda. Quos nos En-
,, ricus Dandulus Dei gratia Venetiæ, Dalma-
,, tiæ, atque Croatiæ Dux audientes, nuntiis,
,, & literis ex vestra parte porrectis, ea, qua
,, decuit honorificentia, & alacritate receptis,
,, ex intimo fuimus nostræ mentis gavisi, &
,, prædecessorum nostrorum memoriam facien-
,, tes, qui Hierosolymitano Regno tempore op-
,, portunitatis magnificè succurrerunt, unde
,, adepti fuerunt, volente Domino, gloriam,
,, & honorem. Ad exhortationem etiam Sum-
,, mi Pontificis, qui ad hoc nos sæpiùs pater-
,, na sollicitatione commonuit, & quod non
,, ambigimus vos velle devotè, & cum puri-
,, tate fiducialiter laborare, preces vestras in
,, honore Domini admisimus affectu cordis, &
,, totius animi. Diligenter igitur petierunt su-
,, pradicti viri, ut vobis navigium daremus ad
,, transferendos 4500. milites bene armatos, &
,, totidem equos, & novem millia scutiferos,
,, de quibus scutiferis, si defecerint, argentum
,, inferiùs dictum nobis, tamen minus non de-
,, bet, & 20000. pedites bene armatos, cum
,, victualibus ad annum unum, quod eis dare
,, promisimus. Victualia uniuscujusque hominis
,, talia sunt. Pro unoquoque homine sexteria
,, sex inter panem, farinam, & bladum, & le-
,, gumina, & dimidiam amphoram vini. Prò
,, unoquoque equo modia tria ad mensuram
,, Venetam, & de aqua, quantum sufficiens
,, erit, ad transfretandos prædictos equos tot
,, usceriοs dare debemus, quot fuerint necessa-
,, rii, convenienter; Naves autem ad transfre-
,, tandos homines tot dabimus, quot erunt suf-
,, ficientes, secundùm discretionem nostram,
,, & Baronum nostrorum bona fide, & hoc na-
,, vigium supradictum dari debet à Festo San-
,, ctorum Apostolorum Petri & Pauli proximo
,, venturo, ad honorem Dei, & Beati Marci
,, Evangelistæ, & Christianitatis, usque ad an-
,, num unum, si oportuerit, nisi nostra, & ve-
,, stra remanserit voluntate communi. Super
,, his autem & nos propria voluntate nostra
,, quinquaginta galèas armatas dare debemus in
,, Dei servitium, quæ similiter erunt in servi-
,, tium Domini per annum, si oportuerit, nisi
,, nostra, & vestra communi voluntate reman-
,, serit. Propter quæ nobis dare debetis octua-
,, ginta quinque millia marcharum puri argenti
,, ad pondus Coloniæ, quo utitur terra nostra,
,, de quibus hinc ad Kal. Augusti habere debe-
,, mus 15000. marcharum, & inde ad Festum
,, omnium Sanctorum alia 10000., abinde verò
,, usque ad Purificationem B. Mariæ alia 10000.
,, Deinde autem usque per totum mensem Apri-
,, lis priùs venturum reliqua 50000. habere de-
,, bemus, & per totum eundem mensem & ho-
,, mines, & equi cum omnibus necessariis in-
,, veniri omne debeant ad transfretandum, &
,, debeant ire, & stare in servitio Domini per
,, unum annum, si oportuerit, nisi de commu-
,, ni voluntate nostra, & vestra remanserit.
,, Nec est prætermittendum, quòd victualia com-
,, parare non debetis à Cremona infra, versùs
,, Venetias, & à Bononia, Imola, Faventia
,, infra versùs Venetias, nisi verbo nostro, &
,, debet inter nos, & vos firma societas, & ta-
,, lis esse, quòd nos debemus vos bene tracta-
,, re, & vos nos, & si, Deo favente, per vim,
,, vel conventionem aliquid fuerimus acquisiti
,, communiter, vel divisim, nos ex eo omni
,, medietatem habere debemus, & vos aliam
,, medietatem. Quæ omnia superiùs comprehen-
,, sa, nuncii vestri prædicti per se, & super
,, animas vestras pro parte vestra ad Evangelia
,, Sancta Dei juraverunt, quòd per vos, & eos
,, servata erunt, & quòd vos ipsi sic servatu-
,, ros jurabitis, & Barones vestros jurare facie-
,, tis, quòd hæc servabunt, & totam gentem,
,, quæ ex parte vestra fuerit, nisi nostra reman-
,, serit voluntate. Hoc & jurare facietis Domi-
,, num Regem Franciæ si poteritis, Nos autem
,, ea, quæ suprascripta sunt de navigio, vobis
,, dando, servatis his, quæ sunt ex parte ve-
,, stra vobis promissa, servaturos juravimus,
,, & totum alium ordinem superiùs comprehen-
,, sum, si cum exercitu isto venerimus, quod
,, & Barones nostri pariter juraverunt. Si verò
,, cum

Pars XXXIII.

HÆc audiens Dux de Baronum ac ceterorum Nobilium consilio & voluntate Civitatem aggredi deliberant, & conveniunt, ut si Deo prævio Urbem capi contigerit, de invento mobili Veneti satisfactionem obtineant, & residui æqualis fiat divisio; (**) & illi exemptiones & honorificentias, quas in Imperio tempore Græcorum habuerant, de cetero habeant;

A ,, cum suprascripto exercitu non venerimus, hi,
,, qui hoc loco fuerint in ipso negotio suppo-
,, siti, sic servaturos jurabunt, & facient om-
,, nes alios jurare, qui ex parte nostra in isto
,, exercitu erunt, nisi vestra remanserit volun-
,, tate. Ad hæc pro nostra nostrorumque nuncio-
,, rum supradictorum voluntate statutum est,
,, quòd ab utraque parte viri sex eligi debeant,
,, ut si fortè aliquid scandali, quod Deus aver-
,, tat, inter gentem nostram & vestram exor-
,, tum fuerit, quòd per eos ad concordiam, &
,, reformationem pacificari debeat, & hoc qui-
,, dem suo Juramento bona fide tractabunt. De
,, concordia autem ista simul facta à D. Papa
,, exscriptum pariter fieri facietis, ut si qua par-
,, tium à conservatione pactionis hujus discede-
,, ret, id ei gravaminis, quod rectè sustinere
,, debeat, imponatur. Ut autem scriptum hoc
,, robur obtineat firmitatis, ipsum Bullâ plum-
B ,, bea typario nostro impressa jussimus in calce
,, muniri.
,, Actum est Venetiis, in Rivoalto, in Pa-
,, latio prædicti D. Ducis; datum per manus
,, Andreæ Corrado Presbyteri, & nostræ Cu-
,, riæ Cancellarii, Anno Incarnationis Domini
,, MCCI. mensis Aprilis, Indict. IV. anno En-
,, rici Danduli X.
,, Ego Vivianus scriptor Notarius & Judex
,, D. Enrici Romanorum Imperatoris, auten-
,, ticum hujus vidi, & legi, nec addidi, nec
,, minui, nisi quod in eo inveni, idque fideli-
,, ter in libro isto exemplavi, & propria manu
,, mea firmavi, atque comprobavi.

Pactum initum inter D. Enricum Ducem Venetum, & Bonifacium Marchionem Montisferrati.

C ,, PLerumque manifestum est evenisse, quòd
,, Hierosolymitana Regio &c., ut in In-
,, strumento retroscripto ad verbum, exce-
,, pta subscriptione Notarii, nam ubi in eo le-
,, gitur, datum per manus Andreæ Corrado
,, Presbyteri, hic est, per manum Pasqualis
,, Mauro, cum subscriptione nihilominus alte-
,, rius Notarii, videlicet Viviani, ut retro,
,, eisdem anno, mense, & die.

Sacramentum nuntiorum Balduini Comitis Flandrensis factum inclyto Domino Duci Enrico Dandulo pro passagio Terræ Sanctæ.

,, CUm nobilissimus Dominus noster Baldui-
,, nus Comes Flandrensis, & Hanoven.
,, divinitus inspiratus, Crucis Sanctæ signa-
D ,, culum in servitium Domini transiturus hu-
,, meris affixisset, & (sicut quod in cunctis pro-
,, vida deliberatione procedit) pensare cœpisset,
,, quomodo votum suum utiliter posset adim-
,, plere, decidit in credulitatem ejus, quòd à
,, nullo Principe seculi possit terræ Hierosoly-
,, mitanæ tam salubriter, quàm per vos Domi-
,, ne Henrice Dandule Dei gratia Venetiarum,
,, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux inclyte subve-
,, niri, dictus Dominus noster, nos Cononem
,, de Betinia, Alardum Maquarellum ad vos,
,, tanquam ad Christianissimum Principem fidu-
,, cialiter transmisit, ut vobis ex parte devo-
,, tionis suæ supplicantes, ad tam pium, & sa-
,, lutare propositum vestrum consilium præsta-
,, retis, & auxilium, quia paratus est se, &
,, sua vestro consilio exponere, & voluntati,
,, & in omnibus, quæ super hoc fuerint ne-
,, cessaria, vestra procedere voluntate. Cùm
E ,, igitur destinati ad vestram præstantiam (*ali-*
,, *bi* præsentiam) venimus, & literas, quas ex
,, parte dicti Domini nostri vobis porreximus,
,, hilari, & gratuito suscepistis aspectu, & ad
,, ea, propter quæ venimus, favorabile dedi-
,, stis responsum. Continentia autem prædicta-
,, rum literarum talis est, quod super his, quæ
,, vobis ex parte ipsius diceremus, nobis tan-
,, quam ei indubitanter crederetis, scientes pro
,, certo, quòd quascumque petitiones vobiscum
,, ex parte sua habuerimus, tanquam si eas in
,, persona propria fecerit, ratas habebit, & fir-
,, miter observabit, si quod etiam sacramen-
,, tum in nomine ejus vobis fecissemus, ratum
,, tenebit, & in animam suam, & tanquam à
,, se ipso factum penitus reputabit. Et propte-
,, rea dedit nobis pergamenum hoc vacuum,

,, suo sigillo munitum, in quo scribitur prædi-
,, ctum Comitem ratum, & firmum habere quid-
,, quid pro eo vobiscum statuerimus, juravimus
,, etiam per nos, & super animam prædicti
,, Domini nostri, quòd ea, quæ continentur
,, in Instrumento pactionis, quod deferimus
,, vobis Anno Verbi Incarnati MCCI., quod-
,, que Sigillis nostris communivimus, firmum
,, & ratum habebitur, per eum, & hoc per se
,, jurabit, & alios suos jurare faciet, quod ita
,, erit firmiter observatum. Actum Venetiis eo-
,, dem anno, mense Aprilis &c.

Sacramentum Theobaldi Comitis Trecenensis, & Palatini, factum præfato Domino Enrico Dandulo Duci.

,, CUm nobilissimus Dominus noster Theo-
,, baldus Trecenensis Comes Palatinus,
,, divinitus inspiratus, Crucis sibi signa-
,, culum transiturus in servitium Domini hu-
,, meris affixisset, & (sicut qui in cunctis pro-
,, vida deliberatione) &c. ut supra, præter-
,, quamquod nomina Oratorum missorum diver-
,, sa sunt, videlicet Gaufredus Marescalchus,
,, & Milo de Privino.

Sacramentum Ludovici Comitis Blesensis, & Claromontis factum præfato Domino Enrico Dandulo.

,, CUm Clarissimus D. noster Ludovicus Co-
,, mes Blesensis, & Claromontis &c. ut
,, supra, nomina Oratorum sunt, Jo: de
,, Ficasa, & Gualterius de Gandovilla.

Pactum inter Bonifacium Marchionem Montisferrati, Balduinum Comitem Flandrensem, Ludovicum Comitem Blesensem, & Enricum Comitem S. Pauli in captione Urbis Constantinopolitanæ, vice secunda, post primam captionem, cum D. Enrico Dandulo Duce, videlicet.

,, NOs quidem Enricus Dandulus Dei gra-
,, tia Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ
,, Dux, pro parte vestra, vobiscum Il-
,, lustrissimi, & Clari Principes, Bonifaci Mon-
,, tisferrati Marchio, & Balduine Comes Flan-
,, driæ, & Hanov., Ludovice Comes Blesen-
,, sis, & Claromontis, & Enrice Comes Sancti
,, Pauli, & cum parte vestra, ad hoc ut uni-
,, tas, & firma inter nos possit esse concordia,
,, & ad omnem materiam scandali evitandam,
,, ipso cooperante, qui est pax nostra, & fecit
,, utraque unum, ad cujus laudem, & gloriam,
,, talem duximus ordinem observandum, utra-
,, que parte juramento astricta; In primis om-
,, nium armata manu (Christi nomine invoca-
,, to) Civitatem expugnare debemus, et si Di-
,, vina auxiliante Potentia Civitatem intrave-
,, rimus, sub eorum regimine debemus manere
,, & ire, qui fuerunt super exercitu præelecti,
,, & eos sequi, secundùm quod fuerit ordina-
,, tum, totum quidem havere, quod in Civi-
,, tate inventum fuerit, à quolibet duci debet,
,, & poni in communi, eo loco, quo fuerit or-
,, dinatum, de quo tamen havere nobis, & ho-
,, minibus nostris Venetis tres partes debent
,, solvi, pro illo ut havere, quod Alexius quon-
,, dam Imperator, nobis & vobis solvere tene-
,, batur. Quartam verò partem vobis retinere
,, debetis, donec fuerimus ipsa solutione coæ-
,, quales, si autem aliquid residuatum fuerit,
,, per medietatem inter nos, & vos dividere,
,, usque dum fuerimus appattati. Si verò mi-
,, nus fuerit, ita quòd non possit sufficere ad
,, memoratum debitum persolvendum, unde-
,, cunque fuerit priùs dictum havere acquisitum,
,, ex eo debemus dictum ordinem observare,
,, salvis tamen victualibus, quæ debent obser-
,, vari, & dividi tam nostris, quàm vestris
,, æqualiter, ita quòd utraque pars possit inde
,, congruè substentari. Quod autem residuatum
,, fuerit, debet dividi cum alio havere, juxta
,, ordinem prænominatum. Nos etiam, & ho-
,, mines Veneti liberè, & absolutè absque omni
,, controversia per totum Imperium habere de-
,, bemus omnes honorificentias, & possessio-
,, nes, quas quidem habere consueveramus,
,, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus,

„ & omnes nationes, sive consuetudines, quæ „ sunt cum scripto, & sinè scripto, debent „ etiam eligi sex homines pro parte nostra, & „ sex pro vestra, qui juramento astricti, eam „ personam eligere debent de exercitu, quam „ credent melius scire tenere, & melius posse „ tenere, & melius scire ordinare terram, & „ Imperium ad honorem Dei, & Sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii. Et si in unum „ fuerint concordes, illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint. „ Si verò sex in unam partem, & sex in aliam „ concordaverint, sors mitti debet, & super „ quem sors ceciderit debemus pro Imperatore „ habere. Et si plures consenserint in unam „ partem, quàm in aliam, illum Imperatorem „ habebimus, in quem major pars consenserit, „ si verò plures partes fuerint, quàm duæ, super quem major pars concordaverit, fit Imperator. Debet verò Imperator habere universam partem quartam acquisiti Imperii, & „ Palatium Blanchernæ, & Buccam Leonis. „ Reliquæ verò tres partes per medietatem inter nos & vos dividantur. Sciendum est etiam, „ quòd Clerici, qui de parte illa fuerint, de „ qua non fuerit Imperator electus, potestatem „ habebunt, Ecclesiam S. Sophiæ ordinandi, & „ Patriarcham eligendi, ad honorem Dei, & „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii. Clerici verò utriusque partis, illas Ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint. „ De possessionibus verò Ecclesiarum, tot & „ tantum Clericis, & Ecclesiis debet provideri, quò honorificè possint vivere, & sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesiarum „ dividi, & partiri debent, secundùm ordinem „ præsignatum. Insuper enim jurare debemus, „ tam ex nostra parte, quàm ex vestra, quòd „ ab ultimo die instantis mensis Martii morari „ debemus, usque ad annum expletum, ad Imperium, & Imperatorem manutenendum, ad „ honorem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, „ & Imperii, deinde verò in antea omnes, „ qui in Imperio remanserint, ipsi Imperatori „ astringi debent Juramento, secundùm bonam, „ & rationabilem consuetudinem. Et illi, qui „ tunc in Imperio remanserint, ut prædictum „ est, jurare debent, quòd firmas & stabiles „ partes & pactiones, quæ factæ fuerint habebunt. Est autem etiam sciendum, quòd à „ vestra, & nostra parte, duodecim homines, „ vel plures pro parte eligi debent, qui Juramento astricti, pheuda, & honorificentias „ inter homines distribuere debent, & servilia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, „ & Imperio facere debent, secundùm quod illis bonum videbitur, & conveniens apparebit; pheudum verò, quod unicuique assignatum fuerit, liberè, & absolutè possidere debeant de herede in heredem, tam in masculum, quam in fœminam, & plenam habeat „ potestatem ad faciendum quidquid suæ voluntatis fuerit, salvo tamen jure, & servitio „ Imperatoris, & Imperii. Imperatori verò „ reliqua servitia facere debent, quæ fuerint „ facienda, præter ea, quæ ipsi facient, qui „ pheuda, & honorificentias possidebunt, secundùm ordinem sibi injunctum. Statutum „ est etiam, quòd nemo hominum alicujus gentis, quæ communem guerram nobiscum, aut „ cum successoribus nostris, vel Venetis habuerit, recipiatur in Imperio, donec guerra „ illa fuerit pacifica. Teneatur etiam utraque „ pars ad dandam operam bona fide, ut hoc a „ Domino Papa possit impetrari; Quod si aliquis contra hanc Constitutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper & Imperator jurare debet, quòd „ firmas, & stabiles pactiones, & dationes, quæ „ factæ fuerint, irrevocabiliter habebit secundùm omnem ordinem superiùs distinctum. „ Si verò aliquid suprascriptis omnibus fuerit „ addendum, vel minuendum, in potestate, & „ discretione nostra, & nostrorum sex Consiliariorum, & D. Marchionis, & ejus sex Consiliariorum consistat. Sciendum est etiam, „ quòd vos præfate Domine Dux, non debetis „ Imperatori, qui fuerit electus in Imperio ad „ aliqua servitia facienda, Juramentum præstare propter aliquod datum, vel pheudum, sive „ honorificentiam, quæ vobis debeat assignari „ tam ille, vel illi, quem, vel quos loco vestro statueritis super his, quæ vobis fuerint „ assignata, debeant Juramento teneri ad omne „ servitium Imperatori, & Imperio faciendum, „ juxta omnem ordinem superiùs declaratum. „ Datum anno Domini 1204. mense Martii Indictione septima.

Pactum inter D. Enricum Dandulum Ducem, & Bonifacium Marchionem Montisferrati, & Balduinum Comitem Flandriæ, & Ludovicum Comitem Blesensem, pro captione Urbis Constantinopolitanæ.

„ IN nomine Dei æterni, Bonifacius Marchio, „ & Balduinus Flandrensis, & . . . . . Ludovicus Blesensis, & Claramontensis, Enricus S. Pauli Comites pro parte nostra, vobiscum vir inclyte Domine Enrice Dandule, „ Venetorum Dux cum parte vestra, ad hæc ut „ unitas &c. *ut in altero documento retroscripto ad verbum, mutatis tantùm personis in verbis, & nominibus.*

Pars terrarum Domini Ducis, & Communis, al. gentis Venetorum.

De prima parte Imperii Romaniæ, quæ devenit Communi Venetiarum.

Civitas Archadiopolis,
Missini,
Bulgarisigo,
Pertinentia Archadiopoli,
Pertinentia Pictis, & Nicodemi,
Civitas Heracleæ,
Pertinentia Caludro cum Civitate Rodesto, & Panedo cum omnibus, quæ sub ipsis,
Civitas Adrianopolis, cum omnibus, quæ sub ipsa,
Casalia Corici, vel Coltrichi,
Pertinentia Brachiali,
Sageedei, vel Saguelai.
Pertinentia de Muntimanis, & Sigopotomo, cum omnibus, quæ sub ipsis,
Pertinentia Gani,
Certasca Miriofitum,
Casalia de Raulatis, & Examilli,
Pertinentia Galli Poli,
Cortocopi Casalia,
Pertinentia Peristatus,
Emborium, *vel* Estborium,
Lazua & Lactu.

Hæc est secunda Pars terrarum D. Ducis, & Communis Venetiarum de secunda parte Imperii Romaniæ.

Provinciæ Lacedæmoniæ, Micra & Megali Epicephis,
Parva, & magna pertinentia Calobries, *vel* Calobrita,
Ostrones, *vel* Ostrovos, Provincia Colonis, Oreos, Caristos,
Antrus, Concilani, *vel* Conchi Latica, Cavisia, *vel* Nisia,
Egina & Calirus, *vel* Culuris, pertinentia Lapadi,
Zacinthos, Oprium, *vel* Orili,
Cæphalonia, Patre, Mothone, cum omnibus suis, scilicet pertinentiis de Brana,
Pertinentia de Catacha Gomo, cum Villis Chiræ Hermis filiæ Imperatoris, vel Kir Alexii, cum Villis de Molineti, & de ceteris Monasteriorum sub quibusdam Villis, quæ sunt Imperatoris, scilicet de Micra, & Megali epicepsi, scilicet parva, & magna Provincia Ricopalla, *vel* Nicopolla, cum pertinentiis de Artha, & Bohello de Anatholico, de Lesconis, & de ceteris . . . . . & Monasteriorum cum Cartolaratis,
Provincia Dirachii, & Arbani, cum Clominissa, *vel* Clavinissa de Vagnetia,
Provincia de Granina.
Provincia Drinopoli, Provincia Acridis, Leucas, & Coripho.

Pars terrarum Imperatoris, de prima parte Imperii Romaniæ.

A porta aurea, & Blachernali, & Occidentali Steno usque ad Michram, & Agatzopolim, Si-

beant; & postea sex pro parte eligi debeant, qui illum per majorem partem eorum Imperatorem eligant, quem sufficientiorem cognoverint; & electus Palatia Blachernæ, & Buchaleonis, & quartam partem Imperii pro honore suo, & honore Sedis percipiat, & reliquæ tres partes æqualiter dividantur, & hi Feuda distribuant, & servitia, ut viderint expedire.

Clerici quoque illius partis, de qua non fuerit Imperator assumtus ordinationis Patriarchæ, & Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ debeant habere, nec pro parte sibi contingente Imperatori de fidelitate, & servitio exhibendo aliquatenus teneantur.

Pars XXXIV.

PEractis itaque pactis Anno Ducis duodecimo, videlicet MCCIV. mense Martio cum mira constantia duas naves, quæ vocabantur *Paradisus*, & *Peregrina*, insimul ligarunt, & scalis compositis, ut ultra muros transirent, & insultum in Græcos violenter facerent, Murciphus ille Tyrannus aufugit, & Civitas in manibus Latinorum liberè remansit; & completa est Prophetia Sybillæ Erytreæ: *Fiet potentium in aquis Adriaticis congregatio, cæco praduce, Hircum ambigent, Bysantium prophanabunt, ædificia denigrabunt, spolia dispergentur; Hircus novus balabit, usque dum LIV. pedes, & IX. pollices, & semis præmensurati discurrant.* Nunc etiam Emanuelis scelesti scelus in Venetos perpetratum, per eum maximè, qui dum Legationis fungeretur officio, cœcum facere concupivit, auctore Deo dignè ultionis pœna punitum est.

Pars XXXV.

HAbita Civitate XII. eligendi pariter electi, (*) dum de idoneori ad Imperium scrutinium agerent, Gallorum unus Ducis Venetorum gesta collaudans, illum dignum Imperio nominavit; sed cùm ceteri id annuere viderentur, quidam Venetorum nobilis & fidelis senex, satis probabili oratione usus, nominatoris recommendans propositum, Comitem Balduinum Flandriæ aptiorem fore judicavit. Qui à reliquis comprobatus, & exercitui denunciatus, ab omnibus Imperator collaudatus est.

Pars XXXVI.

CReato Imperatore Thesaurus in Urbe inventus dividitur, & per portiones statutas, quarta pars Imperii ei consignatur, & ceteræ inter illum, & Venetos, partitæ sunt, & pluribus Nobilibus, qui onerum participes fuerant, Feuda cum servitio conceduntur, & acquirendi concessa facultas tribuitur.

Pars XXXVII.

VEnetiarum Dux, ut tanti triumphi memoria recolatur, & posteris prodeat, ad exem-

Similiter & ab ipsa Civitate Vezei usque ad Zurlo & Theodoropolin.

Pars terrarum Imperatoris de secunda parte Imperii.

Provincia Optimati,
Provincia Tarsiæ,
Provincia Nicomediæ,
Pulsiadæ, & Metanobis cum successibus, & cum omnibus, quæ sub ipsis.
Provincia Paphalagoniæ, & Micellarii, *vel* Nucellarii.
Denelmopoe, *vel* Provincia de Nealinopu, & Babriti, *vel* Pauriti,
Mitilene, *vel* Mitilini, & Limene cum Straer, *vel* Limni cum Schiro aquæ sunt infra Abydum, Insulæ scilicet Præconiso, &c. Ico, Istrobidarmos, & Tybos cum Samandrachio,
Provincia de Pilon, de Pition, de Geramon,
Provincia Malagini, Provincia Achirari, *vel* ....
Provincia Atramini.
De Chilaris &
De Pergamis,
Provincia Neocastri,
Provincia Milassi, & Melachmundi,
Provincia Laodiceæ, & Meandri cum pertinentia Sampson, & Smacliicum,
Cogrolte Phanasis, cum Canuzatis, & ceteris, absque (*al.* atque) Chio.

Pars terrarum Peregrinorum, de prima parte Imperii Romaniæ.

Provincia Macri, & Megali brisci,
Pertinentia Geenua,
Civitas Panfili cum omnibus, quæ sub ipsa,
Pertinentia Tulbi,
Civitas Apri cum omnibus, quæ sub pertinentia,
Didimochium cum omnibus, quæ sub ipsa,
Pertinentia de Cypsalis,
Pertinentia de Garelli,
Pertinentia de Tetucito,
Pertinentia de Hera,
Pertinentia de Macri de Garelli, &
Trajanopoli cum Casali de Brachon, *vel* Brato,
Pertinentia Scyphis, & Pagandi cum omnibus, quæ sub ipsa,
Pertinentia Madit: cum omnibus, quæ sub ipsa,
Jehaloticha cum omnibus, quæ sub ipsa, idest Anafartur, Tynsatos,
Yplagia, Potamia, & Acros, cum omnibus, quæ sub ipsa,
Pertinentia de Phitoro, pertinentia de Galavata,
Milinoro, pertinentia de Gallocastelli, pertinentia Sitoleuchi,
Carepanichiù, de Eno cum apothicis,
Catepanicium de Russa, cum omnibus, quæ sub ipso,
Et pertinentia de Agrionibario.

Pars terrarum Peregrinorum de secunda parte Imperii Romaniæ.

Provincia Vardarii,
Provincia Voriæ cum cartulatis, tamen ......
Clavizza est Panica,
Pertinentia Giro Comio,
Pertinentia Platomaleas, scilicet Platomonis,
Provincia Molistis, & Meglenon,
Provincia Prilapi, & Pelagoniæ cum stagno,
Provincia Presеppet, & Dodecanisos,
Orium Larillæ,
Provincia Oladriæ cum personalibus, & Monasterialibus in eis existentibus,
Provincia Siervion,
Provincia Castoreæ,
Provincia de Aucleos,
Pertinentia Inperaniciis, scilicet Fersalla, Doniochos, Revos, Tadria,
Almericum de Metriadimo, pertinentia Neopatron,
Provincia Velicati.... Pertinentia Penion, *videlicet* de Potamo,
Calaneo pagii & Raduisedim, & portum Athenarum, cum pertinentia Megaron.

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur:* Electorum fuere sex Transalpini, quatuor Veneti, & duo Lombardi; Vel quatuor Transalpini, sex Veneti, & duo Lombardi: Quinque Veneti favebant Veneto Duci, unus Pantaleo Barbus dissentit, quod diceret Transalpinos non daturos auxilium Imperatori Latino, sicque omnia in perniciem ruitura. Transalpini mallebant post Comitem Flandriæ Principem Venetum, quàm Comitem Montisferrati; Lombardi Venetum quàm Transalpinum mallebant, demum suadente Barbo electus est Comes Balduinus.

exemplum procerum assistentium consilio, Ducali titulo addidit: *Quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ Dominator*. Et novam armaturam sibi decrevit, quam suæ stirpis propinquis, & successoribus deferendam censuit. (*)

Pars XXXVIII.

CLerus postea Catholicus Venetorum Canonicos in Ecclesia Sanctæ Sophiæ præfecit, qui Venerabilem Virum Thomam Mauroceno genere nobilem, & moribus circumspectum, Patriarcham Constantinopolitanum concorditer elegerunt; electus quoque electioni consentiens cum Imperialibus, & Ducis Nuntiis pro obtinenda confirmatione Romam perrexit.

Pars XXXIX.

DEvoti etiam Principes Sanctorum occultatas Reliquias tamdem inveniunt; & obtinuit Dux mirificam Crucem auro inclusam, quam post inventionem Matris Constantinus in bellis secum detulerat, & ampullam Sanguinis miraculosi Jesu Christi, & brachium Sancti Georgii Martyris cum parte capitis Sancti Johannis Baptistæ, quas Dux mittens Venetias in sua Capella collocari jussit. Imperator autem coronam Christi apud se retinens de eodem Sanguine in Flandriam destinavit, & alias pretiosas Reliquias Regi Francorum misit, quas Ecclesiæ Sancti Dyonisii obtulit.

Pars XL.

INventis similiter corporibus Sanctarum Agathæ, & Luciæ Virginis, quæ Basilius & Constantinus Augustus de Sicilia deferri Constantinopolim fecerant, Dux obtentum corpus Sanctæ Luciæ Venetias in Monasterio Sancti Georgii mandavit, quod in Ecclesia ejus nomini dedicata repositum est. Corpus verò Beatæ Agathæ quibusdam Siculis Peregrinis concessum est.

Pars XLI.

PLebeji etiam Veneti nomine Andreas Balduino, & Angelus Drusiaco de Oratorio Sanctæ Mariæ adhærente Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ Corpus Sancti Symeonis Prophetæ cum labore auferunt, quod Venetias delatum in Ecclesia antiquitus sub Sancti vocabulo fabricata reponunt.

Pars XLII.

DEcimotertio itaque Ducis anno Bonifacius Montisferrati Marchio, cui Alexius Isachi

A Imperatoris genitus Insulam Cretæ donaverat, nunc Andrinopolim obsidens, Ravano de carceribus, & Marco Sanuto Ducis Venetiarum Nunciis, cui illa in divisione Imperii contigerat, totum jus, quod in eadem habebat, firmatis hinc inde conventionibus, plenissimè cessit.

Pars XLIII.

REx Blacorum, & Rex Bulgarorum cum Græcis, ac Turcis, & Cimianis, cum Latinis congressi eos vincunt, peremtis majoribus. Imperator enim Balduinus Andrinopolim à Constantinopoli V. distantem diætis obsederat, quæ in partem Venetorum cesserat, & rebellaverat;
B & cùm habituri essent in proximo Civitatem, audiens Imperator Comitis Ludovici, & aliorum repentinum insultum post Blachos Cimianos, quorum ad Benchas quatuor millium multitudo insidiis stabat, cùm eos secutus fuisset, trucidato Ludovico cum aliis, Imperator numquam comparuit, & paucis Constantinopolim redeuntibus, multitudo maritima Venetorum ad Urbem vocatam Rodosto faticata pervênit, & inde Constantinopolim. Inter hæc Tartari post occisionem Domini sui, antiquos terminos exeuntes, venerunt in exterminium populorum; prioribus enim temporibus super eos regnaverunt Indi eis confines, quorum Urbes . . . . fuit David filius quondam Johan-
C nis Presbyteri Dominatoris, & Regis Indiæ. Almericus Rex Hungariæ moriens Andream Fratrem educi fecit, filiumque parvulum heredem instituens, Fratrem tutorem decrevit, & post modicum puer obiit; Andreas autem in Regno succedit.

Pars XLIV.

NAtus Ducis, ejus vicem fungens, pro Breviariorum examinatione. Judices de novo statuit, qui nunc Examinatores appellantur.

Pars XLV.

D THomas igitur Mauroceno ab Innocentio Patriarcha effectus, cum literis Papæ Venetias accedit, & cum parato stolo Portum exit, & Ragusinæ Urbi, quæ Græcorum instinctu jam diu Venetis rebellaverat, bellum intulit; illique de Græcorum diffisi favore Civitatem Venetis reddiderunt.

Pars XLVI.

PAtriarcha postea secedens Durachium impugnavit, cepit, & muniit; & Constantinopolim inde pervênit. Murciphus invasor Imperii post fugam ad Alexium socerum vadit, qui

E

(*) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur*: Civitas Arcadiopolis Misino Bulgarifico, pertinentia Arcadiopoli, pertinentia Putis, & Nicodimi, Civitas Fradæ pertinentia Kaleidos cum Civitate Radusto, & Panedo cum omnibus, quæ sub ipsis, & Civitas Hadrianopolis cum omnibus, quæ sub ipsa pertinentia Ganicasali, Cortocopi Casalia Cotrichi, Carala, Mircofitum, pertinentia Peristat, pertinentia Brachiolli, Casalia de Raulatis, & Examilli, Embrorium Sagudai, pertinentia Gallipuli Lazu, & Lactu, pertinentia de Muntemanis, & Sigopotomo, cum omnibus, quæ sub ipsis. Item Provincia Lacedæmoniæ, Mier, & Megalli Epishepsis, idest parva, & magna, pertinentia Calobrita, Ostronos, Oreos, Caristos, Antras, Ægina, & Cuturis, ZaKintos, & Cæphalonia Provincia Coloniæ, & Conchilari, Canisia, pertinentia Lopadi, Orium Patr., & Methone cum omnibus suis pertinentiis de Brana, pertinentia de Catosino, & cum Villis Carcherinis filiæ Imperatoris Kyti Alexii, cum Villis de Molineti, de Panto-cortora, & de ceteris Monasteriorum, sive quibusdam Villis, quæ sunt in ipsis, scilicet de Mier, & Megalli Epishepsi, idest parva, & magna pertinentia Ricopala cum pertinentiis de Arta, de AKello, de Anatolico, de Lesianis, & de ceteris Archondurum, & Monasteriorum, Provincia Durachii, & Arbani cum Cartolorato; cum Glaviniza, Devagnetia, Provincia de Granina, Provincia de Armopoli, Provincia Archudæ, Leucas, & Corypho.

qui ab eo excœcatus, postea ad Latinorum manus perveniens in Constantinopoli turpiter vitam finivit.

Pars XLVII.

BAlduino Augusto Henricus Dago frater succedit. His itaque gestis elapsis à Ducis creatione annis XIII. die primo Junii idem in Constantinopoli feliciter obiit, & in atrio Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ sepelitur.

Quadraginta, qui Henricum Dandulo Ducem elegerunt, nomina hæc sunt.

Joannes Zeno,
Laurentius Teupolo,
Petrus Ziano,
Dominicus Bonaldo,
Joannes Stornato,
Petrus Delphino,
Leonardus Mazamano,
Dominicus de Canali,
Blasius Casiolo,
Petrus Justo,
Antonius Galileso,
Orius Gazulo,
Dominicus Superantio,
Dominicus Sylvo,
Thomas Barbadico,
Mapheus Justiniano,
Joannes Rosolo,
Antonius Aurio,
Dominicus Pataleo,
Vitalis Calvo,
Benedictus Griono,
Andreas Jacobæ,
Marinus Tunisto,
Andreas Barocio,
Thomas Barbadico,
Alexander Bragadino,
Marinus Dandulo,
Dominicus Fuscareno,
Petrus Zepolo,
Joannes Foscari,
Bernardus Sanuto,
Hermolaus Vallaresso,
Joannes Contareno,
Joannes Navigajoso,
Constantinus Faledro,
Vitalis Michaël,
Leonardus Mauroceno,
Vitalis Istrego,
Andreas Foscolo,
Joannes Lolzano.

CAPITULUM QUARTUM.

De Petro Ziano Duce, & factis occursis in diebus suis, habens partes XLVIII.

PEtrus Ziano Dux ordinatur Anno Domini MCCV. Hic ex Patre Sebastiano Duce genitus, pecuniosus, & virtute præclarus, Padum Potestas efficitur, & postea Comes Arbensis, nunc verò Consiliarius existens prædicis obitu Venetiis intimato, ab electoribus die V. Augusti Dux pronunciatus est.

Pars I.

QUi ut antea sancitum erat, pollicetur, quòd electio Potestatis Clugiæ, Gastaldionis existentis finito tempore, ripatica, bona occisionis & percussionis, & alia, quæ per Duces agebantur inibi in Commune Venetiarum, debeant removeri, reservatis sibi Regaliis gallinarum, vini, & gondolæ fœni, & receptionis suæ, & nuntiorum ejus, excepto etiam eo, quod ei fieri debet, quando voluerit ire vel mittere venatum, & appellationibus, & interdictis. Postea electione majoris Consilii Marinus Jacobæ primò Potestas Clugiæ decretus est. (*)

Arbensium quoque Comitatui Marcus Mastropetro subrogatur. Ducatui etiam Durachii Marinus Vallaresso præfectus est.

Pars II.

SAnè Venetorum Populus in Constantinopoli Marinum Zeno sibi Potestatem statuunt, qui ab Henrico, dum à Patriarcha coronandus esset, approbationem fœderum in captione Imperii factorum suscepit.

Pars III.

DUx illico Rogerium Mauroceno Auferensem Comitem, Rogerium Premarino, Benedictum Galliono, & Paulum Quirino Constantinopolim Legatos mittit, qui illos in solita fide consolidant, & cum Potestate utilia statuunt, & redeunt.

Bonifacius Montisferrati Marchio, adeptâ Thessaliâ, quæ illi in partem cesserat, Rex coronatus est.

Pars IV.

MArcus Dandulo, & Jacobus Viadio confœderati Civitatem Gallipolim invadunt, & viriliter muniunt.

Pars V.

LAtinorum igitur ex gestis mirificis superauctâ potentiâ, & Græcorum exinanitâ, plerique Nobiles ceteris Græcis sibi colligatis, Græciæ Oppida (**) audacter invadere statuunt. Et segregatim navigantes Marcus Sanuto cum suis sequacibus Insulas Nisiæ, Parii, Melli, & Sancti Herini adeptus est, & Marinus Dandulo Andrem.

Ravanus quoque de Carceribus Veronensis, & Nepos ejus Euripum sive Nigropontem accipiunt.

Similiter Andreas & Hieremias Gisio Thinas Insulam, Scheriam Scopulum, & Schiatum.

Philocalus etiam Navigajoso Stalimenem obtinens Imperiali privilegio Imperii Megaducha est effectus.

Pars VI.

PAri igitur proposito Dux anno secundo peratis XXXI. galeis Raynerium Dandulo, &

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Idem natus Ducis Parentinos aliquantulum recalcitrantes ad debitam revocavit fidelitatem, & cum eis nonnulla pacta de novo stabilivit cum honore Venetorum. Hic sapiens, & literatus admodum fuit, cui successit in Pratura Clugensi Pantaleo Barbas.

(**) *Cod. Amb. addit*: quæ regimini canebant.

& Rogerium Premarino præfecit qui extra Venetorum Culphum euntes, Leonem Vetranum Pyratam cum IX. galêis capiunt, & morti tradunt. (*)

Pars VII.

POstea Corphum hostiliter aggrediuntur, & tamdem obtinent, & muniunt, & quæ gesserant Duci insinuant. Dux tunc Angelo Accotanto, Petro Michaëli, Stephano Foscareno, Gilberto Quirino, Octaviano Firmo, Jacobo Ferro, Marino Caprenicolo, Juliano Stamario, Simoni Bono, & Joanni de Acto eamdem Insulam custodiendam tradidit.

Pars VIII.

STolus quippe Mothonum accedens bello devicit, & postea Coronum. Achaici tunc, & Athenienses per suos nuntios se Venetis submiserunt; sed cùm Civitates obtinere disponerent, à Campanis, quibus præerat Dominus de la Roza, non sine sanguinis effusione prohibiti sunt. (**)

Eodem anno Henricus Piscator Comes Maultæ Januensium fultus Navigio Cretensem Insulam invadit. Municipes tunc Venetis subesse præeligentes nuntios mittunt, & requisitum obtinent subsidium.

Pars IX.

CUmque Veneti Cretam accedere decrevissent, Consilium agitur, quid de conquisitis Urbibus facturi essent, quas cùm prosternere elegissent, Raynerius Dandulo unus ex Capitaneis, ut ejus sumtibus custodiret, obtinuit, & Petro Polano, & Lello Veglo eas suo proprio nomine custodiendas tradidit.

Pars X.

DUcis itaque anno tertio stolus iter arripiens, invasore fugato quatuor ejus naves cepit, & Magistralem Urbem vocatam Candiam, & alia illius Insulæ fortilitia obtinuit.

Pars XI.

INterea Aymericus Rex Hierusalem, & Cypri, videns Terram bellatoribus vacuam, cum Saracenis treguas iniit, qui Achon moritur. Habuit autem ex Isabella Regina filium parvulum sibi æquivocum, & duas filias Sybillam nuptam Levoni Regi Armeniæ, & aliam Melisam nuptam Boamundo Principi Antiocheno, & Comiti Tripolitano. Et brevi tempore puer mortuus est, postea mater. Cui remansit heres Maria major ejus filia, quam ex Marchione Conrado concepit. Quæ postea nupsit Comiti Brenensi, & Hugo filius Aymerici Rex Cypri efficitur.

Hoc tempore Beatus Franciscus Mundum deserens perfectè secutus est Christum.

Beatus verò Dominicus sequenti anno cum Didaco Episcopo contra Albigenses ivit. Azo Marchio Estensis regimen Veronæ suscepit de communi voluntate duarum partium, scilicet Comitis Sancti Bonifacii, & Monticulorum. Sed Monticuli favore Ezelini de Romano eum de Verona expulerunt. Ille verò convocatis amicis, & exercitu præparato Veronam aggreditur, faventibus sibi Mantuanis, & parte Comitis Sancti Bonifacii. Ezelinus autem alteri parti favens cum exercitu copioso vênit. Sed dum prævalere non potest, cum omnibus de parte sua territus fugit. Deinde pars Monticulorum cepit Castrum Pischariæ, & currentes per Veronensem districtum rapinis & incendiis omnia devastabant. Sed Marchio, & Communes prædicti parato exercitu eos obsederunt, & captos in compedibus posuerunt qui de mandato Ottonis, cùm in Italiam vênit, dimissi fuerunt.

Pars XII.

QUarto quoque Ducis anno aucto jam in Creta Venetorum Dominio Raynerius Dandulo erga aliquos rebelles exiens sagitta occiditur, & in Ecclesia Sancti Georgii de Canda sepelitur.

Hoc sanè Venetiis patefacto Dux VI. galêas, & totidem naves bellicas parari jubet, & Jacobum Longo, & Leonardum Navigaioso Capitaneos ordinavit, cum quibus Jacobum Teupulo Ducam Cretæ, & Raphaëlem Goro Conservatorem Curoni, & Mothoni, delegavit, eisque suis regiminibus applicatis. Rogerius Premarino Venetias rediit, & Jacobus Longo tunc navibus Januenses pluribus inventis, reliquis fugatis tres cepit.

Pars XIII.

RAvanus de Carceribus, & nepotes ejus, qui jam Insulam Negropontis acquisiverant, illam ad feudum à Duce Venetiarum recognoscunt, fidelesque & tributarii illi effecti sunt.

Pars XIV.

GOffredus etiam de Villa Arduin, qui Domino de la Rocha in quæsitis successerat, à Raphaële Goro Ducis nuntio Principatum Achajæ, Corono, & Mothono exclusis, recognovit. Et nobilis quidam Gallicus, qui Cephaloniam Insulam arripuerat, fidelis & censualis esse Venetis perpetuò annuit.

Pars XV.

SImiliter Michaël Coniano, qui Despotaricum possidebat, per suos Legatos huic Duci reverentiam exhibuit, & ab eo à flumine Urceus usque ad Neopantum recognoscens fidelitatem, & annualem censum exhibere promisit.

Quinto quoque anno Dux Ottoni Regi, qui de Imperio cum Philippo Duce Sueviæ hucusque contenderat, Romam pergenti per suos Ambasciatores Rogerium Premarino, & Marinum Dandulo de prosperis eis successibus congratulatus, approbationem solitarum immunitatum in Terris Imperii suscepit.

Pars

(*) *Cod. Amb. addit*: Is erat Genovensis, unde ortum bellum inter Venetos, & Genovenses.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Dominus Rochæ, sive, ut alibi Rosæ, vel Rozæ cum Societate Campanorum, qui Dominus præerat illis, qui ibant in auxilium Terræ Sanctæ cepit Ducatum Athenarum, Corintum, Argos, & Neapolim, appellatusque est Princeps Moreæ.

A

Pars XVI.

OTto postea contra voluntatem Regis Franciæ, contradicentibusque pro majori parte Romanis, & Baronibus Imperii, ab Innocentio Papa coronatus est, & jusjurandum præstitit de juribus Sancti Petri contra quoslibet conservandis. Sed ipsa die suborta discordiâ cum Romanis pugnavit; & recedens Terras occupavit Ecclesiæ, & deinde Apuliam terram Federici nati Prædecessoris sui. Qui cùm resipiscere nollet, sub anathemate prohibitum tamdem fuit, ne quis Imperatorem eum haberet: sicque multi Principes Seculares & Ecclesiastici ab eo recesserunt,

B

Pars XVII.

ANgelus Faledro solus Procurator Ducalis Capellæ tabulam Altaris Sancti Marci additis gemmis & perlis, Ducis jussu, reparavit, & habitationes Capellanorum de novo fecit. Dux anno sexto Manfredum Archiepiscopum Durachii de Villis Domosii investivit, illeque fidelitatem, & laudes depromere, & reverentiam Duci exhibere pollicitus est. (a)

Almericus quidam de Territorio Carnotensi ausus est affirmare, quòd quilibet tenetur credere se esse membrum Christi, quam cognitionem Papa revocavit; sed indignatione affectus brevi decessit; postea plures ejus doctrina infecti Parisiis concremantur, & auctor extra cemeterium ejicitur.

C

Pars XVIII.

ANno Ducis septimo nobiles Cives equites, & plebejos pedites decretum est Cretam transmittere; hisque dum casalia assignantur, Græcus quidam nomine Agiostphaniti cum complicibus suis rebelles effecti Suchiam, & Mirabellum arripiunt. Duchas tunc Marcum Sanuto Ægæi Pelagi Coadjutorem postulat, & XXX. militias, illis depressis rebellibus, dare promisit; cum quo applicato fugatis Græcis amissa fortilitia recuperavit, promissaque Coadjutori perficere renuens de Palatio sub custodia ejicitur; sed postea clam evadens Themanum introivit, & cum suscepto subsidio Marcum Sanuto promissis renuntiare, & Insulam exire coëgit.

D

Cùm Joannes Comes Brenensis Reginam Hierusalem desponsasset, & coronatus esset, Conradinus qui & Melech Mahadam, Ptolomaidam aggressus, Ptolomenses extra Urbem paratos invênit, & cùm nimis appropinquaret, equus illius sub aure percussus furibundè se jactans illum dejecit. Facto autem vespere ad propria regressus est Rex, & Ptolemaidam rediens semel prædam magnam exegit, & cum suis salvus rediit. Ex tunc Christiani quasi obsessi essent, numquam exibant. Saraceni autem videntes eum inferioris esse potentiæ, quàm putabant, firmarunt Castrum in Monte Tabor, & ante Ptolemaidam sæpiùs discurrebant, propter quod multi repatriabant.

E

Pars XIX.

OTtone Imperatore damnato, Federicus Prædecessoris natus, hortatu Regis Francorum per Electores successor efficitur, veniensque Romam honorificè susceptus est. Inde intravit Alemanniam, & vênit Constantiam, & Ottonem supervenientem repulit, qui sic repulsus Brisach accessit; unde non minori dedecore est repulsus, & Federicus receptus, initque fœdus cum Rege Francorum, sicut extiterat inter Prædecessores eorum.

Post Benedictum Patriarcham Angelus Baroccio ordinatus est, cui Innocentius Papa pallium tradidit, & privilegium hujus Ecclesiæ innovavit. Hic erat Plebanus Sancti Joannis de Rivoalto, & Capellanus Sancti Marci.

Pars XX.

OCtavo Ducis anno Aycardus Regularis Canonicus Venetus de Constantinopoli Corpus Sanctæ Helenæ, ex Monasterio suo nomini dedicato subtiliter abstulit, quod Venetias translatum in suo recondidit Monasterio. (b)

Dux devotus in Palatio Capellam sub Sancti Nicolai vocabulo perfecit, (c) mortuaque Maria consorte ejus dum jam senesceret, ut prolem susciperet Constantiam Tancredi Regis Siciliæ genitam desponsavit, ex qua filium unicum & filiam procreavit.

Pars XXI.

SEquenti anno Januenses navem unam Venetorum capiunt, quos Joannes Trivisano Capitaneus duarum galëarum, & totidem navium de Constantinopoli persequens circa Carthaginem quatuor illorum naves, & rediens secus Siciliam XXVII. similiter navigia debellavit.

Pars XXII.

HEnricus Imperator Constantinopolitanus cum Blachis pace firmata, filiam ipsorum Principis duxit in uxorem, & universa usque Thessaliam restituta sunt, & illuc properans Marchionem Montisferrati Bonifacium defunctum reperit, & coronato ibi Guilielmo nato, & ipse defunctus est, cui Jolens soror conjux Petri Comitis Antissiodorensis succedit.

Pars XXIII.

ANno decimo in Venetia, florente ubique concordia antiqua, Tarvisii Proceres jocale proclamant spectaculum, Castrumque, inclusis speciosis juvenculis fieri decernunt, ut in eo obtinendo Tyrones vires ostentent. Illuc plerique Veneti honoris avidi accedunt, & Dominas eorum includunt, & Castrum præ ceteris impugnant, & januam tamdem penetrant; sed cùm introirent, Paduani obsistunt, & Sancti Marci Vexillum lacerant. Ob hoc inde illatis offensis discordes rediere. Patavini (d) tunc re-

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi Petrus Zianus obtinuit ab Ottone Quarto Imperatori confirmationem Privilegii concessi ab ejus Antecessoribus Venetæ Reipublicæ, videlicet XXXX. piperis non solvendis, & de pallio aureo, ut ex documento, quod extat, apparet MCCIX. Ind. XII.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi sic est legere anno MCCXI. Duce Petro Ziano Corpus Divæ Helenæ translatum est ex Monasterio, sive Templo Carmelitarum in eodem tunc absolutam dicatam ipsæ Divæ Helenæ.

(c) *Cod. Amb. addit*: Ædificavit autem sacellum D. Nicolai suo ære, ornavitque admodum quòd senex, & Religiosus non posset alias ædes visitare, nam & valetudinarius erat.

(d) *Cod. Amb. addit*: à duobus Legatis à Venetis ad hoc missis.

requisiti non solùm emendam facere renuunt, sed cum Tarvisinorum subsidio Venetorum fines invadunt.

Pars XXIV.

Posteaque Ducis anno XI. die XVII. Octobris Jeremias de Peraga cum potenti exercitu ad debellandam turrim Babiæ accessit, quem Dux prævisus pugnatoribus & propugnaculis muniri fecerat, & Marcum Zorzano Capitaneum fore decreverat. Cùm igitur continuis insultibus cum machinis turrim infestarent, die XXII. dicti mensis contigit mare tumescere, quod Veneti advertentes illos viriliter aggressi sunt, eisque terga vertentibus Capitaneum cum CC. nobilibus, & totidem plebejis captivos Venetias conduxerunt; machinas verò, & tentoria sua in campo reliquerunt.

Fugati autem Tarvisinos sibi in subsidium accedentes inveniunt, & pariter communicatâ tristitiâ ad eorum patriam reversi sunt.

Pars XXV.

Clugienses itaque, quorum Potestas erat Jacobus Basilio. quia in consequenda victoria se viriliter habuerant, à tributo trium gallinarum, quas in tribus terminis quælibet familia annuatim Duci exhibere tenebatur, liberati sunt. (*)

Angelus Baroccio ad Concilium Lateranense, unà cum Guilielmo Aquilegiense Patriarcha perrexit. In quo arctiores processus contra euntes, vel præstantes subsidia Saracenis, editi sunt, & de mittenda militia Christiana contra illos firmatum est.

Innocentius Papa pro Venetorum, & Paduanorum sedanda discordia Aquilegiensem Patriarcham Legatum fecit.

Beatus Dominicus, cùm jam XVI. confratres suscepisset, cum Fulcone Tholosano Episcopo Romam pergit, petens ab Innocentio Ordinem confirmari, qui Prædicatorum diceretur.

Et Beatus Franciscus tunc approbationem Regulæ, quam ipse conscripserat XII. Confratribus suis, ferventissimè supplicavit. Vidit namque tunc Pontifex in somnis Lateranensem Basilicam ruinæ fore jam proximam, quam hi suis humeris sustentabant, & inquit: hi sunt illi, qui opere & doctrina Christi sustentabunt Ecclesiam. Et Beato Dominico ut aliquam approbatam primò eligeret Regulam imposuit, & Beati Francisci petitionem admisit.

Pars XXVI.

Andreas Rex Hungariæ Cruce signatus à Duce Venetiarum suis Nuntiis pro passagio navigia petit, & petita obtinuit, annuentibus illis, ut jura, quæ Rex in Jadra se asserit habere, in Venetos transferrentur.

Pars XXVII.

Roaldus Prior Sancti Danielis de Venetiis pro visitatione Ecclesiæ sibi commissæ Constantinopolim pergens, de Græcorum Ecclesia nominata Theotocos corpus Joannis Martyris, qui apud Cæsaream sub Diocletiano passus est, abstulit, & rediens in suo Monasterio collocavit.

Pars XXVIII.

Anno XI. Innocentio Papa defuncto Honorius III. natione Romanus successit, & Volens Constantinopolitani Imperii heres cum Petro viro suo ad eum accedit; Duxque per Legatos suos Rogerium Premarino, Marinum Storlato, & Marinum Zeno de promotione Pontificis se congaudere notificat, & approbationem pactorum in acquisitione Imperii initorum à conjugalibus obtinet. (**) Papa hos in Ecclesia Sancti Laurentii extra muros, quam renovaverat, Diadematibus Imperialibus coronavit; cùmque recessissent de Roma, & cum eis Legatus Apostolicus Joannes de Columna Cardinalis de Brundusio in Durachium transit, Imperatrice autem divertente cum filiabus per mare, ipse Imperator cum Cardinale, & toto comitatu, recepto Baronum homagio, sed proditioso accepto consilio per terram transit, & in via cum Theodoro Lascaro Comneno, qui pro Græcorum Imperatore se gerebat, fœdus iniit, à quo proditoriè invitatur, & in convivio capitur, & paucis fugientibus multitudo prostrata est.

Beatus Dominicus, invocato Spiritu Sancto, cum XVI. Fratribus Beati Augustini Regulam unanimiter elegerunt, quasdam arctioris vitæ consuetudines assumentes; & veniens ad Papam confirmationem ab Innocentio promissam obtinuit.

Pars XXIX.

Hoc anno Aquilegiensis Patriarcha ex delegatione Papali post varios tractatus Venetos cum Paduanis, & Tarvisinis eorum complicibus, ad pacem reduxit, promittentibus Paduanis, quòd XXV. illorum, qui interfuerant ludo Tarvisii, quos Dux voluerit, jurabunt stare mandatis ejus, & Jacobus etiam de Sancto Andrea. Quæstiones autem confinium Legatus in se reservavit; & his pactis detenti restituti sunt. Sed Hieremias de Peraga, qui Capitaneus eorum fuerat, primò obiit.

Anno XII. Tregua Christianorum, & Saracenorum exspirante, congregatus est exercitus Domini in Achon cum tribus Regibus; scilicet Hierusalem, Hungariæ, & Cypri. Adfuit etiam Dux Austriæ, & Dux Bavariæ, & Patriarcha vexillum Crucis accipiens, cum illisque contra Infideles exiens, nihil laudabile peregerunt. Postea exercitus Domini quadrifariam divisus est. Rex Hungariæ Tripolim profectus est, quem Legatus admonuit, & tamdem excommunicavit, qui per terram iter prosequens cum Theodoro Comneno Lascaro parentelam contraxit, accipiens filiam ejus in Conjugem Belæ primogenito suo, qui postea ab Oxano Bulgarorum Rege captus filiam suam ei copulare promisit, & relaxatus est.

Stephanus quoque Dominus Raxiæ, & Serviæ, qui Megavipanus appellatur, dum neptem quondam Henrici Dandulo Ducis accepisset in Conjugem, ex suasione uxoris abjecto schismate per Nuntios à Papa obtinuit, ut Regio titulo decora-

(*) *In margine ejusdem Codicis Ambrosiani*: Alii scribunt Clugienses levatos onere solvendarum Gallinarum albarum, quia in fœdere percusso cum Patavinis, quod post aliquot annos fuit pactum, Patavini condemnati sunt solvere singulas Gallinas albas pro tribus quibusque captivis.

(**) *In margine Cod. Amb.* extat exemplar pacti, sed sub anno MCCXVII.

ratus esset, & per Legatum Cardinalem ad hoc missum unà cum Conjuge coronati sunt.

Pars XXX.

DAlmisanos pyratas Aconcius Legatus Papæ cum favore Venetorum, combustis navibus suis, ad obedientiam duxit; & in Bosnam postea profectus contra Hæreticos multum laboravit, ibi denique defunctus est.

Alemannus quidam Comes de Janua cum tribus galêis secus Cretam pyraticam exercebat, & Marcus Zorzano Capitaneus duarum galêarum, & totidem navium, quæ de Constantinopoli cum mercatoribus recesserant, Candiam applicuit, & Paulus Quirino in Ducatu Cretæ tunc Jacobo Teupolo successerat; unde decretum est, ut Capitaneus assumtis hominibus bellicosis, & Ducha cum peditibus, & equitibus ad Portum Fraschea, ubi residebat Pyrata, deberent accedere. Quod perficientes, duas galêas, & navem cum comite, & aliis CCC. de melioribus, tertia fugiente, ceperunt. Qui denique ex pace cum Guifredo de Pirovano Potestate Januæ peracta, resarcitis Venetorum damnis restituti sunt.

Pars XXXI.

DEcimotertio itaque Ducis Anno Constantinus Sevasto, & Theodorus Milisino cum Græcorum sequela, Paulo Quirino Duchæ Cretæ rebellantes, loca Venetis obedientia crebris incursionibus molestare non desinit. Dux postea probos Cives, ut resisterent, Cretam misit, & novos Feudatarios per suam concessionem illos constituit. (*) Rebellesque Dominicus Delphino illius successor, assignatis certis Casalibus, ad fidelitatem reduxit.

Multi Franci transfretare incipiunt, & Joannes Rex Hierusalem cum exercitu ad Portum Damiatæ, quem Comes de Seraponte Capitaneus jam occupaverat, pervênit; & Legatus Pelagius illuc applicuit, & cum Rege colloquium suæ auctoritatis habuit, allegans quia ipse debebat exercitui præesse, quia passagium erat per Ecclesiam ordinatum. Rex autem dissimulans pro Domino se gerebat. At per hoc exercitus est divisus, & quisque affectionem sui Domini sequebatur.

Pars XXXII.

HUgo Rex Cypri in Tripoli moritur, relicto Henrico parvulo, & duarum filiarum ejus, una nupsit Gualterio Comiti Brenensi; altera nomine Isabella filio Principis Antiochiæ.

Anno sequenti Jacobus Teupolo Potestas pro Venetis in Constantinopoli, cùm jam Gallorum potentia evanesceret, cum Theodoro Comneno Lascaro Græcorum Imperatore treguas per quinquennium, & cum Alano Soldano Turchiæ per biennium firmavit.

Pars XXXIII.

HIerusalem à Conradino filio Saphadini capitur, murosque & cuncta destruxit, excepto Templo Domini, & Turri David.

Decimoquinto anno nonis Novembris Damiata capta est per Christianos, & Thamis à Saracenis derelictum.

Pars XXXIV.

RObertus pubes factus post decessum parentum per Hungariam, & Blachiam Constantinopolim perrexit, & coronatus est à Matthæo Patriarcha. Hic Marino Michaël pro Venetis Potestati pacta Prædecessorum renovavit; & pro conservando Imperio vicissim utilia statuunt.

Matthæus Patriarcha Constantinopolitanus ad petitionem Angeli Gradensis Patriarchæ declâravit, ut Venetorum Ecclesiæ per totum Imperium Romaniæ à jurisdictione sua intelligantur exemtæ, ut fuerant tempore Græcorum.

Christiani Terræ promissionis afflicti, receptis captivis, & Sancta Cruce, Damiatam restituunt Saracenis.

Tartari Georgiam vastare cœperunt, deinde intraverunt majorem Armeniam, ubi est Ariruth Mons, ubi requievit arca Noë, in cujus radice est prima Civitas, quam ædificavit Noë.

Pars XXXV.

DEcimosexto Anno Dux per Legatos suos Marinum Dandulo, & Benedictum Faledro, à Federico Rege, Mantuæ existente, fœderum approbationem solitam obtinuit. Ille autem Romam pergens ab Honorio Papa Imperiales infulas suscepit.

Joannes Rex Hierusalem ad Philippum Regem Franciæ se contulit, auxilium petiturus propter malum statum Terræ promissionis.

Pars XXXVI.

INter Venetos, & Paduanos discordiæ confinium denuo reviviscunt, (**) & Tarvisini habentes guerram cum Bertholdo Patriarcha Aquilegiense, Venetis adhærent. Patriarcha verò se Civem & Colligatum Paduæ fecit. Tunc Tarvisini cum Venetorum præsidio Anno Ducis decimoseptimo Forumjulii invadunt, & Paduani cum exercitu ad Castrum Francum perveniunt; sed territi citò redeunt, & pro tutela eorum Castrum Cittadellæ denuo faciunt, & cum Venetis per quinquennium treguas ineunt.

Patriarcha verò cum Comite Göritiæ Advocato suo Venetias veniens cum Duce pacem firmavit.

Eodem anno vir Dei Dominicus, instituto Ordine Prædicatorum, apud Bononiam feliciter obdormivit in Domino, & per Gregorium Papam Nonum cœtui Sanctorum adscriptus est.

Tartari transeuntes Montes Riphæos, qui dividunt Asiam majorem ab Europa, per Marchias Hungarorum, quas Sylvas vocant, & per Hungariam, nulli parcunt sexui vel ætati.

Pars XXXVII.

PAulus Abbas Monasterii Sancti Georgii de Venetiis, de Monasterio Pantepostis de Con-

(*) *In Codice Ambrosiano*: Alibi in margine: Dux postea probos Cives ut resisterent Cretam mittit, & novos Pheudatarios sua concessione illos constituit, rebellesque &c.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi MCCXX. Marinus Dandulus, & Benedictus Phaledro a Federico Secundo Imperatore obtinuerunt confirmationem Privilegii concessi Venetis ab ejus prædecessoribus, de 840. denariorum, & 840. piperis, & de pallio aureo non solvendis. Extat documentum.

Constantinopoli sibi à Duce concesso, corpus Sancti Pauli, qui sub Constantino Copronymo Martyrium passus est, cum favore Marini Storlato pro Venetis Potestate inibi, Venetias in suum transtulit Monasterium.

Anno Ducis decimo octavo Federicus Augustus, signo Crucis priùs assumto, unicam filiam Regis Hierusalem ducit uxorem de consilio Ecclesiæ. Ipse verò promisit eam accipere in uxorem, cùm pubesceret, & ire in auxilium Terræ Sanctæ, & pacta sunt cum juramento firmata, & sententia est excommunicationis apposita.

Pars XXXVIII.

Beatus Franciscus de ultra Mare rediens, in paludibus Venetorum deambulabat, & invênit maximam avium multitudinem canentium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: Sorores aves laudant Creatorem suum. Nos igitur in medio earum euntes Horas Canonicas Domino decantemus. Cùm igitur in medium earum intrassent, non sunt motæ de loco, & quoniam propter garritum earum se mutuò audire non poterant, conversus vir Sanctus dixit ad aves: Sorores, à cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuò tacuerunt, & persolutis laudibus cantum resumserunt.

Honorius Papa Anno IX. ejus Ordinem Minorum confirmavit.

Philippus Rex Francorum, qui Regnum suum multipliciter auxerat, obiens mirum condidit testamentum. Joanni enim Regi Hierusalem reliquit centum millia libras Parisienses, (*) totidem Hospitali, totidem Templariis, & alia magna valde, & Ludovicus filius ejus succedit.

Decimo nono Ducis anno Azzo Marchio Estensis, & Ricardus Comes Sancti Bonifacii cum Veronensibus, & Mantuanis obsederunt in Ferraria Salinguerram, qui Comiti suasit, ut intraret Ferrariam, & cùm intrasset, captus est cum sua comitiva. Ac per hoc fuit soluta obsidio. Mansit autem Comes in vinculis, donec reformata fuit compositio post modicum tempus.

Pars XXXIX.

Jacobus Teupolo Potestas Constantinopoli cum Roberto Imperatore, convenit, ut Veneti de campis Provincialium, & Hispaneorum tres partes de octo habeant, sicut de reliquis obtinent. Federicus cùm bona habuisset initia, mortua matre, ab iniquis pervertitur, & cœpit in Regno gravare, Ecclesiam in servitutem redigere, Saracenos quoque per Regnum dispersos congregavit, & in una Civitate fortificavit, quæ Nuceria Saracenorum dicta est, eam illis sub tributo concedens, & Honorii admonitioni non acquiescens excommunicatur.

Pars XL.

Ex his exorto Schismate tota Italia divisa est, & Hugolinus Ostiensis Episcopus Legatus in Lombardiam veniens, ut seditiones securiùs removeret, Venetias vênit, & Duci persuasit, ut Monasterium Sanctæ Mariæ in Hierusalem, sive de Virginibus, noviter fabricaret, quod Dux perficiens, & dotans, Patronus cum successoribus statuitur.

Pars XLI.

Vigesimo quoque anno multi Nobiles ex parte Comitis Sancti Bonifacii, pecunia inducti, parti adhæserunt Salinguerræ, & Comitem de Verona subitò expulerunt; & tunc Ezelinus primò incœpit habere dominium in Verona. Mantuani autem Comitem receperunt, & in guerra vixerunt, donec compositio intervenit, mediantibus Rectoribus Lombardiæ.

Defuncto Marco Nicola Castellano Episcopo Marcus Michaël ei subrogatur. (**)

Pars XLII.

Dux Venetiarum sequenti anno statuta de venditione possessionum ad usum novum laudabiliter edidit.

Anno vigesimo primo Beatus Franciscus Ordinis Minorum Fundator apud Assisium vitæ cursum feliciter consummavit, quem Gregorius Papa post biennium Sanctorum Catalogo adscripsit.

Pars XLIII.

Honorius Papa moritur. Hugolinus autem natione Campanus Ostiensis Episcopus illi successit, & Gregorius IX. appellatus est, qui monuit eodem anno Federicum, ut ab incœptis desisteret, & non proficiens Honorii renovat interdictum.

Pars XLIV.

Fuerunt namque duo fratres de Thuscia Nobiles, quorum unus est dictus Gibellinus, qui secutus est Imperatorem, & alius Guelphus, qui secutus est Ecclesiam, à quibus illi de parte Imperii dicti sunt Guibellini, & illi de parte Ecclesiæ dicti sunt Guelphi.

Pars XLV.

Subsequenter Robertus Imperator Constantinopolitanus, qui sibi gratam non paris sanguinis sponsam acceperat, cui milites in Camera Imperatoris rumpentes nasum cum labro præciderant, quia pro nulla militum necessitate idem de camera exibat, Romam pergit. Papa verò auditâ querelâ blandis verbis reditum persuasit. Rediens autem in Achaja moritur, relicto parvulo filio Balduino.

Pars XLVI.

Federicus Augustus filiam Regis Hierusalem, reassignato sibi Regno, desponsat, & præmissis Nuntiis, inhibente Papa, cum XX. galêis transfretat, & cum Soldano componens Coronam Regni de Altari accepit, & Brundusium rediit.

Pars XLVII.

Finito quinquennio inter Venetos, & Paduanos, discordiæ renovantur, & post modicum treguæ per quinquennium inducuntur, & illico Ezelinus Castrum Fontis, cui Gui-

(*) *Cod. Amb. pro* Parisienses, *legit* parvorum.

(**) *In Collicis Ambrosiani margine hæc adduntur:* Alibi anno MCCXXIII. in die Nativitatis Dominicæ fuit Venetiis terræmotus ingens, quo unum latus Monasterii Sancti Georgii fuit dirutum.

Guilielmus de Campo Sancti Petri præerat, arripuit, & Stephanus Baduario Potestas Paduæ cum eorum auxilio, intellectâ Tisonis patrui querelâ, exercitum parat, & pro reconciliatione Dux Marcum Quirino, & Matthæum Bono Legatos mittit, qui in nihilo proficentes redeunt, & Joannes Dandulo per Paduanos Potestas efficitur.

Pars XLVIII.

VIgesimo quarto sui Ducatus anno Dux senectute & languore confectus dignitati renuntiavit, & ad propriam rediit habitationem die XXVI. Februarii, & successivè invalescente morbo die XXI. Martii feliciter expiravit, & in paterno sepulchro apud Sanctum Georgium sepelitur.

Quadraginta, qui Petrum Ziano Ducem elegerunt, sunt,

Petrus Barbo,
Ursus Baduario,
Marinus Mastropetro,
Marinus Jacobæ,
Petrus Michaël,
Benedictus Griono,
Joannes Basilio,
Vitalis Vitaliano,
Petrus Franco,
Thomas Faledro,
Raynerius Zeno,
Gratianus Georgio,
Octavianus Quirino,
Andreas Donato,
Petrus Gradonico,
Henricus Navigajoso,
Marcus Polano,
Marcus Maripetro,
Albertus Sulmolo,
Stephanus Mariono,
Dominicus Contareno,
Joannes Aurio,
Jacobus Monsanlino,
Petrus Grisono,
Angelus Vintrenasio,
Dominicus Firiolo,
Ursus Justinianus,
Raynerius Dandulo,
Marcus Sanuto,
Vitalis Foscareno,
Philippus Cornario,
Joannes Viadro,
Jacobus Juliano,
Benedictus Delphino,
Octavianus Firmo,
Simon Bono,
Jacobus Teupolo,
Jacobus Bragadino,
Bellus Veglo,
Stephanus Fuscolo,

CAPITULUM QUINTUM.

De Jacobo Teupolo Duce, & actitatis illo Ducante, habens partes XLV.

JAcobus Teupolo Dux Ducatum sortitus est Anno Domini MCCXXIX. quia XL. Electores ex Nobilibus, & antiquis Popularibus in conclavi reducti vota sua in hunc, & Marinum Dandulo diviserunt; & dum in unum major pars convenire nequiret, à Concione laudatur, ut sortibus periculosa divisio sopiretur, & jactatis ex sorte hac die VI. Martii Dux laudatus Palatium ascendit. Qui post tertium diem Prædecessorem in lectulo jacentem visitans propter genus suum, & insuetum ascensionis modum, ab eo spernitur; sed virtute dissimulans ad Palatium rediit.

Pars I.

HOc anno Joannes Storlato Duca in Creta, ut Græcos sibi rebelles comprimeret, Marcum Sanuto potenter in Cretam venire fecit, & in Lasuda Urbem fundavit. Græci autem in rebellione pertinaces ad Joannem Vatacium, qui gener Theodori ei in Imperio successerat, mittunt, ut dominium Insulæ accepturus accedat. Ille ad hoc anhelans XXIII. galêas cum Megaducha suo Cretam misit. A quo Marcus Sanuto corruptus, spreta progenitorum fidelitate, ad Insulas rediit. Græci itaque audaciores effecti Castrum Retheini impugnarunt, quod Marinus Quirino eis tradidit. Et sic Malgaritus Foscari Milopotamum, & Conradus de Millena Castrum Novum; illisque obtentis Imperialis stolus nequiens optata perficere, secessit, & apud Cythereum, exceptis tribus galêis, naufragio periit. Amissa verò Oppida Nicolaus Tonisco, & Bartholomæus Gradonico immediatè in regimine succedentes recuperaverunt.

Pars II.

SEcundo anno ignis in Sanctuario Sancti Marci casualiter eveniens Reliquias plures, & Ducalia privilegia concremavit; sed Crux quædam de Ligno Domini tabulæ impressa, aliquali parte tabulæ combusta, illæsa inventa est.

Pars III.

EXtra Urbem Constantinopolitanam Joannes de Bora de quodam Monasterio pretio & precibus inductis Custodibus Corpus Beatæ Marinæ Virginis, quæ in Cœnobio Monachorum accusata de adulterio pœnitentiam egit, abstulit, & Venetiis in Ecclesia Sancti Liberalis, nunc vocata ejus nomine, collocavit.

Pars IV.

BAlduino heredi Imperii Constantinopolitani Imperator del Zagora promisit totam Occidentalem plagam ei acquirere, si ejus filiam acciperet conjugem. Quod cernentes Barones, qui pueri Patrem tam sævè offenderant, deliberato consilio Joanni Regi Hierusalem mittunt, ut filiam suam det heredi Imperii, & ipse in vita sua gubernet Imperium pro puero, teneatque ab Imperio quidquid ultra brachium Sancti Georgii acquirere poterit: quæ de conscientia Papæ firmata sunt.

Hic Joannes tertio Ducis anno Petrum de Altonano militem Venetias misit, qui pro suo exercitu potenti transfretando navigia habere pactus est. (*) Et illi Maretium jam pervento

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Joanni Imperatori datæ sunt Triremes XIV., & navigia pro vehendis equis 1200., & 500. militibus; Datus & commeatus pro tribus mensibus. Hic cum Classe cum sua tum Venetorum maritima Campsaci, oramque vicinam totam recuperavit, diuque in Imperio pacificè vixit.

to Dux Simonem Bono, & Andream Michaëlem delegat, & pacta, quæ in acquisitione Imperii facta fuerant, & successivè approbata, hic inde firmata sunt; & Kalendis Augusti parato Venetorum stolo ille cum exercitu Constantinopolim navigat, & Imperator coronatus est.

Pars V.

BEatus Antonius natione Portugallius feliciter Paduæ finiens miraculis coruscat, & post modicum per Papam canonizatus est.

Pars VI.

SAncta quoque Helisabeth filia Andreæ Regis Hungariæ moriens Sanctorum cœtui adscripta fuit.

Federicus post reditum de ultra mare amicos Ecclesiæ de Regno extirpat morte, vel proscriptione.

Pars VII.

ANno quarto idem de Apulia Venetias vênit, qui honorificè receptus immunitatibus plurimis in Regno Siciliæ Venetos decoravit, & Bertholdum Aquilegiensem Patriarcham favorabilem habens, cum Ezelino composuit, & Tarvisium habere nititur; sed renitente Petro Teupolo Potestate, & Ducis nato, prævalere nequivit, & per Forojulium in Alemanniam transivit.

Pars VIII.

INterim Regina Cypri Aylisia petit Regnum Hierusalem, dicens se neptem Almerici Regis ex filia Isabella; & Papa mittit Imperatori, ut infra annum ignotum (*) transmittat heredem, quod promisit, nihilque egit.

Tunc Soldanus Ægypti Elquemel cum Seraph obsedit Damascum. Videntes autem Damasceni, quòd puer dominaretur eis filius Corradini, qui eos tueri non poterat, illi se tradunt. Tutor autem pueri eum cum matre defert ad fortalitium Erath. Saraceni autem passim in Christianos desæviunt, Officiales autem Imperatoris nihil aliud quàm schisma inter Barones nutriunt.

Pars IX.

RAgusini, qui Græcorum, & Sclavorum suggestione Venetis huc usque rebellaverant, missis Nuntiis ad subjectionem redeunt, & annuale consuetum tributum, & subjectionem Ecclesiæ suæ Patriarchæ Gradensi, si hoc à Papa poterit obtineri, & piratis, ac Venetorum æmulis inimicari, fideliter promittunt. (**)

Pars X.

APud Toletum quidam Judæus comminuendo quamdam rupem, in medio lapidum invênit concavitatem, & ibi librum invênit quasi folia lignea habentem scriptum literis Hebraicis, Græcis, & Latinis. Hic autem Liber loquebatur de triplici Mundo ab Adam usque ad Antichristum. Principium autem tertii incipiebat à Christo. *In tertio*, inquit, *Mundo Filius Dei nascetur de Virgine Maria, patieturque pro salute hominum, & tempore Ferrandi Regis invenietur.* Quo viso cum tota familia baptizatus est.

Pars XI.

DUx antiquæ promissioni maleficiorum, pauci additis, vel correctis, novam promissionem, & alia Statuta fecit, & cùm Officio Procuratoris operis Ecclesiæ Sancti Marci hucusque per unicum administrato plures Commissariæ, & Commendationes propter merita præsidentiam commissæ forent, ut negotia celeriùs & cautiùs agerentur, statutum fuit, ut facta dictæ Ecclesiæ Commissariarum & Commendationum per duos de cetero gubernari & fieri debeant.

Pars XII.

INter Episcopum Castellanum & Venetos exorta discordia occasione quæstionum Clericorum, quæ, exceptis criminalibus, & merè spiritualibus, coram seculari Judice agitabantur, ut antiqua eorum Statuta diutiùs observata seriosè dictabant, ac etiam exemptionis Capellæ Sancti Marci, nunc correctis Statutis, ut sola judicia immobilium Curiæ Secuları in signum dominii, & Ecclesia Sancti Marci in solita immunitate remaneant, sopita est.

Pars XIII.

VEneti cum Paduanis, finitis treguis, propter infestationem Ezelini in Thomam Centranico, & Gerardum Guamfo se compromittunt, qui Ducis anno V. litibus confinium in eodem statu remanentibus quinquennales treguas indixerunt.

Marinus Dandulo Comes Jadræ, & nunc etiam Potestas Tarvisii, contra quosdam communem statum turbare nitentes capitalem sententiam promulgavit. Quem Venetias redeuntem malefactorum propinqui nequiter occiderunt; magnaque inter Venetos ex hoc & illos discordia exoritur. Comes verò Jadræ Joannes Michaël effectus est.

Anno sexto ex laudatione publicæ Concionis Dux Fratribus Prædicatoribus terram aqua superlabente in confinibus Sanctæ Mariæ Formosæ, & Sanctæ Marinæ, pro Monasterio construendo concessit. Quo inchoato suam ibi sepulturam elegit.

Usque ad hæc tempora injuriæ, percussiones, & offensiones, quæ inferebantur, per capita contratarum solita fieri, Duci denunciabantur, quæ per eum, & Consilia aliquando puniebantur, aliquando per Judices Proprii, vel Advocatores Communis. Nunc autem pro inquirendis & emendandis his sancitum est, quòd V. Officiales, qui nominentur Antiani Pacis, de novo fiant. Imperator Henricum primogenitum suum, quia Ecclesiæ favebat, in carcere mori fecit, & ejus loco Conradum instituit. Deinde exercitum parat, ut Romam veniat, sed Papa facta processione, & proposito verbo Dei, de Federico querelam proponit Romano Populo, qui ei favere videbatur, & persecutioni Ecclesiæ; & capita Apostolorum Petri & Pauli tenens in ulnis, se ait non posse defendere absque eorum virtute, in cujus se protectione ponebat. Tunc

(*) *Cod. Amb.* natum.
(**) *In margine Codicis Ambrosiani.* Ex alio Codice: Tergestini mediante Domino Petro Zeno Venetis fidelitatem juraverunt.

Tunc cum devoto clamore Populus defensionem promittit: quo audito Federicus cum exercitu retrocessit.

Pars XIV.

IMperator del Zagora Joanni Vatacio, qui se in Acolino colligeret, scribit, ut secum parentelam faciat, & Latinos à parte Orientali invadat, & ipse idem faciet à parte Occidua; & ob hoc Joannes Imperator Constantinopolitanus, & Theophilus Zeno pro Venetis Potestas nuntios Duci mittunt, qui potentiam Græcorum exponunt, & celere subsidium ad communes expensas implorant, & pro parte Imperatori tangente Coronam Domini de Spinis, partem Ligni Crucis, Lanceam, & Spongiam loco pignoris assignant; & sic de mittendo stolo per Venetos deliberatum est. (*)

Pars XV.

SEptimo itaque Anno Dux paratis XXV. galêis Leonardum Quirino, & Marcum Gausono Capitaneos præfecit, qui de Venetiis secedentes Tenedum perveniunt, & sumtâ notitiâ, quòd Græcorum stolus, cujus erat Armiralius Leo Gavala, Urbem obsidebat, illuc properat. Sed Græci de hoc præscii in parte Orientali sub tuitione terrestris eorum exercitus se retrahunt, quos Veneti aggredientes, peracto bello, XXIV. galêis eorum captis, victores Constantinopolim accesserunt, & Latinis incolis datâ fiduciâ ad propria rediere.

Beatrix filia quondam Aldebrandini Marchionis Estensis Andreæ Regi Hungariæ jam seni nupsit.

Marco Michaële Episcopo Castellano mortuo Petrus Spino substituitur, qui Episcopale Palatium renovavit.

Anno octavo Marchio Estensis cum Paduanis exercitum parat. Ezelinus, & Veronenses pro Imperatore mittunt, qui erat in partibus Lombardiæ, & subitò eis venit in auxilium, & Vicentiam cepit, eamque combussit in Festo omnium Sanctorum.

Pars XVI.

DUx per Legatum suum Marsilium Georgio, Leonem Gavala, Dominum Rhodi sibi fidelem, & tributarium fecit.

Pars XVII.

ANdreas Rex Hungariæ moritur, & Bela Quartus filius ejus regnat pro eo. Beatrix gravida timens privignum suum regnantem in habitu virili fugit, & editum filium Stephanum vocavit.

Pars XVIII.

FRatres quidam de Ordine Minorum de laboribus manuum suarum in atrio Ecclesiæ Sancti Sylvestri vitam ducebant, qui bonorum operum exhibentes exempla, nunc sub vocabulo Sanctæ Mariæ Virginis sibi Monasterium inchoarunt.

Anno nono Angelo Barocio Patriarchæ defuncto Leonardus Quirino Primicerius Sancti Marci successit.

Nuntii Imperatoris cum Ezelino Paduam intrant, faventibus eisdem quibusdam de Magnatibus Paduæ.

Ultimò Tarvisini, qui soli liberi remanserant in Marchia Tarvisina, posuerunt se sub dominio Ezelini. Marchio etiam Estensis nuntiis Imperatoris se subjecit.

Postquam autem Ezelinus obtinuit Paduæ dominium, nobiles de Civitate cum filiis in exilium destinavit, ut diris carceribus mancipentur. (**)

Pars XIX.

TUnc Petrus Teupolo Ducis natus Potestas Mediolanensium cum ipsis & eorum amicis contra Federicum progreditur, qui per districtum Brixiæ omnia destruebat; sed fluvio interposito minimè prœlium commiserunt.

Tamdem Mediolanenses revertuntur, & dum nihil mali suspicarentur, Federicus cum militia sua eos prævenit, & facto in eos impetu apud Turrim novam, multos ex eis cepit, plures occidit. Sed & Potestas prædictus captus est cum Carrocio, quem Federicus damnavit ad mortem: Dux autem Venetiarum ex hoc turbatus Venetos, ut illius æmuli fierent induxit.

Pars XX.

DUx propterea requisitus à Papa, Stephanum Justiniano, & Marinum Mauroceno mittit, qui cum Nuntiis Januensium remissis offensionibus, pacem & unionem per novennium taliter inierunt, videlicet: Quòd navigia Venetorum, & Januensium insignia utrorumque deferrent, & quòd Vatacio Græcorum Imperatori nullatenus adhærebunt; & contra inobedientes spiritualiter Papa procedere decrevit. Et his gestis idem Papa ut contra Federicum intenderent, his instantissimè persuasit, & graviores processus in die Jovis Sancto erga illum publicavit.

Pars XXI.

ANno X. Anconitani in Mari Venetos infestantes à Marco Zorzano Capitaneo unius galeæ, & aliorum navigiorum ad terram fugere dimissis navibus, coacti sunt; illisque combustis cum LXXXV. hominibus, qui remanserant, captis, Venetias rediit.

Pars XXII.

DEvotæ quædam Moniales Ordinis Cisterciensium Monasterii de Columba Diœcesis Pla-

(*) *In margine Cod. Ambrosiani*: Alibi MCCXXXVI. classis Veneta XXV. Triremium præfectis Grisfonio & Quirino in facto Rhodi cepit navigia XXI. Saracenorum & Vatratii. Inde profecta Constantinopolim, eam urbem....... contra Vatratium. Alibi est legere sub Petro Ziano à Johanne Imperatore Constantinopolitano Venetis datas pro pignore suprascriptas Reliquias, sed falsò.

(**) *In Textu Cod. Amb. additur*: Dux per Legatum suum Marsilium Georgio, Leonem Gavala sibi fidelem & tributarium fecit.

In ejusdem Codicis margine: Græcus Scriptor non Leonem Cæsarem, sed Johannem fratrem Leonis tradidisse Rhodum Januensibus, non Venetis scribit, statimque à Vatatio recuperatum, & equites Burgundiones Gulielmi Principis, qui fortè Rhodi præsidio erant, interfectos.

Placentiæ Venetias accedentes, cum subsidio eis à Civibus impertito, Monasterium Sanctæ Mariæ della Celestia de novo construunt, & plurimorum Nobilium natas ibi sorores recipiunt.

Federicus Paduam veniens Venetorum Confines, qui Ecclesiæ consavebant, insultat, qui resistentes palatas claudunt, & bellatoribus muniunt.

Vezeli quoque de Camino, & Albericus de Romano, suadentibus Venetis, Tarvisium viriliter accedunt, fugantque Jacobum de Mora, qui ibi pro Imperio erat, & omnia agebat de consilio Ezelini. Marchio quoque Estensis, & amici ejus recesserunt ab Imperatore, videntes eum inclinatum totaliter ad vota Ezelini. (a)

Imperator autem, relicto Tibaldo Francisco Potestate Paduæ, & Vicario totius Marchiæ cum conditione, quòd mandatis Ezelini in omnibus obediret, in Apuliam properat; Marchio enim recuperavit Turrim Estensem, Cerrum, & Calaonem; & sic guerra periculosa per totam Marchiam inchoatur, & Papa, ob hoc Gregorium de Montelongo Legatum in Lombardiam mittit.

Pars XXIII.

GUerrarum discrimina formidantes Moniales Ordinis Sancti Benedicti in Sancto Cypriano secus Mestrinam degentes, suum Monasterium reliquerunt, & in Torcello de novo fundato Cœnobio sub nomine Sancti Antonii Heremitæ suam habitationem elegerunt.

Pars XXIV.

ANno XI. Romeus Quirino, & Stephanus Baduario Romam à Duce missi de armandis XXV. galêis in Venetiis communibus tamen expensis, ut Regnum Siciliæ à dominio Federici subtraherent, cum Papa pacti sunt, (b) & de communicandis proventibus, & pace non firmanda absque speciali conclusione Venetorum, & immunitatibus, ac privilegiis in Regno habendis, ab eo obtinuerunt; & ut commodiùs Papa intentum suum ad effectum duceret, cum Januensibus, qui Venetis confœderati erant, pactiones similiter fecit.

Eodem anno de mense Junii fuit eclipsatus Sol.

Pars XXV.

ANno duodecimo Gregorius de Montelongo, Apostolicæ Sedis Legatus, magno congregato exercitu, & maximè Venetorum, quibus præerat Stephanus Baduario, Ferrariam, quam Salinguerra fultus Imperatoris subsidio detinebat, bello aggreditur; & crebris insultibus Urbem impugnans, cùm obtinere nequiret Ducem Venetiarum, qui vice sui dimisso Joanne Teupulo in exercitu potentissimè applicavit, gratiosè suscepit, & communicato consilio bella innovant, & intrinsecis pavorem impellunt. Salinguerra denique fraude Hugonis de Rambertis in castra venit; & sub specie sceleratæ pacis Legatus Ferrariam habuit, & Dux Venetorum rediens Salinguerram jam octuagenarium captum Venetias duxit; & Stephanus Baduario acquisitæ Urbis Potestas efficitur. & Venetis immunitates plurimæ in ea concessæ sunt. Et post modicum Salinguerra mœrore confectus moriens in Monasterio Sancti Nicolai de Litore sepelitur.

Pars XXVI.

AYlixia Regina Hierusalem nupsit fratri Comitis Asasonis, qui pro consorte petiit Regni gubernacula, & obtinuit, quia Imperator noluit illuc transmittere filium Conradum.

Rodulphus autem cernens, quia propinqui Reginæ omnia ad libitum agerent, & ipse nihil posset, cum Rege Navarræ & aliis repatriavit.

Ludovicus Rex Franciæ Venetias Nuntios misit, & partem Crucis, Lanceam, & Spongiam Christi, quas Joannes Imperator Constantinopolitanus Venetis pignoraverat, eo permittente, redemit, & aliquali parte Duci gratiosè dimissa, portari fecit Parisius, ac devotè reposuit in Capella domus suæ, quam de novo sumtuoso opere construi fecerat.

Pars XXVII.

COrpus Sancti Pauli primi Heremitæ, quod Emanuel Imperator Constantinopolitanus in Monasterio Sanctæ Mariæ Permilepti (c) ab eo constructo deposuerat, nunc Jacobus Lanzolo ab Abbate & Monachis absque capite, quod priùs Romam fuerat delatum, obtinuit, & rediens Venetias in Ecclesia Sancti Juliani devotè deposuit.

Eodem anno Federicus de Apulia veniens, mortuo Paulo Traversario, Ravennam obtinuit, & Faventiam, in qua Michaël Mauroceno Potestas erat, obsedit. Tunc Joannes Teupolo Capitaneus XXV. galêarum, ut Papæ promissum fuerat, contra Federicum progreditur, & XII. galêas in illius subsidium accedentes fugavit, & in Apuliam Termolas Castrum marinum rediens, Bestie & Bestice cepit, & prostravit, & secus Brundusium navem unam de Syria redeuntem mille bellatoribus munitam obtinuit. Imperator autem longa obsidione Faventiam habuit.

Jacobus de Carraria captus in Castro Agnæ à Tibaldo Francisco accepit sententiam capitalem.

Interea Jacobum Prænestrinum, & Ottonem Cardinales à Regibus Franciæ & Angliæ cum galêis Januensium redeuntes galêæ Pisanorum capiunt, & ad Imperatorem conducunt.

Pars XXVIII.

REcedente Joanne Brenensi de Constantinopoli Balduinus II. solus imperavit.

Pars XXIX.

ANno Ducis XIII. Joannes Vatacius, qui Federici Imperatoris filiam sibi copulaverat, cum galêis XXV. & aliis navigiis per mare, & cum multitudine equitum copiosa & peditum in terra Urbem obsedit. Tunc Joannes Michaël pro Venetis Potestas Constantinopolitanus

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Irati erant Veneti Federico cùm propter fines invasos ab eo, tum quia quatuordecim ejus triremes navigantes ex Apulia in Picenum oneratas munitionibus ceperat, & quatuor naves eorum onustas frumento.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Pacti etiam sunt ut conquisita Apulia, Venetis Barulum & Salpi in pensionem annuam cedantur perpetuò ab Ecclesia.

(c) *Cod. Amb.* Parvulepti.

nus armatis XVI. galêis egrediens Græcos bello aggreditur, & X. illorum galêas, reliquis fugatis, capit, & sic Civitas ab obsidione liberatur.

Pars XXX.

GRegorius Papa moritur, & Cœlestinus IV. natione Mediolanensis Papa efficitur. Hic prius Gaufridus nomine, Episcopus Sabinensis, vita & scientia laudabilis, provectæ ætatis, & quasi semper languens, ideo propter labores officii vixit tantùm XVII. diebus.

Pars XXXI.

DUx anno sui XIV. reperiens Statuta ab eo, & Prædecessoribus edita tantæ confusioni submissa, ut in eorum observatione Judices frequentissimè vacillarent, pro eorum reformatione elegit Pantaleonem Justinianò Ecclesiæ Sancti Pauli Plebanum Thomam Centranico, Joannem Michaël, & Stephanum Badoario, qui eorum industriâ antiqua corrigentes, & nova statuentes, Duci in uno volumine redacta obtulerunt. Quæ inventa justa, & Venetorum regimini congruentia, auctoritate sua, & Consilii, & totius publicæ Concionis integraliter approbavit, quibus usque in hodiernum, paucis additis, vel correctis in judiciis judicatur.

Pars XXXII.

FEdericus contra Januenses centum galêas parari jubet. Dux tunc à Januensibus requisitus juxta ligam & unionem, quam cum eis inierat, armavit LX. galêas, ac Joannem Teupolo ejus natum, & Leonardum Quirino Capitaneos constituit, cùmque Polenses requisiti, ut unam galêam, sicut tenebantur, armarent, jussa adimplere renuissent, Capitanei abeuntes Polam viriliter impugnant, quam obtinentes, diruptis muris, Durachium processerunt, & perscrutati intellexerunt Imperiales galêas, cùm vidissent stolum Januensium viriliter erga se venire, bellum renuisse, & ob hoc Veneti redeuntes, cùm Polenses iniuriosas minas in Venetos prorupissent, denuo Civitatem invadunt, & ruinis & incendio de mense Octobris illam destruunt.

Post tres verò menses Cives profugi ad Urbem redire formidantes, missis Duci Nuntiis, petitâque veniâ ad pristinam gratiam recepti sunt.

Post Joannem Vatacium Theodorus genitus ejus, quem ex filia Theodori Lascari genuerat, Græcorum suscepit Imperium, & nomine & cognomine avi materni vocatus est. (a)

Pars XXXIII.

JAdratini sub dominio Venetorum honoribus & divitiis elati, nunc verò rebelles effecti Joannem Michaëlem Comitem expellunt, & reliquos Venetos cum bonis suis detinent, & denegato sibi à Federico Augusto subsidio, cum Colomano fratre Belæ Quarti Regis Ungariæ componunt, & Regis vexilla erigunt, & ejus auxilio Urbem muniunt, & à Duce requisiti resipiscere renuunt; sed Venetos captivatos abire permittunt.

Pars XXXIV.

OLim Tartari subjecti Indis consilio Cingis rebelles effecti erga David filium Joannis Presbyteri illorum Regis insurgunt, & Regem & Regnum occupant, eumque occidunt cum tota progenie Regali, exceptâ filiâ unicâ, quam Cingis in uxorem accepit, qui fulmine percussus obiit, successitque illi filius Octota, prudens valde. Hic cogitans Asiam sibi subjicere, præmisit decem millia equitum ad explorandum gentium varietates & vires, eisque præfecit Gebesagada, mandans ei, ut donec insuperabilem quempiam locum inveniat, omnes Provincias lustret. Ille ad imperata impiger, subitò Civitates, & Provincias plurimas occupat, sed à Soldano Turchiæ tamdem prohibitus ad Octota juxta præceptum rediit. Postea Octota cum filiis suis Joachim, Bathone, & Agaday, innumerosis in Asia submissis Provinciis, Bathonem filium ejus adversùs Cumaniæ Regnum misit. Cumani autem debellati ad Hungaros confugiunt, ubi nunc usque plurimi remansere. Inde Tartari procedentes Russiæ Regnum occupaverunt, Terram Gazariæ, & Regnum Bulgariæ, & conflictis Hungaris ultra Sylvanam Regionem invadunt. Rex autem primò in Austria, postea in Sagabriam cum familia secessit, & Mariam Reginam cum parvulo Stephano nato, Reliquiis, & thesauris Regalibus in Clisiam Dalmatiæ venire fecit, & Calomannus Regis frater obiit.

Hoc anno transacta hyeme Tartari Budam, Strigoniam, & alias Regni Urbes prosternunt, & homines occidunt. Rex tunc in Clisiam similiter vênit, & Jadratinis supplicantibus privilegia indulsit, & pecuniam pro muris Marinæ reficiendis illis tribuit; & appropinquantibus Tartaris in Tragurium ivit; & illorum metu, qui ad maritima jam descenderant, cum familia, & thesauro in navibus, quas conduxerat, se transvexit, cui Veneti Divino intuitu cùm multa erga eum agere potuissent, nihil injuriæ illi intulerunt; & tamdem abeuntibus Tartaris Rex in Hungariam rediit, dimisso Banno Dionysio pro tutela Jadræ.

Anno XV. Castrum Sancti Bonifacii à Veronensibus est destructum. (b)

Pars XXXV.

CArdinales elapsis XXII. mensibus Innocentium Quartum natione Januensem de Comitibus Lavaniæ Papam elegerunt. De ejus creatione in Curia Federici exsultatio magna fuit, quia ejus esset amicus; sed Imperator asseruit eum de cetero non amicum.

Leonardo Patriarchæ mortuo Laurentius subrogatus est.

Pars XXXVI.

DUx igitur Jadratinos in rebellione pertinaces domitare anhelans, galêas XXVI. & naves XX. (c) cunctis ædificiis ad impugnatio-

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Joannes Vatacius à Moroidibus intestatus Nicomedia se contulit in Smyrnum, votum ibi pro sua salute soluturus celebri Imagini Salvatoris; Inde Nynphæum abiit. Tunc ut arbitror expeditionem Cretensem suscepit, de qua supra. ut puto. Albisia filia Regis Cypri uxor Raul Sanson, expulso Bailo Federici Imperatoris ex Achon & Tyro, cum auxilio Marsilii Georgii Baili pro Venetis in Siria, coronatur Regina in Hierusalem, & reddit Venetis jura sua in Tyro.

(b) *In margine Cod. Ambrosiani*: Anno MCCXLIII.

(c) *Cod. Amb.* XXV.

tionem opportunis parari jubet, & Raynerium Zeno Capitaneum fecit. Hic cum Joanne Michaële quondam Comite Jadræ egressus de mense Maji Jadram applicuit, & illos, ut ad solitam subjectionem redeant, requirit, & cùm renuerent, machinis Urbem impugnat; & Civibus Urbem tuentibus alia navigia Venetorum catenam mirabiliter constructam, portus ingressum prohibentem, viriliter frangunt, & audaciùs circumquaque bellum innovant. Tamdem Dionysius Hungarorum Bannus in pugna graviter vulneratus, insultus continuos perhorrescens extra Urbem se fecit deferri. Tunc Veneti scalas apponunt, & Hungari primò, postea Cives timore attriti, unus post alium Urbem exeunt, & Veneti absque notabili cæde die V. Junii potenter eamdem occupant. Quod cùm Duci nuntiatum foret, gaudio repletus, Michaëlem Mauroceno Comitem fecit, & multis Nobilibus & Popularibus Venetis, divisis inter illos Civium bonis, Jadram custodiendum tradidit. Joannes autem Michaël, qui in recuperatione Jadræ viriliter se gesserat, pro recompensatione Jadræ Comitatus Potestas Clugiæ est effectus, postea ætate confectus in Torcello translatus vita cessit.

Pars XXXVII.

BArtholomæus Comes Veglæ cum consortibus suis, qui juramento fidelitatis Comitatum à Venetis recognoscebant, recepto Feudo à Rege Hungariæ, ei totaliter adhæserunt.

Dux autem illos ut rebelles omni honore, & jurisdictione privavit; & Laurentius Teupulo ejus genitus illis subrogatus est, & Joannes Teupulo alter filius Auseri Comes efficitur.

Pars XXXVIII.

ANno XVI. Dux, qui cum suis Consiliariis petitiones, querimonias, & interdicta per justitiam determinaverat, nunc plurimis maximisque negotiis implicatus, collaudatione Populi Judices Petitionum de novo statuit, eisque antedicta, & fugitivorum, & pignorum placita cum arbitrii plenitudine commisit. (*)

Pars XXXIX.

DUx per Legatos suos Petrum Dandulo, & Stephanum Justiniano cum Bela Rege Hungariæ, Jadræ remisso litigio, perpetuam pacem (**) juramento firmavit, vicissim promittentes, ne unius rebelles, seu qui ejus incommoda procurarent, ab altero favorem vel juvamen recipere debeant.

Tunc in contemtum Ecclesiæ Federicus cum magno exercitu Romam properat, & in circuitu duobus mensibus immoratus totam vastat.

Anno decimo septimo Innocentius Papa cùm ferè duobus annis quæsivisset modum pacis cum

A Imperatore, ut finem imponeret tantis malis, considerans, quòd in tractatu nihil proficeret, ivit in Galliam, & in Lugduno Generale Concilium celebrare disponens, universos Prælatos, & Mundi Principes, ut per se, vel per suos procuratores in Festo Sancti Joannis Baptistæ ibidem accedant, per edicta commonuit.

Pars XL.

DUx igitur Marinum Mauroceno, Raynerium Zeno, & Marinum de Canali ad Concilium Legatos mittit. Papa verò non obstantibus exceptionibus Thadæi juris Doctoris ab Imperatore destinati XVI. Kalendas Augusti Federicum tamquam hostem Ecclesiæ damnat, B ipsumque tam Imperio, quàm Siciliæ Regno privat, & omnes Vassallos ejus absolvit à juramento præstito, & constituit, ut Cardinales, dum equitant, Capellum rubeum portent, ut ab aliis discernantur, in signum quod præ ceteris, cùm oportet, pro Fide & Ecclesia caput & vitam exponant; & Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis celebrari decrevit.

Finito Concilio, Venetorum Nuntii redeuntes à Comite Sabaudiæ capti, hortatu Federici liberati ad eum accedunt, quibus ait: Si Cives vestros mercatorum more pergentes in Regno nostro benignè tractavimus, non debuissent Veneti ab aliis minus debitè requisiti hostiliter C erga Imperium nostrum procedere. Cui Nuntii excusationes coloratas, sed non justas, sagaciter præstiterunt.

Federicus illis benignè annuens dixit: Vos amicos habere disp nimus; & ideo consulimus, quòd alienas guerras amodo vestras proprias non faciatis; & cum ejus gratia Venetias redeunt.

Pars XLI.

DEposito Federico, Papa Electores monuit Imperii, ut aliquem strenuum virum ad gubernandum Imperium eligerent; qui elegerunt Landgravium Ducem Thuringiæ. Ipse autem D pro utilitate Reipublicæ Diadema Regni Alemanniæ suscepit, & contra Conradum exercitum congregavit, eumque bello superavit. Imperiali tamen benedictione caruit.

Post devictum Conradum Federicus de Apulia vênit in Lombardiam cum maximo apparatu; & dum apud Taurinum moram traheret, Rex Henricus filius ejus naturalis cum exercitu Cremonensium ivit ad obsidendum quoddam Castrum Brixiæ. Tunc habita opportunitate consanguinei Papæ cum expulsis de Parma, qui in Placentia residebant, Parmam de assensu Populi audacter intrarunt, & partem Federici expulerunt, in quorum auxilio fuit Gregorius Legatus cum multis Civitatibus Lombardiæ. E Quo audito Federicus velociter illuc pergit cum Ezelino, qui in ejus auxilium venerat cum militia

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Regebant Urbem Consilium Majus, Consilium Quadraginta, & Consilium Rogatorum. In Consilio Majori fiebant electiones Magistratuum, & tunc dicebatur Consilium de Electionibus; judicabantur causæ privatæ alicujus momenti cum civiles, tum criminales, tractabantur etiam res publicæ.

(**) *Ibidem hæc adnotantur*: In Pacto pacis convenere, ut Veneti Jaderam possideant cum suis pertinentiis, sicuti Cives Jadertini antea possederant, nemine contradicente, vel contraeunte. Promisit etiam Rex, se nec per se, nec per suos intromittere post hac in ea Urbe perpetuò; Rebellesque Venetorum Jadertinos se armari prohibiturum, ita ut Venetis nocere non possint. Veneti verò se Regi, ejusque amicis favorabiles promiserunt, neque Regis inimicis auxilium, aut favorem præstituros, præsertim in maritimis, neque cum illis pacta, aut fœdus percussuros, præcipuè cum Domina Beatrice, ejusque filio Regis nepote. Denique Jadertini rebelles Venetorum confitentes crimen, illorum gratiam meruere, & Stephanus Justinianus comes est illis datus, urbis muri maritimi diruti, & arx est extructa.

litia Marchiæ Trivisanæ. Fecit autem Federicus circa Parmam, Civitatem, quam Victoriam nominavit, asserens se numquam inde, nisi cum victoria recessurum. Expugnavit autem Parmam VI. mensibus, donec hyems obsidionem solveret. Sed renovato tempore Legatus cum Civibus habita deliberatione in Victoriam Urbem irruerunt. Federicus autem Imperium sustinere non valens, dimissis multis divitiis versus Cremonam pavidus fugit.

Pars XLII.

ANno decimooctavo Aylixia Regina Hierusalem moritur, cui filius Henricus Rex Cypri in Regno Hierosolymitano successit, & in Achon Balivum posuit. (a)

Pars LXIII.

EZelinus Venetos, quos æmulos reputabat, offendere cupiens, eorum confines invadit, & in Sancto Hilario, expulsis Monachis, Turrim munitissimam construit, & in regione per flumina navigantibus damna intulit. Dux illico Johannem Teupolo ejus filium cum apparatu illuc mittit, & congressu inito Turrim capiunt, & diruunt, & custodientes illam captivos ducunt. (b)

Pars XLIV.

ANno XIX. Jadrensium profuga multitudo Nonæ commorantium ad cor ducti, per suos Nuntios Ducis gratiam humiliatis cervicibus misericorditer implorant. Dux Procerum & Populi deliberatione sumta, more pii Patris benignè illos ad gratiam suscepit, & revocatis Venetis, qui ad Jadræ tutelam missi fuerant, retento sibi dominio, & mero & mixto Imperio, & omni libera potestate, eos in Jadra, & omnibus pertinentiis plenè restituit, & Stephanum Justiniano Comitem constituit, & diruptis muris maritimis Castrum in Jadra fundavit.

Ludovicus Rex Franciæ, qui ab infirmitate liberatus Crucem assumserat, de Parisiis exiens iter ultramarinum arripuit. Quem associant fratres ejus Robertus, & Carolus, & Barones cæteri, & Prælati.

Similiter Alfonsus Comes Pictaviensis frater tertius post Regem navigans ad ipsum pervênit, relicta matre Domina Blanca ad custodiam Regni.

Pars XLV.

ANno vigesimo Dominicus Sanuto Capitaneus trium galëarum, & unius navis, persentiens tres galëas Pisanorum damna Venetis navigantibus intulisse, apud Stimphaleam illas fugientes invênit, ex quibus insequens duas cum hominibus cepit, & captivos Venetias duxit. (c)

Henricus Rex Sardiniæ, natus Federici, captus est à Bononiensibus, & usque ad finem vitæ suæ detinetur in carcere; & Castrum Montis-Silicis traditur Ezelino, qui deinde obtinuit Burgum Estense, & fortilitia Marchionis.

Hic Dux senio confectus vigesimo primo anno sui Ducatus Dignitati renunciavit, & die secunda Martii (d) de Palatio exivit, qui postea die nona Julii obiens, ante januam anteriorem Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum sepulturæ traditur.

Quadraginta, qui Jacobum Teupulo Ducem elegerunt, sunt.

Jacobus Ferro,
Stagnolus Longo,
Joannes Canolipo,
Petrus Gisi,
Petrus Dandulo,
Leonardus Navigajoso,
Paulus Mauroceno,
Angelus Mudacio,
Stephanus Justiniano,
Joannes Vallaresso,
Marcus Barbaro,
Marcus Zorzano,
Angelus Zulio,
Angelus Acotanto,
Marinus Jacobæ,
Benedictus Faledro,
Nicolaus Bosio,
Thomas Centranico,
Stephanus Baduario,
Marcus Cassolo,
Joannes Capello,
Jacobus Georgio,
Thomas Miniotto,
Jacobus Basilio,
Paulus Trivisano,
Angelus Quirino,
Thomas Viadro,
Nicolaus Lugnano,
Raphaël Gauro,
Marinus Storlato,
Joannes Martinatio,
Andreas Michaël,
Daurius Daurio,
Joannes Teupulo,
Joannes Stornato,
Zervasius Tesulo,
Andreas Gritti,
Bernardus Gussono,
Aloysius Viono,
Nicolaus Gatulo.

CAPITULUM SEXTUM.

De Marino Mauroceno Duce & gestis in suo tempore, habens partes XLII.

MArinus Mauroceno Dux promulgatur Anno Domini MCCXLIX.

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Eodem anno septimo Octobris die deliberatum in magno Consilio, quòd Dux, & Consiliarii non possint dare licentiam Comitibus, & Consiliariis Dalmatiæ standi extra eorum Comitatus ultra tempus, quod licitum est, nisi de consensu magni Consilii.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Qui captivi postea liberati sunt, quòd Pisani promiserunt, datis vadibus, se piraticam non exercituros.

(c) *In margine Cod. Ambrosiani*: Anno MCCXLVIII. Indictione septima die VII. exeunte Octobri deliberatum est in majori Consilio, quòd quando Dominus Dux ascenderit Cymbam, sive platam causa eundi ad accipiendum pignus alicui, vel aliquibus nomine Communis Venetiarum. Is, sive illi, ad cujus, quorumve domum prædicta causa profectionis erat, ubi solverit à ripa, teneatur solvere solidos quadraginta pro pœna Communis Venetiarum. Si verò Dominus Dux appulerit ad domum illius, sive illorum, sive ad contratam eorum, & descenderit in terram, illi teneantur solvere libras XV. pro pœna, quæ restitui non possit illi, vel illis, nisi decreto majoris partis magni Consilii.

(d) *Cod. Amb.* Maji.

Pars I.

NAm post renuntiationem Præcessoris Cives Veneti in electione Ducis discordiam ex paritate vocum alias ortam evitare cupientes, sanxerunt, quòd sicut Dux à majori parte XL. Electorum eligebantur, ita nunc per majorem partem XLI. eligi debeat, & electus juramentum præstet de constituendo probos viros pro inquirendis Hæreticis, & inventos ad Prælatorum judicium comburere teneatur, neque permittat filios suos acceptare regimen aliquod Venetis non suppositum; & eo impedito, ille, quem Consiliarii elegerint, regimen Ducatus exercere debeat. Hisque statutis, hic dierum jam plenus die XIII. Junii Dux publicatus est.

Hoc anno Ludovicus Rex Franciæ de Cypro Damiatam properans, eam fugatis Saracenis obtinet Urbem, posteaque castrametatus, cùm redire vellet Rex, cum duobus fratribus suis & multitudine Christianorum copiosa, à Saracenis capitur, & tamdem redditâ Damiatâ, aliisque locis & captivis Saracenis restitutis, & solutis octo millibus Bysantiis Rex restitutus est, & firmata est tregua per decennium. Dum autem hoc ageretur, Eluardim ultimus Soldanus de progenie Saladini occiditur; sed tamen suprascripta pacta per Admirabiles approbantur.

Ipso anno Januenses, & Pisani in Achon machinis & aliis se mutuò offenderunt, & postea in triennium pacificati sunt.

Pars II.

GUilielmus Comes Holandiæ, mortuo Landgravio, Imperator eligitur, vivente adhuc Federico.

Pars III.

SEcundo Ducis anno cùm hucusque Capita contratarum custodiæ Civitatis præfuissent, nunc pro purgandis maleficiis statutum est, ut duo, qui noctis tempore Urbem custodiant, & malefactores capiant, unus videlicet de citra Canale, & alter de ultra Canale constituantur, qui Domini de Nocte appellati sunt.

Cremonenses contra Parmenses vadunt; illi quoque improvidi cum Carrocio occurrunt, & de prœlio fugientes Carrocium dimittunt.

Federicus autem in Apuliam vadit, & gravi pressus infirmitate ibi moritur, qui omnes Augustos in divitiis, potentia, & gloria à Carolo Magno citra superavit, nihil secum præter peccata portans. Aliqui dicunt, quòd Manfredus Regnum Siciliæ ambiens, cum cussino ori superposito, eum suffocavit. Guilielmus de Podio scribit in suis Chronicis, quòd Federicus in fine suum cognovit errorem, & dolens prohibuit sibi Imperialia funera exhiberi.

Populus Placentinus contra suos milites concitatus auxilium Cremonensium imploravit, & expulsis militibus Ubertum Palavicinum in suum Dominum elegit. (a)

Dominus Gregorius de Montelongo Legatus supra memoratus Patriarcha Aquilegiensis efficitur.

Ezelinus autem firmiter credens magnam conspirationem factam contra se à militibus Marchiæ, maximam eorum stragem edidit.

Pars IV.

TErtio anno Manfredus filius naturalis Federici Regni Siciliæ assumsit dominium, sed non in totum propter Regem Conradum, qui hoc cognoscens de Alemannia in Dalmatiam venit, & navigio per mare Apuliam intrat, & Neapolim capit, & sequenti anno ibi Castrum ædificavit, & obiit. Reliquit autem filium parvulum Conradum, quem mater in Theutoniam portari fecit, ibique nutriri. Ipsa autem nupsit Comiti de Tyrolo. Relictus est igitur pueri Bajulus Bertholdus Marchio de Honenburch, qui postea in bajulatu cessit Manfredo. At ille sub tali prætextu assumsit dominium, quod audiens Innocentius Papa, venit Perusium, ibique magnum paravit exercitum.

Pars V.

EOdem anno cùm Veneti, qui ad submittendum Græcos in Cretam missi fuerant, eorum ferocitatem viriliter conculcassent, nunc Dux Regionem nominatam Puncta de Spara, ab illis hostiliter subtractam, Nobilibus Venetis & Popularibus possidendam in feudum concessit, & Civitatem Caneæ de novo fundari mandavit.

Pars VI.

INterea Innocentius Papa Mediolani existens, ad supplicationem Ducis indulsit, quòd Primicerius Ecclesiæ Sancti Marci Mitra, anulo, & Pastorali baculo congruis temporibus uti valeat.

Eodem anno Ragusini, qui Duci aliqualiter rebellaverant, missis Nunciis à Duce ad pristinam subjectionem piè recepti sunt. (b)

Quarto Ducis anno idem pius & devotus Cubam majorem Sancti Salvatoris Parochiæ suæ opere Mosaico depingi fecit, & purè in regimine suo procedens, pacem, & victualium copiam suo tempore habere promeruit, & hoc anno moritur. Qui cum Ducali apparatu, superposito ense, & calcaribus in capsa reponitur, & cum Nobilium copiosa multitudine, præcedente scuto suo, in Sala Officialium de nocte portatur cum Dominarum sequela. Et postea celebratis exequiis in Ecclesia Sancti Marci die III. Januarii, sub porticali eodem taliter sepelitur. (c)

Qua-

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hujus Principis tempore corpus Sancti Sabæ Venetias est delatum, quid circiter annum Christi DXXVIII. in Cappadocia apud urbem Monlapsis Monachus, & Eremita vitam vixit Sanctissimam. Sub hoc etiam Principe corpus Joannis Patriarchæ Alexandrini, cognomento Eleemosynarii Venetias est delatum, qui claruit anno Christi DCX.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: MCCLI. primo Aprilis Bedomem Caytus Duanæ Tunisii, nomine Boabdilem Soldani Barbariæ, & Philippus Tulianus, nomine Domini Marini Mauroceni Ducis, & Communis Venetiarum ineunt pacta cum multis capitulis, &c. per annos XL. *Datæ Tunisii in Aula Regia*, *anno ut supra* &c. extat in secundo pactorum Charta III. & in primo Charta CLXV.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Anno eodem Indictione undecima die septima exeunte mense Januarii in Ecclesia Sancti Marci congregata publica concione Populi Venetiarum, cùm ibidem essent Electores XLI. ad Electionem novi Ducis denuntiandam, antequam ipsi Electores Electionem promulgarent, ordinatum fuit, & ibidem laudatum, quòd Daniel Gastaldio deberet jurare supra animas omnium de dicta concione, habendi in Ducem, Domi-

A *Quadraginta & unus, qui Marinum Mauroceno Ducem elegerunt, sunt.*

Joannes Polano,
Nicolaus Sanuto,
Marinus Quirino,
Petrus Pasqualico,
Nicolaus Tenisto,
Joannes Teupulo,
Bartholomæus Gradonico,
Jacobus de Molino,
Theophilus Zeno,
Jacobus Foscaro,
Silvius Silvo,
B Joannes Baduario,
Jacobus Basilio,
Philippus Juliano,
Marinus Mauroceno,
Marinus Zorzano.
Petrus Barocio,
Marcus Viglari,
Philippus Storlato,
Julianus Pantani,
Joannes Stornato,
Stephanus Viadro,
Cardinalis Georgio,
Marcus Guffono,
Thomas Centranico,
Andreas Michaël,
C Rogerius Ruzzino,
Raphael Bettanio,
Joannes Ferro,
Joannes Cornario,
Joannes Delphino,
Petrus Dandulo,
Jacobus Contareno,
Guilbertus Dandulo,
Aloysius Vitalis,
Jacobus Bragadino,
Marcus Bono,
Petrus Fradello,
Joannes Flebanico,
Paulus Martinatio,
D Thomasinus Justiniano.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Raynerio Zeno Duce, & incidentibus illius temporis, habens partes XLII.

Raynerius Zeno Dux affirmatur Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCLII. Cùm defuncto Prædecessore Consiliarii in Palatio residentes, & juxta solitum usum vices Ducis in regimine exercentes infrascriptos quadraginta & unum ex Nobilibus & antiquis Popularibus pro celebranda Ducis electione eligi procurarunt, videlicet.

E Angelum Corario,
Julianum Trono,
Petrum Fuscareno,
Aurium Bosio,
Gabrielem Mariglono,
Joannem Victuri,
Petrum Marcello,
Marchesinum de Mugla,
Marinum Superantio, de Sancto Samuele,
Nicolaum Agadi, sive de la Sevelle,
Marinum Venerio, de Sancto Samuele,
Tisinulo de Sancta Maria Jubenico,
Joannem Albino,
Thomam Isirego,
Marcum Belligno,
Bartholomæum Justiniano,
Marcum Minio,
Petrum Casolum,
Marinum Zane,
Joannem Ruzino,
Angelum Martinatio,
Jacobum Capello,
Joannem Michaëlem, de Sancto Cassiano,
Petrum Navaglario,
Petrum Manolesso,
Danielem Barbeta,
Leonardum Mauroceno,
Marcum Benedicto,
Marcum Bragadino,
Petrum Mocenico,
Petrum Belli,
Marcum Maystroso,
Marcum Fermo,
Marcum Natalis,
Bartholomæum Franco,
Joannem Barocio, de Sancto Moise,
Joannem Polano, de Sancto Moise,
Mathiam Miglano,
Marinum Bonzi,
Marcum Barbadico,
Marinum Caravello.

Qui celebrata electione die XXV. Januarii hunc, Potestatem Firmi tunc existentem, Ducem creatum Populo nunciaverunt, qui cum IV. galeis, quibus præfuit Marcus Ziano Comes Arbæ, cum multis Nobilibus Civibus Venetias transvectus die XVIII. Februarii Ducale regimen exercere cœpit.

Pars I.

Eodem anno Innocentius Papa Ezelinum de Romano ut hæreticum condemnat, & Neapolim pergens ibi statim infirmatus, & mortuus est; & omnes de exercitu ad propria rediere.

Post tres autem menses Episcopus Ostiensis natione de Linania, qui Alexander IV. vocatus est, Papa efficitur.

Hic pauperibus pius, maximè prædicantibus Evangelium, libellum damnavit Guilielmi de Sancto-Amore dogmatizantis, quòd Religiosi Mon-

minum, & Rectorem Venetiarum illam Personam, quam dicti Electores denunciaverint se in Ducem Venetiarum elegisse, secundùm videlicet formam capitularis ipsius Ducis facti, lecti, & ordinati cum minori, & majori Consilio, & publica concione. Et incontinenti per Dominum Marcum Zeno Consiliarium, de voluntate Consiliariorum Sociorum suorum ibidem existentium, denotata forma dicti sacramenti eidem Gastaldioni, sicut dictum est; Dictus Daniel Gastaldio, habita à populo licentia sic jurandi in animabus eorum, tactis sacris, ad Evangelia Sancta Dei juravit in animabus dicti populi, habendi in Ducem, Dominum, & Rectorem Venetiarum illam Personam, quam dicti Electores nominaverint, & denunciaverint se elegisse, secundùm formam capitularis facti, lecti, & ordinati cum minori, & majori Consilio, ex publica concione. Et incontinenti nobilis vir Petrus Foscarenus de confinio Sancti Pauli unus Electorum denunciavit populo pro se, & aliis Electoribus Sociis suis ibidem existentibus, se in Ducem elegisse Dominum Rainerium Zeno.

Mendicantes non erant in statu salutis, & alium libellum comburi fecit similiter hæreticum.

Secundo Ducis anno Marsilius Georgio pro Venetis Comes Ragusii Curzolanos absque regimine fluctuantes cum aliquibus conventionibus sub sua protectione suscepit, non tamen sine Ducalis honoris dispendio; quem illi post biennium expulerunt, & postea cùm navigiis armatis illuc accedentem susceperunt.

Post multas discordias inter Venetos, & Forojulianos Gregorius de Montelongo Patriarcha electus vênit Venetias, & novis initis pactionibus pacificati sunt.

Pars II.

TErtio anno Dux navigantes congruis legibus regulare cupiens, Nicolaum Quirino, Petrum Baduario, & Marinum Dandulo elegit, qui utilia statuta condiderunt, & illa Duci exhibita auctoritate majoris & minoris Consilii, & publicæ Concionis approbata sunt.

Tridentini tunc recesserunt à dominio Ezelini. In Lombardia tunc duo vigebant Tyranni, multum faventes Manfredo, Palavicinus, & Ezelinus, contra quos missus est Legatus in favorem amicorum Ecclesiæ in dicta Provincia Philippus Archiepiscopus Ravennas, homo quidem strenuus, qui congregans contra eos exercitum, captus fuit in bello ab Ezelino excommunicato ab Innocentio Papa. Sicque Manfredus fortificatur in universa Italia. Qui pro sui favore Nobiles, quos suspectos habebat, de Regno ejecit, aliis substitutis.

Post Laurentium Patriarcham Angelus Maltraverso natione Venetus subrogatus est. Hic in pueritia Ordinem Prædicatorum intravit, & profectus scientia & virtutibus Episcopus Ferrariensis, & postea Archiepiscopus Cretensis ordinatur, nunc verò postulatus, per Alexandrum Papam ad hanc Sedem translatus est, cui Pallium tradidit utendum diebus in Privilegiis suæ Ecclesiæ concessis, additis Dominica in ramis Palmarum, & Festivitate Sanctorum Sylvestri, & Cantiani; & alia antiqua Privilegia Ecclesiæ innovavit, & Ecclesias, quas Veneti in toto habent Imperio Romaniæ, jam ab Ordinario exemtas, illi subjecit. Concedens insuper, quòd in qualibet Civitate, ubi Veneti habent plures Ecclesias, & quorum multitudo illuc conveniat, liceat ibi Episcopum ordinare, & illi munus Consecrationis impendere.

Pars III.

GUilielmus de Villarduin, qui Guifredo fratri in Achajæ Principatu successerat, Narzotum de Carceribus, & Guilielmum de Verona dominatores Nigropontis ad se vocavit, eosque detinuit, postea hostiliter accedens Nigropontem cepit, & Paulum Gradonico Bajulum cum Venetis de Urbe expulit: ex quo gravis discordia inter Venetos, & ipsum Principem est exorta. Quod Alexander Papa cognoscens, ne Græci in Imperio Romaniæ contra Catholicos potentiores efficerentur, prædictos monuit, ut zelo fidei, & Romanæ Ecclesiæ reverentia à novitatibus incœptis desisterent, ut acriùs contra eos procedendi materiam non haberet.

Post Petrum Pino Valterius Episcopus Tarvisinus à Canonicis Ecclesiæ Castellanæ postulatus ab Alexandro Papa subrogatus fuit.

A

Pars IV.

ANno quarto Dux pro reprimendis offensis sibi à Principe illatis Marcum Gradonico cum VII. galêis in Romaniam mittit, & si Civitas Nigropontis recuperari contingeret, illum Bajulum constituit, qui cum Dominatoribus territoriorum confœderatus Urbem viriliter recuperavit, & plures Nobiles resistentes captivavit.

Princeps autem vehementiùs accensus cum Michaële Palæologo colligatus est, de quo Papa certioratus eum monuit, ut colligationem dissolveret; alioquin Episcopo Mothonis imposuit, ut Apostolica auctoritate ad hæc annullanda ipsum compelleret.

B

Pars V.

RIcardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ est ab una parte Electorum, ab alia Alphonsus Rex Castellæ ad Imperii dignitatem electus. Ricardus autem intravit Alemanniam; erat autem ditissimus, & ab Archiepiscopo Coloniensi coronatus est, & pro magna parte Alemanniæ Regnum obtinuit.

Pars Ezelini partem Ecclesiæ ejecit è Brixia. Tamen Ezelinum intra Civitatem recipere noluit. Tunc Ezelinus generum suum cum filiis fame, & aliis cruciatibus extinxit, sicut præcedenti anno Ezelinum de Ingratia filium sororis suæ vinculavit, & Ciramontem fratrem ejus tormentis & fame peremit. Habitis post hæc multis consiliis Legatus cœpit prædicare Crucem quam multi devotè suscipiunt, & Ezelinus Mantuam obsidere cœpit.

C

Pars VI.

INterim Legatus Venetias vênit, & Crucem in platea publicè prædicavit, & jussit omnes expulsos de Civitatibus Marchiæ, & omnes Cruce-signatos apud Turrim Babiæ convenire, & habitâ copiâ balistariorum, & Virorum pugnatorum, ac victualium à Duce, & Communi Venetiarum quibus præfuit Thomasinus Justiniano, versùs Paduam iter arripuit, & gentis armigeræ Marcum Baduarium Capitaneum fecit, & Marcum Quirino, si Urbem obtineri contigerit, Potestatem constituit.

D

Ansuisius autem pro Ezelino Potestas Paduæ Plebem Sacci vênit; ubi autem advenientium audaciam comperit, & quòd jam Buvolentam, & adjacentes partes occupassent, trepidè cum apparatu Paduam fugit. Quo audito, versùs Paduam properat exercitus Domini, sequens victoriale Crucis signum, & de Cœlo sperans auxilium, ad Pontem Corbum usque pervênit. Cùmque dubium ibidem gereretur bellum, aquam fluminis tamquam audaces transnatando ad suburbium perveniunt, contemnendo mortis pericula. Deinde cum gatto supponunt ignem Portæ Altinati. Balistarii quoque Veneti adstantes contra muros spicula dirigebant; sicque per scalas muros ascendunt. Potestas autem victoribus cedens fugit. Tunc Ezelinus recepto Nuntio cum furia Veronam rediit, & capi fecit circa duodecim millia Paduanorum & compedibus alligari, qui quasi omnes fame, & variis afflicti tormentis periere. Ezelinus autem in semetipso furens Exercitum undecumque vocat, & post mensem Paduam pergit. Illi autem Venetorum auxilium petunt, & recipiunt, & Patriarcha Aquilegiensis, Mantuani, & Ferrarienses suc-

E

succurrunt. Perit proinde desiderium imperii Ezelini, & vacuus rediit.

Pars VII.

EOdem anno Marcus Justiniano vênit Achon Consul Venetorum, & præsentavit literas Papæ Patriarchæ, ut poneret Venetos in possessione Sancti Sabbæ. Januenses autem portaverunt similes literas Priori Hospitalis pro hac causa; & ob hoc cœpit discordia inter eos. Et hoc anno Januenses debellaverunt Venetos, & ceperunt eorum naves cum auxilio Pisanorum, & cucurrerunt infra eorum habitationem usque ad Sanctum Marcum. Et D. Philippus de Monte-Forti ad Januensium requisitionem expulit Venetos de possessione tertiæ partis Tyri, quam habebant ratione acquisitionis ipsius.

Anno V. Januenses cùm intellexissent ea, quæ acciderant, Legatos Venetias mittunt, qui cùm damna Venetorum, & injurias reficere recusarent, à Venetis licentiati sunt.

Pars VIII.

DUx tunc Joannem Ferro, & Petrum Barocio, ut cum Pisanorum Syndicis conveniant, Mutinam delegavit. Qui cum illis, annullato priùs fœdere, quod Pisani cum Januensibus habebant, usque ad decennium ligam & unionem ineunt, & mutuum in ultramarinis partibus auxilium promittunt, & quod navigia, & Palazarii amborum, & omnium Communium deferant insignia. Pro qua quidem ratificanda Johannes Premarino, & Philippus Mauroceno Pisas destinati sunt. Et non multum postea Januenses duas Turres Pisanorum obtinuerunt.

Pars IX.

DUx etiam cum Manfredo Vicario Regni Siciliæ, mediante Pancratio Barbo Legato suo, fœdus perfecit. Approbavit namque Manfredus omnes immunitates, quas Veneti habuerant in toto Regno, & etiam auxit, & promisit Januenses inimicos Venetorum non receptare, nec aliter eis auxilium vel favorem præstare. Et Dux versa vice volentibus ad ejus damna accedere, favorem præstare, sive non exhibere pollicitus est. Qui postea simulata morte Conradini, consummatoque planctu, & assumtis quibusdam Baronibus, Diadema Regni sibi imposuit, & salutari ut Rex jubet. Excommunicatur autem à Papa, & mandatur, ut nullus fidelium eum Regem vocet, qui etiam exercitum contra eum misit, & nihil profecit. Conradinus autem cognitâ ejus malitiâ per solemnes Nuntios misit literas Magnatum cum sigillis Papæ & Cardinalibus in testimonium vitæ suæ. Duriorem quoque Papa innovavit sententiam. Sed ipse sua industria, & liberalitate amicos sibi accumulat, partem patris in Tuscia & Lombardia fovet. Gibellina tamen pars de Florentia pellitur. Qui postea, assumtis Regalibus insigniis, Venetorum fœdera renovavit.

Pars X.

INter hæc Laurentius Teupolo Capitaneus XIII. galêarum, & unius navis in Achon transfretans, catenam, quam Januenses in ostio Portus fecerant priùs dirupta, Portum occupat, & duas galêas, ac XXVIII. naves eorum concremavit. Hoc Fortilitium, quod desuper Sanctum Sabbam ipsi construxerant, cepit, & diruit, & à Marco Justiniano Venetorum Bajulo, & Burgensibus honorificè receptus est.

Pars XI.

SEquenti anno Veneti cum auxilio Pisanorum habitacula Januenses invadunt, & usque ad Montem Musadum occupant, & postea requisiti cum ipsis breves inducias inducunt.

Tunc Boamundus Princeps Antiochiæ conducens Reginam Cypri Placentiam sororem suam, cum Hugone Reginæ filio, ac herede Regnorum Hierusalem, & Cypri, & impulsu Magistri Templi & Joannis de Ybelim, & Joannis Comitis Joppen Venetorum & Pisanorum partes prosecutus est.

Pars XII.

JAnuenses autem quatuor de Janua receptis galêis & pluribus navibus, in Tyro XXII. galêas paraverunt, & Pasquetum Malono Admiraleum decernunt.

Tunc Jacobus Mudatio, & Petrus Quirino cum tribus galêis à Ducha Cretæ missis Capitaneo Venetorum se offerunt.

Capitaneus igitur XVII. armatis galêis Januensibus usque ad Portum, seu exitum Portus Tyri obviam ivit, gravique inter eos parato bello Admiralea Januensium cum sua galêa, & duabus aliis reliquis in Portum Tyri redeuntibus, per Venetos captæ sunt.

Post Petrum Pino Valterium Thomas Aurimundo Episcopus factus est.

Pars XIII.

HOc anno Jacobus Dauro cum galêis X. Mare Ponticum intrat, & Mesembriam Urbem cepit, & de Ecclesia Sanctæ Sophiæ corpus Sancti Theodori Martyris, qui interfecto Dracone jussu Licinii Augusti decollatus est, abstulit. Quod Marcus Dauro postea Venetias deferens in Ecclesia Sancti Salvatoris Plebe sua collocavit.

Beata Clara, quæ erogatis bonis suis Christi pauperibus sub Regula Beati Francisci Monasticam vitam elegerat, & plurimis ostensis miraculis diem clauserat extremum, per Alexandrum Papam Catalogo Sanctorum adscripta est.

Pars XIV.

INterea inter nobiles & Populares Januæ exorta seditione, Januenses unanimiter Guilielmum Buccanigra Generalem suum Capitaneum constituunt, cui post modicum tempus conflictus Civibus suis illatus in ultramarinis partibus innotuit, & XL. galêas & IV. naves muniri statuit, illisque Admiraleum Robertum della Turcha dedit. Dux igitur Venetiarum prævisus Andream Zeno cum XV. galêis, & subsequenter Paulum Faledro cum decem taredis citiùs transfretare fecit. Tunc Laurentius Teupulo, & Andreas Zeno Capitanei, ut supervenientes eorum æmulos possent superare, XXXIX. galêas, decem varchettas, & IV. naves festinanter præparari faciunt, & de adventu stoli Januensium in Tyro illico eis innotuit.

Qui dimisso Marco Justiniano Venetorum Bajulo ad terrestrem custodiam sexto Ducis anno de Portu Achon cum apparatu sui exeunt, & erga

A erga se venire Januenses cernunt, & cùm jam serò esset, usque mane prœliari differunt.

Facto igitur mane Christi nomine invocato, & Beati Marci suffragio, cujus apparitio illa die celebratur, datis signis, Veneti aggressi sunt hostes, gravique vicissim bello peracto, Veneti victoriam habuerunt, & XV. (a) Januensium galêas, ceteris in Tyro fugientibus, viriliter ceperunt; & in Achon redeuntes cum præda, locum eorum, ac Turrim munitissimam dictam Muzojam destruxerunt, cunctaque ædificia. Et Tyri morantes de cetero non portabant vexillum in suis navigiis venientes ad Portum Achon, nec de cetero ibi habebant Curiam vel Præ-

B conem. (b)

Pars XV.

INterea Alexander Papa Venetos, Pisanos, & Januenses per Nuntios monuit, ut pro sedanda discordia Ambasciatores suos cum sufficienti mandato ad compromittendum in eum mittant. Et hoc gesto, Papa treguas indicit, statuitque quòd duo Veneti Nobiles cum galêis Januensium, & totidem Januenses & Pisani cum galêis Venetorum transfretare deberent, ut propter treguas stolia à bello desisterent, & in posterum super differentiis sententiandi sibi arbitrium reservavit. Et ob hoc Joannes Delphino, & Joannes Baduario missi sunt Januam, &

C cùm duo Nobiles Januensium cum Venetis usque Jadram navigassent, de suorum conflictu notitiam habuerunt, qui confusi Januam redeunt, & treguæ ob hoc totaliter cessatæ sunt. Sed primitus reversis Joanne de Canali, Philippo Storlato, & Marco Quirino, qui ad Papam missi fuerant, stolum XXXV galêarum, & duarum navium, quod Veneti jam paraverant, annullatum est, & postea requirente Papa Januenses, qui in bello capti extiterant, suæ libertati sunt restituti.

Dux verò non ingratus favoris sibi à Mansione Alemannorum contra Januenses impensi, Monasterium sub vocabulo Sanctæ Trinitatis fabricari fecit, & illud possessionibus dotatum prælibatæ

D domui benignè obtulit, & Templariis eadem causa plures dextrarios condonavit.

Pars XVI.

NUnc etiam pro tutela Constantinopolitani Imperii Latinorum viribus debilitatis, Dux Jacobum Quirino suarum galêarum Capitaneum mittens, ab incursionibus Græcorum Imperium conservavit illæsum.

Hoc tempore Albericus de Romano frater Ezelini, qui cum eo diu in gravi dissidio fuerat, quasi alter Herodes cum Pilato confœderatur. Post a Ezelinus cum Pelavicino flumen Olei transeuntes, hostes suos in fugam verterunt,

E capientes Legatum Ecclesiæ cum multa Populi quantitate. Sed inter eos denique orta divisione, Pelavicinus, suadente Bosone de Doaria, cum Cremonensibus ab Ezelino se dividit.

Tunc implacabilis discordia Mediolanensium, & Cremonensium; sedata est.

Pars XVII.

ANno Ducis VII. (c) subsequente Deus multorum afflictorum precibus tantis malis finem imposuit. Ezelinus enim, dum Exercitum parat, & in campestribus Urceorum omnia vastat & sternit, è contra Cremonensium exercitus cum Ferrariensibus, & Mantuanis, Mediolanensium expectat auxilium. Ezelinus autem quibusdam de majoribus de Mediolano confœderatus, post recessum Martini della Turre, ut Urbem obtineret se movet, & sua intentione frustratus juxta Abduæ Flumen à supra scriptis graviter vulneratus, & captus est postea Soncinum delatus paucis diebus elapsis miserabiliter exspiravit.

Pars XVIII.

POst hæc Historiographus gestorum Ezelini ait: „ Gens igitur potentissima Venetorum, quam Deus fecit sæpissimè de suis hostibus triumphare, audiens Tyrannum horribilem corruisse, assumtis Tarvisinis, qui illuc fugerant propter rabiem Tyrannorum Ezelini, & Alberici, exercitum transmittit contra superstitem Albericum fratrem Ezelini, namque multis fuerat lacessita injuriis. Sed Veneti sicut viri astuti, & donis sapientiæ præ cunctis Italiæ Populis dotati, opportunitatem semper expectant, ut Tyranno possent pro demeritis respondere; Ipsorum namque virtute, potentia, & consilio capta fuit Padua à Legato, & postea defensata ab Ezelini impetu. Pontem quoque Abduæ in captione Ezelini balistarii Venetorum cum navibus castellatis suo robore & ingenio factis, sex grossis catenis prendiderunt, & viriliter defenderunt. Quæ omnia Albericus recogitans eorum impetus sustinere ausus non est, sed cum uxore, ac filiis, & militibus Teutonicis nocte reliquit Tarvisium, & ad Castrum Sancti Zenonis confugit, in quo erant thesauri Ezelini absconditi, ibique munitione loci confisus ad manendum se contulit. Sed persequitur eum exercitus prædictus; occurrunt etiam Paduani, & Vicentini, & exitus & introitus Castri totaliter prohibetur. Post obsidionem autem quatuor mensium obsessi gratiam obsidentium cupientes invenire, primò Castrum, deinde Turrim munitissimam, & ipsum facinorosum Tyrannum cum uxore, sex filiis, & duabus filiabus in manibus hostium tradiderunt, à quibus variis lacerationibus & collisionibus occiduntur. Sicque infra spatium XI. mensium duo feroces fratres extincti sunt.

Pars XIX.

ANno Ducis octavo duobus Procuratoribus Sancti Marci tertius Collega additus est de novo.

Bela Rex Hungariæ lancea in maxilla percussus à subditis, obiit; filius autem ejus Stephanus in Regno succedit. Hic

(a) *Cod. Amb.* XXV.

(b) *Additur in MSto Ambrosiano*: Demum Genuenses Tyri commorantes humiliati sunt, & pax reformata fuit, his conditionibus, quòd dicta turris, cæteraque eorum ædificia diruta permaneant perpetuò, & Januenses habitantes Tyri, cùm portum eum ingredientur, nunquam ex eorum navigiis vexilla erigant.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Laurentius Teupolo dum Venetias rediens ex Ptolemaide ingens saxum, quod ex fundamentis turris Mozojæ à se dirutæ eruerat, secum detulit, & ante ædem Divi Pantaleonis juxta porticum in memoriam victoriæ poni jussit. Alibi reperio anno MCCLVIII. quemdam Raphaelem adduxisse Venetias Corpus S...... atque in æde Divæ Mariæ Crucigerorum collocasse.

Hic Othacarum Regem Bohemiæ ante flumen Recha venientem potenter repulit, Civitatem Budi sibi subjecit, & similiter dominium Bulgarorum.

Ceterum Schinella, & nati quondam Guidonis olim Comitis Vegle, qui Regi Hungariæ adhæserant, à Duce de Comitatu privati erant, nunc Venetorum gratiam implorantes benignè in Comitatu & ceteris honorificentiis sunt restituti.

Thomæ Arimundo Episcopo Castellano Thomas Franco substituitur.

Eodem anno Alexander Papa apud Viterbium moritur, & Urbanus IV. natione Cretensis, & Patriarcha Hierosolymitanus illi successit.

Pars XX.

NOno Ducis anno (a) Theodorus, qui pro Imperatore Græcorum se gerebat, filios suos moriens sub cura Michaëlis Palæolgi fiducialiter dimisit & reliquit. Hic in potentia auctus Latinorum posse debilitato Constantinopolitanam Urbem obtinuit. Marcus igitur Gradonico pro Venetis tunc Potestas, & Balduinus Imperator, ac Pantaleo Justiniano Patriarcha cum multitudine Latinorum navigia Venetorum conscendentes Nigropontem perveniunt, & à Laurentio Teupulo loci Bajulo de inopinato casu compuncti honorificè recipiuntur.

Pars XXI.

EOdem Ducis anno Officiales, qui communi vocabulo Justitiarii vocabantur, nunc in duo Officia divisi Justitiarii veteres & novi appellati sunt.

Pars XXII.

INterea Egidius Quirino, Jacobus Contareno, Andreas Zeno, & Marcus Baduario ad Papam Ducis Nuntii de sua creatione congaudent, & postea flebilem amissionem Constantinopolitanæ Urbis illi indicant, qui mœrore stupefactus de celeri remedio providere per literas Duci promittit.

Pars XXIII.

DUx postea, à Balduino requisitus Michaëlem Dauro, & Marcum Justiniano pro subsidio & recuperatione Imperii obtinendo Papæ Legatos misit, qui cùm quicquam præter verba obtinere nequirent, Michaël Dauro repatriavit, alius verò cum Balduino, ad Ludovicum Regem Franciæ, & ad Regem Castellæ, proficiscens sine profectu tandem rediit.

Pars XXIV.

MArcus Michaël Capitaneus XVII. galéarum pro tutela Terrarum Venetorum destinatus, juvamen & constantiam illis præstitit, sed morte naturali apud Scopulum ille mortuus est.

Pars XXV.

CÆterùm Michaël Palæologus ambitione Imperii filios Theodori sibi commendatos suffocavit, & sibi Imperialem Coronam imponi fecit, & cum Januensibus, quos sciebat Venetorum æmulos, confœderationem iniit, & XXX. galéas bene munitas illico ab eis suscepit.

Pars XXVI.

DEcimo Ducis anno (b) armatis XXXVII. galéis Dux Jacobum Delphino Capitaneum, & cuilibet galéæ unum Nobilem Civem Supracomitem fecit, & sex ex ipsis Consiliarios Capitanei fore decrevit. Hic navigans LX. galéas Græcis & Januensibus munitas in Thessalonicensi Portu clausas invênit, quibus cùm ad bellum exire renuerent, nihil Veneti damni inferre potuerunt.

Hortatu Laurentii Teupulo Bajuli tres galéæ de Nigroponte exeunt, & circa Constantinopolim magnam stragem Græcorum faciunt. Quæ redeuntes à Januensibus capiuntur, ex quibus aliqui capti occiduntur, & reliqui Imperatori præsentati ejus jussione exoculati sunt. (c)

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Anno MCCLX. X. Augusti captum, quòd si Orator externus accesserit Venetias, tractaturus quidpiam cum Communi Venetiarum, aut pactum, confœderationemve initurus, Dux eum dimittere non debeat, nisi priùs notitiam dederit Consilio XL. Et si duos, vel plures tractatores pro Communi illis dari contigerit, unus ex illis tractatoribus sit de Consilio XL. qui teneatur omnia, quæ tractabuntur referare Consilio XL.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur*: Anno MCCLXI. Ravennates socii, & confœderati facti sunt Venetis. In conditionibus fuit, ut Veneti Ravennæ Vicedominum Magistratum haberent, utque ex Lombardia, & Liguria per Ravennam merces ullæ non exportarentur, nisi quæ aut in usu ipsius urbis, aut Venetiarum ducerentur; cùmque Ravennates damno eo pacto se affici indolerent, pepigere Veneti, se eo nomine illis quot annis enumeraturos aureos, numero . . . . . . id quod è publicis nostris documentis colligitur.

Eodem anno II. Julii captum in Consilio XL., quod sicut propinqui eorum, quorum causæ tractantur coram Principe, & Consilio exeunt de Consilio majori, & de Consilio Rogatorum, & de Consilio XL. sic etiam exire debeant de Consilio parvo. Erat autem Consilium parvum consilium VI. Consiliariorum.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: MCCLXII. XII. Martii decretum in majori Consilio, quòd Dux, & Consiliarii habeant libras 3000. quolibet mense, quas expendant, sicut expendebant in salariis officiorum, & similium rerum, & de ressiduo introituum Communis præsentium, & futurorum, debeant reddi quinque pro centenario de proficuo illis, qui fecerunt hinc retro imprestita pro Communi, & fecerint de toto eo, quod habebant in imprestito, & debeant solvi ad Sanctum Michaelem proximum, & deinde in antea de sex in sex mensibus, salvo, quòd illi, qui non fecerunt imprestita hinc retro facta, & non fecerint, de cetero non possint de istis quinque, quæ ordinata sunt reddi, aliquid accipere, vel habere; & totum illud, quod superabit à dictis quinque pro centenario, debeat expendi in facto guerræ de Romania, & Januensium occasione ipsius guerræ, & pro his, quæ facienda fuerint pro guerra illa, & id, quod superabit à guerra, sit obligatum imprestitis ad reddendum de Capitali; quæ imprestita solvantur ad medium annum, & hoc ponatur in Capitulari Consiliariorum, & XL. quòd non possint hoc revocare, nec ponere ad aliquod Consilium de revocando.

Item quando erit tanta pecunia in Communi, quòd possit reddi media pro centenario hominibus Venetis, qui fecerint imprestita, debemus facere ipsam mediam reddi, non obstante

Pars XXVII.

GUilbertus Dandulo XXXII. galêarum Capitaneus apud Septempotios cum galêis XXXIX. & sagitteis X. Græcorum & Januensium viriliter pugnavit, & victor tamdem existens IV. galêas cepit, reliquæ ex fuga in Monovasia (*) tutatæ sunt. Quæ dum ibi residerent, tres taridas Venetorum oneratas pane, quæ ad Capitaneum accedebant, ceperunt, & Veneti in Nigroponte sumto refrescamento Venetias redeunt. Et eodem anno ex procuratione devotorum hominum hinc inde pergentium carcerati utriusque partis restituti sunt.

Pars XXVIII.

DEcimoprimo Ducis anno Andreas Barocio cum LV. galêis in Siciliam profectus, Januenses navigasse in Syriam subdolè informatus est, cùm Simon Grillo Ammiratus XX. galêarum in uno Insulæ Portu latitabat. (**) Capitaneus igitur in Syriam proficiscens de Portu Tyri navem unam Januensium mercibus oneratam violenter extraxit, & cepit, & à Nicolao Quirino Venetorum Bajulo in Achon per terram recepto subsidio Tyrum acriter debellavit; sed ex resistentia intrinsecorum nihil obtinuit. Et Dux de suo stolo confisus X. taridas, & unam navem prægrandem dictam *Buccafortem* cum mercibus in Achon mittere decrevit, & Michaëlem Dauro iturum pro Bajulo Achon Capitaneum ordinavit, ignorans Classem hostilem in Sicilia esse. Quæ Nicolaus Aulæ Ducalis Notarius Januensibus particulariter denotavit. Tunc Simon Grillo, qui in Sicilia remanserat pro inveniendo Caravanam Venetorum, cum XVI. galêis ad ostium Gulphi pervênit; sed Capitaneus à longe prævisus merces & homines taridarum in una navi transvexit, quam cùm Januenses obtinere nequirent, taridas vacuas invenientes secum conducunt, & navis Venetorum illæsa Ragusium vênit.

Eodem tempore Marcus Gradonico cum VI. galêis & una nave mare perquirens, navigia Januensium minimè reperit, & sic absque profectu ad propria rediit.

Duodecimo Ducis anno Joannes Delphino Capitaneus XVII. galêarum navigia Venetorum mercibus onusta & in Caravana in Achon profectura, eundo & redeundo illæsa reduxit.

Eodem anno reperitur statutum, quòd sicut Officiales nocturnæ custodiæ præsidentes duo erant, sic in posterum sex esse debeant, videlicet unus pro sexterio.

Papa Regnum Siciliæ, quod Manfredus violenter detinebat, Carolo Comiti Provinciæ fratri Sancti Ludovici Regis Franciæ, ut illud ab eo eriperet, contulit. Et subsequenter tam notabilis Cometa apparuit, ut nullus viventium similem viderit. Ab Oriente enim cum magno fulgore surgens usque ad medium Hemisperii versùs Occidentem comam perlucidam pertrahebat, duravitque plusquam tribus mensibus. Ipso autem primò apparente Papa Urbanus cœpit infirmari, & eadem nocte, qua disparuit, mortuus est.

Pars XXIX.

CLemens IV. natione Provincialis Patriarcha Hierosolymitanus post Urbanum factus est Papa. Hic vir magnæ probitatis fuit, omnem Mundi statum expertus, & in quolibet virtuosè se gerens. Nam per Urbanum tamdem Episcopus Sabinensis factus in Angliam Legatus mittitur; & cùm esset in Francia, in Papam eligitur, & retento scrutinio à Collegio pro eo mittitur, & in habitu Monachali propter dissidia, & Manfredi potentiam, ivit Perusium, & post multam precum instantiam cum lachrymis sumsit Pontificatum, & ivit Viterbium.

Pars XXX.

HIc Carolum vocatum per Urbanum per quosdam Cardinales in Regem Siciliæ coronari fecit, quem etiam Senatorem Urbis constituit. Carolus igitur, collectâ militiâ, de Urbe recedit, & fortilitia in initio Regni obtinuit, & Manfredum in Benevento existentem de bello requirit. Pugnatur utrinque in Campo Florido in planitie Beneventi. Tamdem post pugnam acerrimam cæsa Manfredi acie, & ipse quoque in bello occiditur, & subsequenter Carolus totum Regnum obtinuit.

Pars XXXI.

CIvitas quoque Rivoaltina, quæ mediatione Canalis hactenus divisa fuerat, nunc ex lignei pontis constructione unita est, & appellatus est Pons ille de Moneta, quia priùs quàm factus esset transeuntes monetam unam vocatam Quartarolus valoris quartæ partis unius denarii Veneti nautis exsolvebant.

Decimo tertio Ducis anno Jacobus Dandulo cum IV. galêis exiens, à Jacobo Quirino Comite Jadræ tres galêas, & à Guilberto Dandulo Nigropontis Bajulo totidem, quibus Marcus Zeno præerat, suscepit; & recedens IV. galêas, quas Theophilus Zeno Duchas Cretæ sub regimine Petri Quirino sibi miserat, obvias habuit, cum quibus in Siciliam navigavit, & inter Bulcaneum & Bulcanetum unam galêam Januensium cepit, & aliam fugavit. Postea Tunisium pergens, unam navem onustam mercibus æmulorum suorum obtinuit, & illam Regi Tunisii absque mercibus contulit; & de galêis, quæ in Janua parabantur, nova persentiens, Ragusium vênit.

Pars XXXII.

ILlico Dux cùm intellexisset ingentem Classem Januæ præparari, & ejus Capitaneo de galêis Januensium certificatus, Marcum Gradonico

te aliquo ordinamento in hoc Capitulari contento.

Item debet poni in Procuratia S. Marci tanta pecunia de redditibus, & intratis Communis, quanta sufficiet omni mense per ratam pro solvere sex denarios pro libra de prode imprestitorum; & hoc sub pœna librarum quinquaginta pro quolibet Consiliario pro condemnato, & non possit removeri dicta pecunia de Procuratia sub dicta pœna librarum quinquaginta pro quolibet, modo aliquo vel ingenio, nisi pro dictis sex denariis persolvendis; & addatur in Capitulari Camerariorum, quòd sic debeant observare sub dictis pœnis &c.

(*) *Cod. Amb.* Malvasia.

(**) *Cod. Amb. addit*: & unum Siculum sub specie mercatoris in Cymba quadam versum sinum Adriaticum navigare jussit, & ut Classem Januensium in Syriam profectam diceret interrogatus à Venetis mandavit, neque res aliter cessit.

nico Capitaneum X. galêarum Ragusium mittit. Tunc Capitanei de unione gavisi cum XXIV. galêis in Siciliam pergunt, & tres galêas Januensium capiunt, & postea cum Lanfranco Laborico Ammirato XXVIII. galêarum secus Trapanum superveniente bellum peragunt, quem post acerrimam pugnam, multis ex Januensibus mortuis atque captis, in conflictum ponunt, & galêas XXV. capiunt, & reliquas, videntibus illis de Trapano, igne comburunt, & cum tali triumpho redeunt.

Pars XXXIII.

INterea Michaël Imperator Graecorum dum contra Venetos ex favore Januensium nihil proficeret, Henricum Trivisano, quem captum detinebat, pro tractatu concordiae Venetias misit, cum quo Dux Benedictum Griliono remisit, & eo reverso, Jacobum Delphino, & Jacobum Contareno Legatos ad Imperatorem Dux accedere fecit, qui simpliciter cum illo perpetuam faciunt pacem, & cum Imperiali Nuntio redeunt.

Dux autem turbatus Petrum Baduario, & Nicolaum Navigajoso, pro irritando quae gesta erant, Constantinopolim delegat, & irritata sunt, & cum duobus Apocrisariis Imperatoris ad Ducem redeunt. Tunc Dux videns, quòd Balduinus à Principibus Occidentis nihil favoris poterat obtinere, petitae treguae consensum praebuit, & Marcum Bembo, & Petrum Zeno suos Syndicos pro complenda tregua Imperatori misit, qui cum eo priùs annullata colligatione, quam cum Januensibus habebat, usque ad quinquennium, & ultra, quantum utrisque placuerit, treguas ineunt, & sacramento corroborant. (a)

Michaël tunc audacior effectus in Achajam exercitum mittit, & Guilielmum Principem capit, & illo tamdem mortuo, primogenita ejus Philippo nato Caroli Regis Siciliae sociatur. Et Clemens Papa videns ea, quae ex Venetorum conventione acciderant, Ducem ut à treguis rescinderet, comminando admonuit.

Pars XXXIV.

HOc anno Nicolaus Michaël, & Nicolaus Quirino Ducis Syndici cum Pisanis uniones per decennium aliàs firmatas à complemento termini usque ad quinquennium renovarunt.

His diebus Januenses, comperto quòd Veneti Caravanam parassent in Syriam profecturi, Ubertum Auriam Ammiratum XXV. galêarum mittunt. Dux tamen Venetorum paratam Caravanam mittere non omisit, & Marcum Zeno Capitaneum XXX. galêarum pro ejus securitate mandavit.

Pars XXXV.

HIc secus Mothonum de galêis Januensium nova persentiens, dimissâ Caravanâ versùs Achon ac erga eos processit, & fugientes illos audacter insecutus est à Sapientia usque ad Mothonum, & cùm nihil proficeret, Mothonum rediit, & assumptâ Caravanâ versùs Achon proficiscitur.

Tunc Pasquetus Juliano (b) cum IV. galêis navem unam Venetorum mercibus & mercatoribus oneratam in Nigropontem navigantem juxta Dragonarias cepit, & Caneae Oppidum Insulae Cretae Ubertus Auriae ex fuga salvatus debellavit, & in ruinam posuit, & Capitaneus Venetorum, dimissâ in Achon Caravanâ, remeavit ad propria.

Pars XXXVI.

DEcimo quarto Ducis anno statutum fuit, ut Brolium Sancti Marci lapidibus salicetur. Quo tempore fama in Populo divulgata est, quòd de duplicanda solutione masinaturae consilium ageretur. Tunc populari vociferatione plebs ad Palatium vênit, & erga Ducem eos ad quietem suadentem lapides projiciunt, & postea domos aliquorum Nobilium invadentes illas depraedati sunt. Cessante verò tumultu Dux auctores sceleris in platea laqueo suspendi fecit. (c)

Tribus Procuratoribus Sancti Marci additus est quartus, & statutum est, quòd duo eorum facta Ecclesiae, & commendationum, & reliqui negotia commissa debeant exercere.

Pars XXXVII.

HOc anno inter Leonardum, & Joannem Dandulo fratres, & Laurentium Teupulo gravis est suborta dissensio, quae in tantum processit, quòd idem Laurentius in platea ab illis mortiferè vulneratus est, & eo denique liberato haec specialis discordia in omnibus Civibus generaliter producta est. Quam Dux sedare dispositus, principalioribus graves poenas indixit, & statuit, quòd aliquis Popularis armaturas alicujus Nobilis in domo non auderet, nec praesumeret aliqualiter tenere.

Pars XXXVIII.

INterea pro securitate Caravanae nunc rediturae de Syria Jacobus Dandulo Capitaneus XIII. galêarum missus secus Mothonum de illa nova praesentit, & Nigropontem navigans Caravanam invenit, & rediens Marinum Mauroceno Capitaneum X. galêarum obvium habuit, & pariter Ragusium accedunt, & à Joanne Storlato loci Comite certificati, Lucam de Grimaldis cum XXVIII. galêis in Syriam profectum esse, illuc dimissâ Caravanâ vadunt, & Januenses in Portu Achon intrinsecos introëuntes, atque exeuntes molestantes inveniunt, & V. eorum galêas cum hominibus viriliter capiunt, & reliquae ex fuga in Tyro tutatae Januam postea redeunt. (d)

Pars

(a) *Cod. Amb. addit*: & sic de quinquennio in quinquennium inducitur, reformatae sunt cum Imperatore perpetuis temporibus successivis.

(b) *Cod. Amb.* Mallono.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi reperio decem populares jus majoris Consilii consecutos fuisse, qui in seditione illa Plebis ob frumenti molituram excitata optimè se gesserunt pro Republica, quorum familiae fuerunt: Viarus, Victarius, Fosculus, Pollini, Gisius, Salomon, Gezzius, & tres alii. Sed etiam non pauci jussi sunt intersici clam.

(d) *In margine Codicis Ambrosiani*: Anno MCCLXV.

XVI. Augusti Lucas Grimaldus cum XXV. triremibus Januensibus occupavit portum Ptolemaidis, & neminem exire aut ingredi permittebat, & captos à se Tyrum ducebat, duasque naves Pisanorum combussit. Paulò post appulit Ptolemaida Petrus Zenus Bajulus pro Mercatoribus Venetis, quem Joannes de Monteforti, qui se Dominum Tyri appellabat, gerebatque, in Ptolemaide morari non permisit, non contentus corrupisse jura Venetorum in Tyro, sed & milites mansionum eundem voluerunt accedere Nazaret, & inde ut Tyrum se conferret, idque ad evitanda scandala

Pars XXXIX.

HUnc etiam Legati Papæ, & Ludovici Regis Franciæ, & Caroli Regis Siciliæ Venetias accedentes à Duce requirunt, ut Terræ Sanctæ compatiens, ad quam idem Ludovicus jam proficisci decreverat, Ambasciatores pro tractanda cum Januensibus pace seu tregua secum mittit, quorum requisitioni assentiens Dux, Joannem Dandulo, Marcum Quirino, & Federicum Justiniano de sua intentione informatos cum illis mandavit Januam. Sed Januenses elati requisitionem Papæ & Regum despiciunt, & Ambasciatores Venetorum inconvenienter recepti ad propria redeunt. (a)

Pars XL.

POst Hugonem Hierusalem & Cypri Regem Hugo de Lusignano consanguineus succedit.

Pars XLI.

DEcimo quinto Ducis anno Justinopolitani suis terminis non contenti, jurisdictiones Parentii violenter invadunt, & illi resistere nequeuntes Duci Venetorum, cui ab antiquo tempore fideles & tributarii fuerant, liberè se sub mittunt. Et illico Justinopolitani admoniti ab invasione secedunt, & Joannes Campulus eis Potestas datus est, & merito tantæ fidei hoc regimen inter duodecim regimina annumerari decernitur. (b)

Tunc Gregorius Patriarcha Aquilegiensis Justinopolitanam Urbem obsidens, illorum suggestione à Comite Goritiæ capitur, & in ejus castro recluditur, quem, interveniente tractatu Leonardi Dandulo & Marini Gradonico Nuntiorum Ducis, & aliorum amicorum Principum, idem Comes denique liberavit. (c)

Heliodorus Vitale cum tribus galêis fecedens, & acceptis duabus à Joanne Storlato Comite Ragusii, ad inveniendum Januenses, qui Gulfum intraverant, navigavit; & dum eos reperire non posset, non longè à Corfù unam illarum galêarum inveniens insecutus est, quam obtinuisset, nisi sub Castro Corfiensi defensata foret, & aliæ galêæ Januensium in Valle de Griffo unam Taridam Venetorum mercibus onustam capiunt; quod galêæ Venetorum ignorantes, Venetias redierunt.

Postea Thomas Minoto cum V. galêis exiens Venetos per mare euntes & redeuntes tutavit illæsos. (d)

Pars XLII.

DEcimo sexto & ultimo Ducis anno à Papa denuo, & Regibus per Nuntios requisitus Joannem Dandulo de Sancto Moyse, Nicolaum Quirino, & Andream Barbadico pro tractanda pace vel tregua cum Januensibus, Viterbium, ubi Papa residebat, Ambasciatores misit, qui post longos tractatus de pace habitos, & non completos, Duce jam mortuo, redierunt.

Dux etiam pro securitate Caravanæ, quæ de Venetiis recessura erat, parari jussit X. galêas, quibus Petrum Michaël in Capitaneum dedit. Sed dum hæc fierent, Dux ipse rebus bene dispositis absque liberis die VII. (e) Julii feliciter obiit, & sequenti die apud Ecclesiam Prædicatorum in sepulchro marmoreo honorificè tumulatur.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Laurentio Teupulo Duce & gestis notabilibus, eo ducante, habens partes XVIII.

LAurentius Teupulo Dux annunciatur Anno Domini MCCLXVIII.

Pars I.

NAm Nicolaus Michaël, Joannes Ferro, Pancratius Barbo, Petrus Toculo, Philippus Beligno, & Joannes Dandulo Sancti Pauli, Consiliarii & Rectores Ducatus, ac Antonius Superantio, Rogerius Georgio, & Petrus Barbadico Capita de XL. cum majori Consilio, & collaudatione Populi, formam electionis futuri Ducis subtilius elimantes sanxerunt: Quòd minor aliquis XXX. annorum his Consiliis interesse nequiret; & congregato majore Consilio, & numeratis singulis, tot ballottæ de cera ponerentur in uno capello, quot essent illi de Consilio; & in XXX. ex illis cedula interclusa esset, in qua scriptum foret *Lector*. Et illico nomine singulorum per texeras venientium ad capellum, infans quidam extraheret unam ballottam, quam daret uni ex Consiliariis assistenti, & unusquisque, nomine cujus accepta fuit ballotta insculpta, in cameram introcedat usque ad perfectionem numeri prælibati. Et tunc in capello reponantur XXX. ballottæ, & in IX. ex ipsis sic cedula cum inscriptione inclusa, & illi IX. quo-

---

(a) *In Codice Ambrosiano additur integra hæc pars, facto monito, ipsam non reperiri in Codice Contareno.* Hoc tempore Caravana decem navium de Venetiis exivit, quam Marinus Gradonico Capitaneus XXI. galeis sociavit; & dum ad partes Rhodi declinaret, quinque naves Anconitanorum cepit, super quas octo Januenses nobiles erant secum ducentum quinquaginta millia valoris habentes, quos cum suo havere Venetias misit.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Eodem anno V. Januarii captum fuit in majori Consilio, ne Comites Dalmatiæ possint eligi de Consilio XL. possint tamen esse de Consilio Majori, & Rogatorum.

Erat Consilium XX. quod captum hoc anno, ut coeat ad sonum tintinnabuli ad signum aquæ, sicuti etiam cogebatur Consilium Majus & Rogatorum. Anno MCCLXXVI. creatum Consilium XX. Virorum ob bellum Anconitanum: Itaque credendum antea creatum inde desiisse creari, postea iterum creatum.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alii afferunt Justinopolitanos jussisse Patriarcham captum super dorsum muli revinciri, atque ejus facie ad muli caudam versa per urbem vehi, præcone præeunte, & proclamante: *Hic est malus Sacerdos, qui Deum sprevit suo tempore, & repertus est malus.* Demumque interventu Legatorum Venetorum, aliorumque Principum liberatum fuisse.

(d) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno Indictione secunda, V. Januarii, captum quòd Vegla, Piranum, Tergeste, Caput Istriæ, Mugla, Ruvignum, & Civitas-nova solvant per mediam Quadragesimam proximè futuram, quod debent solvere pro armamento galeæ, quod non solverunt retro, ut tenebantur; secus si fecerint, earum bona intromittantur.

Quinto exeunte Julio ex CCCL. qui erant in Consilio Venetorum, CC. assensere acceptandum Parentium, quod Oratores Parentini Venetis traderent, salvis tamen rationibus Domini Patriarchæ.

(e) *Cod. Amb.* XVII.

quorum nomine acceptæ erant ballottæ insculptæ, reliquis secedentibus, in Camera remanere debeant. Qui per VII. eorum concordes XL. discretos eligant viros, & in Camera introducti cum ballottis ordine antedicto, & II. aliis abeuntibus, debeant remanere. Et ipsi per VIII. eorum in concordia XXV. prudentes homines eligant, qui inclusi cum ballottis sortialiter in IX. remaneant, eligentes per VII. illorum XLV. providos viros, ex quibus postea XI. remanentes per IX. eorum concordes XLI. eligere debeant, qui per XXV. eorum unanimes futurum eligant Ducem. Ita tamen quòd in aliqua electione non possit esse nisi unus pro prole, & de observando Capitulari sibi dato quilibet elector jurare debeat. Quibus omnibus sic stabilitis de consensu totius Populi, Gastaldio Ducatus, juret nomine singulorum, quòd illum laudarent & haberent in Ducem, qui per antedictum modum Dux fuerit procreatus. (a) Nomina igitur illorum XLI. qui hunc elegerunt, sunt, videlicet:

Jacobus Baxejo,
Marinus Casulo,
Eustachius Venerio,
Bartholomæus de Mugla,
Jacobus Faledro,
Joannes Barocio,
Petrus Sisinilo,
Gabriel Marigloно,
Marcus Bragadino,
Andreas Duodo,
Marcus Maistroso,
Stephanus Lugano,
Marcus Trono,
Marinus Baduario,
Nicolaus Salamono,
Michaël Staniario,
Petrus Vasano,
Marinus Panthano,
Nicolaus Celso,
Petrus Donato,
Nicolaus Aymo,
Petrus Belli,
Bartholomæus Maripetro,
Nicolaus Mauro,
Bartholomæus Butiscalco,
Marinus Basulo,
Marcus Bondemiro,
Petrus Aviduro,
Thomas Minotto,
Nicolaus de Canale,
Julianus Trivisano,
Marinus Contareno,
Marinus Zeno,
Petrus Barbadico,
Marinus Superantio,
Marcus Barbo,
Rogerius Premarino,
Marcus Constantino,
Marcus de Musto,
Franciscus Barbamazelo,
Jacobus Georgio,

Qui celebrata electione hunc in arengo publico die XXIII. Julii Ducem electum nunciarunt. Hic accepto vexillo, & de observatione promissionis juramento facto, in Palatio intronizatus est, & postea in Populo alloquens Deo & Beato Marco, de honore sibi impenso gratias exhibuit, & in honoribus, & utilitatibus Venetiarum se dispositum obtulit. De cujus promotione omnes de Populo lætitiam maximam ostenderunt, & singulatim Scholæ Artificum more consueto ei reverentiam exhibuerunt. Quibus, veniente Ducissa in Palatio, honorabile convivium factum fuit.

Hic, interpositione aliquorum Nobilium, cum Leonardo & Joanne Dandulo pacificatus est.

Tunc Petrus Michaël Capitaneus X. galêarum, & LVII. navium & Taretarum mercibus onustarum in Syriam proficiscens cum salute, postea Venetias rediit.

Pars II.

HUic Duci annonæ improvisa supervênit penuria, quam relevare anhelans, Paduam, Tarvisium, & Ferrariam confidenter Legatos mittit; nec ab eis ingratis subventionem obtinere potuit; & contra eos indignatus, & maximè erga Paduanos, mercationibus, quæ hinc inde deferuntur, nova imposuit vectigalia, & ut victualia, quæ à Promontoriis Ravennæ citra mare deferuntur, intrarent Venetias, cautius solito mare & Portus custodire fecit: quod Bononiensibus, qui totius Romandiolæ dominium usurpaverant, turbationem induxit. Dux autem ad exteras nationes navigia mittens blada ad saturitatem recuperavit. Sed tamen in toto tempore sui Ducatus carestiam habuit. (b)

Nunc in publica concione reperitur statutum, quòd Procuratores Sancti Marci debeant creari, & esse Tutores pupillorum, & mentecaptorum, & fornitores Testamentorum.

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Currente anno MCCLXVIII. mense Julio die XV. intrante Indictione III. congregata publica concione populi in Ecclesia Beati Marci, & præsentibus ibidem NN. VV. Nicolao Michaele, Joanne Ferro, Philippo Belegno, Pancratio Barbo, Petro Rottulo, & Joanne Dandulo Consiliariis....... Superantio, Petro Barbadico, & Marino Justiniano lecta fuit forma electionis faciendæ de novo Duce, & lectum fuit Capitulare XLI., super quo Capitulare jurare debebat Dux venturus. Quæ omnia laudata in ipsa concione, & confirmata fuerunt. Præterea laudatum fuit ibidem, quòd Benedictus Gastaldio jurare deberet ad Sancta Dei Evangelia super animabus omnium de dicta concione, habendi in Ducem, Dominum, & Rectorem Venetiarum illam Personam, quam Electores XLI. denunciaverint se Ducem Venetiarum elegisse, secundùm videlicet formam Capitularis ipsius Ducis facti, lecti in concione prædicta, & confirmati per minus & majus Consilium à concione ipsa: Unde denotata forma dicti Sacramenti per Conradum Ducatus Veneti Cancellarium eidem Benedicto, sicut dictum est, ipse Benedictus Gastaldio, habita à populo licentia sic jurandi in animabus eorum, tactis sacris, ad Evangelia Sancta Dei juravit habendi in Ducem, Dominum, & Rectorem Venetiarum illam Personam, quam dicti Electores nominaverint, & denunciaverint se elegisse, secundùm videlicet formam Capitularis prædicti facti, lecti, & ordinati, ac confirmati, cum minori, & majori Consilio, & publica concione. Unde post hæc N. V. Jacobus Basego, qui fuit unus de Electoribus, de voluntate sociorum suorum pro se, & aliis sociis suis ibidem existentibus denunciavit populo elegisse in Ducem Dominum Laurentium Teupulo &c.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Laurentio Teupulo Duce inita sunt pacta inter Venetos, & Patavinos, quorum Potestas erat Rolandinus de Canossa, qui tamen non reperitur in serie Potestatum Paduæ; itaque suspicor positum *Paduanis* pro *Ferrariensibus*, quorum Canossa fuit Potestas, transactumque tunc cum Marchione, ut in Charta CCXC. cùm præsertim Berobus innuat pacta hæc inita anno MCCXC., ante quem Potestas Teupulus obierat.

Pars III.

EOdem anno Conradinus heres Regni Siciliæ cum maxima militia Italiam intrat, & per Riperiam Januensem Pisas accessit, & Lucanum vastavit Territorium; & cum Henrico fratre Regis Castellæ Senatum Urbis tenente confœderatus, Romam intravit, & postea egreditur contra Regem Carolum, Provinciæque, & Civitates jam rebellare incipiunt. Quo comperto, Carolus Conradino obviam venit. Convenerunt itaque acies in campo Palatini, & Carolus post duram pugnam victor exstitit, & Conradino, & Duci Austriæ captis, in platea Neapolitana capita amputari fecit.

Secundo Ducis anno Marinus Gradonico Capitaneus Caravanæ in Syriam profectus, nullo navigio Januensium reperto, postea rediit.

Dominatores Territoriorum Nigropontis, dissentiente Andrea Dandulo Venetorum Bajulo, cum XVII. galêis Asiam minorem Palæologo subditam invadunt, & maximâ commissâ prædâ redeunt. Tunc Palæologus indignatus cum potenti stolo Castrum Orey (a) obsidet, & XX. galêas bene armatas in Nigroponte, quas Domini Insulæ pro removenda obsidione miserant, posuit in conflictum, & multos Nobiles Feudatarios captivos conduxit.

Pars IV.

POst Clementem Gregorius natione Placentinus, qui pro visitatione Terræ Sanctæ ultra mare iverat, Viterbii Papa electus est.

Nunc etiam Angelo Patriarchæ defuncto, Joannes natione Anchonæ, Episcopus Monovasiæ per Papam ad hanc Sedem translatus est.

Pars V.

INcolæ Castri Vinagi, qui hucusque Venetis fideles & tributarii fuerant, per suos Syndicos se & sua liberè Duci tradunt.

Pars VI.

SUbsequenter Æmonienses, qui pari vinculo Venetis tenebantur, Duci subjecti totaliter efficiuntur.

Nuntii Pisanorum Venetias accedentes à fine termini unionis aliàs initæ, ad quinquennium ligam & unionem cum Duce innovant.

Hic Dux ante creationem suam Feudum à Principe tenebat Achajæ, quod postea retinuit, & Jacobo filio suo quamdam Nobilem Dalmatinam, & Petro alteri nato Vicentinam divitem matrimonio copulavit, & eos plura Venetorum dominia habere permisit, quæ Venetorum saluti incongrua demonstrata successoribus prohibita sunt. (b)

A Tertio Ducis anno Pancratius Barbo (c) Capitaneus Caravanæ exiens de Romania & Syria, cum salute remeavit.

Ludovicus Rex Franciæ passagium fecit versùs Tunisium cum grandi exercitu, cùmque introisset Regionem Carthaginis, Epidemia universum invasit exercitum, & mortuus est Rex, & multi alii Principes, & Barones. Post quæ Carolus Rex Siciliæ in auxilium Christianorum accedens, cum Rege Tunisii pacta composuit, & in Siciliam reduxit exercitum, & cùm venisset circa Trapanum, naves plurimæ naufragio perierunt, & exercitus per terram rediit. (d)

Odoardus filius Regis Angliæ ivit ad Terram Sanctam, & contra Venetos, qui tunc unam B navem in Alexandriam miserant, graviter indignatus est, sed Philippus Beligno in Achon Venetorum Bajulus, demonstratis sibi privilegiis à Regibus Hierosolymitanis Venetis concessis, illum ad quietem reduxit.

Pars VII.

EOdem anno Nicolaus Navigajoso, Marinus Valaresso, & Marcus Quirino Venetorum Syndici, suasione Ludovici Regis Franciæ, qui passagium jam dictum facere proposuerat, cum Procuratore Januensium pro tractatu pacis vel treguæ Cremonæ conveniunt, & de mense Augusti tam gravi & longo dissidio, Deo auctore, C finem imponunt, & usque ad quinquennium treguas perficiunt, ita tamen quòd carcerati in eo statu remaneant, in quo erant. (e)

Pars VIII.

EOdem Anno Bononienses, qui totius quasi Romandiolæ dominium possidebant contra Venetos, prohibentes eos per Portus Riperiæ Australis sal & blada conducere, indignati, Duci Ambasciatores mittunt, & ad fundationem Castri, quod intra ostium Fluminis Primarii facere proposuerant, ejus consilium & favorem requirunt. Dux quoque sciens, quòd exercitum jam parassent, ut eis cautiùs resistere posset, per Legatos respondere promisit, & Marcum Badoario paratis IX. galêis, & pluribus Ganzarolis, Capitaneum fecit, & Castrum Sancti Alberti vocatum Marcoamoy, quod antiquatis temporibus Veneti in flumine Primarii custodierant, gentibus & victualibus præmunivit, &, ut promiserat, Joannem Dandulo, & Nicolaum Quirino Bononiam Legatos mittit, qui nequeuntes eos à proposito scelere revocare, discordes ad Ducem redeunt.

Marcus igitur Badoario cum exercitu secessit in Primarium, & ex hac parte fluminis castrametatus est.

Potestas autem Bononiæ cum equitibus & peditibus XL. millibus similiter superveniens ex E ad-

(a) *Cod. Amb.* Tertiorum.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno XXII. Novembris captum, quòd non concedantur pignora, seu represalia contra Firmanos causa mercati, vel mutui ad instantiam privatarum personarum, neque Firmani concedant contra Venetos, ut Charta XLII. Cap. LIV. sub Rubrica Communis.

(c) *Cod. Amb.* Justiniano.

(d) *In margine Codicis Ambrosiani*: Ab anno MCCLXVIII. usque ad annum MCCLXXII. Vacavit Sedes Patriarchatus Aquilejensis; unde crediderim nonnulla Oppida Istriæ Venetis se dedidisse, perturbatis rebus Istricis, quæ Patriarchatui Aquilejensi, ut puto, suberant. *Et infra*: Anno MCCLXX. XXV. Martii cùm Episcopus Civitatis-novæ de Istria, & Commune dictæ Terræ, quæ, ut puto, Æmonia etiam dicitur, dictam eorum Terram Duci, & Communi Venetiarum liberè subjecissent, captum in majori Consilio suffragiis XCVII. cùm CXCII. adessent, quòd reciperentur, non obstante, quòd Genus de Momiglano dicebatur habere jus in ea.

Item XXI. Augusti captum, quòd contra Commune & homines Arimini non dentur pignora, sive represalia, ut in folio sub rubrica Communis.

(e) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi legitur Januenses recusasse pacem, quia indecora sibi videbatur.

adversa ripa, tentoria figit, & ibi Castrum fundare nisus, cogitatum perficere nequit; quia Veneti cum machinis & balistis eos retrocedere faciebant. Et ob hoc extra jactum lapidum turrim cum Burgo circumcluso noviter construxerunt, & mutuis insultibus se vicissim offendere non desinebant.

Elapsis igitur duobus mensibus, dum Potestas Bononiæ cum parte sui exercitus jam recessisset, Dux Raphaëlem Bethano militem & Pancratium Barbo Capitaneos illuc mittit, & Marcus Baduario Venetias rediit.

Transacto itaque pari termino, Jacobus Dandulo pro Capitaneo mittitur, & post eum Hermolaus Justo, cui etiam Joannes Teupulo successit, qui omnes continuis aggressionibus hostes impugnare minimè cessaverunt (a).

Quartò Ducis annò dum Gerardinus Longo Capitaneus missus foret, Epidemia æstivo tempore invasit exercitum, erga quem Bononienses per amnem navigio descendentes insurgunt. Sed Capitaneus timefactus cum Venetis, relicto campo & tentoriis, cum navibus in Portum Volanæ perveniunt.

Hostes autem, capto uno Ganzarolo de Clugia, & acceptis Venetorum tentoriis, cum tripudiis redierunt, & postea Veneti, qui aufugerant, suasione Joannis Dandulo, & aliorum Nobilium, qui ad exercitum mittebantur, redeuntes, campum renovant, & velocem succursum cum Andrea Zeno Capitaneo suscipiunt. Cui postea Marcus Dandulo subrogatur, qui contra hostes viriliter se habuerunt (b).

Postea Marcus Gradonico, & Jacobus Dandulo Capitanei cum exercitu equitum & peditum in Primario fortilitia hostium aggressi, suburbia & habitationes eorum incendunt, & cum Potestate & exercitu Bononiensium in succursum suorum venientibus bellum ineunt, & ex eis plurimos occidunt, & ad tentoria redeunt.

Subsequenter Andreas de Canale pro Venetis Capitaneus in Castro Sancti Alberti lapideam turrim munitissimam de novo fundavit.

Hoc anno Sancti Laurentii Castrum per suos Nuntios Venetis subjicitur. Thomæ Franco Episcopo Bartholomæus Quirino ex Patre Romeo successit.

Quinto anno Ducis Veneti & Bononienses se mutua cæde prosternunt.

Pars IX.

JOannes Dandulo, Thomasinus Justiniano, & Nicolaus Navigajoso Ducis Nuntii cum Legatis Januensium coram Gregorio Papa, qui ad passagium plurimùm anhelabat, conveniunt, ut carcerati utriusque partis, qui infirmatione treguæ detenti remanserant, debeant relaxari.

Pars X.

EOdem tempore Apocrysarii Michaëlis Imperatoris Græcorum quingentos homines Venetos, quos in galêis Feudatariorum Nigropontis ceperat, Duci offerunt, & renovationem treguæ requirunt.

Tunc etiam Ambasciatores Balduini Imperatoris Constantinopolitani, & Caroli Primi Regis Siciliæ, qui filiam suam Catherinam Philippo primogenito Balduini in conjugem dederat, Venetias accedunt, & colligationem in reacquisitione Imperii Romaniæ à Duce petunt. Dux verò per suos Legatos utrisque respondere promisit, & cum duabus galêis Legatos Græcorum Constantinopolim transferri fecit.

Postea Balduinus Imperator obiit, cui Philippus natus successit (c).

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani:* Anno MCCLXXI. IX. Aprilis captum in Majori Consilio, quòd illi de Venetiis, qui sunt Potestates Istriæ, non possint esse de Consilio, donec erunt in Potestariis.
Mense Junio facta fuit confirmatio pactorum initorum inter Boabdilem Regem Tunisii & Marinum Mauroceno Ducantem anno MCCLI. per Machomettum Regem Tunisii, cum Johanne Dandulo Nuncio D. Laurentii Teupuli.
Die VI. Septembris captum quòd homines Veneti possint inoanipare bladum in Aquileja, hoc pacto, quòd dent notitiam Vicedomino Aquilejæ.
Die XXV. Novembris captum quòd Locus & Castrum Sancti Laurentii de Istria recipiatur per Ducem & Commune Venetiæ, quomodo receptæ sunt Parentium, & aliæ Terræ Istriæ.
Die XIX. Decembris captum in Majori Consilio, ne quis eat Orator in Marchiam Trivisanam, Ferrariam, vel ad Comitatum Rhodigii, qui in his locis agrum possideat, sed nec in Consiliis judicent, cùm eorum locorum facta tractabuntur, nec propinqui eorum ex his, qui exire ex Consiliis tenentur.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani:* Alibi est legere sic: hujus Ducis tempore, mediatore Johanne Dandulo, Veneti pacem fecerunt cum Domino Barberiæ.

(c) *Hoc anno in calce Codicis Ambrosiani additur Charta conventionis initæ inter Jacobum Contarenum Venetiarum Ducem, & Johannem de Monteforti, licèt ille Dux electus fuerit anno tantùm MCCLXXV., ut infra videbitur.*

„ IN nomine Domini Amen. Per hoc publicum Instrumentum pateat universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd in præsentia Reverendi Patris Domini Fratris Thomæ de Ordine Prædicatorum Dei gratia Patriarchæ Hierosolymitani, Ministri Ecclesiæ Accon, Apostolicæ Sedis Legati, Venerabilium ac Religiosorum Virorum Dominorum Fratrum Bonaccursi Tyrensis Archiepiscopi, & Goffridi Episcopi Ebronensis, Fratris Gulielmi de Bellojoco Venerabilis Magistri domus militiæ Templi, Fratris Nicolai magni præceptoris domus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Fratris Corradi magni præceptoris quondam domus Theutonicorum, nobilis viri Domini Jacobi Rubei Consulis Pisanorum, mei Bartholomæi de Firmo Notarii publici infrascripti, & testium subscriptorum ad hæc specialiter vocatorum, & rogatorum. Dum olim quæstiones & lites essent inter magnificum virum Dominum Jacobum Contarenum Dei gratia Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ Ducem, & Dominum quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, & Commune Ven. ex una parte, & nobilem, & egregium virum Dominum Johannem de Monteforti Tyri, & Turonæ Dominum, ex altera super tertia parte Civitatis Tyri, cum juribus & pertinentiis suis, & aliis rebus pluribus, tandem intervenientibus amicis communibus, prædictus nobilis vir Dominus Joannes, & nobiles viri Dominus Albertinus Maurocenus Bajulus Venetorum in Accon, in Tyro, & in tota Syria, Dominus Marcus Foscarenus, & Dominus Philippus Cornarii ejus Consiliarii vice, & nomine prædictorum Ducis, & Communis Venetiarum, habentes ab eisdem super hoc plenam, & liberam potestatem faciendi quicquid eis super hoc videbitur expedire, sicut ex literis confectis exinde bullatis Bulla pendenti plumbea Ducis, & Communis Venetiarum vidi pleniùs contineri ad subscriptam pacem, & concordiam devenerunt. In primis videlicet quòd Dominus Joannes Dominus Tyri prædictus restituit eisdem Bajulo, & Consiliariis, recipientibus „ pro

„ pro parte, & nomine prædictorum Ducis, & Communis Venetiarum omnes possessiones, & bona, dirictiuras, & jurisdictiones tam intra Civitatem, quàm extra, quæ dictum Commune tenuit, habuit, & possedit, vel aliqua singularis persona ejusdem Communis, à tempore quo nobilis vir Marsilius Georgius fuit Bajulus Venet. in Tyro, & à tempore quo Dominus Philippus bonæ memoriæ pater prædicti Domini Joannis domini Tyri habuit, & tenuit dominium Civitatis Tyrensis, & suarum pertinentiarum, & renunciat, & dimittit ex nunc prædictus Dominus Joannes dominus Tyri omnes prædictas possessiones, bona, & jurisdictiones, & omnia alia, quæ pertinent ad Commune Venetiarum, & ad alias singulares personas ejusdem Communis tam intus Civitatem, quàm extra, quæ tenuerunt aliquo tempore à temporibus suprascriptis citra. Ita quòd ipse Bajulus, & successores sui, & eorum loca tenentes cum Venetis suis possint accipere, habere, & tenere prædicta, & uti eis sicut de propriis rebus, & bonis suis ad beneplacitum eorum, & ut de cætero nullus scrupulus dubietatis, vel contentionis inter partes exsurgat, hæc specialiter declarata, & acceptata sunt inter partes. Quòd cùm Dominus Dux, & Commune Venetiarum per privilegium eorum habeant tertiam partem Civitatis Tyrensis, & suarum pertinentiarum secundùm terminos definitos ab antiquo liberè, & regaliter, sicut consortes, & veri domini ipsius tertiæ partis, quòd ipsi possint exercere justitiam tam civilem, quàm criminalem super omnes homines, qui pertinent ad jurisdictionem suam, sive Venetos, sive alios habitantes, & manentes in tertiaria sua; exceptis hominibus ligiis Domini Tyri, & burgensibus suis, quos habitare contingeret in tertiaria prædictorum Venetorum, sicut ipse Dominus Tyri uti posset, & utitur super omnes homines, qui sunt jurisdictionis suæ, & habitantes, & manentes in duabus partibus suis, exceptis Venetis, quos habitare, vel manere contingeret in suis duabus partibus supradictis. Si verò aliqui transeuntes non sint hospitati in Tyro, & delinquant in Tyro, ibi puniantur, ubi deliquerint, hoc expressim addito inter partes, quòd si Venetus offendit homines Domini Tyri, justitia de eo fiat per Bajulum Venetorum, et si homines D. Tyri offendant Venetum, justitia fiat per D. Tyri. Item quòd omnes & singuli Veneti liberè possint manere, & intrare, & exire per mare, & per terram, tam per suam tertiariam, quàm per partes duas ipsius D. Tyri cum rebus, & mercimoniis suis, & sine mercimoniis etiam sine omni exactione, & præstatione alicujus dirictiuræ. Item dictus D. Joannes D. Tyri faciet refici, & reparari per se, vel per alium, Ecclesiam, Logiam, & Campanile Sancti Marci Venetorum in Tyro, vel dabit pecuniam sufficientem prædictis D. Patriarchæ, & Magistris domorum Templi Hospitalis ad providentiam eorum, quorum mandato, & ordinatione prædicta reparentur, & reficiantur in statum pristinum, secundùm provisionem prædictorum trium, vel eorum qui fuerint loco ipsorum, vel majoris partis eorum, & omnes alias possessiones, quæ per dictum D. Tyri, vel patrem ejus pro se, vel ejus mandato, vel ordinatione, vel per alium eo sciente vel consentiente destructa, vel devastata fuissent, à tempore, quo ipse D. Tyri, & pater ejus habuerunt, & tenuerunt dominium Civitatis Tyrensis. Quæ quidem omnia fiant intra terminum, vel terminos statuendos per supradictum D. Patriarcham, & Magistros domorum, vel per majorem partem eorum. Item fructus, proventus, & redditus, quos dictus D. Philippus pater D. Tyri, qui nunc est, vel ipse dominus Tyri habuerunt, vel receperunt de bonis, vel rebus, vel possessionibus Venetorum intus Civitatem, vel extra, in commune, vel speciali à tempore, quo dictus D. Tyri pater ejus habuit dominium Civitatis Tyrensis, dictus D. Tyri teneatur restituere Bajulo, vel tenenti locum ejus, & Communi Venetiarum istis modis adhibitis, videlicet, quòd primò per dictos D. Patriarcham, & Magistros prædictarum domorum, vel tenentes loca eorum, vel per majorem partem ipsorum, vel per eos, quos ipsi, vel major pars eorum ordinaverint, diffinietur quantitas dictorum debitorum, & per certos terminos, quos dicti Patriarcha, & Magistri, vel tenentes loca eorum, vel major pars eorum, vel illi, quos ipsi, vel major pars eorum, ordinaverint, vel statuerint; Et de hoc fiant instrumenta contractus, & obligationes cum solennitatibus debitis, adjectione pœnarum, & securitatibus ordinatis ab eis, vel à majori parte. Ita quòd si contingeret prædictum Dominum Tyri in prædictis terminis non solvere, vel aliter satisfacere, & in pœnam adjectam incidere, dictus Dominus Tyri ex nunc se obligat prædictis Patriarchæ, & Magistris, & vult quòd ipsi vel major pars eorum capiant & capere possint de bonis suis, ubicunque ea contigerit inveniri, usque ad satisfactionem prædictorum debitorum, & pœnæ faciendæ prædicto Communi Venetiarum, & prædicti Domini Patriarcha, & Magistri in præsentia prædictarum partium notificaverunt prædicta. Item de prima turri ædificata super viam qua itur ad cathenam, Dominus Tyri habeat potestatem diruendi eam ex nunc si velit, & de loco super quo fundata est sic ordinetur. Quòd si per prædictos DD. Patriarcham, & Magistros prædictarum domorum invenietur quòd ille locus sit de Tertiaria Venetorum, liberè remaneat Communi Venetorum. Si autem inveniatur per supradictos Dominos, quòd dictus locus non sit de Tertiaria Venetorum, sed aliquando fuerit possessus ab aliquo Venetorum, si apparuerit dictus Venetus, vel heres ejus, qui dictum locum requirat, Dominus Tyri restituat ei, sicut pater heredis tenuerat, & possederat. Si verò nullus apparuerit requisitor præter Ducem, & Bajulum, & locum ejus tenentem, & Commune Venetorum, stetur super hoc assisiæ, & consuetudini Civitatis Tyrensis. Et interim ex nunc Bajulus Venetorum habeat sasinam ipsius loci. Item si forsitan Bajulus, vel aliquis loco ejus, vel Commune Venetorum per tenorem Privilegii eorum, vel alio modo vellet petere, vel requirere coram prædictis Dominis ea quæ credunt esse de jure eorum, ita & Dominus Tyri possit petere, & requirere à prædictis Venetis coram eisdem tribus, quod crediderit esse de jure, nec aliter aliqua partium possit facere novitatem aliquam contra aliam, nec aliter possit aliqua pars ab altera petere, vel requirere, nisi secundùm formam, quæ superiùs est expressa, & super hoc Dominus Tyri prædictus teneatur impetrare bona fide, & sine fraude licentiam à Rege, ut obtenta licentia regia procedatur secundùm formam superiùs declaratam. Si autem Rex non daret, vel dare differret infra tres septimanas, vel mensem, non fit propter hoc præjudicium Regi Hierosolymitano, & dominio ipsius, nec Domino Duci, nec Bajulo, nec Communi Venetorum, nec Domino Tyri & heredibus, & successoribus suis, quin quilibet possit petere bono modo, & sine violentia inferenda ab utraque parte jura sua, & dirictiuras, quas credunt quilibet ad se pertinere, coram Dominis supradictis, vel in defectum eorum ab aliis eligendis ab utraque parte, quousque res fuerit diffinita hoc modo, scilicet, quòd una pars eligat unum, & alia pars eligat alium, & si duo non poterint concordare, prædicti Domini Patriarcha, & Magistri domorum, vel major pars eorum eligant tertium, qui tres electi similem habeant potestatem, nullo propter hoc præjudicio generato super eorum juribus Domino Duci, vel Communi Venetiarum, vel Bajulo, aut locum ejus tenenti, aut Domino Regi, vel Domino Tyri, & heredibus & successoribus suis, ut supradictum est. Omnibus nihilominus superiùs diffinitis, & concordatis in suo robore duraturis. Item omnibus supradictis concordatis, & acceptatis ab utraque parte dictæ partes ordinaverunt, & voluerunt quòd omnes offensæ, & injuriæ quæ factæ, & illatæ sunt ab utraque parte in personis, vel rebus, in communi, vel speciali usque nunc quocunque modo, vel occasione vel causa, sint remissæ, vel quie-

„ tatæ

Pars XI.

RODULPHUS Comes Habspurgi Rex Romanorum electus approbatur à Gregorio Papa, & promisit ire in favorem Terræ Sanctæ, ad quam plurimùm anhelabat personaliter proficisci.

Unde ad ejus petitionem Rodulphus Cruce signatus est. Huic ad preces Papæ Alphonsus Rex Castellæ cessit, renuntians omni juri, quod haberet. Rodulphus autem redeunti Papæ in Italiam occurrit apud Bellicadorum, & juramentum præstitit fidelitatis. (*)

Pars

„ tate de bona fide, & bona voluntate sinè „ fraude, vel malo ingenio; ita quòd de cetero sicut boni amici, & consortes se foveant „ & diligant, & hanc pacem, & concordiam „ inviolabiliter teneant perpetuò, & observent. Ad complementum autem, & felicem „ consummationem omnium prædictorum dictæ „ partes de propria & spontanea voluntate, & „ de communi concordia, & assensu elegerunt „ communes arbitros, arbitratores, & amicabiles Compositores dictos Dominos Patriarcham Hierosolymitanum, & Magistros domorum Templi, & Hospitalis, & compromiserunt in eos super omnibus litibus, quæstionibus, vel controversiis, vel diffidiis, & rixis, quæ possent inter eos de novo surgere „ de possessionibus, & hominibus eorum aliqua „ occasione. Ita quòd prædicti arbitri, vel „ major pars eorum, si sunt modica, habeant potestatem committendi ea aliis, quibus ipsi arbitri voluerint, & illi, quibus ipsi commiserint, habeant eandem potestatem, quam ipsi „ habuerunt. Si verò sint magna, retineant „ ea eorum determinationi, & diffinitioni, & „ quæ sunt magna, vel modica, relinquantur „ diffinitioni arbitrorum ipsorum, vel majoris „ partis eorum, ratis manentibus & firmis omnibus supradictis. Dantes prædictæ partes „ eisdem arbitris, & substituendis ab eis plenam, & liberam potestatem arbitrandi, laudandi, & cognoscendi, sententiandi, & diffiniendi altè & bassè, juris ordine servato, vel non servato in scriptis, vel sinè „ scriptis, diebus feriatis, vel non feriatis, „ partibus præsentibus, vel absentibus, nulla „ solennitate judicii prætermissa obstante. Promittentes prædictæ partes stare, parere, & „ obedire laudo, arbitrio, sententiæ, ordinationi, & diffinitioni prædictorum arbitrorum ipsorum, vel majoris partis eorum, ratis „ manentibus, & firmis omnibus supradictis, „ & non contravenire per se, nec per alios „ ratione aliqua, ingenio, sive fraude, sub pœna mille marcharum argenti, ad quam solvendam compellatur pars contraveniens per „ bona ipsius ubicunque meliùs apparentia, cujus medietas deveniat ad Legatum, qui pro „ tempore fuerit, convertenda in subsidium Terræ Sanctæ. Alia medietas alteri parti servanti arbitrium tribuatur. Qua pœna soluta, „ vel non soluta, nihilominus quæ per eosdem „ arbitros denuntiata, vel definita fuerint in „ sua firmitate perpetuò perseverent: Hanc autem pacem, & concordiam, & singula Capitula in forma concordiæ comprehensa, ut superiùs est expressum prædicti DD. Bajulus „ Venetorum, & Consiliarii pro parte Ducis, „ & Communis Venetiarum pro se, & successoribus eorum ex una parte; & prædictus Dominus Joannes dominus Tyri pro se hæredibus, & successoribus suis ex altera promiserunt solenni stipulatione adhibita, sub obligatione bonorum suorum omnium, tenere firmiter, & perpetuò inviolabiliter observare „ sub pœna decem millium marcharum argenti; cujus medietas deveniat ad prædictos Dominum Patriarcham, & Magistros domorum „ expendenda pro subsidio Terræ Sanctæ, & „ alia medietas ad partem observantem prædictam: quæ pœna totiens comittatur, & exigatur, quotiens ab aliqua partium contra prædictam ventum fuerit, vel quodlibet prædictorum. Qua soluta, vel non, omnia supradicta, & singula in sua permaneant firmitate. Et ad majorem cautelam quælibet prædictarum partium, tactis Sacrosanctis Evangeliis, corporaliter juravit omnia, & singula „ supradicta tenere firmiter, & inviolabiliter „ observare, supponentes se iis in omnibus, „ & singulis tenendis, & observandis juridictioni Ecclesiæ per quam volunt ut possint „ compelli ad prædicta servanda, & excommunicari, & interdici si venerint contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Renunciantes expressè exceptioni fori, doli, & in factum, beneficio restitutionis in integrum, „ tam illi quæ minoribus, quàm quæ majoribus impertitur, nec non & omnibus aliis „ consuetudinibus, assisiis, Privilegiis, literis „ Apostolicis impetratis, aut etiam impetrandis, & generaliter omni alii legum, & decretorum auxilio quo se juvare possent contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Licèt autem in supradicta compositione in „ pluribus locis supradictus D. Joannes de Monteforti appellatus dominus Tyri secundùm „ modum in partibus istis generaliter observatum, tamen per prædictos arbitros extitit declaratum, quòd prædicta nominatio, sive appellatio neutri partium possit, vel debeat aliquo modo vel ingenio, vel hic, vel alibi aliquod præjudicium generare, nec jus addat, „ vel minuat inter partes. Acta sunt hæc in „ campis in Territorio Acconensi sub tentorio „ scilicet Domus Templi juxta Casale ipsius, „ quod dicitur Somelaria Templi præsentibus „ iis, qui intitulantur superiùs, & testibus hic „ notatis, viz. Fratribus Arnaldo de Castronovo magno Præceptore, Guidone de Foresta „ Marescalco, Guillielmo de Malassi Drapperio, Tibaldo Turcuplerio, Pontio Comandatore Aconensi, & aliis multis Fratribus „ domus Militiæ Templi, Fratribus Raynaldo „ de Venero, Guillielmo de Labroso, Gerardo „ Lombardo, Antonio de Fontanea, & aliis „ pluribus Fratribus domus Hospitalis Sancti „ Joannis Hierosolymitani, Fratribus Joanne „ de Saxonia Thesaurerio, Alberto Hospitalerio super infirmis, Milone socio Thesaurii, „ Vellembergo, & aliis pluribus Fratribus domus Alemannorum, Nobilibus viris D. Guillielmo de Pinguigi, & Valiano Antelmi, & „ Guidone Heremitæ, militibus discretis viris „ D. Accursio de Arretio, Rizardo de Brundusio, & Aldebrandino de Florentia Jurisperitis, D. Petro de Gloria, Gotfrido Drapperio, & Thoma Grasso, & pluribus aliis Burgensibus Acconens. testibus ad hæc vocatis, „ & rogatis sub Anno Domini MCCLXXII. „ Indictione V. Kal. Julii.

„ Et ego Bartholomæus de Firmo Imperiali „ auctoritate Notarius publicus, & nunc Notarius Curiæ prædicti D. Patriarchæ Legati „ prædictis interfui, & rogatus à prædictis partibus ea scripsi, & publicavi, & consueto „ meo signo signavi, & confeci de prædictis „ partibus sæpe dictis instantibus, & rogantibus decem publica instrumenta ejusdem tenoris, quorum quatuor sunt Venetorum, & „ tria prædicti D. Joannis prædicti D. Tyri, „ & Turoni, & unum prædicti D. Patriarchæ „ Legati, & aliud prædicti Magistri domus „ Militiæ Templi, & reliquum est prædicti „ Magistri Hospitalis, & unumquodque prædictorum Instrumentorum bullatum est bullis „ pendentibus plumbeis prædictorum D. Patriarchæ, & Magistrorum prædictarum domorum, & sigillis pendentibus partium prædictarum ad cautelam & robur, & testimonium prædictorum.

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Anno MCCLXXII. XII. Aprilis captum quòd detur una galea Communi Comiti, & Communi Arbor, & una Comiti Veglæ eo precio, quo æstimabuntur à Præfectis navalibus, fidem dantibus vadibus pro eis; pro Arbensibus itaque promisit Marcus Baduarius.

Die VI. Novembris captum in majori Consilio, quòd omnes, qui sunt de majori Consilio, & omnes Officiales ejusdem Consilii per suum officium teneantur juramento venire ad majora Consilia, quæ fient super factis, quæ tractantur, & tractabuntur cum Oratoribus Imperatoris Balduini, ac Regis Caroli, & Palæologi, & insuper si non venerint, solvant unum grossum iisdem modis & conditio-

Pars XII.

SExto Ducis anno dum Marcus Contareno Capitaneus esset in Primario, de mense Augusti Bononienses per suos syndicos cum Venetis ad pacem conveniunt, (a) promittentes omnia Fortilitia, quæ in Primario fecerant, se destructuros, nec Venetos in præfata custodia aliqualiter molestare. Dux autem de gratia eis concessit, ut per Portus certam quantitatem salis & bladi aliquibus adjectis conditionibus deferrent (b).

Pars XIII.

MArinus Zeno Duchas Cretæ contra Georgium Curtatio, qui Constantinum occiderat, & contumax quasi omnes Græcos rebelles fecerat, cum exercitu procedit, & in angustis passibus introiens, à Græcis cum pluribus Nobilibus interimitur.

Hoc autem grave ferens Dux Venetiarum Marinum Mauroceno Ducam creatum cum equitibus & peditibus illuc mittit, qui bellum sæpiùs cum rebellibus peragens, aliquando prospera, aliquando adversa perpessus est.

Anconitani per suos Nuntios Papæ de Venetis conqueruntur, quòd per vias maris & fluminum eos prohibent navigare. Papa verò jurium Venetorum ignarus, Duci scribit, ut illos navi-

A gantes turbare non debeat: quod Dux sciens, quia veritate tacita hoc esset obtentum, perficere recusavit.

Pars XIV.

GRegorius Papa hoc anno pro utilitate Terræ Sanctæ, quam intendebat personaliter visitare, Lugduni solemne celebravit Concilium, in quo Paulus de Molino, Joannes Cornario, & Pancratius Maripetro Venetorum Legati interfuere. Celebres etiam Nuntii Græcorum, & Tartarorum, procurante Michaële Palæologo Græcorum Imperatore, affuerunt ibi, & Græci solemniter & alta voce cantaverunt de Spiritu

B Sancto, *qui ex Patre Filioque procedit*.

Nuntii autem Tartarorum in Concilio baptizati ad propria redierunt. Ibi multa statuta sunt utilia pro subsidio Terræ Sanctæ, pro electione Papæ, & pro statu universalis Ecclesiæ.

Ibi Ambasciatores Veneti pro conservatione suorum jurium in Imperio Romaniæ, quia de reconciliatione Græcorum mentio agebatur, Papæ protestati sunt, & ordo Sanctorum tunc . . . . est (c).

Pars XV.

POst recessum Legatorum Ducis de Lugduno, Syndici Anconitanorum de Venetis reite-

C rant querelam, quam Abbati Nervesiæ Papa ter-

---

tionibus, quibus solvunt, cùm Consilium lectum est, in quo solvitur grossum: & quòd prædicta negotia non possint tentari, nec finiri in alio Consilio, quàm in majori.

Die VII Novembris captum, quòd Veneti possint ire ad Artam ad mercaturam exercendam, loco Dyrachii, quod erat amissum.

Item legitur in Capitulari Consiliariorum Cap. CII. absque millesimo: in omnibus negotiis, quæ fient inter nos, & Imperatorem Græcorum, & Regem Carolum, & de Compagnia tractanda cum Januensibus, quilibet Consiliarius, & quilibet caput de XL. possit ponere partem super hoc sicut sibi videbitur.

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Oratores, qui missi fuerunt à Venetis ad ineundam pacem cum Bononiensibus, fuere X. videlicet Marcus Baduarius, Raphael Bestanius eques, Pancratius Barbus, Jacobus Dandulus, Hermolaus Justus, Johannes Teupolus, Gerardus Longus, Johannes Dandulus, Petrus Gradonicus, Johannes de Canalis.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Mos erat projiciendi &c. tesseras singulis annis quibus viciniis contingeret aptare Marias; itaque captum anno MCCLXXIII. XIII. Januarii, ut eo anno Mariæ captarentur, ornarenturque in VI. domibus, ut in folio sub rubrica Ducis, & Consiliariorum.

II. Augusti. Captum, quòd Marchio, & Commune Ferrariæ, non possit procedere contra aliquem Venetum, nisi priùs dederit notitiam D. Duci, & Communi Venetiarum.

Item, quòd super quæstionibus, quærimoniis, & litibus inter Venetos habentes terras, & possessiones in Massa Fiscaliæ, & districtu Massæ ex parte una, & D. Marchionem, & Commune Ferrariæ, seu Commune Massæ Fiscaliæ ex altera eligantur tres Judices, unus per Venetos, alter per Marchionem, tertius per Priorem Prædicatorum, & Guardianum Minorum de Venetiis, & Ferraria, qui in loco, qui videbitur ipsis Judicibus, vel majori parti eorum idoneus, lites ipsas decidant in termino duorum mensium.

Item, quòd D. Marchio Estensis stratam Athesis tenere, & habere debeat apertam, liberam, & securam Venetis, & eorum mercantiis, si non habebit guerram manifestam cum Veronensibus; etsi habuerit, & Veronenses vellent eam assecurare, quòd ipse eam securam teneatur habere.

Item, quòd Marcho teneatur facere jurare omnes suos Potestates in principio regiminum observationem pactorum cum Venetis, & quòd remittent datia imposita contra pacta Venetis, & hominibus euntibus Venetias.

Item VI. Augusti quòd Marchio Estensis, & Commune Ferrariæ licentiare debeant Rolandinum de Canosa à regimine Potestariæ Ferrariæ cum omnibus suis Judicibus, & cum tota sua familia intra octo dies; postquam idem Marchio de hoc fuerit requisitus; ita quòd de cetero idem Rolandinus non possit haberi pro Potestate, vel Rectore Civitatis, vel districtus Ferrariæ ullo modo, ullove tempore, nec ejus Judices, nec familia.

D Eadem die captum, quòd per Ducem, & Commune Venetiarum procedatur contra dictum Rolandinum de Canossa sicut videbitur.

XIII. Novembris, captum in Consilio Majori, quòd omnes electiones, quæ de cætero fient in Majori Consilio debeant fieri hoc modo, videlicet: quòd ponantur tot ballottæ de ramo albæ in capello, quot homines erunt in Consilio, in quibus poni debeant XL. deauratæ, & propinqui eorum, qui habebunt ballottas deauratas, debeant exire de Consilio sicut nunc exeunt, & illi XL. qui habebunt ballottas deauratas debeant remanere, & alii recedant, & ponantur XL. ballottæ in capello; novem quarum sint deauratæ, & illi qui habebunt ballottas deauratas faciant electionem, vel electiones, quæ debebunt fieri per VI. eorum ad minus. Et si qua Consilia

E essent contra hoc, sint revocata quantum in hoc.

XXIX. Decembris, captum quòd Veneti possint ire in Provinciam, & ad Massiliam, & ad Montem Pessulanum, & ad aquas mortuas ut infractæ sub rubrica Communis fol. L. cap. CVII. quod videas.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Ultimo Maji quòd Veneti non possint emere possessiones in Marchia Tarvisina, Ferraria, in districtu Ferrariæ, & Comitatu &c. sub rubrica Communis ch. XLVI. cap. LXXVII.

Hoc Anno XII. Augusti captum, quòd Veneti non mittant literas Imperatori Palæologo, Imperatori Philippo, Regi Carolo, & Marchioni Estensi, nec à dictis Principibus donum recipere valeant.

terminandam commisit. Abbas itaque, auditis partibus, quia Anconitani contra Venetorum longævam possessionem in custodia Riperiæ prælibatæ nihil probare potuerunt, Venetos in eorum solita possessione stare permisit.

Bononienses inter se divisi partem Imperii de Urbe expellunt, & cum exercitu contra Forlivium, ubi sui exules se reduxerant, procedunt, & conflicti tandem redeunt. Qui post modicum majori apparatu congregato, ad obsidionem Faventiæ vadunt, & cum Guidone de Monte Feretro Capitaneo suorum adversariorum bellum peragunt, in quo octo millia eorum capti, seu occisi sunt. Tunc Civitates Romandiolæ, quæ eis subjectæ erant, quasi omnes rebellarunt.

Pars XVI.

SEptimo Ducis anno Syndici Civitatis Cerviæ Duci Urbis dominium tradunt, quam Joannes Mauroceno pro Potestate missus viriliter introivit, & eam contra adversantes protexit illæsam.

Pars XVII.

TReguæ alias initæ inter Venetos, & Januenses, usque ad biennium renovantur.

Eodem anno Simon Steno, & Guezellus de Pirro, Marcus Dolce, Bartholomæus Gauta, Carletus Bellottus, Florus aurifex, & Petrus de Artengo, quia commilitatem & conjurationem contra Rempublicam Venetiarum fecerant, per sententiam de Venetiis & Terris sibi subjectis perpetuò sunt banniti.

Pars XVIII.

OCtavo Ducis anno Gregorius Papa Aretii moritur, & Innocentius V. natione Burgundus de Tarantasia Sabaudiæ subrogatur. Hic fuit Ordinis Prædicatorum factus Archiepiscopus Lugdunensis, & antequam consecraretur, fit Episcopus Ostiensis, & infra annum Papa electus est.

Eodem anno Dux hic XVI. Augusti de hoc seculo emigravit, & sequenti die in sepulchro paterno apud Fratres Prædicatores recluditur (a).

CAPITULUM NONUM.

De Jacobo Contareno Duce, & de his, quæ emerserunt in suo Ducatu, habens partes XXIX.

JAcobus Contareno Dux effectus est Anno Domini MCCLXXV. (b) quia Philippus Beligno, Marcus Baduario, Joannes Polano, Petrus Barbadico, Marcus Barbo, & Marcus Contareno, Consiliarii & Rectores Ducatus constituti cum majori Consilio, & publica collaudatione sanxerunt, ut electio fienda cum ballottis de ramo albis & deauratis loco illarum de cera fieri deberet, & in omnibus aliis hoc procedere debeat, ut in præcedenti electione stabilitum fuerat, & electus xenia, quæ Prædecessores sui in Nativitate Domini, & in die Jovis de Caza quibusdam Officialibus, & XL. soliti erant facere, de cetero singulis capitibus familiæ existentibus de majori Consilio facere teneretur. Neque per se, & descendentes ab eo cum forinsecis matrimonia contrahere, nec feudum retinere, vel acquirere, neque regimina in Venetiis, vel extra, obtinere possunt ullo modo.

Nomina autem XLI. qui hunc elegerunt, sunt infrascripta.

Egidius Quirino,
Petrus Sisinulo,
Barachinus Trivisano,
Philippus Cornario,
Joannes Gradonico,
Marcus Beligno,
Thomasinus Justiniano,
Nicolaus Navigajoso,
Jacobus Georgio,
Marcus Aurio,
Petrus Victuri,
Petrus Barbadico,
Marcus Barbo,
Bartholomæus Maripetro,
Marcus Bembo,
Jacobus Steno,
Eustachius Venerio,
Stephanus Viglari,
Andreas Zeno,
Andreas Bolario,
Matthias Miglano,
Bartholomæus de Mugla,
Marinus Baduario,
Joannes Polano,
Guibertus Dandulo,
Petrus Ciurano,
Andreas Duodo,
Marinus Contareno,
Joannes Storlato,
Gabriel Mariglono,
Jacobus Dandulo,
Philippus de Canale,
Marcus Michaël,
Leonardus Gexiæ,
Simon de la Fontana,
Leonardus de Laurentio,

Bar-

(a) *In margine Codicis Ambrosiani:* Alibi XXV. Augusti Laurentius Teupolus Dux obiit post Ducatum annorum VII. & dierum XXV. sepultusque est ad Divos Johannem & Paulum, quo ducante nullus ausus est Venetos bello vexare, quòd scirent eum Principem fortem, & bellicosum; quod tamen falsum est; etenim Bononienses Venetos bello infestarunt &c.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani:* Hoc anno MCCLXXV. II. Aprilis captum, quòd de cetero antequam eligatur aliquis Capitaneus à tribus galeis supra debeat fieri ejus commissio; & antequam eligatur aliquis Rector, qui debeat ire extra Venetias debeat videri sua commissio, & addantur, & minuantur, & mutentur in ea, sicut videbitur.

Die III. exeunte Aprili, captum, quòd mutuetur unum lignum de XL. remis Communi Chersi sinè pignore, & Consilium de non mutuando sinè pignore sit revocatum ex eo, quòd non poterat fieri sinè gratia.

Die VI. exeunte Majo homicidiarii, & malefactores consignentur mutuò à Venetis, & Patavinis.

Die XI. Julii, quòd solutiones ultra mare fiant de denariis grossis &c.

Die XXVI. exeunte Augusto, vacante Ducatu, captum, quòd imprestentur futuro Principi VII. mille librarum Venetarum intra quinque dies, postquam in Ducatum intraverit, occasione magnarum expensarum faciendarum in introitu cum multis conditionibus circa excomputationem earum *&c. obliterata*.

Die XVII. Octobris captum, quòd de cetero Vitreum, Alumen, Sablonum, seu alia, de quibus vitreum fieri debeat, non possint portari extra terram, nec de eis possit fieri sigillum sinè licentia data à Duce, & Consilio Majore, sub pœna perdendi ea, quæ portarentur.

Bartholomæus Trono,
Andreas Acotanto,
Marcus Firiclo,
Nicolaus Baxio, &
Leonardus Mauroceno.

Qui hunc jam grandævum Procuratorem Sancti Marci super Commissariam existentem, & per lineam rectam à Dominico Contareno Duce ortum trahentem, die VI. Septembris Ducem electum Populo nunciaverunt. (a)

Interea Rex Rassiæ in Montanis circa Ragusium castrametatus campos & vineas vastavit, & aliquos Nobiles Ragusinos cepit, & Benedictum de Gondola Capitaneum suspendi fecit; sed Urbi nil nocumenti intulit, quia Petrus Teupulo Comes cum subsidio à Venetis habito illam conservavit illæsam. Et postea Nicolaus Navigajoso, & Nicolaus Migiani duabus galêis Legati missi Regem ad reditum suaserunt.

Pars I.

DUæ galêæ Januensium circa Messanam unam Venetorum taridam capiunt, de quo Dux turbatus, quia in treguis hoc actum erat, Marcum Bembo, & Joannem Cornario Januam Legatos mittit, & restitutionem obtinuit; & subsequenter denuo tregua per biennium renovata est.

Pars II.

NUnc habitantibus Muriani de novo Potestas datus est.

Inter Venetos penuriam bladi patientes, & Paduanos, ac Tarvisinos, qui eis recusaverant subvenire, discordia suscitatur, & clausis palatis commercia prohibentur. Tunc Dux Nicolaum Miglano, & Nicolaum de Canali, Dominis, & Communitatibus Lombardiæ Nuntios misit, & blada recuperavit, & Joannes Dandulo Canis pro Venetis Consul Apuliæ, obtentâ licentiâ à Rege Carolo maximam quantitatem frumenti Venetias destinavit, & subsequenter Paduani, & Tarvisini sua intentione frustrati cum Venetis ad pacem devenerunt.

Pars III.

SYndici Castri Montonæ se & sua sub protectione Venetorum ponunt, & Andream Dandulo sibi à Du e in Potestate datum reverenter suscipiunt, & post modicum rebelles effecti eum expellunt.

Post Stephanum Regem Hungariæ Ladislaus obtinuit Regnum. Innocentio Papæ Adrianus Quintus natione Januensis successit. Hic prius

A vocatus Ottobonus, qui infra XL. dies obiit, nec Sacerdos ordinatus est.

Pars IV.

HUic Joannes XXI. natione Ulixbonensis subrogatur. Hic primò vocatus Petrus Episcopus Tusculanus fuerat. Misitque solemnes Legatos ad Reges Franciæ, & Castellæ pro sedanda discordia, quæ inter eos fuerat.

Dux pro tuitione Caravanæ, quam paraverat, ne à Græcis, qui cum stolo circa Cretam pervenerant, legionem reciperet, Jacobum Teupulo cum XXV. galêis in XV. diebus armatis Capitaneum mittit, qui prudenter se gerens

B cum salute rediit.

Pars V.

COntra Almisium Urbem Dalmatiæ, quæ taridam unam Venetorum, & alia forensium navigia in mari ceperat, Dux Pancratium Maripetro IV. galêarum Capitaneum mittit, qui Urbem obsidens, Venetos captos, & bonorum ablatorum partem obtinuit. Et nihilominus idem Capitaneus. & Joannes Maurocenô immediatè successor, illos strictiùs obsessos retinuerunt.

C *Pars VI.*

SEcundo Ducis anno unio, & confœderatio inter Venetos & Pisanos usque ad quinquennium renovatæ sunt. (b)

Pars VII.

NUnc contra Anconam bellum inchoatur, (c) quia Anconitani contra Venetorum edicta victualia per ostia fluminum Riperiæ Australis præsumserunt deferre, nec admoniti resipiscere voluerunt.

Pars VIII.

D IGitur Joannes Teupulo cum XIII. galêis Capitaneus, & subsequenter Marcus Michaël cum totidem contra eos missi sunt, decretumque est, ut facta instantis belli per Ducem, Consiliarios, & XX. nobiles & sapientes viros debeant agitari; de quorum judicio VI. naves machinis & aliis instrumentis bellicis præparatæ ad exercitum transmittuntur, & Rogerius Mauroceno, & Petrus Justiniano, ut Firmanos Venetis favorabiles exhiberent, delegati sunt.

Pars

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Erant Consiliarii assignati Domino Jacobo Contareno:

Ex parte S. Marci	*Ex parte Rivoalti*
Thomasius Justinianus,	Philippus Belegno,
Thomas Quirinus,	Bernardus Dandulo,
Jacobus Teupolus.	Petrus Barbadicus.

Hoc tempore concessum fuit primùm Murianensibus, ut Potestas Murianum mitteretur, qui jus eis redderet; quod tamen in publicis Actis adhuc non reperi.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno MCCLXXVI. XI. exeunte Majo captum, quòd Castrum, & Terra Montonæ debeat recipi in protectione Domini Ducis, & Communis Venetiarum, ita quòd de cetero sit sicut aliæ

E Terræ &c. ut in folio, salvis rationibus Patriarchæ, & erant CCC. in Consilio.

Die IV. Junii captum, quòd vendatur una Galea per æstimationem Communi Ragusii &c.

Ultimo Octobris captum, quòd nonnulli Rectores cùm redierint de regimine, sint de Majori Consilio absque eo, quod eligantur, quousque durabit ipsum Consilium.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Ob bellum cum Anconitanis ex decreto .... proclamatum Venetiis, & Clugiæ, ne quis auderet accedere, durante eo bello, Picenum; itaque cùm nonnulli contra proclamationem accesserint præsertim Clugienses, condemnati sunt. Sed postea anno MCCLXXXII. XII. mensis Octobris, ex decreto Consilii Majoris absoluti sunt, præsertim, cùm Veneti, qui sicuti & Clugienses accesserant, condemnati non fuissent.

Pars IX.

CEterùm Capitanei secus Portum Anconæ anchoras figunt, & Urbem acriter impugnant; tamdem circa exitum mensis Junii tempestas valida mare turbavit, & exercitus in mare secessit. Tunc galêa Clugiensis rumpitur, & aliæ V. in splagiis Senogalliæ impulsæ confractæ sunt. Tres quoque in Firmo, & ceteræ in Dalmatia pericula evaserunt.

Pars X.

NAves quoque, quæ ad exercitum navigabant, credentes stolum invenire, secus Anconam suum iter prosequuntur. Tunc Anconitani pluribus paratis galêis cum insigniis Venetorum ad naves veniunt, & duas ex improviso capiunt, & reliquæ in Dalmatiam redierunt.

Dum autem hæc Venetis patefacta sunt, decretum est, ut Capitanei cum ignominia redire debeant, & sicut offensores Reipublicæ in centum marchis argenti pro quolibet condemnati sunt.

Pars XI.

DEnuo tunc reparato Stolo Pancratius Maripetro successor creatus obsidionem Urbis Anconæ innovat, & duriùs solito eam impugnant.

Pars XII.

HOc anno Damisella Maria filia Principis Antiochiæ jus suum in Regno Hierosolymitano dedit Carolo I. Regi Siciliæ, & Rex coronatus est, & misit Rogerium Comitem Sancti Severini pro Bajulo Regni, qui à militibus feudatariis homagium suscepit, & Officiales constituit, cui Albertinus Mauroceno pro Venetis Bajulus in Achon plurimùm favorabilis fuit, sicut idem Rex per suos Legatos gratias agens Duci singulariter intimavit.

Pars XIII.

INter Albertinum Mauroceno supradictum, & Joannem de Monteforti Dominum Tyri pax reformata est mediatione Templariorum, restituta Venetis tertia parte Tyri, quam habebant ratione acquisitionis ipsius, & diu possederant; sed Dominus Joannes de Monteforti jus illud eis abstulerat propter guerram, quam cum Januensibus sibi confœderatis habuerant.

Pars XIV.

HIc Dux super renovatione treguæ ad Michaëlem Imperatorem Græcorum Marcum Bembo, & Matthæum Gradonico Legatos mittit; sed Matthæus supradictus Constantinopoli obiit; Marcus autem Bembo sopitis differentiis, quæ per plures Nuntios hinc inde missos concordari non potuerant, treguam cum

A illo usque ad duos annos, & tantum plus, quantum de partium processerit voluntate, sacramento firmavit.

Pars XV.

COntra Almisium nunc Philippus Gisio Capitaneus mittitur, qui rei bellicæ inscius obsessos exire, & damna navigantibus inferre permisit. Veneti autem hoc grave habentes illum revocant, & Joannem Contareno substituunt, qui illis damna inferens ad mittendum Duci Nuntios eos induxit, sed tamen in scelere obstinati Ducali requisitioni parêre totaliter contemserunt.

B

Pars XVI.

TErtio Ducis anno inter Venetos & Januenses usque ad tres annos treguæ renovatæ sunt. (*)

Joannes Papa solitus erat intrare cameram novam solus, quam pro se Viterbii circa Palatium construxerat. Semel autem cùm hoc fecisset, & se ipsum aspiciens gloriaretur resolutus in risum, camera subitò cecidit; ipse verò collisus sexto die exspiravit.

Pars XVII.

C NUnc Nicolaus III. natione Romanus de Ursinis Papa efficitur, qui primò vocabatur Joannes Gajetani, Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano fuit.

Huic Rodolphus Rex requisitus reassignavit Romandiolam, & Exarchatum Ravennæ, & mandavit incolis dictarum Urbium, ut Romanæ Ecclesiæ obediant, & sic Papa possessionem obtinuit.

Post Joannem Patriarcham Guido Ordinis Heremitanorum ordinatus est.

D

Pars XVIII.

CEterùm Papæ Marcum Baduario, & Andream Zeno, ac Guibertum Dandulo pro ejus nova creatione Dux Legatos mittit. Papa indignatus propter guerram Anconæ illos nec videre nec audire voluit; sed dum Legati ex permissione Ducis vellent redire, Papa illos introduci fecit. Nec Ambasciatam gratam habens, de vastatione Anconæ Romanæ Ecclesiæ pertinentis eos vehementer redarguit; nec Venetorum excusationes passus est audire: propter quod Legati non accepto commeatu Venetias redeunt.

E

Pars XIX.

DUx autem, & Veneti turbati post reditum Pancratii Maripetro, qui Anconitanis multa damna intulerat, (**) Bocasium Aurio cum octo galêis pro offensione hostium, & navigantium tutela, & Jacobum Mulino ad obsidendum Anconam cum exercitu mandaverunt.

Joan-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno MCCLXXVII. XI. exeunte Martio fuit revocatum Consilium, per quod ordinatum erat, quòd aliquis de Venetiis non posset ire Potestas, sive Rector in aliquam Terram forinsecorum, & fuit ordinatum, quòd possint ire, exceptis terris Istriæ.

Die V. Octobris captum, quòd Bastardi non eligantur de Majori Consilio, nec in Officio, quod sit de Majori Consilio.

(**) *Cod. Amb.* Locasium.

Joannes Contareno Almisium obsidens naturali morte obiit, & huic Heliodorus Vitalis subrogatus, ab obsessis captus est. Tunc Petrus Mocenico Capitaneus pro custodia Venetici Gulphi deputatus, cùm Jacobum Teupulo, Andream Dandulo, & Marcum Quirino Legatos ad Regem Carolum in Apulia deposuisset. sentiens captionem Capitanei, viriliter Burgum Almissi debellando obtinuit, & igne cremavit; & dum ad devastationem vinearum animosè procederet, restitutionem Heliodori, & aliorum captivorum habuit.

Pars XX.

NUntii Communis Montonæ de rebellione veniam implorantes ad Ducalem subjectionem rediere. Marcus Michaël eis Potestas datus est. (a)

Pars XXI.

EPiscopus Faræ & Brazæ ab incolis illarum Insularum Syndicus constitutus, Venetias accedens, Ducem ut Dominum Dalmatiæ & Croatiæ recognovit, & Insulas illas, quæ diu erraverant, sub Ducali protectione posuit. (b)

Pars XXII.

JOannes Saracenus, qui contra Rempublicam scelestam inierat factionem, de Venetiis perpetuò bannitus est.

Pars XXIII.

POst Hugonem Regem Jerusalem & Cypri Joannes ejus natus Rex efficitur.

Pars XXIV.

COntra Istrianos bellum inire hoc anno à Venetis decretum est; & electi sunt XXV. Nobiles & sapientes viri, qui cum Duce & Consiliariis exequerentur quæ viderint opportuna. Hujus rei causa fuit, quia Justinopolitani, videntes Venetos plurimis bellis irretitos, disposuerant, obliti juramenti, quo Venetis tenebantur, reliquas Terras Istriæ ab eorum fidelitate pervertere. Et illico paratis navigiis, Venetiæ maritimæ portus violant, & captivos custodes deferunt; & Comes Pisini eis confœderatus cum exercitu Montonam aggreditur, quam Marcus Michaël Potestas viriliter defensavit, & cùm nihil ibi proficeret, versùs Sanctum Laurentium equitavit, & Oppidum cepit & gentibus suis munivit.

Tunc Marcus de Canali cum duabus navibus

A & aliis lignis cum machinis ad impugnandum Urbem Justinopolitanam, & Egidius de Turchis cum centum triginta equitibus, & LXXX. postea additis, Parentium missi sunt. Unus quidem per mare impugnans cum machinis Civitatem plurimùm devastavit; alter autem per terram hominum & animalium maximas prædas fecit.

Quarto Ducis anno Jacobus Teupulo Capitaneus terrestris exercitus deputatus cum ducentis equitibus Istriam vadit, & subsequenter Marcus Cornario in Capitanearia maris subrogatus est (c).

Pars XXV.

B HOc tempore Veneti per mare & per terram Insulam impugnant, quam Justinopolitani viriliter defensarunt; sed tamdem reiterationem insultuum formidantes, Oppidum vacuum reliquerunt, in quod Veneti intrantes sua castra fixerunt.

Marinus Gradonico Duchas Cretæ cum Feudatariis, & militia, quam de Venetiis habuerat, Georgium Curtatio cum exercitu secus Urbem Candiæ venientem in conflictum posuit, & illum cum Theodoro fratre suo, & aliis auctoribus supradictæ rebellationis exire Insulam coëgit. Reliqui verò Græci misericordiam postulantes ad gratiam benignè suscepti

C sunt.

Marinus Mauroceno Biceda nunc Capitaneus terræ substitutus, hostes, qui Urbem exiverant, prœlio devicit, & juxta Pontem castrametatus Civitatem obsedit, & Marcus Cornario per mare illam impugnat & devastat. Tunc obsessi pacta requirunt, quos Capitaneus, nisi liberè Urbem tradant, audire renuit.

Pars XXVII.

POst hæc Papho de Ribaldo, & Joannes de Diatalme Justinopolitani Syndici, introductione Nicolai Quirino Potestatis Tarvisii, Venetias accedunt, & Civitatem eorum offerunt,

D quæ post acceptationem Ducis Capitaneis Venetorum liberè tradita est. Deinde plures ex nobilibus illius Terræ ad Ducem veniunt, & petitâ veniâ, quod gestum erat integraliter approbarunt.

Nunc autem Thomas Quirino, Rogerius Mauroceno, & Peratius Gradonico Provisores Justinopolim delegati, muros & turres à porta Sancti Martini usque ad portam Busardegam ruinari faciunt, & domos Joannis quondam Marci, qui Ducalem gratiam renuerat implorare, prosterni similiter providerunt. Tunc ipsius Terræ Potestas Rogerius Mauroceno à Venetis primò constitutus est.

Ce-

E

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno MCCLXXVIII. XXVI. Martii captum, quòd terra Montonæ recipiatur ad fidelitatem Domini Ducis, & Communis Venetiarum, secundùm formam Sindicatus, & sicut receptum est Parentium, salvis juribus Patriarchæ Aquilejensis, & quòd parcatur illis, qui remanserunt in Terra, licèt fuerint ad rebellionem ipsius Terræ.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc eodem anno die primo Aprilis Indict. VI. captum, quòd Insula Faræ cum aliis Insulis, quæ dependent ab Episcopatu Faræ, recipiatur cum conditionibus datis & dictis per eorum Episcopum, & lectis in Majori Consilio, salvo jure omnium personarum, & erant homines in Consilio CCLI. ex quibus fuerunt de *non* septem, non sinceri XXVIII. & CCXVI. de *sic*.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: MCCLXXVIII. VI. Aprilis, quòd aliquis Venetus, vel de Gradu ad Caputaggeris non possit de cætero ire vel mittere hominem, vel arma in servitium alicujus personæ, vel terræ extra Civitatem Rivoalti, vel de Gradu ad Caputaggeris, sinè licentia Ducis & sui Consilii in pœna perdendi arma, quæ portaret, & insuper &c. X. pro qualibet persona, quam mitteret, *ut in folio libro Fr. cb. 24. cap. 74.*

XII. Augusti captum, quòd aliquis Patronus Venetus non possit naulizare aliquam mercantiam forensem supra valorem yperperorum Cm. à Monovasia versùs Nigropontem, & Bajulus Acon teneatur admonere patronos Venetos de hoc.

Ceterùm Comes Pisini reconciliationem à Duce petitam obtinet, & Castrum Sancti Laurentii Venetis restituit.

Pars XXVIII.

HOc anno die XXIV. Aprilis maximus Terræmotus fuit Venetiis, & quasi per totam Italiam, & die ultimo ejusdem mensis eadem clades renovata (a) est. (b)

Interea Jacobus Teupulo el Cocho (c) propter Anconitanos, & Almisanos, qui navigantes derobabant, Capitaneus missus, & successivè Marcus Dandulo prænominatus el Faro, Piratarum nequitiam compescunt, & mare securum reddunt.

Tunc nobilis quidam de Fano, Palmerius nomine, ut pax inter Venetos, & Anconitanos fieret, plurimùm laborabat. Sub qua fiducia Anconitani Taridam unam vino oneratam, & postea alia navigia circa Istriam navigantia ceperunt.

Dux autem turbatus Marinum Dauro cum XXIV. galêis ad obsidendum Anconam misit, qui jussa perficiens illis vias maris clausit, & postea in Dalmatiam rediit; Et illico Anconitani cum tribus galêis exeuntes Taridam unam Venetorum circa Durrachium, & deinde aliam, ultra quam navem unam versùs Montem Pessulanum navigantem juxta Splagiam Romanam capiunt, & novem nobiles mercatores Venetos in Anconam per terram captivos ducunt.

His diebus Veneti pro tutela Caravanæ, quam paraverant, ne à stolo Græcorum damna reciperent, XX. galêas armari faciunt, & Henricum Dauro Capitaneum decernunt, qui in regimine stoli sibi commissi prudenter se gerens tamdem feliciter ad propria rediit.

Quinto Ducis anno Marcus Cornario contra Anconitanos, & subsequenter Marcus Michaël cum stolo Capitanei missi, hostes includunt, & navigantibus securitatem conferunt.

Dux autem confectus senio, & variis bellorum casibus oppressus, in lectulo jacere cœpit, & Nicolaus Navigajoso major Consiliarius vices ejus fungens cum Syndicis Pisanorum ligam per quinquennium renovavit.

Denuo Joannes Contareno cum tribus galêis in Romaniam, & Joannes Delphino cum totidem in Siciliam contra Anconitanos Capitanei delegati sunt. (d)

Pars XXIX.

POstea Dux propter ætatem regimini Ducatus superesse non valens, dignitati huic die VI. Martii renuntiavit, cui de decenti salario & familia, dum viveret, ex publica laudatione provisum est. Mortuusque est eodem anno, (e) & in claustro Fratrum Minorum sepulturæ traditur. (f)

(a) *Cod. Amb.* remota.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Reperio, Duce Jacobo Contareno, ortum dissidium inter Venetos & Mantuanos, nescio quam ob caussam, missumque Oratorem Mantuam à Venetis Marcum Sescadulum, & cum nonnullis conditionibus res compositas fuisse.

(c) *Cod. Amb.* cognominatus el Gogo.

(d) *In margine Codicis Ambrosiani*: MCCLXXIX. XIV. Martii capta fuit pars, quòd de cætero sint quatuor Electores, duo de ultra canale, & duo de citra, secundùm quod erant tres, & faciant electiones (quas faciunt tres) per tres eorum *lib. Fr. cb.* 77.

VII. Junii captum, quòd Consilium de mercatoribus, qui prohibentur ire ad mercatum in Alemanniam, revocetur; videlicet quòd possint ire per Alemanniam in Ungariam, & de Ungaria redire per Alemanniam, sicut per Alemanniam poterant ire in Franciam, *ut in f. l. Fr. sub rubr. Communis cb. 50. cap. 105.*

XIV. Octobris captum, quod MCC. libræ seponantur in Procuratia omni mense pro solvendis sex denariis pro libra de prode imprestitorum, *libr. Fr. cap. 25.*

In cap. 114. Capitularis Consiliariorum est legere.

Præterea faciam poni in Procuratia Sancti Marci tantam pecuniam de redditibus & intratis Communis, quanta sufficit omni mense per ratam pro solvere sex denarios pro libra de prode imprestitorum, & hoc sub pena librarum L. pro quolibet Consiliario pro condemnato, & non possumus removere dictam pecuniam de Procuratia sub dicta pœna librarum L. pro quolibet, modo aliquo, vel ingenio, nisi pro dictis sex denariis persolvendis, & addatur in Capitulari Camerariorum, quòd sic debeant observare sub dictis pœnis tam Consiliariis, quàm Camerariis qualibet vice.

Pars capta fuit quòd si Imperator, seu Rex dixerit nobili viro Johanni de Canali Consuli in Apulia aliqua de passaggio, & de pertinentibus ad passagium, & de conditionibus Romaniæ, illa nobis particulariter, & distinctè debeat intimare, & postea facere quæ duxerimus destinanda, *libro Fr. cb. 177. anno 1281. 7. Februarii.*

Quod Comites Veglæ eeciderint ad pœnam librarum mille, quia non posuerunt libras X. in possessionibus emendis per eos ad usum novum in Venetiis, vel in Procuratia secundùm formam consilii super hoc capti, de quibus non possit eis fieri gratia ullo modo &c. *Anno MCCLXXXII. XIX. Novembris ex Cap. CXXXI. Capitularis Consiliariorum.*

(e) *In margine Codicis Ambrosiani*: MCCLXXX. Cùm Veneti exercitum terrestrem, & classem pararent quibus Ancona terra, marique premerentur, Anconitani perterrefacti pacem petiere, quæ facta est, & ipsi promiserunt, posthac non impedituros ingressum in ostia fluviorum, neque pyraticam exercitaturos.

XV. Martii captum, quod Commune teneatur solvere unum confalonem omnibus terris, quæ jurabunt fidelitatem, *libro Fr. cb. XXV.*

(f) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi legitur: Jacobus Contarenus jam decrepitus post Ducatum annorum quatuor & dimidii, anno MCCLXXX. die quinta Martii in die Martis carnisprivii, Patrum decreto, Ducatui cedere coactus est. Provisum tamen, illi tribui quot annis, dum vixerit, ex Fisco libras MD. parvorum. Itaque die Veneris sequente exiit è Palatio, & in domum gentis Bocasiæ magnificam, ad Divum Lucam positam juxta Canalem prope trajectum à sinistra descendentibus ex Cymbis, est ingressus, ibique mansit usque ad septimum diem Aprilis proximè secuti, qua die obiit, sepultusque est in Cœnobio Fratrum Minorum in Tumulo marmoreo inaurato.

Domus autem suprascripta Bocasia fuit postea gentis Joannæ.

Finis Tomi Primi Chronicorum Serenissimi Andreæ Danduli Ducis Venetiarum. (*)

(*) *In margine Codicis Ambrosiani additur*: In Libro Marci Antonii Michaelis: *Finis annalium Andreæ Danduli Ducis Venetiarum.*

TOMUS

TOMUS SECUNDUS INCIPIT

Cum continuatione Raphayni Caresini D. Benintendio Ravagnino Magno Cancellario Venetiarum. (a)

Joannes Dandulo Dux hoc solium, electionis ordine, habere promeruit Anno Domini MCCLXXX. die XXIV. mensis Martii. (b)

Hic contra Anconitanos, turbare volentes Venetorum custodiam maris & fluminum, stolum galèarum misit, cum quibus honore suo prævio tamdem ad pacem devênit. Qui reliquas Urbes Istriæ maritimas, quæ juramento fidelitatis sibi erant obstrictæ, non desistentes propterea ab iniquis actibus, sub suo dominio sapienter reduxit. Qua de re bellum maximum inter Venetos, & Aquilegiensem Patriarcham exortum extitit; qui tamdem Venetorum potentiæ non valens resistere, cum ipsis pacta composuit.

Prælibatus Dux, de Patriæ libertate & honore assiduè cogitans, à Summo Pontifice privilegium obtinuit, quòd bona damnatorum de Hæresi in Commune Venetiarum debeant devenire, ita tamen, quòd Commune ob hoc teneatur omnes expensas facere officio Inquisitionis opportunas. (c) Qui etiam Ducatos aureos primitus fieri jussit, & annonæ populo abundantiam fa-

---

(a) *In Codice Ambrosiano non leguntur hæc verba, sed prosequitur contextus Historiæ, Joannis Danduli Ducatum, resque gestas enuncians.*

(b) *In Codice Ambrosiano hæc adduntur*: Anno primo Ducis hujus datus est Rector habitatoribus littoris majoris, & primus Potestas fuit D. Franciscus Saxandolo.

Anno Ducis II. treuguæ cum Januensibus per biennium renovantur.

Iste Dux guerram inchoatam cum Istrianis per suum Præcessorem volens perficere, ad illas partes ingentem exercitum destinavit: tunc Insulani Venetorum non modicum pertinentes, Anno Domini MCCLXXX. cum cæteris pactis Ducali dominio se dederunt, & D. Henricus Bauro Potestas dicti loci primus efficitur. Subsequenter verò Pisarenses modo simili formidantes se subjiciunt dominio Venetorum MCCLXXXIII. Eodem millesimo iste Dux, D. Nicolaum Quirino, & Jacobum Theupolo qu. Comitis Petræ inde Legatos Januam delegavit, qui treguas cum Januensibus per triennium renovant.

In dicto millesimo MCCLXXXIII. mensis Januarii hora vespertina fuit Venetiis maximus terræmotus. Item MCCLXXXIV. die XX. Decembris sub noctis silentio aquæ maritimæ fuerunt in Venetia multo solito altiores.

Anno Ducis quinto liga & unio cum Pisanis per annos sex renovantur.

Item anno VI. iterum cum Januensibus per annos quinque treugua firmata est per D. Nicolaum de Domo majori, & Marcum Sindicos Communis Venetiarum.

Tempore hujus Ducis in bello & discordia inter Venetos, & Aquilegiensem Patriarcham, quidam Gerardus Lanza Armiger Venetorum proditoriè agens contra Ducem, & Venetos, pœnas luit suæ infidelitatis, quare in Magomo detrusus periit, & meritò.

Hujus Ducis tèmpore Passagium ordinatur per Summum Pontificem Clementem V. cui idem Dux bono animo promisit subsidium, quod præventus morte, mittere non potuit executioni.

MCCLXXXIII. XXVII. Octobr. revisio consiliorum ab anno MCCXL. usque ad hunc annum, & reductio illorum in duobus libris, fracto & socio ut alibi.

Item observato, consilium captum MCCLXXXIII. XVIII. Junii continens inter cætera de pecunia, quam Camerarii debent ponere in Procuratia omni mense, præterquam libras 3m. de mense, quas D. Dux, & nos Consiliarii possumus expendere, & non accipiemus, nec faciemus accipi aliquam pecuniam Camerariis aliquo modo, vel ingenio, præterquam libras 3m. de mense, & si capietur, de accipere de denariis alterius mensis, sicut solitum est, faciemus cum Camerariis rationem intra VIII. dies tertii mensis tunc sequentis, & coæquare ita illos tres menses, quòd non expendans, ultra 9m. libras inter quoslibet tres menses, vel ad minus quibuslibet quatuor mensibus, ita quòd non ascendant ultra 12m. libras quibuslibet quatuor mensibus, & si oportuerit dari pecunia patronis Arsenæ, faciemus ad minus cum duobus capitibus de XL., simul cum Domino Duce, sicut fuit opportunum, & residuum totius intratæ, & redituum Communis conservetur in Procuratia, & cùm oportuerit expendatur, ut est per Consilium ordinatum, & secundùm formam hujus capitularis, & addatur in capitulari Procuratorum, quòd prædictam pecuniam, & clavem conservent, & non permittant ipsam pecuniam, nec de ipsa extrahi, nisi sicut est per Consilium ordinatum, & secundùm formam sui Capitularis: & Consiliarii, & Capita de XL. non possint ponere de revocare prædictam, nisi per quinque Consiliarios XXX. de XL. & duas partes majoris, & hoc intelligatur salva provisione D. Ducis tam pro facto Ecclesiæ Sancti Marci, quàm de aliis omnibus, & salvo salario ipsius D Ducis, & salvo Consilio de danariis XII. pro libra, qui redduntur de prode imprestitorum, & consilia de ligatione pecuniæ dentur dictis Procuratoribus & Camerariis Communis, *ex Capitulari Consiliariorum cb. 115.*

(c) *In Codice Ambrosiano hæc adduntur*: Hujus Ducis temporibus, quod duravit à MCCLXXX. ad MCCLXXXIX. errorum, & guerrarum immensa discrimina inter Patriarcham Aquilejensem Comitem Goritiæ, & Istros ex parte una, & Venetos ex altera non cessarunt, & potissimè contra Tergestinos potissimùm, qui Venetos vehementer molestabant, unde Anno Incarnationis Domini MCCLXXXIX. die VIII. Martii, Venetorum Respublica magnum fecit exercitum præparari adversùs Civitatem Tergesti, mittens Capitaneum exercitus Marinum Mauroceno, dictum Bezeda, in quo exercitu de singulis tribus Civibus unus ad dictum exercitum fuit transmissus, quam Civitatem in obsidione ponentes, ibi circa eam castrametati sunt pro sua tutela, & dictæ Civitatis strictura, certas fortilitias facientes, & postea Civitati dare bellum cœperunt, quod prima vice datum ad rumorem Populi processit inordinatè, itaque eidem Civitati nullum incommodum attulerunt.

Posthac Patriarcha Aquilejensis, & Comes Goritiæ cum VIm. equitum, & XXXm. peditum in Tergestinorum subsidium accedentes circa Venetum exercitum castrametati sunt, usque ad eorum fortilitias discurrentes, in qua cursione quatuor de suis militibus, quorum unus erat

facere volens, Officium frumenti de novo statuit. Deinde laudabiliter ad Dominum emigravit, sepultusque fuit apud Fratres Prædicatores, elapsis ab initio sui Ducatus annis VIII. mensibus VII.

PEtrus Gradonico Dux per modum electionis ad hanc sedem accessit Anno Domini MCCLXXXIX.

Existens enim Potestas Justinopolis ab Electoribus die Sanctæ Catherinæ XXV. Novembris Dux pronunciatus est.

Post triduum Pancratius Barbo, Hieremias Ghisi, Rogerius Mauroceno, Marcus Baseglio, Andreas Zeno, & Nicolaus Quirino Consiliarii & Rectores Ducatus, & Marcus Baduario, Petrus Teupulo, & Andreas Grimani Capita de quadraginta, decreto summi Consilii XII. solemnes Nuntios, qui in crastinum Justinopolim pro Duce ipso Venetias honorificè associando cum galêis V. & ligno uno armatis accederent, elegerunt, videlicet:

Marinum Mauroceno,
Paulum Quirino,
Marinum Gabrielem,
Michaëlem Teupulo,
Leonardum Bembo,
Leonardum Venerio,
Marcum Faletro,
Leonardum Ghisi,
Marinum Baseglio,
Leonardum Justiniano,
Joannem Cornario Procuratorem,
Joannem Zeno.

Regimen igitur Ducatus die tertio Decembris feliciter est ingressus. Hoc tempore Achon, & reliquæ Civitates Syriæ de dominio Christianorum ereptæ fuerunt.

Inter Venetos quoque, & Januenses schisma, & turbatio per totum tempus prælibati Ducis fuit. A quibus hinc inde stoli magni præparati fuerunt in diversis vicibus, & ad invicem, ut poterant, sese posse tenus offendebant. Tamdem ab ambabus partibus, carceratis omnibus liberatis, interpositione Domini Matthæi de Vicecomitibus Vicarii Generalis Imperii, & Mediolani Capitanei pax inter eos solidata exstitit.

Et tunc dictus Dux certitudine habita de proditione contra ipsum, & Patriæ statum, per Marinum Boconem Popularem, & complices ejus tractata, ipsos ultimo supplicio condemnavit.

Hic etiam Paduanorum superbiam, qui ad ipsius injuriam fortilitia juxta locum, vocatum *Peta di Bò*, construxerant, asserentium velle salem facere, armorum impulsione contrivit.

Dominium insuper Civitatis Ferrariæ accepit: propter quod Clemens Papa V. ipsum Ducem, & Venetos excommunicavit, quam tamdem dictus Dux sub dominio Ecclesiæ relaxavit.

Hæc, quæ italico charactere conscripta sunt, adduntur ex Cod. Ambrosiano.

ET ante excommunicationis revocationem ad ipsum Papam missi fuerunt Carolus Quirino, & Franciscus Dandulo, il Can, *qui in principio nihil agere potuerunt; reverso Carolo Quirino, demum post annos II. per Franciscum prædictum humiliato Papa, eidem datis XCm. ducatis, per Venetos reddita est Ferraria, & excommunicatio cassa.*

Qui Dominus Franciscus Dandulo vocatus est Can, quia ut obtineret à Papa relaxationem excommunicationis per bonum tempus apud Papam, ut eum humiliaret, sub mensa ejus jacebat. Tandem elapsis duobus annis clementiam suam obtinuit.

Anno Domini MCCXC. mensis Augusti in Vigilia Sancti Dominici de Nobilium, atque Magnatum Hungariæ beneplacito Serenissimus Juvenis Andreaxius de regno Hungarico honorabiliter exstitit coronatus: Sed præsciendum est, quòd ex quadam nobili Domina, nomine Thomasina sorore Domini Albertini Mauroceno Civis Veneti, dictus Rex Andreaxius ortus est. Fuit namque hic Andreaxius filius Stephani; cujus Stephani Genitor fuit Rex Ungariæ; quo defuncto, Regina uxor ejus, quæ Azonis Marchionis Ferrariæ soror erat, prægnans remansit. Videntes aliqui, attinentes ejus, quòd dictus Rex nullum in humanis Hæredem reliquerat, Re-

erat nepos Comitis Goritiæ, interfecti sunt, ac sequenti die treuguæ unius diei firmatæ sunt; & tunc compertum est, quòd quidam Girardatius à Lancis-longis prodere intendebat exercitum Venetum, dando Patriarchæ unam portarum fortilitiarum exercitus. Nocte igitur eodem Girardatio posito ad torturam, ipsoque veritatem sceleris apertissimè deferente, Capitaneus Venetus ipsum in expeditionem Patriarchæ, & opprobrium machinis decrevit mittere, & sic sequenti mane fecit opere complere. Interim verò Patriarcha, & Comes Goritiæ se de campo levantes, in Forojulium sunt reversi, post quorum discessum tum machinis, gattis, aliisque bellicis instrumentis, Veneti terra marique Tergestinam Urbem viriliter oppugnantes, intentionem suam minimè obtinere voluerunt, in quo bello centum homines Veneti nequiter perierunt. Posthac primi, & secundi ab exercitu discesserunt, & alii eorum loco ad obsidionem profecti sunt, sed cognito manifestè, quòd Patriarcha cum gentium multitudine in auxilium Tergestinorum suum parabat accessum, Veneti cum Capitaneo memorato, tanquam conflicti, relictis tentoriis, & fortilitiis, se ad partes Istriæ reduxerunt. Tergestini nempe victores, & ob hoc multa virilitate repleti cum aliquibus Lignis armatis sub noctis taciturnitate clam se cedentes, Caprulas invaserunt, & Marinum Silvio Potestatem dicti loci cum quadam ejus filia ceperunt, palatio priùs concremato, uxorem verò vetulam, & infirmam in pellicia relaxarunt. Deinde Metamaucum accesserunt, quod similiter combusserunt, & alia fecerunt, quæ obrobrii, & dedecoris fuerunt non modicum Venetorum.

Item eodem anno de mense Maji Soldanus Babiloniæ cepit Tripolitanam Urbem, quam fecit funditus ruinari, & cunctos Christianos in ipsa repertos mandavit occidi, & eodem anno inter Christianos, & Sarracenos treugua per decennium confirmata est.

Eodem tempore Nicolaus Quirino de Domo majori, & Marcus Bembo, qui erant pro Communi Venetiarum Ambasciatores in Curia Romana, comperto ibi de Tripolis captione Papæ obtulerunt XX. galeas pane, & aqua munitas si idem Papa illas ad suum stipendium armare volebat; qui prædicta gratanter acceptans, in sequenti mense Octobris eodem anno Tripolitanum Episcopum Venetiam destinavit pro armando ipsas, ultra quas Veneti ei exhibuerunt galeas quinque bene armatas suis expensis de omnibus opportunis. Quarum omnium galearum Archiepiscopus antedictus, & D. Jacobus Teupulo Capitanei fuerunt.

Prædictus Dux patriæ libertatem, ac honorem assiduè recogitans a Summo Pontifice Clemente Quinto obtinuit, quòd bona damnatorum de hæresi in Commune Venetiarum debeant devenire; ita tamen, quòd Commune ob hoc expensas faceret officio Inquisitionis opportunas.

A

Regni dominium nequiter usurparunt. His verò visis Regina vidua se reduxit apud Marchionem Ferrariæ fratrem suum, & ibi peperit cum lætitia Stephanum antedictum, qui postquam adolevit Venetias est profectus, ubi cum dicta Thomasina Mauroceno Matrimonium memorabile contraxit, ex qua duxit originem Andreaxius prædictus.

Verùm dictus Rex benignus filiam Alberti Ducis Austriæ sibi matrimonialiter copulavit, & non immemor maternorum propinquorum suorum Albertinum Mauroceno Avunculum ejus in Banum, & Ducem Sclavoniæ, Venetis consentientibus, constituit, & firmavit; Qui Albertinus insignia Banatus suæ armaturæ addidit cum honore. Anno Domini MCCXCI. Melchisadar Soldanus Babiloniæ CCm. equitum, peditumque CCCm. comitiva civitatem Achon, & alias Fortilitias Syriæ prima die Aprilis venit hostiliter visitare, qui per XLVIII. diætas resistentiam faciens, Achon, ut summo placuit Deo, die XVIII. Maji, viriliter cepit, quam statim, exceptis Moschedis, fecit funditus ruinari, & quot Christicolas utriusque sexus potuit reperire, occidi mandavit, sed quamplures fugâ arreptâ Cyprum versùs, & aliò fugerunt, & sic Achon, & alia multa loca, quæ Christiani in illis partibus possidebant, de eorum manibus nequiter sunt sublata, & Babilonicus Soldanus Dominium Syriæ requisivit in totum.

Hoc præterea tempore per Marcum Bembo, & Henricum Dauro Ambasciatores Communis Venetiarum fuerunt treuguæ cum Januensibus per quinquennium renovatæ.

De Pace cum Aquilejensi Patriarcha, & aliis.

EOdem etiam tempore errores, & guerræ tempore Prædecessorum hujus Ducis exortæ inter Aquilejensem Patriarcham, Comitem Goritiæ & Tergestinos ex una parte, & Venetos ex altera nunc & probitate, & provisione hujus incliti Ducis, die XI. Novembris Indictione XIV. ad quietam, & pacificam concordiam redactæ sunt per Thomam Quirino, Petrum Basilio, Petrum Zeno, & Rogerium Mauroceno.

His verò temporibus inter Ducem Venetorum & Imperatorem Constantinopolitanum maxima suscitatur discordia, ob quam Dux plures armavit galéas, Pancratio Maripetro Capitaneo existente, qui dum certa loca Imperii damnificasset, & de Insula Lango similiter facere vellent, cum damno & vilipendio retrocessit; sed hoc non suo defectu, sed suarum gentium inordinatarum, quoniam ordines datos per dictum Capitaneum observare nullo modo voluerunt, sed sicut inordinatè cum hostibus se gesserunt, ita & similiter fugierunt. Dumque dictus Capitaneus Venetus remeasset, à cuncto Populo spretus malè receptus est.

Anno Domini MCCXCII. exivit de Venetiis stolus quamplurium galéarum, de quo Jacobus Theupulo dictus Scopulonatus olim Domini Ducis fuit in Capitaneum deputatus. Hic navigans primùm in Romaniam, damnum non minimum hostibus intulit: Postea verò reversus ad Insulam de Lango, ipsam viriliter debellavit, & plures Græcos cepit, inter quos fuit unus nequissimus Chalojanus proditor, cui fecit illico caput amputari; his verò gestis cum honore maximo Venetias est reversus.

Januenses, spretis treuguis, bellum suscitant.

CUm treuguæ inter Venetos, & Januenses à tempore Laurentii Theupulo Ducis hucusque durassent, & hujus Clarissimi Ducis tempore usque ad Sanctum Petrum mensis Junii de MCCXCVI. fuerant confirmatæ, ut superiùs est expressum. Nunc autem Januenses maligno spiritu instigati, spretis treuguis, Venetos ubique, & præsertim in Romania damnificare, & molestare cæperunt; propter quod Dux Providus galéas mercatorum, quæ tunc Lajatium ire debebant cum pluribus galéis armatis pro securitate dictæ armatæ repentè transmisit, Marco Basilio Capitaneo existente, post cujus recessum Duci

B

tali à nova consonant, quòd Januenses galèæ XX. pro damnificanda armata prædicta erant simul associatæ, qui statim galèas V. cum Cattarino Zane Capitaneo ad armatam prædictam transmisit, quæ omnes Venetæ galèæ unitæ in summa XXVIII. pro evitando litigio versùs Hermeniam dirigens gressus suos, ecce galèæ XX. Januensium apparuerunt, quæ ipsis obviam veniebant, sed appropinquantes, & videntes Venetorum stolum suo esse majorem, fugere cæperunt. Tunc Venetus Capitaneus duos dies hostium galèas insecutus, ipsas minimè obtinere potuit. Elapsis verò diebus aliquot, Venetorum galèæ prædictæ tres naves Januensium ditissimas mercibus oneratas viriliter capiunt. Januenses

C

verò nova talia sentientes, armatis pluribus galèis, & lignis, & cum antedictis XX. galèis eorum unitis, quarum fuit Capitaneus & Armiratus Nicolaus Spinola, ad reperiendum Venetorum armatam Lajatium transmiserunt. Erant verò galèæ Januensium XXXI. summariè in hoc numero computatis lignis vel fustis XI. cum remis, *in quibus insimul repertis bellum inter se asperrimum Anno Domini MCCXCIV. mensis Septembris incæptum est; sed tandem Januenses victores audacter Venetos miserabiliter in conflictum posuerunt, XXV. eorum galèis cum Capitaneo mercatoribus, & mercationibus captis, reliquæ verò tres ex fuga remedio se salvarunt.*

D

De armata Venetorum contra Januenses denuo.

HOc novum perventum Venetiis omnibus grave fuit, maximè habito respectu, quòd flos hominum maritimorum detentus & captus erat. Quo dolore Veneti indignati non minùs animosè contra Januenses exercitum parare decreverunt. Currentibus itaque annis Domini MCCXCIV. galèæ LX. armatæ sunt, quarum Capitaneus Nicolaus Quirino decretus est, qui in diversis partibus Januenses damnificavit: præsentiens verò, quòd de Janua XL. galèæ

E

exiverant, & apud Siciliam jam appulerant, cum suo felici exercitu pro eis reperiendis versùs dictas partes festinanter progrediens, ad buccam Fari de inimicis visionem habuit, atque unum diem eos audacter insecutus, non eas consequi potuit; quia Januensium galèæ subtilissimæ erant, Venetorum verò grossissimæ. Transacto nempe aliquo tempore, dicto Capitaneo relatum est, quòd dictæ galèæ ad disarmandum in Januam reversæ erant, qui dum tutasset, & sociasset navigia Venetorum, cum salute repatriavit. Quæ relata Capitaneo antedicto inveridica reperta sunt. Imò Januenses fraudibus pleni

pleni demonstrantes Januam velle reverti, Barbariam circumdederunt, & Cretensem Insulam accesserunt, ubi Caneam subitò aggredientes animosè ceperunt, cùm Incolæ dicti loci, & Rector ejus non valuissent contra ipsos tam citò reparare, quam Civitatem comburentes in locis pluribus hostes prædicti postea Januam reversi sunt.

Januenses Venetorum Caravanam diripiunt.

Anno Domini MCCXCV. magna Caravana cum galéis X. bene armatis in Consortio de Venetiis recessit (*) *cum Andrea Dandulo eorum Capitaneo, qui Methonum recto tramite navigavit, ubi sentiens, quòd galéæ Januenses VIII. tunc extra Sapientiam transibant, statim dimissa in Methono suarum navium Caravana, cum suis X. galéis inde recessit, circumgirans ab uno latere Sapientiæ Insulam, & posuit se in mare. Januenses verò de dictis galéis penitus ignorantes, sed de Caravana navium certificati, quòd in Methono esset, circumdantes ex opposito Insulam dictam, tanquam ignari de galéis prædictis ab alio latere venerunt Methonum, destruentes in totum Caravanam navium nominatam, ubi de galéis Venetis sentientes, illico abierunt. Capitaneus verò Venetus postquam per plura milliaria se posuisset in mare, & de hostibus non habens aliquam visionem cum mœrore Methonum reversus est, ad quem locum præsentiens infortunium antedictum, & qualiter occurrerat in animo, suscepit mœstitiam non modicam, & dolore subito cum galéis suis secedens inde de inimicorum galéis habuit visionem, quas per unum diem, & noctem viriliter insequens, eas minimè consequi potuit.*

Veneti Januenses naves comburunt.

Anno prædicto galéæ X. armatæ de Venetiis exiverunt; Matthæo Quirino de Domo Majori Capitaneo destinato, qui navigans versùs Cyprum, naves duas Januensium cepit, à quibus certificatus, quòd in loco vocato Limisso erant aliæ duæ naves Januensium; quapropter illico illuc accurrit, ipsasque captas incendio concremavit. Postea in terram descendens, quandam Januensium turrim fortissimam funditus ruinari fecit, hisque viriliter peractis cum tali honore, & victoria Venetias retrogressus est.

Anno eodem MCCXCV. Januenses apparatum maximum galéarum faciunt; à die namque XXVI. Julii usque ad medium mensem Augusti galéas CC. armarunt, quarum Gubernatorem & Admiratum Dominum Ubertum Auria statuerunt, qui ut dictæ galéæ meliùs possent esse fulcitæ, in CLXV. reduci fecit, & cum ipsis usque Messanam audacter navigavit. Quod Veneti sentientes, territi contra eos non valentes resistere armare cessarunt: Sed omnibus suis Rectoribus Civitatum maritimarum notificando mandaverunt, ut de locis sibi commissis, occasione prædicta, vigilem attentamque custodiam haberent, ob quam provisionem minus damni, vel læsionis eo tempore senserunt.

Veneti dolosè detenti trucidantur.

Anno Domini MCCXCVI. galéæ XX. bene armatæ cum Domino Marco Michaële Capitaneo de Venetiis exierunt, & eodem anno M. Bembo accessit Constantinopolim in Bajulum Venetorum. Tunc Januenses tantum cum Romeorum Imperatore tractarunt, quòd ad requisitionem eorum Bajulum præfatum, omnesque Venetos existentes ibidem fecit detineri personaliter, & in quandam turrim cunctos detrudi, quos omnes Januenses postea trucidarunt, quo execrabili facinore Dux commotus, & de tanta austeritate ac proditione Imperatoris vindictam affectare cupiens, illico galéas XL. armari fecit, quæ simul cum prædictis XX. esse deberent, quarum omnium Rogerius Mauroceno dictus Malabranca Capitaneus, vir animosissimus, Generalis constitutus est; Quo tempore Januenses XLIII. armatis galéis venerunt Methonum volentes ibi in terram descendere: sed M. Michaël, qui cum galéis XIII. dicto loco præerat, audacter hostes votum suum adimplere prohibuit. Januenses autem non valentes facere quod volebant, in Romaniam perrexerunt, & galéas VII. Venetorum, quæ Bajulum portabant insecutæ fuerunt, quæ fuga se salvarunt. Recessis verò galéis Januensibus antedictis, Rogerius Mauroceno VIII. die post recessum hostium cum sua armata Methonum salubriter applicuit; Qui cum galéis XIII. M. Michaëlis & suis, quæ fuerunt in summa LIII. à Methono decessit, & pergens versùs Romaniam, apud Chium reperit galéas VII. quæ evaserant hostes, ut supra dictum est, ubi dimisso Marco Michaële cum galéis XX. ut à Negroponte inde diligenter custodiret, ipse cum reliquis quadraginta versùs Constantinopolim, quàm citiùs potuit, navigavit, unde galéas XXII. Januensium usque ad locum, vocatum Lalgiro, fuit viriliter insecutus, sed nec consequi potuit: Quare ira frendens, cunctas possessiones, & habitacula inventa à Largiro usque Peyram incendio concremavit, nec hoc contentus, apud Constantinopolim, & Peyram multas Januensium, & Græcorum naves ibidem existentes igne cremavit, ipsam Peyram manu armata potentissimè debellavit, quam obtinens ex toto destruxit, postea verò Blanchernam, ubi sedebat Imperator, accessit, plurimosque audacter insultus ibi faciens, eam minimè obtinere potuit, tamen quandam magnam Imperatoris navem muris adhærentem vi armorum extractam concremavit.

His ita peractis victor Capitaneus à Constantinopoli discedens Foliam-veterem per Januenses injustè detentam celeriter navigavit, & cepit, & quia ars Saponariæ ibidem fiebat, Caldaria, & alia artificia his opportuna accipi fecit, & cum tali honore, & victoria Venetias est reversus. Tunc Imperator Constantinopolitanus de damno sibi illato non immemor, multos mercatores Venetos in suo repertos Imperio in havere, & personis retineri mandavit.

Veneti Capham destruunt, & Januenses naves capiunt.

Eodem Anno Dominicus Sclavo popularis Venetus cum duabus (*alibi XX.*) *galéis subtilissimis bene armatis de Venetiis recessit, qui magna damna Januensibus, & Imperatori in mari majore fecit. Item eodem anno in Venetiis galéæ XXV. armatæ sunt, quarum Capitaneus Joannes Superantio electus est: Hic directè Constantinopolim navigavit, & galéam unam Januensem armatam habuit & recepit, ubi galéas duas prædictas invenit, & postea cum*

(*) *Alibi* quarum galearum Andreas Barocio extitit Capitaneus.

tum suis galèis intravit in mare majus, & multa navigia Januensium cepit, discurrendo usque ad Capham locum Genuensium quam cum sua gente viriliter debellavit, & tandem ipsam habuit, navesque quatuor cum duabus hostium galèis cremando destruxit. Posthac reverti volens, supervenientsque impietas temporum, & hyemis asperitas, quod in Gazaria usque ad amænitatem novi temporis hyemare convenit.

Veneti Januensium naves comburunt.

A *Nno Domini MCCXCVII. galeæ XV. (alibi XIII.) cum Matthæo Quirino de Domo majori earum Capitaneo de Venetiis discesserunt, qui Ragusiam applicans per duos dies ibi moram fecit. Eodem quoque tempore Joannes Superantio cum galèis solummodo XVI. remeavit, quoniam residuæ gentes suæ propter durissimam hyemem, & victualium indigentiam perierant. A Ragusio verò secedens Matthæus Quirino, Siciliam versùs iter arripuit, inventasque duas Januenses naves in Palermo, eas viriliter cepit & igne consumpsit, alia verò multa damna hostibus faciens, in Gulphum juxta Ducis mandatum redit. Eodem quoque anno Frosius Mauroceno animositate repletus cum IX. galèis armatis de Venetiis exiit, & in Romaniam profectus est, ubi quinque naves Januenses cepit, postea Famagustam celeriter navigavit, & navim quamdam Januensem subtus turrim Famagustam, secus cathenam subtractam invitis Januensibus, & Cypriis foris extraxit, ipsamque in eorum oculis cremari jussit; deinde verò secedens, & applicans Armeniam per gentem suarum galèarum, Lobium Januensium funditus everti fecit; postea in Gulphum veniens Matthæum Quirino Capitaneum reperit, qui simul recedentes, ad quemdam locum, vocatum Montella, duas galèas Januenses reperientes ceperunt; Eodem Anno MCCXCVII. de Venetiis galeæ XL. exierunt, de quibus Andreas Dandulo, prænomine Callonatus, olim D. Johannis Dandulo Ducis fuit Capitaneus Generalis, qui recedens de Dalmatia cum Matthæo Quirino, & Frosio Mauroceno Capitaneis antedictis cum LXII. galèis apud Sasinum habuerunt visionem plurium galèarum hostilium, quas multos dies & noctes insecutus usque ad partes Tuneti discurrens; ubi navem unam hostium ditissimam valoris C. M. Ducatorum reperiens cepit. Reversusque Drepanum, ibi, & in aliis partibus naves hostium XXII. cepit; Posteaque cum dicta nave ditissima Venetias est reversus, Matthæo Quirino cum suis XIII. galèis ad Gulphi custodiam relicto, Anno Domini MCCXCVIII. galeæ LXXXV. cum Lamba Auria Armirato de Janua exierunt, & versùs Gulphum Veneticum gressus suos festinitate quàm maxima dirigebant. Quæ Dux sentiens, maximum exercitum galèarum parari jussit, cujus Capitaneus animosissimus & sapiens Andreas Dandulo cognominatus electus est; Qui Curzulam quàm primùm navigavit, ubi cum galèis XCV. bene armatis se invenit, attendens ibidem Januensem armatam, & Matthæo Quirino suprascripto dedit licentiam Venetiis reverti, cùm hostium galèas aliquomodo non timeret; Qui Matthæus repatrians apud Jadram Januenses jam Gulphum intrasse, novo certissimo persentivit, statimque læto animo cum tribus galèis armatis de Jadra Cursolam est reversus, postquam paululum stolus hostium ibidem applicuit; Januenses autem videntes tantum exercitum Venetum, valde admirati sunt, & pavore compressi, à Venetis pacem, & misericordiam implorarunt; Veneti verò in arrogantiam elevati facere recusarunt: Quod Deo, & hominibus fuit ingratum, & odiosum; Veneti igitur ad bellum parati contra opinionem Capitanei in die Sanctæ Mariæ Septembris in prædicto millesimo in Januensium armatam viriliter irruerunt: ictuque primo galeæ X. Januenses sunt exterminatæ, quapropter Veneti insultantes, aviditate nimia, inordinati irruentes, nonnullæ suarum galèarum zephyro impellente ad terram projectæ sunt; nonnullæ hoc viso, timiditate, & codardia in hostes ferire numquam ausæ sunt; Tunc Januenses, qui jam in conflictum deducti erant, videntes Venetorum inordinatum modum, & galèas eorum unam ab altera stare divisas, continuò uniti, signoque dato contra hostes viriliter insurgunt, & irruunt, ipsas in conflictu ponentes; Quare Veneti territi, qui potuerunt cum suis galèis remedio fugæ liberati sunt, & quàm primum Venetias redierunt; Cæteræ verò, quæ numero LXV. fuerunt, cum earum Capitaneo in manus hostium pervenerunt, in quo quidem bello Capitaneus Venetus audacissimè se cum sua galèa gessit, sed post dies paucos dolore maximo defunctus est; Interfecti verò fuerunt Matthæus Quirino prædictus & Petrus Justiniano Supra-Comites, multique audacissimi viri; Januenses verò quamquam victoriam habuissent, tamen non minus damni, quàm Veneti receperunt. Clugienses verò qui X. galèas in dicto stolo habebant, viriliter, animosèque se gesserunt. Item & Jadratini cum quinque galèis audacter fecerunt: Quapropter in conflictu major utrius eorum pars interfecti, & trucidati sunt. Nec dubium, si Veneti, ut prænominati eorum subditi, se gessissent, certissimè nunquam in conflictum deducti essent. His itaque gestis Januenses cum victoria, & triumpho Januam reversi sunt.*

Dux igitur, & Veneti postquam de conflictu habito præsenserunt statim galèas C. de novo fabricari, & armari jusserunt, Capitaneum, & Supracomites eligentes: Verùm quia tunc temporis Januenses Guelfi à Gibellinis extra Januam expulsi fuerunt, Veneti cum his colligati sunt, & quia eo tempore in Venetiis Ballistæ, & Ballistarii malè eo tempore poterant reperiri usque ad partes Cathelonicas Ballistæ ad sufficientiam emptæ fuerunt, & ultra hoc octo Cathelani præfati ad stipendium per Venetos accepti fuerunt, & Venetias venerunt.

Januenses super Methamaucum veniunt.

A *Nno verò 1299. Januenses contra Venetos tantam animositatem habere cœperunt, quòd in obrobrium & dedecus eorum cum duabus galèis usque supra Methamaucum venire ausi sunt. Ob quam causam Veneti statim tres galèas subtilissimas cum Supracomitibus popularibus armarunt, & Dominicum Sclavo popularem virum fortissimum in ipsarum Capitaneum decreverunt, quæ galeæ anno prædicto mense Martii de Venetiis exierunt, & versùs Majoricam navigantes, galèam unam desarmatam Januensem cœperunt, & revertentes in Siciliam, die XXV. Maji X. Januensium naves in pluribus locis ceperunt, quo die, ut infra patet, inter partes pax & concordia facta est: Præterea iste Dominicus Sclavo cum suis galèis in portum Januæ usque perrexit, & nummum super Molum Januensium fabricavit, po-*

postea multis naviliis concrematis in dicto Portu cum honore, & gaudio Venetias reversus est.

De pace inter Venetos, & Januenses.

HOc tempore Januenses habentes veridicè, quòd multæ galéæ Venetorum suum præparabant accessum, valde admirati sunt, cùm Venetos in totum destruxisse credebant, & quòd galéas aliquas quasi armare nequirent. Qui tandem habito respectu, quòd pax semper bonum inducebat, guerra verò malum, contenti fuerunt ad pacem & concordiam cum Venetis pervenire; Cujus guerræ tempore multi Principes, & Magnates interponere se de pace volentes ad nihilum partes reducere potuerunt: Sed ut summo placuit Creatori, qui omnium est salus, & vita, Magnificus D. Matthæus de Vicecomitibus Dei gratia Sacri Imperii Vicarius in Lombardia, & Mediolani Capitaneus Generalis, pacis inter dicta Communia exitit mediator, quam anno Domini MCCXCIX. die XXV. Maji suo prudenti ingenio effectualiter deduxit cum honore, & contentatione utriusque partium. Multis eo tempore ex Supracomitibus Venetorum pro Curzolæ facto detentis, & de aliis, qui eodem bello secus Curzolam timiditate fugerunt, in carceribus inclusi sunt, commissumque est Advocatoribus Communis, ut diligentem inquisitionem deberent facere super eis, qui examinato negotio, quamplures culpabiles repererunt, (*) de quibus supplicium sumptum est.

Hujus Ducis tempore cum Patriarcha Aquilejensi discordia sedata est, pactis primis permanentibus; iterum inter partes exorta discordia in MCCIII. mense Januario pax facta est.

Hoc tempore propter novitates, quas Constantinopolis Imperator inferre Venetis quotidie non cessabat, Dux aliquarum galearum, & lignorum XXIV. tam in Venetiis, quàm in locis subditis fecit armatam, de qua Belletus Justiniano Capitaneus fuit destinatus, qui navigans Constantinopolim, & sentiens duritiam Imperatoris, quam contra Venetos conceperat, statim multos Græcos, quos ceperat, in conspectu omnium laqueo suspendi mandavit, & multa Casalia, & mansiones, quæ extra muros Constantinopolis erant, concremavit. Videns verò Imperator audaciam Capitanei ad concordiam damnis illatis refectis declinavit; His itaque gestis Capitaneus dictus repatriavit.

Hoc etiam tempore multæ proles Surianorum, quæ de Achon, & partibus Syriæ fugerant propter novitatem Regni expulsæ, Venetias habitare venerunt.

Hic Dux cum suis consiliis ordinatis aliquos populares de majori consilio esse decrevit. (**)

Eodem tempore quidam Marinus Boconus, qui adversùs Ducem proditionis tractatum inierat cum complicibus suis detentus omnes inter duas columnas suspensi sunt.

De pace cum Alexio Calergi.

CUm inter Commune Venetiæ, & Alexium Calergi Magnatem Insulæ Cretæ jam annos XVIII. discordia, & guerra durasset, auctore Vitale Michaële Duca Cretæ in pacem tranquillam, & bonam reducta est cum honore maximo Venetorum.

De reversione Alexii Calergi ad Nuncios Januensium.

HIc Alexius tempore guerræ cum Januensibus nuper præteritæ per solemnes eorum Ambasciatores allicitus, ut contra Venetos esset, hoc eis dedit responsum: quamvis cum Communi Venetiarum ad præsens habeam aliquam novitatem, quod mihi tamen fuit, & est gravissimum, & molestum, tamen si possibile foret, quòd in mari possem ut in terra meam potentiam dominare, certissimè contra vos essem gladius pessimus, & acutus, *ipsosque talibus responsis licentiavit.*

Hic Dux cum Imperatore Romeorum treuguas decennales fecit.

Anno Domini MCCCIX. mense Martio per menses sex contra Patriarcham Aquilejensem, & Comitem Goritiæ cum pulchro exercitu pugnatum est, tandem pax inter partes benignissimè celebrata est. Cum Imperatore præterea Constantinopolitano treuguas per annos XII. solidavit.

Bajamontem etiam Teupulo pessimum proditorem cum suis complicibus conantes Domini tunicam inconsutilem scindere, & dominium de manibus communiter regentium hostiliter arripere, de Patria cum rebellibus & proditoribus exulavit; & Consilium de Decem contra ipsos & reliquos statum Patriæ turbare volentes tunc instituit.

Nomina Proditorum, qui unà cum heredibus exterminati, & eorum bona confiscata fuere, quia non servaverunt confines, & mandata Ducis.

Bajamons Teupulo,
Petrus Quirino Sanctæ Justinæ,
Simonetus Quirino,
Nicolaus Quirino Durante,
Andreas Dauro,
Nicolaus Barbaro,
Pizagallus Quirino,
Nicolaus Barozi,
Andreas & Nicolaus Teupulo filii Jacobi Teupulo filii Pauli,
Thomas Quirino Sanctissimæ Trinitatis,
Petrus Pedonus,
Marcus Bagatinus,
Marcus Cornacla,
Petrus Quirino de domo Magistri,
Angelus Baduario,
Theodosius Barozi quondam Marci,
Thomas Baduario filius Bane,
Nicolaus Quirino Zottus,
Nicolaus Quirino quondam Marci,
Nicolaus Vendelino,
Joannes Lumbardo,
Franciscus Paulo,
Ilarius Samitarum,

Demum cùm ducasset annis XXI. mensibus IX. humanæ vitæ debitum persolvit, & apud Sanctum Cyprianum de Muriano sepultus requiescit.

Ma-

(*) *Alibi*, & volentes procedere contra ipsos in Consiliis, omnes precibus & amore absoluti fuerunt; qui tamen præsentium & futurorum in exempla pessima relaxarunt.

(**) Hoc significat clausuram Majoris Consilii.

MArinus Georgio Dux Ducatum, ordine electionis observato, ascendit Anno Domini MCCCXI. die XXII. Augusti.

Hujus tempore Venetorum Provincia ob Ferrariæ dominium in excommunicatione permansit. (*)

Præfuit namque Ducatui mensibus X. & X. diebus. Deinde exspirans Monasterium Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici in ejus ultima voluntate fieri jussit, & de bonis sibi à Deo concessis ipsum prædotavit. Apud Fratres Prædicatores tumulatus jacet.

Quadraginta & unus, qui Marinum Georgio Ducem elegerunt, sunt.

Joannes de Fontana,
Gabriel Triviiano,
Sclavolinus Bembo,
Philippus Carrario,
Girardus Signolo,
Paulus de Maestro,
Thomas Ciurano,
Joannes Dandulo,
Marcus Dandulo,
Petrus Ghisi,
Bartholomæus de Ripa,
Marinus Pisano,
Marinus Gradonico,
Joannes Bondimerio,
Nicolaus Arimundo,
Nicolaus Phaletro,
Nicolaus Zanne,
Jacobus Frino,
Marinus Mauro,
Philippus Belegno,
Marinus de Contareno,
Aurius Pasqualici,
Tiofius Mauroceno,
Petrus Zeno,
Perinus Justiniano,
Gabriel Natale,
Nicolaus Diedo,
Thomas Bollano,
Thomas Barbadico,
Nicolaus de Canali,
Vitalis Michaël,
Philippus Cornario,
Joannes Mocenico,
Marinus Superantio,
Joannes Delphino,
Andreas de Scala,
Marcus Barbo,
Joannes Steno,
Joannes Premarino,
Marcus Caroso, &
Joannes Bragadino.

JOannes Superantio Dux ad hunc gradum promotus fuit Anno Domini MCCCXII. die XIII. Junii.

Hic Jadratinos sibi rebelles ad fidelitatem reduxit; absolutionem etiam excommunicationis à Clemente Summo Pontifice obtinuit; & stolum galëarum, cui præfuit vir Nobilis Paulus Mauroceno, pro conservatione Insulæ Nigropontis destinavit.

Insuper Civitates Spalati, Tragurii, Sebenici, & Nonæ dimissa erroris caligine, sub dominio Ducali redierunt.

Procuratores etiam, qui quatuor erant, sex de cetero esse decrevit, & sex Capita Sexteriorum pro sublevatione Dominorum de Nocte, qui custodiam Civitatibus soli facere non poterant, de novo fecit. Hoc tempore galias etiam XLIV. bene munitas pro reprimenda Januensium sorde piraticam exercentium, ad ipsorum Civitatem Peram nomine cum Nobili viro Justiniano ipsarum Capitaneo generali, cum multis Nobilibus Supracomitibus, destinavit; & cùm dictus Capitaneus ibidem applicuisset, cum Januensibus sibi imminens periculum considerantibus, damnorum restitutione priùs facta, pacem composuit (**) Et ultimo sui Ducatus anno contra Jacobum Quirino, Jacobum Barocio, & Marinum Barocio proditionem Patriæ posse tenus procurantes, capitalem sententiam auctoritate sui Consilii ad hoc deputati fulminavit.

Deinde transactis ab ejus regimine annis XVI. mensibus VI. ad Dominum transmigravit, & apud Sanctum Marcum in Ecclesia Baptismali in pace requiescit.

Quadraginta & unus, qui Joannem Superantio Ducem elegerunt, sunt.

Justinianus Justiniano,
Cresus Cornario,
Henricus Michaël,
Jacobus Geórgio,
Gabriel Natale,
Joannes Delphino,
Augustinus Valaresso,
Marinus Memmo,
Thomas Ciurano,
Hermolaus Gezo,
Andreas de Scala,
Joannes Basejo,
Petrus Juliano,
Joannes Steno,
Nicolaus de Canale,
Michaël Trivisano,
Symon Aventurato,
Andreas Gomberto,
Marinus Foscareno,
Nicolaus Pisano,
Raynerius Justo,
Petrus Zeno,
Fantinus Dandulo,
Petrus Polano,
Stephanus Gradonico,
Thomas Superantio,
Bartholomæus de Ripa,
Andreas Cornario,
Girardus Signolo,
Joannes Caucho,
Nicolaus Mauro,
Joannes de Fontana,
Nicolaus Venerio,
Petrus Vitalis,
Panzanus Zane,
Nicoletus Acotanto,
Tiofius Mauroceno,
Marinus Phaletro,
Petrus Contareno.

Fran-

(*) *In margine Codicis Ambrosiani:* Hujus tempore Jadra, quæ rebellavit tempore supradicti Ducis non potuit recuperari, quia cùm obsideretur, fraude Capitanei terrestris derelicta est obsidio.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani:* Reperi in aliis Annalibus, quòd primò armatæ fuerunt XIV. galeæ, quæ naves octo Januensium ceperunt, quas per octo mille ducatonos redemerunt, & multa alia damna illata. Secunda vice idem Dominus Justinianus cepit XXXIV. fustas Januensium.

A Francifcus Dandulo Dux hoc præcelfum, & magnificum folium per formam electionis afcendit, currentibus ab Incarnatione Domini noftri Jefu Chrifti Annis MCCCXXVIII. die . . . . Januarii.

Hic in introitu fui Ducatus neceffitatem bladi inveniens, Nobilem virum Nicolaum Faletro Capitaneum plurium galearum & navium ad Siciliæ partes tranfmifit, unde magnam bladi fummam recuperavit, & Venetias rediit. (a)

Hoc tempore etiam Civitas Polæ, quæ vinculo fidelitatis Venetis erat adftricta, liberè ipfius Civitatis dominium fub Ducali protectione pofuit. Et illud idem illi de Valle fecerunt, de quo Paganus Aquilegienfis Patriarcha fentiens fe gravatum, exercitum congregavit; fed B tamdem refiftere non valens, per pacta inita ipfæ Civitates fub Ducali dominio remanferunt.

Ifte Dux zelo fidei Catholicæ cum Joanne XXII. Summo Pontifice, & Rege Franciæ, Imperatore Conftantinopolitano ligam contra Turchos, & unionem compofuit; qua durante fecuritas maxima Chrifticolis in Romaniæ partibus refidentibus, & damna Turchis data fuerunt. Sed ceffante dicta unione propter mortem Summi Pontificis, Chriftiani antedicti ab ipfis Turchis moleftias, & incurfiones maximas receperunt. (b)

Infuper hujus tempore Albertus & Maftinus de la Scala detentores Marchiæ Trivifanæ, Ve- C ronæ, Brixiæ, Parmæ, & Lucæ, fuperbia elati, in Venetorum contemtum contra pactorum formam, juxta locum vocatum *Peta di Bò*, Caftellum fortiffimum fabricaverunt. Quod ftrenuus Dux fentiens, ex oppofito ipfius fortilitia ordinavit; & de hoc non contentus, cum Communi Florentiæ ligam compofuit, & exercitum militum & peditum in numerofa quantitate in partibus Mottæ congregavit. Qui abinde tamdem recedens, inimicis reclufis, per Tarvifii & Paduæ Diœcefim tranfiens, in Buvolenta fe repofuit, & ibi fortilitium conftruxit. Et interea Caftrum ab ipfis juxta aquas conditum armorum vi à Venetis captum extitit. Civitatem quoque Paduæ ipfis rebellem, & fibi vinculo D facramenti fidelem fecit.

Albertus antedictus de la Scala in ipfius Civitatis rebellione perfonaliter captus fuit, & Venetias in carceribus conductus.

Civitas verò Brixiæ ad requifitionem ipforum fimiliter ipfis recalcitravit; & fic unionis exercitus juxta Veronam, Vicentiam, & Montemfilicis difcurrens, conflictus & damna inimicis fæpiùs contulit.

Interim Comitatus Cenedenfis, & Coneglani Caftrum fub Ducali dominio fe fubdiderunt; & fic prædictus Maftinus de la Scala confiderans fibi periculum imminere, à Venetis mifericordiam imploravit, quam relaxato dominio Tarvifii Civitatis & diftrictus fub Venetorum Po- E teftate, & Paduæ etiam diftrictus, & affignatis Florentinis IV. Caftris Comitatus Lucæ, & aliis honorabilibus jurifdictionibus ad petitionem Venetorum dimiffis, liberè & gratiosè confecutus fuit. Et pactis hinc inde firmatis, Albertus de la Scala fuæ priftinæ libertati reftitutus à prædicto Duce fuit. Qui fratres Venetorum gratiam affectantes, à prædicto Duce humiliter petierunt, fe in numerum fuorum Civium aggregari: quod eis liberaliter conceffum fuit; & tunc vinculo juramenti fideles effe perpetuò annuerunt. (c)

Hic Dux, ex his Venetorum famâ ubilibet publicatâ, elapfis ab ejus creatione annis X. menfibus X. de hoc feculo feliciter tranfmigravit; & in Capitulo Fratrum Minorum fepultus jacet.

Quadraginta & unus, qui Francifcum Dandulo Ducem elegerunt, funt:

Juftinianus Juftiniano Procurator,
Marinus Fufcareno Procurator,
Andreas Dandulo Procurator,
Nicolaus Mauro,
Nicolaus Arimundo,
Belletus Ciurano,
Nicolaus Faletro Procurator,
Petrus Grimani Procurator,
Catharinus Dalmario,
Joannes Delphino,
Jacobus Superantio,
Andreas Maripetro,
Dardus Babilonio,
Thomas Barbadico,
Philippus Belegno,
Marcus Vitalis,
Nicolaus Trivifano,
Andreas Bondomenio,
Petrus de Canali,
Joannes Michaël,
Lazarus Zanne,
Nicolaus Nani,
Bertucius Marino,
Marcus Briofi,
Paulus Donato,
Marcus Mauroceno Procurator,
Marcus Cuppo,
Marcus Diedo,
Petrus Barbaro,
Maffeus Georgio,
Thomas Trono,
Marcus Minotto,
Torinus Quirini,
Nicolaus Duodo,
Nicolaus Mudacio,
Joannes Cornario,
Blafius Zeno,
Benedictus de Molino,
Joannes Carofo,
Marcus Victurio, &
Joannes Zanchano.

Bar-

(a) *In margine Codicis Ambrofiani*: Hic Dux foldorum, & mezzaninorum nummum fabricare fecit.

(b) *In margine Codicis Ambrofiani*: In aliis Annalibus reperi, quòd ob paffagium fiendum creatur Capitaneus Petrus Zeno, qui ob mortem Papæ ceffante unione nihil egit.

Hujus tempore anno fcilicet MCCCXXXVI. treuguæ cum Imperatore Conftantinopolitano firmatæ funt per annos fex.

(c) *In margine Codicis Ambrofiani*: Reperi in aliis Annalibus, quòd tempore hujus Ducis Januenfes cum galeis octo reperientes Nicolaum Zeno Capitaneum quatuor galearum Flandriæ apud Monachum duas earum ceperunt contra jus, & fas. Similiter apud Rhodum reperientes Dominum Thomam Viaro Capitaneum octo fuftarum, quinque ex eis captis cum magna verecundia, contra dictum Dominum Thomam, & Supracomites, Venetias cùm applicuiffent, proceffum eft, & condemnati fuerunt.

Anno Domini MCCCXXXIX. tertia Octobris, captum in publica concione, vacante Ducatu, quòd in facto Palæftinæ, & Mathemauci, & Pupiliæ, de quibus ex confuetudine Duces fe intromittere folebant, de cætero Dominus Dux, quantum ad ea, quæ per ipfos agebantur, in ipfis fe intromittere nullatenus debeat.

BArtholomæus Gradonico Dux ab Electoribus, & concione publica laudatus fuit Anno Domini MCCCXXXIX. die septimo (*) Novembris. A

In cujus creatione universaliter decretum fuit, quòd sit in libertate Majoris Consilii de dando Rectore illis de Mathemauco, Pupilia, Torcello, & Pelestrina, totaliter remaneret Potestas, & primus, dictus Petrus Lando, Potestas fuit.

Hoc tempore Græci Cretensis Insulæ, dum ipsius Duca foret nobilis vir Andreas Cornario, contra Ducale Dominium rebellarunt, pro consumtione quorum Egregii viri Nicolaus Faletro, Justinianus Justiniano, & Andreas Mauroceno miles ibidem cum quantitate armigerorum perrexerunt, B ut erga rebelles potentes insisterent, & eorum pertinaciam submittere possent. (**)

Dictus Dux cùm ducasset annis tribus, mensibus duobus in Domino occubuit, & sub Porticali Sancti Marci tumulatus jacet.

Quadraginta & unus, qui Bartholomæum Gradonico elegere in Ducem, sunt.

Bartholomæus Gradonico,
Marcus Justinianus Procurator,
Marcus Lauredanus Procurator,
Andreas Dandulo,
Nicolaus Contareno,
Joannes Polano, C
Nicolaus Volpe,
Nicolaus de Molino,
Cresus Mudacio,
Paulus Signolo,
Michaël Faletro,
Stephanus Belegno,
Paulus Trivisano,
Joannes Superantio,
Paulus Zanne,
Blanchus Delfino,
Marcus Diedo,
Joannes Michaël,
Andreas Bondomerio,
Jacobellus Bollano,
Andreas Maripetro,
Philippus Barbadico,
Andreas de Musto,
Petrus Nani,
Nicolaus Superantio,
Marcus Quirino,
Victor Caroso,
Marinus Sagredo,
Nicolaus Caravello,
Dardus Bembo,
Pancratius Georgio,
Marcus Fuscareno,
Joannes Cornario,
Petrus de Canali,
Felix Vitalis,
Marinus Baduario,
Marcus Basejo,
Daniel Caucho,
Petrus Bragadino,
Franciscus Venerio,
Petrus Zeno.

(*) *Cod. Amb.* VIII.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc tempore videlicet MCCCXLI. die XXV. Februarii sub noctis taciturnitate aquæ duobus pedibus altiores ultra solitum in Venetia fuerunt.

Reperi in aliis Annalibus, quòd dum crevissent aquæ, & exortæ maximæ tempestates, quidam senex appatuit in platea Sancti Marci eum dicentem fuissem Sanctum Marcum, qui cuidam Barcarolo annuit, ut eum trajiceret ad Ecclesiam Sancti Georgii, qui tandem persuasus eum trajecit, ubi alter videlicet Sanctus Georgius intravit barcam, qui omnes tres iverunt ad Ecclesiam Sancti Nicolai, litoris ubi dicti descenderunt, & reversi insimul conduxerunt Sanctum Nicolaum Confessorem, & persuaso nauta, iverunt extra portum in nimiam multitudinem Dœmonum, qui hanc tempestatem faciebant, submergentur, & fugantur, ex quo orta est bonacia, in signum cujus rei Sanctus Marcus, Georgius, & Nicolaus dederunt sibi annulum, quem acceperat Sanctus à Procuratia, quem deberet præsentare Dominis Procuratoribus, quòd eidem pro mercede darent ducatos quinque, omniaque quæ viderat & secuta erant, Domino Duci eisdemque narravit.

RA-

RAPHAYNI CARESINI CANCELLARII VENETI CONTINUATIO CHRONICORUM ANDREÆ DANDULI.

PRÆFATIO INCIPIT.

Quia bonarum rerum est series propaganda, ut illustrium actuum reficiatur memoria, & qui Reipublicæ bene fecere, beneque dixere fama laudabili extollantur, idcirco considerans, felicis recordationis Serenissimum Dominum meum D. Andream Dandulo inclytum Venetiarum Ducem, Justitiæ, Eloquentiæ, ac cunctarum Virtutum speculum, dicto & facto honorem, & bonum Patriæ multipliciter adauxisse, qui inter multa ejus laudabilia opera duas memorabilium rerum temporibus suorum Prædecessorum gestarum Chronicas, unam videlicet seriosè, & per extensum, alteram breviloquiam eleganti stilo descripsit, indignum putavi, ut tantum, & tanti Principis Opus successiva prosecutione careret; sed potiùs per continuatam Historiam ad Divinæ Majestatis laudem, præfatique Illustrissimi Ducis ac Excellentissimorum Successorum ejus, nec non hujus almæ Urbis honorem, suscipiant, auctore Domino, incrementum. Nam & si luculentissimæ descriptioni Danduloæ rudis narratio mea minimè congruat, tamen velut humilis servus, scribendo nunc compendiosè, nunc seriosè juxta agendorum exigentiam, & quæ vidi, debitum meum fideliter & purè persolvam invocato semper glorioso nomine J. C.

Andreas Dandulo Dux, ætate juvenis, erat enim annorum XXXIII. sed cunctarum Virtutum & strenuissima morum gravitate senior, ad Ducatus apicem dignissimè sublimatur Anno ab Incarnatione Domini MCCCXLII. die IV. Januarii.

Hic mirabilis facundiæ fuit, Divinæ & humanæ scientiæ peritissimus, Justitiæ & Reipublicæ amantissimus.

Hæc adduntur ex Codice Ambrosiano.

Peritissimus Justitiæ, & Reipublicæ amantissimus unionem pro conservatione, & augmento Fidei Catholicæ cum Papa Clemente Sexto, Magistro Hospitalis Rhodi, Rege Cypri, & cum Imperatore Constantinopolitano solemniter celebravit, in qua quinque galèas optimè armatas contribuit, quarum fuit Capitaneus Generalis Nobilis vir Dominus Petrus Zeno; Qua quidem unio Turchis infinita damna intulit, Castrumque Smyrne vi armorum cepit; sed quia de more Guerræ ita accidit, Patriarcha Hierusalem pro Ecclesia Capitaneus celebrando Missam apud . . . . ., idemque Venetorum Capitaneus, nec non vir Nobilis Martinus Zaccharia Capitaneus jam cum pluribus aliis Nobilibus, & probis viris fuerunt à Turchis pro Fide A *Christi nequiter interfecti; ita quòd meritò possunt ad numerum SS. Martyrum aggregari. Duravit ipsa unio usque ad an. MCCCXLVIII. ultimus Capitaneus fuit vir Nobilis Justinianus Justiniano, qui eodem millesimo de mense Augusti rediit Venetias cum salute. Hujus Domini Ducis tempore MCCCXLIII. ob aliquas dissensiones ortas in Tana, & in partibus Gazariæ, Tartari, & Sarraceni posuerunt in exilio Venetos jam & ceteros Christianos, illatis maximis damnis realibus Christianis etiam existentibus in partibus illis; ob quæ idem Dominus Dux MCCCXLIII. ad Tartarorum Imperatorem in solemnes Legatos destinavit NN. VV. Dominos Zufredum Maurocenum, & Johannem Quirino, qui pacem sub multis pactis,* B *ac conditionibus tractaverunt: verùm antequam pax ipsa firmaretur, quia ad partes illas non poterat navigari, transmissi fuerunt ad Dominum Papam duo Ambaxatores, videlicet Dominus Marinus Faledro, & Dominus Andreas Cornario, qui à Sanctitate Apostolica gratiam impetrarunt, quòd Veneti cum galèis armatis, & navibus possent ad Alexandriam, & ad alias partes Soldano subjectas licitè navigare. Subsequenter accessit Ambaxiator ad eumdem Soldanum N. V. Dominus Nicolaus Zeno pro navigatione prædicta, quam statim concessit, mediantibus aliquibus conventionibus, atque pactis. Postea missus fuit Ambaxiator ad Dominum Summum Pontificem N. V. Justinianus Justiniano MCCCXLVI. qui declarationem ipsius* C *gratiæ obtinuit, quòd pro quacumque navi, galèa . . . . . & transmitti valerent. Primus Capitaneus galèarum Alexandriæ fuit N. V. Dominus Superantius Superantio in MCCCXLV. Firmata autem pace inter Venetos, & Tartaros primus Capitaneus galèarum ad ipsas partes fuit V. N. Dominus Marcus Maurocenus, qui recessit de Venetiis cum galèis an. MCCCXLVII.*

Hujus Ducis temporibus Jadratini in MCCCXLV. de mense Augusti XXVII. Ducali dominio rebellarunt, supponentes se Domino Ludovico Hungariæ Regi, N. V. Domino Marco Cornaro - - - - - in ipsa Civitate pro Communi D *Venetorum Comite existente. Statim igitur creati sunt duo Capitanei, Terræ videlicet, atque Maris pro ipsius Civitatis obsidione. Capitaneus Generalis Terræ fuit N. V. Dominus Marcus Justiniano Procurator S. Marci, Capitaneus autem Maris V. N. Dominus Petrus de Canali. Eodem tempore Pagenses se Venetorum dominio commiserunt. Firmatâ igitur Bastitâ fortissimâ contra Jaderam terra marique obsessam, præfatus Hungariæ Rex in MCCCXLVI. cum innumerabili multitudine Hungarorum, & Bossinensium ad numerum centum millia ad Jadratinorum auxilium equitavit; sed, Dei gratiâ, frustra. Nam idem Rex consumptis victualibus non solùm propriis, sed Jadratinorum, obprobriosè*

briosè recessit, dato ei magno conflictu à Venetis existentibus in Bastita, multisque ex Hungaris vilissimè interfectis. Subsequenter Veneti ceperunt viriliter Castra S. Damiani, & S. Michaëlis. Tamdem Jadratini cùm spe ejusdem Regis carerent, & victualibus, obtentâ Communis Venetorum gratiâ, salvis personis, se liberè reddiderunt. Anno MCCCXLVI. die XXI. Novembris, in vigilia S. Thomæ Apostoli Capitanei pro Communi Venetorum intraverunt præfati Domini Marcus Justiniano Capitaneus generalis Terræ, & Andreasius Maurocenus Procurator S. Marci, Capitaneus Generalis Maris, sed dictus Dominus Marcus Justiniano remansit in Jadra Comes, & Capitaneus Civitatis. Item hoc tempore idem Dominus Dux monetam mezaninorum de novo fieri jussit, fecitque statuitiones, quòd soldini ampliùs non fabricarentur. Eisdem temporibus civitas Venetiarum blado plurimùm indigebat, qua de caussa constitutus fuit Dominus Marcus Justinianus Capitaneus omnium galèarum ad mercatum ire debentium, cum quibus galèis, & quampluribus navibus ad partes Siciliæ prosperè navigavit, ubi bladi copiam maximam recuperavit, cum qua tota armata frumento onusta Venetias rediit cum salute Anno Domini MCCCXLV.

Anno Domini MCCCXLV. inguinaria Pestis, incipiens in partibus Tartarorum, & se peccatis exigentibus ad universum Orbem contagiosè extendens, adeò terribiliter dilatata est, quòd nulli penitus loco pepercit; & si quando alicubi cessare videretur, transactis duobus vel tribus annis ad locum revertebatur eumdem.

Ex Codice Ambrosiano hæc adduntur.

QUæ quidem Epidemia Venetiis inchoata anno MCCCXLVII. die XXV. Januarii horâ vespertinâ, die Conversionis S. Pauli Apostoli, fuit Venetiis maximus Terræmotus, & ex eo etiam ipsa pestis ampliùs invaluit, perseverans usque ad an. MCCCXLVIII. per totum mensem Augusti; ob quam tertia pars Venetorum, vel - - - ut dicitur, decessit.

Eodem tempore Rex Hungariæ Ludovicus triumphaliter absque resistentia aliqua accessit Neapolim, & ad partes Apuliæ expulsâ Reginâ Johannâ cum Lodovico viro suo, qui se in Provinciam reduxerunt. Ad ipsum ergo Regem tres Legati, videlicet NN. VV. Domini Nicolaus Gradonico, quondam bonæ memoriæ Domini Bartholomæi, Marcus Justinianus, & Andreas Maurocenus accesserunt; quibus redeuntibus Venetias cum ejusdem Regis Ambaxiatoribus, firmata fuit treugua per VIII. annos, quam idem Rex primo anno absque caussa violavit.

Cùm itaque Anno Domini MCCCXLVIII. nonnulli Nobiles, & alii Veneti morbo illo pestifero corruissent, Justinopolitani vano errore ducti, cogitantes Venetorum potentiam fore ad ipsam epidemiam diminutam, efficiuntur ausu temerario rebelles Ducali Dominio. Verùm Castrum Leonis ad Civitatis introitum constitutum viriliter defenditur, & conservatur ad honorem Ducalis Dominii, (a) taliter quòd divina gratia assistente misso per sollicitissimum Ducem terra & mari copioso & veloci exercitu, Justinopolitani coacti sunt misericordiam implorare, quam ab inclyto Duce sunt clementissimè consecuti, destinatis principalibus rebellibus Venetias ad confines.

Januensibus autem, quibus tunc præsidebat Joannes de Valente, volentibus Mare Majus sibi solis indebitè vendicare, captis jam ob hanc causam apud Oppidum Caffense aliquibus Venetorum navigiis, Dux Andreas hujusmodi injuriam tolerare nolens, decrevit cum suis Consiliis libertatem Maris summo studio summisque viribus conservare. (b)

Destinato igitur Marco Ruzini Capitaneo cum plurimis galèis ad persecutionem galèarum Januensium versùs Mare Majus navigantium, ipsas in portu Castri absque effusione sanguinis intercepit, exceptis duabus, quæ inopinatò fugere.

Fusiùs hæc atque enucleatiùs in Codice Ambrosiano exponuntur.

(c) DEstinato igitur N. V. Domino Marco Ruzino Capitaneo cum XXV. galèis ad persecutionem galèarum Januensium, quæ versùs Mare Majus properabant, XIV. ex ipsis reperit in Portu Castri, ex quibus unà cum galèis Gulphi, quarum erat Capitaneus V. N. Dominus Marcus Mauroceno, X. absque effusione sanguinis cum mercibus & mercatoribus, & multis nobilibus, & spiritualibus intercepit. Deinde ivit Peram, & quia nihil ibidem fieri potuit, rediit Venetias cum honore. Eodem autem anno die Dominica, XXIV. Octobris Januenses cum IV. galèis, quæ evaserant, à Portu Castri de manibus Venetorum ex numero supradictarum XIV., & cum aliis V.

(a) *In Codice Ambrosiano sic legitur*: Transmisso igitur velociter potenti exercitu, cujus fuerunt Capitanei NN. VV. D. Pancratius Justiniano Capitaneus Maris, D. autem Marinus Faletro Capitaneus Terræ, & Civitate strictiùs obsessa, Justinopolitani, mediante Domino Marco Justiniano, quem existentem eorum Potestatem detinuerant, coacti sunt &c.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani additur*: Papa cupiens discordias Venetorum, & Januensium sedare, requisivit Legatos ad eum mitti, qui ab utraque parte missi nihil agere potuerunt.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani hæc adduntur ex Codice Contareno, quem sequi videtur pluribus in locis Estensis*: Discordia Venetorum, & Januensium urgente, dum armata Venetorum galearum XXXIII. quarum erat Capitaneus Nicolaus Pisani ad locum Lalgeri, ad cujus obsidionem erat Dominus Rex Aragonum, ut ei complaceret, properasset, Dominus Paganinus Auria sentiens Gulphum Venetorum derelictum, cum XX. galeis ad partes Ostricolas animosè pervenit, & Civitatem Parencii in MCCCLIV. die XIX. Augusti viriliter capiens, totam bonis exspoliavit, & incendio concremavit, & pro majore dedecore Venetorum Corpora SS. Mauri, & Leuterii, ibidem existentia, secum detulit, qui in Janua cum maxima reverentia honorantur. Exinde Gulphum exivit. Eodem millesimo Januenses petierunt de gratia, ut saltem de LX. suis carceratis Venetiis existentibus per texera relaxari, cùm & omnes Venetos tam nobiles, quàm populares, illico relaxarunt, & ita actum est.

In ejusdem Codicis margine adnotatur: Reperi in aliis Annalibus, quòd hujus Ducis tempore Januenses Capitaneo suo Paganino d'Oria reversi sunt Negroponte, deinde sentientes armatam Venetorum ad illas partes pergere, reliquerunt obsidionem.

Reperi etiam in aliis Annalibus, quòd postquam Dominus Marcus Ruzino ultrascriptus cepit fustas supradictas, quæ evasere, repertis aliis VIII. galeis suorum, euntes Negropontem, ceperunt totum havere, substantiale derobantes, cetera igne vastarunt, existente ibi Thoma Viaro Bajulo, & Consiliariis, qui viriliter se gessere, aufugiendo ad Insulam.

V. galèis armatis in Chio, intrantes ante ortum Solis Portum Nigropontis, vi armorum expugnando Civitatem ipsam occuparunt, existente ibidem Bajulo & Capitaneo N. V. Domino Thoma Viadro, derobando ipsam Civitatem, videlicet Campum solummodo Venetorum, & nocte sequenti cremarunt eamdem, die verò XXIV. eadem hora matutinali cum dictis suis galèis, & aliis, quas de suis invenerunt in Portu præda mercatorum onustis, totaliter recesserunt. In hujus guerræ principio ivit Legatus ad Dominum Regem Aragonum V. N. Dominus Johannes Steno, qui contra & adversùs Januenses ligam inter Regiam Majestatem, & Illustre Ducale dominium in Perpiliano, Comitatus Rossilionis, fuit ab ipso Domino Rege militiæ cingulo exornatus. Anno MCCCLI. destinatus extitit Capitaneus Generalis XXV. galèis contra Januenses N. V. Dominus Nicolaus Pisani, qui in Peyra nonnulla damna Januensibus intulit, cum quibus quidem galèis accessit Ambaxiator ad Dominum Imperatorem CPolitanum N. V. Dominus Johannes Delphino Procurator S. Marci, qui etiam ligam pro Communi Venetiarum cum eodem Domino Imperatore firmavit contra Januenses. Insuper eodem millesimo mensis Septembris exivit de Venetiis nobilissima armata XXX. galearum optimè armatarum tam remigis, quàm nobilibus civitatis, ac stipendiariis, quarum fuit Capitaneus Generalis D. Pancratius Justiniano Procurator S. Marci, qui recessit de Venetiis cum ipsa armata . . . . mensis ejusdem, navigando primò in Siciliam, & expectando armatam Cathelanorum, qua applicata, utraque armata insimul de Sicilia recessit. Anno MCCCLI. de mense Octobris; verùm antequam supradicta armata de Venetia recessisset, galèæ Januenses LXVI. quarum erat Capitaneus Paganinus de Auria, venerunt ad Insulam Negropontis, & die XV. mensis Augusti intrarunt Portum eumdem: die verò XX. mensis prædicti Januenses cum toto dictarum exercitu galèarum civitatem Negropontis ab ortu Solis usque horam vespertinam posse tenus impugnantes nihil facere potuerunt, immo ex ipsis fuerunt per Venetos nonnulli sauciati pariter & occisi. Erat enim civitas ipsa armigeris egregiè præmunita; Dominus autem Nicolaus Pisani Capitaneus prædictus rediens à Peyra venit Negropontem cum suis XV. galèis causâ veniendi versùs Venetias ad capiendum dictas XXX. galèas, quarum erat Capitaneus dictus Dominus Pancratius Justiniano, & galèarum VII. Cathelanarum, visisque LXVI. galèis Januensibus, se reduxit ad Civitatem Negropontis, quam toto tempore obsidionis ab hostibus viriliter defensavit. Cùm autem Januenses eamdem Civitatem tenuissent obsessam à die XV. Augusti usque XX. mensis Octobris subsequentis, & scientes, quòd prædictæ XXX. galèæ se conjunxerant cum illis Cathelanorum, iter suum arripuerunt versùs partes Romaniæ, Peyram cum festinatione redeuntes; omnes itaque galèæ tam Venetorum, quàm Cathelanorum simul conjunctæ Peyram properarunt, ubi commissum fuit cum Januensibus adeò durissimum bellum, quòd salvo utriusque partis vexillo neutra partium victoriam obtinuit; sed nonnulli probissimi viri viriliter pugnantes, strage mutua perierunt. Tamdem omnes partes ad propria redierunt; sed dum Januenses contra Cathaloniam cum potenti galèarum extoleo navigassent, idem D. Nicolaus Pisani cum galèis Ducalibus ad partes illas velociter se transferens, & simul cum Nobilibus VV. D. Bernardo Capraria Admirato Regio se conjungens in extolium Januensium apud Algerium de partibus Sardiniæ audacter irruens, de hostibus magnificè triumphavit.

A B C D E

Unione cum Petro Aragonum Rege inita navale prœlium apud Constantinopolim cum Januensibus committitur adeò durissimum, quòd salvo utriusque partis vexillo, neutra partium victoriam obtinuit; sed nonnulli probissimi viri viriliter pugnantes strage mutua perierunt. Capitaneus tunc Venetorum erat Nicolaus Pisani.

Subsequenter idem Dux Bernardo Capraria Admirato Regio, & prædicto Nicolao Pisani Venetorum Capitaneo contra stolum Januensium apud Sardiniam magnificè triumphavit, Civitatemque Januæ ad tantam necessitatem perduxit, quòd propriis destituta viribus, ejus Duce deposito Joanne de Valente, statuque libertatis amisso, qui carior vita haberi debet, subdidit colla jugo Joannis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis & Domini. Unde inclytus Venetorum Dux molestè, nec immeritò, ferens, quòd ipse Archiepiscopus contra antiquam Venetorum amicitiam venationem usurpaverat alienam, provocavit Carolum Quartum Romanorum Imperatorem, & majorem partem Italiæ adversùs Archiepiscopum supradictum. Qui Imperator cum pecunia (*) & favore Venetorum, & Jacobi, & Francisci de Carraria Dominorum Paduæ, Canis Grandis de la Scala Domini Veronæ, Marchionum Ferrariæ, illorum de Gonzaga Mantuæ Dominorum; & illorum de Manfredis Dominorum Faventiæ, colligatus Venetorum se ad partes Mantuæ transtulit. Et profectò multa magnifica facere potuisset; sed statim cessit, contentus quòd Vicecomites Mediolani, scilicet Matthæus, Bernabos, & Galeazius nepotes & successores prædicti Archiepiscopi interim defuncti non impedirent iter suum Romam, ubi tunc extitit coronatus.

Item Dux corpus Beatissimi Isidori Martyris diu in Ecclesia Sancti Marci latitantis reperit, ipsumque in Capella, quam ibidem construi fecit, devotissimè collocavit.

Albertum Goritiæ Comitem, cujus gentes prædatæ pluries fuerant districtus Civitatum Istriæ Ducali dominio subjectarum, domuit anno Domini MCCCXLIV. nam præmissis in Istriam Andrea Mauroceno milite, & Marino Grimani in Provisores cum armigerorum apparatu, quos generalis exercitus sequi debebat, cui præfectus erat Capitaneus Comes Enulfus de Monte Feltro, prædictus Comes Albertus timens prudenter futura pericula, sponte se dedit in prædictorum Provisorum manibus, offerens eis in omnibus obedire. Qui ipsum ad pacem recipere non valentes, miserunt eum Venetias Ducali dominio præsentandum. Quamvis igitur benignissimus Dux receperit ipsum ad pacem, prostratis aliquibus ejusdem Comitis Castris, quæ receptaverant prædones, & spolia, tamen supradicti duo Provisores, qui cum bona fide & cum honore Patriæ ipsum Comitem supplicem miserant Venetias, & à guerrizando abstinuerant, pecunialiter in Rogatorum Consilio mulctati sunt ad futurorum exemplum, cùm fines

(*) *Cod. Amb.* potentia.

fines mandati diligenter custodiendi sint. (*)

Tanta profectò strenuitas, & ingenii altitudo in Duce prædicto vigebat, quòd si longiorem vitam fata indulsissent, eidem sperandum indubio erat, quòd divino assistente præsidio statum Patriæ plurimum exaltasset.

Ducavit feliciter annis XI. mensibus IX. diebus IV. reddito spiritu Creatori suo. Juxta Sanctum Marcum quiescit in Capella Baptismali, quam opere Musaico decoravit.

Quadraginta & unus, qui Andream Dandulo Ducem elegerunt, sunt.

Marcus Justiniano Procurator,
Marcus de Musto,
Bertucius Polani,
Petrus Barbadico,
Michaël Faletro,
Andreas Bondimerio,
Joannes Contareno,
Antonius Dandulo,
Joannes Gradonico,
Benedictus de Molino Procurator,
Pancratius Capello,
Petrus de Canali,
Petrus Miglano,
Marcus Lauredano Procurator,
Nicolaus Caravello,
Marcus Mauroceno Procurator,
Paulus Donato,
Marcus Avonal,
Nicolaus Balbo,
Andreas de Fontana,
Dardus de Mula,
Marcus de Lege,
Stephanus Belegno,
Nicolaus de Volpe,
Joannes Michaël,
Andreas Barbaro,
Leonardus Mocenico,
Marcus Quirino,
Dardus Delphino,
Jacobus Superantio,
Paulus Signolo,
Angelus Sanuto,
Nicolaus de Frascata,
Hermolaus Georgio,
Gabriel Trivisano,
Nicolaus Pisani,
Andreas Erizo,
Nicolaus Venerio,
Angelus Suriano,
Angelus Bragadino, &
Joannes Fuscareno.

MArinus Faledro Sanctorum Apostolorum, dum legationis in Romana Curia officio fungeretur, ad Ducalem dignitatem honorificè evocatur Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCLIV. undecimo Septembris, qui antequam de sua creatione novum reciperet, de Curia recesserat.

Cui quidem obviam missi fuere XII. solemnes Ambasciatores usque Veronam, sociati singulis Nobilibus pro quolibet, & cum tribus Domicellis pro quolibet, non indutis propter subitum eorum recessum. Potestas autem Clugiæ misit filium suum Tadæum Justiniano cum XV. ganzarolis usque Paduam, super quibus

A ascendit idem Dux cum comitiva sua, & sociatus infinita gentium multitudine Nobilium copiosa, & reliqui quatuor in Palatio remanserunt.

In margine Codicis Ambrosiani ex Codice Jacobi Contareni.

TEmpore hujus infelicissimi Ducis die IV. Novembris dum Dominus Nicolaus Pisani Capitaneus Generalis cum galèis XXXV. lignis XI. grepariis XX. Coroni, & Motroni & etiam navibus tribus optimè castellatis in portu Longo secus Methonem se posuisset, per dies plures moram faciens, ecce galèæ XXXVI. Januensium
B *bene armatæ, quarum erat Capitaneus & Admiratus Dominus Paganinus Auria, ad dictum portum audacter, & providè pervenerunt. Qui Dominus Paganinus cum ejus stolio in Venetiarum galèas & classem viriliter irruit & potenter. Veneti verò animositate omnimode prætermissa, nondum pillos, nondum arcus, nondum enses hostium sentientes, contra Januenses defensionem aliquam non fecere; sed tanquam imbecilles, & mulieres prægnantes Januensibus se liberè tradidere. Et sic ut summo Deo placuit, de Venetis Januenses victoriam habuerunt, galèas omnes & rates, cum Capitaneis, Supracomitibus, & omnibus aliis ad eorum libitum viriliter præhabentes, licèt antequam Januam*
C *applicuissent 2000. Veneti populares vel circa de inimicorum manibus fugere.*

Hoc tempore Archiepiscopus Mediolanensis debitum naturale persolvit, & totum Dominium tribus suis nepotibus, videlicet DD. Matthæo, Barnaboo, & Galeatio de Vicecomitibus liberè dereliquit, sub quorum Dominio & subjugatione Genuenses, tanquam servi penitùs essent, manserunt. Qui Mediolanenses Dominatores cum Venetis & eorum colligatis, in MCCCLIV. VIII. Januarii per menses quatuor treuguam firmaverunt.

Piget reminisci, virum in tam excellentissima Urbe, in tam justa & magnifica Dignitate, & de tam gloriosa & fidelissima Faledrorum Prosapia ortum, Imperialis Militiæ cingulo insignitum, ditissimum, & profectò in se virtuosum,
D noluisse uti virtute; sed maligno instigatum spiritu degenerasse (proh dolor!) à virtuosissimis Progenitoribus & propinquis, qui per fidelissima & laudabilia opera plurimùm in Rempublica meruerunt.

Hic enim, Dei timore postposito, ad suggestionem quarumdam vilium personarum, scilicet Philippi Caledraris lapicidæ, & generi sui Bertucii Isdraëli marinarii, & aliquorum suorum complicum ad damnum Reipublicæ enormiter conspiravit. Sed nutu Dei, & Beatissimi Marci, & aliorum Sanctorum, quorum corpora hìc quiescunt, intercessionibus, hunc liberum
E & pulcherrimum statum pluries à maximis liberavit periculis; veritate cognita, prædicti Philippus, & Bertucius, & quamplures alii plebeji ad columnas Palatii veteris versùs Plateam suspendio, mediante justitia, sunt damnati per Consilii de Decem censuram. Subsequenter ipse, qui se indignum Ducatu fecerat, decapitatus extitit, Anno MCCCLV. die XIV. (**) Aprilis super majoribus scalis lapideis Palatii in eodem scilicet loco, ubi ad sui Ducatus introitum præstite-

(*) *Additur in Codice Ambrosiano*; Hic Dominus Dux valde universalis & facundissimi eloquii fuit, & prædecessori suo similis in tractando bene, & honorabiliter nobiles suos, & erga cunctos cives suos valde benignus, studiosus in conservando amicitias & augendo: Et pacificando discordes.

(**) *Cod. Amb.* XIX.

ftiterat de observando promissa solitum juramentum. Nec per hoc virtus, honor, & fama Faledriorum est apud Rempublicam in aliquo denigrata, cùm scriptum sit: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, nec portabit filius iniquitatem Patris*.

Ducavit mensibus VIII. diebus V. (a) sepultus est ad Prædicatores.

Quadraginta & unus, qui Marinum Faledro Ducem elegerunt, sunt.

Paulus Donato,
Joannes Contareno,
Bertucius Grimano,
Andreas Justiniano,
Petrus Steno,
Michaël Mauroceno,
Lucas Duodo,
Simon Dandulo,
Andreas Pisano,
Marcus Caravello,
Jacobus Trivisano,
Sclavus Marcello,
Mapheus Aymo,
Marcus Capello,
Pancratius Georgio,
Joannes Fuscareno,
Thomas Viadro.
Sclavus Bolani,
Marcus Paulo,
Andreas Erizo Procurator,
Marinus Sagredo,
Stephanus Mariono,
Franciscus Suriano,
Aurius Pasqualico,
Andreas Gritti,
Petrus Lando,
Marinus Gradonico,
Marcus Delphino,
Nicolaus Faledro,
Joannes Quirino,
Laurentius Superantio,
Marcus Bembo,
Stephanus Belegno,
Franciscus Lauredano,
Marinus Venerio,
Joannes Mocenico,
Andreas Barbaro,
Laurentius Barbadico,
Betinus de Molino,
Marcus Celso, &
Bonus de Musto.

JOannes Gradonico Dux Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCLV. die XXI. mensis Aprilis Ducali solio meritò illustratur.

Hic sapientia & ætate maturus, profundissimæ memoriæ fuit, Juris communis & municipalis eruditissimus Rempublicam summè dilexit. Cum Januensibus, quibus Matthæus, Bernabò, & Galeazius Mediolanenses Vicecomites dominabantur, ipsorum Vicecomitum amicabili interpositione, pacem Patriæ nostræ valde honorabilem solidavit. In qua inter cetera cautum extitit, ut navigatio Maris Majoris ex tunc (b), quæ fuerat causa dissidii, foret quibuscumque libera, & communis. (c)

Post hæc Ludovicus Hungariæ Rex, salvo suo Majestatis honore, in treguas, quas Andreas Dandulo Dux I. pro VIII. annorum spatio inierat, absque causa violavit, colore quæsito, quòd Ludovicus tunc Hierosolymæ, & Siciliæ Rex quosdam Hungaros læserat in Gulpho, quod tutum & liberum cuilibet nationi defendere Veneti tenebantur. Sed proverbialiter dici solet: *Causam quærit, qui vult discedere ab amico*. (d) Veniens ergo Rex personaliter cum multitudine Castrum Conegliani obsedit, quod ex conjuratione aliquorum Burgensium ejusdem loci, nec non rusticorum intus ad custodiam receptorum, brevi tempore obtinuit, & similiter Cenetam, & Asylum.

Civitatem verò Tarvisii, & Castrum Francum longa obsidione, vel pugna constantissima, quam multipliciter expertus est, minimè offendere valuit. Castrum autem Serravallis diu obsessum, tamdem deficiente annona recepit. Verùm Burgenses dicti loci fidelissimè se gerentes januas aperire noluerunt, priusquam Ducale Dominium eorum ultimam necessitatem cernens, licentiavit eosdem. Castrum Opitergium diu obsessum, & continuâ pugnâ stimulatum constantissimè est servatum. Conservatum est etiam viriliter Novale, & Castrum Mestre, Burgo derelicto, quia nondum fortificatum extiterat ad plenum.

Profectò Rex nihil obtinuisset, sed deficientibus eidem victualibus vacuus recessisset, ni Franciscus de Carraria Vicarius Paduæ de victualibus subvenisset eidem.

Interim idem Dux migravit ad Dominum Anno Domini Nostri Jesu Christi MCCCLVI. die VIII. Augusti. Ducavit anno uno, mensibus tribus, diebus octo. Corpus ejus quiescit in Capitulo Fratrum Minorum.

Quadraginta & unus, qui Joannem Gradonico elegerunt in Ducem, sunt.

Bernardus Justiniano Procurator,
Paulus Donato,
Joannes Gradonico,
Dardus Polano,
Joannes Contareno,
Petrus Zanne,
Philippus Aurio,
Joannes Fuscareno,
Nicolaus Volpe,
Nicolaus Nani,
Nicolaus Bono,
Petrus Pisano,
Nicolaus Faletro,
Aurius Pasqualino,

An-

(a) *Cod. Amb.* mens. VII. dieb. VIII.
(b) *Cod. Amb. pro* ex tunc, *legit* in Tanas.
(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Serenissimus Dominus Rex Aragonum pro ut reperi in aliis Annalibus, qui cum Venetis erat alligatus de pace facta cum Januensibus sentiens, in qua quòd non erat inclusus vehementer turbatus est, quoniam sinè voluntate, & consensu suo propter unionis pacta id facere non valebant, quam indignationem penitùs remediare volentes, Veneti duos Legatos, videlicet DD. Jacobum Bragadino, & Nicolaum Faletro dicto Regi miserunt, qui post multos tractatus nomine communis Venetiarum ducatos CX. mille solvere præfato Regi spoponderunt in spatio annorum duorum. Tamen per Regem omnibus represaliis, quas Catelani contra Venetos habere dicebant, necnon expensarum restitutione per eum factarum tempore unionis præfatæ, & quibuscumque aliis occasionibus pro irritis & annullatis habitis.
(d) *In Codice Ambrosiano additur*: Quod Veneti videntes ad eum duos Legatos Marcum Cornarium militem, & Marinum Grimani miserunt cum plenissima libertate, qui re infecta Venetias reversi sunt.

Andreas Cornario,
Andreas Fusculo,
Joannes Fuscaro,
Eufredus Mauroceno,
Joannes Marcello,
Jacobus Bragadino.
Laurentius Barbadico,
Andreas Erizo Procurator,
Aloysius Vitalis,
Marinus Venerio,
Marcus Bembo,
Andreas Barbaro,
Marcus Basilio,
Joannes Dandulo,
Jacobus Trivisano,
Joannes Lauredano,
Stephanus Belegno,
Franciscus Bono,
Marcus Superantio,
Marcus Celso,
Petrus Delphino,
Marcus Paulo,
Bertuccius Grimano,
Andreas Quirino,
Marcus Capello,
Jacobus Bellano, &
Marinus Baduario.

JOannes Delphino Dux absens, dum videlicet adversùs Hungarorum Regem Civitatem Tarvisinam tueretur, in Ducali Sede ponitur Anno Domini Nostri Jesu Christi MCCCLVI. die XIV. Augusti. Qui quidem Rex minùs urbanè se habuit, nolens concedere, ut prædictus Dux Venetias accederet, jactando se habere Ducem Venetiarum obsessum. Paucis autem diebus interjectis, Rex contra Tarvisium obsessum nihil proficere valens, cessit, & in Hungariam est reversus, relicto exercitu in partibus Tarvisinis. Quo non obstante idem Dux potenter, & sub Ducali vexillo, usque Mestre & Mergariam sociatus XII. Solemnibus Ambasciatoribus cum uno Domicello pro quolibet, qui ei obviam profecti fuerant, inde Venetias cum maximo honore perrexit.

Hic prudentissimus fuit, erga Reipublicæ bonum valde sollicitus; sed nemo potest vitare eventum, quem vel casus intulerit, vel Dei voluntas signaverit. Nam quamvis pro parte sua adhiberet quidquid sollicitudinis & provisionis, quod quilibet diligentissimus & sapientissimus Princeps adhibere potuisset, tamen Civitas Jadræ nocturnis insidiis scalisque à parte terrestri oppositis, subrepta fuit ab Hungaris, qui diu ad obsidionem Civitatis Novæ permanserunt.

Inopinatus Jadræ casus quamplures ex Civitatibus Dalmatiæ secum traxit. (*) Tamdem idem Dux cum Rege prædicto pacem fecit, non quam voluit, sed quam Mundi varietas obtulit. Dimisit ergo Dalmatiam. Rex autem restituit Coneglianum, Serravallum, Asylum, & alia loca, quæ occupaverat in partibus Tarvisinis. (**)

Ducavit annis V. & mensibus XI. vocatus à Domino Anno MCCCLXI. die XII. Julii. Quiescit in Capella majori Prædicatorum.

Quadraginta & unus, qui Joannem Delphinum Ducem elegerunt, sunt.

Bernardinus Justiniano Procurator,
Marcus Lauredano Procurator,
Andreas Erizo Procurator,
Joannes Contareno,
Marcus Celso,
Andreas Barbaro,
Franciscus Bembo,
Petrus Michaël,
Andreas Baduario,
Aurius Pasqualico,
Marcus Mauroceno,
Andreas Cornario,
Paulus Belegno,
Angelus Marcello,
Marinus Superantio,
Nicolaus Zeno,
Nicolaus Barbadico,
Joannes Mocenico,
Bertucius Bocasio,
Petrus Pisani,
Laurentius Bragadino,
Lucas Justo,
Petrus Zanne,
Paulus Venerio,
Franciscus Caucho,
Joannes Fuscareno,
Nicolaus Leono,
Philippus Aurio,
Jacobus Trivisano,
Franciscus Bono,
Petrus Faledro,
Hermolaus Gradonico,
Laurentius Dandulo,
Petrus Georgio,
Andreas Quirino,
Blancus Delfino,
Joannes Teupulo,
Aloysius Vitalis,
Marcus Basilio,
Maffeus Aymo, &
Marcus Capello.

LAurentius Celsi, existens Capitaneus Generalis Culphi, Ducali excellentiæ sublimatur Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCLXI die decimasexta Julii.

Obviam ejus Excellentiæ Cretensi trireme profecti sunt duodecim solemnes Ambasciatores cum uno Domicello pro quolibet, ut ipsum usque Venetias honorificè sociarent, IV. galeis Cretensium ejus loco cum Marino Zeno Culphi Vice-Capitaneo remanentibus.

Hic magnanimus, & robustissimæ ætatis fuit, bonum Reipublicæ procurare & feliciter augere plurimum anhelavit.

Hujus tempore fœdissimum ac crudele flagitium in Cretensi Insula commissum est ab his, qui causam Ducalis Dominii jure naturæ, gentium, & civili, tueri modis omnibus tenebantur. Qui licèt ab optima Patria, optimisque parentibus orti sint, tamen non Cives appellari debent, sed nequissimi Parricidæ. Progenitores enim eorum de Nobilissimis Venetiarum prosapiis,

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Reperi in aliis Annalibus rebellasse ante Jadram per menses quatuor Irau, Spalatum Dalmatiæ Civitates.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Ex Capite Capitularis Consiliariorum MCCCXIX. VIII. Junii in Consilio Rogatorum captum quoque Consiliarii Venetiarum de cætero teneantur usque ad complementum præsentis unionis contra Turcos sub debito sacramenti quolibet tempore ordinato mittere Duchæ & Consiliariis Cretæ ducatos 4000., videlicet per mudam Martii ducatos 4000., & per mudam Septembris alios ducatos 4000.

piis, & in Republica confidentissimi, à Petro Ziani olim Venetiarum Duce fuerunt ad custodiam Insulæ, per ipsum vi armorum acquisitæ, destinati, divisis inter se possessionibus Loci jure & titulo Feudi: cujus beneficio juraverant pro se, & eorum successoribus Insulam contra Græcos & nationes quaslibet perpetuò defensare. Quod fideliter servaverunt usque ad tempora supradicta, in quibus propter epidemiales pestes, quæ peccatis exigentibus Urbem diutiùs flagellaverant, quasi seniores omnes defecerunt. In quorum obitu fides etiam & amor Patriæ in multis defecisse videtur. Supervixerunt autem juniores in tanta lascivia, luxuria, tantisque corruptis moribus, quòd Insula, qua nulla melior, & quæ mirabiliter bonis omnibus aucta fuerat, sub favore & benignitate Ducali conservare nesciverunt. Sed nimis deliciis & honoribus excæcati, non cognoverunt se ipsos, & comparati sunt jumentis fatuis, & similes facti sunt illis, in qua re non damno locum, sed vitium; nam virtuosi Progenitores eorum virtuosissimè vixerunt ibidem.

Hi autem, contra naturam relictis laudabilibus Patrum vestigiis, Cretensium insolentiis adhæserunt, quas Apostolus meritò increpans ait: *Cretenses semper mendaces, graves corpore, malæ bestiæ, ventres pigri*. Eorum capita fuerunt Titus Venerio, & Titus Gradonico, qui demeruerunt à tam egregiis stirpibus appellari, quæ semper produxerunt Cives famosissimos, & apud Rempublicam dignissimos laude, exigentibus eorum probatis meritis, fide, sapientia, & virtute.

Isti autem duo cum eorum complicibus facto submurmure propter quædam datia satis tenuia imposita pro auxilio expensarum portus Candiæ, plurima reparatione indigentis, subito tumultu totum Populum commoverunt, manusque nefarias in Ducham, & Consiliarios, aliosque Officiales Cretæ, nec non in omnes Nobiles, & Mercatores Venetos tunc ibi existentes, injecerunt, ipsos tetro carceri includentes, prædæ expositis eorum mercationibus atque bonis. Idem excessus in omnibus locis Insulæ est commissus.

Ceterum inani spe deceperunt Marcum Gradonico majorem, solitum esse prudentem, ac patruum, denominantes ipsum Ducham Cretæ.

Summa Ducis Laurentii benignitas, putans eos humaniter peccasse, & nolle in tanta perseverare nequitia, sed potiùs tamquam os ex ossibus suis, & caro de carne sua, velle ad patriam fidelitatem redire, misit Legatos & Provisores prudentissimos ad Insulam, offerens eis veniam & gremium pietatis, quod abominabiliter spreverunt, subjicientes se potiùs Græcis Insulæ, qui fœdissimè suppeditabant eosdem. Unde Dei Omnipotentis iram, & Ducalem Dignitatem ampliùs provocavere.

Præfatus igitur Dux ad Insulæ recuperationem, & tantæ nequitiæ vindictam, cum omni studio, & sollicitudine intentus, transmisit maximum galèarum & usceriorum stolum cum potenti militia, cujus Capitaneus Generalis terrestris Luchinus à Verme Veronensis (*) strenuissimus & fidelissimus miles, qui cum duobus Gubernatoribus, Joanne scilicet Dandulo milite, & Petro Mauroceno, exercitum equestrem & pedestrem viriliter transvexit ad Insulam.

Major pars exercitus galèarum multarum, & IX. usceriorum apertorum à puppi, continentium equos, pervènit ad locum Fraschiæ, ubi descendens equitavit ad Armiro. Rebelles cum ingenti peditum multitudine transitum montis prohibere conati, rigidos colles insident. Inspicientes autem intuiti sunt alios uscerios cum residuo exercitus ad jam dictum Armiro locum properè navigantes, in quorum aspectu aliquorum corda rebellium terror invasit. Sed eorum ductores se ipsos & socios decipientes, asseverabant, non esse plures usceriòs, sed primos IX. qui à Fraschia ad Armiro redierunt. Supervenientibus itaque hujusmodi quinque usceriis, viri & equi exire de loco properant, reparantes ferris pedes equorum. Rebelles omnes equestres Civitatem Candiæ egrediuntur celeriter, seque gentibus suis ad passum commorantibus aggregantur; campum nostrum subitò, audacter magìs quàm feliciter, invadunt. Bellum inchoatur. Nondum omnes nostri de ultimis usceriis descenderant, quando rebelles terga dare, assistente divino præsidio, sunt coacti, se ad montium cacumina reducentes. Qui autem in Candia remanserunt, errore suo cognito, partim amore, partim timore, Capitaneum & Provisores Ducalis dominii receperunt sub Beatissimi Marci Evangelistæ, & glorioso & triumphali Vexillo. Sumta statim vindicta fuit, mediante justitia de Marco Gradonico, qui sibi usurpaverat nomen Duchæ; decapitatus enim extitit in Platea. Nonnulli etiam alii ex culpabilioribus ultimo supplicio sunt damnati.

Subsequenter Canea & reliqua Insulæ Oppida ad obedientiam redierunt. Titus Gradonico, & aliqui alii ex rebellibus ad Insulam Rhodicam fugerunt. Tito Venerio, & magno rebellium numero Latinorum & Græcorum in Lasichi, & Napoli, aliisque locis tutissimis latitantibus, committentibus latrocinia atque prædas, Divinum judicium contra hanc rebellionem evidenter apparuit. Miserant enim ipsi rebelles ante reacquisitionem Candiæ quosdam ex se ipsis Ambasciatores Januam, & Cathaloniam super quadam galèa, offerentes Insulam omnibus aliis nationibus, quæ auxiliari vellent eisdem. Sed nemo ipsos exaudire voluit. Imò indifferenter omnes eorum sunt perfidiam detestati. Vacui igitur cum dicta galèa redeuntes, & recuperationem Candiæ, aliorumque locorum, ignorantes, capti fuerunt à galèis nostris, & sententia capitali damnati.

Hujus Ducis sollicitudo & industria plurimùm valuit ad triumphandum tam magnificè, & tam brevi tempore de Insula supradicta. Verùm antequam loca exteriora ad plenam obedientiam devenirent, prædictus Dux immatura est morte præventus anno Domini MCCCLXV. die XVIII. Julii. Ducavit annis IV. diebus II. Ejus corpus conditum est in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Cœlestibus.

MArcus Cornario Dux anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCCLXV. die XXII. Julii ad Ducale solium exaltatur. Dignissimè quidem; nam à juventutis suæ principio usque ad senium pro Republica fideliter & prudentissimè laboravit. Fuit enim Jurisconsultus maxima sapientia, & eloquentia, & morum

(*) *Additur in margine Codicis Ambrosiani*: Petrus Vermus Nicolai filius, detecta conjuratione, quam inierat in Canem secundum Dominum Veronæ in exilium secessit, bonis ejus jussu Canis Fisco addictis MCCCLIV. Hujus filii fuere Luchinus, Nicolaus, & Bartholomæus, qui Patrem secuti Venetorum arma secuti sunt.

rum honestate decorus. A Carolo IV. Romanorum Imperatore, & Bohemiæ Rege, dum apud Majestatem suam solemnis Legatus existeret, militari cingulo honoratur. Justitiæ cultor, pacis & ubertatis amator præcipuus extitit.

Insulam Cretæ, quam adhuc rebelles per inexpugnabilia montium cacumina perturbabant, quiescere fecit. Æmpoli enim & Lasini devictis, rebelles capti fuerunt, & ultimo supplicio traditi, inter quos decapitati fuerunt ille Titus Venerio, per quem rebellionis scandalum vênit.

Ex ruina rebellium Cretæ, quorum nullus evasit, nisi Titus Gradonico, qui Rhodum, & Constantinopolim profugus petiit, exemplum capiant ceteræ nationes proximæ & remotæ, ne nocivi quidquam moliantur contra Venetiarum Civitatem, quæ in protectione divina firmata, speculum & norma Justitiæ & Libertatis in toto Orbe relucet.

Hoc probatissimum est non absque divino mysterio, quòd nemo umquam obesse huic almæ Urbi machinatus est, quin dolus redeat in caput ejus, cùm scriptum sit: *Insidiis suis capiuntur iniqui*.

Ceterum Dux prædictus Urbanum Papam Quintum, ejusque Cardinales, & totam Curiam, transmissis magnis & honorabilibus galêis, & solemnissimis Ambasciatoribus à Gallicanis partibus à Portu Massiliensi ad Romanam Sedem felici navigatione perduxit anno MCCCLXVII. mense Majo. Deo & Mundo gratissimus fuit; in bona senectute quievit Anno Domini MCCCLXVII. die XIII. Januarii. Ejus corpus conservatur in egregio tumulo intra Capellam magnam Prædicatorum. Ducavit annis II. mensibus V. diebus XXIV.

Quadraginta & unus, qui Marinum Cornario elegerunt in Ducem, sunt:

Nicolaus Faletro Sancti Apollinaris,
Joannes Fuscareno Procurator,
Petrus Zanne,
Joannes Dandulo miles,
Jacobus Delphino Sancti Cassiani,
Petrus Polano,
Franciscus Bembo,
Marinus Memo,
Stephanus Mariono,
Joannes de Priolis,
Franciscus Superantio,
Bartholomæus Quirino,
Nicolaus Zeno major,
Nicolaus Justiniano Procurator,
Stephanus Belegno major,
Marcus Cornario miles,
Bellinus de Molino,
Michaël Bono,
Paulus Mauroceno quondam Alexandri,
Pantaleon Barbo major,
Marcus Barbaro major,
Marcus Basilio,
Franciscus Mauro,
Hermolaus Gradonico,
Mapheus Aymo,
Mapheus Donato,
Paulus Venerio major,

A Jacobus Diedo,
Simonetus Michaël,
Joannes de Arpino,
Marcus Romano,
Petrus Georgio,
Joannes Grimano,
Franciscus Gritti,
Nicolaus Aurio,
Petrus Trivisano major,
Nicolaus Contareno quondam Michaëlis,
Franciscus Lauredano major,
Joannes Mocenico,
Andreas Ericio Procurator, &
Nicolaus Vallaresso.

B Andreas Contareno existens Procurator Sancti Marci ad Ducatus excellentiam dignissimè, sed invitus, admittitur Anno Domini nostri J. C. MCCCLXVII. die XX. Januarii.

Vacante enim Ducatu, ne eligeretur, multa argumenta fecit, & inter cetera secessit ab Urbe; sed licèt foret remotus ab oculis, tamen ejus probata virtus se Electorum mentibus præsentabat. Creatus igitur Dux omnino tantæ dignitati renuntiare nitebatur; sed à supplicationibus Urbis devictus humiliter acceptavit.

Cùm creatus fuit Dux, erat in agro Patavino, & ei obviam missi sunt, ut usque Venetias eum associarent, XVI. solemnes Ambasciatores cum uno Domicello pro quolibet, videlicet:

C Laurentius Dandulo,
Lucas Caravello,
Jacobus de Leze,
Jacobus Nani,
Joannes Trivisano,
Triadanus Gritti,
Victor Pisani,
Jacobellus Bollani,
Ludovicus Lauredano,
Joannes Natalis,
Joannes Ciurano,
Nicolaus Contareno,
Nicolaus Faletro S. Thomæ,
Marius Capello,
Nicolaus Delphino S. Barnabæ, &
D Andreas Basilio.

Hic valde Catholicus, & divinæ Paginæ peritus, Justitiæ & Reipublicæ amator eximius, pacis & ubertatis patriæ zelator assiduus esse dignoscitur.

Quamvis Tergestini, qui antiquitus Ducali dominio fidelitate tenentur, maximas contra honorem Venetorum injurias commisissent, interficiendo Comitem galêæ ad custodiam Istriæ deputatæ, & alia importabilia committendo, tamen eis piè pepercit, contentus, ut vexillum Beatissimi Marci, quod per pacta vetusta in universali Ducis creatione recipere debent, in solemnitatibus erigerent ad Plateam, & culpabiles homicidii aliquo tempore morarentur Venetiis relegati, & quædam alia levissima fierent.
E Sicque provisum, & juramento stabilitum fuerat per eorum Ambasciatores & Syndicos; sed venientes contra proprium juramentum, observare promissa protinus neglexerunt.

Transmittitur ergo terrestris & navalis exercitus; (*) cum duabus bastitis firmatur obsidio;

(*) *Additur in margine Codicis Ambrosiani*: Veneti contra Tergeste statim Crescium Molinum Præfectum classis maritimæ, & Dominicum Michaelem exercitus terrestris Præfectum, mittunt cum ingenti classe, & exercitu. Decima quinta die Decembris datum est prœlium Urbi cum machinis, & omni genere armorum. Interim missus Thadæus Justinianus Loco Crescii Molini, & cum multis Guastatoribus Tarvisinis Paulus Lauretanus loco Dominici Michael, qui foveis à mari ad mare oppidum cepere ragnibus, ita ut Austriaci, & Teutones eis nocere non potuerint, qui in auxilium Tergestinorum venerant.

A dio; à machinis terra marique Civitas lapidatur.

Demum Alberto & Leopoldo Ducibus Austriæ in eorum subsidium evocatis, Ducalis providentia ab uno mari usque ad aliud duabus foveis atque vallo Civitatem fortissimè & velocissimè arctat, furori Theutonico viriliter se opponens, adeò quòd illorum copiosus exercitus bastitam vel vallum lædere non valuit. Nam contra ferocem hostium pugnam sic virilis defensio à fronte & à tergo facta extitit, quòd Theutonici cedere sunt coacti.

Tergestini subsidio & victualibus destituti Civitatem Ducali Dominio liberè tradiderunt.

B Nota, quòd Anno MCCCLXIX. die X. Novembris gens Austriæ fuit repulsa; die verò XVIII. mensis ejusdem felix Venetiarum Exercitus, apertis liberè janius intravit Tergestum.

Ratificatio reconciliationis Tergestinorum XXVIII. ejusdem mensis fuit Venetiis celebrata.

Inclytus Andreas Contareno cum Ducibus Austriæ pacem confirmat die V. Nam receptâ pecuniæ summâ, renuntiaverunt omnibus juribus, si quæ habuissent in Tergesto; verùm ipsi Duces Austriæ pacem minimè observarunt, ut in sequentibus apparebit.

C Facta Tergestinorum reconciliatione prudentissimus Dux optat Civitatem Venetiarum reducere ad pulchritudinem pacis; optat, & jam disponit Rempublicam ab Imperatorum onere relevare, & ad hoc secundum tota mente pervigilat: sed quandoque quod magis optatur, magis effluit. Ecce enim ex notoria culpa Francisci de Carrara Civitatis Paduæ Vicarii novum suboritur scandalum, atque guerra; & quia in ea notabilissimi Principes se immiscuerunt, quia etiam conclusum fuit in pace valde honorabili pro Ducali Dominio, acta ipsius guerræ seriosè describam, restringens quàm breviori stilo potero ejus effectus.

D Anno igitur Domini nostri MCCCLXXI. mense Decembri Vicarius jam dictus, suis limitibus non contentus, limites Ducatus Venetiarum aqua & territorio nimis enormiter præsumsit invadere, faciens fieri inter Ordiacum & Plateam Morenzani, & in aliis dictis Ducatus jurisdictionibus aggeres, foveas, clausuras, & occupationes quamplurimas in prædicti Ducatus præjudicium evidens atque damnum. Et licèt Dux pacificus nonnullas alias injurias pro evitatione guerræ ex bona conniventia sub dissimulatione transisset: tamen hujusmodi excessus nullo modo tolerabilis fuit, cùm qualibet Civitas, famosa pariter, & exilis, teneatur omnibus viribus suos limites conservare.

Requisito pluries dicto Vicario, ut innovata removeat, tamen parte amota, recusat reliquum amovere.

E Fit igitur palatarum & passuum clausura, ita quòd ad loca Vicario Paduæ subjecta per loca Veneta, & Tarvisina, non haberetur accessus, quod optimum remedium esse dignoscitur ad reducendum vicinorum animos ad rationabilia & honesta.

Cardinalis Bituricensis tunc Bononiæ Legatus, necnon Communia Florentiæ, & Pisarum, pro sedanda discordia mittunt Legationes solemnissimas, & plurimùm commendandas, quarum interventu compromittunt partes in V. Nobiles Venetiarum, & V. Nobiles Paduanos.

Pro parte Venetorum Arbitratores fuerunt, videlicet:

Jacobus Mauro (aliis Mauroceno) Procurator Sancti Marci,
Jacobus de Priolis,
Laurentius Dandulo,
Thadæus Justiniano, &
Pantaleo Barbo.

Pro parte Paduæ fuerunt:

Ludovicus Forzate miles,
Argentinus de Agrisedis Legum Doctor,
Magister Joannes ab Horologio Physicus,
Jacobus Turchetus Legum Doctor, &
Jacobus de Gaffarellis.

Hi Arbitratores jurant in præsentia Ducalis Dominii, & suprascriptorum Legatorum, fide bona differentias confinium terminare. Interim aperiuntur Palatæ, & de pace speratur. At Paduanus non quærens ea, quæ sunt pacis, dolosè, & clam prohibuit Cives suos acquiescere veritati; quinimò, compromisso pendente, sophisticis suggestionibus induxit Ludovicum Hungariæ Regem ad violandum contra omne jus & æquitatem, non absque Coronæ & famæ Regiæ denigratione, fœdera pacis, vigentis inter suam Majestatem, & Ducale Dominium.

Addens quoque idem Vicarius malis pejora, nefandum & abominabile scelus turpiter attentavit, volens per sicarios crudeles perimere honorabiles Patriæ Cives, qui Rempublicam in concionibus, & aliter, ex suæ fidelitatis debito tuebantur.

Depræhenduntur Assassini; convicti & confessi super Platea Sancti Marci in publico judicio ad patibulum inter duas columnas suspenduntur, & scinduntur in partes X. Maji.

O Paduana ingratitudo, præsumis adversùs Ducalem præeminentiam calcaneum erigere, quæ te à Tyrannide Ezelini, & Scaligeri bis noscitur liberasse! O damnabilis insolentia Francisci de Carrariâ, obmittis Carrarensium vestigia, qui non ignari se obtinuisse dominium Paduæ favore Ducalis Excellentiæ, eam corde & ore venerabantur, immemores! O cœca amplioris Dominii cupiditas, postergas antiquam & perfectam amicitiam, quærens in auxilium barbaras nationes! O latens venenum diu perge subdolè, subtiliter insidiare, donec pravum conceptum possis ducere ad effectum! Arbitraris, Ducalem prudentiam ignorare, ad quem finem apud Buvolentam super Brentam fabricas Castrum Carum, apud Ordiacum versùs Venetias construis, mutato nomine, Portum novum. Nomina ipsa, quæ Castris imponis, præsagio sunt tui perpetui dedecoris atque damni, caro enim pretio emisti novissimum scelus. Neque Civitates Feltri, & Belluni occupas, nisi ut contra Tarvisium sint Bastiæ. Demum cuncta insidiosè paras, per quæ possis obesse. Abutebaris siquidem potentia Ducali, quæ tibi indulserat, benignè remittens injurias, quando primò ad damnum suum Hungaro adhæsisti. Invictissimum igitur Leonem, cujus magnanimitas lentè exit in iram, tunc importunæ injuriæ provocarunt; adeò quòd Serenissimus Dux cum suis Nobilibus, & generaliter cum omnibus Civibus & subditis unanimi & communi proposito Libertatis, & Ducalium jurium conservatione, tantas iniquitates & injurias propulsare decrevit. Clauduntur interim palatæ, congregantur potentes exercitus

tus in duabus baſtitis conſtructis, altera apud Novalem, altera apud Caſtrum Franchum. (*)

Raynerius de Guaſchis miles de Maritima Senarum præficitur Capitaneus Generalis, Thadæus Juſtiniano Proviſor in Romano expugnavit & viriliter capit Baſtiam, & Burgum Solagnæ, utiliſſima Venetis, hoſtique nociva.

Præfatus Capitaneus Generalis cum Andrea Zeno, & Dominico Michaële Gubernatoribus in manu potenti apud Liminam tranſit Brentam. In Flumine aliqui pedites, ſed pauci, perierunt defectu Pontis, qui ut ſperabatur, apponi non valuit. Felix exercitus Territorium Paduanum potenter invadit; non valens autem ob aquarum inundationem tranſire Brentellas, ſe per Vicentinum diſtrictum tranſtulit, intrans ad montes Paduæ & uſque ad balnea Abbani, commiſſa maxima præda, quia incolæ credentes eſſe tuti, ibidem manebant incauti.

Nunquam enim in aliqua novitate Paduæ hoſtes illuc intrare præſumſerant. Si exercitus continuaſſet viam ſuam versùs Montagnanam, majora obtinuiſſet, potuiſſetque ſe revolvere ad exteriores partes Paduanas uſque Plebem Sacci. Sed deficiente pane, licèt carnibus, vino, & ceteris abundaretur, orta quoque diviſione inter Capitaneum, & Nicolaum de Burſareto Mariſchalcum exercitus, retroceſſit ad Meſtrinum, iter tenens à Padua Vicentiam, ubi majora ſuſtinuit incommoda, veluti in locis per eumdem exercitum jam conſumtis.

At Rex Hungariæ Paduano execrabili aſſaſſineriæ exceſſu, infamia turpi notato, auxiliari nititur, & ejus perfidiam publicè confovere, venire non timens contra Canonicas Sanctiones expreſsè dictantes, *ut quiſquis Princeps, Prælatus, ſeu Eccleſiaſtica, aut Secularis perſona, quempiam Chriſtianorum per aſſaſsinos interfici fecerit, aut etiam mandaverit, quamquam ex hoc mors forſitan non ſequatur, aut ante eos receptaverit, ſeu occultaverit, excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, & honore, ordine, & officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto; ſit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus tamquam Chriſtianæ Religionis æmulus à toto Chriſtiano Populo diffidatus.*

Ut autem hujuſmodi errorem Rex colore aliquo palliaret, præmiſit Legatos, qui non pacem, ſed gladium mittere venerunt, non concordiæ tractatores, ſed partiales, & fautores publici hoſtis noſtri. Demum nulla diffidatione prævia, & fruſtra Pantaleone Barbo Ambaſciatore in Curia Regia exiſtente, & honeſtam ac veram juris noſtri informationem exhibente, tranſmiſit Hungarorum multitudinem, qui territoria Tarviſina hoſtiliter invaſerunt, committentes homicidia, ſpolia, incendia, atque prædas non parcendo ſexui, vel ætati.

Inſuper ut mentis acerbitatem rigidiùs panderet, Orbem patentibus implevit Epiſtolis, aſſerens Ducalem Excellentiam ad tractatum pacis cum Paduano attendere noluiſſe, cùm prædictus Dux numquam bellaverit, niſi ad finem pacis, & verbis pacificis honori Veneto conſonis ſemper intentas accommodaverit aures atque mentem.

Per ipſas quoque literas adversùs Venetos terra marique minatur, prodens, poteſtatem ſibi in terris divinitus traditam, ut opprimat

A elatos, & ſublevet oppreſſos. Si ſic eſt, ſi juriſdictionem ſuam in tantum cupit extendere, ut ſe faciat Actorem & Judicem, ſi rectè judicare proponit, judicium incipiat à ſe ipſo, qui pacem tam indebitè violavit, quam cum juramenti religione promiſerat obſervare; ſubſequenter ſumat de Paduano vindictam, quem tot malis ſceleribus, tot ſcandalis Deo & Mundo abominabilibus irretitum, quaſi ſimulacrum adorat. Sed qualis æquitas, quod rectum judicium dici poteſt, quod Venetum liquidum jus habentem flagellare quærit, & tyrannum perfidum ſublevare!

Mirum qui tantum Regem, qui non ab Attila flagello Dei, ſed à Chriſtianis Francorum

B Regibus traxit originem, immoderatus adeò amor adduxerit, ut per Epiſtolas & Nuntios invitet univerſas nationes ad prædam contra Venetos, qui pro Fide Catholica, & pro tuitione ac libertate univerſorum contra Turchos & Piratos propriis ſumtibus mare cuſtodiunt, ſalvo inſuper diadematis honore, non ſolùm in ſe, ſed in alios peccans, ac ſui erroris ſocios quærens, induxit Albertum & Leopoldum Auſtriæ Duces, poſtpoſitis fama, honore, & jurejurando, colligari Tyranno, & Venetis frangere pacem? Decuiſſet potiùs Regiam Majeſtatem potentiam ſuam, & Catholicorum Principum colligationem adversùs Infideles convertere ad Divini nominis laudem & robur ac ſalutem Fi-

C dei Orthodoxæ.

Ceterum quia prædictus Rex tam per terram, quàm per mare, multa minabatur, deſtinatum fuit à Ducali dominio ſtoleum galëarum ad partes Sclavoniæ, & ad alias partes, quarum extitit Capitaneus Michaël Delphino, & apud eum Proviſores duo, cum magna libertate, ſcilicet Petrus Juſtinianus Procurator Sancti Marci, & Petrus Cornario, taliter quòd nullus toto tempore guerræ apparuit hoſtis in mari, & galëæ & navigia noſtra pro mercaturis, ac ſi tempus pacis fuiſſet, liberè navigarunt.

Interea Paduanus de juſtitia & viribus ſuis diffiſus, tradidit Ducibus ſupradictis Civitates Feltri & Belluni, in qua re ipſi Duces non uſi

D fuerunt ea amicabili neceſſitudine erga Ducale dominium, qua Veneti erga eos. Nam primò pro pace habenda ipſa loca Venetis à Paduano oblata fuere, quæ recipere recuſarunt, ne ipſis Ducibus id moleſtum occurreret, & ne offenderentur Duces prædicti, qui jus in illis aſſerebant habere. Pro obſtando ex Hungaris mille, qui primò venerant in auxilium Paduano, tranſierunt ad partes Tarviſinas. Thadæus Juſtiniano equitat velociter ultra Plavim, exercitum alium congregans, in comparando (**) quo, & nondum unito, dicti Hungari exiſtentes apud Sacilium, clam noſtris exploratoribus captis, ſubitò tranſiverunt; quos Thadæus inſequitur uſque Plavim; ſed non omnes gentes noſtræ ſunt.

E Commiſſo itaque prœlio, & quàm pluribus ex Hungaris interfectis, tamdem noſtri veluti pauci ſuccumbunt. Equis autem ſauciatis à ſagittis, nonnulli ex noſtris ſtipendiariis fugerunt, relictis Thadæo Juſtiniano, Gerardo de Camino, Comite Ceneteſe, & Rizolino de Azzonibus, qui ſtrenuiſſimè rem gerentes capti fuerunt, & Paduam, deinde in Hungariam ducti captivi.

Exer-

(*) *In margine Codicis Ambroſiani hæc adnotantur*: Alibi legitur, quod Procuratores fuere Dominicus Michael, Andreas Zeno, & Thadæus Juſtiniano; Sed Michael fuit Præfectus antea, quam Rainerius de Guaſchis applicuerit. Qui Procuratores agrum Patavinum interim vaſtarunt, multis hic, & ibi prœliis confectis. Die XXIX. Octobris datum fuit vexillum Rainerio in Æde Divi Marci.

(**) *Cod. Amb.* in Campardo.

Exercitus noster Generalis rediit in Tarvisianum districtum, commoratusque est pluribus diebus apud suburbia Tarvisina majora, quia hostes clam conferebant cum fidelibus nostris, quia *nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur*.

Superveniens alia cohors Hungarorum mille non fuit ausa transire per Tarvisium (*) ad Civitates Feltri & Belluni, & tamdem descendens per locum Scalæ se de facto reduxit in Vicentinum districtum, & inde Bassianum.

Die Mercurii octava post sinistram Thadæi Justiniano pugnam, dextera Domini faciens virtutem, Ducalem justitiam plurimùm exaltavit, quia ubi non sperabatur pro tunc posse intrare Territorium Paduanum, exercitus navalis, cui præfuit Capitaneus Delphino Michaël, solùm cum probis Venetis Nobilibus, & Marinariis, & Ganzarolis, & duabus platis Mantuanis beltrescatis, aggressus fuit Turrim Curani fortissimam, & quasi inexpugnabilem, super qua, & in circuitu exteriori erant multi pugnatores; unde exterioribus devictis, partim scilicet peremtis, partim captis, partimque fugatis, devicta quoque inferiori fortilitia, interiores coacti sunt illam felici exercitui consignare.

Subsequenter in Festo Beati Joannis Evangelistæ idem navalis exercitus sese ulteriùs transferens, statuit vi armorum unam Bastitam aggredi vallo, & foveis circumseptam in contrata Lupæ Paduani districtus, pugnantibus viriliter hostibus ex adverso, ex quibus nonnulli occisi, & vulnerati fuere.

Post aliquos dies magis ultra, juxta tamen primam, addita fuit altera Bastita. In positione harum Bastitarum, mediante Divino præsidio, Bastitæ nostrorum Civium plurimùm valuerunt, in qua re laudabiliter etiam se gesserunt quamplures de generali exercitu terræ, qui illico properarunt absque equis.

Exercitus generalis, qui erat apud Tarvisium in copioso numero, & potenti manu, magna contra hostes, si obediens fuisset, facere potuisset; sed major pars retrograda & indisciplinabilis fuit, nolens equitare ad Bastitas, immo se reducens ad Montellum, damna plurima intulit contra fideles Ducalis Dominii; & in tantam devênit vesaniam, quòd longè pejora fecisset, nisi salubriter & cautè provisum fuisset per Petrum Mocenico, & Joannem Gradonico, tunc Gubernatores exercitus.

Inter ceteras autem provisiones, existentibus hujusmodi stipendiariis inutilibus, atque damnosis, recepto ab eis juramento, quòd usque ad annum adversùs Ducalem praeminentiam arma non sumerent, eos permiserunt abire, licentiato quoque Raynerio de Baseis insufficiente ad regimen tantæ rei (**). Reliqui ad Bastitas iverunt, de quibus & aliis gentibus novis campus in jamdictis duabus Bastitis viriliter restauratus est, discurrentibus armigeris nostris, & depopulantibus pro libito territorium Paduanum.

Jacobus Mauro Procurator S. Marci transmittitur Vicecapitaneus ad Bastitas, qui strenuè se gerebat, sed ex nimia sollicitudine infirmitate oppressus Venetias rediit.

Gibertus de Corrigia Capitaneus generalis, Leonardus Dandulo miles, natus Andreæ Dandulo olim Ducis, & Petrus de Fontana Gubernatores regimini succedunt exercitus.

Paduanus cum multitudine Hungarorum, Bastitis ad oppositum fabricatis, claudere nititur exitum nostræ gentis. Dum autem aliqui nostri nobiles cum nonnullis balistariis Venetis ad ponendum tertiam Bastitam exivissent, capti fuerunt, & aliqui eorum peremti, quia licèt viriliter pugnaverint, tamen contra nimiam hostium multitudinem durare non valuerunt defectu stipendiariorum, qui eos sequi, ut statutum erat, viliter neglexerunt. Sic alternat fortuna vices, maximè in bello; nam paucis diebus ante gens nostra viriliter obtinuerat ceperatque Antonium de Lupis militem Capitaneum Italicorum pro Domino Paduæ, & quamplures Hungaros valde notabiles; item unum probissimum militem de Alemannia, & alios.

Capitaneus sapiens erat, & doctus in expeditionibus bellicis, sed senio & ægritudine confectus modicum facere potuit; unde prædictis Gubernatoribus incubuit pondus guerræ, in qua profectò se strenuissimè gesserunt. Nam cùm gens nostra Bastitam aliam fabricaret, per quam invitis hostibus exire valeret; Stephanus Vayvoda Transylvanus Capitaneus Hungarorum, secundus à Rege, cum maximo Hungarorum, Patavorum, aliarumque gentium exercitu ad obstandum properè equitavit, contra quem Leonardus Dandulo Gubernator exercitus vigorosè exivit; sed ipso die Hungari bellum committere recusarunt.

Altera autem die, quia Gubernatores dicti regebant, Petrus della Fontana Gubernator hostibus se præsentat, quibus exeuntibus in equis, Gubernator, tunc dimissis omnium equis, pedes bellare statuens, cunctos hortatur ad pugnam, quamvis pauciores forent numero, sed non corde. Inter cetera aciebus dispositis mandavit, ut constanter aggrediantur, & constantiùs perseverent, neminique liceat in fuga sperare salutem, quia ipsum persequeretur ut hostem hostiliter. Subjiciens se ipsum eidem legi, ut si fortè terga dare videretur, quilibet ipsum impunè perfodiat. Sicque cuncti suis ordinibus audacter concurrunt in hostes. Maxima vi hinc inde certatur; nostri adeò viriliter instant, quòd assistente Divina gratia, intercessionibusque Beatissimi Marci Evangelistæ, sub cujus vexillo pro justitia & honore Ducali pugnatur, ac Martialis Martyris, cujus festivitas eo die celebrabatur, felix noster exercitus victoriam memorabilem obtinuit & triumphum.

Cæsis & vulneratis hostibus in maximo numero, captisque Vayvoda Capitaneo, & omnibus Proceribus Hungarorum, & aliorum, inter quos fuerunt mille milites Hungari, ac Bonifacius, & Antonius de Lupis, Comes Sancti Bonifacii, Niger de Nigris milites, & multi alii Paduani, prostratis in illo conflictu vexillis Regio, & Paduano. In qua quidem victoria idem Petrus de la Fontana dignissimo militari cingulo decoratur.

Tunc Paduanus ad tantum terrorem dejectus est,

(*) *Codex Ambrosianus*: Transire per Tarvisinum districtum, sed in Foro-Julio montes conscendens, transivit per Polcelicum, ac Civitates &c.

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi est legere Rainerium voluisse transire Brentellas, sed Procuratores noluisse, & præcipuè Dominicum Michaelem, quem fama erat a Domino Carrario subornatum fuisse, auro illi in vase vini transmisso, ideoque Rainerium iratum renunciasse Præfecturæ. Conducti inde fuere Franciscus Ordelaphus, qui loco Rainerii exercitui præfuit, quo usque Corrigiensis accessit, & Dominus Forlivii, & Joannes de Gajuglionibus Etruscus, & alii.

est, quòd si stipendiarii nostri, sicut Gubernatores appetebant, ad longiorem prosecutionem institissent, cuncta usque ad muros Paduæ absque obstaculo habuissent in prædam. (*)

Datur nihilominus stipendiariis paga dupla, captivi quoque ducuntur ad carceres; Nobiles in Cameras Palatii, reliqui ad oras Sancti Blasii. Verùm stipendiarii sub quodam abusivo more omnino contra debitum rationis relaxaverunt supradictos duos Lupos, & Comitem Sancti Bonifacii, dicentes ipsos esse forenses, & provisionatos Domini Paduæ, unde potiri debebant beneficio bonæ guerræ, qua stipendiarii abutebantur. Hinc inde, dum caperentur, relaxabantur ad finem, amissis equis & armis.

Ad obtinendam suprascriptam victoriam plurimùm contulit, quia nostri bellatores inter territorium & paludes hostes prævenientes arctarunt taliter, quòd existentes in equis, à balistis, arcubus, ensibus, & lanceis undique lædebantur.

Beati Martialis Festivitas ob prædictam, aliasque victorias divinitus concessas, tunc effecta est Venetiis celeberrima & solemnis.

Jam oritur murmur in Populo Paduano contra Tyrannum, affirmantibus cunctis, hunc conflictum divino contigisse judicio, quia non fovet justum bellum; asserentibus quoque latorum camporum spatia in Paduano districtu squallida jacere, & inculta, ac neglecta ab isto nostro Domino, qui contra justitiam aquas & paludes Venetorum nititur occupare, & contra naturam reducantur ad cultum. Ob hoc nos tenet in guerris quibus personaliter, & realiter affligimur; ob hoc se & nos subdit Hungaricæ servituti, à qua magis quàm ab hostibus flagellamur. Nec fas est conqueri de personalibus, & realibus injuriis, quas nobis irremediabiliter inferunt.

Paduanus autem variis perplexus curis, licèt statum suum declinare videret, nesciebat, tamen se reducere ad tramitem veritatis; unde sub spe Hungarica pertinaciter induratus bastitas ejus reficiebat contra nostras, confidebatque plurimum in tractatibus, quos cum stipendiariis nostris insidiosè quærebat. Contaminavit autem cum pecunia lanceas quingentas nostras, quæ asserentes se complevisse firmam suam, exiverunt principales Bastitas. Et eadem die hostis aggressus fuit & expugnavit Bastitam ulteriorem, per quam ad damnum hostium habebatur accessus.

Ducalis Excellentia jam providerat instaurare vires suas cum gente recenti; unde apud Mediolanum firmantur mille lanceæ novæ gentis, quæ per Brixiam descendentes usque Mantuam, paratæ erant juxta Veronam venire cum Jacobo Mauro Procuratore, qui constitutus erat Capitaneus Generalis, & jam iverat cum multis armigeris usque Veronam, inde descensurus contra Paduam per aliam viam quàm per Bastitas. Habebant enim secum Marsilium de Carraria fratrem Francisci, qui Marsilius, ut guerra cessaret, & Civitas Paduæ ad statum bonum reformaretur, quærebat deponere fratrem. Sed ejus proposito per cujusdam brevis inventionem propalato, intentio sua caruit effectu; unde ad gremium Ducalis præeminentiæ se reduxit; pro cujus recessu intestinum odium remansit in Padua, adeò quòd Franciscus timebat intus & extra.

(*) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno MCCCLXXIII. die XVII. Julii obiit Venetiis Dominus Eribertus de Corrigio, cui suffectus à Patribus in Imperium exercitus Dominus Franciscus de Ordelaphis, Dominus Forlivii.

A Gregorius Papa Undecimus absque intermissione suasit partibus pro pace, nunc suavissimis epistolarum eloquiis, nunc per prudentissimos & Reverendos Apostolicos Nuntios. Tamdem ad supplicationem Paduani idem Papa per germanum nomine Sanctitatis suæ, ac per nepotem, ob hanc causam Venetias destinatos, hortatur efficaciter ad pacem Ducale Dominium. Unde Reverendissimus Presbyter D. Thomas Sanctæ Sedis Gradensis tunc Patriarcha, & postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir siquidem magnæ auctoritatis & reverentiæ, tum sapientiæ profunditate, tum morum honestate, & commissione Apostolica, rogatus à prædicti Pontificis germano, non valente ob alia imminentia hìc morari, efficacissimis tractatibus pro pace la-
B borat.

Paduanus, erroribus & periculis suis cognitis, saniori consilio per eumdem Patriarcham Ducali benignitati supplicat, ut dignetur ad gratiam reconciliationis ipsum clementer admittere. Fateor, inquit, contra Ducale Dominium graviter deliquisse, & meis demeritis fuisse punitum. Fateor, me victum, & durum contra justitiam calcitrare adversùs Ducalem Excellentiam, quam Progenitorum more propono semper in matrem & Dominam revereri, nec ab ejus beneplacito in aliquo resilire. Utinam cor verbis responderit; nam latuit venenum ad tempus; sed nisi solus Deus potest corda scru-
C tari.

Serenissimus Dux prudentissimè considerans, Divinam Majestatem eidem de tanta guerra honoris gratiosa plenitudinem contulisse, & superatis hostibus posse ad finem honoris & gratiæ pacis, pro qua pugnaverat, pervenire, abhorrens ab intimis effusionem sanguinis Christiani, & utriusque partis incendia atque damna; volens insuper saluti suorum Civium providere, qui pro honore patriæ sponte se manifesto discrimini exponebant. Nam tanta aëris corruptio in Bastitis Venetis & Paduanis suborta erat, quòd humana corpora pestifera labe confecta, aut moriebantur, aut longa infirmitate languebant: deliberavit cum suis venerabilibus Consi-
D liis Vicarium Paduæ benignè suscipere ad gremium benevolentiæ atque pacis. (**)

Anno igitur ab Incarnatione D. N. J. C. MCCCLXXIII. die XXI. Septembris Pax celebrata est Deo & Mundo gratiosissima, dummodo altera partium voluntatem habuisset pacificam, sicut linguam. Nam quamvis ad exaltationem nominis & famam Venetiarum honorabilis & excellens meritò censeretur; tamen utrique parti utilis valde fuisset, ad evitandum plurima scandala & errores. Illustris Rex Hungariæ per Legatos & Procuratores suos ipsam ratam habuit, & solemniter approbavit; sed salvâ suæ Majestatis reverentiâ illam modico tempore observavit.
E

Pacis Capitula fuere in effectu.

PRimò datur Domino Duci, & Communi Venetiarum plenissima auctoritas & libertas cum solemnitatibus opportunis eligendi tres vel quinque Nobiles Cives Venetorum, qui per eorum majorem numerum cognoscant, & per definitivum determinent omnes lites & contro- ver-

(**) *In margine Codicis Ambrosiani*: Alibi legitur, quòd Fratres Vaivodi capti suasere Regi, ut suaderet Domino Paduæ, ut pacem, quam posset conficeret, qui Vaivodam ex vinculis liberaret.

versias Confinium inter Ducatum Venetiarum, & Paduanum, & inter Tarvisinum, & Paduam & Bassianum, ponantque, & firment terminos atque signa, ubi eis justiùs videbitur, statuto trium mensium termino ad hæc peragenda, quem Dominus Dux usque ad tres menses cum suo consilio valeat prorogare. Per hoc Capitulum attribuitur immensus, & per secula memorabilis honor Domino Duci, & Communi Venetiarum, dum ipsimet constituuntur Judices rei litigiosæ, quæ causa guerræ fuerat, & omnium scandalorum, & incitativa discordiarum, præsertim Anno Domini MCCLXIV. MCCXC. MCCCIV. in concordiis tunc factis numquam vulnus fuit plenè curatum. Nam partes in compromissis utebantur hujusmodi verbis; aut enim dicebant: *Quòd arbitri eligerentur super quæstionibus, exceptis Confinibus, qui absque præjudicio partium starent, ut stabant*. Aut dicebatur: *quòd de Confinibus nihil dicatur, nec veniant in compromissum; sed remaneant in eo statu, in quo nunc sunt, sinè præjudicio partium*. Utinam in hodierna conclusione tunc facta conservata fuissent; cessassent hinc inde cædes, damna, & dispendia infinita. Tunc autem radix morbi remansit, quæ absque cauterio evelli non potuit; nam crescente territorio circa loca Confinium, crescenteque dominandi cupiditate, Vicarius Paduæ in hos pravos devênit errores; nunc autem cessante malorum causa cessare debebat effectus, & partes perpetua caritate & pace quiescent, assistente clementia J. C., qui dum foret ascensurus ad Patrem, ait discipulis; *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*.

II. Paduanus solvet Ducali Domino Ducatorum auri centum millia pro parte expensarum in guerra factarum, rogans, ut reliquæ expensæ remittantur. Solvet enim in præsentia ducatorum quadraginta millia, & XIV. millia singulis annis usque ad perfectam solutionem.

III. Destinabit Venetias Franciscum de Carraria juniorem unicum filium ejus, qui in pleno Populo super sala majoris Consilii, nomine Patris, ante venerabilem conspectum inclyti Ducis delatus, petet veniam de omnibus injuriis & offensis.

IV. In recognitionem erroris & offensæ promisit idem Vicarius Paduæ solvere Domino Duci, & Communi Venetiarum usque XV. annos ducatos CCCC. auri omni anno convertendos ad Ecclesiam Sancti Marci.

V. Quòd si ipse Vicarius Paduæ ullo tempore requireret Civitates Feltri, & Belluni, teneatur restituere Duci, & Communi Venetiarum Casa-matta districtus Serravallis, & Terram Sancti Baldi districtus Vallis Marani, & Clusam Queri districtus Tarvisii.

VI. Turris Curani, quæ dicebatur esse Territorii Paduani, remaneat, & esse debeat cum suis pertinentiis versùs aquas salsas in pleno dominio Domini Ducis, & Communis Venetiarum; nec Dominus, vel Commune Paduæ, seu successores sui possint umquam facere, vel fieri, seu ædificari aliqua Fortilitia ullo modo per septem milliaria prope ipsam Turrim.

VII. Prosternentur Castrum Ordiaci, seu Portus novi, & Turris existens in oppositum ad alteram ripam Brentæ, taliter quòd in Villa Ordiaci non possit umquam reædificari aliquod Fortilitium. Prosternetur etiam Castrum Carrum, promisso, quòd à Buvolenta infra versùs aquas salsas per duo milliaria infra terram super illis fluminibus vel aquis ad neutrum latus aliquod fortilitium construi valeat.

VIII. Bastitæ propter guerram constructæ amoveantur hinc inde.

IX. Universæ condemnationes, processus, ac banna edita per partes occasione Confinium contra Clugienses, & illos de Capite-Ageris, de Castro Franco, & Asylo, de Romano, nec non contra illos de Bassiano, & alios subditos Domini Paduæ, & generaliter quoslibet utriusque partis subditos, annullentur in totum.

X. Intromissiones factæ hinc inde de bonis partium cassentur, & bona, & reditus Monasteriorum, & subditorum partium restituantur.

XI. Utrinque liberè relaxentur captivi.

XII. Quia pacta antiqua, illa scilicet, quæ vigebant tempore Jacobi de Carraria Patris præsentis Domini, sunt honorabiliora, & præstantiora pro Ducali Dominio Venetorum, ipsis confirmatis, cetera abinde citra cassentur, excepto pacto Salis Clugiæ, quod eidem Domino Paduæ firmum remaneat de speciali gratia.

XIII. Adhærentes & sequaces partium includantur in pace.

XIV. Cùm Marsilius de Carraria frater præsentis Vicarii Paduæ adhæserit Illustri Ducali Dominio, actum & promissum fuit, quòd integrè gaudeat bonis & reditibus suis, quæ habebat, antequam exiret, quòdque possit ipsos reditus Venetias conducere tamquam Venetiarum Civis; & de hoc capitulo Vicarius Paduæ se constituit debitorem Ducali Dominio.

Prima pars guerræ Hungariæ, ac colligatorum ejus.

Miretur etiam universus Orbis Catholicus pariter & Paganus, quòd Serenissimus Princeps Dominus Ludovicus Hungariæ Rex Illustris absque causæ cognitione contra Venetos, Regni Franciæ, unde traxit originem, vetustissimos & singularissimos zelatores, dignitatem tantæ Prosapiæ maculaverit, ut præter Illustrissimarum & Sanctarum Matris Conjugisque Reginarum, & Baronum Hungariæ conscientiam, adhæserit nationi Deo & hominibus exosæ Januensium, qui semper de rapto vixisse noscuntur.

Miretur quoque de tanto Rege solito pugnare pro Fide Catholica contra Barbaras nationes, quomodo gladium suum vibraverit adversùs pacem solennissimè celebratam, & adversùs Venetos Catholicos & Orthodoxæ Fidei invictissimos defensores, amantissimosque Regiæ Majestatis.

Miretur insuper de Paduano, qui salva pace sua, rupto recenti pacis & juramenti fœdere, totius scandali causa fuit, nisi quia à claræ memoriæ Progenitoribus suis de Carraria, intimis & cordialissimis Venetiarum amicis declinans, quasi à suæ nativitatis sidere coactus, semper anhelaverit in perniciem Venetorum. Taceo de Marcuardo Patriarcha Aquilegiense, qui extremam senectutem suam, divino cultu omisso, injustum convertit ad bellum. Considerare siquidem colligati debuissent, quòd durum est contra stimulum, seu potiùs contra Divinam potentiam recalcitrare. Nam sicut Petri Navicula fluctuare potest, sed non mergi; sic & Navicula Marci Discipuli sui, qui Divinâ providentiâ Civitatem Venetiarum gubernat & regit; & si quando à fluctibus agitari videtur, ipsam tamen ad portum salutis dirigit, atque firmat non solùm ad privatum commodum, sed totius Reipublicæ generalem utilitatem & bonum. Nam velut quintum elementum necessariò stat pro muro Fidei contra Turcos, & alios Infideles, stat pro refu-

refugio cujuſcumque cupientis libertate potiri: tantum bonum turbat, qui hanc almam Urbem ſatagit perturbare. Quamvis autem non ſit abſque culpa, qui rei, quæ ad ſe non pertinet, ſe immiſcet, tamen excuſandi forent, ſi parti juſtiori faviſſent.

Bellum atrox non ſolùm noſtris partibus, ſed univerſo Orbi, perniciosiſſimum narraturus, brevi oſtendam, quis juſtiùs induit arma. Regnum Cypri ſub colore indebitæ vindictæ Januenſes occupare nitebantur. Ducale Dominium nequaquam ex debito, ſed ad eorum preces, & pro vitandis ſcandalis, exactâ diligentiâ decrevit, ne mercatores Veneti uterentur in Regno. Numquam tamen murmurare ceſſabant calumniantes, quòd contra eos præſtabantur adminicula & favores, noſtriſque mercatoribus, qui ante Regni invaſionem degebant ibidem, damna & injurias perſonalia & realia multipliciter intulerunt. Quorum reſtitutionem & reformationem per quamplures ſolemnes Ambaſciatores amicabiliter requiſiti, licèt promiſerint, numquam facere curaverunt.

Chier Andronicus primogenitus Calojani Græcorum Imperatoris, necnon Saucibeus Zalabei filius Amurati Bey Turchorum profana ac deteſtabili unione conſpiraverunt in Patres; ſed paterna perſecutione devictis, Amuratus filium proprium oculis privavit totaliter; Græcus autem ſuum genitum, & geniti filium cœcatos, ſe non plenè, perpetuum ad carcerem damnavit.

Januenſes tractatu cum cuſtodibus habito, Chier Andronicum & filium à carceribus liberant, & confovent contra paternam pietatem, & per conſequens contra omnia naturalia, & civilia jura, contraque bonos mores & pernicioſum exemplum. Et ut eorum veſana nequitia execrabiliùs uſque ad ſacrilegium deſerviret, Chier Andronicum induxerunt ad proſtituendam ſororem propriam pulcherrimam virginem Chriſtianam in concubinam Amurati Bey Turchi, hoſtis nominis Chriſtiani. Sed Deus non permiſit perfici tam abominabile ſcelus, quia antequam traderetur, fuit de hac luce ſubtracta. (*) Occupatur Imperium Conſtantinopolitanum; carceratur Pater verus Imperator, & unà cum Imperatrice, ac ceteris filiis acerbiſſimè affligitur; carcerantur nobiles viri Petrus Grimani Bajulus, & mercatores noſtri Conſtantinopoli converſantes, boniſque & mercationibus ſpoliantur.

Populus Tenedos memor promiſſionis Calojani Imperatoris de concedendo dictum locum ſub mutuo, & pignore Ducali Dominio Venetiarum, volenſque inhumanum & aſperrimum ſervitutis jugum Januenſium evitare, cum Crucibus elevatis & devotione maxima ſuppliciter ſe ſubmiſerunt, ſalvo jure Calojani legitimi Imperatoris, ad protectionem mitiſſimam Venetorum. Quod Januenſes moleſtiſſime tulerunt, aſtruentes, ſe habere Bullas aureas de dicto loco à Chier Andronico, qui falsò nomen Imperatoris induerat, & nullum prorſus in eo jus habebat, imò pro læſæ majeſtatis crimine & parricidii ſcelere omni dignitate, honore primogenituræ, & hereditate paterna omnimoda ipſo facto privatus erat ex parricidii ſcelere. Finis tantæ Januenſium veſaniæ erat, ut à Mari majori ſolùm ob invidiam excluderent Venetos, & ceteras nationes, invadendo Imperia & Regna quorumcumque, ita ut non ſupereſſent niſi climata Babiloniæ Soldano ſubjecta.

Patet ergo evidentiſſimè juſtiſſimum bellum Venetorum, quibus juſtitiam, æquitatem, & pacem amantibus, totus Orbis Catholicus pariter, & Barbarus favere deberet.

Damianus Cathanius Januenſis Legum Doctor ſub colore Legationis Venetias deſtinatur, rogans, ut Inſula Tenedi Chier Andronico reſtituatur. Reſpondetur, quòd quandocumque Calojanus verus Imperator reſtituetur ad Imperium, erimus de ipſo loco cum Majeſtate Imperiali bene concordes.

Interea detegitur infœderatio Januenſium cum Domino Hungariæ Rege, Paduano, & Patriarcha Aquilegienſe. Venetiani etiam cum Domino Petrò Rege Jeruſalem & Cypri, ac Domino Bernabove Vicecomite Mediolani Domino, confœderantur.

Ignis jam publicæ guerræ uſque ad flammas erigitur; armantur utrinque galêæ. Nobilis Vir Hugo de Sancta Pace ſe tranſtulit Venetias cum VI galêis ex Aragonia, expenſis Petri Jeruſalem & Cypri Regis armatis. Ducale Dominium addidit VI. galêas, quarum fuere Supracomiti viri nobiles,

Joannes Miani,
Joannes Barbo,
Petrus Quirino,
Franciſcus à Bocholis,
Franciſcus Mocenico,
Jacobus Zanne.

Cum quibus quidem galêis duodecim Anno MCCCLXXVIII. primo menſis Julii Domina Valentina nata Domini Bernabovis Vicecomitis, ac prædicti Domini Regis ſponſa transfretavit in Cyprum. Noſtræ galêæ nonnullos favores præbuerunt eidem Regi adversùm Januenſes occupantes Civitatem Famagoſtæ; & inde recedentes plurima damna in diverſis partibus navigiis Januenſium intulerunt. Prædictæ autem VI. galêæ vocatæ ſunt ad guadagna.

Primum bellum fuit apud maria Romæ in loco Scuræ prope Caput Antii, ubi egregius Victor Piſani Capitaneus XIV. galêarum cum duobus Proviſoribus nobilibus viris Ludovico Lauredano, & Pantaleone Barbo Anno MCCCLXXVIII. die trigeſima menſis Maji conflixit hoſtium galêas decem, quarum erat Capitaneus egregius Ludovicus de Fliſco, qui cum VI. galêis captis ductus eſt ad carceres Venetiarum, reliquis cum IV. galêis fugientibus, ſauciatis, & ſemivivis; ſperabant enim prædictæ decem galêæ uniri aliis decem galêis ſuis venturis de Romania. Januenſes audita ſuarum decem galêarum ſtrage, ſubitò dolore & furore tumultuantes, Magnificum virum Dominicum de Campo Fregoſo eorum Ducem deponunt, & deprædantur, ipſo cum Petro ejus fratre miſerabiliter vinculato. Dum autem maturiores ad locum Minorum de Janua pro futuri Ducis ordinata electione celebranda conveniſſent, inſonuit, quòd egregius vir Nicolaus de Guaſco à plebe ad Ducale ſolium portabatur. Interim ad ſupradictas XIV. galêas ſupervenerunt quarta Julii Anno MCCCLXXVIII. apud Inſulam Iſchiæ quinque galêæ armatæ in Creta. Die

(*) *In margine Codicis Ambroſiani:* Anno MCCCLXXVIII. XXIV. Aprilis Nicolaus de Clugia Notarius Curiæ Venetorum miſſus eſt à Republica Veneta Genuam ad diffidandum, qui in termino CXII. dierum ivit, & rediit terreſtri itinere.

Die autem decimaseptima Julii (*) prædictus Capitaneus victor galearum Januensium cum aliis Capitaneis inde se transtulit ad Civitatem Cathari, tunc Regi Hungariæ subditam, qua die Dominica decimaquarta Augusti MCCCLXXVIII. devicta, & saccomanata, pepercit Civibus, eisque Civitatem restituit, Castro in custodia Ducali retento. Sentitoque quòd Januæ nova galêarum instauratur armata, vir nobilis Jacobus Delphino miles cum decem galêis, & subsequenter nobilis vir Petrus Gradonico cum VI. galêis ad classem, seu stolum prædictum illico transmittuntur. Exeunte de mense Septembris MCCCLXXVIII. nova armata Januensium supradicta, Capitaneus noster ad eos reperiendos properans ivit apud Neapolim, quòd illuc transiverant; unde recedens die noctuque persecutus est eos. Applicans autem decimo Octobris supra Caput Sanctæ Mariæ Otranti, detexit XVII. galêas Januensium, quas ob nimiam distantiam, hominumque nostrorum lassitudinem, quia in persequendo numquam cessaverant, eas capere minimè valuerunt. Nostræ igitur galêæ pro victualibus, quibus summè indigebant, iverunt in Apuliam, quibus susceptis, versùs Jadram quanto citiùs navigarunt, ubi nullas galêas hostium invenerunt. Persistentibus ibi aliquibus diebus, & Portum & Civitatem stimulantibus cum bombardis, die XXII. mensis Octobris applicuerunt ad eos supradictæ VI. galêæ à guadagna.

Die XXIV. Octobris Capitaneus noster ivit ad partes Sebenici, & dimissis duabus galêis ad custodiam Punctæ, & duabus ad Sanctum Nicolaum, intravit cum navibus Gulphum dictæ Terræ, præmisso Nobili viro Ludovico Lauredano Provisore cum IX. galêis ad tentandum corda Sibernicensium. Sed viso, quòd se ad defensionem parabant, aliquibus nostris intrantibus capta fuit Civitas, & incendio ac prædæ submissa.

Revertuntur nostræ galêæ Jadram; stantes ibi multis diebus, custodientes, ne galêæ hostium Portum Jadræ introirent.

Die Mercurii decima Novembris prædicto Ludovico Provisore eunte Arbam cum decem galêis, confestim Arbenses clavibus exhibitis ad suum verum Ducale Dominium redierunt.

Tota Classis à Jadra recedens die XVI. Novembris reperit sub muris Tragurii intra Prioparevam, & palatam, supradictas decem septem galêas Januensium, non audentes inde recedere. Verùm quia Insula opposita producit ibi duas buccas, per quas ad Civitatem patet accessus, quamvis gentes nostræ plurima damna Tragusinis intulerunt, pluribusque diebus Scudæ permanserunt, plena tamen obsidio firmari non potuit.

Hyems tota in partibus Dalmatiæ consumta est, illatis maximis damnis maritimis & terrestribus contra Ragusium, & partes Dalmaticas.

Bonus Dux noster, ne Annona Civitatibus & fidelibus suis desit, semper vigilans, destinatis quampluribus Usceriis, seu galêis grossis, contis, aliisque navigiis mandavit, ut galêis nostris sociarentur in Apuliam, & inde Polam.

Sic die Dominica XXIV. Aprilis recessit Capitaneus noster à Manfredonia cum omnibus galêis, & navigiis, ac tritici maxima copia, quibus usque Polam sociatis, iterum ad partes Dalmatiæ revertitur; tamdem ob immensitatem algoris, maritimæque tempestatis, gentem nostram non paucis coactam incommodis se oportuit reducere ad Portum Polæ. Utinam venisset usque Venetias, ubi pleniùs refecta fuisset.

Mittuntur Polam subvenientes pecuniæ victualium, & galêarum de novo armatarum. Galêæ veteres reparantur in Portu Polensi; sed antequam reaptatæ fuissent, quia aliquæ palonabantur, aliquæ non omnes viros suos habebant, aliquæ ab aliis remotæ erant, supervenerunt hostes Anno MCCCLXXIX. die V. Maji cum XXIII. galêis & duabus Galladellis, licèt demonstraverint solùm galêas XVIII. contra quas ex nimia audacia primò XVI. ex galêis nostris exiverunt, subsequenter duæ semiarmatæ hostibus dissimulantibus fugam, donec fuerunt prope alias quatuor, quæ in insidiis latitabant. Ad primum enim insultum egregius vir Lucianus Auria Capitaneus Januensium extitit interfectus, aliquibus ex galêis hostium conflictis.

Tandem nostris, sicut casus dedit, succumbentibus, oportuit Capitaneum nostrum recedere cum IV. galêis, ita quòd galêæ XIV. ad manus hostium remanserunt cum multa ipsorum hostium strage, & multis vulneratis. Si fas est dicere, non Deum, sed fortunam, quæ in omni quippe re juxta Salustii sententiam plurimùm dominatur, accuso. Usque in illam horam cuncta pro Venetis, immo pro justitia successerunt. Equidem tam potentissimi hostes conflicti obsidione, expensis, & damnis, atque tœdio adeò erant afflicti, quòd pro certo tantæ guerræ finis pacificus meruisset imponi. Sed hostis humani generis, qui discordiæ fomitem ministraverat, potestatem propter peccata hominum habuit illudendi Januensibus, ut pro dicta victoria elati velut aspis surda recusarent acquiescere paci, se futuris calamitatibus reservando.

In tantam enim Januenses eorumque Colligati insolentiam devenerunt, quòd inexpugnabilem Civitatem Venetiarum vincere ausu temerario se jactarent.

Veniunt ergo cum suo exstoleo die Pentecostes MCCCLXXIX. supra Portum Sancti Nicolai de Litore, ubi casualiter invenerunt unam Coccham Mocenicam de partibus Syriæ venientem, quam absque aliqua eorum utilitate cremarunt. Ausi autem non fuerunt appropinquare ad Catenam, nec ad Fortalitium ibi constitutum, optimis balestrariis & aliis armigeris communitum, ubi erat Capitaneus egregius ac strenuus miles Dominus Jacobus à Caballis Veronensis, ut Januenses haberent causam à mari Adriatico recedendi. Transmittuntur Anno MCCCLXXIX. die VIII. Julii aliæ VI. galêæ peroptimæ armatæ ad Carolum Zeno ad partes Neapolitanas existentem, quarum fuerunt Supracomiti viri nobiles,

Michaël Delphino,
Franciscus à Boccolis,
Ludovicus Dandulo,
Nicolaus Zeno,
Petrus Quirino, &
Joannes Barbo.

Ipse autem Carolus ad Riperam Januæ cum aliquibus galêis se transtulit, qua plurimùm læsa

(*) *In margine Codicis Ambrosiani:* Hoc anno MCCCLXXVIII. mense Junii Franciscus Carrarius misit Nuncium Venetias ad diffidandum Venetos nomine suo, Regis Ungariæ, & Patriarchæ Aquilejæ. Patriarcha hoc tempore misit equitum manum ad deprædandum agrum Tarvisinum usque ad Sanctum Ambrosium. Caminates, Girardus, & Guecillo rebellant Venetis; Qui Reguli multa oppida circa Plavim possidebant.

læsa ad maria Orientalia se convertit, in quibus nonnullis Januensium navigiis igne & præda consumtis, multisque Januensibus ad carceres Cretæ transmissis, assumtis apud se galêis Nigropontis, & galêa Tenedi, Constantinopolim properat, ubi Calojanum Imperatorem, expulso Chier Andronico, in Imperium restaurat, Januensibus de Pera multipliciter offensis. Januenses ad partes Clugiæ se transtulerunt, conjungentes partem galêarum suarum cum ganzarolis Paduanorum juxta Turrim Narsaroli, à qua parte victualia receperunt, sinè quibus stare non poterant. Unitæ sunt quoque secum in multitudine gentes armigeræ.

Firmati ergo in Clugia parva, jam sponte per nostros derelicta, & pro parte combusta, intulerunt plures pugnas ab omni parte Civitati, & pluribus diebus, in quibus quidem pugnis multi eorum interfecti sunt, & vulnerati. Demum applaudente sibi fortuna, ut magìs inposterum lætentur, dum utrinque per totam diem extitisset asperrimè pugnatum, ita ut jam Dominus Paduæ, qui interfuerat, tœdio affectus recederet absque spe: ecce igne ad pontem Clugiæ parvæ juxta Sanctum Dominicum supposito hostes intraverunt, Civitatemque Clugiæ occupant, fugientibus cunctis præter virum Nobilem Petrum Aymo tunc Potestatem, qui profectò cum aliquibus paucis optimè se habuit, & viriliter usque ad ultimum se defendendo super platea captus fuit. (a)

Amissio Clugiæ, claudendo Portam Venetiarum, maximam ruinam secum traxisset, nisi Divina Providentia, cui ab ipso primordio Venetiarum Civitas extitit commendata, ut apparebit in sequentibus, mirabiliter assuisset. Confestim enim Lauretum, Turris Babiarum, Caput Ageris, & cetera loca circumstantia, excepto Castro Salinarùm, perdita fuerunt, & per consequens præclusa via Lombardiæ, discurrunt hostes Mathemaucum, & Pupiliam, quamvis sponte jam à nostris ipsa duo loca derelicta & devastata fuissent.

Hostes cum majori parte galêarum, & multis Paduanorum navibus castrametantur in Mathemauco, tenentes ad custodiam singulis noctibus ad Cavanam unam galêam à Savonensibus optimè armatam, quam aliquæ barchæ nostræ armatæ nocturno tempore aggrediuntur cum omnibus hominibus, & capiunt, atque comburunt. (b)

Quamvis minimè trepidatum esset, tamen nonnulla merguntur navigia, palatæque in multis locis firmantur, ne hostes valeant pertransire. Dominicalis custodia fit ad Portum Sancti Nicolai, clausum cum fortissima catena, & antrithena, ad cujus defensionem citra catenas stant tres Cocchæ cum balistrariis multis. Murus quoque fortissimus erat à mari usque mare claudens Monasterium, habensque tres foveas, successivè bitifreda, & corridora cum bombardis abundè, ita ut omni ex parte opponeretur adventui hostium galêarum, quæ sæpe visitabant locum, sed minimè appropinquabant. Batelli insuper, & barchæ nostræ exeuntes cum bombardis sæpe expellebant easdem: pars nostrorum equitum, & peditum insultabant hostilem campum ad Mathemaucum, reducentes secum captivos, & prædam (c).

His temporibus Civitas nostra fuit multipliciter stimulata. Regi Hungariæ non suffecit occupasse . . . . . . Portum Dalmatiæ, & galêas, sed exercitum in magna potentia ad partes Tarvisinas transmittit sub Capitaneatu Illustris Domini Caroli à Pace Hungari. Et Paduani valde potenter aggrediuntur Mestre; Burgum Sancti Laurentii contiguum expugnant & occupant, igne immisso cum rochetis ad domos paleatas nostras. Cives se reducunt in Burgum principale, quod viriliter defenderunt; nam licèt undique in formam Crucis machinæ & bombardæ non cessarent, licèt etiam locus fortitudinem & gentem ad sufficientiam non haberet, tamen nocte, invitis hostibus, imò per medium illorum, auxilio optimorum virorum, & sagittamentis copiosè recepto, hostilis rabies, dum pugnat, dejicitur, combustis ejus gattis, aliisque ædificiis vigorosè fugatur, nonnullis ex eis mortuis, vulneratis, & captis.

Interjecto tempore Hungari cum Paduanis Castrum Romani insultant, obsident, pugnant, sed in pugnis deficiunt. Tamdem subterraneis insidiis, & unius Comestabilis interioris infidelitate, contra voluntatem Catherini Dalmario Capitanei (d) renitentis, Castrum obtinent, salvis personis & rebus.

Conveniunt plerumque Ambasciatores partium pro tractatu pacis, quam Paduanus semper pro viribus impugnavit, suggerens Regiæ Majestati, ipsam in brevi futuram Dominam tam gloriosæ, & liberæ Civitatis.

Vana profectò spes tua, Paduane; sed nequam, & plenissima dolo, & tibimet impossibilis videtur, dicente Propheta: *desiderium peccatorum peribit*. Subitò enim mellifluo colore Majestatem Regiam satagis retinere, ne resipiscat ab incœptis. Sed quod Paduanus operatur ad malum, solita Dei providentia convertit in maximum bonum; & mora fecit, quod ratio facere nequivit. Nam egregii & prudentissimi viri Nicolaus Mauroceno Decretorum Doctor, Jacobus de Priolis, Zacharias Contareno, Joannes Gradonico, & Michaël Mauroceno Procurator Ecclesiæ Sancti Marci Ambasciatores & Syndici numquam defuerunt in partibus Tarvisinis, & alibi, quorum profectò sapientia, & eloquentiæ vis ad Reipublicæ salutem plurimùm valuerunt. Adversa enim pars, scilicet Illustris Dominus Carolus de Durachio, & aliqui Prælati, & Barones pro Regia Majestate Hungariæ, Ambasciatores Januensium, Patriarcha Aquilegiensis, & Paduanus ob malefidam fortunam, mundanamque potentiam, nimis elati, in petitiones injustissimas, Deo & Mundo exosas, quas ob eorum ineptitudinem absque stilo pertranseo, licèt

(a) *In margine Codicis Ambrosiani*: Hoc anno die XVI. Augusti Clugia capta à Genuensibus, qui si Carrario assensi fuissent, facilè Venetias prendidissent; suadebat enim Carrarius, ut sibi Clugiam defendendam relinquerent, ipsi à mare Urbem Venetias urgerent, quod ipsi facere noluerunt.

(b) *In margine Codicis Ambrosiani*: Triremis Savonensis capta fuit die XXV. Septembris, cujus erat Præfectus Bartholomæus Uxier Savonensis, cum CL. Savonensibus captis. Catharino Corberio Capitaneo Cymbarum CL.

(c) *In margine Codicis Ambrosiani*: Carolus à Pace sub Tarvisio castrametatus est, ad quem non solùm confœderati ejus, sed & Veneti ipsi miserunt Oratores suos. Hoc anno desiere Venetiis celebrari ludi Mariani ob belli hujus pericula imminentia, & expensas; Qui ludi magna jucunditate populi, & honorificentia, ac magnificentia Urbis celebrantur, in quibus ingens summa munerum (*alibi* numorum) expendebatur, concurrebatque Venetias ingens numerus advenarum; Dabantur autem XII. mane . . . . . ornatissimæ certatim à Tribubus, celebrabantur certamina Cymbarum, continuabanturque ludi per sex dies.

(d) *Cod. Amb.* alibi Andreoli Mauroceni.

licèt indignè proponerent, honestè tamen resistere non poterant validissimis argumentis & rationibus, quibus præsentes Ambasciatores nostri jus nostrum pertinacissimè consovebant, concludentes semper, Ducale Dominium ad pacem dispositum, congruam & honestam. Et quia sermo dulcis frangit iram, non modicum furoris cum tempore ex industria est mitigatum.

A

Ad bellum navale redeo, circa quòd à Venetis intentissima cura est. Januenses in Mathemauco cum eorum galêis persistentes, experiri frustra conantur, si passus Sancti Clementis, Sanctique Spiritus, marinis & aliis navigiis submersis obtrusos, valeant pertransire. Nostris autem cum galladellis, perischermis, ganzarolis, & barchis viriliter resistentibus, ecce Divino spiramine ad Ducalem aulam insonuit: hostes pertranseunt.

B

Benedicta semperque memorabilis vox, quæ Statui Venetiarum non solùm tunc, sed perpetuò benedixit. Non enim hostes transibant, nec transire valebant; sed ipsa vox Leonem gloriosissimum Sanctum Marcum Evangelistam excitavit ad exhortationem hujusmodi: Viriliter agite, quia ero vobiscum ad propulsandum hostes, qui præsumserunt propinquare Civitati, cujus protectio divina Providentia est mihi concessa. Subitò Serenissimus Dominus Andreas Contareno Dux, cujus constantissimum animum vel faciem numquam immutare potuit quidquam prosperi vel adversi, more optimi Patris Patriæ surgens magnificè ait: Satis consilio, nunc viribus utendum est; cuncti audacter & viriliter nos sequantur. Ecce primi galêam conscendimus; inspexit enim justitiam nostram Dominus virtutum, in quo firmam spem gerimus, superbiam hostium viriliter conculcandi. Et quidem spes ejus vacua effectu non fuit. Nam egregii Consiliarii Venetiarum, & subsequenter ceteri de Consilio guerræ, tunc ibidem congregati, nemine alium expectante, certatim surrexerunt, pro speciali gratia implorantes armare galêas. Sicque absque solito electionis more XXXIV. galeæ conferuntur (*) XXXIV. ex stirpibus Nobilibus Venetiarum.

C

D

Illustris Dominus Dux super galêa, Supracomito viro Nobili Luca Contareno.

Thadæus Justiniano miles Capitaneus,
Victor Pisani Capitaneus miles,
Petrus Mocenico,
Dominicus Michaël, sive
Simon Michaël,
Vitalis Lando, &
Ludovicus Lauredano, Ducis Consiliarii in felici Armata,
Joannes Bembo, sive
Franciscus Bembo,
Dardus Georgio,
Marinus Zanne,
Joannes Miani Sanctæ Caritatis,
Paulus Mauroceno quondam Alexandri Sanctæ Mariæ Jubenico,
Federicus Cornario Sancti Apollinaris,
Jacobus Delphino miles,
Hermolaus Venerio Sancti Joannis decollati,
Jacobus de Molino,

E

(*) *Notatur in margine Codicis Ambrosiani*: At Genuenses poterant tunc prœliari cum galeis XLVIII., & Gazarolis, & Barchis; Itaque temerè potiùs Veneti, & desperati exierunt, quam ratione ducti, quia expectabant Carolum Zenum cum XVIII. galeis, ad quem accersendum miserant triremem.

Laurentius Gradonico,
Joannes Trivisano Procurator,
Marcus Barbaro,
Andreas Donato quondam Francisci Sancti Pauli,
Petrus Justiniano Procurator, sive
Laurentius ejus filius,
Thomas Minoto,
Nicolaus Delphino,
Leonardus Dandulo miles,
Daniel Bragadino,
Fantinus Arimondo,
Paulus Faledro,
Philippus de Molino,
Ludovicus Mauroceno,
Guilielmus Quirino,
Michaël Maripetro,
Franciscus Minio,
Marcus Faledro,
Marcus Mauroceno.

Triumphali Vexillo in galêa Ducali feliciter elevato, omnes tam Nobiles, quàm Populares, cum celebritate maxima, & unanimi voluntate concurrunt, ad quodlibet officium se liberaliter offerentes. Sicque galeæ omnes Supracomitis, Comitis, Consiliariis, Armigeris, probissimis Balistrariis, remigisque subitò concernuntur armatæ.

Celebratâ Spiritus Sancti solemnissimâ & devotissimâ Missâ, Illustris Dominus Dux, mente & aspectu serenus, commendato Urbis regimine senioribus, primus in nomine Domini galêam ascendit cum magno triumpho, de majori sperans in reditu, in qua quidem perseveravit continuè per mensem, vel circa, expectans magno cum desiderio hostilium galêarum adventum. Quibus non apparentibus, quia relicto Mathemauci campo ad Clugiam se reduxerant, deliberavit ad reperiendum, & aggrediendum hostes viriliter se transferre. Assignatis igitur cuilibet Supracomitorum cedulis de modo & ordine belli; accepta quoque de more laude, & benedictione solemni, recessit cum felicissimo XXXIV. galêarum exstoleo à Portu Sancti Nicolai die XXIII. Decembris Anno MCCCLXXIX. commissis ad rescossam sexdecim galêis subtilibus ex dicto numero præfatis Nobilibus Thadæo Justiniano, & Victori Pisano.

Nox illa lucidissima & quietissima fuit, suavi & prospero vento flante, navigantibus nobis absque strepitu, & cum ordine magno, imposito etiam Comitis, ut sibloti, sive falsceti silerent. Nonnullæ barchæ nostræ viam interiorem tenebant pari gressu, quarum erat Capitaneus Joannes Barbadico. Supervênit adeò densa nebula, quòd timuimus, ne obesset separando galêas, & abscondendo Portum. Sed mirabiliter subitò, non ut assolet, est fugata. Habebantur quoque de hora in horam nova ab aliquibus barchis missis exploratum, quid hostes agebant. Duo Capitanei antedicti cum XVI. galêis subtilibus in diei crepusculo audacter aggrediuntur Portum, se ad Palatam Lupæ firmantes. Subsequenter dictus Dux cum felicissimo exstoleo potentissimè Portum intravit.

Mira res: postquam Januenses Clugiam occupaverunt, numquam eorum galêæ fuerunt ita unitæ, quia aliquæ earum in mare navigabant.

bant. Duæ etiam galêæ, vel saltem una, solebant ad Portus custodiam excubare. Dies illa omnes inclusit. Insuper armata nostra quampluribus diebus in Canali Sancti Marci moram traxit, quod hostibus non erat ignotum, & animo exivit invictissimus Dux, ut cum hostibus in mari bellaret. Oculi hostium tenebantur, increduli quòd exirent ante reditum sexdecim galêarum viri nobilis Caroli Zeno de partibus Ultramarinis; non enim advertebant, quòd *qui nimis est tutus, retia jure subit*.

Hostes clangore tubarum, & lituum, & excubiarum vocibus excitati, dum repentinum tot galêarum adventum conspiciunt, eorum negligentiam vehementiùs accusant, quòd eadem hora ubi obsidebant, conditione mutata strictiùs obsidentur. Mare & flumina ante clausa, nobis patent, eisque totaliter denegantur.

Ceterum ut nihil de occurrentibus omittatur, quamvis actus bellici per strenuissimum Ducem sapientissimè fuerint ordinati omnes, tamen nostra serenitas aliquali fuit nebula contracta, ut cuncta prospera bonitati Divinæ cum gratiarum actione, & non humano ingenio, tribuantur. Ipsa namque die hujus primæ felicitatis aliqui probissimi viri ex peditibus & armigeris nostris præter prudentissimi Ducis mandatum, imò ipso totaliter inscio, descenderunt in terram ad Lupam, contra quos exiverunt hostes cum insidiis in maximo numero, taliter quòd quamplures ex nostris trucidati & capti fuerunt. Ex hoc primo insultu præsumtâ fiduciâ hostes irruerunt in duas magnas Cocchas simul cum felici exstoleo conductas pro submergendo ad os Lupæ; erant enim terræ contiguæ juxta Palatam, ubi mergi debebant; ita quòd à galêis defendi minimè valuerunt. Verùm ipsa die eos reliquerunt igne supposito, quod cessit in melius; fortè enim potuissent cum eis pejora committere. Factum hoc confestim exstitit reformatum; nam fundi Coccharum à flammis æstuantes fuerunt nocte ipsa in eodem loco submersi, & post biduum duæ aliæ Cocchæ super eisdem fundis ad majorem hostium clausuram firmatæ fuerunt. Ipsa prima die felicis adventus quatuor galêæ nostræ ad partes Brunduli transmittuntur. Ad hostes ex alia parte claudendos firmatur per nostros ad Sanctum Blasium una plata. Omissum fuit locum Brunduli conservare, quem hostes confestim occupant, taliter quòd fuit non modicum impedimentum agendis. Posita ergo per nostros una Bastita ad ripam oppositam in territorio Fossoni, hinc inde machinarum, & bombardarum stimuli agitantur.

Corda lapide duriora mollescerent, dum cernuntur duo notabiliora potentioraque in Orbe Communia ad se perdendum terra marique totis viribus intenta, modico inter se discrimine separata, ita ut utriusque partis nonnulli probissimi viri à bombardis & machinis (proh dolor!) mactarentur; inter quos egregius vir Petrus de Auria Januensium Capitaneus, dum suarum galêarum per illum Portum exitum sollicitat, est à bombarda peremtus. Construitur una Bastita ad Lupam, habens à duabus partibus foveas atque vallum; reliquæ duæ partes mari. Clauduntur undique hostes, ne exeant cum galêis; verùm cum barchis per viam molendinorum Clugiæ, quæ Atressis nominantur, sustentantur victualibus Paduanorum.

Kalendis Januarii vires viribus cumulantur; supervênit enim ad felicissimam armatam prædictus Carolus Zeno cum XIV. galêis optimè armatis ac ditissimis; ceperant namque in partibus Orientalibus quamdam maximam Coccham Januensium vocatam Bichignonam thesauri inæstimabilis, dum ad partes Syriæ navigaret. Sed ecce ex XIV. galêis una earum supra Polam, salvis hominibus, naufragavit; alia de eodem numero, dum esset ad custodiam contra Brondulum, nocturnis insidiis fuit cum arganis ab hostibus intercepta; tertia galêa ejusdem numeri absque hominibus apud Magnavacham extitit à maris tempestate dirupta.

Hostis calliditas foramina quæque, velut avis industria, quærere indesinenter invigilat. Trahit galêas XXII. subtiles per Limesum, & Acetum inter rivum S. Catherinæ à deserto usque prope Canale Brunduli, putantes illac furtim exire. In oppositum sunt aliquæ ex galêis nostris seducta Dux pro Reipublicæ salute, attentis oculis, mente, & corpore instat, ut insidiis suis capiantur iniqui, & domentur cornua superborum. Privati spe evadendi per Brondulum, ad aliud inane subterfugium se convertunt. Reductis galêis retrorsum, litus die noctuque cum operibus suis, & Paduanorum, & laboribus magnis perfodiunt, trahere sperantes eorum galêas ad mare. Ut autem iter Padi mercatoribus, ac victualibus tutius præbeatur, vir nobilis Petrus Aymo Ducalis Consiliarius cum gente & navigis armigeris Lauretum recuperat, & Bastita ad Sanctum Lazarum firmata reparat Turrim Novam.

Ducalis providentia ultra potentiam maritimam egregium virorum armigerorum Exercitum in Lupa congerit, & in litore Pelestrinæ. Sed hostis humani generis, justitiæ invidens, ex levissima scintilla orto scandalo, provocat nocturno tempore Anglicos, & Italicos ad exitiale flagitium, ita ut more civilis belli invicem pugnantes, tenebris Bacchoque sepulti, cædes alternas atque prædas mutuo furore committunt. Sedatur rixa potiùs ex benignitate sapientissimi Ducis; orto namque Sole oritur pax inter eos coram Majestate Ducali, & fit restitutio ablatorum.

Instaurantur vires nostræ terra marique; hostes autem litus fodiunt. Ecclesias destruunt in Clugia minori. Noluit Dominus Templa impunè cædi, nam die XVIII. Februarii, constituto jam Capitaneo exercitus Terræ Carolo Zeno, Dux noster ad exterminium hostium intendens, exire facit armigeras gentes existentes in litore Pelestrinæ & Lupa, sociatas mille & quingentis optimis balistrariis, & aliis viris probis de galêis nostris, qui tribus pulcherrimis aciebus strenuissimè dispositis, potenter & vigorosè accesserunt ad Bastitas, & fortilitia, quæ hostes firmaverant ad caput Pontis magni, & in Clugia minori; hostes verò, quos gentes nostræ avidissimè exspectabant, ausi tunc egredi non fuerunt. Expugnantibus autem nostris unam ex Bastitis, hostes circa horam XX. per Pontem prædictum exiverunt in magno numero, & clamore non transeuntes caput Pontis.

Interim supervênit à parte Brunduli copiosa hostium acies, qua propinquante hostes ab utraque parte cum tumultu maximo contra nostros se moverunt. Nostri autem cum excellenti vigore & virtute in eos totaliter irruunt, quòd hostes dare terga, & ignominiosam fugam per Pontem quærere sunt coacti.

Nostri insequuntur eos, interficiendo & capiendo; sed Ponte confracto, & hostibus se dejicientibus ad aquam, partim inermibus, & par-

partim armatis, capti ex eis fuere centum quinquaginta in Mare suffocatis, & nonnullis gladio peremtis, & pluribus sauciatis. Inter alios perierunt in mari Thomas de Guagno Capitaneus suæ gentis armigeræ, aliqui Patroni galêarum, & aliæ personæ notabiles. Nisi Pons diruptus fuisset, nostrates simul cum hostibus Civitatem intrassent. Subsequenter eadem die tres hostium Bastitæ obtentæ fuerunt.

Superveniente autem nocte, hostes cernentes confusionem eorum, derelicta fortilitia Bronduli, igneque in illa submisso, necnon in undecim suis galêis, subitò recesserunt: quod miraculosè dicitur processisse, à quodam scilicet igne, quem nocte viderunt in galêa nobilis viri Federici Cornario Supracomiti ad custodiam Sancti Blasii à parte Brunduli existentis. Nocte enim ipsa quidam notabilis vir ex dicta galêa ignem in modum signi notabiliter elevavit, & aliquamdiu tenuit. Egregius Victor Pisani Capitaneus miratur, & increpat, cùm nullum signum indixerit. Qui autem illud fecit, ait id se fecisse ex ipsius Capitanei mandato, instanter facto per nuncium honestum, & fide dignum, talem in vestibus, talem in statura, qui numquam repertus est: unde mirabiliter in favorem justitiæ Venetiarum id creditur emanasse.

Januenses enim, credentes signum fore subitæ aggressionis, territi propter amissionem sociorum in bello, Fortilitiumque Bronduli à mari & terra defendere dubitantes, se properè in Clugiam reduxerunt. Hujusmodi miracula & Gentilibus, & Christicolis sæpe acciderunt, ex quorum magno numero referam tantummodo duo. Cùm apud Lacum Regillum Aulus Posthumius Dictator, & Tusculanorum Dux Manlius Octavius, magnis viribus inter se concurrerent. & neutra acies aliquamdiu pedem referret, Castor & Pollux Romanorum partium propugnatores visi hostiles copias penitus fuderunt. Aragonum Rex Christianissimus, dum adversùs Valentiæ Regem tunc Maurum est congressus ad prœlium, & Christiani pro hostium multitudine titubarent, viso Beato Georgio strenuè in campo militante, Mauris perterritis atque cedentibus, Regnum ipsum Valentinum absque aspersione sanguinis est obtentum. Sic commoti à dicto igne Januenses, ut dictum est, Fortilitium Brunduli relinquentes, se properè in Clugiam reduxerunt. Potestas quoque suus, & ipsi Januenses certatim cum quibusdam barchis, & burchiis, & aliis navigiis fugerunt, adeò quòd nullus remansisset in Clugia, nisi duo obstitissent; primò navigiorum carentia, secundò quia nostri ad passus molendinorum eos non permittebant abire. Sed tantus erat impetus fugiendi, quòd nonnulli eorum se projecerunt in mari. Reliquerunt autem omnes suas galêas, atque duos bastiones, quos ad dictum passum habebant. Omnibus computatis, quindecim galêæ eorum combustæ sunt, & XI. cum omnibus corredis fuerunt acquisitæ per nostros. Obtentis omnibus Fortilitiis circumstantibus Clugiæ, præter molendina, unde in futurum impedimentum modicum resultavit, reliqui in Clugia ita territi & vecordes remanserunt, quòd si nostri Civitatem die Lunæ, vel Martis, vel Mercurii insultassent, protinus fuisset obtenta. Sed nondum venerat hora ejus; nam tanta maris tempestas desævit, quòd difficillimum erat propria navigia sustinere.

Interim autem intrinseci reassumtis viribus Civitatem undique muniunt, victualia privatorum undique coacervant in publicum. Ab eis

A parcissimè comeditur, expulsis mulieribus, infantibus, & imbecillibus. Clausum enim erat iter, unde Paduani sibi de necessariis subveniebant ad victum; non potuit tamen undique custodiri, quin aliquando, sed rarissimi intrarent Nuntii cum literis Paduæ, hortantes eos ad custodiendum, quia in brevi subventionem victualium habebunt, & galêarum recipient copiosè. Sub ista spe, & sub inedia acerbissima, pertinacissimè videntur durare. Tumescente ultra solitum mare, semel venerunt à Castro Carro barchæ XXXIII. cum quibus receperunt aliquas carnes salitas, & pulverem à bombardis; sed postea die XV. Aprilis MCCCLXXX. dum vacuæ vellent exire, major pars earum à no-
B stratibus capta fuit cum quamplurimis Paduanis, & aliis, inter quos fuit Joannes de Vulpario, qui erat Capitaneus Paduanorum in Clugia. Hostes cognoscentes prædictarum barcharum adventum fore eis potiùs damnosum, quàm utilem, quia modica victualia portaverant, & multos comestores, exquirebant omnem viam exeundi.

Congregatis namque eorum omnibus barchis & naviculis ad numerum nonaginta cum VIII. vel X. hominibus pro navigio, die XXIII. Apilis circa Nonam exiverunt per viam Arsenatus, aciatim transeuntes juxta bastionum nostrum, vocatum *Pia chi fugge*. Tunc ibi erant paucæ de nostris barchis, quæ ex subito successu ob
C diligentissimi Ducis præceptum auctæ, insecutæ sunt hostes præcedentes, quos viriliter confixerunt, apud Turrim Nassaroli, ubi antiquitus Paduani conflicti fuere, à quo conflictu locus ipse usque in præsentem diem nomen assumsit, quia eodem modo in ore fluminis tamquam in Nassa intercepti fuerunt.

Captis igitur omnibus hostium navigiis præter duo, captis quoque nonnullis ex hostibus, illi, qui in Clugia remanserant, afflictione non modica premebantur, frustati spe habendi victualia, si barchæ ultra transissent. Sed ut nihil veritatis omittam, profectò acerbissimam conditionem suam satis nobis notam pertinacissimè palliabant. Modicum panis, minus meri su-
D pererat, de quo aliqualis subventio Proceribus & stipendiariis præstabatur. Marinarii autem tres pusillos panes singulis diebus singuli avidè capiebant. Potum quoque non lubricus amnis, non fontis suavitas, sed aqua infecta præstabat. Carentes autem carnibus, oleo, & aliis adminiculis compellebantur muscipulas edere, atque canes, & vulgus etiam quotidie fœtidos & fracidos, & condulia ex lacunis legebant ad vendendum, & ad cibum, ita ut si devotionis causâ tantam austeritatem passi fuissent, antiquos Patres in heremo superassent. Utinam Divina clementia tantum veræ caritatis, unionis, & concordiæ utrique parti misericorditer contulisset, quantum constantiæ hinc ad obsidendum,
E hostibusque marinis & terrestribus resistendum, illinc ad corporalia incommoda sustinendum experimentati fuisse dignoscuntur, cunctas profectò subjugassent barbaras nationes. Jam supervenerat novus Capitaneus Clugiam cum nonnullis balistrariis, videlicet Nobilis vir Gaspar Spinola, quando in Bononia audivit Januensium conflictum, & in terminis Paduanis clausuram; unde collectis Januensibus fugitivis Januam se convertit. Fabricantur novæ galêæ in Janua, easque properè armare procurant cum pecunia Paduana.

Thadæus Justiniano miles cum VI. galêis ad præstandum salvum conductum navigiis frumenti,

ti, aliorumque victualium, ad partes Marchiæ, Sclavoniæ, & Apuliæ se transtulit, ad quem etiam de partibus Istriæ navigabant aliæ VI. galêæ, quibus in Portu Fici pernoctantibus una earum capta fuit à VII. galêis, & duobus brigantinis venientibus de partibus Jadræ. Aliæ quoque VI. galêæ ad prædicti Thadæi auxilium per viam Marchiæ mittebantur; sed magno vento, & procellis obstantibus, simul jungi minimè valuerunt. Attigerunt enim die XX. Aprilis Portum Vestarum prope Manfredoniam per XXV. milliaria post casum occursum eidem Thadæo. Quo existente ibidem cum VI. galêis, & VIII. navigiis, solicitando ea onerari frumento, supervênit Gaspar Spinola cum XI. galêis à Janua. Thadæus ergo submersis galêis VII. & navigiis, se ad defensionem exposuit in terra supra Manfredonico molo. Ad primum congressum nostri viriliter bellantes prævaluerunt, occisis & vulneratis multis ex hostibus; tamdem hostibus à fronte, & à tergo descendentibus, & in terra ac mari irruentibus, gentem nostram cedere oportuit, taliter quòd Thadæus cum centum quadraginta, vel circa, captivus ducitur Jadram. Sic alternat fortuna vices; sic de more guerræ contingit. Ex quo tamen nostri modicum favoris, & nobis minimum damnum noscitur provenisse. Nam ceteri viri galêarum ad Ducalem Classem sospites revertuntur. Hujusmodi casu audito nostræ VI. galêæ, quæ in Portu Vestarum erant, confestim retrocedunt, & repertis reliquis IV. galêis, quæ recesserant à Portu Fici, properant simul ad exercitum nostrum contra Clugiam; & ut unita virtus fortior sit, ad resistendum galêis hostium, quæ in Jadram se contulerant, ut Januensibus clausis in Clugia præstarent auxilium, eosque ab obsidione liberarent.

Hostes igitur collectis viribus suis in Jadra, versùs Clugiam velociter navigantes cum galêis XXII. & tribus galladellis die XIV. mensis Maji in diluculo supra Portum Clugiæ applicant. Exultant intrinseci, sperantes habere subsidium diutius expectatum; sed evanuit spes eorum; nam nec præsidium aliquod sibi tradere potuerunt; imò exeunte bis die XXV. & XXVI. Maji Victore Pisano Capitaneo cum XXV. galêis nostris viriliter contra eos, bellum penitus recusarunt, se in fugam ignominiosè vertentes, & se reducentes ad partes Marani, & Lugnani, ubi se muniebant de victualibus Aquilegiensi Patriarchæ. De nostris autem galêis aliquando tres, aliquando quatuor peroptimè armatæ, visitandi causâ partes nostras Istriæ, eisque grani & gentium subsidium porrigendi, juxta galêas hostium audacter vi remorum liberè pertransibant.

Quinto Junii XXIV. galêæ, & IV. brigantini hostium iterum revertuntur, comparentes longè à Portu Clugiæ per VIII. milliaria, existente supra Portum Tussoni Capitaneo Victore Pisano cum XXIII. galêis, qui visis hostilibus galêis cum bono ordine in conspectu hostium se ad Portum Lupæ reduxit, multa victualium navigia secum ducens.

Jam finis victualium hostium appropinquat, jam extremam conditionem suam palliare non possunt; plures enim mulieres, infantes imbelles expulerant. Die autem tertia Junii licentiant nonnullos Cives sponte, qui in vinculis Clugiæ tenebantur.

Superveniunt VII. galêæ ad eorum armatam, ita quòd auctæ sunt ad numerum XXXI. quæ sæpiùs ostentationem faciunt concurrendi in

A Portum Clugiæ nobiscum ad bellum, specialiter quando Solem oppositum habebamus. Sed viso vigore & ordine galêarum nostrarum ad defensionem strenuissimè paratarum, aliquandiu hinc inde bombardato, proras libentissimè vertebant in puppim. Gentes nostræ plurimùm anhelabant ad pugnam exire. Sapientissimus Dux cum suo Consilio, nec non Rectores cum Consilio Venetiarum noluerunt exponere ad belli discrimen certam victoriam, obtenturi Clugiam in brevi.

In hanc sententiam concurrebant Magnifici Domini Bernabos, & Galeatius Vicecomites Mediolani Colligati nostri, scribentes amicabiliter in hanc formam: „ Cùm res præsentiali-
B „ ter in talibus terminis posita sit, quòd Clu-
„ giam obtinebitis, non est tutum exponere
„ periculo fortunæ ludum victum. Habeatis
„ obsidionem bene vallatam; non transibunt
„ multi dies, quòd victus deficiet. Etiam si
„ essetis de victoria contra hostes certi, pu-
„ gnandum non est, attentis tot bonis & pro-
„ speritatibus, quæ sunt vobis post recuperatio-
„ nem Clugiæ, dante Domino, in proximo
„ successura.

Decimâ tertiâ Junii supervenerunt septem galêæ Januenses, ita quòd numerus computatis X. Dalmaticorum galêis auctus est ad XXXVIII. galêas, & aliquot galladellos, cum quibus singulis diebus faciebant ostentationem aggrediendi
C galêas nostras, quæ cum proris ad os Portus Clugiæ ipsas alacriter expectabant cum tali ordine, & vigore, quòd quanto hostes plures erant, tanto ampliùs aspernabantur eos. Non obstante quòd hostes à fronte Januenses, aut in Clugia detrusi à latere niterentur cum bombardis galêas nostras offendere, Divina clementia mirabiliter operabatur in nobis; erant enim XXXIII. galêæ sibi invicem simul junctæ ad remorum extensionem contiguæ; terribilissimi bombardarum lapides copiosè & sinè intermissione exibant. Nullus umquam galêam, vel hominem tetigit: incredibile auditu, mirabile visu. Cadebant namque ante, vel post, seu inter remorum palaturas. Cùm tot forent, non ti-
D mebamus, aut per consuetudinem, quæ passionem mitigat, aut ob animi vigorem. Ducalis galêa majori bombardarum, & hostium periculo subjacebat, tum quia prima erat, tum quia ad illius offensionem homines ab omni parte curiosiùs vigilabant.

Memini aliquando galêas nostras fore, potissimè in die Palmarum, adeò proximas Clugiæ, quòd lapides sinè numero confluebant, banderias perforabant, nullo Christi gratia læso. Nec ob hoc invictissimus Dux aliquantulum cedere voluit, ne ceteris galêis suis præberet causam recedendi. Clauduntur undique hostes, adeò quòd nullus exire valebat, vel intrare. Aliqui ex ipsis sponte exiverunt, confugientes ad nos;
E sed coacti retrocedere suspenduntur ab hostibus.

Fit edictum Ducale, ne nemo intret, vel exeat sub pœna suspendii.

A Padua Nuntius cum literis mittebatur, qui captus statutam pœnam luit.

Alius natando cum literis mittebatur in plumbo latentibus Paduam, per quas patefactus est conceptus eorum. Videlicet, quòd tamquam desperati deliberabant famem fugere sub omni discrimine, ita ut eadem die & hora ad certa signa galêæ eorum contra exstoleum nostrum ab una parte introirent cum barcharum multitudine ex lignamine domorum fabricatarum, à parte

parte alia stipendiarii Clugiæ, à parte tertia Campum nostrum terrestrem Paduani à parte molendinorum Clugiæ cum multis ganzarolis simul insultarent. Deliberatione igitur, & signis, & literis supradictis repertis in plumbo præcognitis, diligenter custodia adhibetur. Ultra barchas in locis singulis constitutas deputantur centum barchæ, quæ semel in die, semelque in nocte tumescentibus aquis, loca & passus quoslibet visitabant.

Fiunt signa per hostes, ad quæ Paduani cernentes passus totaliter præclusos, minimè responderunt. Tamdem XXXVIII. galêis hostium die VI. Junii comparentibus cum quibusdam galladellis, & nobiscum bombardantibus, ecce nonnullæ barchæ exeuntes à parte Vici se cum magno impetu transferunt ad firmatam pallatam in canali inter campum nostrum terrestrem, & Pontem Clugiæ parvæ, frangentes eam in pluribus locis, ut pateat modus fugiendi nocte futura, & ascendendi super eorum X. galêas ad litus Clugiæ parvæ, quæ expectare debebant easdem. Sed evanuit spes eorum; concurrentes enim barchæ nostræ viriliter invadunt ipsas pariter, & confligunt, occisis & suffocatis multis ex eis, captisque LX. è suis barchis, & centum ex hostibus, inter quos fuit Joannes Granella, vir siquidem valde famosus, Joannes Securia (*), & quamplures alii notabiles viri.

Offerunt hostes Civitatem, salvis personis, & rebus. Nobis autem petentibus personas, & Urbem, se convertunt ad tractandum cum stipendiariis Campi nostri, promittentes sibi sexaginta millia florenorum solvendorum in Ferraria, vel Bononia, & bona ad Saccomannum, dummodo tantum liberent personas eorum. Et quia *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur*, satellites pecuniæ inhiantes, non verentur contra proprium juramentum & fidem stipendiariis nostris promissam, velle personas Januensium hostium nostrorum ex manibus nostris eripere, palliando iniquitatem eorum sub isto colore. Offerunt enim nobis Civitatem Clugiæ, ac saltem galêas & navigia, & munitionem armorum; pro se autem personas volunt Januensium, pagam duplicem & mensem completum, etiam Clugiâ non obtentâ. Petunt insuper totam prædam, sive Saccomannum, in quo participare debent gentes nostræ maritimæ, quæ portaverunt in obsidendo & victorias obtinendo pondus diei & æstus. Respondebatur eis, quòd in Civitate, & Januensibus captivis nostris nullum jus habebant, nam conduxeramus eos ad nostra stipendia ad finem vincendi, & recuperandi Civitatem nostram. Pagam autem duplam, quamvis non expugnando Civitatem minimè debebatur, eisdem tamen præstare volebamus. Sed denuo contentio magna fuit, quia nec juri nec Dominorum Italiæ arbitrio stare volebant. Tamdem obtulimus eis dimidiam pagam duplam statim, post autem Clugiæ obtentum reliquam cum tota præda, addentes quoque ex dono stipendiarios forenses existentes in Clugia, quibus salvum præberemus conductum. Quidam acquiescere videbantur, quidam ex sua pertinacia indurati calcitrabant, quorum caput extitit Robertus de Rechanati, qui multipliciter conatus fuit facere seditionem in Campo, adeò quòd dum ad locum parlamenti, ubi Carolus Zeno Capitaneus terræ, Saracenus Dandulo Gubernator, ac duo ex Consiliariis Ducalibus, scilicet Ludovicus Lauredano, & Petrus Aymo convenerant, exisset furiosè, & infausta voce clamaret: Vivat Campus, non sumus perditi: præfati nobiles confestim omni periculo postposito, etiam inermes, quia tempus non patiebatur, elevato triumphali vexillo gloriosissimi Marci Evangelistæ audacter exiverunt ad Campum, cunctos exhortantes ad servandum fidem suam, & ad sociandum verbo & opere Leonem invictum. Latenter Januenses inclusi sperabant saltem personaliter liberari, & vidit dies illa statum nostrum in magno discrimine. Tamdem stipendiarii in proposito bono firmantur, contenti de paga dupla, Saccomanno Clugiæ, & salvo conductu pro stipendiariis Clugiæ jurantibus non militare contra Commune Venetiarum usque ad semestre.

Ecce dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, humiles gratias Deo Omnipotenti referentes de optima conclusione, optatoque fructu laborum. Nam in facie maximi galêarum exstolei, cum quo Januenses suis succurrere sunt experti die XXI. mensis Januarii MCCCLXXX. egregius vir Titius Cibò eorum Capitaneus, & aliqui alii notabiles Januenses Proceres, aliis Januensium inclusis à potentissima diutinaque terra marique obsidione devictis, quampluribus etiam conflictis, lacerati, & omni auxilii spe privati, acerbaque fame oppressi, supplices ad Serenissimi Ducis pedes accedunt, restituentes sponte Civitatem, & personas eorum, & cujuslibet alterius nationis ad numerum quinque millium ad carceres, & bona eorum ad prædam. Fatentur longa jejunia, ut modicum quid sumerent cibi insipidi sinè Baccho. Fatentur canes & muscipulas, ac vilissima quæque gustasse. Fatentur se adeò arctatos, ut nequirent Nuntium vel literas recipere, vel mandare. Fatentur, nullam sibi spem superesse in crastino. Laudanda constantia, nisi in pertinaciam conversa fuisset, profectò foret & Januensium stipendiariorum suorum austerissima continentia commendanda, nisi in alieno loco rem alienam indebitè occupassent inferentes bellum injustum. Adversùs Paduanum vehementissimè querebantur, quòd fuerit causa eorum calamitatis & miseriæ, in qua nullo modo præcipitassent, nisi extitissent ejus quotidianæ exhortationes & promissiones, de quibus nullam penitus observavit. Hoc etiam principaliter induraverat cor eorum, quia non credebant, quòd Illustrissimus, & invictissimus Dux noster tantæ ætatis & reverentiæ potuisset tanto tempore ad tantos labores hyemales & æstivos, ac sollicitudine, galêarum incommoda sustinere, quem sperabant affectum tœdio ad Ducalem Aulam rediturum. Sperabant quoque, quòd ob tot suarum galêarum adventum vellet potiùs obsidioni cedere, quàm mortis periculo subjacere. Sed experientia optima rerum interpres vanas ostendit cogitationes eorum. Nam cùm galêa, super qua residebat more strenuissimi Capitanei ad os Portus, semper primus contra hostes comparebat intrepidus, constantissimum gerens propositum recuperandi Civitatem suam, & hostes ad carcères deducendi: quod divina gratia suffragante duxit potissimè ad effectum. Pro quo probatus est, & perfectus inventus, & erit illi gloria æterna. Nec est omittendum, quòd cum prælibato Illustrissimo Domino Duce continuè, à primordio usque ad finem optatum, fuerunt Provisores egregii viri Petrus Mocenigo, & Petrus Aymo, qui de magna sollicitudine, & indu-

(*) *Cod. Ambr.* de Auria.

dustria possunt meritò commendari.

Romæ, cui, cùm floruit, Urbs nostra in Regimine & moribus simillima esse dignoscitur, triumphabat qui virorum quinque millia una acie prostravisset, etiam si non omnes gladio perirent, seu captivi minimè ducerentur; nam quamvis maxima legio succumbat, multi tamen solent per fugam evadere. Dux autem noster ultra quamplures victorias superiùs enarratas, quinque millia Civium Januensium integro numero præmisit ad carceres; subsequenter Arsenatui nostro galêas XXXII. puppibus in proras mutatis, & arma, quæ supererant eisdem in Clugia. Unde cum Jeremia dici potest: *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se levavit*. Sicque ad eorum jacturam mira & incomprensibili Dei virtute verificatum est quod nimis elati minabantur, intrare scilicet Venetias ad prædandum. (*)

Cunctis itaque rectissimè dispositis, traditoque solemnissimè Victori Pisano Vexillo triumphali Capitaneatus generalis maris à Duce nostro, præcipiendo eidem, ut quinquaginta galêas duceret contra hostes, Istriam laniantes, prædictus Dux die I. mensis Julii MCCCLXXX. cum exercitu, semperque memorabili triumpho ad Patriam dignissimè & gloriosè reducitur, sociatus solemnissimis Ambasciatoribus à Venetiis bino ordine missis; primus quidem usque ad Clugiam, secundus usque ad Pelestrinam cum uno artificioso & solemni Bucentauro, super quo vênit usque Sanctum Clementem, quo jam pervenerat principalior & solemnior Bucentaurus cum Consiliariis, ac universis Nobilibus, & Proceribus Civitatis. Super quo transcendens, sociatur solemnissimè & jucundissimè Venetias cum omnibus jubilationibus & reverentiis spiritualibus & temporalibus, quæ fieri potuerunt. Nam omnes Prælati, ac Clerus Regularis & Secularis, cum Crucibus & devotionibus, Potestates quoque, & Populi contratarum, & subsequenter Cives Venetiarum in multa lætitia concurrerunt. Taceo de frequentatione plebis ad Plateas, & ripas, ita ut cum difficultate transitus haberetur.

Primò ad Ecclesiam Beatissimi Marci, ubi quemadmodum semper fecit, humiles gratias Omnipotenti Deo dedit, felicitates cunctas à Divina Majestate cognoscens. Itaque banderiâ, sub qua triumphavit, eidem Ecclesiæ resignatâ, aulam suam feliciter conscendit, bonum & pacificum statum Patriæ posteriùs procurando.

Ante ejus felicem reditum mandavit, ut turris Babiarum, quæ sola navigantibus per viam interiorem nitebatur obstare, expugnaretur. Sicque vir Nobilis Saracenus Dandulo Gubernator exercitus Terræ partem Campi illuc perduxit; & licèt fortissima foret, illam tamen expugnando viriliter devicit, ductis ad carcerem Capitaneo ipsius Ambrosio de Auria, & sociis existentibus in eadem. Quo sentito, hostes, qui erant ad Bastitam molendinorum Natalium, & ad Fortilitium magnum molendinorum Clugiæ, sive Anditi, necnon ad turrim Nassaroli, igne supposito, præ timore relictis omnibus, fugerunt.

Paucis diebus ante Clugiæ notabilem semperque memorabilem recuperationem, Tergestini, de quibus plenissimè fidebamus, adeò ut, amotis satellitibus nostris, potuerint absque persona-

A libus, vel realibus oneribus, sub protectione & benignitate Ducali quietissimè vivere, rupto juramenti & fidelitatis fœdere, gentibus Marquardi Aquilegiensis Patriarchæ per latentes insidias introductis, rebellare proditoriè præsumserunt, capto Potestate & Capitaneo eorum. (**)

Exstoleum autem Januensium, postquam gentibus eorum in Clugia clausis auxiliari minimè valuit, contra Istriam se convertit Civitatemque Justinopolis à fronte maritima partem defensibilem rapit & spoliat, salvo Castro Leone, quod semper recuperandæ Urbis fuit efficax confomentum.

Die tertia mensis Julii MCCCLXXX. Victor Pisani strenuissimus exstolei Ductor cum XLVII.
B galêis feliciter ad partes Istriæ festinus, assumtis quibusdam Piranensium barchis, quæ semper in omni tempore fidelissimè se habuerunt, Justinopolim aggreditur, eamque parvo tempore die primo subsequentis mensis Augusti recuperat vi armorum, nonnullis ex hostibus captis, inter quos fuit Nicolaus de Spilimbergo constitutus ibidem Capitaneus à Patriarcha Marquardo. In crastinum se transtulit contra Tergestum, ubi galêis, barchis, scalis, atque aliis argumentis ad pugnam dispositis, nova supervenerunt, quòd XXX. hostium galêæ erant apud Arbam. Anhelans ergo eas reperire, dimisso Tergesto, versùs illas partes dirigit gressus suos. Dum autem die VII. mensis ejusdem Niemensem Insulam appli-
C casset, viso uno Januensium galladello, una ex galêis ad ipsum transmissa ipsum capit absque hominibus, qui supra silvam subitò fugerunt; sed à quibusdam galêarum hominibus super Insula depositis capti fuerunt Patronus, Scriba, & XIV. homines galladelli, à quibus certum novum habitum exstitit, quòd galêæ duodecim Januensium novissimè à Jadra recesserant, euntes Manfredoniam pro frumento. Versùs igitur Apuliam festinè properans die VIII. Augusti bombardando supra Portum Jadræ & Riperiam Dalmatiæ discurrendo, nonnulla damna intulit contra Sclavos, multis hominibus & navigiis captis & combustis, quæ frumento, sale, aliisque mercibus erant onusta.

D Decima autem die mensis Augusti Rhodum perveniens, aquam sumsit. Utinam locus ipse caruisset aqua; nam unicæ horæ moræ exstitit dispendiosa nimis. Cuncta quidem reparationis spem habent præter tempus. Nam Seneca testante, nulla gravior jactura, quàm temporis. Duodecim namque hostium galêæ ibi proximæ erant, in Vestarum scilicet Portu, quæ ab aliquibus incolis dicti loci per terram de galêarum nostrarum adventu præmonitæ, subitò fugam rapuerunt.

Exstoleo autem nostro viriliter insequente, aliquæ ex galêis nostris adeò propinquantes erant, quòd utrinque à bombardis & balistris aliqui occisi, sauciati aliqui fuere. Tamdem te-
E terrima superveniente nocte galêæ hostium omnino invisibiles fiunt.

Hujusmodi galêarum captio causa fuisset accelerandi finem tantæ guerræ. Veneti enim carceres maximum, & nobilem, & utiliorem Januensium numerum tenebant: tunc tenuissent & reliquos.

Jam corporalis valetudo Capitaneum nostrum invaserat, qui die XIII. ejusdem mensis apud Manfredoniam spiritum suum reddidit Creatori, cujus

(*) *Cod. Ambr. addit*: 2500. Captivi è Clugia adducti Venetias, & ante eam diem erant alii DCCC. ex quibus in die XVI. vel ad minimum XII. obierant morte naturali.

(**) *Cod. Ambr. addit*: Donato Truno.

cujus occasum tota Patria lamentabiliter, & meritò deploravit.

Corpus, quod diu pro Republica laboraverat, ductum exstitit Venetias, & cum solemnissimis exequiis in Ecclesia Sancti Antonii Viennæ collocatum.

Galêæ nostræ, circumdatis aliquibus Apuliæ locis, & subrogato Capitaneo nobili viro Ludovico Lauredano, qui Provisor erat armatæ, & à Manfredonia die XIV. mensis Augusti recedentes, ad damnum hostium convertuntur, inferentes plurima damna, Dalmatiæ atque Croatiæ loca capiendo, & cremando nonnulla navigia. Tamdem die XXIX. ejusdem mensis Augusti applicuit Segnam, quæ igni supponitur cum maximo incolarum damno, & nostrarum gentium modico lucro, quia flamma subitò cuncta consumsit.

Galêis inde recedentibus, Veglenses læsi fuerunt, sed modicè, quia statim ad obedientiam devenerunt. Locus autem Boscharii fuit igne consumtus. Sic Parentium octavo Septembris felix Armata nostra rediit cum salute.

Ducalis Excellentia, intelligens nihil actum, cùm aliquid superesset agendum, provida circumspectione vires maritimas Armatæ instaurans, elegit in Capitaneum Generalem egregium virum Carolum Zeno, cujus virtus in multis terra marique strenuis actibus approbata, semper laudabilia vestigia secuta est felicis memoriæ genitoris sui Athletæ Christi Petri Zeno, cujus nominis Asia timore concutitur, suscepto triumphali vexillo cum tribus galêis vênit Parentium XI. Septembris, ubi ab universis exstolei viris maxima cum veneratione & alacritate suscipitur.

Visa ad Scopulum Orsalis monstra galêarum, oportuit pro hominibus epidemia deficientibus defalcare de numero VI. galêas.

Die XIV. mensis ejusdem se transtulit Piranum; victualibus paratis ibidem, feliciter inde recedens attigit Quietum, cum proposito accelerandi Jadram, pugnaturus viriliter contra hostes; maris autem tempestate per duos dies egredi non valuit Portum Polæ.

Die XX. ejusdem mensis Septembris itinere resumto novum insonuit ad punctam Medelini, quòd XXXII. Januensium galêæ se posuerant in Albona. Ad quem quidem locum, non expectatâ panaticâ, velociter pervenientes, sciverunt ipsas inde recessisse, & se reduxisse Jadram. Nostræ autem galêæ ob panis carentiam ulteriùs se extendere non valentes, Piranum appetunt, panaticam de Venetiis expectantes.

Superveniente Ducali mandato, se transtulerunt ad expugnandum Maranum, quod hostibus sæpe subventionem victualium ministrabat. Cunctis itaque ad pugnam loci dispositis, supervênit una ex galêis commissis viro nobili Francisco Mocenico ad custodiam Polmentorii deputato, narrans quòd galêæ hostiles descenderant ad Biformes. Quo intellecto, confestim omisso Marani prœlio, revocatis gentibus, galêæ nostræ alacriter parantur ad pugnam contra hostes, quos ardenter per totam diem expectarunt; quibus non apparentibus, & superveniente asperrima Sirochi procella, per quam armata nostra ne ad Lugnanum Portum jactaretur, manifesto discrimini subjacebat, eodemque vento contra pugnante, non valebat redire Piranum, deficiente quoque pane, coacta exstitit redire Venetias in Festo Sancti Simonis Apostoli.

Instat animus contra Maranum, non ut tam infimus locus destruatur, sed ut Januensibus habendi inde victualia spes tollatur. Remittitur ergo idem Capitaneus cum copioso barcharum numero, & aliis argumentis; sed ob loci situm paludibus circumsepti, facta experientia possibili, egregius Ductor anhelans ad majora, barcharum exercitum Venetias cum sospitate reduxit.

Constitutus denuo idem Carolus Zeno Capitaneus Generalis exivit feliciter Anno MCCCLXXXI. tertio mensis Aprilis (a) cum VIII. galêis, assumtisque duabus galêis expectantibus in Pirano, ivit obviam viro nobili Simoni Michaëli venturo Venetias cum galêis mercationum levatarum in Mothono, ad quem locum Capitaneus ipse applicuit XVII. mensis Aprilis, inde ad caput Malei, ubi expectando die XXII. ejusdem mensis advênit galêa Nigroponti. Die verò XXIII. dicti mensis transmittitur vir nobilis Henricus Dandulo cum sua ad Caput Hydronti ad præsentiendum de progressibus æmulorum, & ecce idem Simon Michaël cum IX. galêis mercationum pervênit Coromandiæ (b). Quarta, aut quinta mensis Maji retulit quædam Anchonitanorum Coccha, transiens juxta Capnt Malei, quòd viginti & una galêæ Januensium fuerunt ultima Aprilis ad Insulam Fariens, tendentes versùs Corphù. Die octava mensis Maji existentibus nostris galêis in Mothono, rediit prædicta galêa Dandula, referens vidisse supra Patrassum viginti & unam galêas Januensium supradictas, ad Cephaloniam navigantes. Ne galêæ hostiles mediarent VI. galêas venturas de Candia, atque naves numero XVI. cautus Capitaneus velociter, se transtulit versùs eos, quos reperit die X. ad Marinæ dirupos (c). Consilio inito, galêis grossis cum mercimoniis dimissis apud Mothonum, paratæ sunt XXVI. subtiles galêæ, ituræ hilariter contra jam dictas hostium galêas, quas una ex nostris explorat videre circa Belvedere, eæque Capræ visæ sunt. Sentito autem, ipsas pervenisse ad Portum Tenelli (d), contra eas audacter accelerant. Januenses celeriter de loco exeunt, elongantes se ad Mare, & fingentes se velle cum nostris ad bellum commisceri. Itaque strenuus noster Capitaneus, dispositis aciebus, & IV. ex galêis ad puppes ordinatis, virili animo irruit contra hostes die XIV. Maji ad Solis ortum. Ipsos autem pugnam detrectantes insecuti fuerunt, quousque propter tenebras invisibiles sunt effecti. Mane superveniente XVI. Maji exeuntes galêæ nostræ ad Caput Natæ Insulæ Hiacynthi, persenserunt galêas hostium circa meridiem eamdem Insulam attigisse, aquam sumere anhelantes; sed visis galêis nostris avidiùs cupiunt fugere, quàm potare. Capitaneus noster hostibus omnino bellum recusantibus, providè deliberavit navigare ad partes Hydronti, ad quas ferebatur, sex alias Januenses galêas venturas pro subventione suarum. Sed nihilo ibi die XX. Maji sentito, pervênit Sasinum, inde Durachium XXII. mensis ejusdem, ubi innotuit, quòd galêæ hostium illac transeuntes se reduxerant Ragusium, & secum assumserant galêam dicti loci.

Die ergo XXIV. galêæ nostræ Ragusium auda-

(a) *Cod. Ambr. addit*: MCCCLXXXI. XIV. Aprilis. Veneti intuiti Tarvisium premi ab hoste, vixque evadere posse dono id dedere Ducibus Austriæ, quod in ea urbe Prætorem, & Præfectum Gualterium constituerent.

(b) *Cod. Ambr. legit*: Cericum.

(c) *Cod. Ambr. legit*: ad Mayne dirupes.

(d) *Cod. Ambr. legit*: Jonchi.

dacter festinant, sperantes in diluculdo committere pugnam cum XXII. galêis, quæ statim terga dederunt.

Hostibus autem sæpiùs invitatis præsens bellum recusantibus, Capitaneus noster à persecutione cessavit, se ad partes Apuliæ deinde ad partes Anconæ transferens cum XXVI. galêis. Licentiatis ibidem die XXVIII. mensis Maji decem galêis Venetias redituris, proposuit cum reliquis XVI. galêis audacter aggredi Riperiam Januensium.

Palmatis galêis in Palermo, optimèque fulcitis, una earum in Candiam transmissa, audax Capitaneus quindecim galêis Neapolim applicuit XXIV. mensis Junii, & non obstantibus novis fide dignis, quòd viginti & una Januensium galêæ fuerant in Barulo velociter navigantes ad persecutionem galêarum nostrarum, quas intellexerant contra Januensem Riperiam accessuras, pervênit cum jam dictis XV. galêis supra Portum Veneris primo Julii hora nona, in cujus loci spatioso & eminentissimo Portu erant VII. hostiles galêæ, quæ à longe à nostris prospectæ, mutato itinere versùs Januam cum fuga anxia se convertunt; & licèt in primo conspectu forent per milliaria octo remotæ, tamen in horis quatuor galêis nostris appropinquarunt, quòd una earum non valens evadere, in rupes Castri Levanti sponte discurrens totaliter est confracta; Nox verò reliquas VI. è manibus prosequentium liberavit.

Secunda illucescente die mensis Julii dum galêæ nostræ optarent Portum Januæ audacter intrare, validissimè instant, cùm ventorum tempestas Australium & Maris invaluit, quòd quasi confractæ fuissent; sed velis nunc à dextris, nunc à sinistris velocissimè deductis, Dominus eas mirabiliter liberavit, & dispersas collegit in unum.

Die tertia mensis Julii circa diluculum redierunt ad Portum Ligorni, ubi cepere unam Coccham, & duo alia navigia Januensium frumento, aliisque mercibus onerata.

Ipso quoque die galêis omnibus reaptatis, constantes in proposito Portum Januæ revisendi, à Ligurno recedentes, Portum Veneris repetunt eadem die hora nona, non omittentes tamen se à Januensium insidiis præcavere, præmissis duabus galêis ad explorandum, ecce in dicto Portu latitabant XXVII. galêæ, scilicet viginti & una, quas insecutæ fuerant nostræ à partibus Apuliæ, & sex quæ à nostris fugerunt.

Aspicientes igitur à longe nostras, armarunt optimè viginti & unam galêas de numero supradicto, & cupientes ex insidiis intercipere nostras, proposuere sex ex eis, simulando fore illas, quæ nudius tertius à nostris aufugerant, ostentando iterum versùs Januam repetere fugam. Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Nam oculatus & levis marinarius summitatem mali conscendens, prævidit insidias omnium galêarum. Unde velociter per signum, duabus primis galêis revocatis, mare retro repetunt, invicem se conjungendo. Hostes autem, detectis eorum insidiis se totis viribus extendunt ad persecutionem galêarum nostrarum, quæ

A adeò velocissimæ erant, quòd de eis nihil curantes, de puncta in punctam cessantes à remis, ultra Eurum præstolabantur easdem, & dum appropinquare viderentur, subitò elongabantur ab eis. Duæ quoque galêæ nostræ primò ad explorandum Portum Veneris transmissæ, subitò à tribus galêis non solùm evaserunt, sed plures ex hostibus lethaliter vulnerarunt; unde Capitaneus earum ipsas illico per signum revocare curavit. Nostri autem in alis remorum steterunt usque sero redeuntes postmodum versùs Mothonum quò applicuere XVII. Julii.

Superveniente viro nobili Ludovico Lauredano cum VI. galêis, Capitaneus noster cum XXI. galêis ad Riperiam Januæ de mandato Ducali
B vice tertia avidissimè properat. Sed Divina providentia disponente, dum mare Etruscum prope Pisas jam pervenisset, recepit vigesima tertia Augusti in Vigilia Sancti Bartholomæi Apostoli literas de Pace in Taurino firmata, unde non solùm cessatum est juxta mandatum à prœliis & damnis inferendis, sed etiam aliqua navigia cum hominibus & mercibus justè capta, nostrorum mera liberalitate restituta fuere. (*)

Revertuntur alacriter galêæ nostræ Mothonum, & inde cum mercibus XIII. mensis Octobris Venetias cum salute.

Licèt in tanta tantorumque adversariorum impugnatione Ducalis Majestas cum suis Consiliariis adhibuerint omnem provisionem, & sum-
C mam diligentiam, & cautelam, quemadmodum exitus ipse probavit, tutissima tamen res esse dignoscitur hostes tenere remotos, eosque circa lares proprios stimulare. Sic fecit ille strenuus Imperator Annibal, qui post Italiam multipliciter flagellatam, obtenta Cannensi victoria, urbem Romanam ad tam miseram cladem deduxit, ut status ejus tenui filo subsisteret; sed sicut ad liberandum à falso testimonio Susannam suscitavit Dominus spiritum in Daniele, sic ipse Dominus Urbem nondum Catholicam, sed caput Orthodoxæ Fidei futuram, nolens totaliter destrui à perfidia barbarorum, Scipionis adolescentis animum excitavit, qui virium reliquias, contra Annibalem invalidas, navigio duxit in
D Africam, quam adeò armis & ingenio, terra marique, stimulavit, ut Annibal à suis penitus revocatus, dimissâ Italiâ, quam XVI. annis obsederat, invitissimus & lachrymans ad propria remearit.

In proposito, Riperia Januæ à galêis nostris tripliciter visitata galêas hostium à Mari Adriatico revocavit. Hic quoque modus stimulandi in laribus hostes, profuit ad dispositionem honorabilis Pacis nostræ, quamquam infinitus Januensium nobilium, & plebis numerus, quem Venetus carcer tenebat inclusum exstiterit potissima causa.

E *De pace conclusa in Taurino per Dominum Comitem Sabaudiæ.*

TRansgrediar lætiori stilo ab odio ad amicitiam, à furore bellico ad serenitatem Pacis. Nam, ut verbis egregii Valerii utar, sicut placidum mare ex asperó, Cœlumque ex nu-

(*) *Cod. Ambr. addit*: Pax confecta XII. Augusti Venet. autem publicata die XXIV. hora III. Die vigesimo primo Septembris publicata pax Venetiis inter Venetos, & Carrarios. Die VIII. Septembris publicata fuit pax inter Venetos, & Patriarcham. Post confectionem pacis actus census Venetiis, & Januæ, repertumque Venetiis periisse in bello Venetos 3500. Januæ verò Januenses 8300. Die II. Octobris accessere Venetiis Episcopus Zagabriensis, & Episcopus Quinque Ecclesiensis nomine Regis juraturi pacem. Decembris XII. dicti cum Oratoribus Venetis, Leonardo Dandulo, & Fantino Georgio equestris ordinis ambobus, rediere ad Regem coram quo juraverunt pacem.

nubiloso serenum hilari aspectu sentitur, sic bellum pace mutatum plurimùm gaudii affert. Offensarum etiam acerbitas deposita est, relatione candida referenda.

Sapientissimus Dominus Dux noster cum suo alto Consilio, more Romanorum (a) Patrum nostrorum, numquam verbis. Pacis denegavit auditum juxta Prophetarum eloquium: *inquire pacem, & persequere eam*. Nonnulli Mundi Principes pro sedandis tam nocivis Fidei Catholicæ, & toti Orbi discordiis, se benevolè interponere voluerunt (b); Sed divino nutu tantæ rei effectus exstitit reservatus Illustri & pio, ac Christianissimo Principi Domino Amedeo Comiti Sabaudiæ Principi, Duci Cablasii, Augustæ, & Marchioni Italiæ. Ad instantissimam ergo ipsius Domini Comitis suasionem emanantem à motu proprio sincerrimæ Caritatis, omnes partes de remotis regionibus ad ipsius Domini Comitis præsentiam in Civitate Taurini Provinciæ Pedemontium, earum Priores & Syndicos, cum sufficientibus mandatis mittere curaverunt, videlicet:

Reverendos in Christo Patres DD. Valentinum Decretorum Doctorem Quinque Ecclesiarum, & Paulum Zagrabiensem Episcopos, Procuratores Serenissimi Principis Ludovici Dei gratiâ Hungariæ, Poloniæ &c. Regis.

Dominos Zachariam Contareno, & Michaëlem Maurocenum Procuratorem Sancti Marci, honorabiles Cives Venetiarum Illustrissimi Domini Andreæ Contareno inclyti Ducis, & Communis Venetiarum Ambasciatores & Syndicos, quorum eximia virtus & sapientiæ profunditas ad Reipublicæ conservationem, & augmentum tempore pacis & guerræ in multis notabilissimis actibus exstitit laudabiliter comprobata.

Egregios & nobiles viros Dominos (c) Thadæum de Azzoguidis militem Bononiæ, Antonium de Zacchis (d) de Monte Caleria, & Jacobum Turchetto Legum Doctores, Ambasciatores, Syndicos, & Procuratores Magnifici Domini Francisci de Carraria &c. Imperialis Vicarii generalis, & Magnifici Domini Francisci junioris nati ipsius Domini Francisci de Carraria, & eumdem Dominum Franciscum Turchettum Syndicum Universitatis & Communis Paduæ.

Necnon Venerabiles, & egregios, & circumspectos viros Dominos Georgium de Tortis de Papia juris utriusque peritum Decanum Ecclesiæ Aquilegiensis, Federicum de Savorgnano militem, & Nicolaum Gambini de Utino Ambasciatores, Syndicos, & Procuratores egregii & Venerabilis viri Domini Federici Comitis de Porliciis Aquilegiensis, Sede vacante Vicedomini Generalis Patriæ Forojulii, & Dominorum Consilii. Parlamenti, Prælatorum, Nobilium, Communitatum, & Capituli Patriæ Forojulii antedictæ.

Hi omnes Ambasciatores, Syndici, & Procuratores omnium partium prædictarum, cum magna sapientia, post solemnes & maturos tractatus mediantibus continuis amicabilibus, sapientissimis, & efficacissimis exhortationibus, & benevolis suasionibus prædicti Excelsi Principis Domini Comitis Sabaudiæ æterno Rege Regum pacifico annuente, bonam, veram, &

A stabilem, ac honorabilem Pacem, conservante ipso, qui contulit, perpetuò duraturam, feliciter firmaverunt. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCLXXXI. Indictione IV. die Jovis octava Augusti, ante & circa horam Vesperarum, in Civitate Taurini Provinciæ Pedemontium, ad laudem & gloriam Divinæ Majestatis, ad honorem eximium prædicti Excelsi Domini Comitis Sabaudiæ, cui Omnipotens benignè concessit ducere ad effectum, quod cum tanta caritate & desiderio procuravit, necnon ad statum prosperum & tranquillum omnium partium prædictarum, unde meritò universus Orbis canere devotissimè potest *Gloria in excelsis Deo*, B *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Populares creati à Ducali praeminentia de majori Consilio Nobilium de Venetiis.

SUmma Ducalis providentia, considerans statum Patriæ notanter consistere in potentia felicis Armatæ, ut hostes aut forti pugna, aut constanti obsidione vincantur, quamvis universi Cives à majori usque ad minimum alacriter forent dispositi vitam & bona exponere pro defensione Patriæ, & propriæ libertatis: tamen exemplo Divinæ Majestatis, quæ bonos abundè remunerat, exemploque Romanorum, quando pollebant, qui Cives suos benemeritos illustrabant, statuit in Consilio Sapientum guerræ C MCCCLXXIX. die I. mensis Decembris, ut Cives de promtis fierent promtiores, quod adveniente tempore Pacis, Consiliarii Venetiarum, & Capita de Quadraginta, qui forent per tempora, sub pœna ducatorum mille pro quolibet, tenerentur infra quindecim dies solemne congregare Consilium Rogatorum, & Additionis, ac Sapientum guerræ, & in eo scrutinium celebrare, in quo quilibet de Consilio possit unum nominare, qui videatur dignus honore majoris Consilii, probando electos singulos; & illi triginta, qui plures Ballottas haberent, aggregentur majori Consilio cùm heredibus suis.

Decretum insuper fuit, ut Urbe pacificata D distribuerentur annuatim quinque millia ducati aurei de publico ærario in illos alios Cives, qui videbuntur juxta eorum opera & merita, & virtutes digniores.

Devictis itaque hostibus, & honorabili pace firmata, creati fuerunt in dictis Consiliis cum solemnitate præfata infrascripti triginta de majori Consilio cum heredibus eorum Anno Domini MCCCLXXXI. Indictione V. die IV. mensis Septembris Ducante Illustrissimo Domino Andrea Contareno inclyto Venetiarum Duce, Consiliaribus verò existentibus Nobilibus viris Dominis

Paulo Mauroceno quondam Domini Alexandri,
E Andrea Donato quondam D. Francisci,
Nicolao Michaële,
Francisco à Boccolis,
Luca Gradonico quondam Serenissimi Ducis, &
Joanne Barbo quondam Nicolai.

Ca-

(a) *Cod. Ambr.* Reverendissimorum.
(b) *Cod. Ambr.* obtulerunt.
(c) *Cod. Ambr. addit*: Dominos Leonardum de Montalto Legum Doctorem, Franciscum Embriacum, Neapoleonem Lumellinum, & Matthæum Marussam honorabiles cives Januæ Ambaxiatores, & Syndicos Illustrissimi Domini D. Nicolai de Guarco inclyti Ducis, & Communis Januæ; Egregios viros DD. Thadæum &c.
(d) *Cod. Ambr.* de Cecchis.

Capitibus verò de Quadraginta Nobilibus viris.

Joanne Gradonico Sancti Leonis,
Andrea Mauroceno quondam Domini Dardi, &
Blanco Aymo quondam Domini Benedicti.

Triginta majori Consilio adscripti hi sunt.

Marcus Stornado,
Paulus Trivisano,
Joannes de Garzonibus,
Jacobus Candolmerio,
Marcus Urso,
Franciscus Girardo,
Marcus Cigogna,
Antonius de Arduino,
Raffainus de Caresinis Cancellarius Venetiarum,
Marcus Pasqualico de Candia,
Nicolaus Paulo quondam Hermolai,
Petrus Zacharia,
Jacobellus Trivisano quondam Joannis,
Nicolaus Longo,
Joannes Niger,
Andreas Vendramino,
Joannes de Arduino,
Nicolaus Tajapetra,
Jacobus Vicemano, (*)
Nicolaus de Garzonibus miles,
Petrus Penzino,
Georgius Calergi de Candida,
Nicolaus de Raynerio,
Bartholomæus Paruta,
Aloysius à Fornace,
Petrus Lipomano,
Donatus de Ca de Porto,
Paulus Nani quondam Petri Sancti Vitalis,
Franciscus de Medio nepos Lucæ,
Andreas Zusto Sancti Thomæ,
Extracti ex libro Rogatorum XXXVI. & ab ipso libro correcti.

Tertia & ultima pars guerræ Hungariæ.

JUxta formam pacis Illustris Dominus Dux cum suis Consiliariis in manibus Venerabilis Ambasciatæ Regiæ, subsequenter Serenissimus Dominus Rex in manibus eorum Ambasciatorum ad ejus Majestatem transmissorum, eam perpetuò observare solemniter juraverunt. Hoc equidem juramentum per singulos ipsarum duarum partium successores debet perpetuò innovari.

Ad omnem scandali materiam submovendam in pace celebrata cum Januensibus, de utriusque partis consensu cavetur, quòd Insula Tenedos cum omnibus Fortilitiis in manibus prædicti Excelsi Domini Comitis Sabaudiæ relinquatur, qui de ipso loco disponere valeat pro libitò voluntatis. Qui cupiens futuris malis occurrere, advertens quoque, quòd hujusmodi loci situs non incolæ, etiam aliàs Trojani excidii causa fuit, dispoluit ipsum totaliter demoliri, & inhabitari debere. Unde Ducalis benignitas intendens omnino dicti loci Populum non solùm indemnem conservare, statuit cujuslibet facultates, & loca per amplam extimationem commutari, ac eisdem bona immobilia in Insu-

(*) *Cod. Ambr.* alibi Pizamano.

A lis Cretæ & Nigropontis velut naturalibus Civibus assignari.

Ducalis Excellentia prudentissima meditatione considerans, proprium Venetorum esse mare colere, terramque postergare; Hinc enim divitiis & honoribus abundat, inde sæpe sibi proveniunt scandala, & errores, Civitatem Tarvisii, & districtum, ac Comitatum Cenetorum, protectioni & dominio Illustris Domini Leopoldi Austriæ Ducis amicabiliter commendavit Anno Domini MCCCLXXXI. die quinta Aprilis, retentis in se Mestre, & Mestrino, ac Castro & Burgo Mestre, Turribus, & planis Liquentiæ, ac Musestre, cum omnibus ipsorum locorum terminis, districtibus, confinibus, juribus, & jurisdictionibus distinctis à Civitate
B Tarvisii.

Hic Austriæ Dux visus est velle Civitatem ipsam à vicina tyrannide liberare, ac Castrum-Francum, & Anoale jam occupata recuperare; miserat enim primò gentes armigeras; subsequenter personaliter venit, ac statim cessit, dictamque Civitatem sub quodam matrimonii velamine tradidit Paduano.

Ad propositum revertor Tenedi, pro cujus executione anno MCCCLXXXI. die decima quarta Novembris Ducale dominium mandat expressè Nobili viro Zanachi Mudatio Bajulo & Capitaneo Tenedos, ut prædicti Domini Comitis Capitaneo, qui cum duabus galêis illuc
C accessit, locum ipsum assignet: quod suggestione maligni spiritus, pacem & quietem Christianorum æmulantis, exequi damnabiliter renuit & neglexit, temerariam rebellionem, & læsæ Majestatis crimen incurrens pro inobservatione mandati, quod diligenter custodiendum erat. Unde non solùm Patriæ, ac cunctorum Civium indignationem in se provocavit, sed etiam ejus propinquorum & affinium, qui semper fuerunt fidelissimi Cives. Scelus hoc toti Orbi molestissimum fuit, & meritò; nam ex eo suborta sunt multiplicia scandala & errores. Capitaneus enim Domini Comitis cum gentibus suis vacuus revertitur; & licèt ipse, sociique ejus, ac rei ejusdem, nefariam Zanachi rebellionem
D verissimam affirmarent, tamen Januenses absque suspicione minimè remanserunt, putantes inobedientiam prædictam ex Venetiarum consensu tacito processisse: quod in mentibus aliquorum cadere non debet, quia per Dei gratiam Venetiarum Catholica Civitas fidem & promissa semper noscitur inviolabiliter observasse.

Intercipiunt Januenses lanas & bona mercatorum Florentinorum magni valoris, reperta casualiter in Janua. Nam magnificum Commune Florentiæ valde amicabiliter fidejusserat pro Communi Venetiarum de ducatis centum quinquaginta millia pro executione Tenedos.

Ad purgandum hanc indebitam infamiam, habitis novis ingratis de rebellione Zanachi,
E confestim, scilicet Anno MCCCLXXXII. decimo mensis Martii egregii viri Joannes Gradonico, & Michaël Mauroceno Procurator Ecclesiæ Sancti Marci Januam, & egregius vir Zacharias Contareno ad Dominum Comitem Sabaudiæ Legati solemniter transmittuntur, qui veritatem rei sapientissimè elucidarunt. Illustrissimum Ducale Dominium ad confirmandum honorem, & famam servandæ fidei, quam semper summopere coluit, non cessit ab incœptis, sed ardentiùs executionem Tenedos prosequitur. Fit primò experientia de reducendo cum beni-

gna

gna indulgentia Zanachi ad fidelitatem & obedientiam debitam, transmisso ad eum egregio viro Carolo Zeno, qui ad reconciliandum ipsum eum prudentissimis eloquiis, & evidentissimis rationibus, efficaciter procuravit; sed ipse Zanachi acquiescere neglexit animo indurato.

Serenissimus Dominus Dux Andreas Contareno inclytus Dux, postquam ab expeditionibus armatæ militiæ triumphaliter Venetias rediit, pro majori parte temporis senio, & laboribus præteritis, & valitudine oppressus jacuit, numquam tamen ejus consilia & provisiones in opportunis casibus defuerunt.

Tamdem, sicut Deo placuit, Anno MCCCLXXXII. die V. mensis Junii horâ XXII. obdormuit in Domino. Ducavit fideliter annis XV. mensibus IV. diebus XV. Ejus reverendissimum corpus cum maximo honore reconditum fuit ad Ecclesiam Sancti Stephani Heremitarum.

Quadraginta & unus, qui elegerunt Ducem Andream Contareno, sunt.

Petrus Zane,
Dardus Polani,
Franciscus Caravello,
Franciscus Bembo,
Bartholomæus Quirino,
Gazanus Marcello,
Joannes Fuscareno Procurator,
Nicolaus Contareno quondam Michaëlis,
Jacobus Bragadino magnus,
Nicolaus Justiniano Procurator,
Federicus Cornario Sancti Lucæ,
Marcus Basejo magnus,
Petrus Trivisano Procurator,
Joannes Zeno Rubeus,
Marcus de Priolis,
Petrus Baduario,
Thomas Minotto,
Pancratius Georgio,
Marinus Storlato,
Matthæus Donato,
Joannes Gradonico quondam Nicolai,
Jacobus Delphino quondam Baldi,
Nicolaus Lauredano quondam Pauli,
Marcus Superantio miles,
Michaël Duodo,
Joannes Natalis magnus,
Joannes Mocenico,
Marinus de Molino,
Petrus Steno,
Paulus Faledro,
Joannes Sanuto de Sancto Paulo,
Joannes Teupulo Comes,
Marinus Memmo,
Joannes Ciurano,
Petrus de Bernardo,
Petrus Mauroceno Sancti Antonini,
Joannes Nicolaus Rubeus,
Petrus Michaël Sancti Cantiani,
Philippus Salamono,
Nicolaus Barbadico,
Angelettus Mudatio.

Michaël Mauroceno existens Procurator Ecclesiæ S. Marci, ad Ducatus excellentiam dignissimè sublimatur Anno Domini MCCCLXXXII. die Martis decima mensis Junii circa Vesperas.

In Codice Ambrosiano reperiuntur literæ ejus electionis ab ipso ad Perusinos missæ hujus tenoris videlicet.

Magnificis, & potentibus Dominis Prioribus Artium Populi, & Communis Perusii.

Michaël Mauroceno Dei gratiâ Dux Venetiæ in perfecta, & sincerrima amicitia, quæ hinc inde viguit, & semper, Domino assistente, vigebit, vestræ magnificentiæ nunciamus, quòd vacante Venetiarum Ducatu per Illustris memoriæ Domini Andreæ Contareno Inclyti Venetiarum Ducis prædecessoris nostri obitum, Omnipotentis Domini providentiâ, cujus dispositione cuncta sunt posita, nos quidem de patriæ statu nostro contenti hæc nullatenus quærebamus, per solemnem electionem ad præfati Ducatus excellentiam clementissimè evocavit. Et licèt sciamus vires nostras tantæ dignitatis ponderi minimè respondere, tamen de sola Omnipotentis Majestate, quæ humilibus affluens gratiam suam confert, plenissimè confidentes, dignitatem ipsam Spiritus Almi præsidio duximus humilitèr acceptandam. Quod amicabiliter præfatæ magnificentiæ intimamus, quam novimus de felicibus successibus nostris, nostræque Reipublicæ plurimùm gratulari.

Datum in nostro Palatio die XVI. Junii, Indictione V. MCCCLXXXII.

Hic sapientissimus, eloquentissimus, ac devotissimus fuit Justitiæ, & Reipublicæ diligentissimus, & quia naturaliter qui ædificat, nititur ædificata servare, sollicitè invigilat ad observationem Pacis, quam cum egregiis, tunc sociis suis, Zacharia Contareno, & Joanne Gradonico in Taurino firmaverat. Advertens itaque, quòd Zanachi Mudatio ad sinum gratiæ & lenitatis pacificè reverti nescivit, potentissimum exercitum maritimum, & terrestrem cum galêis, & duabus magnis Cocchis, machinis, bombardis, & aliis argumentis contra Tenedum, imò contra Zanachi strenuissimè destinavit. Capitaneus maris fuit vir nobilis Joannes Miani. Capitaneus verò Terræ fuit nobilis vir Franciscus Georgio miles. Provisores autem nobiles viri Saracenus Dandulo, & Joannes Bembo. Aggravantur processus contra Zanachi. Inter cetera statuitur talea de Perperis viginti millibus de Constantinopoli, dantibus eum vivum, & de Perperis decem millibus dantibus eum interfectum, confiscataque bona ejus.

Dum autem idem inclytus Dux tota mente totoque studio ad augmentum Patriæ, atque Civium, prudentissimè intendit: ecce sicut Deo placuit; in cujus manibus cuncta sunt posita, superveniente Epidemiali morbo, qui ætate nostra universum Orbem sæpe, & multum (proh dolor!) flagellavit, Ducis nostri anima valde Catholica ad suprema vocatur Anno MCCCLXXXII. die decima quinta Octobris circa horam Nonam.

Ducavit mensibus IV. diebus V. Ejus venerabile corpus quiescit in Capella magna Sanctorum Joannis & Pauli solemnissimo monumento.

Quadraginta & unus, qui Michaëlem Mauroceno elegerunt in Ducem, sunt infrascripti, videlicet.

Joannes Gradonico quondam Angeli,
Nicolaus Romano,

Federicus Cornario,
Benedictus Superantio,
Laurentius de Priolis,
Bernardus Marcello,
Hermolaus Venerio,
Aloysius Lauredano,
Donatus Truno,
Joannes Bembo quondam Marci,
Joannes Memmo quondam Maffei,
Leonardus Dandulo Miles Procurator,
Zacharias Contareno,
Andreas Trivisano magnus,
Petrus Grimano magnus,
Joannes de Vidorio,
Angelus Michaël,
Andreas de Pesaro,
Joannes Fuscareno quondam Francisci,
Petrus Emo,
Michaël Mauroceno Procurator,
Michaël Delphino,
Marinus Maripetro quondam Marci,
Nicolaus Minio,
Bernardus Bragadino,
Bernardus Sanuto quondam Dragoni,
Nicolaus Vallaresso,
Fantinus Arimundo,
Andreas Paradiso,
Nicolaus Ciurano magnus,
Andreas Mocenico,
Nicolaus Bredano,
Marinus Bono,
Marcus Barbaro quondam Andreæ,
Nicolaus Baduario quondam Marini,
Simon d'Armario,
Guilielmus Quirino,
Paulus Georgio magnus,
Orsatus Justiniano,
Joannes Barbadico quondam Andreæ,
Petrus Sagredo.

ANtonius Venerio existens Capitaneus Cretæ summa Ducatus dignitate meritò illustratur Anno Domini MCCCLXXXIII. die XXI. Novembris circa vigesimam quartam horam. In quo maxima prudentia, eloquentia, justitia, intimus amor Patriæ & libertatis ac liberationis luculentissimè vigere noscuntur. Rediit feliciter Venetias Anno MCCCLXXXII. die XIII. Januarii circa horam XXI. egregiè sociatus tribus galêis, & nonnullis Nobilibus Cretæ.

Obviam quoque suæ Serenitati usque Istriam pro honore suæ Excellentiæ, & totius Patriæ, destinati fuerunt XII. solemnes Ambasciatores, videlicet, NN. VV.
Nicolaus Ciurano major,
Jacobus Vallaresso,
Bernardus Marcello,
Joannes Gabriel,
Franciscus Cornaro quondam Domini Ducis,
Paulus Juliano,
Georgius Lauredano,
Joannes Diedo,
Joannes Memmo magnus,
Nicolaus Superantio major,
Donatus Barbaro,
Paulus Trivisano magnus.

Ad Portum Sancti Nicolai in litore pervenerunt aliqui ex egregiis Dominis Consiliariis Venetiarum cum copioso Nobilium, & Popularium numero, recipientes cum reverentia Illustrissimum Dominum Ducem, sociantesque ipsum ad Bucentaurum, cum quo cum dictis tribus galêis, ac nonnullis navigiis, ad Ducalem aulam cum solemnitate & lætitia totius Patriæ pervênit, venerabiliter receptus à cunctis Consiliariis, qui de more in Palatio expectabant.

Regimen Ducatus optimè exercens, inter ceteras saluberrimas provisiones ad exornandum ipsum deliciis debitis, (a) pacemque conservandam diligenter intendit. Exercitum contra Tenedum instaurat, tam de Venetiis, quàm Insulis Cretæ, & Nigropontis.

De Methelino etiam aliis circumstantibus locis aliqua victualium particula pecunialiter subvenitur.

Rebellio Zanachi non tantum durasset, nisi à partibus Turchiæ subventionem recepisset, quod prohiberi non poterat tempore procelloso. Tamdem post multos labores & dispendia nostræ Civitatis, non absque mutuis cædibus & vulneribus Zanachi misericordiam implorans obtinuit.

Tenedo obtento, ut nihil obscuritatis, vel scrupuli, seu impedimenti in partibus principalibus, nec etiam in Florentinis, superfit, destinantur Ambasciatores & Syndici Januam egregii viri Leonardus Dandulo Miles Procurator Sancti Marci, & Petrus Aymo, Anno MCCCLXXXIII. die Jovis IV. mensis Augusti subsequentis. Cum Illustri & Excelso Domino Leonardo de Montaldo Januensium Duce ejusque Consiliis effectualiter convenerunt, videlicet: Quòd Ducale Dominium Venetorum faciat juxta pacis formam totaliter demoliri Castrum & Fortilitas Tenedi infra menses VI. tunc proximos.

Prædicti autem Dominus Dux & Consilia Januensium promiserunt, quòd quando per eorum Syndicum Tenedum destinandum certiorati extiterint de demolitione prædicta, plenissimam quietationem, & finem facient, tam Communi Venetiarum, quàm Communi Florentiæ de omnibus factis Tenedi, amovebuntque omne impedimentum, & sequestrum adversùs Florentinos quomodolibet innovatum.

Ad conventum terminum totaliter exstitit facta executio supradicta, sicut per effectum, necnon per publicum Instrumentum factum cum prædictis Januensium Syndicis, qui personaliter interfuerunt, evidentissimè constat.

Reacquisitio Chorphoy.

ANno MCCCLXXXVI. die IX. mensis Junii Indictione nona, Universitas Corphiensis, optans beatè & pacificè vivere, cœlesti numine inspirata, deliberavit reverti ad suavissimum regimen Ducalis Excellentiæ Venetiarum, sub qua fuit antiquitus benignissimè gubernata. Sicque, Dei nomine invocato, spontanea & matura deliberatione elegit in Capitaneum suum nobilem virum Joannem Miani tunc Capitaneum Gulfi. Subsequenter Anno MCCCLXXXVII. Indictione decima die VIII. Januarii ad robur prædictorum misit Venetias ad Ducalem sublimitatem in suos Syndicos nobiles viros Petrum Capice militem, Ricardum de Alta-Villa, Joannem Alberti (b) Cavasule Notarium, Antonium de Henrico Comitem, Nicolaum Frachanoti, & David de Serio (c) Judæum de eadem Civitate, qui nomine universorum Civium præstiterunt Ducali Dominio homagium, & fidelitatis

(a) *Cod. Ambr.* ad exonerandum ipsum debitis.
(b) *Cod. Ambr.* Alexii.
(c) *Cod. Ambr.* Johannem de semine Judæorum.

tatis debitæ juramentum. Quibus Ducalis præeminentia post acceptationem de speciali gratia concessit aliqua capitula, & inter alia istud. Videlicet,

Quòd universos & singulos homines Civitatis & Insulæ pertinentis habebit, tenebit, & gubernabit, ac ipsam Civitatem, & Insulam, Castra, & loca ejus nulli umquam Domino, Communitati, vel Principi Orbis terræ donabit, alienabit, vendet, vel permutabit aliqua ratione, vel causa, titulo, sive modo.

Hic Dux cultor pacis & virtutis eximius, affectabat Ducatum suum cum honore à bellicis incursibus præservare. Sed hoste humani generis instigante, novus scandali motus apparuit. Vacante enim Patriarchatu Aquilegiense per obitum Marquardi olim Patriarchæ, Sanctissimus Dominus noster Papa Urbanus eamdem Ecclesiam Domino Philippo de Alanconio Episcopo Sabinensi Cardinali de nobili prosapia Franciæ orto, tradidit in Commendam. Quod Compatriotæ ejusdem Ecclesiæ indignè ferentes, & allegantes tantam Ecclesiam minimè commendandam, sed ei unum Patriarcham præponendum, eumdem Dominum Cardinalem ad possessionem ipsius, præter Civitatem Austriæ, admittere noluerunt.

Ducale dominium ad reconciliandam controversiam prædictam pro tranquillo statu Patriæ Forojulii amicabiliter laborabat. Sed ipse Cardinalis suasionibus & deceptionibus Francisci de Carraria, omissa amicabili ejusdem dominii interpositione, adhæsit Paduano, qui non ad finem reconciliandi Patriam, sed ut callidè eam occuparet, itineraque Alemanniæ interciperet, nec mercatores & mercationes Alemanniæ possent uti Venetiis, Ligam contraxit cum eodem Cardinali, qui se Paduam transtulit.

Inchoata est guerra inter Cardinalem gentibus armigeris Paduani fulcitum ex una parte, Utinenseśque & reliqua Forojulii loca ex altera; unde Ducale dominium ab ipsis Utinensibus, ceterisque fidelibus Ecclesiæ Aquilegiensis suppliciter requisitum, ob rei reverentiam, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, etiam ne Alemanniæ itinera clauderentur, protectionem libertatis ipsius Patriæ benigna caritate suscepit, ne subderentur tyrannicæ servituti.

Firmata unione inter ipsum Dominium, & cetera loca Forojulii, exceptis Civitate Austriæ, Portugruario, Vualvasono, & Sancto Vito, quæ suæ Ecclesiæ, & Patriæ rebellia exstiterant, licèt Compatriotæ promiserint in certo numero gentes armigeras contribuere; tamen allegantibus impossibilitatem, totum expensarum onus remansit Ducali dominio.

Urbanus Papa VI. approbans, meritòque laudans devotionem mentalem & realem Ducalis dominii pro defensione libertatis Ecclesiæ Aquilegiensis, atque Patriæ, misit Fredmundum Patriarcham Hierosolymitanum Nobilem de Hispania, sed nobiliore prudentia, atque virtute; nam officium suum ad honorem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & fidelis unionis exercuit valde fideliter.

De Domino Antonio de la Scala.

MAgnificus Dominus de la Scala Veronæ & Vicentiæ Imperialis Vicarius, cupiens sibi providere contra insidias Paduani, qui cum vicinis suis numquam scivit sincero animo conversari, prædictam unionem intravit, implorans subsidium pecuniale à benignitate Ducali, quod obtinuit, spondens tenere certum numerum gentis armigeræ contra Paduanum in favorem unionis. Cum qua quidem gente Paduanum Territorium multipliciter stimulavit. Tandem in transitu Brentellæ usque januas Paduæ, cùm vincere credit, vincitur, Capitanei inexperti defectu, & minoris gentium numeri, quàm debebat. Nihilominus resumtis viribus, militare strenuè cœperat contra hostem; sed Magnificus Dominus Joannes Galeatius Comes Virtutum, Mediolani &c. Dominus, ad instantiam viri Nobilis Guilielmi de Bevilaquis, & aliquorum aliorum Veronensium Veronæ rebellium, potentem exercitum contra Veronam transmittit; unde ipse Dominus Veronæ à dextris & à sinistris nimiùm stimulatur. Veruntamen satis se videbatur tueri; sed casu inopinato à fortuna, quæ nunc deprimit, nunc exaltat minima, contigit, quòd die Veneris XVII. mensis Octobris, festo videlicet Sancti Luciani Anno MCCCLXXXVII. exercitus Mediolani comparens ad Portum Burgi Portæ de Calzariis, exstitit in Burgum proditione introductus, taliter quòd idem Dominus Antonius, qui cum armigeris ad primum insultum occurrerat, se reduxit in Urbem. Quæ etiam nequaquam dolo caruit. Nam Populo tumultuante, ipse Dominus Castrum intravit; nec se ibi tutum reputans, subitò præmisit uxorem & filios ad navigium, & subsequenter incognitus solus navalem fugam cepit cum persona ad Venetias privatum se reducens. Et sic Magnifica Domus de la Scala longissima possessione Civitatum, Veronæ, & Vicentiæ, omniumque Castrorum, in momento exstitit spoliata, eorum dominio Domino Comiti Virtutum totaliter remanente.

Dominus Paduæ sperabat Vicentiam obtinere juxta conventionem Ligæ celebratam inter eumdem Dominum Comitem, & ipsum. Sed spe sua caruit, prætextu Vicentini se conditionaliter submiserant Domino Comiti, ut ad manus Paduani nullatenus pervenirent.

Prædictus autem Dominus olim Veronæ ante casum prædictum multam pecuniæ summam miserat in Alemanniam, sperans subsidium sibi multipliciter pollicitum à Serenissimo Domino Rege Romanorum, & Principibus suis, à quibus non reportavit nisi Epistolas atque verba.

Prædictus autem Dominus olim Veronæ anhelat modum exquirere honestè vivendi, data sibi spe obtinendi de voluntate Sanctæ Matris Ecclesiæ unam ex Civitatibus Patrimonii.

Equitat Perusium, ubi tunc Urbanus VI. cum Curia residebat. Consumtâ aliquâ pecuniâ, quæ sibi restabat, spe jam dicta frustratus, revertebatur Venetias; sed infirmitate præventus in juvenili ætate decessit.

Translato ejus corpore ad sepulturam Ravennatem, relicta Conjuge Venetiis cum unico filio parvulo, & tribus puellis in maxima egestate, qui unà cum Hecuba (proh dolor) deplorare possunt illud Tragicum: *Quicumque Regno fidit &c.* Siquidem casus hic post destructionem Trojæ potest pertinentissimè computari secundus, licèt illa cum tempore decennii, hic in momento. Cum Seneca igitur de Tranquillitate animi optimè concluditur: Quòd *Regnum non est, cui non sit parata ruina.* Item idem Seneca de beneficiis: *nihil tam magnum est, quod perire non possit.* Accedat & illud Boëtii: *Infelicissimum infortunii genus est fuisse felicem.*

Benignissimum Ducale Dominium compatiens paupertati piissimè de ærario publico providit ad victum tam desolatæ viduæ cum pupillis.

Paduanus Ecclesiam, & Patriarchatum, sive Patriarcham Aquilegiensem posse tenus molestare non cessat gentibus armigeris, quas satagit palliare, nunc quòd sint ad stipendium Cardinalis de Alenconio, nunc quòd sint latrones sub Societatis vocabulo ad prædam vocati & uniti. Tenebat quoque in Castro Sancti Steni Diœcesis Aquilegiensis supra Liquentiam prædones, qui cum barchis & aliter molestabant Caprulas, & Litus majus. Verùm barchæ de Ducali mandato, simul & ganzaroli, in partibus illis viriliter hostibus resistebant. De quo quidem loco Sancti Steni, necnon de la Motta & aliis locis exiverunt sæpe gentes discurrentes usque Mestre ad damnum fidelium Venetiarum. Occupaverunt quoque locum Bastitæ nostræ Pontis Plavis. Adstruebat etiam ipse Paduanus, se ob prædicta pacem nequaquam violare, quia gentes non erant illius, sed jam dicti Domini Cardinalis.

Morabantur continuè in Utino & Marano Ducales Provisores cum potenti equitatu, & peditum comitiva, ad procurandum egregiè conservationem Ecclesiæ, & Patriæ memoratæ, ne subjugaretur tyrannicæ servituti.

Dum autem Paduanus apud Savorgnanum magnum exercitum congregasset ad finem privandi Utinum aqua inde labente, Capitaneus felicis unionis, ac nobilis vir Petrus Mauroceno tunc Provisor, cum gentibus commissis eidem strenuissimè equitantes, exercitum ipsum viriliter conflixerunt, occisis & captis hostibus, obtentâ maximâ prædâ tam equorum, quàm bombardarum, aliarumque notabilium rerum, in qua quidem victoria idem Petrus Mauroceno exstitit militari cingulo meritò honoratus.

Non cessat perfidia Paduana, sed transmisso alio Exercitu contra Sacilium, expugnando locum cum bombardis, Cives loci inconstantes locum ipsum miserabiliter tradidere.

Subsequenter ipsæ Paduanæ gentes Spilimbergum aggrediuntur, sed egregii Domini de Spilimbergo fidelissimè & probissimè se gerentes, non solùm se defenderunt; sed læserunt plurimum hostes taliter, quòd coacti terga vituperabiliter recedendo verterunt.

His temporibus apparuerunt notabilissimæ Regnorum & Dominiorum variæ & inopinatæ mutationes.

Primò quidem dum Illustrissima Joanna Hierosolymitana, & Siciliæ Regina, nata ex unico filio Serenissimi Domini Roberti Regis pluribus annis Regnum ipsum ad eam juridicè spectans, pacificè & sapientissimè possedisset, supervênit Carolus de Durachio, dictus de la Pace, vir valde strenuus, & satis generosus, qui à Carolo Duca Andegavensi filio Regis Francorum per descendentem lineam derivavit. Hic cum Hungarorum potentia Neapolim obsedit, de quo modicum curabatur; sed sumtâ proditoriè unâ ex januis Civitatem intravit, contra quem occurrit Otto de Brunsvich prædictæ Reginæ Maritus, & commisso bello, equo Ottonis casualiter cadente, Carolus victoriam, & Civitatem obtinuit, & tamdem totum Regnum, captâ Reginâ Joannâ in Castro Ovi, & nequiter interfectâ.

Parvo interjecto tempore advênit de partibus Franciæ Ludovicus Andegavensis Dux, ab Illustribus Regibus Franciæ ortus, asserens Regnum ipsum ad se juridicè devolutum. Unde cum maxima armorum potentia apud Neapolim obsidione firmata, quamplures Civitates, & Castra ipsius Regni obtinuit; & in laboribus bellicis ex infirmitate mortuus est ipse, & Dominus Amadeus Comes Sabaudiæ, qui eum magno equitatu in auxilium ejus venerat, relictis tribus filiabus. Scilicet Catharina, quæ desponsata fuit Regi Francorum, sed ante defuncta, quàm transducta; Maria sponsa Sigismundi fratris Regis Romanorum, & Averiga uxore Regis Lituanorum, qui tunc Spiritus Sancti gratia spirante factus est de Pagano Catholicus.

Elisabetha Regina uxor, quondam dicti Regis Ludovici unà cum Maria filia ejus secundogenita regimen Hungariæ gubernabat, quæ quidem Maria appellata est Regina Hungariæ.

Jam dictus Carolus ad suasionem Hungarorum & Dalmaticorum, non contentantium se de regimine Mariæ supradictæ, & Sigismundi Sponsi ejus, se transtulit cum duabus galêis ad partes Dalmatiæ, inde in Hungariam, ubi exstitit de eodem Regno diro omine coronatus. Nam paucis diebus interjectis in camera prædictarum Reginarum confidenter existens, fuit à quodam nequam lethaliter gladio in capite vulneratus. Tamdem amisso oculo vitam retinebat, quæ quæcumque fuerit, exstitit sibi immaniter ablata: Sic non contentus uno Regno, utrumque amisit cum vita.

Exiguo lapso tempore dum ipsa Regina Elisabeth cum Regina Maria filia sua, & cum Nicolao Magno Comite Palatino, & aliqua comitiva descenderet ad partes Dalmatiæ, fuit per insidias à Joanne Banno, & Priore Aurianæ fratre suo, aliisque complicibus rebellibus capta cum filia, captis & partim occisis Baronibus, & gentibus comitantibus eas, inter quos gladio extinctus fuit idem Nicolaus Magnus Comes Palatinus, ductis captis Matre & Filia apud Jadram. Subsequenter ipsa Regina Elisabeth exstitit in carcere (proh dolor!) interfecta.

Regina autem Maria diu detenta fuit in carcere Castri novi per eosdem Joannem Banno, & Priorem Aurianæ fratres, intendentes eam Neapolim transportare, ut in fortilitia Margharitæ uxoris olim jam dicti Caroli, quæ in ipsius necem cupidissimè anhelabat.

Regnum Hungariæ in magno turbine versabatur. Ducale Dominium omissis notabilissimis injuriis, ac molestiis sibi per Ludovicum olim Hungariæ Regem indebitè & injustè illatis, abhorrens ex propria virtute execrabilem nequitiam, & læsæ Majestatis crimen commissum per Vassallos contra eorum Dominos naturales, providit mittere nobilem virum Pantaleonem Barbo Ambasciatorem in Hungariam ad hortandum Barones ad constantiam Coronæ, cujus longa mora utilissima fuit ad reformationem Regni; nam sapientissimè se gessit cum honore Coronæ, ac Ducalis Dominii. Tamdem suis pertinentissimis & evidentissimis rationibus induxit Barones ad coronandum in Regem Hungariæ prælibatum Sigismundum Reginæ Mariæ virum, qui diademate solemnissimè coronatus ultima Martii in Dominica Palmarum exstitit in Alba Regali ante Altare Beatissimæ Mariæ, qui in ipsa coronatione motu proprio eumdem Pantaleonem militari cingulo meritò exornavit Anno MCCCLXXXVII.

Rex itaque atque Regnum diu laboravit pro Reginæ Mariæ libertate; sed omnia remedia penitus erant invalida, nisi fuisset benignitas, Ducalisque Venetiarum potentia, quæ misit nobilem virum Joannem Barbadico Capitaneum cum galêis optimè armatis, qui diligentissimè non solùm attentissimam custodiam maritimam adhibuit, ne ipsa Regina Maria transveheretur, verùm etiam potenter descendens in terram, adeò

adeò expugnavit ipsum Priorem Aurianæ, quòd per vim coëgit eum ad restituendam ipsam, quam super galêis duxit Segnam, à carceribus & morte turpissima liberatam. Ipsa verò in signum perpetuæ Caritatis omnino voluit eumdem Joannem Barbadico Capitaneum, qui tam strenuè laboraverat pro eadem, militari cingulo insignire. Idem quoque Capitaneus se transferens cum galêis ad Castrum Scardonæ per rebelles Coronæ occupatum, quamvis inexpugnabile foret, & gentibus multis fulcitum, ipsum obtinuit per vim belli, assignando ipsum Regiæ & Reginali Majestati.

Ducalis Excellentia ad dictas Majestates sex Ambasciatores solemnes, scilicet Nobiles viros Leonardum Dandulo militem Procuratorem Sancti Marci,

Jacobum Delphino militem,
Paulum Mauroceno,
Petrum Bragadino,
Marinum Maripetro, &
Remigium Superantio, (*)

ad congratulandum de Reginali liberatione transmisit. Qua quidem congratulatione die Jovis XIX. mensis Junii Anno MCCCLXXXVII. facta, & dignissimè acceptata, quatuor ex eis juxta ordinem datum Venetias revertuntur, remanentibus duobus ex eis, scilicet Leonardo Dandulo, &

Paulo Mauroceno,

ad sociandam Reginalem Majestatem usque ad Serenissimum Dominum Regem. Primo igitur mensis Julii subsequentis sociarunt eam usque Ysagabriam, ubi invenerunt Dominum Regem, & eumdem Pantaleonem Barbo militem, qui venerant obviam Reginali Majestati.

Celebrata quoque ibi magna solemnitate, ipse Dominus Rex jam dictum Dominum Paulum Mauroceno ad honorem militiæ sublimavit. Subsequenter Regia, & Reginalis Excellentia, ipsique tres Ambasciatores, scilicet

Leonardus Dandulo,
Paulus Mauroceno, &
Pantaleo Barbo,

milites Budam cum maxima lætitia pervenerunt, de statu, & quiete Regni sapientissimè providentes.

Bellum contra Paduanum.

AD perfidiam Paduanam revertor, quia non cessat, imò totis conatibus intendit ad læsionem Ecclesiæ, & Patriæ Forojulii, ac locorum nostrorum, contra quem viriliter resistitur per Ligam Ducalis dominii, & fidelium Ecclesiæ, & Patriæ Forojulii, quamvis totum expensarum pondus sit in Ducali dominio.

Magnificus Dominus Nicolaus Estensis Marchio primò, subsequenter Magnifica Communia Florentiæ, & Bononiæ, per eorum solemnes Ambasciatores benevolis interpositionibus egerunt pro pace tractanda, ad quam prudentissimum Ducale dominium spetialiter pro libertate & quiete Ecclesiæ, & Patriæ Forojulii attendebat, non quærens, nisi licitum & honestum, & spetialiter quòd Paduanus restitueret Ecclesiæ & Patriæ loca occupata per eum, promitteretque ipsa de cetero minimè molestare. Sed à pertinacia sua non potuerunt haberi, nisi inania verba. Nequam enim spiritus adeò excæcaverat eum, quòd se ipsum non cognosceret, & futura pericula; status enim suus jam incœperat declinare; & plura loca ex occupatis per eum, non valentia resistere, jam incœperant ad debitam obedientiam redire Matris suæ Ecclesiæ & Patriæ Aquilegiensis, & felicis unionis.

Jam rancor & odium ortum erat inter Illustrissimum Dominum Joannem Galeatium Vicecomitem, Mediolani &c. Imperialem Vicarium generalem, Comitemque Virtutum ex una parte, & Paduanum ex altera. Qui quidem Dominus Comes per replicatos Ambasciatores & literas instantissimè suadebat Illustri Ducali dominio, ut ad roborandum antiquum & solitum amorem inter ipsum Ducale dominium, & Domum de Vicecomitibus Mediolani, placeret unionem simul contrahere contra perfidiam Paduanam. Benignissimus Dux noster cum suis Consiliis potiùs attendebat ad pacem; sed ad eam Paduanus numquam induci potuit, adeò induratum erat cor ipsius. Voluntas igitur Dei fuit ad supprimendam nequitiam illius, qui fuerat, & adhuc esse poterat causa maximorum scandalorum Italiæ, ut dictæ partes feliciter, & solemniter unirentur Anno MCCCLXXXVIII. Indictione II. die Veneris XIX. mensis Maji. In qua quidem Liga inter cetera conventum exstitit, quòd fiat viva guerra contra Franciscum de Carraria seniorem, & Franciscum de Carraria natum ejus.

Palatæ & passus claudantur. Tenetur Dominus Comes ad damnum & confusionem dictorum Patris & filii, ac locorum suorum, tenere in ipsorum territorio lanceas mille quingentas, mille pedites, 300. ballistrarios, 100. equites ad duos equos pro quolibet, Guastatores, & Magistros, mille Carrettas à victualibus & bombardis.

Acquisita Padua & Paduano districtu esse debent Domini Comitis. Turris verò & Castrum Carum, & Sancti Hilarii remanere debeant Communi Venetiarum, & per medium milliare supra, & ab inde infra ab utroque latere versùs aquas salsas, & usque dictum medium milliare dictorum locorum sint confinia Communis Venetiarum, quæ quidem loca intelligantur esse, & sint segregata à dominio & territorio Paduano, & sub dominio, & sub territorio Ducatus Venetiarum.

Castrum verò Auriachi, Castrum Carum, & Burghi fortis funditus diruantur, & numquam possint per Dominum Comitem, vel heredes suos, seu causam ab eis habentes fieri, ædificari, vel construi aliquod Castrum, vel fortilitium. Confinia inter Territorium Ducatus Venetiarum, & Territorium Paduanum sint in dictis partibus locorum ruinandorum, pro ut nunc sunt, secundùm declarationem & terminationem aliàs factam per Magnificæ memoriæ Dominum Comitem Sabaudiæ. Occurrente etiam dicto casu, quòd Dominus Comes, sive heres, & successores, vel habentes causam ab eis, acquirant Paduam & districtum, debeant observari integraliter pacta, quæ vigebant inter Ducale dominium & Paduanorum.

Præterea Illustris Dominus Comes Virtutum tenetur acquirere, & eripere de manibus, potestate, & dominio Paduani, ejusque nati, & cujuslibet alterius personæ Tarvisium, & Tarvisinam, & totam Cenetam, & ipsa loca liberè ponere, & dare in manibus, fortia, & dominio Excelsi Domini Ducis, & Communis Venetiarum. Quæ quidem loca prædicto Domino Duci &

(*) *In Cod. Ambr.* Marinum.

& Communi Venetiarum pertineant, & spectent, ac sint liberè & in perpetuum Domini Ducis, & Communis Venetiarum, pro emenda, & satisfactione omnium redituum & proventuum Civium fidelium, Monasteriorum, Hospitalium, & Ecclesiarum Domini Ducis & Communis Venetiarum, quæ ascenduut summam unius millionis, & centum triginta millium & ultra, (*) & etiam pro satisfactione damnorum illatorum per Paduanum Domino Duci, & fidelibus suis.

Liga durare biennio debet à die celebrationis contractus, & tanto plus, & minus; donec acquisitæ erunt Padua, & Tarvisium cum earum districtibus.

Verùm Dominus Comes non possit intendere ad acquisitionem Feltri, & Civitatis, quæ per Paduanum detinentur; nisi postquam acquisitæ erunt Padua, & Tarvisium cum eorum districtibus.

Insuper Excelsus Dominus Dux, & Commune Venetiarum contribuere debet Illustri Domino Comiti ducatorum centum millia auri primo anno Ligæ, inchoando à die diffidationis, solvendo per ratam de mense in mensem, & si ante ipsum terminum primi anni per ipsum Dominu Comitem Padua & Tarvisium & districtus earum acquirentur, nihilominus habeat ipse Dominus Comes integrè dicta centum millia ducatorum. Elapso verò termino anni, non acquisitis locis prædictis, aut si aliquid restaret ad acquirendum, tunc dictus Comes habeat pro secundo anno, vel quanto plus & minus Liga durabit, ducatorum octo millia in mense: Verùm Dominus Dux, & Commune Venetiarum de dicta contributione tam primi, quàm secundi anni, & de quanto Liga durabit, possint expendere ducatorum duo millia in gente, ganzarolis, & aliis pro guerrizando à parte Venetiarum contra Paduanum.

Pater & filius eodem die, scilicet pro parte unionis, solemniter diffidantur. Pater errore suo tamdem cognito, dominium Paduæ cessit in manibus Populi, qui subrogavit filium suum Franciscum de Carraria juniorem.

Felix igitur Campus, cujus fuit Capitaneus egregius & strenuus miles Dominus Jacobus de Verme, districtum Paduanum potenter aggreditur, & ad damnum Paduani, assistente divina gratia, prosperatur optimè.

Primò quidem post arduam obsidionem obtinet Castrum Liminiæ per vim belli; aquam discurrentem ad Civitatem Paduæ claudit, taliter quòd Civitas Paduana privatur commodo macinandi.

Subsequenter Castrum Noale aliquo tempore obsessum tamdem expugnat viriliter, & devincit, quamvis utrumque foret fortissimum. A parte autem Venetorum cum ganzarolis & barchis, existente Capitaneo N. V. Francisco Delphino, sociato ballistrariis, & aliis armigeris, non minus hostis multipliciter stimulatur.

Primò quidem devincitur locus Anguillaræ, Castrum Burghi fortis, & aliqua alia loca viriliter devincuntur. Qui quidem Capitaneus cum dicto navali exercitu se transtulit ad Liquentiam contra Castrum Sancti Steni, quod continuè fuit rebelle Ecclesiæ Aquilegiensi, & Ligæ. In ipso receptabantur Paduani, qui multa damna intulerant locis & fidelibus dominii. Quamvis igitur locus fortissimus foret, tamen per virilem expugnationem capitur, & meritò funditus deponitur in ruinam, tenebantur quoque lanceæ, & gentes equestres in Mestre, quæ continuè discurrentes, damna plurima atque prædas Tarvisio, & districtibus inferebant.

Jam dictus Dominus Jacobus Capitaneus Campi optans ad Plebatum Sacci pro majori hostis damno transferri, pluribus viis exquisitis, nullam accomodam reperiebat. Unde Ducalis providentia majori navali exercitu instaurato, mittit in Capitaneum Nobilem Militem Dominum Jacobum Delphino, (**) qui viriliter Bastitam Calatæ, Aggeris Gorzoni expugnat & devincit.

Nullus locus resistere poterat gentibus & Navigiis Ducalibus, & sic via habilis patuit Campo prædicto.

Paduani domos & stramina sui Territorii proprii incendio destruebant, ne forent ad commodum Campi. Dictâ Bastitâ devictâ, Campus ipse transiens Brentam juxta . . . . . Castrum ipsius expugnat & vincit. Quo fulcito, se transtulit ad Plebatum Sacci, ubi jam erant gentes nostræ, quæ secum uniuntur.

Victualia autem de Venetiis copiosissimo navigio deportata fuerunt, & indesinenter portabantur. Castrum Carum viriliter obtinetur; cunctis per Dei gratiam succedentibus ad votum contra Paduanum. Quem valde pœnituit non acquievisse tractatibus pacis ante Ligam. De quo dici potest: quando potuit, noluit; & quando voluit, non potuit. Ubi enim cum multis instantiis & requisitionibus amicabilibus extitit ad pacem requisitus instantias renuit; nunc autem ipsam pacem meditans eam habere non valuit. Ad ipsius enim instantiam Dominus Papa Urbanus, Illustris Dominus Albertus Dux Austriæ, Magnifica Communia Florentiæ, & Bononiæ simul, & aliqui alii libentissimè & amicabiliter pro pace vel treguis tractandis, cum maximis instantiis se obtulerunt; sed data est omnibus rationabilis negativa.

Filius autem ejus Dominus Franciscus de Carraria, qui Paduæ dominabatur, sentiens per effectum statum Patris, & sui ipsius, manifestæ ruinæ & discrimini subjacere, nec Ducali, & Domini Comitis Virtutum potentiæ resistere posse, considerans quamplures suos non habere causam fidelitatis, quia immaniter & crudelissimè tractabantur, misit die decima nona Novembris Anno MCCCLXXXVIII. Nobiles viros Guilielmum de Cortarodolo, & Paulum de Leone ad Dominum Jacobum de Verme Capitaneum ad sentiendam voluntatem felicis unionis. Quibus Capitaneus ipse respondit constantissimè, Ligæ esse & fore voluntatem velle Tarvisium, & Cenetam, & districtus pro Ducali Dominio Venetiarum, Paduam autem & districtum, ac Feltrum & Civitale pro Illustri Domino Comite Virtutum.

Remisit itaque idem Dominus Franciscus Junior Anno MCCCLXXXVIII. die Sabbati XXI. mensis Novembris ad eumdem Dominum Jacobum de Verme Capitaneum Ligæ ipsos Ambasciatores, & Procuratores nobiles viros Dominos Guilielmum de Cortarodulo, & Paulum de Leone Cives Paduanos cum pleno mandato subjiciens absolutè, liberè, & ex toto personam suam, liberos, & statum ejus, dominiaque & ditio-

(*) *Cod. Ambr.* ad summam Ducatorum CXXX.m.

(**) *Cod. Ambr. addit*: D. Jacobum Delphino cum copia gentis armigeræ, & cum ingeniis, ac ædificiis ad construendum pontem pro transitu campi. Ipse autem D. Jacobus Delphino viriliter &c.

A ter enim & filius de Carraria optaverunt destructionem Domini Antonii de la Scala: ipsimet citò inciderunt in eam.

Exivit igitur Pater Castrum Tarvisii sub salvo conductu sibi concesso, accedens molestissimè Veronam, & alio juxta mandatum Domini Comitis. Franciscus autem Junior ad Civitatem Mediolani cum uxore, filiis, & familia ivit; denique Dominus Franciscus Senior ad Civitatem Cumanam. Dominus autem Franciscus Junior ad quoddam Castrum juxta Civitatem Astensem pro eorum habitatione cum provisione pecuniaria ad victum transmissi fuerunt.

Ducalis Excellentia ex suo antiquo, & laudabili more tantum triumphum brevi tempore B obtentum à Divina gratia, quæ justis semper favet, meritò recognoscens, cum humillima gratiarum actione solemnes laudes cum hymnis devotissimè retribuendo Deo nostro, qui per intercessionem intemeratæ Virginis Matris ejus, & gloriosi Evangelistæ Sancti Marci hujus almæ Urbis Protectoris dignatus est tam nobilem victoriam elargiri; subsequenter ipsum dominium carceratos piissimè levavit, breviando tempus carceris, & debiti quantitatem.

Acquisitio Argos, & Neapolis.

NObilis vir Petrus Cornario quondam Domini Federici dominabatur Terris, C Castris, & Fortilitiis Argos, & Neapolis, vigore dotis uxoris suæ egregiæ Dominæ Mariæ quondam egregii viri Domini Guidonis de Engino filiæ. Quo quidem Petro Cornario in florida ætate absque liberis defuncto, ipsa loca manifesto discrimini subjacebant, ne ad manus Turchorum, seu Græcorum pervenirent in evidens damnum prædictæ Dominæ Mariæ ad quam de jure spectabant. Quare Ducalis Excellentia anno MCCCLXXXVIII. Indictione secunda die Sabbati decima secunda mensis Septembris ad instantem supplicationem ejus dictæ Dominæ ipsa loca ac Terras emit ab ea jure proprii, pretio ducatorum boni auri & justi ponderis quingentorum, solvendorum omni anno in perpetuum D ipsi Dominæ Mariæ de Engino, & suis heredibus descendentibus ab eadem. In casu autem quo ipsa Domina Maria decederet absque heredibus ab ea descendentibus, ipsa potest testari, & per Testamentum dimittere, sicut, & quibus sibi placuerit, de pecunia Communis Venetiarum ducatos duo millia auri; & in ipso casu Illustrissimus Dominus Dux, & Commune Venetiarum absoluti ab omni debito sint, & præstatione alicui fienda de pecunia, vel alia re pro dictis locis, quæ remaneant & sint perpetuò, liberè, & absolutè prædicti Domini Ducis, & Communis Venetiarum. Promisit etiam ipsi Dominæ Mariæ dare & solvere omni anno, E in vita sua tantùm, ducatos auri ducentos de provisione ultra supradictos ducatos auri quingentos. Si verò ipsa loca perderentur, Illustris Dominus Dux, & Commune Venetiarum non teneantur in aliquo heredibus Dominæ Mariæ, donec ipsi D. Dux, & Commune Venetiarum reaquisiverint, & iterum possederint ipsa loca, & utrumque eorum. Insuper ipsi Dominæ Mariæ non potest imponi per Excellentissimum Dominum Ducem & Commune Venetiarum aliquod

liarius Venetiæ, subsequenter die XIII. Decembris in Festo Beatæ Virginis Luciæ D. Jacobus nomine D. Comitis Virtutum feliciter &c.

A quod gravamen, sive onus faciendi impræstita, sive alias impositiones occasione supradictarum pecuniæ quantitatum. Verumtamen remaneat in libertate Ducalis dominii providendi, deponendo tantam pecuniam Communis Venetiarum ad Officium Impræstitorum, aut alibi, ex qua habeatur de prode sive annuatim summa ducatorum ducentorum auri, scribendo ipsum capitale cum conditionibus supradictis.

Ceterum prædicta Domina Maria de Engino motu proprio, sponte, ex certa scientia considerans, salutem & conservationem personæ & status sui, post Deum, consistere in benignitate Illustris Ducalis dominii Venetiarum, & quòd velut filia benignissimè tractata est, & tractari
B dignoscitur, promisit, & juravit absque requisitione alicujus, provido viro Marco de Raphelis velut publicæ personæ, & per eumdem fieri fecit publicum Instrumentum Anno MCCCLXXXVIII. die decima septima mensis Decembris, se toto tempore vitæ suæ non accipere maritum, sive conjugem, sive Nobilem Civem originarium Venetiarum, sub pœna perdendi statim ipso facto totaliter pretium, & provisionem prædicta, videlicet ducatorum quingentorum annuatim pro pretio dictorum locorum, & supradictorum ducatorum ducentorum auri de provisione, & supradicta duo millia ducatorum, quos pro Testamento legare potest, in casu quo ipsa moreretur absque heredibus ab ea descen-
C dentibus. (*)

Petrus Gradonico Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, Nobilibus & Sapientibus viris de suo mandato Capitaneo, & Potestate Justinopolis fidelibus suis dilectis salutem, & dilectionis affectum.

,, QUoniam de magna novitate emersa su-
,, bitò in Civitate Venetiarum rumores
,, ad aures vestras credimus devenisse, ut in-
,, troitus, & exitus ipsius habeatis notitiam,
,, vobis præsentibus literis declaramus, quòd
D ,, ille nequissimus proditor & seductor iniquus,
,, iniquitatis filius, & maledictionis alumnus,
,, Bajamons Teupulo, beneficiorum, honorum,
,, & dignitatum, Progenitoribus ejus per Com-
,, mune Venetiarum eorum meritis collatorum
,, ingratus, propter quæ habebat statum no-
,, strum & Communis Venetiarum ut pupillam
,, oculi custodire, Marcus Quirino de Domo-
,, majori, & ceteri de ipsa domo, qui se Ve-
,, netiis repererunt, Petrus Quirino Sanctæ Ju-
,, stinæ, & Marcus ejus filius, Andreas Dauro,
,, & aliqui alii Nobiles de Venetiis, quamplu-
,, res ex Popularibus Civibus nostris seducentes
,, & cum bannitis, & forinsecis, & malandri-
,, nis conspiraverunt quampluribus; & die de-
E ,, cima quinta præsentis mensis Junii manè,
,, congregatis omnibus, venire ad arma disco-
,, perta, & explicata vexilla contra nos, &
,, nostrum dominium, usque super Plateam
,, Sancti Marci effrenatâ audaciâ præsumse-
,, runt. Nos quidem cum Nobilibus Venetia-
,, rum, & aliis Civibus nostris fidelibus hæc
,, præsentientes, descendimus in Plateam viri-
,, liter, & quando venerunt, insurreximus con-
,, tra eos, & manu potenti, cum duro tamen
,, bello, ipsos cum adjutorio Dei & Evangeli-
,, stæ sui Beati Marci repressimus, plures occi-
,, dentes ex eis, inter quos ipse Marcus Quiri-
,, nus, & filius ejus Benedictus fuerunt, qui
,, super Plateam remanserunt occisi, ut merita
,, eorum requirebant; & multi ex eis fuerunt
,, graviter vulnerati. Finaliter reliqui, qui re-
,, manserunt vivi, exiverunt Terram, & de-
,, bent Nobiles ire ad nostra mandata ad con-
,, fines, quò sibi ordinare volemus, & ceteri
,, ad nostram misericordiam debent stare.

Die decima septima mensis Junii MCCCX.

Similis Comiti Dymo,
Similis per totam Istriam,
Comitibus Marco, Schinellæ, & Nicolao Castellanis Coroni & Mothoni,
Potestati Farræ & Brazzæ,
Duchæ Cretæ,
Comiti Ragusii,
Bajulo Nigropontis,
Comiti Jadræ,
Bajulo Armeniæ,
Comiti Arbensi,
Bajulo Cypri,
Comiti Chersi & Auseri,
Ambasciatoribus nostris Constantinopoli; tacendo nomina mortuorum. Ambasciatoribus, qui sunt in Curia Domini Papæ, cum additione:

,, Miramur quòd tamdiu à vobis literas non
,, receperimus, & specialiter quia scripsistis
,, nobis, quòd die Veneris vigesima nona Mar-
,, tii debebatis esse cum illis Dominis Cardina-
,, libus, qui dati sunt ad tractandum vobiscum
,, ad ulteriùs procedendum. Quapropter solici-
,, tamus vos, quòd scribere nobis frequentiùs
,, debeatis.

Petrus Gradonico Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidii totius Imperii Romaniæ, nobilibus & sapientibus viris Henrico Ferro, & Pancratio Justiniano de suo mandato Castellanis Coroni & Mothoni &c.

,, QUoniam de magna novitate emersa su-
,, bitò in Civitate Venetiarum rumo-
,, res ad aures vestras forsitan perve-
,, nerunt, ut introitus, & exitus ipsius habeatis
,, notitiam, vobis præsentibus literis declara-
,, mus, quòd ille nequissimus proditor, & se-
,, ductor iniquus, iniquitatis filius, & maledi-
,, ctionis alumnus, Bajamons Teupulo, benefi-
,, ciorum, honorum, & dignitatum, Progeni-
,, toribus ejus per Commune Venetiarum eorum
,, meritis collatorum ingratus, propter quæ ha-
,, bebat statum nostrum, & Communis Vene-
,, tiarum ut pupillam oculi custodire, Marcus
,, Quirino de Domo-majori, & ceteri de ipsa
,, domo, qui se Venetiis repererunt, Petrus
,, Quirino Sanctæ Justinæ, & Marcus ejus filius,
,, Andreas Dauro, & aliqui alii nobiles, quam-
,, plures ex popularibus nostris Civibus sedu-
,, centes, & cum bannitis, & forinsecis, &
,, malandrinis conspiraverunt quampluribus; &
,, die decima quinta præsentis mensis Junii ve-
,, nire ad arma discoperta & explicata Vexilla
,, con-

(*) *Hoc loco explicit textus Manuscripti Codicis Ambrosiani, nullo facto ulteriori monito, nisi quòd supersunt aliquot Chartæ non scriptæ, post quas leguntur nonnulla Instrumenta suo loco superiùs à nobis exarata, & clauditur idem Codex brevi Chronico, quod Corollarii loco, post nonnulla Privilegia, & literas ab Estensi Codice exscriptas, ne quid desiderandum relinquamus, in lucem proferemus.*

„ contra nos & nostrum Dominium usque super „ Plateam Sancti Marci effrenatâ audaciâ præsumserunt. Sed nos antequam sic venirent, „ præcedenti nocte præsensimus. & cum nobilibus Venetiarum, & aliis Civibus nostris „ fidelibus illo matutino descendimus in Plateam viriliter, & quando ipsi venerunt insurreximus contra eos, & manu potenti, cum „ duro tamen bello, ipsos cum adjutorio Dei „ & Evangelistæ sui Beati Marci repressimus, „ plures occidentes ex eis, inter quos ipse Marcus Quirino, & filius ejus Benedictus fuerunt, „ qui super Plateam remanserunt occisi, ut eorum merita requirebant, & multi ex eis fuerunt graviter vulnerati. Finaliter reliqui, „ qui remanserunt vivi, exiverunt terram, & „ debent nobiles ire ad nostra mandata ad confines quò sibi ordinare volemus, & ceteri ad „ nostram misericordiam debent stare, ita quòd „ per gratiam Dei terra Venetiarum numquam „ fuit in tanta quiete, nec in statu tam pacifico „ quantum nunc. Et cùm mittamus literas nostras nostro Bajulo Nigropontis, quæ sunt „ præsentibus alligatæ, mandamus vobis per „ nos, & nostrum Consilium, quòd ipsas eis „ mittere debeatis; & licèt mittamus cum præsenti Columbato nostras literas Duchæ Cretæ, „ Bajulo Cypri, & Bajulo Armeniæ, ad cautelam tamen commisimus Comiti Columbeti, „ quòd unum par similium literarum vobis relinquat, ut illas per aliam barcham transmittatis in Cretam.

Similis Duchæ, & Consiliariis Cretæ,
Bajulo & Consiliariis Nigropontis,
Bajulo Armeniæ,
Bajulo Cypri, Ambasciatoribus Constantinopolis, omnium mortuorum tacendo nomina.
Guilielmo Sanuto Ducatus Nichosiæ & Andreæ Dominatori.
Georgio Gisi Dominatori Terreni Nigropontis,
Bonifacio de Verona,
Mariæ de Verona Dominatrici Tertierii Nigropontis, & Beatrici ejusdem filiæ, & Bartholomæo de Lagronda pro magnifico viro Joanne de Mesi.
Zanino Marchesini Notario nostro apud Patriarcham Aquilegiæ, & Henricum Comitem Goritiæ, & Tyrolis, Ecclesiarum Aquilegiensis, Tridentinensis & Brixiensis Advocatum, & Capitaneum Generalem Patriarchatus. In fine: *De quibus dicere poteris, ubi, & sicut videbitur fore opus.*
Alexandro Calerghi.

„ Ut novitatum, quæ nuper occurrerunt Venetiis, notitiam habeatis, vobis eas tamquam „ dilecto fideli præsentibus denotamus. Videlicet quòd ille nequissimus proditor &c. *ut in litera notata ex alio latere posita continetur.*

Albuino & Cani grandi de la Scala Communis, & Populi Veronensium Capitaneis Generalibus.

„ Quoniam per Ambasciatores vestros, quos „ ad nos vestra dilectio destinavit, sicut convenit pro tanta amicitia, quanta inter nos, „ & vos, vigere dignoscitur, non misimus literas facti seriem denotantes, propter multa „ & ardua, quæ incumbebant, nunc amicitiæ „ vestræ præsentibus declaramus, quòd ille nequissimus proditor &c. *ut continet præcedens litera.*

In fine verò dicatur sic: „ Et cùm infrascriptos per districtum vestrum ad partes „ Lombardiæ ad nostra mittamus mandata, „ amicitiam vestram rogamus, ut ipsos per districtum vestrum ad partes prædictas ire secure permittatis, simul, & divisim,

„ Petrum Quirino Sanctæ Justinæ, &
„ Thomam Quirino qu. Galvani, Parmam.
„ Petrum Quirinum Nanum, &
„ Jacobum ejus Fratrem, Cremonam.
„ Nicolaum Quirino Durante Brixiam.
„ Nicolaum Vendelino Cumas.
„ Marcum Venerio Mediolanum.

Datum die XXIV. mensis Junii VIII. Indictione Anno MCCCX.

Petrus Gradonico &c. Nobili & sapienti viro Georgio Delphino de suo mandato Bajulo Armeniæ fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

„ PEr alias nostras literas denotavimus vobis inauditum scelus per proditores præsumtum; sed illud ad cautelam vobis providimus seriosiùs interare. Videlicet, quòd „ ille nequissimus proditor, & seductor iniquus, iniquitatis filius, & maledictionis „ alumnus, Bajamons Teupulo, beneficiorum, honorum, & dignitatum Progenitoribus ejus per Commune Venetiarum eorum „ meritis collatorum ingratus, propter quæ habebat statum nostrum, & Communis Venetiarum ut pupillam oculi custodire, Marcus „ Quirino de Domo majori, & ceteri de ipsa „ domo, qui se Venetiis reperierunt, Petrus „ Quirino Sanctæ Justinæ, & Marcus ejus filius, „ Andreas Dauro, & Paulus Quirino filius Marci Procuratoris Ecclesiæ Sancti Marci, & alii „ qui alii nobiles de Venetiis, quamplures ex „ popularibus nostris Civibus seducentes, conspirationem contra nos, & nostrum Dominium „ inierunt, & forbannitos, & malandrinos, & „ forenses, quot potuerunt, collegerunt secum, „ & in vigil a Sancti Viti de nocte omnes prædicti recollegerunt se ad domum dicti Bajamontis, intendentes summo mane omnes per „ potentiam deven re ad nostrum Palatium debellandum. Sed nos hoc sentientes illa nocte, statim id fieri notum fecimus Consiliariis „ nostris, & Capitibus de Quadraginta, Officialibus de Nocte, Advocatoribus Communis, & multis aliis Nobilibus Venetiarum, & „ aliis bonæ gentis, qui statim venerunt ad nos, „ sicut debuerunt, præter ipsum Andream „ Dauro, qui conspiraverat cum eisdem; & „ nos cum eis, & alia bona gente, Nobilibus, „ & aliis, qui pro honore nostro, & suo, & „ pro conservatione boni status Terræ traxerant ad nos, in Plateam descendimus aliquantulum ante diem, ut obviaremus eisdem. Et „ paulò post ipsi cum multitudine armatorum, „ ad arma discooperta & vexilla explicata, „ cum clamoribus & tumultu usque super Plateam effrenatâ audaciâ se duxerunt. Quod „ nos videntes, cum prædictis Nobilibus, & „ aliis bonis Civibus Venetiarum, qui nobiscum „ erant, viriliter insurreximus contra eos, & „ manu potenti, cum duro tamen & aspero „ bello, ipsos cum adjutorio Dei, & Evangelistæ sui Beati Marci repressimus & conculcavimus, per durum exercitium gladiorum „ plures occidentes ex eis, inter quos fuerunt „ dicti Marcus Quirino, & filius ejus Benedictus, qui remanserunt super Plateam gladiis „ trucidati, ut eorum merita requirebant, & „ multi ex eis fuerunt graviter vulnerati; reli-

qui verò, qui remanserunt vivi, non valentes tam durum impetum sustinere, reduxere se in Rivoaltum, prout meliùs potuerunt, & domum Communis, quæ est in capite Pontis Rivoalti, in qua moratur Magister Petrus Medicus, armis & hominibus munierunt, levaverunt Pontem, & se fortificaverunt in Rivoalto. Sed nos fecimus gentem nostram quiescere, non recedente aliquo de Platea; & circa Vesperas misimus virum Nobilem Ugolinum Justiniano de nostro mandato Potestatem Clugiæ, qui cum multis Clugiensibus applicuerat illâ horâ, & viros Nobiles Antolinum Dandulo, & Balduinum Delphino, quos fecimus Capitaneos gentis nostræ, cum multis aliis Nobilibus, & alia bona gente, qui omnes iverunt ad dictam domum munitam per eos, & ceperunt per vim, aliquos occidentes ex eis, & debellare Pontem & Rivoaltum cœperunt. Quod ipsi videntes, non expectaverunt, sed exiverunt de Rivoalto, & de Terra; & debent ire Nobiles de nostro consensu ad nostra mandata ad illos confines, quos volemus sibi dare, & reliqui ad nostram misericordiam debent stare.

De nostris autem in prædictis nemo Dei gratiâ fuit occisus, nec ad periculum vulneratus. Postmodum Baduarius Baduario, principalis Auctor conspirationis prædictæ, qui cum gente armata de partibus Paduæ veniebat Venetias, ut interesset prædictis, incidit in nostras manus, cui mediante justitia de voluntate nostri majoris Consilii caput fecimus amputari, & duobus aliis, qui cum eo fuerant, & quinque alios suspendi per gulam, ut ipsorum merita requirebant. Itaque per Dei gratiam Terra Venetiarum numquam fuit in tanta quiete & in statu tam pacifico, quantum nunc est.

Data in nostro Ducali Palatio die vigesima septima mensis Junii octava Indictione Anno MCCCX.

Petrus Gradonico &c. Nobilibus & sapientibus viris Henrico Ferro, & Pancratio Justiniano de suo mandato Castellanis Coroni & Motboni fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum.

ALias per literas nostras denotavimus vobis iniquum motum, & scelus inauditum, quod præsumserant proditores; sed quia tunc arduis & pluribus occupati, vobis totam facti & proditionis seriem & modum non scripsimus: ideo per præsentes de qualitate & forma negotii & proditionis, per ordinem, & distinctè vos providimus informare. Noscat igitur vestra prudentia, quòd postquam ille pessimus proditor Bajamons Teupulo vênit Venetias, ipse Bajamons, & Petrus Quirino, & alii non cessaverunt contaminare & seducere Nobiles & Populares, quos poterant, suis dolositatibus, ut contra nos & nostrum Dominium conspirarent, etiam cum Forinsecis hoc tractando. Nos quidem tum quòd non poteramus credere, quòd hoc possent conducere, tum etiam quia nolebamus Terram dissipare, transibamus, nullam contra eos novitatem facientes, vel processum; sperantes etiam, quòd quandocumque hoc attentare præsumerent, eis accideret, quod evênit. Die verò Dominica decima quinta Junii circa sero vênit quidam ad nos dicens, quòd ad domum prædicti Bajamontis, & ad Domum-majorem de Ca Quirino congregabatur gentium multitudo, & etiam aliqua pars gentis ad domum prædicti Petri, ut illa nocte venirent ad nostrum Palatium debellandum: de quo adhuc non multum curavimus, non valentes id credere, ut dictum est. Paulò post iterum alius vênit ad nos, hæc eadem narrans, & iterum alii tot & tales, quòd habuimus certitudinem de facto de nequissima intentione ipsorum. Quare nos ipsa nocte misimus pro Consiliariis nostris, Capitibus de Quadraginta, Officialibus de Nocte, Advocatoribus Communis, & pro multis aliis Nobilibus Venetiarum, & alia multa gente bona, qui statim venerunt ad nos, sicut debuerunt, præter Andream Daurio, qui Consiliarius noster exstitit, qui conspiraverat cum eisdem. Et visum fuit nobis, & dictis Consiliariis, & aliis Nobilibus, quos consulebamus, mittere viros Nobiles Marcum Michaëlem, Guidonem de Canali, & Matthæum Manolesso ad domum habitationis prædicti ad dicendum sibi, & aliis Nobilibus, qui secum erant: quòd mirabamur quamplurimum de tali motu suo, & nesciebamus causam, quæ eos potuisset, vel posset ad hæc conducere; & quòd deberet ab his desistere. Qui Nobiles ire destinati, euntes, & dicentes eis quod commiseramus eisdem, eos repererunt tanto furore accensos, quòd ferè ibi fuerunt gladiis interfecti. Quod nos scientes cum Consiliariis nostris, & aliis Nobilibus, & cum aliis, qui pro honore nostro, & suo, & conservatione boni status Terræ transierant ad nos, descendimus in Plateam aliquantulum ante diem, & omnes bucos Plateæ fecimus præparari, & armatis gentibus custodiri, ut si ipsi venirent, obviaremus eisdem viriliter, & suum meritum traderemus. Ipsi verò cum multitudine Venetorum armatorum, forensium, bannitorum, & malandrinorum venerunt in Rivoaltum, & ibi cameram de Quinque à Pace diruperunt, quaternos, & scripta omnia dilacerantes, & incendio cremantes. Cameram similiter Fonteci de Frumento fregerunt, & pecuniam, quam ibi in non modica quantitate invenerunt, abstulerunt; & circa diei crepusculum cum prædicta multitudine ad arma discooperta, explicatis vexillis, cum clamoribus & tumultu usque super Plateam effrenatâ audaciâ se reduxerunt, & partem per viam Sancti Bassii. Quod nos videntes, & audientes cum Nobilibus Venetis, & alia bona gente, quæ nobiscum erat, viriliter insurreximus undique contra eos, & manu potenti, duro tamen bello & aspero, ipsos cum adjutorio Dei & Evangelistæ sui Beati Marci repressimus & conculcavimus, per durum exercitium gladiorum multos occidentes ex eis, inter quos Marcus Quirino de Domo-majori, & Benedictus ejus filius fuerunt, qui super Plateam remanserunt gladiis trucidati, ut eorum merita requirebant, & multi ex eis fuere graviter vulnerati; reliqui verò, qui remanserunt vivi, non valentes tam durum impetum sustinere, reduxerunt se in Rivoalto, quammeliùs potuerunt, & domum Communis, quæ est in Capite Pontis Rivoalti, munire fecerunt. Sed nos fecimus gentem nostram quiescere, non recedente aliquo ex Platea; & circa Vesperas misimus virum Nobilem Ugolinum Justiniano de nostro manda-

to

„ to Poteſtatem Clugiæ, qui cum multis Clugienſibus applicuerat illâ horâ, & viros Nobiles Antonium Dandulo, & Balduinum Delphino, quos fecimus Capitaneos gentis noſtræ, cum multis aliis Nobilibus, & alia bona gente, qui omnes iverunt ad dictam domum munitam per eos, quam ceperunt per vim, aliquos occidentes ex eis, nullo per Dei gratiam ex prædictis hominibus noſtris occiſo, vel ad periculum vulnerato. Et incœperunt debellare Pontem, & Rivoaltum. Quod ipſi proditores videntes, ad nos cum feſtinatione deſtinaverunt ad dicendum, quòd erant parati, ſi eis parcere volebamus, exire ſtatim Venetias, & diſtrictum, & ire ad illos confines, quos ſibi deſignare vellemus. Nos quidem non reſpicientes ad eorum nequitiam, nec ad ea, quæ eorum merita requirebant, ſed magìs ad reverentiam Dei, qui meritis Beati Marci tantum nobis fuerat gratioſus, & ne diſſiparemus Terram noſtram, contenti fuimus, quòd illi proditores, qui erant de Majori Conſilio, vel eſſe poterant, deberent ſtare ad noſtram miſericordiam, quam eis faceremus ad largum modum. Unde ipſi ſtatim de Venetiis exiverunt, & tam ipſe Bajamons, quàm quaſi omnes alii, qui erant de Majori Conſilio, vel eſſe poterant, miſerunt ſuos Procuratores & Nuntios ad jurandum noſtra mandata, & quòd irent, & ſtarent, quò, & ubi eis ordinaremus ad noſtrum beneplacitum. Propterquod nos ſingulis eorum Confinia deſignavimus, ſicut per cedulam videre poteritis interclusam. Sed neſcientes, vel non potentes ab illo diſcedere, qui eos induxit ad talia, humani generis inimico, & tantæ gratiæ humanitatis ingrati, quaſi omnes, violato juramento eorum, ad ſibi deſignatos confines ire infra datos terminos denegarunt; quorum nequitia, faciente Domino, qui mala impunita non tranſit, in caput convertetur ipſorum. Quare vobis ſcribimus, & ex ſuperabundanti ad cautelam per nos & noſtrum Conſilium vobis participando mandamus, quatenus bonam & vigilem de locis noſtris Coroni & Mothoni curam & cuſtodiam habeatis, & faciatis habere, ſicut de vobis ſperamus, non permittentes aliquem ipſorum proditorum in locis noſtris intrare. Imò ſi qui venirent, eos capi & detineri perſonaliter faciatis; & literas, quas mittimus Bajulo & Conſiliariis Nigropontis, quæ ſunt præſentibus alligatæ, eis quamcitiùs poteſtis mittere debeatis; & literas etiam, quas mittimus Nobili viro Marco Minotto Capitaneo noſtro galearum, ipſi Capitaneo, ſi illuc pervenire contigerit, præſentari facere debeatis.

Similis Nicolao Sanuto Duchæ Cretæ, & Conſiliariis ſuis.

Item Bajulo, & Conſiliariis Nigropontis, mutatis mutandis.

„ Data in noſtro Ducali Palatio die XVI. menſis Julii octavæ Indictionis Anno MCCCX.

Caſtellanis Mothoni, & Coroni.

„ DEnotamus vobis, quòd per nos & noſtra Conſilia Minus, & de Decem, captum & firmatum eſt, quòd Angelus Baduario debeat eſſe in banno Venetiarum, & omnium Terrarum, & Locorum nobis ſubjectorum: unde vobis ſcribimus, per nos, & per dicta Conſilia vobis præcipiendo mandamus, quatenus ipſum Angelum nec intrare loca noſtra, nec alibi in partibus veſtri regiminis morari, vel ſtare minimè permittatis. Inſuper licèt aliàs vobis ſcripſerimus de proditoribus noſtris aliquibus, quos feceramus in banno clamari cum omnibus ſuis heredibus, & bona eorum omnia confiſcari: iterum quia poſtmodum etiam alii in ſimili banno clamati fuerant, curavimus omnes illos, quos ad diem præſentem cum ſuis heredibus clamare fecimus in banno, & ſua bona omnia intromitti tamquam proditorum, vobis ſcribere, ut habeatis notitiam de prædictis, & ſi bona eorum eſſent in partibus illis, mobilia, vel immobilia, ipſa pro Communi noſtro intromittere debeatis; & ſi in partibus veſtri regiminis comparerent, illos capi perſonaliter faciatis, & ſub bona cuſtodia ad nos, & in compedibus ferreis tranſmittatis.

Nomina Proditorum.

„ Bajamons Teupulo,
„ Petrus Quirino Sanctæ Juſtinæ,
„ Simonetus Quirino,
„ Nicolaus Quirino Durante,
„ Andreas Dauro,
„ Nicolaus Barbaro,
„ Pizagallus Quirino,
„ Nicolaus Baroci,
„ Nicolettus, &
„ Andreas Teupulo,
„ Petrus Quirino de Domo-majori,
„ Theodoſius Baroci, quondam Marci,
„ Thomas Baduario filius Bane,
„ Nicolaus Quirino zottus,
„ Nicolaus Quirino frater quondam Marci,
„ Nicolaus Vendelino,
„ Joannes Lombardo,
„ Thomas Quirino Sanctæ Trinitatis,
„ Petrus Pedonus,
„ Franciſcus Paulo,
„ Marcus Bagatinus,
„ Marcus Samittarus,
„ Marcus Sonacla.

„ Die XXVII. menſis Maji nonæ Indictionis Anno MCCCXI.

Contra Bajamontem Teupulum Proditorem & Sequaces ejus Anno MCCCX. die XXVII. menſis Junii in majori Conſilio.

„ INfraſcripta ſunt ordinamenta facta per Ducem, & ſuum Conſilium occaſione exceſſus facti per Bajamontem Teupulo, & ejus Sequaces, & participes ipſius exceſſus.

Primò

„ Quòd ipſe Bajamons, & prædicti ſui Sequaces, & participes debeant de præſenti exire Venetias, & diſtrictum, & ipſe Bajamons debet ire & ſtare per IV. annos completos ad confines, & mandata Domini Ducis in partibus Sclavoniæ ultra Jadram, exceptis Terris, & Locis noſtris, & Terris noſtrorum inimicorum. Reliqui verò nobiles, qui erant de Majori Conſilio, vel eſſe poterant, debeant ire & ſtare ad confines, & mandata Domini Ducis, ubi videbitur, exceptis Civitatibus Tarviſii, Paduæ, & Vicentiæ, & earum diſtrictibus, & exceptis Terris, & Locis noſtri dominii, & Terris cum quibus habemus, & haberemus guerram, per IV. annos completos. Ceteri verò, „ qui

„ qui non erant de Majori Consilio, nec esse „ poterant, si venerint ad mercedem Domini „ Ducis, Dominus Dux faciet eis misericor- „ diam, sicut conveniet ad largum modum; „ & Dominus Dux, & suum Consilium pro se, „ & Communi Venetiarum remittent eis, ob- „ servantibus supradicta, & perdonabunt of- „ fensiones per eos factas, non intelligendo „ propterea, quòd non teneantur illud resti- „ tuere, quod derobassent.

Hoc scriptum lectum fuit in Majori Consilio die decima septima mensis Junii. Quo lecto posita fuit infrascripta pars, & capta, videlicet:

Quòd Bajamons Teupulo, & illi, qui fuerunt cum eo, & qui fuerunt participes istius excessus, qui erant de Majori Consilio, vel esse poterant, si miserint sufficienter usque ad diem Sabbati proximè venturi ad promittendum, & jurandum de observare illud, quod nunc lectum, & de capere illos confines, & infra illum terminum, qui dabitur eis, quod promissum est eis, sicut lectum nunc fuit; & si usque ad dictum diem Sabbati non miserint, vel non curaverint, & non servaverint, ex nunc sint perpetuò banniti cum omnibus suis heredibus de Venetiis, & districtu, & de omnibus Terris & Locis nostri dominii; & fiat de eis & bonis eorum, sicut de Proditoribus & rebellibus, & hæc revocari non possint per aliquem modum & ingenium, nec possint revocari in aliquo Consilio, & addantur in Capitularibus omnium, qui possunt, & poterunt per tempora ponere partem. Et si Consilium, vel Capitulare est contra, aliqua natione, vel causa possit excogitari, sint revocata, quantum in hoc.

Et nota, quòd datæ fuerunt ballottæ CCCLXXVII. de quibus fuerunt VI. *de non*, X. non sinceræ, & *de sic* CCCLXI.

Item, quòd si reliqui, qui non erant de Majori Consilio, nec esse poterant, venerint ad mercedem Domini Ducis, sicut dictum est, infra illum terminum, vel terminos, qui dabuntur eis per Dominum Ducem, Consiliarios, Capita de XL & Advocatores Communis, quòd observetur eis, sicut nunc lectum fuit. Et si infra illum terminum, vel terminos non venerint, ut est dictum, sint ad conditionem supradictorum, scilicet quòd ex nunc sint perpetuò forbanniti cum omnibus suis heredibus de Venetiis, & districtu, & de omnibus Terris & Locis nostri dominii, & fiat de eis, & bonis eorum, sicut de Proditoribus & rebellibus; & si Consilium, vel Capitulare est contra, aliqua ratione vel causa, sint revocata quantum in hoc.

Anno MCCCX. die XXVIII. in mense Junii in Consilio de Quadraginta:

Quòd isti, qui venerunt cum Domino Baduario, possint tormentari, sicut Consiliariis videbitur, Capitibus, & Advocatoribus Communis, qui intererunt, ut habeatur veritas adventus sui.

Die XX. Julii MCCCX. in Consilio de Quadraginta.

Videtur vobis,

Quòd Dominus Baduarius Baduario per ea, quæ audivistis, debeat tormentari pro habenda veritate ab ipsomet?

Vel quòd procedatur contra eum per ea, quæ habemus. Et hæc capta fuit.

Die XXII. mensis Junii MCCCX. in Majori Consilio. Videtur vobis, per ea, quæ lecta & A dicta sunt contra Dominum Baduarium Baduario, quòd ipse Dominus Baduario debeat amittere caput? Et captum fuit.

Die XXIII. mensis Junii MCCCX. in Consilio de Quadraginta. Videtur vobis, quòd isti, qui venerunt cum Domino Baduario Baduario, qui inveniuntur culpabiles, moriantur? Decem novem *de sic*. Sex non sinceræ.

Vel quòd exoculentur? Quinque *de sic*. Nullus *de non*.

Quòd Saginus quondam Guilielmi de Este suspendatur per gulam, ita quòd moriatur?

Quòd similiter Jacobus de Conegliano suspendatur per gulam, taliter quòd moriatur?

Quòd similiter Cechus de Este suspendatur B per gulam, ita quòd moriatur?

Quòd similiter Girardus de Este, & Joannes de Este suspendantur per gulam, taliter quòd moriantur?

Quòd Joanni Candi de Florentia, qui dicit quòd sit nobilis, amputetur caput? Omnes partes supradictæ captæ fuerunt.

MCCCXI. die XXVIII. Maji Indictione decima quarta.

In Consilio de Quadraginta,

Quòd Consilium de non posse facere gratiam alicui, quando ipsa gratia posita fuerit, & non fuerit capta in aliquo trium Consiliorum, revocetur, in tantum, quòd possit poni pars de fa- C cere gratiam Bajamonti Teupulo, licèt alias fuerit posita.

Die ultimo mensis Maji MCCCXI. In Consilio de Quadraginta:

Quòd fiat gratia nobili viro Bajamonti Teupulo, quòd solvat totum capitale pecuniæ per eum acceptæ in Corono, & Mothono hinc ad tres annos, isto modo, videlicet:

Statim nonam partem solvat nostro Communi, & in fine quatuor mensium aliam nonam partem dicti capitalis; & sic deinceps in finem quorumlibet IV. mensium, scilicet nonam partem, quo usque erit prædictum capitale plenariè solutum totum sub pœna solidorum quinque pro libra pro quolibet termino non observato; & de sic observando det idoneam plezariam ad beneplacitum Domini Ducis.

Nota quòd fuerunt *de sic* XXVI. *de non* III. & tres non sinceræ.

MCCCXIII. die IX. mensis Januarii in Consilio de Quadraginta.

Quòd mandatum fiat Domino Peregrino de Partis, & Domino Bajamonti Teupulo, quòd non faciant simul Zostram in hac Terra, nec in districtu Venetiarum, sub pœna librarum mille, & Domino Bajamonti, quòd non vadat extra Terram causâ faciendi Zostram sub pœna librarum mille.

E *Potestati, Consilio, & Communi Paduæ.*

„ Tua nuper nobis querula expositione mon- „ stravit vir Nobilis Baduarius Baduario „ honorabilis Civis, & fidelis noster dilectus, „ quòd cùm ex forma cujusdam privilegii du- „ dum per Commune vestrum facti olim No- „ bili viro Joanni Baduario Avo suo, licitum „ sit sibi omnes fruges, & reditus posses- „ sionum, & Terrarum suarum de Paduano „ districtu facere deferri Venetias, vos sibi hoc „ privilegium non servatis. Item cùm ex for- „ ma Statutorum vestrorum super facto Len- „ denariæ editorum, ipse, ut asserit, debeat „ esse de numero Consiliariorum vestrorum de „ ma-

„ majori Consilio, vos sibi hoc similiter non „ servatis: quæ in ejusdem fidelis nostri damnum & gravamen non modicum versa sunt „ hactenus, atque verti noscuntur. Quapropter amicitiam vestram attentè rogamus, quatenus placeat vobis formas dictorum Privilegiorum & Statutorum, quarum transgressio non est decens, nec pro meritis Prædecessorum suorum honori vestro conveniens, cum juris consideratione, tum nostræ contemplationis intuitu totaliter observare, permittentes, fruges & reditus Terrarum suarum anno quolibet apportari Venetias, & quòd ipse omni immunitate tamquam Civis natione gaudeat, & utatur, ut debet, ut vobis sit honor, & nos id, licèt sit justum, gratificare B possimus, & eidem fideli nostro justæ quærelæ materia non superfit. Et ut jura sua cum omnibus de vestro possint patere Consilio, placeat vobis sibi audientiam in vestro majori dare Consilio ad sua jura inibi proponendum.

„ MCCCXI. die XXIV. mensis Octobris septima Indictione.

Domino Carolo Hungariæ Regi.

Regiæ sublimitatis literas honore, quo decuit, nuper suscepimus datas apud Budam feriâ secundâ ante Festum Beatæ Mariæ Magdalenæ, similes quarum priùs nobis præsentaverat quidam Cursor, cui statim mandavimus C fieri responsales; sed recessit subitò, literas nostras non accipiens, nec requirens. Et legebatur inter cetera in eisdem literis Regiis: Quòd Civitatem Jadræ, quam de jure ad vos pertinere dicitis, & quam tenuimus à longis temporibus occupatam, molestabamus graviter, sicut intellexerat Regia Celsitudo. Unde rogabatis nos, quòd vellemus ab injuriis dictæ Civitatis, & Civium, & damnis eorum abstinere, & suorum bonorum, & nostros facere abstineri. Ad quas Culmini Regio respondemus, quòd ex literis prædictis conjicimus, quòd Magnitudo Regia recepit in prædictis informationem sinistram; quòdque si vobis vera insinuatio facta foret, D securi reddimur, quòd ipsas literas Regalis Magnificentia non misisset; & ideo ut Regiæ Majestati facti veritas pateat, & informationem veram concipiat, & non veram rejiciat, Potentiæ Regali rescribimus:

Quòd ipsa Civitas, sicut est ubique notorium, fuit nostra, & legitimè ipsam possedimus multissimo & antiquissimo tempore, cujus non exstat memoria, & plenum, & sufficiens jus, & jurisdictionem acquisivimus, & habuimus, & habemus. Per consequens in eadem & jus vestri Regni Hungariæ expressum & notorium in ipsa Civitate, semper voluimus, & fecimus ob reverentiam, & amorem Regum Prædecessorum vestrorum, tamquam qui inten- E dimus non turbare in aliquo jura Regia, sed ad conservationem eorum dare potiùs auxilium & favorem. Et erat jus ipsum aliqua pars datii Portæ Civitatis, quod solvebatur per homines vestros Regni Hungariæ ad introitum solum Civitatis prædictæ, quæ pars exhibebatur, ut dictum est, cui per Reges Hungariæ ordinatum fuerat; & sic per prædicta potestis evidenter aspicere & cognoscere manifestum jus nostrum, & quod vobis aliud quàm veritas fuit intimatum. Verùm de rebellione iniqua Jadratinorum nostrorum rebellium aliquod Regiæ Magnitudini cum reverentia denotamus.

A Nam ipsa Civitas nostra, & Cives sub nostro felici & suavi dominio, sicut est liquidum toti Mundo, tantam pacem, statum, & omnium bonorum affluentiam & plenitudinem susceperant, & continuum recipiebant augmentum, quòd nullis Mundi Civibus, sed eis omnes alii Cives possent, ob tantorum bonorum copiam, & quòd ipsos continuis & magnis favoribus, & paternis dulciter affectibus tractabamus, invidere. Nam tam suave, & dulce, & utile est Regnum nostrum in subditos, ut pro eis in suis gravitatibus conquiescant. Unde ipsi incrassati multa pinguedine, adeò ut proprium amitterent intellectum, & in reprobum sensum dati, erga tantum affectum venientes, venenum & iniquitatem concipientes nefandam, nobis rebellare temerariè præsumserunt. Sed speramus in Domino, quòd nisi ad nostram gratiam & mandata redierint, eorum perfidiam superbiamque virtutis nostræ potentia conteremus.

Datum die IV. Octobris decimæ Indictionis Anno MCCCXI.

Serenissimo, & Potentissimo Domino Carolo Dei gratiâ Hungariæ Regi plurimùm honorando

„ Marinus Georgio eâdem gratiâ &c. Serenitatis Regiæ duas ejusdem tenoris literas in duabus vicibus & temporibus successivè transmissas, honore suscepimus condecenti. Quarum habebat inter cetera series, quòd Civitas Jadræ, quam multis jam elapsis temporibus per nos fore occupatam asseritis, nunc sponte ad vestras manus rediit, & vestro se dominio subjugavit. Propter quod culmen Regium nos rogavit, quòd cùm intellexeritis, per nos ipsi Civitati, & ad eamdem pertinentibus Insulis, molestias, damna, & multa fieri nocumenta, prædictam Civitatem, & ad ipsam pertinentes Insulas nollemus ulteriùs molestare. Super quo scire volumus Regiam Majestatem, quòd primis habitis literis statim fieri mandavimus responsales; sed Cursor lator earum recessit subitò, literas nostras non recipiens, nec requirens. Et receptis postmodum aliis similibus literis, dum ad missionem nostræ responsionis intenderemus, supervenerunt aliæ tertiæ literæ, per quas super eadem nos requirentes materia, quædam verba aspera, pro ut vobis placuit, conclusistis. Super quibus admirationem concipientes non modicam, Regio culmini respondemus, quòd si veram hujus rei informationem Majestas Regia habuisset, securi reddimur, quòd nullas de prædictis literis destinasset, nec postposuisset falsis suggestionibus amoris constantiam, quæ semper ab antiquo inter Progenitores vestros Reges Illustres Hungariæ, & Prædecessores nostros Duces, & Venetiarum dominium, viguit, amplis utrinque vallata servitiis, & gratiis ac beneficiis augmentata. Sed credimus, quòd per rebelles nostros perfidos & infidelissimos Jadrenses, ingratitudinis filios, culmini Regio quæ ad ipsorum nequam propositum attinent, veritate tacita, mendaciter sint suggesta. Verùm ut Regiæ Majestati facti veritas pateat, eidem rescribimus: Quòd ipsa Civitas Jadræ, ut est ubique notorium, fuit nostra, & ipsam legitimè possedimus à tempore, cujus memoria non est, imò ab antiquissimo tempore, & plenum & sufficiens jus & jurisdictionem acquisivimus, habuimus,

„ &

& habemus. Per consequens in eadem jus vestri Regni Hungariæ expressum, & notorium in ipsa Civitate, scilicet perceptio duarum partium tributi portæ Jadræ semper facientes, ob reverentiam & amorem Regium integrè conservari, & dari ad beneplacitum Serenissimorum Regum Prædecessorum vestrorum, dum eis placuit ordinare; & postmodum ipsum jus habuit Bannus Regionis, scilicet Bannus Paulus Croato, tamquam qui non intendebamus, nec intendimus jura turbare in aliquo Regia, sed ad conservationem eorum dare potiùs auxilium, & favorem. De quibus juribus & possessionibus nostris, dictæ Civitatis, quibus per multa curricula temporum usum fuit Venetiarum dominium, nulla umquam per Reges Hungariæ requisitio, inquietatio, vel molestia facta fuit Venetiarum Communi. Imò per Illustrissimum Dominum Belam Serenissimum Regem Hungariæ fuit recognitum, quòd dominium dictæ Civitatis, ac possessio ad Venetiarum pertineant Commune, prout hæc & alia patent exemplo conventionum initarum inter ipsum Dominum Regem per se & suos successores, & Dominum Ducem, & Commune Venetiarum, quæ mandavimus ostendi per nobilem virum Nicolaum Grimani fidelem nostrum Regiæ Majestati. Ea prædicta ergo notificatione verum constare potest perspicuè Celsitudini Regiæ, qualis fuit ipsorum Jadrensium perfidia. Et ad hoc ut majorem de ipsorum malitiis notitiam habeatis, Regiæ Majestati aliqua de his, quæ contra nostrum attentarunt dominium, breviter præsentibus referemus. Nam, ut est toti Mundo notorium, eorum status sub nostro felici & suavi Dominio mirabiliter auctus erat. Nam de manu nostra suscipiebant omnium bonorum abundantiam, & plenitudinem gratiarum; sed ipsi tantorum bonorum ingrati, ac eo ipso quo magis augmentum status procurabamus eorum, magis temerè præsumentes, Civitatem ipsam contra nostrum Dominium, imò contra se ipsos potiùs rebellarunt. Sed speramus in Domino, quòd nisi ad nostram gratiam & mandata redierint, eorum perfidiam, & superbiam virium nostrarum potentiâ, Divino directa subsidio, in hac nostra tam justa causa, prout semel demerita exigunt, conteremus. Serenitatem igitur Regiam rogamus attentè, quatenus ex prædictis veritate concepta negotii, dictorum Jadrensium perfidiam exosam habendo ab audientia Regia super talibus excludantur, ac nostram, & Ducatus nostri amicitiam ab antiquo servatam illæsam, & sic, quantum in nobis est, servandam in futurum, nunc, & in posterum conservare velitis ad Regia commoda & honores.

Data die decima secunda mensis Novembris decimæ Indictionis Anno MCCCXI.

Nicolao Grimani.

Significamus vobis, quòd literas Serenissimi Domini Regis Hungariæ nobis per quemdam adductas cursorem recepimus, inter cetera continentes, quòd Civitas Jadræ nunc ad manus suas sponte rediit. Propter quod nos rogavit, quòd cùm intellexisset, per nos eidem Civitati multa damna fieri, ac plurima nocumenta, placeret nobis ab offensione dictæ Civitatis abstinere, ac facere abstineri. Ad quas literas mandavimus fieri responsales; sed cursor ipse recessit subitò, nostris literis non receptis. Subsequenter verò alias similes recepimus literas, ad quarum responsionem dum intenderemus, aliæ tertiæ Regiæ literæ supervenerunt graviores satis prioribus. Nam ibi quædam verba comminatoria concluduntur, ut videre poteritis per exemplum earum, quod vobis mittimus præsentibus inclusum. Nos verò deliberatione habita diligenti, cùm plenum jus & dominium super Civitatem Jadræ habeamus, tam ex antiqua & longa possessione, quàm etiam per formam quarumdam conventionum initarum inter Serenissimum Dominum Belam Regem Hungariæ per se & successores suos, & Dominum Ducem & Commune Venetiarum, quarum conventionum exemplum vobis similiter mittimus præsentibus inclusum, per quas conventiones contentatur idem Dominus Rex, Jadræ dominium ad nos & nostrum Commune Venetiarum totaliter pertinere; & quòd numquam se intromittet de ea, pro ut hæc & alia in ipsis conventionibus pleniùs distinguuntur, eidem Domino Regi super prædictis suis missionibus per nostras duximus literas, pro ut convenit, respondendum, quarum literarum exemplum similiter vobis mittimus, ad cautelam vos rogantes, ac per nos, & nostra Consilia Minus, & de XV. præcipiendo mandantes, quatenus dictas nostras literas, quas Domino Regi mittimus, eidem debeatis præsentare sollicitè; vel si abesset, & sibi eas citò citò præsentare non possetis sibi, eas per fidum Nuntium, ut citiùs habeat, mittere debeatis. Ceterùm autem idem Dominus Rex in suis præsentibus literis videtur asserere, ipsam Civitatem ad se totaliter pertinere, ignorans forsan, jus & jurisdictionem, quam habemus in ea, debeatis adire præsentiam Regiam, & sibi inter cetera exponere magnum amorem, & amicitiam, quæ ab antiquo viguit inter Prædecessores suos Serenissimos Hungariæ Reges, & Prædecessores nostros Duces, & Commune Venetiarum, & illæsa continuavit postmodum semper cum exhibitionibus mutuis magnorum beneficiorum, ac servitiorum amplissimè irrogatorum vicissim, ut esse potest notorium toti Mundo, & prout potest Majestas Regia, manifestè scire tam ex fama antiquata, quàm ex forma conventionum prædictarum, quas conventiones, quantum in nobis est, servare intendimus perpetuis temporibus illibatè, proponentes nos & tota Venetia, prædictum amorem & amicitiam ad ipsum & Regnum suum continuare semper futuris temporibus, si suo culmini complacebit. Quibus, prout discretioni vestræ videbitur, relatis, dicatis eidem, quòd nos opinantes, ipsum informatum esse falsis suggestionibus nostrorum infidelium iniquorum, tacita veritate Serenitati Suæ, puram & veram per nostras literas denotavimus veritatem super jure, & jurisdictione, quam habemus in Jadra ab antiquis temporibus. Et adhuc ut majorem informationem habeat de prædictis, & suus animus conquiescat. aspiciens veritatem & jus nostrum validissimum, quod habemus: providimus facere sibi per suos ostendi exempla Conventionum ipsarum, quas & vos sibi ostendere debeatis, si videre voluerit. Tamen hoc totaliter facientes, quod non fiant, nec osten-

da-

datis vos hæc facere per modum litigii, nec quòd videatur vos velle ſtare ſuæ definitioni, ſed ad informandum animum ſuum de jure noſtro. Dicatis ſibi præterea, quòd habetur per Chronicas noſtras, quæ fuerunt diutiſſimè, & ſunt in noſtra Procuratia Sancti Marci, qui eſt locus ita ſolemnis, quòd jam ſunt circa anni CCCIX. quòd Jadrenſes ſponte dederunt ſe & Terram Jadræ abſolutè & præcisè Duci tunc præſenti, & Communi Venetiarum, circa ea, quæ dicta ſunt, taliter vos habentes, ut de providentia veſtra confidimus & ſperamus, denotantes nobis ſollicitè quæcumque per vos facta fuerint in prædictis, & reſponſionem fiendam per Regem, omnia particulariter & diſtinctè, ac alia quæcumque ad hæc facientia ſcire & inveſtigare poteritis. Et ſciatis, quòd ſi quas expenſas continget vos facere pro eundo ad Regem, ſi fortè abeſſet, vel aliter vos contingeret expenſare pro dicto facto, vobis ſatisfieri integrè faciemus.

Data die XII. Novembris X. Indictione Anno MCCCXI.

Marinus Georgio Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ.

NObilibus viris, qui Jadræ Rectores ſe aſſerunt, rectum in errore concipere intellectum. Duas literas veſtras, unam datam die ultimo Septembris, alteram die tertio Octobris, unam poſt alteram, quas nobis miſiſtis, inſpeximus, in quibus inſerentes verba plurima magnificantia nomen Dei, finaliter in literis ultimis concluſiſtis: Quòd pacem & concordiam totis viribus anhelabatis nobiſcum, & quòd propterea ad nos miſiſſetis ſolemniter Ambaſciatores veſtros, ſi de ſecuritate eorum fuiſſetis confiſi; Sed inducebat vobis terrorem mors illius de Arbo, qui extinctus in noſtra fuerat Civitate, & ideo providiſtis nobis tutiùs literas deſtinare. Ad quas vobis reſcribimus, quòd ſi ad Dominum intuitum mentis veſtræ dirigitis, ſapienter, & providè agitis. Et utinam; nam diu oculos mentis convertiſſetis ad eum, quem nos in omni ſtatu glorificamus devotè, & tanto propenſiùs, quanto evidentiùs nobis, licèt aliquando ſiniſtrum nobis afferat, tamen permittit vires & potentiam ad ipſius honorem & gloriam, & ad reprimendas quorumcumque injurias nos reſervavit. Et tamen de ipſis viribus, & potentia noſtra ſolùm in tantum confidimus, in quantum ipſius Domini Dei noſtri beneplacitis credimus inhærere. Nec poteſt ejus incomprehenſibile judicium facilè concipi, quod ſæpe cauſis latentibus permittit fortunam aliquos blandiri, ut fortiùs eos lædat. Sed non expedit verbis hujuſmodi diutiùs immorari. Ad id quod dicitis, quòd pacem anhelatis, & vultis, reſcribimus, quòd mandato Dominico totis viribus adhærentes illam voluimus, nec umquam pro nobis remanſit, ut omnibus non exſtat incognitum.

Nam ab initio, & poſtmodum, ſæpe & plures noſtros Ambaſciatores tranſmiſimus, & ad vos primò, & poſtmodum de nobilibus noſtris ſæpe & ſæpiùs ad partes prædictas; & non pro nobis, ſed pro vobis ſemper remanſit bonum concordiæ, ut vos ſcitis, & novit Deus, cui omnia ſunt aperta; & nunc etiam in eadem voluntate reconciliationis & pacis conſiſtimus, & conſiſtere intendimus, ſemper cum quibuſcumque quocumque modo facta procedant, quæ nec in proſperis, nec in adverſis animum noſtrum immutant. Ita quòd, ſicut & tunc, ita & nunc illam volumus, & ad illam intendimus, ſemper cum quibuſcumque perſonis, & ad ipſam habendam cum eo, quod convenit, dare operam efficacem & ſpecialiter reconciliationem & bonum Civitatis noſtræ Jadræ, & veſtrum, quos tanta affectione dileximus, tanta caritate fuimus proſecuti, quantam (novit Deus) poterat pater naturalis erga dilectos filios gerere vel habere. Nec multum eſt opus exemplis, niſi vos cunctos, & ſtatum veſtrum aſpicere, qui in tantum aucti ſub noſtri ſuavi Dominio fueratis. Nec occaſione mortis illius de Arbo, vel alia cauſa habebatis, vel habetis de mittendo ad nos timere, vel in aliquo dubitare, quoniam ipſe occaſione noſtra, vel alicujus Civis Venetiarum numquam recepit injuriam aliquam, vel offenſam; imò tractabatur, honorabatur, & videbatur per nos & noſtros tamquam carus & fidelis noſter dilectus; ſed quidam inimici ejus capitales, quorum inſidiis nemo in Mundo tueri ſecurè ſe poteſt, illum lætaliter percuſſerunt; de cujus morte nos, & tota Venetia doluimus, & dolemus, & ſtatim perſequi fecimus malefactores prædictos, & de aliquo invento juſtitiam, & vindictam ſumi. Illos autem, qui fugerunt, perſequi mandavimus per omnes partes, & bona eorum omnia ſub noſtro dominio exiſtentia intromitti; etiam multam pecuniæ quantitatem ſtatuimus dari exhibentibus nobis eos. Quod pro dicta occaſione dictum ſit, ne habeatis illud effugium, quod dicitis remanere de mittendo ad nos Ambaſciatores veſtros, qui non minùs quàm in propria domo poterant & poterunt eſſe ſecuri. Qui ſi venient, in nobis reperient voluntatem pacis, quam dicimus, & totum quod conveniet pro bono tranquillitatis & pacis. Aliter cognoſcemus expreſsè, quòd verba veſtra nullum dant effectum, nec aliquam firmationem, ſed quòd aſtutè unum ore dicitis, & corde aliud cogitatis.

Datum die XVII. menſis Octobris undecimæ Indictionis Anno MCCCXII.

Cetera, quæ ſequuntur, eo ordine, quò in Codice Eſtenſi deſcripta ſunt, hìc quoque producuntur.

Joannes Delphino Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ & dimidiæ partis totius Imperii Romaniæ Nobilibus & prudentibus viris Judicibus, Conſilio, & Communi Tragurii fidelibus dilectis ſalutem & gratiam ſuam.

AUdivimus non ſinè diſplicentia multa mentis, quòd inter vos fuerunt aliquæ novitates, per quas Comitem & gentes noſtras licentiaſſe videmini: de quibus novitatibus vehementer admirari compellimur, neſcientes ex parte noſtra cauſam aliquam proceſſiſſe, ſed potiùs oppoſitum, cùm vos ſemper ſicut filios & fratres tractaverimus, & tractare perpetuis temporibus conabamur. Dum enim reminiſcimur, fideles noſtri dilectiſſimi, de quàm miſerabili & ſervitutis, & ty-

„ tyrannidis jugo à primordio vos in statum libertatis, & in sinum gratiæ nostræ recepimus, & quàm dulciter ac benignè vestram conservationem & bonum procuraverimus, indefessè vos, & vestros, sicut nostrosmet Venetos, favorabiliter pertractantes, nullo modo credere possumus, quòd novitates prædictæ ab ullo infidelitatis fomite processisse poterunt; quinimò eas ex accidenti casu aliquo, sicut quotidie evenit, credimus provenisse. Accedit enim mentibus nostris, quantis laboribus, periculis, & expensis nos & universaliter statum nostrum supposuerimus cum Domino Rege Hungariæ, solùm ob vestram libertatem tuendam, & ut in fidelitate & gratia nostra vos conservare possimus, & cum quanto personarum & rerum discrimine nostra contra eum apposuerimus causâ vestri, cùm, prout scitis, jam lucri, vel alterius emolumenti nostri ex vobis occasio nulla erat. Abinde enim & si nullas amplas oblationes faceretis, attamen cum magnis nostris gravitatibus & expensis tenere continuè statueramus ducentos equestres, & multos pedestres. & galeas, & ligna in partibus Sclavoniæ, ut vos & vestra ab Hungarorum dominio protegere valeremus.

„ Qualiter igitur in cor nostrum possit ascendere, quòd tantæ caritatis fideles, & filii, tot defensi laboribus, tot conservati periculis, à nostra devotione velint aliqualiter deviare, sanæ mentis potest quilibet faciliter judicare. Hortamur ergo vestram prudentiam, quatenus præmissis in animo diligenter recensitis, suavitatem etiam vobis nostri dominii præponetis, ac feritatem & austeritatem dominii Hungarorum, quod sibi ipsis intolerabile prorsus est, in obedientia & fidelitate nostra solita perseverare velitis; & si quid in contrarium actum esset, debitè reformare, nostramque gratiam repetere, quam paratam & promtam qualibet remissa injuria vobis offerimus, cum firmo proposito vos, & vestros recommendatos, sicut umquam habuerimus, & vestram conservationem, & bonum cordialiter, & totis viribus procurandi, ac personas & bona nostra pro vobis, sicut bonus Pater facit pro filiis, liberaliter exponendi. Super quibus gratam vestram requirimus responsionem.

„ Data in nostro Ducali Palatio die XV. mensis Julii decimæ Indictionis Anno Domini MCCCLVII.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Federicus favente clementia Divina Romanorum Imperator Augustus.

„ SI rationabiles illustrium personarum petitiones circa augendas Ecclesiarum Dei commoditates clementer exaudiamus, credimus nobis ad æternæ salutis meritum, & temporalis gloriæ augmentum proficere, & eos, quos effectu postulationum suarum honoramus, nobis deinceps, & Imperio devotiores existere. Omnium igitur Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter dilectus noster Torcellanæ Ecclesiæ Leonardus Venerabilis Episcopus Celsitudinis nostræ postulavit clementiam, quatenus pro Dei amore animæque nostræ mercede nostrum inviolabile præceptum, juxta prædecessorum nostrum magnorum Imperatorum, Caroli videlicet, & Lotharii, & Ottonis, atque Conradi, & Henrici decreta eidem Torcellanæ. Ecclesiæ de omnibus rebus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, tam de Monasteriis, vel reliquis possessionibus, idest Basilica Sancti Cypriani cum Territorio suo, & Sancti Michaelis Ecclesia cum omnibus prædiis suis, & decimis, & Fossato, quo statutus est terminus tempore Caroli inter Veneticos, & Langobardos, unum caput exiens in fluvio Scilæ, & aliud in fluvio Tarso discurrente Jario usque Altinum, & Plebe Sancti Donati cum prædiis suis, & silvis, sive decimis, & territoriis, quæ tituli ejusdem Ecclesiæ fuerunt, idest Ecclesia Sancti Benedicti, & Ecclesia Sancti Zenonis, atque Sanctæ Mariæ in Plumbo, & Ecclesia Sancti Remedii cum omnibus adjacentiis, & pertinentiis, & decimis suis ex utraque parte Plavis fluminis, & Vingulano in Provincia . . . consistente cum omnibus ad se pertinentibus, & cum Silva, quæ vocatur Torcellis, & saltu, in quo continetur Ecclesia Sanctæ Mariæ, Silvaque magna, quæ est in ipso territorio, nec non & Sancti Stephani Monasterio, quod est Altini cum omnibus rebus ad id respicientibus, seu & Sancto Laurentio constituta plebe juxta fluvium Liquentiam cum omni jure & adjacentiis, & decimis suis, cunctisque familiis suis utriusque sexus, & rebus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, quæ infra ditionem Imperii nostri consistere noscuntur, & quidquid habere videtur in Civitate nova Istriæ, & in Civitate quæ dicitur . . . . . . & quidquid habet in Campo Alto, & totum Allodium de Cassatico, & ipsum molendinum de eodem Campo Alto cum suo cavo, qui firmat in ipso Campo, & de quinto, & de tertio, scilicet quantum dedit Stephanus Candianus eidem Ecclesiæ Torcellanæ cum omnibus suis pratis, & sylvis, seu pascuis, ac salictis, & cum omnibus chartulis, & notitiis, ac pertinentiis suis, tam hactenus acquisitis, quàm deinceps acquirendis, fieri juberemus, ut per nostri præcepti confirmationem nostris futurisque temporibus eidem Ecclesiæ, suisque Rectoribus in perpetuum proficiat augmentum. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid ad memoratam Ecclesiam prædictus Leonardus Episcopus nunc possidet, aut de jure possidere debet, & quod ejus successores in bonis ejusdem Ecclesiæ possessuri fore dinoscuntur; tam acquisitum, quàm acquirendum, per hujus nostræ auctoritatis confirmationem & præceptum quieto prorsus ordine teneant, & possideant; universasque præscriptas res, & quæcumque ab Antecessoribus nostris eidem Ecclesiæ confirmata sunt, necnon quidquid in antea acquirere poterit, nostra auctoritate, & jussione, tranquilla quietudine habeat, ita ut à nullo umquam nostrorum fidelium controverfetur, aut inquietetur, nulliusque Ducis, aut Marchionis, nec Episcopi, aut Comitis, nec Vicecomitis, vel alterius Reipublicæ exactoris pertimescat, aut sentiat molestationem, quoniam res omnes ad eamdem Ecclesiam pertinentes, omnesque servos & ancillas sub nostræ tuitionis Mundiburdium recepimus, ut nullam de cetero publicam faciat functionem. Quæcumque autem res jam dicti Episcopi per emphitheosim, aut alio quolibet modo, ab aliquibus hominibus possidentur,

„ in

„ in prælibati Episcopi sint potestate, suorumque successorum, ut aut legitimum censum inde recipiant, aut si eum coloni solvere noluerint, ipse, qui fuerit Episcopus, possessiones illas in usum prænominatæ Ecclesiæ liberè recipiat. Illud etiam inviolata jussione sancimus, ut decimæ, quæ annuatim ex frugibus persolvi debent, sive de omnibus bestiis per totam Altinensem Parochiam, ut supra legitur, eidem Ecclesiæ sinè omni contradictione persolvantur. Similiter autem habitantes in vicis, qui dicuntur Tertius, Moniamo, Calbonico, Pulajensis, Gaudentiaco, & iterum Gaudentiaco Villa, & alia, ad partem jam fatæ Ecclesiæ Sancti Cypriani sitæ in loco, qui dicitur Privatas, perpetua stabilitate persolvant. Si quis autem contra hanc nostram auctoritatem venire, aut eam irritam facere præsumserit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Rectoribus prædictæ Ecclesiæ. Quod ut veriùs credatur, & ab omnibus observetur, præsentem paginam nostræ sigillo Majestatis jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt, Henricus Patriarcha Venetorum, alius Patriarcha Aquilegiæ, Philippus Coloniensis Archiepiscopus, Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Arnoldus Treverensis Archiepiscopus, Sebastianus Ziani Dux Venetiarum, Schinella Comes Tarvisii, Aureus Magister Petrus, & alii quamplures.

„ Signum Domini Federici Romanorum Imperatoris invictissimi.

„ Ego Gotifredus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici Regni Archicancellarii recognovi.

„ Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Regnante Domino Federico Romanorum Imperatore Gloriosissimo Anno Regni ejus XXVI. Imperii verò XXIV.


„ Datum apud Venetias Indictione X. Tertio Nonas mensis Augusti feliciter. Amen.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Federicus Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus.

„ AD æternæ vitæ meritum, & temporalis Imperii gubernaculum apud Regem Regum credimus nobis proficere, si ipsius Ecclesiis boni status augmentum de nostra clementia studeamus apponere. Cùm igitur tuitionem gloriosi Prædecessoris nostri divæ memoriæ Henrici Quinti Imperatoris ex ipsius scriptis recognovissemus collatam Ecclesiæ Sancti Georgii, quæ est in Venetiis super omnibus possessionibus, quas eadem Ecclesia in Romano Imperio tenet, dignati sumus tam commendabilia prædicti Principis imitari vestigia. Hinc est utique, quòd dum essemus apud Venetias, hortatu amici nostri Sebastiani Ziani Illustris Ducis Venetiarum, & petitione Leonardi Abbatis de Sancto Georgio, eamdem Ecclesiam Sancti Georgii, & Sancti Stephani, pro reverentia & amore eorumdem Sanctorum, in nostræ Imperialis tuitionis speciale patrocinium circa omnia bona & quælibet jura, quæ eidem Ecclesiæ in nostro spectant Imperio, adeò clementer suscepimus, ut ei per omnes ejus pertinentias pacis & quietis usum per omne Romanum Imperium mandato nostro stabiliamus, & ipsum quietis & pacis usum diligenti defensionis opera providere intendamus. Confirmamus ergo prædicto Monasterio omnes possessiones, & universa bona, & res mobiles, sive immobiles, & omnia jura, quæ prædicta Ecclesia in toto Romano Imperio nunc justè possidet, & tenet, vel de cetero rationabiliter Deo annuente adipisci poterit. Ac Imperialis nostræ auctoritatis edicto statuimus, firmissimèque præcipimus, ut nullus Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Advocatus, Vicedominus, Gastaldus, Villicus, Decanus, & nulla prorsus magna, seu parva Ecclesiastica, aut secularis persona per albergariæ, vel thelonii, vel fodri occasionem, nec per alicujus eventus, nec per aliquod exactionis, alteriusve gravaminis ingenium, prænominatum Monasterium, ac ejus Abbatem, suosque successores inquietare, seu molestare, aut disvestire præsumat. Præterea ex nostræ Imperialis auctoritatis vigore præcipimus, ut homines prædicti Monasterii, qui resident, vel per tempora resederint in prædictis possessionibus, nullo modo distringantur per prædictas personas, nisi in generali placito, & ita demum ut vel per Abbatem, vel per suum Missum causa dirimatur sinè ullo banni gravamine. Si quis autem contra hæc nostræ Imperatoriæ præceptionis statuta, & jussa aliquatenus venire, & aliqua ex his infringere attentaverit, pœna centum librarum auri purissimi noverit se condemnatum, quarum medietas Imperiali Fisco, residua prædictæ Ecclesiæ Abbati, suisque successoribus persolvatur. Ut hæc verò prædicto Sancti Georgii Monasterio rata deinceps, & inconvulsa permaneant, & in oblivionem non cadant, præsentem paginam fecimus inde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo roborari. Testes quoque placuit annotari.

„ Ulricus Aquilegiensis Patriarcha,
„ Henricus Gradensis Patriarcha,
„ Christianus Moguntinus Archiepiscopus,
„ Philippus Coloniensis Archiepiscopus,
„ Arnoldus Treverensis Archiepiscopus,
„ Conradus Salzburgensis Archiepiscopus,
„ Vitalis Castellanus Episcopus,
„ Marinus Clogiensis Episcopus,
„ Leonardus Torcellanus Episcopus,
„ Sebastianus Ziani Dux Venetiarum,
„ Florentius Comes Holandiæ,
„ Conradus Marchio Montis Ferrati,
„ Theodoricus Marchio de Saxonia,
„ Conradus Marchio Anconitanus,
„ Joannes Entius prædictæ Ecclesiæ Advocatus,
„ Leonardus Comes Albrarensis,
„ Dominicus Comes Jadræ, & alii quamplures.
„ Ego Gothifredus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici Regni Archicancellarii recognovi.

„ Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Indictione decima, Regnante Domino Federico Imperatore &c.



Ordo Processionis Scholarum.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Domini MCXLII. mense Februarii Indictione VI. Rivoalti.

„ SI ea, quæ antiquitus, præsertim pro nostræ Patriæ honore, & utilitate, à Prædecessoribus nostris provida ac diligenti consideratione statuta sunt, auctoritas nostræ dispositionis conservat ac retinet, inter cetera, quæ inde proveniunt, honor Patriæ conservatur, & augetur, dissidium omne vitatur, ac nobis ipsis non modica quies confertur. Sanè Prædecessores nostri, viri Religiosi, Clerus videlicet, ac Populus pia cum devotione disposuerunt, & statuerunt, ut in unoquoque anno in Purificationis Sanctæ Mariæ Festo ad honorem & laudem Dei, seu & Beatæ Mariæ semper Virginis Dei Genitricis, Processio Scholarum fieret. Quæ Purificationis Sanctæ Mariæ die usque ad Ducis Venetiarum iret Palatium, ibique benedictione accepta, quæ Domino Duci pro dignitate Palatii datur: debent duci ac provehi ad Sanctum Petrum Castellanum Episcopatum, ibique debent repræsentari, & cantatâ Missâ, ipsa Scholarum Processio debet proficisci usque ad ripam Sancti Marci de Brolio, & ibi repræsentari. Pontifex verò Castellanæ Ecclesiæ, Pontificalibus indutus vestibus, unà cum Altaris ministris, videlicet Sacerdote, & Archidiacono, nec non & Subdiacono, sacris indutis vestibus, & Abbatibus, & aliis Clericis, devotè in laudem & gloriam omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, ceterorumque Sanctorum canendo, Processionem Scholarum sequi debent usque ad ripam Palatii. Deinde Pontifex unà cum ceteris prædictis Ecclesiasticis, sacris indutis vestibus, debent ascendere in Palatium, & inde cum Domino Duce, & Capellanis, & cetera nobilium virorum turba, descendere cum Processione, & intrare in Ecclesiam Beati Marci. Et ibi devotione & timore Domini, benedictis candelis vel cereis, iterum Processio debet incipi ab Ecclesia, & ire usque ad ripam, & exinde Scholarum Processionem sequendo per canalem. Cùm autem ad Rivum Sanctorum Apostolorum perveniret, si aqua esset plena, vel grandis, ut vulgo dicitur, debeant per ipsum Rivum intrare, & ire ad repræsentandum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Formosæ; & si aliqua plena, vel grandis, non inveniretur, tunc rectâ viâ debent ire sursum per eundem canalem. Ceterum, quia quidam suo temerario ausu conati sunt ipsam Scholarum Processionem violenter ducere sursum per canalem, cùm aqua plena, & grandis esset, & prædictus Rivus non denegaret ire ad repræsentandum prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ: maximum dissidium nostris in temporibus videtur accrevisse. Cùmque nos Petrus Polano gratiâ Dei Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, & Joannes Polano eadem gratia Castellanus Episcopus, hujusmodi dissidium conspiceremus, ne deinceps ampliùs fieret, operam dedimus. Congregatis igitur nobis in nostro Palatio, unà cum nostris Judicibus, & ipsis viris Sapientibus, qui præerant Consilio, quod hoc in tempore pro honore & utilitate, seu &

A salvatione nostræ Patriæ habebatur, quorum Consilio Venetiæ Populus obedire sacramento est adstrictus, ipsique honorem & profectum, & salvationem, ac quietem nostræ Patriæ diligenter considerantes, unanimiter dixerunt, & collaudaverunt, & nos prænominatus Petrus Polanus gratiâ Dei Venetiarum Dux, & Joannes Polanus eadem gratia Castellanus Episcopus, confirmavimus, Clero & Populo Venetiarum collaudante, quòd amodo in antea usque in perpetuum, si aqua Rivi Sanctorum Apostolorum plena, vel grandis fuerit, cùm Processio Scholarum illuc pervenerit in Purificationis Sanctæ Mariæ Festo, quòd Scholæ in ipsum Rivum intrent, B & eant ad repræsentandum prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Formosæ. Quòd si aqua ipsius prædicti Rivi tunc plena, & grandis non fuerit, tunc Processio Scholarum eat rectâ viâ sursum per canalem. Si quis igitur contra hanc nostræ constitutionis, & collaudationis, ac confirmationis chartam ire tentaverit, aut corrumpere, vel frangere præsumserit: Nos prædictus Joannes Polano Castellanus Episcopus, unà cum tota nostra Ecclesia sequestramus, & cum Juda traditore in Inferno damnamus, quo usque non pœnituerit, & ad dignam satisfactionem non redierit. Et nos prænominatus Petrus Polano gratiâ Dei Venetiarum Dux, unà cum Judi- C cibus, & Venetiarum Populo, laudantes unanimiter confirmamus, quòd omnis illius substantia in nostrum dominicale venire debeat, & insuper persona ejus à Venetiis expelli censemus, ita quòd Venetias non redeat, nisi Ducis præcepto, & communi Consilio. Et hæc præsens nostræ constitutionis, & collaudationis, ac confirmationis charta eo ordine, ut superiùs legitur, in sua permaneat firmitate.

„ Ego Petrus Polanus Dei gratiâ Castellanus Episcopus manu mea subscripsi,
„ Ego Joannes Faledro Castellanus Archidiaconus,
„ Ego Joannes Aurio Judex,
D „ Ego Stephanus Sanudo Judex,
„ Ego Petrus Baduario,
„ Ego Petrus Gradonicus Plebanus Sancti Joannis de Rivoalto,
„ Ego Dominicus Mauroceno Plebanus Sancti Bartholomæi,
„ Ego Bonusfilius Michaël Plebanus Sancti Salvatoris,
„ Ego Raphaël Presbyter Plebanus Sancti Moysis,
„ Ego Raimundus Presbyter Notarius & Sancti Geminiani Plebanus,
„ Ego Celsus Presbyter & Plebanus Sancti Joannis,
„ Ego Michaël Mattuno Presbyter Plebanus Sanctæ Mariæ Jubenico, E
„ Ego Natalis Marzanguno Presbyter Plebanus Sancti Felicis.

Reynerius Zeno Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, ac dimidiæ totius Imperii Romaniæ, Nobili & Sapienti viro Michaëli Dauro de suo mandato Capitaneo navis magnæ Communis nostri, ac universitati gentis dictæ navis salutem cum tristitia non modica, & dolore.

„ REcepimus quidem vestras literas, inter alia continentes, qualiter cùm Cara-

„ vana

„ vana nostra euntibus vobis in aquis Dyrachii prope Sasenum, galéas XVI. inimicorum vidistis, quibus visis à longè, gentem armari fecistis ad defensionem viriliter faciendam; qui Januenses ad vos veniendo, in homines Tanetarum fecerunt insultum, & cum ipsis fortiter dimicando, nostri in fine, ut dixistis, durare Januensium potentiæ nullatenus potuerunt, ita quòd mercatores, & alii ad navem se cum personis reducentes, tarridas & alia ligna omnia reliquerunt, quæ quidem ligna ad inimicorum manus cum havere, & bonis omnibus pervenerunt; vos autem cum navi, & gente tota perveneratis in Ragusio cum salute. Quibus perlectis, & cum nostro Consilio intellectis, sic vobis dicendo mittimus per præsentes. Recolimus quidem, quòd vobis discedentibus de Venetiis nova habebamus certa, quòd de Janua galêæ viginti, defectum gentis habentes, & malè munitæ, & duæ naves, & non ampliùs fecedebant, de quibus respectu habito ad vilitatem eorum, & nostræ gentis probitatem expertam, in nos, vel gentem nostram nullum dubium habebatur; & cum voluntate & vigore isto de Venetiis secessistis, Credidimus etiam, quòd magnifica & laudabilia gesta nostrorum fidelium contra ipsos Januenses facta in Portu Achon, quando vir Nobilis Laurentius Teupulo ad dictas partes accessit, nec non ad Portum Tyri, seu in Portu Achon, cùm Nobilis vir Andreas Zeno, & idem Laurentius contra tantum Januensium exfortium dimicarunt, seu quid Nobilis vir Marcus Justinianus contra ipsos in Civitate dimicando fecit, & cum quanta verecundia, & tristitia de dicta Civitate fuerunt expulsi, nec non quale opus fuit, & quàm laudabile, quod per virum Nobilem Gibertum Dandulo in partibus Romaniæ, Palæologi potentia, & ipsis etiam Januensibus resistere non valentibus, extitit perpetratum. Per quæ omnia coronam, inter gentes portabamus, & Veneti omnes honorabantur, & venerabantur, & fuerant exaltati in manibus vestris, & coram vestris oculis extitissent. Sed (proh dolor) tanti honoris & gloriæ immemores existentes sinè causa, ipsius honoris & gloriæ videmini & noscimini destructores, cùm manifestè dicatur, quòd galêæ XVI. Januensium, quæ vix hinc retro contra decem Venetorum prœliari quodammodo præsumsissent, nunc duodecim, & unam maximam, de Nobilibus, & aliis bonis Venetis munitas, non eorum probitate, sed summa vestri vilitate faciliter devicerunt. Propter quod quæ facta sunt cum summa tristitia in nostris mentibus devolventes, non videmus, qualiter, seu quomodo tantum vituperium, tantumque dedecus emendare possimus, cùm vilitas & tristitia vestrorum omnium sit amodo per diversas Mundi partes cum nostra multa verecundia divulgata. Nec contenti de hoc, sicut habemus per literas Comitis Ragusii nobis missas, audito solùm, & non cognito de conditione inimicorum, tanta fuit, & est vilitas vestrorum cordium, quòd capsellas, & alias mercationes dictæ navis facitis discaricari, ipsam nostram navim quasi relinquere intendendo, licèt Comes ipse de gente & aliis vobis auxilium, sicut est expediens, præsentavit. Quibus visis & à nobis, & nostro Consilio cum dolore nimio intellectis, sic vobis dicendo mittimus per præsentes. Placuit quidem nobis super prædictis tam gravibus & enormibus habere Consilium, & ideo pluries & pluries Consilium Majus fecimus congregari. In quibus Consiliis, licèt diversas invenerimus voluntates, demum est per nos, & ipsum Consilium Minus & Majus, stabilitum: Cùm sitis ibi, & conditiones vestras meliùs, quàm nos & pleniùs cognoscatis, in vestra libertate esse debeat, eundi ultra mare, vel remanendi, sicut de vestra fuerit voluntate. Unde sicut per dictum Consilium ordinatum est, sic facere debeatis.

„ Data in nostro Ducali Palatio die VIII. intrante Septembri, Indictione octava Anno Domini MCCLXIV.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Urbano Dei gratiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici. Raynerius Zeno Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, pedum oscula beatorum cum promtissimo famulatu.

„ Licèt, Pater Sancte, ut rectè devotus filius ad pedes vestræ Sanctitatis recursum habuerim pluries super his, quæ cogor in præsentibus enarrare, nec quod sperabam de missione sit hactenus subsecutum: quia tamen eveniunt pericula, & gravia, quæ plurima esse dignoscuntur, non duxi aliquatenus omittendum, quin reiterans vestræ Sanctitati devotas preces, & diffusas supplicationes, cum veridica insinuatione prætendam, sperans de vestræ Sanctitatis benignitate plenissima, quòd verba mea, quæ propter missiones frequentes locum non videntur hactenus habuisse, in missione præsenti habitura sint locum debitum. Vestræ Sanctitati incognitum non existit, quàm grande, quàm honorabile, & quàm excellens Imperium Romaniæ fuit, & est ad robur Fidei Christianæ, seu cum quantis laboribus, & expensis, ac personarum perditionibus acquisitum fuit favore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & postmodum defensatum. Hoc dicere non insisto, cùm Sanctitati vestræ ac universo Orbi terrarum sit pleniùs manifestum, & si præsenti tempore, quo dictum Imperium tantis angustiis, tantisque tribulationibus agitatur, ea in me, & Commune Venetiarum, qui soli quasi, ut dignoscitur, ad ipsius maneant munimen & defensionem qui maximis operantur, & fuit per quæ manifesta ipsius Imperii proditio procuratur non est sinè multo dolore, & nimia turbatione ferendum. Dictum est enim, quòd à Sede Apostolica exivit edictum, quòd quicumque in subsidium Imperii Romaniæ ire voluerit, talis sibi venia concedatur, qualis conceditur transfretantibus ad servitium Terræ Sanctæ. Præterea per Ecclesiam Romanam Principi Achayæ ad sui substentationem de pecuniis sit succursus: quod nobis Ecclesiæ tam devotis præstolabamur fieri, per ea quæ fecimus & facere possumus in futurum. Est enim Sanctitati vestræ, Pater Sancte, & aliis manifestum, quòd Insula Cretæ robur, & fortitudo est Imperii, quod per Latinos præsenti tempore possidetur, de qua si, quod absit, sinistri aliquid eveniret, de residuo est totaliter desperandum. Ad quam expugnandam, & occupandam Palæologus, & ejus sequaces ad præsens totis eorum viribus vigilant, & at-

A

„ attendunt; & ficut habemus pro certo per „ literas exinde venientes, fideles in ipsa Insula „ degentes, propter potentiam inimicorum, quæ „ multum crevit ibidem, tantis sunt perditio- „ nibus personarum, tribulationibus, & angu- „ stiis circumdati, quòd nisi à nobis de gente „ & pecunia ipsis præsentialiter fiat succursus, „ nequibunt quodammodo, ut viva voce asse- „ runt, respirare. Super quorum angustiis, & „ tribulationibus dum vellemus, sicut erat ex- „ pediens, cum nostro Consilio providere, ac- „ cidit, quòd Archiepiscopus Cretensis ad nos, „ seu ad Ecclesiam Romanam, cui devoti fide- „ les sumus, & fuimus, non attendens stando „ nobiscum in tractatu, de Venetiis secedens „ ex improviso, & nobis insciis ad Judices suos, „ videlicet Feltrinensem Episcopum, & Archi- „ diaconum Tripolitanum ex improviso acces- „ sit, penes ipsos totaliter laborando, quòd Ci- „ vitatem Venetiarum in Fide & devotione præ „ aliis præpollentem (proh dolor) supposuerunt „ Ecclesiastico Interdicto. Quod quidem cor „ meum, & omnium de Venetiis medullitus „ sauciavit, à proposito de succursu mittendo „ ad ipsam Insulam per opera talia desistentes, „ cum quæ sententiata sunt pro Archiepiscopo, „ seu quæ requiruntur ab eo, per me, vel Com- „ mune Venetiarum non possint observari ali- „ ter, vel attendi, quàm si nobis mandaretur, „ quòd Ecclesiam Beati Marci supponeremus „ incendio & ruinæ. In eo verò, quod per San- „ ctitatem vestram sæpiùs dictum est, cùm par- „ tem nostram minus habere Sanctitas vestra „ invenisset, non potuit parti adversæ justitiam „ denegare, sic dicimus. Debet enim vestra „ Sanctitas, Pater Sancte, ad conditionem fa- „ cti inspicere; & si per illum, cui per me & „ Commune Venetiarum commissum erat ne- „ gotium, inordinatè, illicitè, & falsò in causa „ processum est, quæ non sunt, nec ullo modo „ reperiri poterunt confitendo, velle non debet, „ quod Commune Venetiarum, vestræ Sancti- „ tatis & Romanæ Ecclesiæ tam devotum, pro „ tanto defectu taliter debeat deperire. Qua- „ propter, Pater Sancte, Vestræ Sanctitati sup- „ plico modis omnibus, quibus valeo, flexis „ genibus reverenter, quatenus per intuitum „ Divini nominis, & ob honorem vestræ San- „ ctitatis ad ea, quæ facta sunt, cum graviffi- „ ma & periculosa sint valde, necnon ad fidem „ inconcussam Populi Venetorum velitis atten- „ dere, & per Dei Filium Unigenitum taliter „ providere, quòd quæ facta sunt ad præsens, „ totaliter revocentur, ad hoc ut per ea, quæ „ per Sanctitatem vestram facta fuerint in hac „ parte, corda turbata ex intimis ad primum & „ verum propositum revertantur.

„ Datæ in Ducali Palatio die Octava intrante „ Septembri Indictione Octava Anno Domini „ MCCLXIV.

Quando Sacræ Reliquiæ ab incendio evaserunt intactæ.

Anno Domini MCCLXV. mense Martii Indictione Octava.

Raynerius Zeno Dei gratiâ Venetiarum, Dalmatiæ, & Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ

Nobilibus & sapientibus viris Michaëli Gradonico, Francisco Justiniano, Petro Dandulo, & Nicolao Quirino de suo mandato Ambasciatoribus ad Dominum Papam fidelibus suis dilectis salutem, & dilectionis affectum.

B

„ Ecce vestræ prudentiæ duximus præsenti- „ bus declarandum, quòd dum noviter in „ Festo Beatæ Ascensionis Domini Sacræ Reli- „ quiæ, videlicet Lignum sanctæ Crucis, am- „ pulla de vero Sanguine Christi, & vertex „ Beati Joannis Baptistæ, more solito Populo „ ostensæ fuissent, dicto per Fratres Prædicato- „ res, quos ad hoc clamari fecimus, qualiter „ dictæ sanctæ Reliquiæ de Hierusalem per „ operam Dominæ Helenæ in Constantino- „ polim fuerant deportatæ, & qualiter Domi- „ nus noster Jesus Christus ipsas in civitate Ve- „ netiarum cum corpore Beati Marci Evange- „ listæ sui voluit collocari, necnon ingenti mi- „ raculo, quod ostendere voluit per ipsas Reli- „ quias, cùm ab igne evaserunt intactæ, per

C

„ ordinem recitato, dictum fuit postmodum „ per Fratres, & alios, quòd verè mirandum „ erat, qualiter Dux, & homines Venetiarum „ clausis oculis sic transibant, quòd hoc tam „ grande & tam gloriosum miraculum, quod „ ad tantam roborationem Fidei noscebatur, „ Summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ mi- „ nimè revelabant, ad hoc ut veritate co- „ gnita, & per Mundi partes solemniter, „ & de sua licentia divulgata, in multam „ animarum ædificationem Indulgentia præbe- „ retur. Quibus verbis auditis, & à no- „ bis, ac nostro Consilio intellectis, omnibus „ placuit, quòd in hoc facto deberet procedi.

D

„ Unde per Venerabilem Patrem Episcopum „ Castellanum convocatis Episcopis Patriarcha- „ tus, Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, „ ac aliis Clericis idoneis ad hoc, processerunt „ ad inquisitionem de tanto miraculo solemni- „ ter faciendam. In quorum præsentia per „ quamplures, videlicet tam Nobiles Venetos, „ & alios, quàm operarios Ecclesiæ & Cleri- „ cos, est testificatum apertè, quòd tempore „ Domini Jacobi Teupuli Ducis, & Nobilium „ virorum Jacobi Barbo, & Petri Dandulo Pro- „ curatorum Sancti Marci die sequenti post „ Epiphaniam circa triginta annos elapsos, in „ volta quadam Ecclesiæ, ubi ipsæ sacræ Reli- „ quiæ, & alia multa ornamenta, & divitiæ

E

„ aderant, quæ de lignis magnis de subtus, & „ de supra, & circumquaque per totum erat „ cooperta, ignis accensus exivit, qui circa „ primum somnum in hora noctis visus fuit, & „ elevato rumore cucurrerunt homines, & cùm „ claves voltæ essent penes Procuratores, nec „ possent haberi, ignis mirabiliter accensus fuit, „ ita quòd apertis postea duabus januis voltæ „ tertiæ jam combustæ, viderunt ignem ad mo- „ dum fornacis accensum, ita quòd nullus in- „ trare potuit. Potiùs nitentes desuper cum „ aqua, arenis, & storeis balneatis extinguere, „ nihil facere potuerunt; unde clausis januis „ steterunt usque in mane, donec quæ intus „ aderant, lignamina, ferrum, aurum, argen- „ tum,

A ,, tum, & lapides pretiosi, & alia consumta
,, fuerunt, ita quòd mane facto apertis januis
,, volta licèt propter aquam quam projece-
,, rant, & rerum consumtionem, fortitudo ignis
,, remansisset, omnia conversa invenerunt in
,, cineres, & carbones; & quærendo per car-
,, bones aurum, & argentum cælatum, & se-
,, parando carbones ab eis, inter carbones ipsos
,, invenerunt Crucem Sanctissimam de Ligno
,, Domini cùm parvo ornamento illæsam peni-
,, tus ab igne; & procedentes Ampullam cry-
,, stallinam, ubi erat de vero Sanguine Christi,
,, inter carbones incorruptam & illæsam penitus
,, invenerunt, quamquam plures alias ampullas,
,, & alia plura chrystallina ibidem invenissent
B ,, in cineres fore conversas. Qui nihilominus
,, procedentes inter ipsos carbones invenerunt
,, capsam ligneam, in qua erat de vertice Beati
,, Joannis Baptistæ, quæ capsa combusta erat
,, quasi per totum, excepto in tantum quantum
,, vertex ille tangebatur, cendato Græco, cum
,, quo cooperta erat desuper, integro existente.
,, Quæ tam pretiosa, & sacratissimâ cum gau-
,, dio Populi & processione multa, per Fratres
,, Prædicatores, & Minores ad Curiam destina-
,, vimus cum testificationibus supradictis. Unde
,, si acciderit vos esse tunc in Curia, super ipso
,, facto Fratribus favorem vestrum, & auxi-
,, lium, sicut utiliùs fieri poterit, impendatis.
,, Sed quia audivimus per literas vestras, vos
C ,, in via separationis esse, prudentiæ vestræ per
,, nos & nostrum Consilium præcipiendo man-
,, damus, rogantes attentè, quatenus in separa-
,, tione vestra prædicta Domino Papæ & Car-
,, dinalibus exponatis, sicut vestræ discretioni
,, utilius apparebit, supplicantes eidem, quòd
,, in adventu Fratrum suæ Sanctitatis, & beni-
,, gnitatis favorem, & gratiam sic dignetur
,, concedere in prædictis, quòd nos & totam
,, Venetiam ad omnia placita sibi habeat per-
,, petuò promtiores, dicentes in hoc, & circa
,, hoc, quæcumque vestræ discretioni pro facto
,, utilia videbuntur. Præterea cùm pro factis
,, Venetiarum nobis, & Consilio nostro pla-
,, ceat, quòd Rustichinus in Curia ad præsens
D ,, debeat remanere, rogamus vos, ut in secessu
,, vestro eidem . . . . solidorum decem gros-
,, sorum dari facere debeatis.
,, Datum die penultimo mensis Martii Anno
,, MCCLXV.

Raynerius Zeno &c. Religioso, & honesto viro Fratri Ro de Ordine Minorum in Lombardia Ministro Generali, amico plurimum honorando, salutem & vitam inceptam ad honorem Altissimi terminare.

,, SIcut alia vice honestati vestræ dicendo
,, misimus, quia de Fratribus, & Ordine
E ,, toto cum tota Venetia confidimus, & spera-
,, mus, ipsorum auxilium, & consilium cum
,, fiducia requirimus cùm oportet. Et ecce vo-
,, lentes ex ipsis duos pro nostri Communis
,, agendis simul cum duobus Prædicatoribus oc-
,, casione sacrarum Reliquiarum ad Romanam
,, Curiam destinare: vos rogando misimus, ut
,, vobis placere deberet, nobis duos ex ipsis
,, concedere occasione prædicta, super quo,
,, sicut vos decuit, placidè respondistis, velle
,, vos in hac parte nostræ satisfacere voluntati.
,, Unde cùm ad mittendum simus ad præsens
,, præparati, Fraternitatem vestram per nos,
,, & nostrum Consilium duximus attentè depre-
,, candam, quatenus vobis placeat, & velitis
,, ex Fratribus duos nobis assignare, quos suffi-
,, cientes, & idoneos noveritis pro hoc facto,
,, ipsos Ministro Fratrum de Venetiis per vestras
,, literas nominando:
,, Datum die decimo tertio intrante Junio...

Raynerius Zeno &c. Reverendo in Christo Patri Fratri de eadem gratia Patriarchæ Gradensi, & Primati Dalmatiæ dilecto sibi salutem, & sinceræ dilectionis affectum.

,, QUia de vestra Paternitate confidimus,
,, preces nostras pro his præcipuè, quæ
,, Dei sunt, vobis porrigimus confiden-
,, ter. Cùm etenim super facto sacrarum Reli-
,, quiarum, per quas virtutem suam mirabiliter
,, ostendere voluit noster Dominus Jesus Chri-
,, stus, cùm ab igne horribili, per quem om-
,, nia, quæ in volta aderant, consumta fuerunt,
,, ipsas sacras Reliquias incorruptas, & illæsas
,, in medio ignis voluit remanere, viros Reli-
,, giosos, Fratres videlicet Prædicatores, &
,, Minores ad Romanam Curiam præsentialiter
,, dirigamus, Paternitatem vestram rogamus
,, attentè, quatenus tam penes Dominum Pa-
,, pam, quàm penes Cardinales Fratribus ipsis
,, velitis assistere, vestrum in his, quæ pro no-
,, bis super ipso negotio facienda habuerint,
,, auxilium & consilium taliter impendendo,
,, quòd ad quæque vobis placita nos proinde
,, strictiùs obligetis.
Similis fiat Reverendo in Christo Patri Fratri de eadem gratia Episcopo Civitatis Novæ.

Raynerius Zeno &c. Nobili Viro Marino Marcello de suo mandato Procuratori in Curia Romana fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

,, CUm super facto sacrarum Reliquiarum,
,, quæ ab igne accenso in volta Ecclesiæ
,, Beati Marci evaserunt intactæ, honestos &
,, Religiosos viros, Fratres videlicet Prædica-
,, tores, & Minores ad Summum Pontificem
,, præsentialiter dirigamus, prudentiæ tuæ per
,, nos & nostrum Consilium præcipiendo man-
,, damus, rogantes quatenus ipsis Fratribus in
,, his, quæ super prædictis facere habuerint,
,, præstare debeas tam penes Dominum Papam,
,, quàm penes Cardinales auxilium, & consi-
,, lium in favorem, ita quòd possis inde meritò
,, commendari.
,, Datum die V. intrante Julio Indictione
,, Octava.
Similis facta fuit prudenti, & discreto viro Rustichino Notario de suo mandato in Curia existenti fideli dilecto salutem, & omne bonum.
Datum die VIII. intrante Julio Indictione Octava.

Raynerius Zeno &c. Universis Potestatibus, & Rectoribus Civitatum, & locorum, ad quos literæ istæ pervenerint, tam amicis, quàm fidelibus, salutem, & dilectionis affectum.

,, CUm honestos, & Religiosos Viros Fra-
,, tres Prædicatores latores præsentium
,, ad Romanam Curiam pro nostris, & Com-
,, mu-

„ munis Venetiarum agendis præsentialiter di-
„ rigamus, Amicos rogamus attentè, & fideli-
„ bus præcipiendo mandamus, quatenus dictos
„ Fratres recommendatos habendo, ipsis ad
„ expeditionem viæ suæ præstare debeant auxi-
„ lium, consilium, & favorem, ad hoc ut ami-
„ cis proinde teneamur ad merita, & fidelita-
„ tem fidelium meritò commendare possimus.
„ Datum ipso die.

Raynerius Zeno &c. Reverendo Viro Fratri Juliano de Ordine Minorum dilecto sibi salutem, & vitam incœptam ad honorem Altissimi terminare.

„ VErè cognoscimus per expertum, quòd
„ nos, & Commune Venetiarum pura
„ mente diligitis, & quòd in omnibus nobis
„ placitis, quantum cum Deo fieri potest, per-
„ sonam vestram exponitis liberaliter, & liben-
„ ter, quod satis patet per opus, quod in præ-
„ senti via pro nobis facere voluistis: de quo
„ vobis assurgimus ad gratiarum multiplices
„ actiones. Sed cùm de Romana Curia rece-
„ perimus noviter per nostras speciales literas,
„ quòd via vestra in vanum fieret propter di-
„ versa, quæ occurrerunt ibidem, præcipuè
„ quòd Summus Pontifex, prætermissis omni-
„ bus, ad negotium Comitis Caroli solùm vi-
„ gilat & attendit, non videtur nobis, quòd
„ via vestra possit esse ad præsens pro negotio
„ vobis commisso aliquatenus fructuosa. Prop
„ ter quod nobis placet, quòd in facto, vel in
„ via non procedentes, Venetias veniatis; quo-
„ niam non esset decus, quòd vos & nos in va-
„ num deberemus pro præsenti negotio labora-
„ re; nam suo loco & tempore, vestro & alio-
„ rum consilio coadjuti, in facto, sicut fuerit
„ utilius, dante Domino, procedemus.
„ Datum die decima secunda intrante Julio
„ Indictione Octava Anno MCCLV.

Indulgentia Ascensionis. (*)

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei universis Christifidelibus præsentibus, & futuris salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ LIcèt ad omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„ fideles munificentiæ nostræ dexteram de-
„ beamus ostendere debitricem, maximè tamen
„ specialis gratiæ prærogativa nos illos decet
„ attollere, & dignioribus beneficentiæ nostræ
„ favoribus ampliare, qui se nobis ac Sanctæ
„ Romanæ Ecclesiæ ferventiore devotione ex-
„ hibent, & in fide stabiles, & in opere fide-
„ liter efficaces. Sanè igitur cupientes, ut Ec-
„ clesia Sancti Marci Venetiarum Castellanæ
„ Diœcesis præeminentioribus frequentetur ho-
„ noribus, & ut Christifideles eo libentiùs de-
„ votionis causâ confluant ad eamdem, ma-
„ nusque ad conservationem ejusdem promtiùs
„ porrigant adjutrices, quo exinde dono cœle-
„ stis gratiæ conspexerint se ibidem uberiùs re-
„ fertos: de Omnipotentis Dei misericordia,
„ & Beatissimorum Petri, & Pauli Apostolo-
„ rum ejus auctoritate confisi, omnibus verè
„ pœnitentibus, confessis, & contritis, qui in
„ die Ascensionis Domini nostri Jesu Christi à
„ Vespera Vigiliæ ipsius usque ad Vesperam
„ ejusdem diei dictam Sancti Marci Ecclesiam
„ devotè visitaverint annuatim, & manus ad
„ ejus conservationem porrexerint adjutrices,
„ plenam omnium suorum peccatorum absolu-
„ tionem concedimus. Insuper per septem dies
„ dictum Festum immediatè sequentes, & quo-
„ libet ipsorum dierum de injunctis ipsorum
„ pœnitentiis septimam partem misericorditer
„ in Domino relaxamus præsentibus perpetuis
„ futuris temporibus duraturis. Nulli ergo om-
„ nino hominum liceat hanc concessionis no-
„ stræ, & relaxationis paginam infringere, vel
„ ei ausu temerario contraire. Si quis autem
„ hoc attentare præsumserit, indignationem
„ Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri &
„ Pauli Apostolorum ejus se incursurum nove-
„ rit, atque in extremo judicio districti Judicis
„ crudeliter mulctari.
„ Datum Venetiis apud Sanctum Marcum
„ Sexto Idus Maji, Pontificatus nostri Anno
„ XIII.
„ Alphonsus Episcopus Portuensis,
„ Angelus Episcopus Sabinensis,
„ Frater Erdardus Ecclesiæ Sanctæ Ana-
„ stasiæ Presbyter Cardinalis.
„ Cyprianus Sancti Grisogoni Presbyter
„ Cardinalis,
„ Simeatus Sancti Laurentii in Damaso
„ Presbyter Cardinalis,
„ Elias Sanctorum Apostolorum Presbyter
„ Cardinalis,
„ Basilius Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus
„ Cardinalis,
„ Theodorus Sancti Eustachii Diaconus
„ Cardinalis.

Alexander Episcopus &c. Dilectis filiis Priori & Fratribus Sanctæ Mariæ de Caritate salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ CUm pro commodo generalis Ecclesiæ,
„ cujus curam & regimen, licèt immeri-
„ tò, gerimus, venissemus Domino ducente
„ Venetias, ad petitionem vestram invocati
„ pro nostri officii debito Nonis Aprilis Eccle-
„ siam vestram Spiritus Sancti gratiâ dedica-
„ vimus, & omnibus, qui in anniversario de-
„ dicationis, vel tribus diebus ante, vel tribus
„ post, eamdem Ecclesiam contrito animo, &
„ devotè, & humiliter visitaverint, de pœni-
„ tentia sibi injuncta viginti dies, confisi de
„ misericordia Jesu Christi, & Beatorum Petri
„ & Pauli meritis, duximus indulgendos. Ne
„ igitur illud Indulgentiæ, quod visitantibus
„ Ecclesiam vestram annuatim indulsimus, in-
„ posterum à memoria hominum elabatur, re-
„ missionem, quam fecimus, auctoritate Apo-
„ stolica confirmamus, eamque ad perpetuam
„ memoriam futurorum in scriptis duximus re-
„ digendam.
„ Datum Venetiis in Rivoalto Quarto Ka-
„ lendas Junii.

DOMINO PAPÆ.

„ AD Sanctitatis vestræ notitiam cum gau-
„ dio defero, quòd per duas galèas meo-
„ rum mercatorum, quæ die XVII. præsentis
„ mensis Martii Venetias de partibus Syriæ re-
„ die-

(*) *Antequam monumentum hoc tamquam germanum & certum suscipiamus, conferendum est cum aliis illius temporis, & præcipuè nomina Cardinalium, qui subscripserunt, pensanda.*

„ dierunt, quæ de Cypro die tertio Februarii „ proximè præteriti recesserunt, habui nova „ certa, quòd Casan Dominus Tartarorum cum „ trecentis millibus equitum ad partes Alepii, „ & Damasci descendens, quemdam ejus Nuntium ad Regem Cypri transmisit cum literis „ continentibus hunc tenorem:

„ Casan verbum suum Henrico Regi Cypri, „ Templo, Hospitali, Alemannis, Capitaneis „ exercituum, & Dominis Christianis. Vos „ misistis dicendo nostro bono Avo, & Antecessori nostro, antequam exercitus Chanis „ equitaret ad partes vestras, quòd si equitaret, vos equitaretis antea ad acquirendum „ Babiloniam, & ei auxilium præberetis, & „ ipse equitavit, & intravit, & vos non venistis. Et postmodum equitavit carissimus Patronus noster Mongnedamor cum exercitu „ Chanis; vos tamen minimè equitastis. Insuper ivit Rabata noster Nuntius ad Regem „ Franciæ, & fecimus conventionem cum eo „ de equitando, nos hinc, & vos inde; & nos „ pro imitari nostrorum Antecessorum vestigia „ equitavimus hinc, & mittimus ad vos nostrum Nuncium Cachelinum, ut vos & omnes gentes vestræ equestres & pedestres die „ XV. Lunæ, & mittimus vobis unum tabur, „ & unum Joch firmitatis scripta Anno ..... „ vigesimo primo Octobris apud Viel.

„ Postquam autem dictus Casan cum gente „ sua Merodinum pervênit, ipse quemdam „ alium Nuntium ad eundem Regem Cypri „ sollicitandum transmisit mense Decembri proximè præterito. Qui Dominus Rex Cypri „ duos ejus Ambasciatores ad ipsum Casanum „ remisit cum Ambasciatore ejusdem Casani; „ & tam ipse, quàm Fratres, & omnes de „ Insula ejusdem pro viribus se parabant. Sed „ hoc totum fuit, antequam sciretur, quòd „ exercitus Tartarorum contra Saracenos felicia reportarunt. Cum quibus lignis rediit „ quidam Frater Alemannorum, qui cum Saracenis fuerat in conflictu, qui Fidem Christi in Achonensi captione abnegarat; & tam „ per ipsum, quàm per plures alios inde venientes habetur negotium sic fuisse. Videlicet, quòd dictus Casan Dominus Tartarorum misit ad Regem Armeniæ, & ad Regem „ Zorzanorum, quòd irent ad eum cum toto „ suo exfortio sinè mora; & ipse Rex Armeniæ cum circa tredecim millibus equitum, „ & Rex Zorzanorum cum tota sua gente, „ quæ fuit circa viginti quinque millia, ad „ ipsum pro viribus properarunt, & venerunt ad introitum Alepii, quam Terram „ Tartari ceperant veniendo. Exercitus verò „ Soldani, tam exercitus, qui venerat de „ Babilonia, quàm exercitus ejusdem Soldani gentium de Sicem venerunt insimul apud „ Damascum, in quo exercitu erat Soldanus „ personaliter, qui fuit frater illius Soldani qui „ cepit Achon, & erant cum eo ultra octo „ millia equitum, & ipsi pedites infiniti. Et „ Tartarorum exercitus cum ipso exercitu Saracenorum inter Alepium & Damascum die „ Mercurii ante Nativitatem Dominicam se injunxit apud quemdam locum, qui dicitur Rastel; & Soldanus misit antea tria millia hominum equites, quorum quilibet habebat „ ignem Græcum super galeam, & supra scutum, & quasi supra se totum; & illi tria „ millia ignem ferentes, primò ferierunt in Tartaros, & videbantur omnes ardere; & fuit „ prœlium durissimum; & sicut Domino placuit „ ipsi Saraceni non valentes subsistere, & sustinere impetum, & potentiam Tartarorum, „ incipientes succumbere, fugæ remedium appetebant. Tartari verò prævalentes ipsos posuere finaliter in conflictu, ipsos gladio devorantes per totam illam diem. Soldanus „ verò se circa Damascum cum aliis evadentibus à conflictu, & cum aliis, qui bello non „ interfuerant, recollegit tam fortem manum, „ quòd præsumsit iterum Tartarorum potentiam „ experiri. Qui Tartari iterum conflixèrunt „ eosdem, & ceperunt Damascum, & omnes „ Saracenos, quos fugæ beneficium non portavit, ensibus & gladiis alios peremerunt. De „ quo secundo conflictu Soldanus cum aliquibus „ paucis Baronibus, & Mamoluchis iterum evaserunt. Sed idem Casan, de Regis Armeniæ „ consilio, ad capiendum passus gentem quamplurimam destinavit; & dum idem Soldanus „ per unum ipsorum passum studeret cum ipsis „ aliquibus fugam arripere, illi, qui pro Tartaris illuc fuerant destinati, ceperunt ipsum „ Soldanum, & comitivam ejusdem, qui ipsum „ ad Casanum illico destinaverunt. Casanus „ verò ipsum donavit Regi Armeniæ, & ipse „ illum in suis carceribus habet captivatum; „ & dicitur quòd Casanus intendat cum Tartaris suis transire desertum, usque in Babiloniam accessurus, & suum utique desiderium „ completurus. Sed si iverit, vel non, hoc non „ est de certo scibile apud nos; nam tam ipse „ Frater Alemannorum, quàm alii, qui inde „ venerunt, secesserunt inde, antequam ad „ transeundum desertum se moverent. Sed „ ipsum ivisse creditur, & speratur. De quo „ satis patet, videri clarissimè, quòd hæc Deus „ voluit vestro tempore, ut per vos tamquam „ præelectum, & prædestinatum ad hoc, transmisso præambulo, ad Terræ Sanctæ & Sepulchri recuperationem summo studio intendatur, quem debent cuncti Christicolæ summo „ desiderio associare; & de transmissa grates & „ gratias agere summo Deo. Et cùm ego, & „ mei Veneti fideles, inter alios Principes & „ Christianos hoc debeamus frequentiùs affectare, considerando, quòd Prædecessores nostri Duces, & Veneti, aliàs ad recuperandum Terram Sanctam inter alios Principes „ mandatis Papalibus obediverunt, devotiùs „ cum potentia transfretantes, & ad id se liberaliùs & promtiùs exponentes, & qui de amissione ipsius sumsimus majus damnum, Sanctitati vestræ, Pater Sanctissime, alacriter „ congaudemus, referentes quotquot debemus „ gratias Creatori, qui tempore vestro, sub „ quo, etiam sinè hoc gratioso motu, Terræ „ Sanctæ recuperatio sperabatur, voluit hæc ad „ consolationem Fidelium adaugendam faciliùs „ emanare, offerentes nos, & Ducatum nostrum liberaliter, & quidquid in hoc, & „ circa hoc vestra Sancta Clementia voluerit „ imperare.

„ Datum die XIX. Martii XIII. Indictione „ Anno MCCC.

Hic explicit Codex Estensis.

In Codice Ambrosiano subsequentia reperiuntur, facto monito hæc desumta fuisse

Ex Chronico Johannis Bembi.

ANtonius Venerius fuerat extra Venetias per septennium cum tota sua familia in diversis præfecturis, in quibus omnibus semper se optimè gessit, Princeps factus omnibus gratus fuit, cum ob alias virtutes, tum precipuè ob justitiam; siquidem & filium suum Aloysium ad perpetuos carceres condemnari curavit, ubi vitam vixit, ex eo quòd cum cujusdam patritii uxore adulterium commiserat, & ejus januæ cornua apposuerat, tempore ejus Principatus ingens annonæ vilitas perpetuò fuit.

MCCCLXXXIII. Eodem anno, & mense Junii accessit Venetias...... Marchio Ferrariæ magnificè exceptus, paulò post accessit .. B .... Dominus Mantuæ, inde multi alii proceres, & reguli, qui cum studio videndi Urbem, tum ut negotiarentur cum dicto Principe accessere, quorum negotiationes secretæ fuere.

MCCCLXXXVIII. In mense Junii, inita est societas inter Rempublicam Venetam, & Comitem Virtutum qui Comes ingens copias comparavit, quibus præfecit Dominum Jacobum à Verme, & Veneti compararunt ingentem classem fluvialem Cymbarum, Garzabolarum, & aliorum Lignorum & scafarum in totum num. CCCC. cui præfectus est Jacobus Delphinus eques, illatumque est bellum Carrario; classis castra & turres nonnullas cepit, exercitus verò C terrestris agrum Patavinum devastavit; tandem dicta Societas Patavium, Tarvisium, agros ac municipia cepit Carrariumque ejecit, & fuit in dicto anno MCCCLXXXVIII. XXI. Novembris. Dux Mediolani Patavium; Veneti, Tarvisium; Marchio Ferrariæ sua oppida ex pactis tenuere. Paulò post Carrarius Patavium recuperavit, Veneti tamen Tarvisium tenuere.

MCCCXCVII. Mense Aprili dictus Comes Virtutum intulit bellum Domino Mantuæ terra, & aquis comparata classe. Itaque usque ad Augustum bellatum est inter eos. Tunc Veneti, quia dictus Dominus Mantuæ nobilis Venetus erat, & quia Dux Mediolani videbatur nimis potens evasurus, si Mantua potiretur, bellum contra dictum Ducem pro Mantuano suscepere, D & classem per Padum in ejus auxilium misêre; iniere etiam societatem cum dicto Regulo Mantuæ, & ei auxilia misêre Florentini, Bononienses, Marchio Ferrariæ, Dominus Paduæ, Malatesta Arimini Dominus, omniumque terrestrium copiarum fuere Duces Carrarius, Malatesta, & Philippus de Pisis; hostilis autem exercitus Dux erat Jacobus à Verme, & Ugolottus Blancardus, armarunt & Veneti ultra Cymbas, quas diximus, III. Triremes, & cum multis ballistrariis accessere Mantuam, constatque præcipuè auxilio Venetorum Mantuanum Regulum sua retinuisse, nam misêre etiam Veneti architectos, & machinas, qui pontem, & A obstaculum contra inimicos struxere die XIX. Augusti.

Eodem anno XXIX. Augusti. In Pado acriter tandem, & de summa rei pugnatur, victaque est classis Mediolanensis, Venetis Mantuano fortissimam operam præstantibus, ob quam victoriam Mantuani Reguli, Dux Mediolani pacem conficere contentus fuit, & cum Mantuano Regulo, & cum societate ejus, confectaque est MCCCXCVIII. XVIII. Maji per annos X.

Hoc anno in mense suprascripto accessit Venetias .... Dux Austriæ, qui magno honore acceptus, duas triremes suis sumptibus armavit, & in Syriam ad visendum sepulchrum Domini profectus est.

Eodem anno in mense Novembris, accessit Venetias nepos Regis Franciæ, & exornata una triremi suis sumptibus in Syria pariter ad visendum sepulchrum est profectus.

Anno MCCCXCIX. accessere Venetias Reguli Ferrariæ & Mantuæ. Cùm chocha prægrandis Januensis piraticam in Oriente exerceret, Veneti tres prægrandes chochas contra eam exornarunt, in quibus erant quingenti pugnatores, præfectusque eis Nicolaus Lombardus, sed cùm Januensis chocha naufragium passa esset, desiere prosequi iter institutum, & domum reversæ sunt.

MCCCC. In mense Augusti .... Marchio adductus fuit Venetias ut obses, & in palatio per multos dies custoditus fuit, tandem in Insula Cretæ est relegatus, qui postea nonnulla occasione revocatus fuit, & in libertate positus.

Sub hoc Principe plateæ D. Marci, & Rivoalti lapidibus coctilibus stratæ sunt, non tam magna, quàm laudabili impensa.

Die XXIV. Novembris hic Princeps obiit post Principatum annorum XVIII. mensis unius & dierum trium, sepultusque est in Æde Genitorum magnifico, & frequente funere, & magna populi mœstitia, fuit enim gratissimus dum vixit omnibus.

Primo Decembris; In ejus locum successit Michaël Steno, qui cùm ægrotaret non nisi nona die Januarii principatum iniit, & in palatium est ingressus. Ejus initium populus magna celebritate accepit; cuncta enim Collegia ludos edidere, certamina equestria, quæ giostras appellant, sunt celebrata per totum annum primum.

Eodem anno in die Sancti Martini, VI. Triremes onerariæ redeuntes oneratæ ingenti vi Aromatum ex Syria, quarum erat præfectus Leonardus Trivisanus, tempestate actæ sunt apud Insulam S. Trinitatis, & naufragium passæ sunt, & quatuor earum, videlicet Viadra, Delfina, Superantia, & Sagreda, & duæ evasere Gradonica, & Cornaria, fuitque inde maximum damnum & afflictio Urbi, quamquam pauci ex ho-

hominibus perierint, & merces in parte recuperatæ fuerint.

MCCCCI. In mense Aprilis discessere ex Venetiis duæ Triremes armatæ nomine, & sumptibus Ducis Austriæ, & una armata nomine & sumptibus Domini Paduæ excepturæ sororem Regis Lancislai nuptam Duci Austriæ, quam tamen Rex tunc ire ad maritum noluit. Itaque re infecta Triremes Venetias reversæ sunt.

XI. Decembris . . . . Imperator Alemanniæ cum Imperatrice Venetias accessit ex Padua profecti, multoque honore & donis maximis excepti sunt.

MCCCCII. XVIII. Decembris absoluta fuit instauratio pontis Rivoaltini, dictaque die cœptum est per illum transiri.

MCCCCIII. Genuenses instruxerunt ingentem classem Triremium XXI. & chocharum plurium bellicarum, & dissiparunt rumorem velle proficisci in Cyprum, cujus classis erat Præfectus Bucicardus Gallus nepos Regis Franciæ, qui veluti Dominus Genuæ imperabat, nam tunc Genua Regi parebat, quæ classis accessit Scandelorum, ubi ab incolis fusi sunt Genuenses, malèque habiti, multis ex eis interfectis, multisque vulneratis, ita ut coacti sint ex XXI. redigere classem ad XI. sed optimè instructas cum remigibus & nautis tum militibus, præsertim Gallicis, & peditibus, qui tunc à Lanceis appellabantur, inde profecti sunt Barutum, ubi omnia in prædam vertêre, aromata omnifariam asportantes, præsertim Venetorum, inde discedentes, dissimulantes velle inferre damnum Venetis, Mothonum tamen accessere; erat tunc pro Venetis ad maris custodiam Carolus Zenus cum XI. Triremibus, qui sequens Januensem Classem, ne Venetis damna inferrent, Januensi Præfecto misit nuncium, admonens amicè, abstineret ab inferendo damna Venetis, cùm satis damni intulerit eis immeritò in Baruto; præsenserat autem Carolus Zenus dictum Præfectum tunc, cùm ex Baruto solvit, dixisse se velle Venetos castigare, magisque tunc fecerat in Baruto Bucicardus cùm Mothonum transisset, & Zonchium accederet aquatùm, ut præseferebat; ut verò Venetus Præfectus sensit, & admonitus fuit animo damnificandi, Venetus Dux eum est assecutus inter Mothonum, & Zonchium, statimque initum est prœlium, acriterque pugnatum, & dum dubius Mars foret, in Genuensibus enim Triremibus in singulis erant XL. & ampliùs Galli milites præter turmas navales, supervenere duæ Triremes onerariæ Venetorum, quæ à mercatura rediebant, Præfecto Nicolao Lombardo, quæ cùm à lateribus in hostes magna vi illatæ forent, victoriam suis peperere, itaque captæ III. Triremes hostiles, III. submersæ sunt cum turba tota, reliquæ V. multa clade accepta evasere, capti ex hostibus fuere D. inter quos multi Galli interfecti & mersi, unde circiter DCCC. Ex Venetis autem desiderati CLIII. Fuit autem hoc prœlium die VII. Octobris MCCCCIII. in Vigilia Sancti Marci. Captivi Venetias adducti, & in carcerem detrusi, & Nobiles præsertim Galli in custodiam nonnullorum Civium dati sunt. Christophorus Blancus Magister Classis Venetæ, & Zilius Niger in eadem classe, ut puto Comitus viriliter admodum se gessere, multosque ex hostibus interfecere: itaque Venetias reversi præmiis & honoribus exaltati fuere, sed nonnulli, qui in hostes non irruêre, ut debebant, infamia notati sunt, qui si irruissent nulla hostilis Triremis evasisset.

MCCCCIII. VII. Octobris V. hostiles Triremes, quæ ex prœlio evaserunt, Genuam se recipientes in itinere cepere Triremem Venetam disarmatam, pane & remigio oneratam, nec non & chocham, cujus erat Patronus . . . . . Cornar. in qua erant multi nobiles, qui ex remigibus rediebant domum, quibus se defendere potestas non fuit. Itaque omnes captivi adducti Genuam, intulere & alia damna Venetis, demum Genuam rediere.

His diebus Comes Senii Venetias accessit, magnoque honore acceptus post nonnullorum dierum moram in Urbe domum rediit.

Paucis post diebus ex pacto inito cum Genuensibus captivi liberati fuere, inter quos Gallus vir liberatus, accusatus fuit dixisse se sperare loturum sibi manus cum sanguine Veneto, itaque captus post nonnullos dies inter columnas geminas laqueo suspensus fuit, qui ad supplicium dum duceretur, nihil aliud dictitabat, nisi *Deus culpam criminum meorum non deleat, si ex ore meo unquam hæc verba, quæ mihi objiciuntur, protuli*; nihilominus tanquam reus necatus est, & dum penderet ex furca, quidam populares pedes ejus vulneraverunt exprobantes: *fundatur sanguis Galli hominis, qui Venetum sanguinem effundere jactatus est.*

Hoc eodem anno, regnabat Patavii Franciscus Carrarius Junior, qui Venetias olim accesserat, & nomine Patris pacem cum Venetis inierat, juraveratque post bellum, de quo retro, & Nobilis factus fuerat Venetus; Obiit tunc Dux Mediolani, quare Franciscus dictus novas res tentavit contra statum, & honorem Venetorum, quod Veneti sensere, sed & deprehendere ejus operâ, Bucicardum Venetos lacessere, & vexare machinasse, & nonnulli ex Gallis, qui liberati fuere, allusere ad ipsum Carrarium admonentes Venetos, caverent à Vicino, supprimentes tamen nomen ejus, Vielmus Scaliger, qui & ipse Venetus Nobilis erat, impetratis auxiliis à Francisco Carrario ejus Compatre, Veronam est ingressus, & Franciscus vix ingressum veneno tolli curavit, & in ejus locum in Verona præposuit Jacobum suum filium: hoc factum mirè displicuit Venetis, nam & Vielmus Venetus Nobilis erat, & gratus Venetis, & vir dignus; præterea potentia Carrarii suspecta erat, quòd comparato ingenti exercitu Vicentiam premebat: at Vicentini abhorrentes ejus imperium, acriter se defendebant; Interim Ducissa Mediolani decrevit cedere Venetis Veronam, Vicentiam, Coloniam, Feltre, Bassianum, Cividale, & alia loca Venetis; Veneti cessionem acceptantes præconem Carrario, qui sub mœnibus Vicentiæ erat, mittunt nunciantes Vincentia, & aliis locis abstineat, quæ Ducissa Mediolani sibi cesserat, filius Francisci Carrarii, qui ibi in castris Præfectus copiarum erat irâ accensus, Tibicinem interfici jussit, abscissis priùs ei auribus, & naribus, dicendo: *efficiamus ex Tibicine Leonem Sancti Marci*, aliaque verba, & facta obbrobriosa addendo, misere similiter Veneti Feltre, Cividale, Bassianum, & pro possessione adipiscenda dictorum Oppidorum, ubi operâ Carrarii obbrobriosè, & difficulter accepti sunt; obtinuere tamen ea Oppida, & fuit die XXII. Aprilis MCCCCIV. Veneti comprehensa iniquitate Carrarii, ei apertum bellum inferre statuunt, exercitum XXXm. militum comparant, Malatestam Pisauri Regulum pro Imperatore conducunt, qui tamen nonnisi XXV. Junii Venetias accessit, & in Æde Divi Marci solemniter di-

ea Missa solemne Vexillum, & juramentum fidelitatis datum est ei, & die XXXI. Junii Mestre accessit, ubi multi Nobiles ductores, in genfque numerus militum equestrium erat, qui inde discedens cum copiis feralia Paduani dominii transiit, & Paduæ appropinquavit, sed tamen Provinciam prosequi noluit, imò Præfecturam tenuit, & Pisaurum rediit; Interim per Supam, & alios rivos penetravit classis multarum cymbarum, cujus Præfectus erat Marcus Grimanus in agrum Patavinum, multaque damna intulit hosti, tandem ab hoste acta rampeginibus in ripas est tractus, & captus cum multis ex suis, & captivus ductus cum aliis fuit Plebem Sacci, cui ingens talea data fuit ab hoste pro ejus liberatione, sed ex aliis, qui cum ipso capti fuere, multi occultati fuere à subditis Carrarii; inde Veneti crearunt in eorum Imperatorem Paulum Sabellum, qui ductor in his castris erat, & auctor fuerat præcipuus transeundi feralia hostilia. Eodem tempore Veneti alium exercitum comparant, Dominum Mantuæ ei præponunt, & Veronam infestant, Veronensemque agrum. Itaque undique Carrarius infestabatur. At Marchio Ferrariæ, qui Gener erat Francisci Carrarii socio auxilium misit, Polezinum de Venetiis occupavit, omne genus auxilii ex opere pro Socero præstitit; Tunc Veneti, ut haberent quem ipsi opponerent, Azonem ex Creta revocant, quem eò relegaverant. Sic instante Marchione, qui sibi ab eo strui insidias in Principatu . . . . . . erat enim frater, Venetis persuaserat: hic itaque Azo cùm Venetias ex Creta citò venisset, cùm ei copias non exiguas Veneti subjecissent, versùs Ferrariam profectus est, sed & Triremes instructissimæ Præfecto Joanne Barbò sunt missæ, pugnatumque alicubi in Ferrariensi & terra, & aqua aliquantulum, & tandem Marchio cessit, pacemque, quam voluere Veneti, pepigit cum non parvo suo dedecore, & damno; restituit enim Polesinum, portus, & passus linquere coactus fuit, salem non conficere Comacli permisit, & juravit nunquam Venetis infestum se futurum, & constat, nisi cessisset, dejectum de imperio futurum, fame enim Ferraria opprimebatur, utpote undique hoste cincta. Interim duo alii exercitus, quos diximus, premebant Veronam, & Paduam, ubi reliquum hyemis stetere. Paulus Sabellus castrametatus fuerat in vico dicto Campo-Nigro, ibique valle, & aggeribus se munierat, & cinxerat, & oculatè admodum morabatur; at Carrarius erumpere suum filium cum ingenti manu ex Urbe fecit, & copias, quæ ad Bassanellum erant, invadi jussit; itaque ex tempore & improvisè erupit; usque ad tentoria quasi Imperatoris Sabelli irrupere, ejusque equites, multisque vexillis captis, cum militibus captivis factis redibant. Cùm Imperator, & alii ductores armis sumptis hostes assequuntur. Pugnatum est acriter, hostes tanta celeritate evasere, quòd nonnulla vexilla secum adduxere, quod in dedecus Venetorum cessit; quare Sabellus, & alii inde attentiores & vigilantiores sunt facti, reliquum hyemis ibi transactum. Interimque multa castra adempta hosti, inde Paulus Sabellus obiit; ejus cadaver Venetias adductum honorificè sepultum est in Æde minorum. Funeri interfuit Dux & Senatus, in pompa funeris præter omnia Collegia Urbis fuere ducti multi equi panno nigro obducti, in ejus locum suffectus Galeatius de Guernellis de Mantua; interim Jacobus Surianus, qui intraverat Vicentiam nomine Vene-
A torum, exiit inde, & cum copiis ivit versùs
Veronam, credens ingredi eam Urbem, ut Vi-
centiam intraverat, sed dum esset Stravii, co-
piæ Carrarii eum aggressæ sunt, suderuntque,
& acceperunt eum, qui se liberavit ingenti
summa nummorum. Interim Dominus Mantuæ
Veronam molestabat acriter pro Venetis, sed
Franciscus Carrarius obstabat, qui intus erat,
præsertim Veronensibus non admodum sibi fide-
libus, quantum poterat. Tandem videns non
posse eam Urbem defendere, statuit inde exire,
& mutatis vestibus clam aufugit, sed agnitus
in itinere ex manipulis suis, captus fuit à non-
nullis rusticis, & Venetias adductus fuit, &
fuit die XIV. Julii MCCCCV. cui Veneti, sicuti
B & ceteris Carrariis ingentem taleam imposue-
runt eum capientibus. Tunc D. Mantuæ om-
nem operam adhibuit, ut Verona potiretur,
qua tandem potitus est die XX. Junii, videli-
cet antequam Carrarius caperetur. Vicentini
multum laborarunt ut Verona ad manus Vene-
torum perveniret, inde statim Verona muniri
est cœpta, optimè præsidiata, missique primi
Magistratus Petrus Raimundus cognomento gran-
dis Præfectus, & Rubeus Marinus Prætor.
At Galeatius cum alio exercitu circa Paduam
multa damna hosti inferebat, impensa tamen
Venetorum incredibili; Carrarius intra Paduam
latebat, ut Galeatius usque ad mœnia progre-
deretur hostiliter, quin prœlia cum scalis, mi-
C nistrabat. Castrametati sunt Veneti in Terra-
nigra juxta portam Sanctæ Crucis, ibi depre-
hensum fuit quendam Venetum cognomine Ma-
xoler vibrare veruris intra Paduam literas; Ita-
que detentus jussu Imperatoris Galeatii missus
fuit Venetias, & paulò post suspensus fuit inter
geminas columnas rubeas palatii cum sparaga
in ore, fuitque die XXIX. Julii MCCCCV.
Divulgatum est tractasse cum Domino Paduæ
injicere ignem in nonnullas Terras Venetiarum,
& ejus socios fuisse nonnullos, quos supprimere
licet, quòd essent ordinis, & status honesti, &
eadem die suspensi fuere inter duas columnas
unus ejus frater, & duo Sacerdotes cum sparan-
gis in ore, & cum capite deorsum, & nonnul-
D los nocte submersos fuisse divulgatum est, qui
postea reperti fuerunt, sed non agniti. Paulò
post in eisdem castris deprehensum fuit Joan-
nem de Papia Ductorem virum strenuum misis-
se ultro citroque suos nuncios, qui edocerent
Dominum Paduæ de omnibus, quæ fiebant in
castris Venetorum, quare detentus jussu Galeatii
missus est Venetias, ubi quæstioni subjectus fas-
sus est habuisse salarium à Domino Paduæ du-
cat. DCCC. in anno, quare suspensus fuit inter
geminas columnas. Alii autem, qui cum eo de-
tenti & Venetias pariter missi fuerant, liberati
fuere, cùm non sint inventi culpabiles. Tunc
Dominus Paduæ videns omnia sua consilia in ir-
ritum cedere, coactus est facere aliquam trans-
E actionem, & pactum cum Venetis, quare
exiens ex urbe cum salvoconductu, collocatus
est cum Galeatio Præfecto Veneti exercitus in
castris Venetis ad Terram-nigram, cui post
multa Galeatius nomine Venetorum proposuit
has conditiones; videlicet quòd Veneti libera-
rent Jacobum ejus filium, quòd ipse cum suis
filiis exiret de Padua cum rebus suis, quòd ha-
beret à Venetis ducatos LX.m., quòd habita-
ret ubi vellet, dummodo quod C. milliaria ha-
bitaret longè à Padua, cederetque Paduam, &
reliquum dominium suum Venetis, quas condi-
tiones ipse abnuit, quare Veneti omnem cona-
tum adhibuere, ut Urbem caperent, sæpiùsque
sca-

scalis admotis conati sunt muros ascendere, sæpiùsque dejecti sunt; tandem nocte quadam clam nonnulli ascendêre, dormientibus Custodibus ejus interfectis, cepere primum murum; triplici nempe muro Padua est cincta. Carrarius hæc sentiens intra tertium murum se muniit, sed videns non posse diutiùs se tenere, misit Galeatio nuncios suos, se ei commendans, & petens cum eo colloqui, itaque dato ei salvoconductu in colloquium cùm venisset, Galeatius ei persuasit, ut Venetias accederet, & cum Principe transigeret, promittens ei, si non concordaretur cum Venetis, se eum in Paduam reducturum, cui consilio Carrarius acquievit; Galeatius scripsit de hoc Duci: Dux & Senatus noluit, ut Venetias accederet, quoniam in Venetiis habebat tot amicos, & compatres, ut dubitaverint, ne persuaderet cum tot amicis indigna Reipublicæ, sed voluere, ut in agro Mestrino in loco dicto Zero conveniretur cum nonnullis, quos illuc misit: ibi collocuti, non est secutum concordium; Itaque rediit Paduam re infecta, ibi ei statim occurrunt cives Patavini, & ei protestantur se nolle ampliùs sufferre obsidionem, neque posse; introitus enim ipsorum esse in manibus Venetorum, se non posse famem imminentem tolerare, quare provideret sibi, ut melius videretur; tunc Carrarius desperans de salute, misit Galeatio Capitaneo Venetorum se, & filios suos ipsi commendans, & rogans, ut se Venetis commendaret, tunc Galeatius & copiæ Venetorum ingressæ sunt Patavium cum voluntate Paduanorum, fuitque die XXII. Octobris MCCCCV. Tunc dictus Carrarius Venetias cum ejus filio Francisco tertio, dicto guercio, erat enim luscus, accessit, & ibi in Monasterio Sancti Georgii collocatus fuit, adhibitis custodibus cum in Monasterio, tum in aquis circumjacentibus cum multis cymbis, ne elabi posset, inde statim missi Paduam Trevisanus Præfectus, & Marinus Carravello Prætor, & Urbs munita, atque in potestatem penitus redacta, multique Paduani jussi sunt Venetias accedere ut suspecti. Inde decrevere X. viri, ut dicti Carrarii, pater & filius in carcerem detruderentur, sed separatim, & noctu id executum, ne populus tumultuaretur, & in ipsum insurgeret, odio enim eum habebat mirum in modum, idque fuit die V. Decembris, inde die XVIII. Decembris ex X. virorum decreto strangulati in carcere fuere pater & duo filii. Patris cadaver satis honorificè in Monasterio Heremitanorum Sancti Stephani in Venetiis, filiorum verò in Monasterio Sancti Georgii majori collocata, jussu X. virorum sunt, quare his è vita sublatis, cunctæ civitates, & oppida, quæ Ducissa Mediolani Venetis cesserat, liberè, & absque difficultate Venetis subesse non detrectarunt, videlicet Verona, Vicentia, Feltre, Civitale, Bassianum, & Patavium, & Castra. Expendit Dominium Venetiarum in dicto bello, & pro aquisitione dictarum Urbium duo milliona ducatorum auri; hoc tempore, dum ob felices successus fiunt lumina, in summa turri Marciana apex turris conflagravit, itaque inde refecta & inaurata fuit, ut postea diu perstitit. MCCCCVI. absolutum est opus Meniani in formam Januæ in atrio novo Consilii majoris Venetorum, quod respicit versùs mare, quod constitit multos nummos; sed est opus honoratum.

Hoc eodem anno accessere Venetias ad Ducem circiter XL. Cives Veronæ ex nobilioribus, & fuit constructum pulpitum in platea Sancti Marci ante Ædem Sancti Marci, ubi consedit Princeps & Patres, qui Princeps se albis vestibus ea die induit, & pariter familiam suam induit albis vestibus, & umbellam albam fecit: eò accessere Veronenses, & ipsi albis induti vestibus sedentes in equis honorificè & ordinatim, & cùm fuere juxta pulpitum, descendentes de equis ascenderunt pulpitum, & salutantes Principem obtulerunt Claves & vexilla duo Civitatis eorum, videlicet Veronæ, & nobilium Veronensium, & juraverunt fidelitatem cum Venetis, & Princeps eis dedit & consignavit unum vexillum prægrande Sancti Marci, quod erigerent super Plateam Veronæ, fuitque hæc celebritas cum totius populi clamore, & lætitia incredibili accepta, & fuit XI. Julii MCCCCVI. die verò XXX. Augusti pari ordine, & pompa, XL. Patavini oratores accessere ad Principem, sed induti omnes vestibus scarlatis, datumque eis pariter vexillum.

Ob has tot victorias factæ fuere in Venetiis multæ supplicationes.

Hoc anno VI. Decembris in die Sancti Nicolai allatum nuncium Venetias D. Angelum Carrario electum fuisse Romæ in Pontificem, assumsisseque nomen Gregorii XII. quare per tres dies campanis, & facibus accensis edita signa lætitiæ publicæ.

MCCCCIX. XXI. Julii accessit Venetias Domina . . . . Mater Balsæ qui fuerat Dominus multorum locorum in Albania, quæ venerat commendatum filium suum dominio, quòd dominium multa loca dicti sui filii tenebat, cui Dominæ multi honores exhibiti.

Eodem anno, & eodem mense Veneti convenere cum Rege Lancislao, ut ipse Rex daret Jadram Venetis, ipsi darent Regi ducatos centum mille, quare Veneti classem, & multos balistarios, multosque pedites unà cum quatuor Provisoribus ex primoribus Civitatis Jadram misêre. Hi autem fuere Franciscus Cornarius, Leonardus Mocenicus, Antonius Contarenus, & Fantinus Michaël, qui discessere Venetiis cum classe die XXV. Julii, & die Mercurii ultima Julii ingressi sunt Jadram, de quorum ingressu allatum est nuncium Venetias. Die IV. Augusti in die Dominicæ, & die VII. Augusti in die Sancti Donati facta fuit Venetiis supplicatio pro agendis gratiis Deo ob Jadram recuperatam, factusque est ille dies festus eo anno Venetiis, & observatum tunc ingressum Venetorum in Jadram fuisse octavum, septies enim retroactis temporibus Jadra potiti fuerant Veneti, septiesque amiserant.

MCCCCIX. In Sibinico nobiles, & plebs tumultuati sunt: nobiles enim exemplo Jadratinorum Venetis subesse volebant, & plebs sub Rege Ungariæ permanere malebat. Itaque ventum ad arma, & nobiles ejecti fuere ex Urbe, qui cùm se ad quasdam eorum munitiones, & castra reduxissent, misêre nuncios suos Venetis, invitantes eos ad accipiendum possessionem Sibinici, quam ipsi quantum in ipsis erat ipsis dabant, quare Veneti statim illuc misêre classem IX. triremium, & L. cymbarum, quæ classis discessit Venetiis MCCCCIX. XXIII. Februarii, quæ classis ingressa portum Sibinici, nihil facere potuit, nam acriter à plebe oppidum est defensum, imò Veneti malè sunt habiti, quare Veneti novas copias illuc destinant, & equites cataphractos, & milites peritos rei militaris terrestris, qui cum copiis præfecere D. Ludovicum Bazacharinum Patavinum, qui statim ibi castrametatus est sub oppido, & vallo, atque aggere se cinxit, quare factum, ut auxilia aut com-

commeatus oppidum ingredi nequirent, & ipse interim obsidionem arctè continuaret. Interim Veneti oratores suos Joannem Barbadicum, & Thomam Mocenigum ad Regem Hungariæ destinant, ad pertrahendum, si possent, Regem ut id oppidum Venetis cederet, pactis inter se initis: dum oratores ad Regem accedunt, Rex auxilia sibi submisit DCCC. videlicet equites, Duce Comite Signæ. Rex inde contentus fuit quæstionem de Sibinico remittere in Pontificem, protestans se abhorrere viam & modos, quibus Veneti illud oppidum consequi quærebant. Erat tunc Pontifex Joannes...... Bononiensis, Veneti contenti fuere stare judicio Pontificis; *reliqua desunt de Sibinico*.

A

MCCCCX. XX. Julii nunciatum est Venetiis Marsilium Carrarium filium Francisci Carrarii, & Brunotum Scaligerum filium Guielmi Scaligeri. accessisse ad quoddam Castrum Ducis Austriæ, ibique tentare res novas, sed & verba pertulisse inhonesta contra Venetos. Deprehensum etiam est cum nonnullis Patavinis tractare Patavium & Veronam subvertere, pervenitque ad manus dominii Venetorum quædam epistola, quæ omnia aperiebat, quare statim detentus fuit quidam in Patavio, qui cuncta aperuit tormento subjectus, & in frusta laceratus publicè, sed & ex Ferraria adductus fuit quidam, qui cuncta detexit, & multos conscios conjuratorum intra Patavium latitantes detexit. Is Venetiis inter geminas columnas necatus, & divisus in membra fuit, & frusta in furcis solitis in confinibus appensa. Veneti præmium proposuerunt his, qui dictos Guielmum Brunotum, & Marsilium aut interficerent, aut caperent Ducatos quinque mille, idque fuit multo ante tractatum, detectum.

B

His diebus fuit maxima tempestas Venetiis, venti, pluviæ, & grandines adeò vehementes, ut complures cymbæ in lacu Venetiarum cum hominibus, qui in eis erant, perierint, multa vaporatoria, multæ domus, multæ turres corruerint, aut corruptæ fuerint. Turris Sanctæ Fuscæ tota cecidit, maxima pars Monasterii Corporis Christi corruit, multa navigia submersa, multi mali confracti, multæ arbores prægrandes convulsæ, multaque alia horribilia secuta sunt. Duravit hæc tempestas quartam partem horæ, quòd si ulteriùs durasset, maxima pars Urbis corruisset. Id autem fuit in die Dominica circa horam Vesperorum in die Sancti Laurentii X. Augusti MCCCCX. Qua die Tartari ingressi Tanam, totam deprædati sunt, multis Christianis interfectis, multis vulneratis, illatumque damnum Venetis inde per summam Ducatorum CXX.m. quod nuntium Venetias allatum est die XV. Octobris.

C


Eodem mense Octobris accessit Venetias Comes Signæ, qui magno honore acceptus fuit, stetitque Venetiis pluribus diebus, inde in Lombardiam accessit.

Eodem mense absoluta est turris horaria Rivoalti, absolutumque horologium, quod ibi adhuc visitur.

Eodem anno die XIX. Januarii, triremes onerariæ, quæ ex Belgica negotiatione redibant in Farum Messanæ, dum essent, una earum, vetustate, ut creditur, nam nulla tempestas tunc fuit, dissoluta est, turma liberata, & magna pars mercium, non parum tamen damni inde passa est.

XXI. Januarii, Marchio Ferrariæ Venetias accessit, ubi cùm pluribus diebus stetisset domum rediit, paulò ante ejus discessum accessit Dominus Mantuæ, & cum dicto Marchione aliquot diebus moratus Mantuam inde rediit.

Desunt in eo Codice reliqua.



FRAGMENTA
ANNALIUM ROMANORUM
Italicè ſcripta

Ab Anno MCCCXXVIII. uſque ad Annum MCCCXL.

AUCTORE

LUDOVICO BONCONTE MONALDESCO,

Nunc primùm in lucem efferuntur

EX MANUSCRIPTO CODICE

CÆSAREÆ VINDOBONENSIS BIBLIOTHECÆ.

IN FRAGMENTA ANNALIUM LUDOVICI DE MONALDESCHIS

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MOnaldesca Familia si sibi illustrem locum poscit inter Italicas antiquitate ac nobilitate praestantes, jure quidem ac merito facit. Neque hujus sententiae meae vadem dabo Alphonsum Ceccarellum Mevaniatem, qui Anno 1580. Asculi, typis Joseph de Angelis, Librum in hanc rem edidit, nempe *l'Istoria di Casa Monaldesca*, ubi multa merce congesta ex Historicis, atque ex Archivorum chartis, hujus gentis antiquitates, potentiam, & acta fuse descripsit. Ceccarellus enim inter recentiorum temporum Impostores perquam famosus, ille est, qui cum alias Familias, tum Monaldescam, variis ementitis Codicibus MStis, Historiis, ac tabulis, non illustravit, sed foedavit; idque unum assequutus est, ut quae certa erant de hujusmodi Familia, incerta ac dubia incaute fecerit. Sed is tandem jussu Gregorii XIII. Summi Pontificis in vincula conjectus, & capitali supplicio affectus, severissimas, simulque dignas poenas dedit tantarum fraudum, ac tamdiu corruptae veritatis, uti Leo Allatius, aliique Scriptores testantur. Profecto Monaldeschae Familiae nobilitas Ceccarelli fabulis non indiget, sed inconcussis nititur veterum Historicorum monumentis; nullusque dubitandi locus relinquitur, quin ejus majores seculari potentia, rebusque gestis olim late claruerint, ac potissimum in Civitate Urbevetana, quae eos per longa tempora dominos ac Regulos suos habuit, & coluit. Ex hac autem illustri progenie Anno 1327. prodiit *Ludovicus Boncomes Monaldescus*, Auctor frustuli Historici, quod nunc primum publici juris facio. Et illud quidem debeo celeberrimae Vindobonensi Bibliothecae, unde mihi describendum curavit, veniam clementissime dante Augustissimo Romanorum Imperatore CAROLO VI. Pius Nicolaus Garellius, Eques Ordinis Christi, atque ipsius Caesaris Medicus, Consiliarius, ac Bibliothecae Praefectus, & meliorum Literarum cultor ac patronus solertissimus.

Si vera sunt quae in exordio leguntur, usque ad annos CXV. vitam suam Monaldescus iste produxit, atque adeo circiter Annum 1431. ejus obitus statuendus est. Verum in ipso exordio ridenda plane res occurrit, quam alii minus religiose agentes expunxissent; ego vero veritatis curam unice in his habendam ratus, servatam volui. Nempe is auctor est, se tantam aetatis mensuram implesse sine ullo valetudinis incommodo, atque *ex uno senectutis morbo e vita cessisse*: quod quicumque audiat, a risu minime temperet, quasi is post mortem ex Elysiis haec ad nos conscripta miserit. Sed & illud vix credendum, hominem CXV. annos natum, hoc est ad summe decrepitam aetatem deductum & capularem, haec literis tradere potuisse. Fortassis haec in margine a quopiam addita, in textum tamdem irrepsere. Nam per literas certiorem me fecit doctissimus vir Hiacynthus Mannius, Romanus Causidicus, & eruditionis simul cultor indefessus, Romae quoque eadem fragmenta Historiae reperiri, eamdemque ibi ridendam narrationem legi. Quomodocumque tamen se res habeat, (neque enim vacat in absonam hanc rem altius inquirere) quae scripta heic nobis offeruntur, colorem ubique germanum veritatis praeferunt, Romanique Populi, quocum fere semper versatus est Monaldescus, & conterminarum Urbium acta quaedam ita nobis edisserunt, ut suus etiam usus esse possit Opusculi hujus ad amplificandam Historicae rei eruditionem, ac potissimum ad antiquas ac potentes Romanorum Familias uberius dignoscendas. Quod solum doleo, ad Annum 1340. consistit calamus Auctoris, neque ultra progreditur, quum tamen a primis ejus lineis quisque intelligat, Monalde-

scum

scum longe plurium annorum Historiam sibi conscribendam suscepisse, eamque, uti conjicere possumus, conscriptam iniquitate temporum cecidisse. Neque longius progreditur Romanus Codex MStus, mihi a Mannio supra laudato indicatus. Porro usus est Monaldescus ad haec literis mandanda Dialecto Romanis tunc familiari, nimirum quae in nonnullis accedebat ad Neapolitanam seu vocibus seu pronuntiatione. Ego nihil immutandum statui: neque enim hujusmodi levis rubigo obstare potest, quominus haec a Linguae Italicae gnaris intelligantur; atque interim hinc habebimus, quae tum foret Romani Populi loquela. Postremo tamdem loco Lectores monitos volo, in Regia Parisiensi Bibliotheca hoc idem Opusculum haberi cum hocce titulo: *Memorie & Annali dal 1327. fin' al 1340. di Lodovico Bon-Conte Monaldeschi*. Ita mihi suis literis significavit Clariss. ac Eruditiss. Vir Johannes Boivinius ejusdem Bibliothecae primus Custos, quem rebus humanis exemtum Anno 1726. universa Literatorum Respublica doluit, sed ego in primis, cui singularem Amicum mors heu nimium festina praeripuit. Quare vides concordes Codices, quos novi, in testando Historiolae hujus cursu interrupto. Adeat tamen Lector *Annales Urbevetanos*, quos infra publici juris faciam; aliqua enim ex parte ii supplebunt, quae heic desiderantur. Ego aliquando suspicatus sum, an ii Auctorem haberent hunc ipsum Ludovicum Monaldescum. Sed stili diversitas dubitationem sustulit.

AN-



ANNALI
DI
LUDOVICO
MONALDESCO.



O Ludovico di Bonconte Monaldesco nacqui in Orvieto, e fui allevato alla Città di Roma, dove vissi. Nacqui l'Anno MCCCXXVII. del mese di Giugno nel tempo che venne l'Imperatore Ludovico.

Hora io voglio raccontare tutta la Storia dello tiempo mio, poichè io vissi allo Mundo CXV. anni senza malatia, autro che quanno nacqui, mi tramortio, e morsi di vecchiezza, e fui allo lietto XII. mesi di continuo. Qualche volta andai ad Orvieto a vedere li miei parenti. Cominciarò io, e vi voglio raccontare tutte le costiune e guerre, che furono allo mio tiempo. Amen.

Lo Papa era Janni XXII.

Venne a Roma Ludovico Vavero, e uscìo innanzi lo nobile Senatore, ch'è Vicario dello Imperatore, e si chiamava & haveva nome Missere Stefano della Colonna, e l'autro era Missere Cola de' Conti, che non era alla Cittade; & ivon con Missere Stefano della Colonna tutti i suoi amici. Ci ivono quattro frati carnali di Papasano, & uno de' Francipani, uno Baronciello, quattro figlioli di Petruccio della Valle, e chilli neputi carnali di Riccardo degli Annibali; e ci ivono li figli di Jacobo

A Narsete, ci ivo Ludovico, ci ivo Matheuccio Albertone con tutta la Casata, e muti autri, che mi stracco a raccontarli; e fecero una bella venuta a Roma. E lo Imperadore iva vestito d'auro fino, e veniva con isso Castruccio, ch'era Signore de Lucca con MD. cavalieri con le lancie alla coscia, e la briglia in mano, tutti vestuti de fierro. Habitao allo Palazzo granne delli Colonnesi, e si riposao VIII. giorni; e allo Palazzo di Messer Pietro della Colonna non si sentiva se no suoni e canti pe dare gusto allo Imperatore; e si vedea quasi onni mattina Missere Agabito, e Misser Fabritio, e Misser

B Stefano figli di Pietro della Colonna tutti vestiti di bianco, e no cavallo bianco peduno. Jero gridando per Roma *Gloria in excelsis Deo*; *e dello granne Imperatore sumus liberi à peste, fame, & bello; & à tirannide Pontificia liberati siamo, o Popolo mio*. Ci ivano direto tutto lo Popolo, e gridava: *Viva Dio, lo Imperatore, e Casa Colonna, che rimette la Cittade in libertade; ben si conosce, che succedono dalli Imperatori antichi loro antecessori; veramente è vero, che la razza vostra discenne da Giulio Cesare. Viva dunque o Colonna, o Zagarola, li Signuri sui, che toccò tanto bene a nui*. Lo

C granne Imperatore ivo a Sancto Joanni Laterano con tutto lo Clero, e lo Popolo, e s'assettao Ludovico n'una sedia de seta gialla recamata de pietre pretiose, e Stefano ci mise la Corona; e volse l'Imperadore, che Messer Pietro della Colonna, ch'era lo capo, e lo chiù vecchio della famiglia, & era frate intierso a Stefano Senatore, volse, che li desse lo scettro, ch'era di ramo d'oliva.

Subito che fu incoronato Ludovico, isso veze fare lo Papa, perchè diceva, che toccava ad

issò; ma era più rabbia, che lo Papa l'havea scommunicato; & incoronao Papa no cierto Pietro da Corvaro dello Contado de Rieti, ch'era Frate de Zuoccolo de S. Francisco. Fu chiamato Cola V. Fece muti Cardinali; e quanno si fece Frate, havea mogliere. Lo quale assolvè l'Imperatore della scommunica.

De chisso tiempo morse la sora degli Anibali d'Anibaldeschi, ch'era na bella femena, e morìo de morte subitanea; donde grandemente si dolse lo figlio de Urso Conte dell'Anguillara, che ne iva fortemente arso, e sperava la pace con chisto matremonio da cheste due famiglie.

Fu eletto Capitano dello Populo, perchè se sentiva no granne rumore in Italia, lo valoruso Sciarra Colonna; e suoi Caporali erano Jacopo Saviello, e Tebaldo de S. Eustachio, Francesco Cancelliero, uno della Valle, uno Casariello, no Montanaro, no Castellano, no Coccino, no Capizucco, no Albertino, no Stalla, no Paparese. E portava lo Stendardo no jovane de prima varva Pietro figlio de Sciarra della Colonna; e Crescentio portava lo libro dell'entrato dello Populo per darene cunto allo granne Imperatore. Fosco portava la Corona tutta d'auro lucente, per darla allo Senatore, che la mettesse allo capo Sacro dello Cesare della Città di Roma.

L'Anno MCCCXXVIII. no Barone Todesco, che era restato a Roma collo Imperatore, fece costiune con uno Saviello; e mentre se vattagliava vicino S. Maria alla via lata, arrivao Stiefano Casariello jovane valoruso, arrivao Cicco e Jovanne Capoccio, lo figlio de Pietro della Valle con quattro servienti, e fecero na granne baruffa, e morìo muti Todeschi.

Lo ditto Anno fu presa Pistoja dalla jente dello Duca de Calabria, e dalli Fiorentini; per lo che si partio di Roma Castruccio già dichiarato Sig. de Lucca dallo Imperatore, e fatto Senatore, e morìo muti Todeschi.

Lo ditto Anno lo Capitano Egidio dell'Imperatore Bavaro si partì da Roma con MD. cavalieri, e pedoni assai, per dare guerra ad Orvieto; e li Gibellini di Todi corsero l'Alpina, & irono alla Teverina destruendo Ville, Case, Castella fino allo monte de' Monaldi. La jente dello Imperatore a dì XXIV. Febraro se ne tornaro a Valle Lago; presero Valentano, Montorio, Enano e Gradulo; vi morìo molta jente Todesca, e Taliana; e perchè chissa jente Todesca havia intiso lo romore in Roma se ne tornajo a Roma.

Furono rimessi muti banditi chill'Anno dallo Vavaro, e fra l'autri Pavoletta Millino, che avia acciso Cicco Baronciello. Fu rimesso Oratio Ulgare, che avea jettato allo Tevere Stefano Viperesco forastiere. Fu rimesso Camillo Coccino, che havea acciso uno de Casa Conti: Fu fatto no duello fra lo Santuccio Coccino, & Oratio Conti; e perchè Oratio era morto, se levao Casa Conti, e finirono d'accidere Santuccio, e ci ero lo figlio in chissa vattaglia, lo quale accise un Conte.

Fu rimesso a prieghi di Pietro della Colonna Francisco Cancelliero, che havea acciso quattro de Casa Ursina, perchè Cola Urso havea acciso Jan Angelo Cancelliero.

S'addomandao in grazia Janni Capoccio valuruso jovane, lo quale havea acciso Poncella Jovenale con dui suoi servienti; e lo Imperatore non ce voze fare lo favore, perchè Janni havea contravenuto alli patti delli Gibellini; ma trovandosi Janni ad Alpi de Merli, dove si era accasato con una bella figlia dello Sig. de Alpi chiamato Pietro Caracciolo, lo dichiara l'Imperatore per scrittura capo della jente Gibellina, e di chilli conturni, e fra dieci Anni potesse ritornare alla patria suja Roma. Chisto Janni col ajuto di Anibale Caraccio figlio dello Conte ivo molte volte a Rieti, & uccise muti Guelfi, e predao molto auro e bestiame, e la rocca di Alsi era sempre piena de Vanniti, perchè chisti poi apparentao con lo Marco Furo Varone de Pereto, e chillo paese era pieno di huomini micidiali.

Nello ditto Anno de Marzo lo Conte Chiaramonte Capitano delli Gibellini della Marca con jente dello Bavaro a tradimento entrò nella Città di Jesi, & assediò alla Rocca Janni Signore della Terra, lo quale ancora che fosse bravo e valoroso, si arrese; ma Chiaramonte gli fece tagliare lo capo nitto.

L'Anno MCCCXXIX. lo Imperatore se ne andiede con la sua gente a pigliare Bologna, dove contrastò con il Legato del Santo Papa; ma non riuscì all'Imperatore molti disegni, e però se ne tornò alla Germania, e molte Città tornorono alla devotione della Chiesa. Il Legato di Fiorenza con la forza de' Guelfi prese molte Terre per il Papa.

Il detto Anno Janni Gaetano Orsino Cardinal Legato di Toscana andiede ad Orvieto per favore de' Monaldeschi, che si erano nemicati fra loro; e Misser Pancelloto Orso era da una banda.

Alli X. di Settembre Silvestro da Raniere fatto Tiranno di Viterbo fu ucciso da Fatiolo bastardo di Manfredo Prefetto di Roma, e lo fece fare Sciarra Colonna, il quale ci diede ajuto e consiglio.

Nel detto Anno il Cardinale Janni Gaetano Orsino si partì da Orvieto, & andiede seco Ranuccio di Pietro Monaldesco, il quale trattò l'accordo fra il Legato & il detto Fatiolo, e si accordò con il Legato; e il Capitano con CC. Cavalieri del Re Roberto entrarono a Viterbo per opera del detto Ranuccio, quale fu Potestà di Viterbo.

A dì XX. Maggio fu fatto un decreto ad Orvieto, che potessero entrare li foruсciti Gibellini, ch'erano fatti molto poveri, e fu per opera di Pinello Baglione Perugino Podestà. E quell'Anno fu fatta la pace fra il Conte di Monte Marte, e noi altri parenti Monaldeschi, e questo fu dell'Anno Domini MCCCXXX. nel quale li Fiorentini pigliorono Monte Catino, ma con assai longo assedio, perchè si opponea Gerardino Spinola di Genua. Lo pigliorono alli 13. di Giugno, e poi andorono all'assedio di Lucca, e pigliorono molti luoghi e Castelli.

A Roma si fece un parentato fra Agabito di Pietro della Colonna con una donna Reale, e molto ricca, con li quali quattrini riscossero Ceccano; e questo è un Castello, che fu edificato da un' antico a tempo di prima della famiglia Colonnese, e prima questa Casa si chiamava di Casa Ceccano; ma poichè Pietro il vecchio l'impegnò per certe sciarre e guerre, che ci occorsero, non si chiamò più di Ceccano, ma della Colonna, donde ha provenuto lo nome questa famiglia Nobile, perchè viene da Giulio Cesare, come ho letto al Studio de Ranieri Signore di Monte-Pulciano, e Vescovo di Chiusi, nel quale mi ricordo ancora haver letto in un Libro vecchio di carte pergamene, che

che quando si abbruggiava Roma, che lo fece fare il Tiranno Nerone, all' hora furono due gioveni suoi parenti, & uno edificò la Città vecchia, ch' è Orvieto, e l'altro edificò Mogonza, e da questo discese Casa di Ceccano, che poi fu chiamata di Colonna. Da quello d'Orvieto discese la Casa di Vico, che adesso è la Casa di Rovere, quale gente hora è stesa in molte parti. Mi ricordo ancora haver letto, che gli Orsini, Nobile e grande gente, discendono da gente valorosa Francese, dove ce n'è un' altra famiglia di questi. Ma per mala sorte questo Studio fu un giorno abbrugiato da una saetta con tutta la casa sua, che habitava alla Regola Rione famoso e Nobile. Il detto Anno il Re Gioanni di Boemia essendo venuto a Chiarantana per parlare al Duca suo cognato, li Bresciani lo fecero Signore della Città, perchè non si poteano difendere dalli Gibellini di Lombardia, e il Re Roberto non l'ajutava. Li Colleoni di Bergamo lo fecero Padrone di Bergamo, e così venne il Re Gioanni ad Italia.

Il detto Anno Misser Passarino Bonaccolsi huomo ch' era Signore di Mantova, fu scacciato con ferro e fuoco e morte da Misser Ludovico Gonzaga Cittadino Mantovano, & esso se ne fece Signore.

L'Anno MCCCXXXI. il Re Gioanni di Boemia prese Lucca, e prese la Signoria di Parma, Modena, e Reggio contro del Legato del Papa, che stava a Bologna, e poi tornò in Alemagna, e lasciò Carlo suo figlio con molta cavalleria. Era Signore di Lucca all'hora Gerardino Spinola.

Il detto Anno di Maggio la Nobile famiglia de' Malatesti di Rimini erano Tiranni di tutta la Romagna, e si divisero con grande inimicitia tra se medesimi, che fu gran danno a quel Paese.

Il detto Anno essendo nata guerra tra' Catalani e Genovesi, ne fu fatta la pace tra essi e Guelfi, e fu confirmato il dominio a Roberto a favore di Papa Giovanni e della Chiesa Sacra.

Quest' Anno nacque in Napoli un putarello con cinque braccia, e cinque gambe, e un occhio, e parlava alla Greca, e visse XLIII. hore.

Il detto Anno il Re Giovanni hebbe gran gente dall' Arcivescovo di Treveri suo Zio, e dal Doge di Chiarantana suo Cognato, per andare contro il Re d'Ungaria, & allo Dogio d'Osteriche suoi nemici.

L'Anno MCCCXXXII. In quest' Anno fu gran rumore tra li Perugini, e l'Orvietani, perchè li Perugini volevano Chiusa.

Di Aprile il detto anno essendo stato per l'avanti gran sciarra frà loro, cioè fra Vertoldo capo delli Orsini, e il Conte Urso dell' Anguillara, e fra Pietro capo delli Colunni, e fra Stefano Senatore de Palestrina, perchè il stato di Colonna si gettò a sorte, chi toccava, San Pietro lo benidica; e quel tempo fu questo di Stefano Vecchio, quando si disgiunse questa famiglia. Per tornare a noi, furono mezzo d'accordo questi due giovani inimici, & erano che volevano parentare insieme, e volevano far tornare la Corte a Roma, e chiamare il Santo Padre; ma passando il Conte Urso de Anguillara, e Bertoldo Orsini, forse per andare a Tagliacozzo capo dello stato loro, e di Celano del fiume della sentina, vicino ad Avizzeno de' Marsi furono trovati a caso dal valoroso giovane Stefanuccio della Colonna figlio di Sciarra, ch'era andato alla caccia di Misser Verardo Vangelista Signore de Luco amico di casa sua, e per essere conosciuto, con molti cacciatori assaltorono il Conte Orso e Bertoldo questi due, cioè Stefanuccio e Verardo, e l'uno uccise l'uno, e l'altro l'altro; e quelli cacciatori sbanditi ch' erano con li Colonnesi e Vangelisti fecero fuggire la guardia di questi Guelfi; e facendosi a Roma fu sconclusa la pace, mà veramente questi due gioveni non ne sapevano niente di questa pace. Fu all' hora dalli Orsini ragunata gran fattione, ma non poterono far cosa veruna al mondo, se nò che un servitore degli Ursini trovò no ragazzo piccolino, ch'era figlio di Misser Agabito della Colonna, l'uccise con due Servienti che l'havevano menato alla Chiesa; e non potendo far' altro l' Orsini se non andare al Campidoglio, dove stava una testa di marmo, ch' era de casa de' Corsi, e la gettarono dalle logge, e poi in fiume, e questo fecero perchè la famiglia di Misser Verardo Vangelista venne da questo Corso, e si levò da Roma, perchè Stefano Padre vecchio di molti figli di casa Corsi si levò in guerra con Pascale secondo Papa, e Stefano per fuggire l'ira del Papa si vestì da frate, e radunati molti huomini pigliorono a sangue e fuoco Montalto e Ponteuccio, ma non potendolo ritenere, se ne vennero a Luco de' Marsi Castello del Padre suo, donde è disceso Verardo Vangelista, e questi di Evangelista l'hanno preso da uno così chiamato, se bene ancora ritengono per arme antica un cane che corre, che fu dato a Corso dal Popolo Romano, perchè fu fedele, e si portò combattendo per il Popolo, come un Corso arrabiato, e ci misero la statua in Campidoglio. Questi poi havendo inteso questa guerra, che gli havevono fatto gli Orsini, fecero grande massa di Banditi, che Verardo Evangelista ne haveva assai a Luco suo Castello, e con l'ajuto del Conte d'Alba, e di Altobello Capoccio figlio di Gianni già morto, e con l'ajuto delli parenti di Trasavo, misero assedio a Tagliacozzo; e non potendolo così presto pigliare, Verardo Evangelista fece fabricare un forte palazzo a Tagliacozzo sopra la fiumara, dove riceveva li Soldati, e poi li faceva salire per una montagna a fare danno agli Orsini, & a quelli Vassalli; e cominciò all' hora la gente divota alli Colonnesi abasso il palazzo di Misser Verardo Evangelista nobile e generoso, che diceva, che quella terra, che faceva fare, la era per casa Colonna, ma alla fine fu presa; ma fu un tempo mezzo della Colonna, e mezzo degli Orsini: e così passò questa impresa, che ne furono di sopra li Colonnesi.

Nel detto anno li Turchi messero al Mare CCLXXX. navi, & andarono a Constantinopoli contro l'Imperatore de' Greci; ma fu ajutato l'Imperatore da' Venetiani, e Genovesi: così lassorno la grande impresa, e fecero gran guadagno, che pigliorono più di mille Greci, fecero tributarj li Negropontesi. Sentì questo il Santo Papa, & il Christiano Re di Francia, e fecero grande apparecchio per l'anno futuro. Le galere di Genua andarono dalli Catalani, e fecero grand' impresa, e fra l'altre cinque galere, le quali furono arse, e tornorsene a Genova.

Il detto Anno del mese di Ottobre Misser' Azzo di Milano havendo trattato di haver la Città di Cremona, come se non fosse tenuta per il Papa, se ne entrò dentro la terra, la prese e se

se ne andò Misser Azzo con il Sig. di Mantova con più di MMD. Cavalieri sopra a . . . . . . , e ci stette attorno più di XX. giorni arruinandola tutta, e il Legato ch' era in Romagna, tornò subito a Bologna, che haveva paura di qualche intrico.

Nel detto Anno si fece il gioco del Toro al Coliseo, che havevano raccomandato tutto con ordine di tavolini, e fu gettato il bando per tutto il contorno, acciò ogni Barone ci venisse; & io racconterò, quali giovení giocorno, e quali morirono. Questa festa primieramente fu fatta alli tre di Settembre del detto Anno, e tutte le Matrone di Roma stavano sopra li balconi foderati di roscio; e ci era la bella Savella Orsina con due altre sue parente; e ci erano le donne Colonnesi, ma la giovene non ci pote venire, perchè si era rotto un piede al giardino della Torre di Nerone; e ci era la bella Jacova di Vico, aliàs Rovere; e tutte si menarono le belle donne di Roma, perchè a quella Rovere toccavano le donne di Trestevere; all' Orsina tutte quelle di piazza Navona, e di S. Pietro; alla Colonnese tutte le altre, che restavano, e che arrivavono fino alli Monti, & alla piazza Montanara, & a S. Girolamo vicino al palazzo Savello; finalmente tutte le femine nobili da una banda, e l'altre di minor sfera dall' altra; e li combattenti dall' altra. E furono cacciati a sorte dal Vecchio Pietro Jacovo Rossi da S. Angiolo alla Pescaria; e il primo cacciato fu un forastiere da Rimini, chiamato Galeotto Malatesta. e comparve vestito di verde con lo spido in mano, e portava alla capellata di ferro scritto: *solo io come Oratio*, & andò ad incontrare il Toro, e lo ferì all' occhio manco, ma il Toro diede a fuggire. All' hora lui ci diede una botta alla natica, & il Toro un calcio al ginocchio, e cascò, & il Toro andava correndo, ma non lo trovò. Uscì allora tutto infierito Cicco della Valle, ch' era vestito mezzo bianco e mezzo nero, & il motto che portava al cimiero era: *Io sono Enea per Lavinia*; e questo fece, perchè Lavinia si chiamava la figlia di Misser Jovenale, e lui n'era fieramente innamorato. E combatteva valorosamente con il Toro, quando uscì l'altro Toro; & uscì Mezzo Stallo forzuto giovane vestito di negro, che li era morta la moglie, e diceva il motto: *così sconsolato vivo*, e si portò bene con il Toro. Uscì Cafarello giovane sbarbato, che portava il colore del pelo del Leone, e diceva il motto: *chi più forte di me?* Uscì un forastiero di Ravenna figlio di Misser Ludovico de la Polenta vestito di rosso e negro, & il motto dicea: *se moro annegato nel sangue, o dolce morte*. Uscì Savello di Anagni vestito di giallo, e diceva il motto: *ognuno si guardi dalla pazzia d'amore*. Uscì vestito di cenere Giovan Giacomo Capoccio figlio di Giovanni di Marsi, & il motto diceva: *sotto la cenere ardo* E poi uscì Cecco Conti con un vestito di color d'argento, & il motto dicea: *così bianca è la fede*. Uscì Pietro Capoccio vestito d'incarnato, & il motto dicea: *Io di Lucretia Romana sono lo schiavo*; e voleva denotare, ch' era schiavo della pudicitia della Lucretia Romana. Uscì Misser Agabito della Colonna con un vestito di color di ferro con certe fiamme di fuoco, e portava al capelletto una collana de ciera scritto intorno: *se io casco, cascate voi, che vedete*; voleva dire, che la Casa Colonna era il sostegno del Campidoglio, e che li altri erano solo il sostegno del Papa. Uscì poi Aldobrandino della Colonna vestito di bianco e verde, e portava una collana al capo, che dicea: *Tanto più grande. tanto più forte*. Uscì un' altro sbarbatello figlio di Stefano Senatore, e si chiamava Cola della Colonna vestito di color Pardiglio, e con un motto: *Malinconico, ma forte*. Uscì un Paparese con il motto: *per una Donna matto*, vestito a scacchi bianchi e negri. Uscì Anibale degli Anibali giovenotto di prima barba con un vestito di color marino e giallo, & il moto era: *Chi naviga per amore, s'ammattisce*. Quel giovenotto di Stalla annava vestito di bianco, ma tra legami rossi era il cimiero, & il pennacchio con un motto: *so' mezzo placato*. Et il vicino suo, cioè Giacomo Altieri, era vestito di giallo con le stelle celesti; il motto diceva: *tanto alto, quanto si puole*; il motto lo fece un Zio suo litterato, dove cominciò le grandezze di questa Casata, che aspirava alle stelle, e comprò la casa a San Marcello de' Stalli, e si chiamava piazza di Altieri. Uscì Evangelista de Evangelisti de' Corsi vestito di color celeste, e portava al cimiero un cane legato, & il motto dicea: *la fede mi tiene, e mantiene*. Uscì Giacomo Cencio con un vestito bianco e lionato, & il motto dicea: *bono con li boni, cattivo con li cattivi*. Uscì il figlio di Fosco con un vestito verde, e li calzoni a brache bianche; al cimiero vi era una Colomba con le frondi di oliva, & il motto era: *Sempre porto vittoria*. Uscì Franciotto di Manieri vestito di verde come una Donna smorta, & il motto era: *hebbi speranza viva, ma già mi si muore*. E molti altri, che io mi stracco di raccontarli; tutti assaltarono il suo toro, e ne rimasero morti dicidotto, e nove feriti, e li tori ne rimasero morti undici. Alli morti si fece un grand' honore, e si portorono a sepellire a S. Maria Maggiore, e a San Giovanni Laterano.

Camillo Cencio, perchè il nipote era un piccolino nella folla era cascato, e fattolo cadere il figlio della Sorella del Conte dell' Anguillara, il Cencio ci diede in capo una stortata. che il povero giovane morse subito: ne fecero gran fracasso. La folla fu a San Giovanni, per vedere sepellire i morti al gioco.

L'Anno MCCCXXXIII. di Febraro il Marchese Cola di Ferrara con la sua gente fu rotto e preso prigione dal Legato di Lombardia, e poi se ne andò a Ferrara con la gente Bolognese e Romagnola. Il mese di Aprile fu soccorsa la Città dalla Lega contraria del Legato con gran perdita della gente del Papa, e del Re Giovanni, e perse tra pochi giorni Forlì, Rimini, e Cesena il Legato. Il Re Giovanni vedeva, che non ci riusciva cosa a modo suo, si partì da Italia, e lasciò la Signoria di Parma e Lucca alli Rossi, & a quelli de' Fogliani la Signoria di Reggio, e Modena a quelli di Misser Pio Pio; e se ne tornò ad Alemagna. Et il Legato Apostolico fu scacciato a ferro & a morte da' Bolognesi, e poco mancò che non perdesse la vita. Fu distrutto dal popolo, e da quelli de' Malvezzi il Castello fatto da lui. Et il detto anno ad Orvieto fu fatta una cruda battaglia, e fu ucciso Napoluccio de Pietro Novello con una sassata, e dall' altra parte fu ucciso Corrado figlio di Ermanno con una stoccata, e l'uccise un disperato bandito mandato da Misser Evangelista Evangelisti Corso da Abruzzo, ch' era molto amico alli Monaldeschi Gibellini.

Un bottegaro di Campo di Fiore trovò un gio-

giovane della Valle con la sua moglie, e li corse appresso con un libardone, ma il giovine si salvò in casa di Scapuccio; ma quello lo andò a trovare, e scappando da una finestra scappò alla volta del palazzo de' Coccini, & arrivando alla porticella Mariano il figlio lo nascose; e Cencio con il vecchio Camillo de' Coccini non gli lasciò fare impaccio.

Messer Pietro Alli hebbe due figli maschi tutto a un tempo; e perchè lui era capo del suo Rione, fu fatto un gran sonare di ciaramelle; & il povero Misser Pietro stava con febre e la pontura al letto, e fra questo poco tempo si morì, e fu sepellito ad Araceli al loco delli suoi antichi, e Christo habbia l'anima sua ch'era un grande amico di mia casa, e homo dotto, e da bene molto stimato al Campidoglio.

Ho fatto errore, che questa memoria fu dell' anno MCCCX. & l'ho scritto, perchè l'ho trovato a un libro mio, ma è mano del mio padre.

Nel MCCCXXXIV. Quest'anno il Cardinale Gaetano da Italia andò alla Corte del Papa, e fu fatto Capo della Republica d'Orvieto, e quel governo saviamente fece, perchè questa fu una savia testa.

Il detto anno li Genovesi fecero guerra con i Catalani, e furono di quelli vincitori, facendoli un gran danno; molti n'uccisero con ferri, e molti si affocorono in mare, e ne impiccorono molti per la gola.

Andò contro Turchi il Re Giovanni di Francia, e li Venetiani, e l'esercito del Papa, il quale mandò a chiamare molti nobili Romani, e voleva vedere, se ei potea racquistare, e ci andiedero molti Orsini, e della fattione sua, e fecero tregua con li Colonnesi per dare lo scaccomatto alli nemici communi. Et andò di Casa Colonna Agabito e Stefano vecchi, & andavano de' gioveni Lorenzo e Giovanni Cardinali, e Stefanello figlio di Pietro Soldato; e ci andò Pietro, Sciarra, e Stefanuccio omicidiale di Orsino, che fu poi Cardinale; e ci andavano in compagnia sua molti altri amici; e ci andò Lelio della Valle; e ci andò Stefaniello Gafarello, Paolo Giovenale figlio di Paolello fratello a Latenuccio Cardinale Frate de' Zoccoli, e Predicatore di Christo; e ci andò Ludovichietto Albertone, e Lello Ruscio; e ci andò Autobello Capoccio, che haveva con seco molti banditi d'Abruzzo tenuti da Verardo Evangelista; e ci andò il figlio di Franciotto Marieri con molti suoi Vassalli; e ci andò Marcello di Marino Scapigliato da Zagarola, Catenaccio d'Anagni, Mosca da Velletri, Cola Caracciolo da Albi, con muti autri vanniti; ci andò Cecchino Evangelista Corso, con altri banditi, e con il Discreto, e con il Papafano, e molti altri buoni; e li Colonnesi vollero menare tanta gente, per parere di essere rispettati e potenti al mondo; e ci riuscì, ch' hebbero Stefanuccio Cardinale, e questo nobile esercito andò contro a' Turchi, e pigliorono più di CL. legni, e furono arsi.

Nel detto anno nel mese di Decembre morì il Papa Joanni XXII. in Avignone, che lasciò grand'oro, che valea da XV. milioni di fiorini d'oro, e il Cardinal Giacomo Cartaginese fece un gran rumore nel Conclave, che non volea Benedetto XI. da Tolosa, il quale alla fine fu fatto Papa, e di nuovo confermò le censure all'Imperatore, come usurpatore dell'Imperio di Roma, & in questo tumulto ogni Signore voleva soccorrere il suo popolo.

L'Anno MCCCXXXV. si levorono in arme li Gibellini e li Guelfi di Genova, e perchè la parte Guelfa si accostò una bona parte alla gente Gibellina, l'altra parte Guelfa fu scacciata e restorono li Gibellini patroni, e li Capitani l'uno era di casa Doria, e l'altro di casa Spinola.

Nel detto anno li Tarlati d'Arezzo essendo potenti e ricchi, havevano la signoria di molti luoghi, e presero la signoria della Città di Cagli, onde li Perugini li mossero guerra, e gli tolsero Borgo San Sepolcro, & il forte. Per la strada furono assaliti dalli Aretini, & essendo schierati, furono rotti e fracassati, e li Aretini corsero fino a Perugia ferendo alla peggio.

Li Gibellini di Marsi, che n'era capo Ottaviano Capoccio, assaltarono un Precojo della Vecchiarella da Rieti, dove stava tutta la fameglia, e fece travestire li suoi Gibellini delle vesti de' nemici, e così entraro a Rieti a quattr' hore di notte, e uccisero quarantasette persone, e s'incrudelìo tanto Ottavio fratello di Messer Antobello, perchè era stata tirata una sassata in capo a Misser Jacopo Caracciolo sujo frate consobrino. Fece granne cose in tutto quel contorno la parte Gibellina, che se ne sentì romore fino alla Cittade, e non parendone bene a Crucio Cincio suo parente, diceva male di Antobello, huomo uso nel sangue humano, e lo mandò a disfidare; ma Messer Stefano della Colonna lo placò con queste parole: *Voi vedete, che sete fuori di Roma per aver ucciso un Gibellino: che potete fare?*

Il detto anno Misser Azzo Visconti da Milano hebbe a patto la Città di Piacenza; e Parma e Reggio si arresero alli Signori della Scala, ma Reggio fu dato alli Signori Gonzaga patroni di Mantova. Modona fu data alli Marchesi di Ferrara. In quest'anno Perugia, Todi, Foligno, Augubio, Assisi, Siena, Orvieto, non so se uscì dalla parte contro li Gibellini; e li Perugini presero Città di Castello, e questo fu Colombo Veglia Ansidei, perchè l'Aretini se l'havevono acchiappata, & il Castello di Cisterna, & altri luoghi con l'ajuto delli Folignati.

E quest'anno Misser Mastino della Scala potentissimo e ricco ottenne per contratto la Città di Lucca; la voze per lui, non volendola dare ad altri, com'era stato fatto un patto con li Fiorentini.

L'Anno MCCCXXXVI. il nobile Misser Nicolò Orsino diede per moglie la sua figlia a Benedetto di Messer Bonconte Monaldeschi de' Frioli seguace di Ermario, per il che venne un gran rumore fra essi. Il detto anno morse Misser Pietro OniaSanti in Roma, e fu fatto un mortorio come fosse un Conte, e tutti li candelotti havevan l'arme sua, che son due pesci ritti; e questo lo fece la sua moglie che ci voleva tutto il suo bene, e morì il mese di Novembre.

Il detto Anno morì Lorenza figlia di Misser Andrea Roscio moglie diletta di Cillo della Valle; ci fecero li Frati di Araceli un bel mortorio.

Il detto Anno pigliò moglie Antonio di Marone Avvocato delli Tribunali di Giustitia molto sapiente.

Il detto Anno li Fiorentini e Venetiani andorno dal Signore della Scala, che fosse fatto Capitano Misser Pietro, e Misser Marsilio Rossi, e se ne andorno a Viviano, & a Toscana & a Lucca.

L'Anno MCCCXXXVII. ad Orvieto morì Misser Ermanno principale de Monaldeschi, e lasciò quattro figlioli, cioè Corrado, Monaldo, Be-

Benedetto, e Verardo ricchi e potenti.

Il detto Anno Ottomano Turco cominciò a regnare in Asia, e quest' Anno fece principio la Casa Ottomana, e fecero una fica in faccia a' Christiani.

Il detto Anno uno della Nobile Casa dello Furno si gettò in fiume per disperatione, essendoci stati assassinati molti denari, e fu preteso fosse uno Nobile Romano, che non sta bene a nominarlo: basta era del Rione della Regola.

Il detto Anno li Fiorentini comprorono la Città di Arezzo e suo Contado, & erano pur patto fatto alli Signori Tarlati XXV. mila fiorini di oro. Molto se ne dolsero li Gibellini, li Guelfi, li Perusini di Fiorenza, e quelli di Perugia.

Il detto Anno li XVI. d'Aprile il Marchese di Monte Santa Maria con Castellani a favore de' Perugini prese con contratto il Castello Montecchio con li Signori Tarlati, e vi fu menato CCCL. cavalieri con le lancie alla coscia. Vennero alla sciarra le genti del Marchese, e il giorno del Venerdì Santo fu ripreso il Castello, & hebbero una grand'allegrezza li Aretini nemici del Marchese.

Il detto Anno si fece aspra guerra fra li Venetiani e Fiorentini con li loro Legati, e li Signori della Scala in Lombardia, e Toscana, perchè Misser Mastino teneva Lucca con danno de' Fiorentini.

Il detto Anno Pietro Mareri Barone Romano disfidò a battaglia Giacomo Cincio, e Giovanni Savello, e si scontrorono sotto il Tempio delli Giudei, & esso solo li fece stare tutti e due; e questo fu perchè in una Spetiaria, dove solevano andare a ciarlare, essi dissero, che Pietruccio era svergnato e di tutti li serventi; e li Colonnesi gli fecero fare pace. Fece un Colonnese pranzo, e fu Misser' Agabito della Colonna.

Nel detto Anno di Luglio il Popolo di Bologna si sollevò in arme, e scacciò Misser Brandalise Gozadino, quale era stato il principale a scacciare il Legato del Santo Papa, e fu fatto Capitano del Popolo Taddeo de Misser Romeo Pepolo, il quale fra pochi giorni se ne fece Signore col favore de' Signori Marchesi di Ferrara suoi parenti.

L'Anno MCCCXXXVIII. il Re Roberto di Napoli, sapendo, che l'Isola di Sicilia si trovava male per la morte del Re Federico, e per la creatione del Re Pietro, condusse in due volte una grossa armata in Sicilia, e molti cavalieri, e passò Trimoli, e quello prese; ma si mosse una gran gente, e per questo li soldati se ne tornorono senza niente.

Il detto Anno si sentiva una grande partialità a Barletta di Puglia fra Casa Marra, e Santa Severina, e la Casata degli Atti, e la di Minurbino; e fra tante zuffe e scaramuccie di questi fu ruvinato il detto luogo.

All' Aquila d'Abruzzo si fecero molte parti, e l'Alfiero se n'andò contro la Casa della Pubera, e se n'andarono ad Albi casale di detta Pubera, dove apparentò con la Casa Caraccioli, e quelli figli piccolini.

A Gaeta li Sieri si gettorno banditi per haver' havuto disgusto dal Podestà, e fecero un gran danno alla Città, poichè quanti Cittadini trovavano, tutti gli ammazzavano: per lo che si risolvè il Comune levare il Governatore, & a dispetto delle carte rimetterli a Gaeta.

Il detto Anno il Papa mandò al Popolo Romano un Legato, acciò persuadesse alli Cittadini, che la potestà Senatoria non l'esercitassero in Roma sua, poichè tanto tempo in Roma da Rè esercitato havevano; & il Legato gli disse questo in Pulpito de Predicatore; & il Popolo domandò tre giorni per rispondere, e poi fece fare una bella oratione al buon giovane Giovanni Cafarelli, che disse, che il Popolo era sempre pronto a spendere il sangue per il Santo Padre, e che perciò domandasse chi voleva per Senatore. Domandò Misser Stefano giovane della Colonna per un' Anno; & il Popolo a viva voce disse: *non solo per un' Anno, ma ancora per cinque Anni*, con patto che ci voleva un compagno. Et il primo Anno gli diedero Urso Vicubio padre di Misser' Urso Conte dell' Anguillara, che fu ucciso da Misser Evangelista de Evangelisti Corso a Celano con Stefanuccio di Sciarra.

Il detto anno il Papa per accattivarsi il Senatore mandò a chiamare il nobile Missere Stefano della Colonna, e vi fu una grande allegrezza, e lo fece sempre mangiare con lui, e Stefano promise far venire il Popolo alla devotione Papale.

In questo tempo che fu dal Papa Missere Stefano della Colonna, Misser Urso venne a coronare Misser Francesco Petrarca, nobile Poeta e saputo; e fu fatto in Campidoglio in questa maniera. Si vestirono di rosso dodici giovani di quindici anni ognuno, & erano tutti figli di Gentil' huomini, e Cittadini, & uno fu della casa del Forno, & uno della casa Trincia, uno di casa Capizucchi, uno di casa Cafarella, uno di casa Cancellieri, uno di casa Coccino, uno di casa Rosso, uno di casa Papazucchi, uno di casa Paparese, uno di casa Altieri, & uno di casa Lenii, uno di casa Astalli. E poi questi giovani dissero molti versi a favore del Popolo fatti da questo Petrarca, e poi andorno sei Cittadini vestiti di panno verde e furono un Savello, un Conti, un' Ursino, un' Anibali, un Paparese, un Montanaro, e portavano una corona per uno di diversi fiori; e poi comparve il Senatore in mezo a molti Cittadini, e portò in testa una corona di lauro, e si sedè nella Sedia dell' Assettamento, e fu chiamato il detto Misser Francesco Petrarca a suono di trombe e piffari, & egli si presentò vestito di lungo, e disse tre volte: *Viva il Popolo Romano, vivan li Senatori, e Dio li mantenga con libertà*; e poi s'inginocchiò al Senatore, il quale disse: *Corono prima la virtù*; e si levò la Ghirlanda dal capo, e la mise a Misser Francesco; e lui disse un bel Sonetto a favore degli antichi Romani valorosi. E questo fù finito con molta lode del Poeta, perchè tutto il Popolo gridava: *Viva il Campidoglio, & il Poeta*.

Il detto anno li Fiammenghi scacciarono il Conte suo Padrone, e si ribellarono al Rè di Francia, e ne seguì una gran guerra tra il Rè d'Inghilterra & i suoi Collegati, & il Rè di Francia.

Nel detto anno Misser Mastino della Scala hebbe la pace con li Fiorentini; e li Venetiani havevano poca forza, e Misser Mastino apparì con grandezze sue.

L'anno MCCCXXXIX. li Saraceni Mori venuti alla Spagna vennero a terra senza contrasto per non havere il Rè di Spagna armato a tempo. Si accamporno sotto la città dell' Inda, e con tradimento diedero una gran rotta alli Saraceni, che ne morirono più di XX. mila.

Il detto anno Papa Benedetto confirmò Azzo, e Lu-

Luchino Visconti nelle Città prese; il simile Misser Mastino di Verona, dando censo ogn'anno come Vicarj per la Chiesa.

Il detto anno si fece una bella accettatione per il Santo Padre in Avignone.

Il detto anno li Genovesi, e i Savonesi fecero un governo creando il Doge di Genova al modo di Venetia; e furono cacciati li Capitani della casa Doria e Spinola con i suoi adherenti.

Il detto anno Giovanni Casarelli fè questione, & uccise Giovanni delli Giudici, e se ne fuggì in Regno, e un pezzo stiede ad Albi dalli Capocci, e un pezzo a Luco dalli Evangelisti, & una buona parte fecero certe case in un luogo, e si chiamò Avezano, che questo glie lo piglior-no li più ricchi, e nobili; e Misser Verardo e la sua casa d'Evangelista se ne vennero ad habitare al Palazzo suo fabricato sopra la fiumara de Tagliacozzo; e gli Ursini vedendo il suo dominio sparso, s'impadronirono d'Avezano e Luco, così restarono senza dominio, ma però facoltosi a Tagliacozzo.

A

L'anno MCCCXL. Misser Azzo da Correggio si ribellò a Misser Mastino suo nipote, per esser più sicuro della padronanza di Parma.


Il detto anno Misser Mastino vendè Lucca a'Fiorentini, havendo dati cento ottanta mila fiorini d'oro; e li Pisani non l'hebbero, per non havere tanta moneta da spendere: per il che nacque tra li Fiorentini e Pisani una gran zuffa.

Il detto anno morse quello di casa Gabrielli Tiranno d'Augubio.

Il detto anno Alberto della Scala andava per mal fare contro la gente Gonzaga nel Mantovano con mille cavalieri, e mille e cinquecento pedoni di masnadieri; ma il Gonzaga l'affrontò, e lo fece fuggire con gran vergogna.

B

Nel detto anno havendo il Rè Roberto preso l'Isola di Cipro mandò la sua armata con molta gente a Sicilia, & assediò Melazzo per mare e per terra, e tanto stiedero, che lo pigliarono a patti, salvando le persone, e la robba, e vi messe molta buona guardia.



DOMINICI
DE GRAVINA
CHRONICON
DE REBUS IN APULIA GESTIS

Ab Anno MCCCXXXIII. usque ad Annum MCCCL.

Nunc primùm in lucem educitur

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

IN DOMINICI
DE GRAVINA
CHRONICON
DE REBUS IN APULIA GESTIS
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.


MEis verbis non indiget Respublica Literaria, ut rem noscat jam diu compertissimam, nempe quam pretiosa quam ampla MStorum Codicum cujuscumque generis supellectile abundet Caesarea Vindobonensis Bibliotheca. Hoc unum addam ego, vel post Petrum Lambecium magni nominis virum, qui eamdem pluribus egregiis voluminibus descripsit atque illustravit, luculentam factam ibi fuisse veterum Codicum accessionem, ac potissimum sub Augustissimo atque invictissimo regnante Romanorum Imperatore CAROLO VI. inter cujus immortalitate dignas laudes singularem locum occupat Literarum ac Literatorum amor. In amplissimo igitur & nunc ad stuporem ornatissimo loco, statim ac intellexi ego adservari, & quidem in Codice, quem unicum fortasse appellare liceat, *Chronicon de Rebus in Apulia gestis*, ab Anno 1333. usque ad 1350. deductum, oblatis quam humillime precibus egi apud Augustissimum Caesarem, ut in publicum commodum me describere, ac edere eamdem Historiam sineret, quam ejus munificentiae atque amplissimae Bibliothecae acceptam referret universus Eruditorum orbis. Vix vota audita, exaudita quoque fuerunt; & annuente clementissimo Principe, ejusque imperiis lubentissime obsequente multiplicis eruditionis Viro, Pio Nicolao Garellio Bononiense, Archiatro & Consiliario Caesareo, Equite Ordinis Christi, & Caesareae Bibliothecae Praefecto, descriptum mihi fuit Chronicon illud ab intimo amico meo Petro Hercule Gherardio J. U. Doctore, & Graecae ac Hebraicae Linguae Professore in Gymnasio Mutinensi, qui tunc, jubente Serenissimo nostro Domino Duce Mutinae, Vindobonae morabatur. Quam etiam in rem suam opem contulit Nicolaus Forlosia Caesareae Bibliothecae Custos primus in eruditionis cultura atque humanitate nemini secundus. Itaque jam tamdem prodit Opus hoc paucis antea visum, & nemini, quod sciam, hucusque memoratum: nusquam enim Neapolitanae Historiae Scriptores mentionem de illo ejusve Auctore fecisse animadverti. Foetus sane non parvi faciendus, quippe ab Auctore synchrono singula haec narrantur, quibus & ipse immixtus fuit. Stilus autem, si non elegans, perspicuus tamen, Lectorem sibi facile conciliat, nisi quod levia interdum ac minutiora, quam velim, heic occurrunt, quae vereor, ne quibusdam ad grandia solum inhiantibus fastidio sint. Sed Scriptoribus aliquid indulgendum; ipsaque minuta narratio seriem nobis ac faciem rerum gestarum propius sub oculos sistere consuevit.

Accipe nunc argumentum Historiae. Quum Johanna I. Roberto Regi Avo suo in Regno Apuliae, sive Neapolitano, successisset Anno 1343. non autem 1342. ut nonnulli scripsere, ac nuptias iniisset cum Andrea Regis Hungariae filio, qui Dux Calabriae appellabatur, freni deinde impatiens, eumdem suum virum sensim fastidire coepit. Neque deerant Neapoli, qui discordiarum semina inter conjuges sererent, ut per ejus ruinam sibi Regnum conquirerent. Eo res tamdem deducta fuit, ut Anno 1345. Andreas, brevi Rex inungendus, teterrimo scelere ab impiis sicariis fuerit suffocatus, ejusque cadaver turpissime de fenestra projectum. Fuere qui Johannam de hujusmodi crimine purgare conati sunt; sed illi judicio meo Aethiopem lavandum ac dealbandum suscepere. Anno 1347. Ludovicus Hungariae Rex

Rex potentissimus, necati fratris vindictam sitiens, coactis copiis in Italiam descendit, Regnum Neapolitanum caedibus ac terrore concussum sibi subjecit; tum Regnum pacatum relinquens, Hungariam repetiit. Johanna, quae declinato irati Regis furore in Provinciam se receperat, ubi intellexit Ludovicum ab Italia excessisse, Neapolim per mare iterum contendit, & Urbibus plerisque ad suam obedientiam revocatis, contra reliquos Hungarico Regi adhuc addictos bella gessit. Jamque pessum ibat res Hungarorum; quum Anno 1350. Ludovicus Rex rursus Neapolitanum Regnum invasit. Haec sunt, quae sibi narranda sumsit Chronographus noster. Sed iniquo fato accidit, ut Vindobonensis MStus Codex injurias temporum senserit, exesis nempe tum in exordio, tum in calce, atque alibi etiam characteribus, & excisis fortasse aliquot foliis: quam jacturam vereor ut quisquam alius reparare possit, quando singularis sit ille Codex, quemadmodum puto. Desiderantur ergo in principio, quae ad Regnum Roberti Regis Apuliae spectant: deinde in fine pauca fortasse, quae per Ludovicum Hungariae Regem regressum in idem Regnum peracta fuere. Sed non ea tanti sunt, ut Chronici hujus pretium minuere possint.

Auctor illius fuit *Dominicus de Gravina*, hoc est cui patria erat Gravina Civitas. Iis ipsis temporibus, quibus ista contigere, florebat ille, immo se se etiam immiscuit perturbationibus Regni, Hungarorum partes sequutus, quorum declinante fortuna solum vertere, & exilium insuper pati coactus est. Proinde is narrata morte Andreae Ducis, in has querelas erumpit: *& ut de me alloquar, admirando, seu flendo potius, de fortuna conqueror. Quid igitur in nece innocentis Ducis peccavi, qui distare me aestimo ab Aversana Urbe, ubi necatus est miser Dux ille, usque ad civitatem Gravinae, cujus sum oriundus, per milliaria centum & ultra?* Idem ipse fuit, qui Stephano Vayvodae Transilvano, Barim advecto, Civitatem Gravinensem populi sui verbis obtulit. Tum ipse in Hungarorum fide constantissimus pro iis nonnumquam ac pro patria assumtis armis, militiae se dedit, & in proelia impiger ruit, relictis ubique fortis animi signis. Arma tamen minime pro instituto suo professus est, sed quidem Notariam Artem, quam in sua Patria exercebat; ac proinde non semel se *Notarium Dominicum* appellat. Ille utique impenso studio in Hungaros fertur, eorum jura tuetur, & acta laudat, ita ut quae de contraria factione & Regina Johanna habet, caute interdum sint accipienda, & cum aliis eorum temporum actis conferenda. Attamen nullos in eo pravos affectus deprehendas; & qui sua tanto candore enarrat, par est credere, neque in ceteris veritati injurium sponte fuisse.

DO-



DOMINICI DE GRAVINA CHRONICON

DE REBUS IN APULIA GESTIS.

Desideratur initium hujus Chronici.



Nterea crescentibus ...... humanam naturam præfatis Dominabus Johanna & Maria fil. .... prædicti Caroli Ducis Calabriæ, neptibus dicti Regis, & in eorum miræ pulchritudinis ... tatis & totius disciplinæ, & virtutis per eumdem Dominum Regem ...... Sanciam Reginam edoctis, ad ætatem legitimam constitut. ...... Idem Dominus Rex tempore vitæ suæ eas nuptui tradere ..... avit, & sua cogitatio verè perfecta fuit ...... si per insidias dæmonis non periisset. Et verè tales nuptiæ guerram perfidam intulerunt in Regnum, ex qua ..... ti numero plurimi Regnicolæ perierunt.

Et sic Rex excellentissimus idem S...... am suam gravatam, seque esse jam in ultima senectute, quòdque Regnum istud rationabiliter inclyto Domino Regi Hungariæ pertineret de jure, obtentâ licentiâ à Sancta Romana Ecclesia, dictam Dominam Johannam inclyto juveni Domino Andreæ Illustris Caroli Regis Hungariæ filio tradidit in uxorem, Ambassiatoribus plurimis ab utroque Rege hinc inde transmissis usque ad consummationem matrimonii supradicti. Factâque concordiâ & pactis firmatis de tali matrimonio celebrando, ecce præfatus in-
A clytus Rex Carolus Hungariæ Rex, contentus valde matrimonio memorato, cum egregia suorum Militum comitiva deferens secum generosum filium suum Andream, virum dandum Dominæ Johannæ præfatæ, ad Regnum Siciliæ cum gaudio magno vênit. Cui idem Robertus Rex strenuus à Civitate Neapolitana usque Beneventum obviam honorificè veniens cum magna siquidem laude, & perfecto amore suscepit eumdem. Ibique post diversos tractatus inde sequutos, & pactorum confirmatione adjecta, Regibus ipsis concordibus facta est dicti matrimonii
B parentelà, gaudentibus Regibus ipsis præcipuè, & singulis aliis Nepotibus regalibus, aliisque Comitibus, & Baronibus, & Regnicolis dicti Regni, & Deum laudantibus de tali conjugio sic solemni. Statimque per dictum Regem Robertum dicto Andreæ licèt infanti annorum fortè duodecim, & dictæ Johannæ uxori suæ, Ducatum Calabriæ assigna .... cipiens eos suo regimini, & doctrinæ.

Completis itaque solemnibus matrimonii supradicti, & dicto Rege Carolo facto contento de .... feliciter cum sua militia apud
C Hungariam remea .... ibidem pro regimine sui nati certis providis viris, militibus & scutiferis, Hungaris suis fidelibus .....

Adveniente itaque tempore desponsationis dictorum Andreæ & Johannæ secundùm ætatem eorum juvenilem, idem Rex Robertus futura cupiens præcavere dispendia, in quibus incidit, dictos juvenes benedictione Sacerdotali interveniente, cum solemnitatibus congruis regaliter & magnificè in facie Ecclesiæ desponsari præcepit. Ibique festa sunt plurima celebrata ab uni-

universis Regalibus & Regni Magnatibus læto corde, consummato matrimonio supradicto. Et sic universis Regalibus ceterisque Regni Magnatibus post dictum Dominum Regem Robertum Dominus præcipuus vocabatur Andreas Dux Calabriæ memoratus, cujus tota intentio puro corde vigebat erga honorem Nepotum Domini Regis præfati.

Deinde regnante Rege præfato Roberto, Magnificus vir Dominus Johannes Pipinus Palatinus Altamuræ à prædicta Regina Sancia Civitatem Sancti Severi certo comparavit thesauro. Cui dicta Civitas minimè voluit obedire. Sed existens in fotilitiis suis, licèt contra eam exercitum nimium congregasset, & per dies plurimos tenuisset obsessam, diversis ingeniis opprimendo eamdem, in eam minimè valuit introire, asserentes Cives dictæ Terræ, se nolle ex dominio demanii Regii diverti ad dominium Baroniæ, quampluribus Syndicis missis per Cives Terræ præfatæ ad Regem eumdem, notificantibus voluntatem eorum nolentium dominium Palatini modo quocumque, dicto Rege prorogante eis responsum, quia videbatur voluntati dicti Palatini assistere ex venditione per dictam Reginam ..... præfato. Interea præfatus .... nequeuntes Civitatem eamdem intrare ...... penitus destiterunt cuncto suo exercitu ..... Et consequenter suo fatò agente schisma .... Marenses Barones, Cives Baroli, & D. .... Nicolaum de Gactis de dicta Terra Baroli inimicitialiter . . . . . fuit, ex quo plurimi utriusque partis Caporales & sequaces sunt nece pessima interempti. Dictus autem Palatinus volens se talibus immiscere partem dicti Domini Nicolai collo suo percepit & fratrum, ubi multorum familiarium suorum comitivam amisit. Deinde videns nullaterius se posse offendere domos Marrensium ex fortitudine eorumdem, trabuccos durissimos & magnos erigi fecit contra domos easdem pluribus familiaribus introductis, Sicque ex ejus incursibus fortibus & gente congregata diversa in dicta Terra Baroli, disrobationes plurimæ & enormes factæ sunt in Terra ipsa & .... suis ac Apuliæ partibus universis.

Quum igitur Robertus de Sancto Severino Miles, ceterique de domo sua consanguinei & parentes de obsidione facta per dictum Palatinum super Marrenses Barones eis affinitate contiguos per literas & nuntios Marrensium prædictorum sentiret, collectis undique viribus, versùs dictam Civitatem Baroli contra dictum Palatinum viriliter ausus est properare, & à Gentiano Castro suo usque Andriam veniens, castrametatus ibidem, gentem suam ibi disposuerat congregare. Et deinde congregata contra dictum Palatinum potentiali manu procedere militari. Quod idem sentiens Palatinus, timens potentis insultum, subitò nocte consurgens, de dicta Terra Baroli recessit cum suis sequacibus universis, derelictis ...... plurimis interfectis secessit apud Minerbinum, ubi potentialiter morabatur. Deinde præfati Barones .... videlicet Dominus Johannes de Marra, & Dominus Riso de ...... Caporales Marrensium in hac lite de ...... Domini Roberti de Sancto Severino, Domini Raymundi de Baucio, & aliorum quamplurium adversariorum dicti Palatini, apud Neapolim coram dicto Domino Rege Roberto de prædicto Palatino & sequacibus graviter sunt conquesti, altis & lachrymabilibus vocibus accusantes eosdem, instantibus dictis Dominis & persuadentibus dictum Regem, prædictum Palatinum suosque sequaces fore capitali sententia puniendos, eo quòd contra honorem Regiæ Majestatis hostiles brigas in Regno moverint, & contra dictos Marrenses trabuccos erexerint in Barolitana egregia Civitate, nitentes illam funditus dissipare. A quibus nec desistere voluit ad mandata Regiæ Majestatis sæpiùs sibi facta, nisi viriliter per ipsum Dominum Robertum fuisset inde ejectus. Et sic causâ ipsâ in diligenti Consilio deductâ per eamdem Regiam Majestatem, deliberato consilio mandavit idem Dominus Rex, quòd Neapolim se conferre deberet idem Palatinus cum suis sequacibus memoratis, dictis Baronibus Marrensibus super causa eis objecta in judicio responsuri.

Igitur adveniente nuntio citatorio ad Palatinum eumdem, literas citatorias eidem Palatino porrexit, quas superbo capite spernens, ad clamorem dicti Regis penitus ire negavit, sed ibidem in Minerbino potentissimè morabatur. Tunc præfatus Dominus Rex videns protervitatem & duritiem dicti Palatini & fratrum, mandavit omnibus inimicis suis præscriptis, ac viro Magnifico Gassoni de Dynisiaco Comiti Terlicii, & Regni sui Siciliæ Marescallo, quòd contra dictum Palatinum, & fratres cum exercitu maximo hostiliter accederent apud Minerbinum, & eos vivos vel mortuos coram eo præsentarent omnimodo, tamquam mandati Regii contemtores. Factoque mandato præfato, statim dictus Terlicii Comes, quia licèt erant affinitate conjuncti, tamen ob eorum malitiam pro tenimento cujusdam Castri sui Luseti in partibus Terræ Bari, quod sibi violenter tollere tentaverunt, erat eorum inimicus occultus, & propterea in puncto publicus factus est, diligentiùs faciens mandatum Regis ejusdem. Sicque prædicti Dominus Robertus, Dominus Raymundus, & Marrenses habito colloquio cum Comite Terlicii præfato, simul de Neapoli recedentes, unusquisque ad Terras suas pervênit; & adunato exercitu universo apud Minerbinum, hostiliter obsederunt dictum Palatinum & fratres, ibique per dies aliquos ipsos tenebant obsessos, nec eos offendere poterant, propter fortitudinem Civitatis, quæ in cacumine consistebat. Et dum adhuc ibi cum exercitu morarentur, ecce ordinante matre dicti Palatini pervenerunt literæ dicto Comiti Terlicii & aliis memoratis, quòd ubi dictus Palatinus, & fratres juxta ordinationem matris suæ præfatæ se vellent coram Majestate Regia præsentare, ab eis eorum exercitum removerent. Nuntiato itaque dicto mandato Regio præfato Palatino & fratribus, & receptis maternis literis, statim juxta maternum consilium se coram Majestate Regia præsentare spoponderunt, & sic cunctus exercitus ab obsidione discessit, & velut perfecti inimici præfati Caporales se Neapolim contulerunt.

Post paucos verò dies ecce præfatus Palatinus & Fratres cum omnibus eorum sequacibus Minerbino recesserunt, & iter facientes versùs Neapolim, Dominus Nicolaus de Ganis, suique sequaces quamplures Nobiles de Barulo, velut providi de sua salute pensantes, applicantes Beneventum, noluerunt ampliùs cum dicto Palatino & fratribus versùs Neapolim se conferre, sed paulò ampliùs associantes eosdem, versùs Romam extra Regnum se salvare curarunt.

Palatinus verò & fratres, certique familiares sui se Neapolim conferentes, coram Domino Rege statim se præsentarunt. Quibus præsentatis idem Rex eos feroci vultu intuens, finaliter eos

eos mandavit carceri mancipari; & convocatis omnibus de suo consilio, instantibus inimicis præfatis, fuerunt perpetuo carceri condemnati, Terris, & Castris, & Casalibus suis omnibus ad mandatum Regis Curiæ devolutis, salvis juribus Comitissæ matris eorum.

Consequenter inimici prædicti cogitaverunt statim Terras omnes dictorum fratrum emere à Regia Curia, ut si quando contingeret ipsos aliqualiter liberari, Terræ & Castra sua in manibus reperirentur inimicorum ipsorum; & sic adeuntes ad dictum Regem, eumdem pactis & venditionibus confirmatis, Terras & Castra omnia eorumdem emerunt, illasque tenuerunt & tenent.

B Interea ipsis fratribus morantibus in Castro Capuano captivis juxta sententiam inde latam, nulla erat memoria de eisdem nec de sequacibus eorum. Sed Dominus Raymundus prædictus factus generalis Capitaneus in partibus Terræ Bari, quamplures sequaces eorum destruxit personaliter, & aliquos pecunialiter usque ad ultimam paupertatem; Et sic ex casu præfatorum regnabant in Barulo & ubique præfati Marrenses, qui consequenter ex furtis sequacium perierunt.

Præterea idem inclytus Rex Robertus infirmitate convictus, vocatis coram se Johanna, & Maria neptibus suis, Andrea filio inclyti Regis Hungariæ Duce Calabriæ, viro dictæ Johannæ, Philippo Principe Tarentino, & fratribus, ac Ecaterina Imperatrice Constantinopolitana matre C eorum, necnon Agnete Ducissa Duratii, & Karolo Duce Duratii, & fratribus, certisque Comitibus, Magnatibus, & Baronibus Regni Neapolitani tunc præsentibus, & universis Consiliariis suis, & ipsis coram eo præsentibus inter alia mandata eis facta, præsente etiam Sancia Regina uxore sua, mandavit & voluit, quòd post mortem suam Rex esset Andreas prædictus, & Johanna consors sua Regina, aliique sui nepotes suis juribus essent contenti, quòdque uno corde esse deberent, si diu regnare cuperent, & dictum Andream carum haberent quasi magnum thesaurum, sibique in omnibus obedirent, velut eorum Domino principali. Nam si sic facerent, D omnes Reges de Mundo numquam eis possent nocere. Et sic eo vivente mandavit omnibus, ut eidem Andreæ & Johannæ Consorti ligium homagium præstare deberent. Quod statim fecerunt, quod in fine minimè servaverunt. Mortuus est autem idem Rex Anno Domini MCCCXLII. mense Januarii, X. Indictione, XIV. die mensis ejusdem, & regnavit annis triginta sex.

Ipso eodem die coronata fuit Regina Johanna, & ab omnibus Regina vocata. Dux autem Andreas vir suus causâ obtinendæ Coronæ Regalis ad Summum Pontificem destinavit, quæ sibi vitiis quamplurium Regni Magnatum prorogata exstitit usque ad mortem.

E Et tunc de novo post mortem Regis Roberti præfati dictus Dux Andreas, præfata Regina Johanna, aliique Regales Domini in annis juvenilibus constituti, licet sub regimine & doncena Sanciæ Reginæ relictæ Regis Roberti præfati, Ecaterinæ Imperatricis Constantinopolitanæ, & Agnetis Ducissæ Duratii, Caroli Artus, & quamplurium aliorum Regni Magnatum existerent, tamen tum ex malis cogitationibus Magnatum eorumdem, tum etiam ex variis ordine, & tractatu Imperatricis præfatæ, quæ statum filiorum inimic.... affectabat, dicto Duci Andreæ & dictæ Reginæ, & consequenter.... Reg.. subsequutus est malus finis. Hi juvenes

A Dux & Regina juvenilibus ludis & solatiis insistentes, aliique Regales præfati splendidis vestibus adornati, alternatim prædeuntes, alternatim equitantes per splendidam Urbem Neapolitanam, jocundi, de nullo curantes semper incedebant. Et inter hunc eorum jocundum concursum Consiliarii pessimi, Magnates præfati semper visi fuerunt derelictum Regis Roberti magnum usurpare thesaurum. Imperatrix verò præfata semper satagebat, diabolico spiritu inspirata, prædictum conjugium dictæ Reginæ & Ducis morte prædicti Ducis dividere, & eam uni filiorum suorum tradere in uxorem, quod in factum operante Diabolo obtinuit, unde Regni hujus destructio est sequuta.

B Interea in Civitate ipsa Neapolitana dicta Regina Johanna juvenilibus inducta colludiis semper chorizando, semper equitando, semper in hastiludiis vacando tota facta est læta, vana juventute seducta. Quod videns Sancia Regina præfata, quòd eam non posset talibus ab actibus removere, subitò Deo conversa Monasterium Sanctæ Crucis de Neapoli monialiter est ingressa, Regali dignitati renuntians, ubi dies suos breviter finivit in Christo, post obitum viri sui Regis Roberti Anno MCCCXLIII.

Post cujus mortem, quia aliqualiter eadem Reginam juvenem & alios refrenabat, totaliter facti sunt effrenes, & Castrum dictæ Reginæ quasi commune tabernaculum factum est omni- C bus in derisum. Consiliatores omnes lupi facti sunt ovium Regni hujus, & totum Regnum Neapolitana Civitas devorabat; ibi cunctus Regni thesaurus peribat.

Igitur dominantibus æqualiter dicto Andrea Duce, dictaque Johanna Regina, & à cunctis Regni Magnatibus obeditis, tractantibus aliquibus Palatini & fratrum amicis, Dæmone præcipuè, ut ex liberatione ipsorum tanta scandala sequerentur, dictus Dux contra voluntatem omnium dictum Palatinum & fratres à Castro Capuano præfato, quo tenebantur ligati, liberari mandavit. Sed talis liberatio fuit in factum destructio suæ personæ.

D Liberatis itaque Palatino & fratribus, statim elati superbia cœperunt splendidè vivere, & magnificè equitare, alternatim vivendo, hastiludendo, induendo, dissimulantes se Regalibus esse pares. Ad hæc crevit invidia omnium contra eum. Ivere precatum dictum Ducem Andream, quique palàm, & sæpius in occulto invidiosè loquentes cuncti contra Ducem præfatum, quòd suo favore tanta essent elati superbia Palatinus & fratres. Nam Palatinus ipse quotiens in Ruga Corrigiarum in Neapoli Jostra fiebat, si tam Dux prædictus & Regina, quàm alii Regales una Banderia vel duabus ad differentiam aliorum Comitum & Magnatum, cum eorum armigeris veniebant ad Jostras, Pa- E latinus idem nullo Regali reservato honore, cum tribus altioribus banderiis veniebat ad Jostras, unde major invidia semper crescebat.

Inimici verò Palatini præfati videntes inimicum suum tanto dicti Ducis favore suffultum, ira & furore seducti, cùm majores Regni Magnates essent, habito consilio, & uno corde facti, cum Regina præfata uxore sua, Carolo Artus, Comite Sancti Severini, Comite Milecci, Comite Amirato, Comite Terlicii, Comite Sancti Angeli, Domino Roberto de Sancto Severino, Domino Raymundo de Baucio, Comite Catanzani, & fratribus, pluribusque aliis Regni Baronibus & Magnatibus, cogitaverunt de-

destruere Palatinum, & Ducem etiam, si eum ultra vellet favere.

Consilio dato dictæ Reginæ, statim dicta Regina frontem revolvens viro suo præfato, dictorum æmulorum viri consilio adhærebat, & paulatim paulatim de manibus viri sui dominium auferebat, semper existens cum eo ad lites, & ut dicitur, hæc erant opera Imperatricis prædictæ, ut ad suum perveniret intentum. Ad tantum itaque finem reduxerat virum suum prædictum, ut vix posset sine licentia Reginæ unam facere sibi Robbam .... cunctum contra eum consilium provocavit.

Demum dictus Dux sentiens se malè paratum, habito consilio Caroli Ducis Duratii & ceterorum suorum militum Hungarorum, statim ad Dominam matrem suam apud Hungariam Nuntios destinavit, nuntians sibi factum qualiter se haberet. Ad quem statim mater prædicta venire curavit, & existens per menses duos & ultra in Neapoli, cognoscens nequitiam suæ nurus, cogitavit utilius pro vita filii secum suum filum reportare. Et dum pararet illum velle reportare, ecce Imperatrix præfata fraudulenti animo, Ducissæ Duratii puro corde, Comes de Monte-Caveoso, & quamplures alii Regni Magnates persuaserunt matri præfatæ, ut eorum Regem dimitteret eorum custodiæ conservandum. Sed in factum malignam custodiam habuerunt prodimento decepti. Quorum consilio dicta mater acquiescens, præcipuè mota blandis verbis Reginæ præfatæ, dictum filium suum principaliter regimini dicti Comitis Montis-Caveosi tamquam homini antiquo & seni & fideli reliquit, & in Hungariam rediit, mittens statim ad Summum Pontificem pro coronatione filii sui prædicti, ut Regni ipsius acciperet plenariam potestatem.

Remanente itaque Duce Andrea præfato velut agniculo inter lupos, si dicta Regina præteritis diebus malè egerat, pessimè operata est in futuris erga virum suum præfatum, immo quod deterius est, cuncta Regni officia per Consiliarios pessimos Regni Magnates in capite divisit, dictum Carolum Artus faciens Comitem Camerarium dicti Regni; Comitem Montis-Caveosi, ut suo ordini assentiret, fecit Magistrum Justitiæ Regni, quod Officium recipere noluit, nisi ex confirmatione Summi Pontificis; Dominum Rogerium de Sancto Severino fecit Logothetam & Protonotarium Regni, qui eo tempore erat Archiepiscopus Barensis; Comitem Terlicii fecit Regni Siciliæ Marescallum; Dominum Robertum fecit Generalem Capitaneum Terræ Bari, & Terræ Ydrunti ad vitam; Dominum Raymundum fecit Generalem Capitaneum Vallis Beneventanæ, & Capitanatæ ad vitam; aliaque plura in capite concessit officia. Quæ Rex Robertus, dum vixit, numquam concedere in capite alicui præsumsit. Et horum gubernatione & consilio utens, sic magna strage vivebatur in Castro suo, quod introitus dicti Regni videbantur sibi non sufficere pro medio anno, sicut tempore Regis Roberti anno quolibet reponebantur in thesauro centenaria Unciarum.

Sicque infra modicum tempus Turris una sita in Castro vocata Bonna, maximo repleta thesauro cumulata per Regem Robertum prædictum, evacuata totaliter ex acceptione dicti Caroli Artus, & aliorum suorum sequacium, dividentium infra se ipsos tantum thesaurum.

Ad hæc inclyta Domina Domina Agnes Ducissa Duratii Castrum ipsum Regium continuò visitans, mediante Domina Margarita de Ceccano Collaterali dictæ Reginæ, tractavit, quod Maria soror dictæ Reginæ consors fieret Caroli Ducis Duratii filii sui, Summi Pontificis post obtentum assensum. Habita itaque promissione ab eadem Domina Maria de faciendo matrimonio memorato, singulis ignorantibus caussam ipsam, eadem Domina Agnes anxia magnificare statum dicti Domini Ducis filii sui, ad Dominum Cardinalem Petragoricensem præfatum fratrem suum cautè nuntians scripsit negotium pertractatum, ut cum Domino Summo Pontifice ordinaret assensum consummationis matrimonii supradicti. Quod idem Cardinalis intelligens læto animo, ad Summum Pontificem instanter adiens, assensum obtinuit consummationis matrimonii memorati; & acceptis chartis sub Apostolica Bulla statim idem Dominus Cardinalis apud Neapolim ad eamdem Ducissam Nuntium remisit cum gaudio festinanter.

Igitur præfata mater Ducissa, obtentis Summi Pontificis chartis acceptis, tota facta gaudens & hilaris narravit in secreto dicto filio suo Carolo, negotium, qualiter se haberet, qui hilariori vultu congaudens, eamdem matrem suam de consummatione dicti matrimonii concitabat. Quæ adiens festinantior Dominam Mariam præfatam, mediante Domina Margarita de Ceccano prædicta, sibi assensum Summi Pontificis nunciavit de consummatione matrimonii jam tractati. Quæ quidem Domina Maria paratam se obtulit servare & adimplere promissa; & statim idem Dux donavit eidem Dominæ Margaritæ de Ceccano Casalia Cilearum & Binecti in præmium rei tractatæ. Et quia tractatus matrimonii ipsius absque conscientia Johannæ Reginæ sororis suæ, & alicujus alterius factus erat, dubitabant tractatores hujusmodi ipsum matrimonium publicare, ne contradiceretur per Reginam eamdem, vel per Dominos Tarentinos. Confidentes itaque in magnificentia sua, & consentiente Domina Maria præfata, hinc inde de adimplendo dicto matrimonio, mutua data fide, eamdem Dominam Mariam secretè idem Carolus Dux Duratii ad suum transduxit Palatium ex Castro dictæ Reginæ per viam, qua egreditur de dicto Castro magno Regio per Jardenum Regium ad Palatium dicti Ducis sibi confine. Quam dictus Dux, ut fertur, cognoscens carnaliter, & eam in Palatio suo retinens, dictum factum matrimonium publicavit. Quod audiens dicta Regina, Andreas Dux vir suus, Domini Tarentini, & certi alii æmuli dicti Ducis, stupore convicti fremebant dentibus in eumdem Ducem Carolum, sibi pro posse mortis insidias præparantes. Quod o utinam mater sua Ducissa tale matrimonium non tractasset, quia mors fuit sua & filiorum suorum.

Factis itaque rumoribus plurimis de matrimonio supradicto, post dies paucos aliquos rumor quievit; sed tamen invidia & fraus & scandala occulta semper augebantur contra dictum Ducem & fratres. Et cogitabat dicta Regina de consilio Imperatricis præfatæ dictam Dominam Mariam tollere fraudulenter, quum violenter non posset. Nam sicut præscribitur major pars Neapolitanorum Civium & Regni Magnatum cum dicto Duce Carolo libentiùs concurrebant, sic perfectè diligebant eumdem. Incipiebat autem dicta Regina eumdem Carolum blandis verbis reconciliare velle, quando posset sororem in suo Castro reducere, quod obtinere nequivit, quia dictus Dux sagacissimus juvenis erat valde. Denique dicta Regina cœpit se contentam osten-

ostendere de matrimonio supradicto; & tradens sorori suæ dotem congruam, donavit illi pro suo Dodario Comitatum Albæ, & in auro super juribus Collectarum generalium Regni Unciarum milliaria triginta duo. Et constituto termino desponsandi, ordinaverat dicta Regina, eamdem sororem suam in Capella sui magni Castri desponsari debere, ipsamque exinde velle solemniter nuptias celebrare. Quo die adveniente, summo mane per quemdam scutiferum secretè nuntiatum est dicto Duci, quòd nullatenus confideret Regium Castrum intrare, nec uxorem immittere; nam ordinatum erat secretiùs per ipsam Reginam & Imperatricem, dictam Dominam Mariam retinere in Castro, & Ducem eumdem perimi vel carcerari. Et interrogans ipse Dux, qualiter ista sciret, dixit, quòd ipsa nocte dormierat in Castro præfato, & vidit ordinem supradictum. Nam scutifer ipse non intendebat ad Castrum Regium reverti, sed potiùs esse in Palatio dicti Ducis, timens iram dictæ Reginæ ex revelatione causæ præfatæ. His auditis per Carolum præfatum subitò accessit ad matrem, & vocata simul uxore nuntiavit eis unà cum dicto scutifero ordinem rei hujus, & amoto proposito desponsandi, distulerunt ipsa sponsalia per dies aliquot se facturos. Deinde dicta Regina & Imperatrix suis ordinibus frustratæ, ira & furore crepare videntur. Et ecce major invidia concrescebat contra Ducem prædictum. Multæ sibi minæ inferuntur, & multa scandala præparantur. De quibus Dux ipse & fratres parum curabant, cùm satis sapienter & potenter consisterent.

Adveniente itaque die desponsationis eorum, benedictione sacerdotali recepta, in Capella eorum Palatii nuptias celebrarunt, & peractis magnis conviviis, sicut Regalium moris est, pluribusque Nobilibus & Magnatibus convivatis, in dicto convivio subitò præfata Regina bannum emitti faciens per totam Urbem Neapolitanam, ut si quis ad convivium nuptiarum Ducis Duratii ire præsumeret, Reginalis Coronæ proditor haberetur: propter quod plurimi ad dictum convivium accedere cessaverunt, non tamen quòd negligerent & non essent pro Duce Duratii, sed caventes ne pro sic causa modica pro uno convivio causarentur. Concurrit itaque omnis Populus Civitatis ipsius ad idem convivium, & Milites plurimi, non obstante banno præfato; & sic major, immo maxima & pestifera crescebat invidia contra Ducem.

Erant autem ipso tempore cum Duce Duratii Comes Ariani & Comes Apicii filius ejus, Comes Triventi, & Comes Sancti Valentini, Comes Bertrandus de Baucio, & Comes Avellini, & plurimi alii Comites & Barones apti vincere & pugnare pro Duce præfato. Inter quos erat Frater Morialis Præceptor Sacræ Domus Hospitalis in Neapoli, qui caput factus est omnium post dictos Comites, si guerra moveretur infra Dominos memoratos.

Hac itaque lite & invidia perdurante per dies aliquos & menses, subitò omnis invidia conquievit. Et ecce per Neapolitanam Civitatem dicti Regales incipiunt magnificè equitare, & festizare. Facti sunt amici & fratres omnes ipsi Domini, in se ipsos facientes jostras, & hastiludia continuò in Civitate præfata. Et inter hæc dictus Andreas Dux in tantum amore perfecto annexus est cum Duce Carolo jam dicto, quòd quasi continuò morabantur & epulabantur simul, equitabant, & simul semper gaudebant.

Ad hæc Imperatrix jam dicta videns se convictam, & suam non posse contra Ducem præfatam malitiam prævalere, Lodoicum filium suum versùs Apuliam transire & militare consuluit. Ipsa autem cum Tarentino Principe filio altero suo primogenito adstabat Neapoli, dictam Reginam petens, quòd dicta Regina omnino donaret uni filiorum suorum tantumdem, quantum donaverat Duci Duratii pro dote sororis suæ, quod minimè valuit obtinere. Constituerat autem de consilio Domini Nicolai de Aczajolis dicta Imperatrix in Terris suis Apuliæ Capitaneum generalem ad guerram Dominum Jacobum de Cavalcantibus, qui de Terris Imperatricis ejusdem coadunato exercitu Civitatem Venusii obsidens, magnum in ea guastum faciens, Civitatem ipsam nomine suo cepit. Et similiter Civitatem Melfiæ; & tantum ardorem acceperat idem Miles favore Imperatricis ejusdem, quòd etiam Bitruntinam Urbem simili causa obsedit, cui Cives dictæ Terræ viriliter resistentes parêre nullatenus voluerunt; sed ne potiora damna eis inferret, composuerunt cum dicto Milite in Unciis quingentis.

Redeunte autem dicto Domino Lodoico Neapolim jam ordinatæ & paratæ erant mortis insidiæ contra Ducem Andream præfatum. Ipsa enim Imperatrix tanta vanitate seduxerat eamdem Reginam, operantibus Magistra sua, & Domina Chancia Collaterali & Domicella sua, quæ, ut fertur, publicè meretricabatur, quòd etiam Reginam eamdem seduxerat, & suppofuerat filio Caroli Artus: cujus rei per Regnum publica fama volavit, & adeò quòd ad aures pervênit Ducis Andreæ præfati, quod dictus Dux corde suo patiens usque ad obtentum coronæ Regiæ, quam à Summo Pontifice exspectabat in brevi; ipsa autem Imperatrix cogitabat de nece prædicti Ducis Andreæ, ut consequenter Reginam ipsam in uxorem traderet suo filio Principi Tarentino. Et sic per plures dies moratus fuit in Castro Regio Princeps idem, ipsa Imperatrice continuò morante in Castro, exspectans diem mortis miseri Ducis præfati.

Interea Domina Agnes Ducissa Duratii solito morbo infirma jacebat gravis in lecto. Ecce contigit, Neapolim venisse quemdam summum Medicum nomine Magistrum Johannem de Penna, qui in arte Physica Philosophus habebatur. Quem Dux Duratii filius suus sentiens advenisse visurum matrem suam, eum venire mandavit, & honorificè illum suscipiens, Aulam Dominæ Matris suæ simul ingressi sunt, & palpata manu Ducissæ prædictæ, satis de vita sua eam & filium confortavit, adstantibus ibidem dicta Domina Maria nuru sua, Domina Margarita de Ceccano, & Domina Chancia filia sua, & pluribus aliis Dominabus & Domicellabus earum. Erant autem ipso prædicto tempore dicta Ducissa Agnes cum Duce filio suo, & Ducissa uxore, aliqualiter discordes; sed quasi concordes erant ex divisione facta inter dictum Ducem & fratres. Qua causa adhuc videbantur aliquantulum odiosæ. Igitur præfatus Medicus jussit quòd summo mane reciperetur urina dictæ Ducissæ infirmæ sibi perferenda de mane, ut infirmitatem cognosceret. Diabolicæ itaque mulieres de consilio Imperatricis & Reginæ prædictæ, Dominam Chanciam prædictam illic ea nocte dormire fecerunt; & summo mane recepta urina Ducissæ infirmæ, urinam illam statim projecerunt, & urinam dictæ Chanciæ posuerunt in vase, & eam adveniente Medico ipsi Medico monstrarunt. Medicus autem ut vidit urinam eamdem, cognovit statim illam urinam esse mu-

mulieris prægnantis, rubore convictus, quòd loqui quasi nesciebat, & egrediens foràs cum Duce præfato secretè retulit Duci filio suo, se cognoscere per urinam, dictam Ducissam matrem suam esse prægnantem. Quod audiens Dux prædictus furore turbatus ignorabat quid responderet Medico, admirans de verbis Medici prædicti. Nec credebat aliquatenus esse posse matrem suam prægnantem. Iterum Medicus jussit ad se portari dictam urinam, & ostendit dicto Duci signa urinæ mulieris prægnantis, quæ verè mulieris erat prægnantis, sed nesciverunt discernere proditionem paratam contra Ducissam eamdem. Igitur præfatus Dux, ignorante misera matre sua de prodimento sibi parato, fratribus suis conscientiâ nullâ factâ, stabat animo conturbatus, & nihil de infirmitate matris curabat. Deinde præfatæ Mulieres dictam Ducissam servantes, apposito tossico in cristerio ipsam tossicaverunt, & paucis vivens diebus in Domino requievit, quæ verè de objecto sibi crimine munda fuit.

Igitur præfata Imperatrix volens malè incœptum ordinem fine debito terminare, semper per filium suum Lodoicum, & per alios Officiales suos superbè tum in Terris demanii, tum in Terris Ducis Duratii guerras dabat, & semper prædabat. Ita & eo animo ut lites occultæ publicarentur, & quòd Dux Andreas præfatus turbaretur cum eis, quin haberet proditionis suæ materiam pleniorem. Tamdem displicentiis plurimis inde factis, Dux præfatus Andreas velut sapiens omnia in suo corde servabat, de die in diem sceptrum Regale attendens. Sed ultimò plurimùm dedignosis actibus infestatus in quodam Vexillo suo Regali facto de novo, præter arma sua Regalia, depingi fecit quamdam Manaram & Cippum, quod omnibus publicè demonstravit, & simpliciter egit.

Videntes autem culpati, scilicet Regina primò uxor sua, Imperatrix, Carolus Artus, filius suus, & multi alii, qui præsciebant proximum esse sibi tempus coronationis, cogitaverunt illum perdere, priusquam sceptrum Regale reciperet. Nam recepto sceptro sciebant firmiter perditionem eorum juxta Vexillum, quod de novo parari mandaverat Dux prædictus. Ipse autem Dux semper consilio Ducis Duratii utebatur: Sed Palatini vanagloria & superbia fuit impulsio suæ necis. Et convocatis omnibus malevolis proditoribus dicti Ducis Andreæ ordinaverunt dictum Ducem Andream perimi facere extra Civitatem Neapolis, quia intus nullo modo fieri poterat vitiis Ducis Duratii supradicti. Et adeuntes proditores ipsi ad Ducem eumdem prædixerunt ei: *Domine Rex; si dignetur Vestra Majestas, sequenti die summo mane equitemus ad venationem versùs Urticellam cum canibus & falconibus. Et stabimus sic venando per dies aliquos nunc in Capua, nunc Aversa, nunc per alia bona Casalia Terræ-Laboris ibimus festizando.* Dux autem miser, animo juvenili acquiescens verbis fallacibus iniquorum, ad venationem eamdem se promisit iturum. Mane autem facto consilio inito vocaverunt eumdem Dominum simul cum Regina, Dominisque plurimis causæ consciis, & insciis, & paratis equis, aliisque necessariis rebus præmissis apud Aversam venando euntes, apud Aversam ipso sero hospitati fuerunt. Et cœnâ paratâ discubuerunt cum magno gaudio, quod verè resultavit ad magnam tristitiam Regni hujus. Factisque ipso sero gaudiis plurimis, bonâ noctis horâ gaudere fingentes cum Duce præfato, & jam appropinquante somno oculorum palpebris, paratis insidiis suæ necis, omnes de hospitio Regio recesserunt, remanentibus tantùm ibi fidelibus iis solitis Cameram Regiam custodire. Idem Dux miser cum uxore sua Aulam ingredientes, thoro parato recubuerunt. Proditores autem nequissimi, qui dicti Ducis sanguinem sitiebant, in constituta prima noctis hora surgentes, ad Ecclesiam Sancti Petri de Murrono de dicta Terra Aversæ, ubi Dux idem & Regina hospitati manebant, accedentes ad Salam ante cameram dicti Ducis, pro ut statutum erat cum eis, per Custodem cameræ vocari fecerunt Ducem præfatum quadam occasione assumta. Et vocantes eumdem Dominum, subitò Dominus idem excitatus à somno, tamquam juvenis à lecto surrexit, & confidens de iis clamatoribus, eo quòd noverat illos, apertâ januâ cameræ statim exivit inermis, quodam jupparello indutus, & sinè caputeo, caligis tantummodo calciatus. Et egressus foràs in Sala, subitò proditores iniqui manus injecerunt in eum, ut eum morte necarent, nam ferro mori non poterat nec veneno, virtute cujusdam annuli, quem sibi donaverat misera mater ejus. Dux autem ipse, quia juvenis fortis erat & levis, visis insidiis suæ mortis, viriliter manibus se defendens, atque horribilibus vocibus, evasit manus illorum, excussis crinibus aureis, & facie raspata ad cameram suam redire festinus curabat, ut exinde arma reciperet, se ipsum viriliter defensurus. Et quum veniret quasi juxta portam, quidam impiissimus Notarius (*) adstans ibidem ferrum in dicta janua statim involvit, & sic miser Dux nequivit intrare; sed divertens ad portam Salæ vociferans auxilium fidelium requirendo, portas omnes clausas invênit, nec erat, qui ei manum porrigeret adjutricem, dicta Regina silente, & de nece viri nullatenus procurante auxilii sui causam. Nutrix autem sua quædam Hungara nomine Ysolda clamorem sui filii & Domini sentiens, timido animo consurgens à lecto, se faciens ad fenestram, auxilium Domino requirebat, & magnis vocibus tam ipsa, quàm miser Dux totum illud habitaculum concitabant. Verumtamen locus ille aliquantulum distare dicitur parum extra mœnia dictæ Terræ, quia ideo fecerant proditores iniqui, ut, quia mysterium magnum erat, si quidem rumor esset, nullus sibi adesset adjutor. Impiissimi autem proditores stupenti quasi timore confusi, quasi incipiebant dimittere Ducem ipsum præ clamoribus nimiis & rumore. Iniquissimus tamen Bertrandus filius Caroli Artus, qui potiùs aliis culpabilem se sentiebat, diabolico suffultus spiritu, eumdem Ducem potenter accepit, & cum eo luctans tenuit ipsum, & convocatis aliis, ipsum Ducem ad quemdam Gayfum dicti hospitii supra Jardenum portaverunt eumdem, & eum crinibus aureis lacerantes, & diris calcibus opprimentes, funem sibi immittentes in gutture more furum suspenderunt eumdem, tenentes sic eum usquequo necaverunt, & deinde ipsum in Jardeno inferiori à summo usque deorsum præcipitaverunt eumdem; & apertis januis dictæ Salæ protinus abierunt, ac si nihil fecissent.

Nutrix autem præfata sentiens cessasse rumorem, & inimicos penitus abiisse, accepto lumine cameram suam egressa est, & ad cameram Du-

(*) *In margine hæc adduntur:* Nomine Nicolaus de Milaczo.

Ducis & Reginæ accessit, & convocans filium altis vocibus & rumore, nullum recipiebat responsum, licèt intus Regina consisteret. Igitur præfata Nutrix in majori tremore composita, quærens dictum Ducem per Salam & cameras universas loci illius, omnes dormientes in loco illo, & Monachos etiam excitavit, ut unà cum ea quærerent dictum Ducem. Tamdem perquirentes illum, subitò rumor factus est per totam Aversam, & inventus est dictus Dux laqueum habens in gutture præcipitatus ab alto, quem dicta Nutrix & fratres suscipientes, in supradictam Ecclesiam induxerunt, & eum usque mane custodiverunt ibidem, admirantes de causa, & de talis & tanti Domini morte lugentes. Et convocantes Reginam, ac sibi casum Domini nuntiantes, velut delicti conscia facta confusa usque mane surgere non curavit.

Mane autem facto conveniens universus Populus ad Reginam, volens scire talis criminis patratores, quibus vindicta fieret, absque mora stupenti rubore adducta, vultum carentem lacrymis nesciebat erigere, quin posset respicere quempiam. Tanta erat confusio sui delicti; & derelicto viro defuncto, ad aliud hospitium statim ivit, & ibi ob læsam conscientiam dicti Ducis moram traxit, timens, ne à Populo mactaretur. Novum itaque mortis dicti Ducis in hora quasi Auroræ in Neapolitana Civitate procedit. Et statim Dux Duratii, & fratres ejus, inclytus Princeps Tarenti unà cum Bertrando de Baucio, Montis-Caveosi Comite, pluribusque aliis Regni Comitibus & Baronibus tunc Neapoli sistentibus, ceterisque quasi Neapolitanis militibus, Scutiferis, & Civibus, cum magno doloris ululatu & ploratu, magnoque furore versùs Aversam dirigunt iter suum, unusquisque Dominorum ipsorum cum sua familia in manu forti procedunt. Et applicantes Aversam multos plorantes invenerunt & dolentes, & venientes ad corpus Ducis miseri, flentes aliqualiter super eum, omnes inclinato capite condolebant. Et volentes de nece inquirere, quisquis causam mortis ignorabat, & sceleris patratores.

Et quum non invenirentur criminis patratores, sed potiùs occultabantur, unusquisque cognovit amaræ aquæ rivulum unde processit; & verè aqua illa dispersa per Regnum quamplurimos necavit, quamplurimos diruit, & quamplurimos dissipavit. Et rivulus ille maria transiens atque montes, planities & silvas, in Hungariam flumen Danubio majus fecit, & transiens in Theotoniam, totam super Regnum hoc Hungariam & Theotoniam concitavit, ut fluctuosis undis rediens ad hoc Regnum, ejusdem Ducis lavaret sanguinem innocentis. Et licèt Nutrix illa misera præexperta noctis tenebrosæ indicia mortis tanti Ducis, sciret processus, tamen cum modicis Hungaris Hungaricè alloquens, cum aliquo timebat conferre de nece prædicta. Statim mandatum est per Ducem Duratii & alios Dominos sæpedictos, ut corpus ejusdem Domini apud Neapolim honorificè duceretur ad Ecclesiam Beati Januarii, quæ mater est Ecclesia Civitatis ejusdem; quod factum est, & ibi delatum præfatis Palatino & fratribus lugentibus post ipsum, & in facie se ipsos ferientibus & dicentibus: *Ut quid, Domine, nos dereliquisti nostrorum in manibus æmulorum! quis, inclyte Domine, de inimicorum nostrorum manibus amodo nos salvabit? Ecce spes nostra nobis defecit in totum*. Et derelinquentes corpus ejusdem Domini in eadem Ecclesia con-

A quiescens, subitò paratis equis & armis subitò Civitatem Neapolitanam egressi sunt festinanter, suorum timentes potentiam æmulorum, quum non esset auxiliator eorum, & continuatis diebus apud Hungariam perrexisse dicuntur, nuntiaturi mortem dicti Ducis Dominæ Reginæ matri, & Domino Regi & fratribus apud Budam. Licèt credam, quòd per Hungaros cum dicto Duce morantes Neapoli statim, & citiùs dicti Ducis mors fuerit nuntiata.

Ipsometque die præfata Regina, & omnes sui Comites & Barones, ac cum omnibus Proceribus venationis præfatæ de venatione capta redeunt Neapolim quieturi, & licèt oculis lugere se fingant, tamen in aliquorum malignorum

B ipsorummet talis lætitia citò in dolorem eorum capitis fuit conversa, Diabolo revelante, quòd nec corpus dicti viri visitare & flere curavit, sed ad Castrum suum Novum viâ rectâ processit, & nullus deinde de morte tali est ampliùs ausus loqui. Stetitque corpus tanti Domini diebus duobus & ultra, ut æstimo, sic despectum, nullis Ecclesiasticis provectum obsequiis, omni privatum Regia gloria & honore. Nullus hoc corpus sepelire procurat; sed quisquis latitando, murmurat, quisquis prophetizando suspirat, & cernentes corpus Domini insepultum, Majestatem Regiam in terra prostratam quisquis condolet, & clamitat apud Deum.

C Tamdem quum nullus Regalium nullus Comitum & Regni Magnatum esset, qui sepeliri faceret corpus illud, vir Nobilis Ursillus Minutulus de Neapoli ipsius Ecclesiæ Canonicus, & vicinus, convocatis suis parentibus & amicis, corpus idem honorificis Clericorum cantibus & obsequiis opportunis, ut decet quasi Regiam Majestatem, pluribus cereis circa corpus idem accensis, honorificentiùs sepelitur: Cujus dirus interitus post suæ necis casum infra tres dies usque in Apuliam, & ad Idronti partes per totum Regnum ventilatur fama volante. Qui obiit Anno Domini MCCCXLV. Indictione XIII. de mense Augusti, XX. die mensis ejusdem.

D Post paucos verò dies de morte dicti Domini universo dolore cessato, nullo inde loqui audente, præfata Imperatrix animo suo contenta facta, incipiebat tractare cum dicta Regina quod vivente viro tractaverat, ut & eam consortem daret filio suo Principi Tarentino. Et ingressa iteratò Castrum-novum, Reginæ ejusdem continuò die noctuque cum illa manebat, persuadens ei dictum matrimonium faciendum. Et in tantum illam dicitur monuisse, quòd etiam dictum filium suum miserit in Castrum moraturum ibidem usque ad consummandum matrimonium supradictum. Et ecce scandala magna pejora prioribus sunt exorta. Nam Lodoicus alter filius illam sibi consortem volebat. Dux verò Duratii in contrario proposito semper existens

E contradicebat maritagio memorato, eo quòd petebat, quòd dicta Regina Ducatum Calabriæ sibi concederet, ultra dotes constitutas sorori suæ consorti Ducis præfati. Et dum in tali tractatu discordes persisterent, Dominus Lodoicus de Tarento petebat tertiam partem Regni, videlicet totam provinciam Aprutinam citra & ultra. De quo nihil nequiens obtinere, statim adunato exercitu versùs Aprutium militavit, volens illam sibi provinciam subjugare, & militans hinc inde spatio mensium trium vel circa, dimisso inibi præfato Milite Domino Jacobo de Cavalcantibus loco sui, reversus est Neapolim. Contigit enim, dictum Principem Ta-

Tarentinum quodam die Castrum egredi, ut per Terram pacificatus quasi pace media cum Duce præfato equitarent simul per Terram, præfatus Dominus Lodoicus subitò dictum Castrum ingressus est, & elevato Ponte Castri ejusdem Portam dicti Castri diligenter custodiri mandavit, quempiam prohibens introire. Et ingressus ad matrem, & colloquio habito cum eadem, statim ad cameram Reginæ dicitur accessisse, & rem cum ea penitus habuisse. Quum autem rediit Princeps, vidit Pontem Castri elatum, & petens intrare, non ausus est Portis exterioribus adhærere, oportuit ipsum velle nolle ad hospitium proprium remeare. Et ecce inter fratres ipsos major fuit orta invidia pejor priore.

O quam miserum Regnum istud! quod ad regimen mulierum & infantium est deductum. O quantum regnicolas singulos lugere oportet! qui dudum peractis annis tranquillo pacis statu gaudebant sub regno Regis Roberti & progenitorum suorum. Nunc autem ex arte regiminis prædictorum consulentium perimi tantum Ducem in stragiciosam prædam, guerram, & tristitiam singuli deducentur. Quis casus lugubris eos involvit, ut unius mulieris crimine universum Regnum miserum vexaretur? Et o utinam ex vexatione quieti fierent! Sed timendum est, ne bonorum dispersio, & personarum pericula subsequantur. Vidi namque post hæc plurimorum Comitum finem malum, morte turpissima damnatorum, & multorum Magnatum, Principum, & Baronum, Nobilium & Popularium utriusque sexus Civitates, Castra, Provincias, & Casalia dissipata, & pauperiem consequutam. Et ut de me alloquar, admirando, seu flendo potiùs, de fortuna conqueror. Quid igitur in nece innocentis Ducis peccavi, qui distare me æstimo ab Aversana Urbe, ubi necatus est miser Dux ille, usque ad Civitatem Gravinæ, cujus sum oriundus, per milliaria centum & ultra? Et fortè dicam quòd propter alia commissa delicta patior tanta mala. Numquid tam gravia delicta commisi, ut bonis omnibus spoliatus, dirutis domibus, & à natione mea ejectus proditor appellarer? Et fortè totum hoc merui ex meo delicto, sed quid meruit Dominus Guilielmus miserrimus frater meus? quid mater communis? quid consors mea, quid soror, dicti Ducis commiserunt in nece? Et fortè fateri volo, quòd ex prædictis malis actibus tanta pericula patiuntur, & exules sunt mecum effecti, fortuna nostra misera permittente. Sed vehementiùs admirans doleo ultra quàm credi valeat, quòd majori & simili pœna Gregorius, & Cola mei filii, Boliarina puella parvula, & Philippus nondum mensium duorum ætate statutus, pueri insensibiles & non cognoscentes delictum, cur morte dicti Ducis vexantur? cur exules ut ego facti sunt? cur dicta puella & infantulus inter nationis suæ cognatos pro captivis habentur, & mihi, & matri dilectionis eorum visio prohibetur? Quid ampliùs dicam ignoro; & quod deterius est, ejusdem nationis amicos, cognatos persequi ducti sumus velut æmulos capitales. O quanta scivit sagax Dæmon mala tractare, quando de proditione dicti Ducis tractavit! Sagaciter prævidit, quòd tanta mala mihi necessarium sequi erant. Sed adhuc spem meam, dum vixero, semper habens ad Christum, spero firmiter à tantis angustiis liberari, *qui sanat contritos corde, & erigit omnes elisos.* Ac dum tali fortuna devehor, me consolari oportet, quum plurimos habeam mei casus similes, & nationis majoris, juxta illud verbum poëticum

„ *Gaudium est miseris socios habere pœnarum.*

Divertens igitur cor meum ad sequendam materiam incœpti dictaminis, sicut audivi, seriosiùs quàm potero, quæ sequuta sunt ponam in scriptis. Et licèt longum sit omnia ponere seriatim, tamen ad intellectum omnium declarandum ipsius causæ mysterium sequar sub brevitate sermonum de materia modicum quasi nihil omittens.

Igitur dum præfatus Dominus Lodoicus cum dicta Regina moraretur in Castro, in magna erat inimicitia cum Principe fratre suo causâ sibi proditionis paratæ. Et dum conaretur desponsare Reginam non obtentâ licentiâ Sancti Patris, semper insistebat Dux Duratii, petens Ducatum Calabriæ, ut prædixi. Quod omnino dicta Regina concedere denegans, idem Dux in furorem commotus, statim ad inclytum Regem Hungariæ fratrem quondam Ducis Andreæ nuntios suos misit, ut dignaretur ad hoc Regnum accedere viriliter, quia ipsum sibi subjugare volebat ejus favente auxilio, & suorum sequacium Regni hujus, & in manu sua fratris ponere proditores; & scriptis literis statim misit.

Demum post dies aliquos dictis Dominis valde ad invicem sistentibus odiosis, dæmone præcipiente, pervênit ad aures dicti Domini Bertrandi de Baucio tunc Magistro Justitiario Regni hujus, quòd Thomasius filius Domini Pacis dudum Cambellanus & familiaris dicti Ducis Andreæ, & Notarius Nicolaus, manu propria necaverant Ducem præfatum, & adiens ad Ducem Duratii supradictum rem sibi nuntiavit eamdem. Quod audiens Dux præfatus, vultu fictus hilari, & animo furioso, illos capi consensit, & dicto Comiti adjutricem manum porrexit in captione illorum.

Tunc præfatus Magister Justitiæ, cordialiter dolens de morte dicti Ducis Andreæ, pro eo quòd quando Regina Hungariæ mater sua illum portandi causâ apud Hungariam ad hoc Regnum pervênit, sub suo regimine illum acceperat gubernandum, & sic quia proditoriè fuerat interemtus, idem Magister Justitiæ valde dolebat, & de talibus proditoribus vindictam continuò facere cogitabat: prædictos Thomasium, & Notarium Nicolaum capi cautiùs demandavit; quibus captis, statim eo pro Tribunali sedente cum Judicibus consuetis, captivos ipsos tormentis fecit exponi, petens ab eis scire initium mortis Ducis præfati. Quibus tacentibus suam culpam tormentabantur potiùs & acriùs. Tamdem convicti formidine tormentorum, clamantes, ex alto dicebant, & descendi rogabant, de præfata morte dicturos plenariam veritatem. Erat autem ibi quasi Populus universus Neapolis, omnesque Nobiles, insontes videlicet, eratque ibi Comes Terlicii, & aliqui sequaces sui, qui de morte præfata fuerant conscii & fautores. Illisque descensis ab altis tormentis, statim dictus Terlicii Comes timens confessionem illorum, dictum Thomasium vi capiens, antequam coram Domino portaretur, introduxit illum in quadam Casella contigua, & incîdit sibi linguam, & abiit. Dictis autem captivis adductis ante Tribunal, viderunt illum linguâ mutilatâ, & interrogaverunt, quis talia præsumsisset. Tunc relatum fuit dicto Magistro Justitiæ, quòd Comes Terlicii inciserat sibi linguam. Interrogaverunt autem Judices in secreto Notarium Nicolaum præfatum, qui dixit, & confessus fuit prædictum Terlicii Comitem fuisse tractatorem mortis præfatæ, dictumque Du-

Ducem interfecisse Bertrandum filium Caroli Artus ordinatione Dominæ Chanciæ, & Magistressæ, & quampluriam aliorum publicandorum per eas, si capientur. Ipse tamen ordini & consilio non adfuerat dictæ mortis, sed casualiter illic remanserat ea nocte, quando fuit mortuus Dux prædictus. Tunc præfatus Magister Justitiæ latâ sententiâ contra illos, ligatis eis in caudis equorum trahendis per terram, ad furcarum suspendia sunt damnati: quod statim factum est.

Post hæc universus quasi Populus clamabat, quòd Comes Terlicii fuisset particeps culpæ illius mortis ejusdem Ducis, ex eo quòd linguam absciderat condempnati, ne ipsum etiam accusaret. Tunc dictus Magister Justitiæ super his habens consilium cum Duce Duratii, dictum Terlicii Comitem ordinaverunt intercipi: quod statim fecerunt, eumque captum in hospitio suo cautè horâ tardâ fertur in hospitio Ducis Duratii tunc captivus. Tunc Dux idem, vocatis universis familiaribus suis ad arma, statim Galêam unam suam ea nocte fecit armari, & statuens illam in portu Sancti Vincentii subtus Palatium suum Neapolis, dictum Terlicii Comitem eadem nocte unà cum Domina Chancia & Magistressa, quas similiter acceperat ea nocte, in eadem Galêa immiserunt. Mane autem facto dictus Dux juxta quod simul ordinatum erat per ipsum Ducem & Magistrum Justitiæ, is qui præerat dictæ Galêæ in antenna arboris dictæ Galêæ eumdem Terlicii Comitem tormentabat, & consequenter Dominam Chanciam, & postea Magistressam. Quorum confessionibus fideliter in scriptis secretò acceptis super Galêa præfata, ecce prædicta Regina audacter misit Dominum Raymundum de Catania & . . . . Consiliarios & familiares suos ad Ducem Duratii sæpe dictum, requirentes eum & Magistrum Justitiæ supradictum, quòd eosdem captivos & tortos protinus liberarent, & eos ulteriùs non præsumerent retinere, aliter contra eos demum Reginalis potentiæ iram se noverint incursuros. Accedentibus itaque nuntiis supradictis ad eosdem Ducem & Magistrum Justitiæ nuntiaverunt Ambassiatam eorum Dominis eisdem; quibus responsum est per Dominos ipsos, quòd salvâ reverentiâ Dominæ Reginæ non deberent impedire vindictam mortis tanti Domini viri sui. Ipsi autem nuntii, accepto responso præfato, descendentes de Castro Ducis præfati infra se ipsos verbis furiosis & minacibus loquentes incedebant. Quæ verba statim relata sunt dictis Dominis. Et confestim quidam de Consiliariis dicti Ducis ait eisdem Dominis. *Domini reverendi scitote, quòd hi duo nuntii per eosdem tortos de morte dicti Ducis Andreæ publicati, digni sunt constringi*. Eo namque tempore propter tanta mala imminentia Palatium dicti Ducis in portis singulis custodiebatur sagaciter & studiosè, sicque priusquam egrederentur jam dicti Ambassiatores, mandatum fuit per eosdem Dominos illos capi, & coram eis iterum reportari. Igitur præfati Ambassiatores nondum egressi omnes portas, quum nullus absque licentia tunc intrare & exire audebat, ad exteriorem jam pervenerant portam claustri, sed antequam janitor clavem seræ apponeret, ut aperiret eisdem volentibus egredi, ecce quidam scutiferi dictorum Dominorum ab alto clamantes dixerunt dicto janitori, ut nullum exire permitteret. Alii autem scutiferi post ipsos Ambassiatores festini cucurrerunt, & capientes eosdem ducebant illos ad Dominos memoratos. Illi autem Ambassiatores, pensatâ eorummet culpâ, nullo modo volebant ad Dominos ipsos redire, sed moliebantur omnino exire Palatium. Occurrunt interim quamplures scutiferi Dominorum ipsorum, & eos quia milites erant, & personæ honoratæ, opprimere verebantur. Tunc mandatum est per eosdem Dominos, ut ipsi etiam Ambassiatores deponantur in galêam ad tormenta. Tunc scutiferi ipsi vi capientes eosdem, induxerunt eos in dictam galêam, & ligato dicto Domino Raymundo, elatus est per brachia in antenna prædicta, & præcipitatus ab alto ultra . . . . . . es ampliùs sustinere nequivit, quia senex erat illa tormenta, clamabat se velle dicere veritatem. Deposito itaque ipso milite, & eo coram Notario constituto, confessus est suam culpam, & totum negotium, quale à primo processit usque ad finem mortis dicti Ducis Andreæ, confessus est, videlicet quòd Dominus Robertus de Cabannis miles, magnus Regiæ Curiæ Senescallus fuerat causa mortis Ducis ejusdem. Et sero facto obscuro dicti captivi carcerati & torti in carcere Palatii dicti Ducis reponuntur sub custodia diligenti. Et dum ea nocte in dicto carcere morabantur, unus alterum captivorum ipsorum inter se increpabant dicentes: quòd *tu consuluisti, & initiator fuisti mortis Ducis prædicti*. Alter respondebat: *mentiris, quia tu fuisti*. Tunc maligna Chancia dixit, confidens in sua nequitia: *quid inter vos hæc verba profertis? nulla nobis jam excusatio valet, ut nostra culpa non moriamur. Etenim nostro delicto pejora meruimus. Uno tamen læta morior, quòd dum fui in mundo, fui meo corpore valde gavisa*. Et incipiens alludere cum Comite Terlicii dicebat: *inique senex recordare, quando mecum concubuisti in camera. Verùm de te sum prægnans. Sed sciat unusquisque, quòd ex prægnantia mea mortua fuit Agnes Ducissa Duratii, quando permutavi urinam suam, & posui meam, qua prægnans eram. Et propterea Dux Duratii, audito à medico matrem suam esse prægnantem juxta signum urinæ sibi ostensæ, de infirmitate matris non curavit, sed eam mortem potiùs affectabat; deinde autem ut citiùs moreretur dicta Ducissa, in cristerio sibi parato venenum apposuit. Multa alia opera etiam feci, propter quæ si amodo mereor necari, sum contenta. Nolite ergo dolere, sed consolamini usque ad diem mortis vestræ*. Mane autem facto nuntiata fuerunt dicto Duci Duratii verba prolata per Chanciam memoratam de morte matris suæ, & valde condoluit, & sic publicata fuit mors Ducissæ præfatæ.

Tunc præfati Dux & Magister Justitiæ, convocatis eorum armigeris infinitis, præfatos omnes ad Curiam Magistri Justitiæ portari fecerunt . . . . . meritis . . . . . atum est. Et dum pro tribunali sederent ad ferendam sententiam, ecce indicatum est dictis Dominis, quòd Magnus Senescallus . . . . ea hora . . . . staret. Quo audito statim præfati Domini universo Populo adunato & eorum armigeris . . . . proditionis circumdederunt undique, & eum . . . . ceperunt, & vinctum adduxerunt eum ad Dominos memoratos, & . . . . . suum hospitium singulis . . . . . fuit . . . .

Adducto . . . . . . ad conspectum Dominorum ipsorum . . . . diris tormentis ex . . . . . ultra . . . . . clamavit se . . . . . veritatem . . . . . . à primo usque ad finem.

Igitur sequenti die clamante universo Populo contra eos, carcerati ipsi ad mortis sententiam condemnantur. Tunc dictus Magister Justitiæ fami-

familiam suæ militiæ armari mandavit, & paratis carrectis, & forgiis igneis, carnificibusque appositis in eisdem, præfatum Terlicii Comitem in unam carrectarum ipsarum catenis ferreis alligatum, & præfatum Magnæ Curiæ Senescallum in altera poni mandavit: Præfatum autem Dominum Raymundum nudatis vestibus frustari mandavit usque ad Forum Sancti Eligii de Neapoli. Et postea cum prædictis Comitibus igne comburi. Prædictam autem Magistressam simili pœna damnatam idem Magister Justitiæ condemnavit. Ecce ducuntur ad vindictam damnati præfati, & carnifices cum tenaliis igneis carnem eorum absque misericordia sæpe mordentes, & alii corpora eorum funibus verberantes, per unamquamque Rugam Neapolitanæ Civitatis ducuntur, singulis clamantibus à majori usque ad minimum: *sic decet proditores singulos vestros pares simili & pessima pœna plecti*. Aliqui exspuebant eis in facie, alii lapidibus eos cædebant. Dum igitur pervenirent ad locum, quo ignis erat paratus, licèt in eorum corporibus caro modica superesset morsibus tenaliarum ignearum, Dominus Robertus præfatus paulò ante emiserat spiritum, dictus autem Terlicii Comes vivus adhuc erat. Tolluntur itaque de carrectis, & igni apponuntur etiam & ii qui frustati fuerunt. Et dum ponerentur ad ignem tantus inibi concurrit Populus Civitatis visurus vindictam, quòd omnes furioso animo corpora eorum viva & mortua sicut erant de igne tollentes, gladiis incidebant, velut ligna, & projiciebant ad ignem, & multi quidem artifices de ossibus eorum accipientes aliqui taxillos, aliqui manicas cultellorum fecerunt ad rei memoriam sempiternam.

Domina autem Chancia supradicta, quia prægnans erat, decretum fuit per leges, quòd differretur mortis suæ sententia usque ad partum; verumtamen carceri cum diligentia conservatur.

Nuntiatur itaque vindicta eorum undique per Regnum, & bona eorum omnia dissipantur. Tunc Comitissa Terlicii viri sui miseri novis auditis, filium suum Lodoicum accipiens, in quodam Monialium Monasterio se reclusit occultè apud Monopolim, & ibi in abscondito mansit per aliquod tempus. Bona verò sua omnia tam mobilia, quàm stabilia dissipantur, & velut proditoria posita sunt in stragem.

Præfatus autem Dux Duratii, & Magister Justitiæ, eorumque sequaces, arta persequutione confessatorum homicidarum solicitè intendentes & semper se potiùs ad potius fortificantes, ad prosequendam innocentis Ducis vindictam, cum eis concurrit Populus universus. Tunc Dominus Lodoicus de Tarento reputans se confusum ex publicatione mortis Ducis jam dicti, adunatis sibi quampluribus suis sequacibus familiaribus & malandrenis partium Principatus & Terræ-Laboris, videlicet Johanne Rebellato, Marco de Nucella, & pluribus aliis caporalibus malandrenorum, quos Civitatem Neapolis ingredi fecit, & secum tenebat, ponens semper insidias, qualiter posset offendere dictum Ducem Duratii, vel Magistrum Justitiæ supradictum, qui vindictam interfectorum dicti Ducis Andreæ in suum vituperium sitiebant. Et adunata gente copiosa, qua sperabat convincere Ducem præfatum, illam in Castro Sancti Erasmi composuit, ut habitis insidiis, quando Ducem Duratii equitare per Terram solito more contingeret, subitò in illum insurgerent, ut eum occidant.

Nuntiatis itaque talibus actibus Duci præfato, idem Dux statim dictum Magistrum Justitiæ vocari fecit, aliosque Comites & Barones sequaces suos, & habito consilio mutuo super causa providerunt modum tenere, quo dicta congregata gens penitus vastaretur. Ordinaverunt autem, ut sequenti mane unusquisque per partes suas haberet gentem paratam ad arma, & primi quidem familiares dicti Magistri Justitiæ insurgerent contra reconditos malandrenos. Quum autem gens dicti Domini Lodoici gentem dicti Magistri Justitiæ de sursum Castro præfato sequantur, usque ad Rugam Corrigiarum in planitie spatiosa, tunc unusquisque cum gente parata circumquaque concurrat ad malandrenos eosdem, ut eos habentes in medio, vix nullus evadat. Et sic factum est, & statutum. Mane autem facto juxta præfatum ordinem exiit gens Magistri Justitiæ armata manu, & iter accipiunt versùs Castrum Sancti Erasmi, & dictis illic stantibus convocatis, statim ad arma concurrunt, & aggressi aggredientes sequuntur viriliter, ac illi potiùs fugere se fingentes, & illi libentiùs insequentes, usque ad planam Rugam Corrigiarum sic pugnando devenerunt. Præfatus autem Dux Duratii paratam gentem habens per Fratrem Morialem Caporalem gentis suæ, per posteriorem Portam sui Palatii ultra Jardenum gentem suam exire mandavit, & simul dicta gente cum alia suorum sequacium in locis circumstantibus ordinata, aggressi sunt viriliter & potenter exercitum dicti Domini Lodoici, quod quasi modici evaserunt ex illis. Illi autem, qui tunc evadere potuerunt equorum auxilio usque ad pedes montaneæ Sancti Erasmi, dimissis equis, subsidium arborum & montaneæ requirunt, & per fortelicia dictæ montaneæ recuperaverunt ad Castrum prædictum. Et ecce pejora scandala prioribus sunt inita, quibus omni quasi die guerra campestra fiebat.

Tunc præfata Imperatrix, videns guerram filii semper succumbere, statim Civitatem Neapolitanam exiit cum valida manu militiæ; cogitaverat autem proditionaliter Carolum Artus habere in manibus, qui stabat in Sancta Agatha viriliter & potenter, (quæ Terra est valde fortissima in cacumine montis constituta, & in altiori cacumine dicti montis Castrum fortissimum habet plenum magno thesauro) ut habito dicto Carolo in manibus, thesaurum illum maximum sibi acciperet. Et abiens ad Terram eamdem, ipsam undique circumdedit; qua causa dictus Carolus vehementiùs mirabatur, quoniam sciebat, eam fuisse participem commissi delicti, quæ ipsum venerat hostiliter obsidere. Et misit ad eam tunc nuntios suos dicens: *Numquid, Domina, hoc est meritum, quod mihi præstat verborum vestrorum suasio, quia me venisti hostiliter invasura? Quid sibi vult talis invasio? Obsecro, Domina; legaliter redde responsum; & mihi legalis sis, sicut fui vobis ego, & filius meus*. Tunc Imperatrix præfata fallaci animo eisdem nuntiis dedit lene responsum, & ait in secreto eisdem: *Carissimi, dicite ex nostra parte Carolo fideli amico nostro, nos velle cum eo expressiùs alloqui in secreto de causa, quæ commune tangat commodum & honorem; nec vacillet in eo, quo videmur contra ipsum hostiliter advenisse. Nam hoc vitiosè fecimus certa de causa, quam sibi in habendo colloquio prædicemus. Scimus autem ipsum esse gravi podagræ infirmitate gravatum, quare ipsum ad nos non venisse nequaquam miramur. Ex quo ipsum ex nostra parte salutetis & confortetis, sibique dicetis, nos velle cum Domino Nicolao de Aczajolis* Con-

Consiliario nostro dilecto, aliisque decem militibus Terram ingredi, si dignetur, & deinde cum eisdem ad Castrum ascendere, secum nostrum colloquium habitura, quod non est nuntiis referendum.

Tunc nuntii illi responsione accepta hilari animo accedunt ad Dominum, & sibi verba præposita seriosiùs retulerunt, præsente ibidem Berterando filio suo. Igitur Carolus præfatus, sciens à certo se cum dicta Imperatrice unius criminis esse collegam, & diligenter consideratis verbis Imperatricis ejusdem unà cum filio suo præfato, assentierunt blandis eloquiis Imperatricis ejusdem, & nesciverunt discernere latentes insidias venenosas. Tunc misit idem Carolus filium suum prædictum ad Imperatricem jam dictam, ut eam intrare permitteret, reverenter. Et adiens ad eamdem cum reverentia maxima suscepit eamdem, & ipsam intrare permisit, & jussit confidentes omnes volentes intrare, ut securè & liberè intrare permitterentur. Et sic omnibus de exercitu dictæ Dominæ patefacta est janua Civitatis, & gaudentes per tabernas Terræ ejusdem singuli incedebant ad velle eorum.

Ascendit itaque Imperatrix jam dicta Castrum Caroli præfati, & ingrediens cameram, in qua jacebat Carolus prædictus, læto vultu salutavit eumdem. Mandaverat autem Imperatrix ipsa sui exercitus Marescallo, quòd paulatim paulatim cunctum exercitum ingredi faceret Civitatem, nemini displicendo, sed læto & placido visu singuli introirent. Et singulis introductis sibi referre curaret. Quod dictus Marescallus cum diligentia faciens, omnibus placidum se ostendens, singulos in Terram post horam modicam introduxit, & illis introductis Dominæ nuntiavit, juxta quod sibi fuerat demandatum. Dicta autem Imperatrix animo fallaci per inania verba blanda ducebat Carolum eumdem. Sed ut scivit cunctum suum exercitum introisse, & esse promtum ad arma juxta ordinem eis datum, erigens se ipsam erga Carolum prædictum, vultu feroci, & manu tenaci apprehendit eumdem dicens: *iniquissime proditor, ecce tuis exigentibus meritis delictorum manus nostras evadere nequivisti*. Et jussit suis militibus eum viriliter comprehendi. Quod factum est. Jussit etiam eo instanti filium suum capi, ut eodem momento pater & filius capti essent. Aliis autem mandaverat, in eodem punto fortilitia capi dictæ Terræ, ut acceptis fortilitiis undique Castri & Terræ, nulla posset in eos insurgere potentia gentis Terræ. Quod factum fuit in eodem momento. Quod videntes Carolus miser & filius sub spe fidei fuisse deceptos, præcipuè per eam, à qua subsidium consperabant, dolentes amarè flebant lachrymis, & horridis vocibus ululabant; sed tristiorem se recensebat miserrimus Carolus idem, quia infirmitate pessima gravatum in lecto sic proditoriè capi ipsum fata sua permiserant suorum exigentiâ delictorum.

Præfata tunc Imperatrix dictis Carolo & filio de personis acceptis jussit statim prædictum Berterandum ad Castrum Melfiæ transduci captivum, ibique cum diligentia custodiri; prædictum autem Carolum ibidem secum retineri mandavit. Et jubens dictum Carolum coram ea deferri, petiit velle ab eo scire suum thesaurum, quem dictus Carolus dolenti animo indicans, & demonstrans, dicta Imperatrix hilari sibi vultu thesaurum ipsum accepit innumerabilem, & infinitam argenti laborati copiam inæstimabilis pretii & valoris, magnasque divitias & opulentas cameras invenerunt ibidem, quas singulas sibi recepit.

Divulgatâ itaque famâ captionis dictorum Caroli & filii, statim præfatus Magister Justitiæ ad eamdem Imperatricem nuntios suos misit, ut captivos eosdem Carolum scilicet & filium, morte Ducis Andreæ famâ proditores annotatos ad eum transmittere dignaretur, suis meritis pœna debita puniendos. Tunc dicta Imperatrix dictis nuntiis superbè respondens, noluit eis tradere captivos eosdem, asserens se velle de eis justitiam facere, siquidem illos culpabiles inveniret, & nuntios illos statim remisit.

Interea morante ibidem adhuc Imperatrice præfata, præfatus Carolus totali misericordia desperatus, subitò miseram tradidit animam in manibus inimici. Quem dicta Imperatrix ad suam excusationem in posterum, si contingat, corpus dicti Caroli in corio magno tauri mandavit includi, & ad Castrum Beneventanum illud transmisit per Officialem Summi Pontificis conservandum. Prævidebat enim dicta Imperatrix, quòd de morte tanti Domini Ducis Andreæ in conspectu Summi Pontificis & aliter esset justitia requirenda, & penuria maxima sequutura. Et ideo procedere cum cautela tentabat; & dictum Carolum & filium ad hoc cepit, ut nil proditorium posset in ea cum veritate notari, ubi proditores dicti Domini Ducis Andreæ ipsamet persequi procuravit. Sed hoc non animo destructionis prædictorum peregit, sed causâ habendi thesaurum miseri Caroli Artus. Præfatus autem Berterandus captivus existens in Castro Melfiæ, scita morte miseri patris sui, paucis supervivens diebus, omni velut auxilio desperatus, obiit rabie pessima velut canis.

Demum Imperatrix præfata Neapolim rediens Castrum Regium ingressa est cum Regina & filio moratura, & nuntiatis sibi gestis omnibus post suum accessum, & maximè quòd Dux Duratii miserat causâ adventus Regis Hungariæ ad hoc Regnum de sui fratris nece vindictam sumturi, & qualiter Dux idem Legam maximam fecerat cum Comitibus & Magnatibus Regni hujus, præcipuè in partibus Aprutinis, & qualiter idem Dux ad perfidam guerram semper erat cum Lodoico prædicto, atque Regina, subitò nuntiatum fuit eidem Imperatrici, quòd Dominus Jacobus de Cavalcantibus suus Guerrerius in eisdem partibus Aprutinis inimicorum potentiâ de Aprutinis partibus discessisset, Terras & Castra quondam Caroli præfati sibi pro majori parte potentialiter subjugasse, & apud Melfiam præsens esset, inibi quieturus. Nuntiaverat autem literis suis Miles præfatus, quòd in partibus Aprutinis inimicorum potentia prævaleret ex maxima Lega facta per Ducem Duratii memoratum, & jam majorem partem acquisitorum Casalium & Castrorum nomine suo, nisi se pro Duce Duratii appellarent, igne consumserat. Videntes itaque dicta Imperatrix, & filius, ac Regina potentiæ dicti Ducis cum superbia non posse obsistere propter Regnicolarum sequelam amoris, mutaverunt propositum litigandi, velle dictum Ducem promissionibus & donationibus ad eorum velle subvertere, ut efficerentur muneribus ipsis amici perfecti & cordis unius, & incœperunt in Neapolitana Civitate mutuas lites cessare, dicto Duce, suisque sequacibus admirantibus de cessatione præfata.

Ad hæc Dux Duratii supradictus Civitatem Tro-

Troyæ per Dominum Angelum de Sancto Severo Justitiarium Terrarum Apuliæ capi pro se jussit, & captam possidere. Quod factum est. Deinde Cidiniolam adveniens, quæ fuerat dicti Caroli Artus, illam fossatis maximis fecit optimè circumdari, & bene muniri, & inventa inibi victualium multitudine copiosa, illa apud Barolum transmisit venalia, quæ fuerant Caroli Artus, qui fuerat Dominus dictæ Terræ. Tunc Justitiarius supradictus apud montaneam Sancti Angeli, aliis Ducalibus negotiis occupatus, rediens dimissis inibi Locumtenente suo, & certis familiaribus, pluribusque aliis convocatis de Civitate Gravinæ, quæ erat Ducis prædicti, ad ipsius Terræ custodiam diligenter demum morantibus ibidem illis de Gravina per mensem unum & ultra, quia volebant illos ad expensas proprias retinere, subitò abinde recesserunt, & reversi apud Gravinam. Dominus autem Jacobus de Cavalcantibus supradictus quadam nocte de Melfia veniens ad dictam Terram Cidiniolæ, illam summo diluculo ingressus est violenter, & capiens Locumtenentem prædictum & familiares alios, quos habere potuit, ad Castrum Melfiæ transmisit captivos. A quo Locumtenente, priusquam liberaretur, habuit Uncias XL. & sic remansit ipsa Terra Domino Lodoico præfato contra voluntatem Ducis Duratii supradicti.

Interea nuntiatum est Domino Lodoico & Reginæ præfatæ, quòd in partibus Aprutinis novelli perrexerant inimici contra eosdem pro parte Regis Hungariæ in Civitate Aquilæ, qui contra Terras & Castra eorum, præcipuè contra Civitatem Sulmonensem, guerram faciunt & prædantur. Igitur vocato per eorum literas, & Imperatricis præfatæ, Domino Jacobo de Cavalcantibus supradicto apud Neapolim, statim idem Miles accessit. Tunc mandatum est sibi, quòd accepta gente armigera versùs Aprutium se conferret. Miles igitur ipse recepta competenti comitiva gentis armigeræ, versùs Aprutium se contulit indilatè, & applicans Civitatem Sulmonæ, scire voluit, quæ gens sit adunata de novo contra Dominum Lodoicum præfatum. Tunc responsum est ei, quòd Dominus Lallus de Aquila talem gentem induxerit contra eos, & dicitur esse pro parte Regis Hungariæ contra Reginam præfatam. Tunc Miles idem habita ibidem quiete dierum aliquorum, quodam die cum suis complicibus equitavit in prædam versùs Aquilam contra gentem præscriptam, & ibidem sæpiùs militando prædabat homines Aquilanos. Tamdem dum successivis diebus uno semel equitaret, exivit à prædicta Civitate Aquilæ nobilis concio gentis armigeræ obviam Militi memorato; & obviata utraque parte in campo hinc inde, & ad invicem duriùs prœliato, pluribus hinc inde mortuis & percussis, contigit suo infortunio dictum Dominum Jacobum per adversarios comprehendi in manu salva, & ad Civitatem Aquilæ transduci captivum. Tunc socii dicti Militis videntes eorum Comestabulum defecisse in prœlio versis tergis prœlium dimiserunt, & plurimi quidem ex eis capti sunt, & plurimi interfecti. Et redeuntes ii, qui evaserant, apud Neapolim post paucos dies se expressiùs contulerunt, & præsentes coram Domino Lodoico, præfata Regina, & Imperatrice, retulerunt ei casum dicti Militis, & omnia contingentia post eumdem.

Auditis itaque novis præfatis valde dolentes existunt Dominus & Dominæ pralibatæ, &

A maximè quum audiverunt, quòd pro parte Regis Hungariæ prœlia ista fiebant. Adducuntur itaque propterea ad diversas cogitationes, & paulò minùs vivere se non credunt, eo quòd divisio maxima erat inter eos, videlicet cum Duce Duratii & quampluribus magnatibus Regni hujus sequacibus dicti Ducis. Quorum tractatu dicta gens Regis Hungariæ eis advenerat inimica. Tunc super causa bene pensantes cogitaverunt se velle in totum cum Duce Duratii & omnibus aliis suis sequacibus esse concordes ad omne velle Ducis prædicti.

Vocato itaque Duce præfato ad prædictam concordiam faciendam, nuntiatam sibi primò per Ambassiatores idoneos, convenerunt ad in-
B vicem loquuturi super materia in Jardeno Reginæ præfatæ; & habito simul colloquio diligenti, Dux miser suum animum inclinavit ad voluntatem illorum, ex eo quòd Regina præfata sibi dare spondebat Ducatum Calabriæ, quod pluries repetivit. Dum tamen dictus Dux cum suis sequacibus, qui in Aprutinis partibus fecerat Legam magnam cum exercitu valde forti, ad stipendia dictæ Reginæ accederet pugnaturus, & confirmatis pactis jussit Regina præfata Privilegia fieri opportuna de donatione præfati Ducatus Calabriæ, & aliis pactis quæsitis per ipsum Ducem sibi post ipsum in Aprutinam provinciam transmittenda.

Promisso itaque per Ducem prædictum se
C versùs Aquilam hostiliter accessurum per Reginam præfatam contra hostes novellos, scripsit idem Dux universis suis sequacibus scutiferis & familiaribus, ubicumque per Regnum sistentibus, quòd apud Neapolim protinus se conferrent armis & equis decenter muniti, associaturi eum cum exercitu constituto, versùs Aquilam pugnaturi. Tunc universi scutiferi & familiares Ducis ejusdem, mandatis & requisitionibus dicti Ducis animo promto parentes, concurrunt ad eum apud Neapolim, & universo exercitu congregato ibidem, omnique exercitus apparatu, infra breves dies universum jussit exercitum amoveri, & versùs Aquilam transfretari.

Interea contigit Imperatricem præfatam infir-
D mitate gravari, & in lecto graviter per dies aliquos ægrotare; sicque paucis supervivens diebus exstitit vita functa.

Et dum Dux Duratii moraretur cum dicto exercitu, ubi erant tria millia equitum, & peditum sinè numero, in flumine subtus Civitatem Aquilæ castrametatus est exercitus memoratus, ibique per menses tres & ultra moratus est tempore æstivo, de mensibus scilicet Madii, Junii, Julii, & Augusti . . . . Primæ Indictionis. Et manente ibidem exercitu memorato omni die quasi continuè ii, qui in Aquila morabantur, quandoque de nocte, & quandoque de die super exercitum dicti Ducis currebant, & sæpe capiebant captivos. Inter homines dicti exer-
E citus plurimi erant Neapolitani decorè armati, & equis, sed in prœliis minùs audaces. Moris enim est Neapolitanorum ubique caput semper comere, & visum lavare more mulierum, non soliti jacere sub armis, sed lectis mollibus & plumaciis. Si quando gens Aquilæ currebat in illos, semper versis tergis fugiebant, ictus validos pertimentes. Videntes itaque Neapolitani milites & scutiferi inimicos potiùs prævalere, paulatim ab exercitu discedebant, & versùs Neapolim remeabant, de dicto Duce parum, & de Regina minùs curantes, infirmitatis occasione subjuncta ex labore armorum.

Ad hæc nuntiatum est dicto Duci, quòd Regina

gina desponsata sit per Dominum Lodoicum præfatum, & promissioni sibi factæ penitus defecisse. Mox idem Dux videns se delusum per Reginam eamdem, cum universo exercitu abinde discessit, & ad Comitatum suum Albæ perrexit, ibique per dies aliquos conquiescens consequenter Neapolim remeavit. Et ecce sunt ad pejores errores & brigas cum Regina præfata & Domino Lodoico; & adunata gente armigera per partem utramque, semper unus alteri mortis insidias præparabat.

Comites autem & Barones omnes, Milites, Scutiferi, & personæ aliæ, qui fuerant cum Duce præfato in exercitu memorato, acceptâ licentiâ, quilibet ad propria remeavit. Comes autem Fundi, qui simul cum præfato Duce fuerat, sequaxque erat Ducis præfati, acceptâ licentiâ, pluribusque secum consociis requisitis, unà cum gente sua subitò accedens Gajetam, quodam die suos inimicos singulos interfecit, eorumque domos & possessiones singulas dissipavit, & divitias abstulit copiosas de suis modicis superstitibus inimicis. qui versùs Neapolim fugientes, coram Regina & Domino Lodoico præfatis de Comite Fundi graviter sunt conquesti, quòd bona eorum omnia tulerat, possessiones & domos ignis incendio concremasset, plurimosque parentes eorum nequiter occidisset, honore postposito Reginali.

Tunc Regina & Dominus Lodoicus Gajetanorum murmure exaudito, præfatum Comitem Fundi citatoriis literis prævenerunt, ut coram eis Neapoli se præsentet, dictis Gajetanis super causa sibi objecta se mediante justitia defensurus. Dictus autem Comes breviter eis respondens, ad eorum clamorem penitus venire negavit, sed muniens se, suasque Terras fortilitiis opportunis, apud Tragectum Terram suam cum suis stipendiariis & familiaribus potentissimè morabatur, mandata Reginalia parum timens.

Videntes autem dicta Regina, & Dominus Lodoicus, præfatum Comitem sua mandata contemnere, per statutos Legis terminos ipsum in Curia evocatum banno supponi, mediante justitia suâ contumaciâ mandaverunt, & exspectantes ipsum per dies aliquos atque menses æquitate media, dictus Comes de malo in pejus in ejusdem Reginæ dedecus, & suorum æmulorum pressuram, fideles singulos dictæ Reginæ, suosque inimicos præcipuè, eorumque sequaces acriùs sequebatur, prædando & carcerando homines fidelium Urbium Reginæ præfatæ, nomine inclyti Regis Hungariæ. Ob cujus persequutionem singulæ Terræ continuò territæ factæ sunt, & quasi rebelles Reginæ præfatæ. Quibus ad notitiam præfatæ Reginæ deductis, fama volante, præfata Regina eumdem Comitem ad se citatoriis literis evocari mandavit expressiùs, ut statim apud Neapolim se conferret, eum de persona fictitiè assecurans, significans sibi, quòd si mox ad mandata sua venire contemserit, iram Reginalis potentiæ & sui crudelis exercitus super se suaque Castra incursurum. Se subitò recognoscat, & nomine proditorio interceptum proditoris sententiam auditurum.

Igitur præfatus Comes literarum Reginalium serie intellecta, & minis cognitis atque fraude, sub brevitate verborum rescripsit præfatæ Reginæ, se nullatenus suo dominio fore subjectum, sed dominio inclyti Regis Hungariæ, cujus honore & fidelitate contra eam amodo nititur impugnare, seque deinceps suis jussionibus nullatenus obedire. Si verò suum exercitum contra

A eum suaque Castra dirigere vellet, ut scripserat, ecce se promtum obtulit fidelitate præscripta in Castro suo Tragecti suum exercitum exspectare in campis, seque potentissimè defensurum.

Tunc præfata Regina responsalibus dicti Comitis acceptis, eas ordinato Consilio legi jussit, & lectis, earumque tenore suscepto, eumdem Comitem consilio sibi dato forjudicationis sententia condemnavit, & proditorem Reginalis culminis publicavit, suaque Castra, Terras, & Casalia varia distributione donatas divisit suis Comitibus & Consiliariis, & paratum exercitum suum, convocatis Gajetanis suis æmulis, aliisque quampluribus, super eumdem Comitem

B provocavit. Adiens autem dictus exercitus in manu forti contra Comitem supradictum, & adhærens Castro Tragecti, in quo præfatus Comes cum suis potenter armigeris & stipendiariis consistebat, castrametatus ibidem, eumdem Comitem obsederunt. Comes autem idem, actibus bellicis semper expertus, videns se non esse tantæ potentiæ, qua posset resistere exercitui memorato in campis, vitiosè finxit se in Castro morari, & jussit singulis habitantibus Castrum ipsum tam maribus, quàm fœminis, ut solâ Rugâ rectâ Plateæ apertâ dimissâ, singulas Rugas alias fabricarent per partes diversas, omnesque portas domorum totius prædictæ Urbis vel Castri similiter fabricarent, tam in prædicta

C Ruga dimissa aperta, quàm generaliter per totam eamdem Urbem, ut alieni viri Urbem intrantes credentes neminem habitare ibidem, dimissis equis & armis circa prædam robbæ Urbis ejusdem cum aviditate incedant. Jussit etiam, quòd nullus vir aut fœmina dicto exercitui se ostendat die sequenti, sed sub silentio in eorum domibus stent securi, & unusquisque eorum, marium scilicet & mulierum, lanceam & balistas habentes in manibus, in prædicta aperta Ruga præcipuè per factas fenestras & foramina in muris domorum ipsarum, quum in Ruga eadem inimicus exercitus aderit, per fenestras & foramina ipsa equos feriant atque viros, nihil loquendo, sed tacito ore manentes.

D Ipse autem Comes cogitaverat nocte sequenti se cum suis stipendiariis & sequacibus, & familiaribus suis post Urbem prædictam recondere, ut mane sequenti dicto inimico exercitu appropinquante in Urbem eamdem, quum viderint per muros Urbis ipsius masculos nec fœminas eis obesse, Terram ipsam securo animo introibunt, & quum videbunt singulas Rugas clausas, & januas fabricatas, singuli concurrent ad rectam Rugam apertam; & habitis insidiis & signis de ipsorum inimicorum introitu in Ruga præfata, statim idem Comes cum suis armigeris post terga feriet æmulorum dicti exercitus in arcta Ruga præfata, nec per alias Rugas exire poterunt, & sic ibidem universi peribunt.

E Quod factum est, & verè talis ordinatio fuit certa ad consumtionem exercitus inimici.

Dato igitur ordine memorato, singulis habitantibus Urbem eamdem, & eodem ordine effectui debito demandato per statutos ad id, idem Comes die illo, quo dictus exercitus adiit dictam Urbem, & ibidem obsidionem constituit, armata manu super muros Urbis ejusdem, potentissimè se ostendit, & cum æmulis dicti exercitus eo die pugnavit viriliter usque ad Solis occasum. Fingebat enim se dictus Comes cum suis non posse resistere, sed semper retrocedebat ad Urbem, ad sequelam suam suos animans inimicos, quo usque assecurarentur ini-

mici præfati, mane sequenti Urbem intrare, quando per muros quempiam non videbunt, sed firmiter crederent, quòd per hesternam pugnam commissam, quam ipso die dictus Comes & sui vix pertulerunt, nemine apparente, fugissent nocte præfata.

Quum serò autem factum esset, unusquisque vir exercitus supradicti ad tentoria rediverunt quieturi, & statutis excubiis circumquaque, singuli de dicto exercitu conquiescunt. Præfatus autem Comes & sui Consiliarii jusso silentio per Urbem præfatam, & excubiis diligentibus constitutis, Urbem eamdem tocta nocte custodiens conservavit. Appropinquante itaque hora auroræ luciferæ, idem Comes ad constitutam postam reconditurus se cum suis armigeris properavit, & singulos habitantes Urbem eamdem juxta præstitum ordinem quemlibet in domicilio proprio sub silentio stare jussit, quo usque inimicus exercitus introierit. Statuerat autem, ut in prædicta Ruga fortiores & promtiores viri consisterent, & ad sonum buccinæ suæ dato signo per interiores fenestras, & domorum foramina cum balistis & lanceis introductum inimicorum exercitum percuterent, postquam audirent buccinæ suæ sonum.

Mane autem facto inimicus exercitus ad arma consurgens, Urbem eamdem promtissimè sunt aggressi, & adhærentes muris & fortilitiis dictæ Urbis nullum invenerunt defensorem. Et sic admirati sunt vehementer, deliberatoque inter eos, quòd hesterna die prædicta vix ad modicum eorum aggressum homines dictæ Terræ resistere videbantur firmiter, quòd hesternis prœliis territi, futuraque timentes, nocte ipsa prædicta singuli fugissent. Sed adhuc trepido corde sistentes ne decipiantur, quosdam miserunt insidiatores intra Urbem præfatam, qui accedentes ingressi sunt dictam Terram, & inspicientes, neminem viderunt masculum nec fœminam habitantes, nisi canes tantummodo ululantes. Et redeuntes ad exercitum memoratum nuntiaverunt se quasi majorem partem Urbis pedetentim perquisivisse, & neminem invenisse, nec audivisse, nisi canum tantummodo ululatum, omniumque domorum januas stare clausas. Tunc universus exercitus avido animo Urbem ingrediens, per rectam Rugam apertam præfatam equites & pedites singuli decurrunt, & omnibus introductis, antecedentibus præcursoribus, Rugam rectam incedunt, quum ad alias transire nequirent, credentes invenire aliarum Rugarum transitum, quin valerent discurrere dictam Urbem.

Præfatus autem Comes & sui armigeri, per constitutas insidias signo recepto ingressus exercitus memorati, statim per eumdem ingressum, per quem inimicus exercitus fuit ingressus Urbem eamdem, ingressus est Comes idem, & invênit quasi pro majori parte dicti exercitus esse pedes armis depositis ad desfabricandas januas domorum urbis ejusdem, ut exinde reciperent cunctas robbas. Et irruens viriliter super eos, pulsatâ buccinâ suâ juxta signum datum hominibus dictæ Urbis, universi de dicto exercitu inimico territi inimicorum insultibus, homines equites pedites eorummet affollabant in parcitudine dictæ Rugæ. Interiores verò viri Urbis ejusdem buccinæ pulsus signo recepto, per foramina & fenestras domorum dictæ Rugæ, viros & equos inimici exercitus feriebant, lancearum & balistarum duris ictibus occidendo, nec poterant ab utroque latere evadere percussiones eorum, arctus quoniam locus erat, & percussores ab utroque latere feriebant. Comes autem præfatus cum suis armigeris promtissimè super æmulum exercitum feriebat, & eorum plurimos occidebat; plurimos feriebat, & plurimos carcerabat, nec poterat inimicus exercitus quomodolibet se tueri contrà multifarios percussores. Tamdem universi dicti exercitus viri mortis timore confusi, reclusi velut pisces in retibus, armis depositis, & currentibus equis dicto Comiti clamantes vitæ veniam postularunt.

Tunc Comes præfatus misericordia motus, jussit omnes arma deponere, & equos descendere, quod factum est. Et statuens se ipsum ante Portam Urbis ejusdem jussit ejusdem exercitus viros singulos coram se duci inermes ante Portam eamdem per quosdam ad id propterea constitutos. Adducitur autem unusquisque coram eo inermis, & siquidem stipendiarius, aut Neapolitanus, aut persona sibi suspecta non esset, depositis vestibus & calceamentis omnibus in interiori parte Urbis ejusdem singulos vivos, nudos tamen, permittebat abire, cuilibet eorum cedulam scriptam dabat: *Ego enim sum de robba, quam Comes Fundi fecit de novo*. Hoc etiam faciebat in majus vituperium jam dictæ Reginæ. Si quidem verò Gajetanos suos inimicos invênit, ibidem feroci gladio interemit, & sic reliquorum Gajetanorum inimicorum suorum in unius diei termino vindictam assumsit sua sapientia & virtute.

Abeuntibus autem singulis stipendiariis, & Neapolitanis dudum equitibus ita pedes, immo quod deterius, ita nudis, singulis videntibus, facti sunt in derisum; & accedentes singuli ad Castrum Reginæ, convicti belli gagia & potalicia petierunt, & ostendentes cedulas eis factas, derisus major factus est super eos. Et à tunc quodam tempore in civitate Neapolitana, & ferè per totum Regnum, quotiens aliquis nudus aut malè indutus per Neapolitanas Plateas transibat, communiter dicebatur: *verè hic de Robba Comitis Fundi fuit*.

Regina verò præfata & Dux Lodoicus jam dictus devictione compassa tanto rubore marcescunt, ubi per unum Comitem suum dudum subditum devicti sunt, quòd ferè furore & ira repleti visceribus crepare videntur; & hinc inde procurant, quomodo possent tantam injuriam vindicare, cogitantes à certo, quòd vigore Ducis Duratii dictus Comes adversùs Reginale imperium erexerat caput suum; & siquidem odium primò erat in eis ob hoc crudelius est conceptum, & sæpe tentabant per eorum familiares cum familiaribus dicti Ducis ad bellica arma esse, quod sæpiùs factum est, & sæpiùs alter alteri succumbebat. Nam Dux præfatus in suo Palatio cum suis sequacibus, familiaribus, & stipendiariis potentissimè consistebat, nihil curans quasi modicum de minis & odio Reginæ prædictæ. Dictus autem Comes ad suasionem Ducis jam dicti viriliùs & potentiùs contra fideles Reginæ prædictæ militat sub titulo & nomine Regis Hungariæ memorati. Quod fecit & continuavit usque ad adventum Regis jam dicti.

Quum autem idem Rex infra mensem Decembris I. Indictione, in Civitate Aquilæ applicuit, quiescens ibi per dies aliquos reliquam gentem suam exspectans ibidem, nuntiato suo adventu Duci Duratii supradicto, misit partem gentis suæ armigeræ ad Comitem Fundi præfatum, ut ostendat circa Neapolitanam Urbem, suosque sequaces tanti Regis adventum & potentiam virtuosam. Comes itaque jam dictus accepta gente præfata, apud Teyanum hostiliter se contulit militando, & Civitatem ipsam nomine dicti

cti Regis Hungariæ postulavit, sibi portas aperiri Civitatis ejusdem, aliter hostili obsidione se reputent perituros. Cives igitur Civitatis ejusdem, humili quidem voce dantes responsum, petierunt eidem Comiti, ut saltem dierum octo terminum eis daret, quo possint eorum Dominæ nuntiare eorum adventum. Hæc enim Domina consors fuerat Domini Berterandi de Baucio Montis Caveosi Comitis, Regni Siciliæ Magistri Justitiæ. Qui etiam cum aviditate animi adventum exspectaverat dicti Regis. Sed priùs extitit vita functus. Quod quum audivisset Domina supradicta, statim animo suo gaudens, rescripsit Officiali suo Theani, quòd fideliter nullo intervallo facto claves Civitatis redderet dicto Comiti sub fidelitate & nomine dicti Regis. Quod statim fecit Officialis jam dictus, & homines dictæ Terræ, & eum pro parte Regis fideliter susceperunt, & ingressi Civitatem eamdem inibi fideliter requiescunt.

Nuntiatur itaque dictæ Reginæ, & Domino Lodoico, dictum Regem in Aquilam advenisse pro firmo, suamque gentem instare Civitati Theani, & inibi commorari, & debere inde contra fideles Terras suas crudeliùs militare. Tunc Regina præfata, & Dominus Lodoicus consilio utentes Domini Nicolai de Aczajolis, congregata gente armigera copiosa versùs Capuam, idem Dominus militavit, & ibidem existens passum Pontis Capuæ cum diligentia custodiri mandavit, & statuit, quòd Civitas Capuana magno Vulturni flumine circumdaretur: quod factum est.

Veniente itaque dicto Comite Fundi cum sua comitiva apud Capuam, invênit passum fluminis custoditum. Sed revolventes ad aliud iter, quo habiliter transiverunt, pervenerunt ad Villam Urticellæ in quamdam magnam planitiem, & versùs Capuanos prædare & opprimere inceperunt. Deducto autem ad notitiam Domini Lodoici præfati, quòd dictus Comes Fundi cum gente dicti Regis Hungariæ pervenerat super eum, & flumen transiverat, ira territus, & furore commotus, cum comitiva sua obviam vênit in campis Comiti supradicto, & ibi dirum prœlium commiserunt, pluribus hinc inde defunctis & percussis ad mortem ex durissimis ictibus lancearum. Erant autem in exercitu dicti Comitis pro parte Regis Hungariæ memorati Hungari, Theotonici, & Lombardi, & Regnicolæ hujus Regni. Et cum Domino Lodoico Theotonici modici, Provinciales, Catalani modici, & Neapolitani pro majori parte. Qui licèt sint homines pulchræ staturæ, equitatores optimi, & aliàs de personis robusti, tamen in artibus bellicis non sunt usi. Duravit autem commissum prœlium inter eos ab hora Tertiarum usque ad horam Nonam transactam, ubi plurimi defecerunt ex parte utraque. Tamdem infestantibus Hungaris contra exercitum dicti Domini Lodoici cum eorum arcubus & sagittis sæpiùs equos sagittabant exercitus inimici. Alii autem Theotonici, Regnicolæ, & Lombardi lanceis & ensibus feriebant, apprehendentes leviter eos, qui sagittatis equis pedes & armati fugere ab exercitu nitebantur. Sicque post modicam horam magna pars exercitus dicti Domini Lodoici sagittatis equis pedes restavit, & capti sunt & occisi. Dominus autem Lodoicus præfatus, videns suos in bello deficere, persuasus à suis versùs Capuam fugam arripuit cum omnibus superstitibus sui exercitus supradicti. At illi ferientes post terga, in fuga præfata plurimos occiderunt; sed nequiverunt Civitatem Capuanam intrare; & subitò recedentes reversi sunt apud Theanum, & ibi quiescunt.

Igitur præfatus Dominus Lodoicus, videns gentem suam non posse resistere tam modicis inimicis, & maximè si potestas Regis Hungariæ adfuisset, cogitavit utilius se Regnum exire, quàm Neapoli vel Capuæ commorari. Nam videbat Regem Hungariæ potentialiter advenisse præcipuè contra eum & Reginam; Videbat etiam sibi esse contrarium Ducem Duratii, & majorem partem Comitum & Baronum Regni, quibus adversantibus Neapoli esse non poterat. Et rediens ea nocte Neapolim se contulit, & inibi morabatur. Et statuens unà cum Regina præfata galêam unam armatam, sub Castro suo magno paratam illam tenebat in subsidium suæ fugæ, & continuè vacabat qualiter posset pro suo recessu subitò pecuniam cumulare. Disposuerat autem unà cum Regina prædicta versùs Provinciam navigare, sentientes firmiter dicti Regis Hungariæ adventum in Regnum.

Dum autem dictus Dominus Lodoicus & Regina sub tali spe consisterent fugiendi, ecce novum relatum per nuntios dicti Regis Neapolim venientes ad Ducem Duratii sæpedictum, quòd Rex idem applicuerat Beneventum, quòdque absque consilio & conscientia dicti Ducis ampliùs venire nequaquam tentabat, & propterea dicti Ducis consilium & auxilium in procedendo ulteriùs postulabat.

Dux autem præfatus præsciverat dictum Regem in die Natalis Domini . . . . Prima Indictione sub Anno Domini MCCCXLVIII. in Civitate Aquilæ cum exercitu magno applicuisse; & quia in eo de accessu suo versùs Aquilam ad suasionem prædictæ Reginæ deceptus, se sentiebat eidem Regi offensum, miserat pluribus diebus elapsis ad montaneas Sancti Angeli Dominum Albichzum de Tuscia suum Militem, paraturum & muniturum Castrum dictæ Terræ Montis Sancti Angeli, & totam Terram eamdem, & demum singulas Terras dictæ Montaneæ, aliasque singulas Terras & Castra sua in Regno sistentia, reparari mandans easdem muris, fossatis, & fortelitiis opportunis, quòdque totum frumentum, quod erat in Massaritiis suis Luceriæ, in Palmula, & Bisselleto, atque Candela, & Gravina, ad dictam Terram montanam jussit transduci pro munitione præfata; & factum est.

Publicato itaque dicti Regis adventu in Benevento adesse, & ad notitiam Domini Lodoici & Reginæ tali novo perducto, timore territi facti sunt, & penitus debellati, requirentes prædictum Principem Tarentinum, & Comites omnes, ac Ducem præfatum, si cum eis vellent concurrere ad defensionem communem contra venientem Regem præfatum, à quibus responsum acceperunt, quòd nequaquam cum eis, sed cum dicto Rege erat dispositus eorum concursus.

Quum itaque dictus Dominus Lodoicus & Regina, suique sequaces ceteri viderent eorum potentiam diminutam, nec resistere posse Regi supervenienti præfato, quòdque frater suus Princeps Tarenti, ac Dux, & Comites alii universi ad unum velle cum præfato Duce concurrunt, omnesque familiares, & commensales eorum longè facti sunt ab eisdem: ecce novum aliud relatum est, quòd idem Rex Civitatem Capuæ sit ingressus. Audientes hæc Dominus Lodoicus præfatus & Regina, subitò Galêam ingressi sunt, omnibus necessariis appositis in eadem. O si quis vidisset Reginam miseram ululantem, & flentem

tem altis vocibus, suis crinibus laniatam, quando de Castro suo magno descendit usque ad mare, ubi Galêa parata erat pro suo recessu, & accedens ad Galêam præfatam nemine sociata, sed omnibus derelicta! Elato velo in altum, alta pelagi petierunt versùs Provinciam navigantes.

Universi itaque Regni Domini, Dux videlicet, Princeps Tarenti, Comites, & Barones singuli Neapoli tunc sistentes, ac universi Concives Terræ, ejusdem viso recessu Reginæ, & Domini Lodoici præfati, adunati quidem in communi Consilio, & scientes, dictum Dominum Regem Capuam applicuisse ac pervenisse Aversam, deliberato consilio decreverunt eumdem Dominum Regem cum magno gaudio & tripudio prævenire in eamdem Civitatem Aversæ, & coram eo cum honorabili Militum comitiva esse, demum in Neapolitanam Urbem eumdem Regem cum laude maxima fideliter inducturi, statuto per eos, quòd universi Cives in adventu tanti Regis exultantibus animis gratulentur, & unusquisque honorem debitum faciat dicto Regi.

Præfatus autem Dux Duratii unà cum Principe Tarentino prædicto cum eorum militia condecenti, dimissis inibi fratribus eorum apud Aversam, ad eumdem Regem alacri animo pervenerunt. Et venientibus coram Rege, debitâque per eos reverentiâ factâ, Rex idem alacriori vultu suscepit eosdem, & postulans idem Rex, cur fratres eorum non venissent cum eis, responderunt, quòd dicti eorum fratres Neapoli remanserunt, paraturi suum adventum, quando honorificentiùs recipiatur in Urbe.

Tunc Rex idem rogavit eosdem Ducem & Principem, ut fratres eorum coram se venire mandarent, ut omnes simul demum Neapolim se conferant pari corde, quoniam honorificentius erit dictum Dominum Regem cum suis Regalibus, Paribus, & fratribus generosam Civitatem intrare, eosque videre cum magno gaudio affectabat.

Fertur, quòd idem Rex ideo volebat omnes Regales ad se præsentes in Civitate Aversæ, ut eos habendo personaliter in Aversa ad velle suum constringeret de personis: quod in Civitate Neapolitana vix facere confidebat, in qua erant nimium prædilecti. Fertur etiam, quòd Neapolitanus Archiepiscopus, cujus nomen ignoro, consuluerat dicto Domino Regi, quòd si firmiter regnare cupiebat in Regno, Ducem Duratii vivere non permittat, alios Regales captivos apud Hungariam perpetuo carceri studeat demandare, ex eo quòd Regales iidem in Regno Siciliæ plurimùm sunt dilecti, præcipuè Dux Duratii memoratus, qui præ ceteris dilectior est in Regno; qui si viveret, aliique Regales fratres & Consobrini simul essent in Regno, quandocumque vellent possent ipsum Regem totamque suam potentiam à Regno fugare, & fortè Regem eumdem perimere, velut fratrem Ducem Andream, quem Regali honore postposito nequiter occiderunt. Rex igitur consilio exaudito, super eo patulas adhibuit aures suas. Et eo deducto in generali consilio suorum Proconsulum Hungarorum aliquibus placuit, & aliqui recensebant non sanè consultum, ex eo quòd juxta veritatis summam dicebant, quòd tractatu Ducis Duratii Rex advenerat ad hoc Regnum, & operante Duce jamdicto suisque sequacibus vindicta facta fuerat tantorum Comitum, & Baronum Regis Andreæ suique germani nefariè necatorum, quòdque suo timore & potentia Regina, & Dominus Lodoicus fugerant de hoc Regno. Et sic pro fideli servitio gesto per Ducem eumdem crudelius, & malum consilium factum esset, ut moreretur Dux Duratii, & alii carceri ponerentur. Utroque itaque consilio suis Consiliariis relato per Regem eumdem, finaliter per fideliores Consiliarios datum fuit consilium, quòd omnes Regales juxta primum consilium captiventur, & Dux præfatus damnetur ad mortem. Hoc autem consilium dicti Domini Regis animo potiùs residebat, quoniam de nece sui tanti germani viscera cruentata tenebat. Fertur enim communiter, quòd si Dux Duratii non fuisset taliter condemnatus ad mortem, verè nullus in Regno post sequutum recessum Regis ejusdem erexisset caput rebelle, nec Dominus Lodoicus cum Regina Johanna iterum venisset ad Regnum, unde tanta mala in Regnum miserum sunt sequuta.

Iterum itaque Dominus idem Rex blandis verbis alloquens Duci Duratii & Principi Tarentino præfatis, ut fratres eorum ad se venire faciant, omni occasione remota, ut simul magnificè ingrediantur Neapolim regaliter & potenter, jussit, ut ad eos expressiùs nuntii sui vadant.

Tunc Dux Duratii & Princeps præfati Regis cognita voluntate, statim scutiferos suos ad fratres eorum expressè miserunt, ut omni causa & timore postposito apud Aversam se conferant coram Rege præfato. Abeuntibus itaque scutiferis nuntiis ad fratres eosdem, & referentibus eis, quòd statim accederent ad Dominum Regem prædictum, Dominus Lodoicus frater Ducis Duratii major aliis evocatis, omnino recusavit accedere apud Aversam, sed in occulto lachrymans futura sua pericula divinabat; & remittens nuntios ad Ducem præfatum, se excusari per nuntios ipsos jussit, capitis dolore oppressum equitare non posse. Redeuntes autem nuntii retulerunt Duci & Principi supradictis, dictos eorum fratres magno timore concepto nolle Aversam venire, sed excusari petierunt occasione quacumque coram Rege præfato. Præfati autem Dux & Princeps irato animo contra fratres iterum expressiùs nuntios remiserunt, ut statim omni timore postposito coram Domino Rege personaliter se præsentent, quoniam idem Rex eos suscipiet caritate fraterna, nec eum ex eorum mora conturbent. Tunc nuntii redeuntes Neapolim iteratò, eadem verba dictis fratribus retulerunt. At illi Dominorum fratrum nequeuntes præterire clamores, licèt cum magno timore accederent, apud Aversam se personaliter contulerunt, videlicet Dominus Lodoicus, & Dominus Robertus fratres Ducis Duratii, ac Dominus Philippus frater Principis Tarentini, juvenes valde infantes, qui unà cum Dominis eorum fratribus ad præsentiam Domini Regis euntes debitam reverentiam præstiterunt. Rex autem ut vidit eos coram se præsentes, hilari vultu recipiens juvenes, cum eis alloquens, & festizans, simul fratres omnes ad cœnam serotinam invitavit; & petitâ licentiâ ad hospitium pariter accesserunt.

Tunc Comes Fundi, & Dominus Lallus de Aquila, qui cum eodem Rege erant, prædictum Regi datum consilium præscientes, quod nullatenus nequiverant annullare, in quantumcumque contrarium allegassent, cogitantes fideliter, quòd de Lega fuerant Ducis Duratii supradicti, & pro eo introduxerant dictum Dominum Regem in Regnum, hospitium dicti Du-

Ducis adeuntes consuluerunt eidem Duci, ut statim cum fratribus recederet, nec coram Rege se ulteriùs præsentaret, quoniam sibi & fratribus aliisque Regalibus mortis laquei parabantur. Non tamen aperiebant sibi consilii facti causam. Dux autem miser, amicorum fidelium consilio non audito, velut incredulus verborum illorum, se nimium in Rege confidens, de dictis verbis sibi relatis nullatenus dubitabat, & in quantumcumque requireretur suasionibus importunis per eosdem Dominum Lallum & Comitem, ut recederet, se tanto magis confidebat de Rege, maximè quia eum viderat hilari vultu ad eum. At illi potiùs suadentes, quòd se absentarent, & eorum consilium faceret, quod facere negans penitus, finaliter dixit, quòd si potiùs hæc verba sibi præsumerent dicere, eidem Domino Regi ipse Dux nuntiare volebat, ex ore ipsorum talia sibi verba fuisse prolata. Illi autem abinde recedentes finaliter dicto Duci dixerunt; *nisi consilium nostrum audieris, si peribis tua audacia, & incredulitate, nos ipsi fideliter excusamur*; & petitâ licentiâ recesserunt.

Præfatus autem Dux verba proposita conferebat in corde, semper timidus existendo, nihil de iis sibi relatis fratribus referens, nec Principi Tarentino. Sed adveniente hora congrua vespertina paratis equis & militia condecenti simul omnes ipsi Regales ad eumdem Dominum Regem accedunt, sociaturi cum reverentia debita Regem eumdem; quos idem Rex animo grato suscipiens, verbosis ratiociniis hinc inde submissis, Rex idem dimissis dictis Dominis in Sala Palatii, cameram suam cum Consiliariis suis iterum fuit ingressus, & dicto Consilio iteratim ad iteratum deducto, consilium idem sibi fuit consultum & additum, quod cœnâ factâ Regales ipsi personaliter arctarentur.

Exiens autem Rex idem Cameram eamdem, ad Regales eosdem rediit, & cum eis, aliisque Dominis & Scutiferis plurimis adstantibus de plurimis referens, usque ad horam cœnæ de multifariis eloquiis referebant, & cœnâ paratâ, aqua data est in manibus Dominorum, Regi primò, consequenter Duci, & Principi memoratis, demum Dominis aliis de gradu in gradum.

Cœnantibus autem dictis Duce & Principe fratribusque ipsorum in una tabula semotim à Rege, dum Dominus Lallus præfatus serviret coram eis, iterum retulit Duci misero: *captive Dux, noluisti credere consilio meo: malè venisti: sed siquidem posses adhuc discedere, crede mihi, discedas*. At Dux ipse feroci vultu intuens Dominum Lallum præfatum, paulominus verba sibi prolata per ipsum dicto Regi disposuit publicare. Sed compescens se ipsum, nihil dixit. Quotiens autem dictus Dominus Lallus coram Duce præfato esse poterat, dicta cœna durante, eadem sibi verba signis aut verbo dicebat, & ad memoriam reducebat. Igitur cœna facta, & tabulis remotis, idem Rex præfatum Ducem ad se vocavit, & alios, Principem, atque fratres, & hilarem vultum suum rediens in ferocem, contra Ducem eumdem & alios fratres ejus, quod in corde latebat, ferocibus verbis ostendit. Tunc Rex idem alloquens dicto Duci dixit: *Iniquissime Dux Duratii: scias te in manibus nostris esse, tuorum meritis peccatorum, teque moriturum proditoriis actibus, quos egisti. Sed priusquam morti tradaris, confitere ore proprio prodimenta parata erga nostram Regiam Majestatem, ut oris proprii confessione* A *præbibita, nullius alterius testimonio requirendo pœnam sustineas proditionis commissæ. Dic ergo nobis Dux, quare tuo tractatu operante Cardinali Petragoricense avo tuo in Romana Curia Ducis Andreæ nostri germani coronatio fuit dilata; unde sequutum est, quòd Regia sibi potestate sublata fuit crudeliter interemtus nece tam vili. Et siquidem negare volueris, hæc non fuisse per te parata, ecce quas sigillo tuo literas tu scripsisti, licèt clam scripseris, in publico te accusant. Item bene nosti, quòd ex testamento recolendæ memoriæ Domini proavi nostri Regis Roberti, Maria sua nepos, quam fraudulenter tibi conjugem sociasti, nostra consors fuerat constituta. Tu ergo fallaci ductus* B *audacia, illam tibi ausus fuisti suscipere in uxorem. Quod si negare volueris, nequaquam poteris, quoniam evidenter apparet, nec ulla causa legitima te excusat. Aliud etiam enormius commisisti proditionis delictum, quod super te furorem nostrum vehementiùs provocavit. Quoniam ubi post mortem nostri germani te in persequutione proditorum interfectorum ejus promtissimum ostendisti, vindictam asperrimam faciens de eisdem, ob quam rem pro præscriptis commissis erga Majestatem nostram totalem veniam forsitan invenisses, quia nobis scripseras sub falsa fide tua, nos venire debere in Regnum, quòd tu unà cum aliis Comitibus tuæ sequelæ introducere nos volebas in illud, quòdque proditores singulos in manibus nostris da-*C *res, quomodo proditoriè præsumsisti Civitatem nostram Aquilæ, in qua spem nobis dederas primi nostri ingressus in Regnum, contra Dominum Lallum, aliosque fideles nostros de mandato Johannæ Reginæ tuæ exercitum congregare? In hoc patuit tua proditio manifesta, quæ quod primò confidenter scripseras me venisse, eodem consequenter paraveras, ubi sub fide tua venissem, nos si potuisses occidere. Et ut credimus, non ad aliud nos ad Regnum tuis literis evocasti, nisi quòd Lodoycum, & Johannam, aliosque Regales Consobrinos tuos nostra potentia conculcares, vel penitus ejiceres ab hoc Regno, ut solus quidem cum tuis fratribus Domi-*D *nus remaneres, & successivè nobis etiam mortis prodimenta parares; aut nobis fortè ad Regna nostra redire volentibus, tuis ejectis hostibus, nostrum restantem in hoc Regno Vicarium vitiosis prodimentis tuis occideres, aut à Regno fugares, ut exinde tuis fugatis hostibus, & nobis ad Regna nostra secessis, derelicto quoque nostro Vicario interemto, in hoc Regno solus Dominus superesses. Sed vana* (inquit) *cogitatio tua fuit, cùm nostrum minimè valeas consilium deridere.*

Dux ergo prædictus, fratres, & Princeps miseri audientes taliter Regem loqui, timore territi, eos stupor & ignorantia circumdedit, nec sciebant aliquid loqui vel dicere; maximè Dux E idem, contra quem jam dictus Rex dixerat verba præscripta. Sed nobili animo se confortans cogitabat idem Dux respondere, & dixit, *Domine Rex: video vultum vestrum in me ferocem, ex quo paveo, & tabesco. Supplico igitur reverenter, ut siquidem erga vos videor deliquisse, mei misereri velitis, quoniam novit Deus, quem apud vos testem induco, non fraudis animo vos vocavi, sed corde purissimo vestrum dominium affectavi, & peto. Nunc autem, ut existimo, per Consiliarios impios erga me moti estis in iram. Et siquidem apud Aquilam hostiliter me contuli, ut dixistis, verùm non potui meliùs, impulsus per Reginam Johan-*

bannam. Sed statim quòd sensi vestrum adventum à firmo, paratum exercitum abinde protinus revocavi. Spero tamen in Domino Jesu Christo à vobis gratiam & misericordiam impetrare servitiorum & fidelitatis meæ, fratrumque meorum, & Principis, informatione recepta. Quia verò iratos vos video erga me, sileo verba mea, & exspecto donec transeat furor vester. Iteratò enim supplico nostri dignemini misereri, quia vestræ Majestatis dominio ecce sumus.

Tunc Rex prædictus irato animo visus volvens, paululum recedens ab ipsis, eos de personis servari mandavit, & custodiæ generosi Viri Stephani Voyvodæ Transilvani, & Comitis de Zomic illos constituit. At Comes idem reverenter mandatum Domini faciens, honorificè suscepit eosdem, & in una camera hospitii dicti Regis eos immisit, & per familiares suos vigili studio custodiri usque ad mane.

Mane autem facto consurgens Rex præfatus, iteratò ad se Consilium suum venire mandavit, & postulans quid fieri oporteret, idem sibi consilium fuit consultum; ut præfatus Dux moreretur omnino, & alii Regales apud Hungariam mitterentur. Tunc Dominus idem Rex jussit, dictum Ducem omnino perimi, & in loco, ubi Dux Andreas suus germanus ab impiis proditoribus fuit peremtus, pœnam truncationis capitis pateretur, omni misericordia procul pulsa. Vocatis autem duobus suis Militibus Cumanis, & duobus Scutiferis, prædictum Ducem per eos perimi expressè commisit, statimque Milites ipsi & Scutiferi mandatum Domini curaverunt ducere ad effectum. Et ducentes Ducem miserum ad locum illum, in quo quondam Dux Andreas fuerat interemtus, sibi nuntiaverunt, eum esse penitus moriturum. Quod audiens Dux miser semivivus palluit, & recordatus est confiteri coram Deo sua delicta. Tunc vocavit unum Fratrem Monachum loci illius Ecclesiæ, & coram eo confessus est apud Deum, misericordiam petens Domino Jesu Christo suorum criminum commissorum. Milites autem præfati miserum Ducem ad superiora hospitii perducentes, ad Gayfum illum demonstratum eis per Ducem præfatum, in quo perierat Dux Andreas, venerunt; & flexis genibus ait Dux miser: *Amici carissimi, dicite mihi quæso, si ulla spes est amodo vitæ meæ.* Qui dixerunt: *Jussum est nobis omnino te mori debere.* Et ait: *facite, quod vobis jussum est, quoniam in Domino speravit anima mea.* Et inclinato capite eum sinè misericordia jugularunt, & caput ejus & corpus ab alto dicti Gaysi ad infima præcipitaverunt in hortum, in quem Dux quondam Andreas fuerat emissus ab alto. Ubi per dies tres jacuit corpus suum, nec ipsum ausus fuit aliquis sepelire. Ipsoque Duce defuncto, statim idem Dominus Rex alios Regales jussit duci captivos apud Ortonam, & demum per mare in Hungariam transfretari: quod factum est.

Milites quidem & Scutiferi, qui venerant cum Duce prædicto, ac aliis Regalibus videntes tantos Dominos esse peritos, hinc inde universaliter sunt dispersi, & quamplures eorum mortui, quamplures percussi, & spoliati, & plurimi per fugæ subsidium evaserunt, versùs Neapolim fugientes. Et ecce per totam Neapolitanam Urbem mors dicti Ducis, & carceratio aliorum Regalium, fama volante, infer-

A tur. Frater autem Morialis, qui anima & corpus fuerat dicti Ducis, ad domum seu Palatium dicti Ducis potenter accessit, & exinde singula bona & robbam secum tulit in prædam. Concurrunt universus Populus ad Castra & Palatia Regalium miserorum, & ab inde omnia bona tollunt in prædam.

Ducissa autem Maria misera lugens viri morte scita, acceptâ filiâ suâ parvulâ, aliisque filiabus majoribus, quasi nuda exivit suum Palatium, & recommendans se Venerabili Viro Episcopo Casertano secum abiit, & mare intrans abiit in Provinciam post Reginam sororem suam.

Rex autem cum toto exercitu factâ vindictâ & carceratione prædictis, versùs Neapolim suos
B gressus direxit, & in manu potenti intrans ibidem, Castrum Novum Regium potentialiter est ingressus. Concurrunt ad eum universi milites, nobiles, & populares Neapolis. & major pars Comitum, & Magnatum Regni suo dominio supponuntur. Concurrunt ad eum de universis Civitatibus, Castris, Villis, & Casalibus Regni hujus Syndici undecumque, & ei obediunt universi, debitum homagium sibi dantes, & assecurationem debitam, ut est moris.

Post paucos verò dies idem Dominus Rex de aliis proditoribus fratris sui mandavit inquiri, jubens, quòd ubicumque hujusmodi proditores inveniantur, absque intervallo aliquo nece turpissima condemnentur. Tunc inventa est Domina
C Chancia prima proditrix dicti quondam Ducis Andreæ, carceri alligata, & filium peperisse, quam Rex idem statim mandavit, visa confessione sua, per processum sibi illatum dudum, factum per Comitem Berterandum dudum Magistrum Justitiæ, quòd ignis incendio cremaretur; & factum est.

Quædam alia Domicella Reginæ Johannæ nomine Y . . . . . . (*) Pulcherita de Neapoli per confessionem dictæ Chanciæ in morte dicti Ducis Andreæ proditrix fuit vocata, quæ per suosmet consanguineos coram Rege fuit adducta, & tormentis exposita, confessa est suum delictum proditionis commissæ; & exinde diræ mortis sententia condemnata.

D Post hæc nuntiatum fuit dicto Domino Regi, quòd Goffridus Marzanus Comes Squillacii & Regni Siciliæ Admiratus, dicti quondam Ducis Andreæ proditor fuerat annotatus. Unde comparens coram eo, fuit de persona constrictus. Vocabantur etiam proditores consanguinei dicti Ammirati Conradus de Catanzano & fratres, quos dictus Dominus Rex nequaquam in manibus habere poterat, nisi tractante Ammirato præfato. Et jussit dicto Ammirato, ut taliter faceret & curaret, qualiter dictum Conradum in manibus suis haberet, aliàs se æstimet moriturum. Tunc Ammiratus præfatus dicti Domini Regis expresso mandato misit filium suum versùs Calabriam ad Terras suas, jubens ei, ut ita tra-
E ctaret, quòd habeat dictum Conradum in manibus, & illum coram Majestate Regia repræsentet. Tunc abiens dictus filius Ammirati versùs Calabriam ad Castra paterna, finxit se cum dicto Conrado & fratribus quasi diebus singulis festizare velle, quandoque venatum ire, & quandoque simul cœnare. Quum autem vidit dictos suos consanguineos securatos, apud Squillacium illos duxit, quos quum habuit illic secum reclusos, & suo dominio subditos, dictum Conradum de persona constrinxit, & subitò nocte sequenti eum Neapolim asportavit, & Domino Regi

(*) *Hæc sunt deleta in Originali, & in margine leguntur hæc.* Non est ita.

Regi cum gaudio præsentavit. Ut autem vidit illum Rex coram se præsentem, ait illi: *Iniquissime proditor, quanto te fugere longius credidisti, tanto longius nostro dominio fuisti adductus; scias te Majestati nostræ proditorem deliquisse, unde morte proditoria morieris*. Et jussit eum diris exponi tormentis. Igitur præfatus Conradus pœna tormentorum crudelium superatus, palàm sua prodimenta confessus est, seque manu propria Ducem Andream cum quampluribus sequacibus necavisse. Quod idem Rex audiens, crudelius sæviens in eumdem, ipsum mandavit crudelissima morte puniri; & in rota acutissimis novaculis circumdata Conradus idem superpositus laniatur. Multi alii Neapolitani & Regnicolæ accusantur; quis odiosè ficto mendacio æmulorum, & quis veridicè nullo ficto mendacio. Rex autem videns quampluriam accusatorum malitiam, mitigato furore, ordine juridico contra tales accusatos procedi mandavit. Quotquot autem de Majestatis læsæ crimine culpatos invenit, absque misericordia condemnari præcepit. Eos autem, quos publicatos proditores minimè confessatos invenit, & aliis legitimis indiciis non culpatos, penitus liberari jussit, & ad gratiam admisit eosdem. Factaque est vindicta maxima de morte Ducis Andreæ, unde fuerunt, qui de suis proditoribus paucissimi restaverunt.

Igitur præfatus Rex peractâ vindictâ de morte fratris, factus quasi contentus, omnes Comites & Barones & Regni sui Magnates, omnesque Civitates, Castra, & Casalia per idoneos Syndicos coram se comparere mandavit, volens, ut unusquisque juxta Regni consuetudinem Ligii homagii juramenta præstarent. Concurrunt itaque universi ad mandatum prædictum. Illi autem de Sancto Severino, quorum corda sincera non erant, habito consilio inter eos in Civitate Salerni, ordinaverunt se ipsos non unanimiter comparere, sed unus post unum homagium debitum præstituros. Miserunt itaque primò Dominum Rogerium fratrem suum Archiepiscopum Salernitanum ad Dominum Regem prædictum, quem idem Rex animo grato suscipiens suum Consiliarium & Regni Protonotarium ordinavit, & rescribens fratribus suis aliisque suæ nationis Dominis illos consuluit coram Domino Rege venire securè. Tunc Dominus Robertus de Sancto Severino, & Rogerius Tricarici & Clarimontis Comes apud Neapolim pervenerunt, & se coram Domino Rege in reverentia maxima contulerunt, quos idem Rex gratiosè recepit, & præstito per eos fidelitatis debitæ sacramento, petitâ licentiâ ad hospitium remearunt. Consequenter comparuit Comes Sancti Severini & nepotes coram Domino Rege præfato, quos idem Rex gratiosè suscipiens, ab eis fidelitatis debitæ juramentum recepit. Singulos autem Comites & Barones ad gratiam magnam suscipit idem Rex, omnesque diligit & honorat, & omnibus se gratiosum ostendit. Comparuit etiam Dominus Raymundus de Baucio, & præsens coram Domino Rege similiter fecit homagium. Comes autem Mileti tyrannus factus noluit comparere; sed quantumcumque à suis suasus foret, se coram Regia Majestate venire, sed discedens longiùs, in Franciam se dicitur contulisse. Comparuit etiam Franciscus filius quondam Comitis Berterandi de Baucio Montis Caveosi Comes, quem, quia juvenis erat valde, causâ nobilitatis paternæ illum secum in aula Regia introduxit, & eum in camera continens per tres dies sub dominica caritate credebatur per familiares suos illum iram Regiam incurrisse, quia videre illum non poterant.

Rex autem præfatus, Comitibus & Baronibus omnibus ac Terrarum omnium Syndicis, post debitam fidelitatem per eos præstitam, receptis ad gratiam, omnibus gratiosum & magnificum se monstravit; & ordinans suam Curiam, Officiales constituit, volens ibidem loco suo dimittere generosum Dominum Dominum Stephanum Voyvodam Transilvanum, & Comitem de Zomith, nobilissimum suum Militem, & magni Consilii sui virum, quem constituerat, ex quo Regnum acquisiverat, Dominum Terrarum, & bonorum omnium, quæ fuerant quondam Ducis Duratii atque fratrum. Nec restare consensit Dominus memoratus. Subitò ecce fama per Regnum intonuit, quòd ipse Dominus Rex de Regno recesserat, & Hungari omnes cum eo, modicis quasi nullis derelictis in Regno. Ecce ex hac fama plurima corda hominum fidelium & infidelium sunt divisa, cogitantes quid sequi vellet de recessu subito dicti Regis.

Commiserat autem idem Dominus Rex præfatis Domino Johanni Chucz & Domino Michaëli regimen Terrarum omnium dicti quondam Ducis pro parte dicti Voyvodi, pro vita & substentatione suis & sociorum eorum. Scripserat autem idem Dominus Voyvoda Angelo Domini Galucii de Gravina suo fideli Vassallo, quòd apud Montem Sancti Angeli personaliter se conferret, auditurum & facturum quidquid injungeret eidem. Ad cujus mandatum idem Angelus statim ire curavit. Sed antequam applicaret eodem, priùs cum Rege recesserat Dominus memoratus. Ut autem applicuit coram Dominis Militibus Vicariis Regiis in dicta Montana, ipsum Justitiarium dicti Domini statuerunt Terrarum Vallis Muri, & partium suarum. In dicta autem Terra Gravinæ constituerunt Judicem Nicolaum de Angelo de Monte Sancti Angeli Capitaneum, Castellanum, & Magistrum Massarium.

Remanserat autem in Terris Principatus Tarenti Gubernator, Vicarius, & Rector Thomas Pauli Hungarus cum certis aliis suis consociis Hungaris, inter omnes ferme triginta, in custodiam Castrorum Principatus ejusdem.

Igitur post publicatum recessum Domini Regis ejusdem, præfati Officiales Latini cœperunt hinc inde pecunias extorquere, & pro se ipsis cumulare. Et cœperunt persuadere Populis Civitatum, ut nequaquam Hungarorum dominio obedirent, sed Reginæ Johannæ, & Domini Lodoici de Tarento eorum naturalium Dominorum; ad quorum persuasionem ecce primò Neapolitana Civitas devolvitur contra prædictum Ulricum Regni Vicarium generalem, & consequenter singulæ Civitates & Castra ac Casalia universa Terræ-Laboris & Principatus Basilicatæ, Calabriæ, Terræ Idronti, Terræ Bari, Capitinatæ, & Aprutii undique subvertuntur, Rectorum & Justitiariorum persuasionibus dimissorum. Ut autem hæc fama per universum Regnum concrevit, ecce præfatus Admiratus Neapolim veniens caput se fecit omnium rebellionis incœptæ, admonens & prædicans Neapolitanos, ut neglecto Hungarorum dominio, eisque funditus dissipatis, ad Dominam Johannam Reginam eorum, & Dominum Lodoicum de Tarento in Provincia degentes, ut redeant ad eorum Regni dominium, nuntios mitterent speciales.

Placuit hæc ordinatio singulis Neapolitanis, & inter hæc concurrit ibidem Comes Mileti, Co-

Comes Sancti Severini, & Comes Casertæ, pluresque alii Comites & Regni Magnates, ad tam magnum consilium facti concordes. Ecce inter hæc media pervenit ibidem à Romanis partibus Palatinus jam dictus, unà cum Duce Guarnerio Theotonico, habentes secum barbutas Theotonicorum ultra mille quingentas. Et ingressi Civitatem Neapolis obtulerunt se pro eadem Regina contra Hungaros pugnaturos. Quos Admiratus præfatus suscepit ad gagia competentia pro parte Reginæ jam dictæ. Ecce magna fit coadunatio gentium pro parte Reginæ jam dictæ in eadem Civitate Neapolis, & ad hæc cum eisdem concurrit Dominus Robertus de Sancto Severino, Dominus Raymundus de Baucio, & alii qualescumque Officiales statuti Regnicolæ per Dominum Regem eumdem; & omnibus Regni Magnatibus Neapolim adunatis, opportuno facto Consilio, ordinaverunt mittere ad Dominam Reginam & Dominum Lodoicum de Tarento in Provinciam memoratam suos nuntios speciales, ad quos statim miserunt.

Infra mensem Septembris..... II. Indictione sub Anno MCCCXLVIII. adveniente Domino Lodoico & dicta Regina ad Civitatem Neapolis cum eorum Galêis per mare, deferentibus secum magnum thesaurum, pro quo vendiderant generosam Civitatem Avinioni Summo Pontifici, à Neapolitanis Civibus cum magna laude suscipiuntur in Urbem, & facto consilio diebus sequentibus cœperunt Neapolitana Castra fortiùs impugnare parando in ea trabuccos & alia diversa ingenia, quibus terrere & superare possent detentores eorum.

Prædictus autem Ulricus Generalis Regni Vicarius guerrizans potenter continuè totam Plateam Corrigiarum Neapolis usurpavit, & eam exhabitari coëgit, & semper contra Neapolitanos cum modicis suis sociis militabat, nec aliquo modo convinci poterat ab omnibus gentibus Reginæ jam dictæ.

Tunc Latinorum mutato consilio persuasum fuit Regi Lodoico, quòd contra Hungaros, qui in Apulia morabantur, in Manfredonia, & Monte Sancti Angeli, cum potenti exercitu militaret, & ipsa Neapolitana Castra Neapolitanis Civibus dimitteret impugnanda. Huic autem consilio acquiescentes, paravit se dictus Dominus discedere ad partes Apulas in manu potenti. Et parato exercitu pervênit Acerras, ubi statim Terram habuit. Castrum verò haberi non potuit, quoniam bene custodiebatur per Dominum Nicolaum Hungarum & suos sodales. Tunc per dies aliquos in eo dato prœlio satis forti, dictos Hungaros nequaquam offendere poterant, sed potiùs offendebantur ab eis. Statuit itaque dictus Rex Lodoicus, quòd dimissa ibi aliqua sui parte exercitus sub regimine Domini Roberti de Sancto Severino in dicta Terra Acerrarum, Castrum ipsum cum gente dictæ Terræ & circumstantium Castrorum acriùs & continuò impugnarent. Et sic in expugnatione dicti Castri remansit Dominus Robertus jam dictus. Quod viriliter impugnans per dies quamplures, fame convicit illud. Ut autem viderunt Hungari morantes in eo, se non posse resistere, totumque Regnum esse Domino Regi undique rebellatum, illos præcipuè, quos Regni Rectores & Officiales dimiserat, cogitaverunt utilius Castrum dimittere cum pactis salutis eorum & robbæ eorum. Quod perferri facientes per internuncium suum, placuit Domino Roberto eos liberè abire permittere & securè quòcumque vellent cum rebus eorum. Et pactis firmatis facta fuit restitutio dicti Castri per dictos Hungaros, qui etiam apud Manfredoniam pervenerunt. Simili modo facta fuit acquisitio Castri Aversæ, & Turrium Capuæ, & aliorum Castrorum Terræ-Laboris. Rex autem Lodoicus cum suo exercitu perveniens apud Civitatem Apicii invênit, quòd Lodoicus Apicii Comes Terram ipsam pro Domino Rege Hungariæ detinebat, cui de consilio suorum fidelium scripsit, ut se ad fidem redeat sui dominii, Hungarorum dominio prætermisso.

Remanserat autem solus in partibus Vallis Beneventanæ dicto Domino Regi fidelis, qui licèt juvenis foret, tamen fidelior adstitit Regi jam dicto, & resistens eidem Regi Lodoico fidelitatem Domini Regis Hungariæ penitus dimittere recusavit minis vel timore quocumque. Nam si contra eum suum exercitum provocaret, juxta posse se defendere intendebat, dicti Regis semper fidelitate servata.

Iratus itaque Rex Lodoicus cunctum suum exercitum provocavit in illum, banniri faciens robbam Civitatis Apicii usque ad totalem consumtionem ipsius. Et provocato cuncto exercitu super Terram illam, undique fuit obsessa. Tanta erat sequela gentium undique congregata, & impugnantes eamdem per dies duos, ut pluribus hinc inde percussis, & pluribus interfectis, tamdem violenter ceperint Civitatem eamdem, quam totaliter deprædantes, ignis incendio concremarunt in parte; & captus fuit ibidem Comes Apicii memoratus, & detentus captivus. Quem dictus Dominus Lodoicus volens penitus decollare, faciebat cum studio conservari, fuitque captivus per menses tres. Et tamdem à consanguineis adjutus, fuit ad pecuniariam compositionem admissus, & solvit inde pro redemtione suæ personæ tria millia unciarum, Terris & bonis suis omnibus destitutus.

Demum pervênit idem Rex Lodoicus ad Civitatem Luceriæ in Capitinata, credens inexpugnabile Castrum dictæ Civitatis habere de plano, sicut alia Castra. Sed invênit in eo constantissimos defensores. Ipsum enim Castrum erat sub custodia Corradi Lupi Theotonici, fratris Ulrici jam dicti, Regni Siciliæ Vicarii, pro cujus vice erat in Castro ipso quidam Nobilis nomine Malgerius de Bertrado de Guilbojo cum modicis Theotonicis & Latinis sistentibus in eodem, per quos Castrum ipsum tam fortiter & solicitè servabatur, quòd nullatenus quis valebat offendere. Erant autem pro munitione dicti Castri victualia plurima posita in eodem, vinum, & carnes, & necessaria quæcumque ad sufficientiam, ita quòd ex obsidione decem annorum Castrum ipsum capi non posset, nec deficeret eis victus. Immo quolibet die egrediebantur brigantes Castri, & equites aliqui pugnaturi cum militibus & brigantibus dicti exercitus Latinorum, pluresque capiebant dicti exercitus, & introducebant captivos in Castro pecunia redimendos.

Regina autem Johanna Neapoli existens unà cum Neapolitanis Civibus Castra Neapolitana impugnat contra Ulricum jam dictum. Et ut fertur, habito quodam proditionali tractatu viriliter invasit Castrum Sancti Erasmi supra Neapolim, & illud potentialiter expugnavit & cepit. Si qui autem Theotonicorum & aliorum brigantium evadere potuerunt ad Castrum Magnum, in quo erat Ulricus jam dictus, recuperari curarunt causâ salutis eorum. Ut autem vidit dictus Ulricus de Wulfort, tanta non posse Castra tenere, cuncta Castrorum aliorum victua-

ctualia, quæ potuit, in Castrum Magnum imponere detulit, & gentem secum in auxilium sociavit. Ecce magnus in dicto Magno Castro insultus fit undique gentium & trabuccorum. Nec minus idem Ulricus & sui contra acies gentium militare formidabant, immo quandocumque pedes vel eques circa Plateam Corrigiarum adhærere præsumebant, irruebant in illos potentialiter, & plurimos capiebant, plures percutiebant, & pariter occidebant. Magna guerra durat ibidem per dies & dies quamplures, nec potest super eo dicta Regina aliquid lucrari, sed potiùs gentem amittere. Fertur, quòd dicta Regina tunc temtavit, si posset dictum Ulricum promissionibus & pecunia ad se provocare, & mittens ad eum internuncium fidum cum charta publica, ut est moris, assecurationem sibi promittens veræ fidei, rogabat eum, ut ad se securè veniret, secum de pluribus loquuturam. Attentis itaque verbis nuntii, & voluntate mittentis, voluntariè & promto corde se iturum spopondit ad Dominam, quæ vocabat. Et statim accessit ad eam ad Rugam Capuanam, in qua ipsa Domina morabatur, Neapolitanis videntibus, stupentibus quem videbant. Ascendit namque ad eamdem Dominam Ulricus jam dictus, & reverenter eam adiens, fuerunt simul de pluribus alloquuti, & ut dicitur, Florenorum sex millia sibi promisit, & Comitatus honorem in Regno, si quidem sibi Castrum voluntariè resignaret. Quod idem Ulricus penitus post multa verba sequuta facere recusavit. Tamdem verbis completis idem Ulricus cum licentia Dominæ remeavit ad Castrum, & iteratis insultibus bellicis continuè comprimuntur in Castro. Tunc videns Regina, quòd nullatenus posset Castrum convincere, sed potiùs succumbebat, & gentem in insultibus amittebat, mandavit in loco, quo tempore Regis Roberti sbarrata erat prope Castrum præfatum, fabricari murum fortissimum, quo non possent Theotonici inimici in Plateam Corrigiarum descendere, qua sui Neapolitani à Theotonicis premebantur. Et factum est. Tunc jussit ibi prope parari trabuccos & cadavera fœtida & sordida projici cum illis in Castrum, ut in Castro morantes fœtore & sorde convicti Castrum resignent. Sed vana cogitatio illa erat; quoniam illi, qui in Castro sistebant, sordes illas projiciebant in mare vicinum, & sic dicta cadavera nullam Castro molestiam generabant. Erant autem in Castro ipso homines plurimi cum Ulrico præfato & equi, quibus annona plurima necessaria erat. Et quia non habebant, unde possent annonas habere, videbatur eis annona deficere, nec minus à defensione Castri cessabant. Interea operante diabolo tractabat Regina cum quibusdam brigantibus in dicto Castro sistentibus, magnam eis pecuniam se daturam, si quidem Castrum ipsum proderent suo dominio, & Ulricum. Et iis spondentibus spe promissæ pecuniæ quærebant opportunitatem, quomodo promissa complerent. Et quum per se non possent, convocatis duobus aliis sociis, illis negotium retulerunt, suadentes eisdem, ut cum eis ad hoc mysterium consentirent, nam bene eis succederet, si hoc facerent, in Reginæ gratia remanendo, quàm velut canes mori in Castro, quum ad longum dictum Castrum non poterunt detinere. Melius enim erat pecuniam tantam modò recipere, & divites remanere. Auditis verbis relatis juvenes illi duo quasi vultu hilari consenserunt, corde verò tristes tacuerunt, & verbo spondentes, consensum

A eorum usque in crastinum distulerunt, ut & ipsi opportuniùs cogitantes quomodo cautiùs agatur negotium causâ salutis eorum. Verbis itaque prætermissis, & quolibet eorum hinc inde vacantibus intus Castrum, juvenes illi duo protinus Ulricum eorum Dominum adierunt, sibique peractæ proditionis negotium fideliter retulerunt, & doni promissi. Quod audiens Wulfort stupore concepto timuit, & cogitavit statim remedium apponendum. Convocatis itaque duobus confidelibus suis causam retulit proditionis initæ, asserens, ut quis melius cogitare sciret, melius cogitet, quid sit salutis communis. Deductâ itaque ad maturum consilium causâ ipsâ, & rimatis causis & periculis imminentibus custodiæ dicti Castri, quòdque longa
B erat eis via succursus, & jam inciperet eis annona deficere, & quod pejus, quia inter eos scandalum est proditionis exortum, cogitaverunt utilius & sibi salubrius Castrum dimittere, & abire, nullâ receptâ pecuniâ, sed priùs factâ vindictâ tractantium prodimentum. Convocatis itaque singulis & facto consilio publicato, dicta proditione sileta, placuit omnibus ordo talis, & ad salutem cedere singulorum. Quum autem hora discedendi pervênit, dictis proditoribus interceptis illos altiùs suspenderunt, & aperto Castro egressi sunt, & abinde abierunt. Nec scitus fuit eorum recessus post dies sex, sic tanto silentio recesserunt.

C Post autem dies sex videns Regina & Neapolitani neminem per mœnia Castri ostendi tantis diebus, admirati sunt vehementer, & cogitabant aliquo modo fieri proditionis tractatum. Ultimò assecurati cœperunt ad januam dicti Castri se proximare, si neminem repositum ibi viderent. Tamen ad portam accedere formidabant. Tamdem unus eorum factus securior accessit ad primam portam Castri ipsius, & impingens portam viriliter & timidè aperta est janua illa statim, & fugit, & respiciens post terga neminem vidit se sequentem; & assecuratus iterum claustrum ingressus dicti Castri usque ad portam secundam. Tunc plurimi ex aliis instantibus assecurato itinere ingressi cum eodem us-
D que ad secundam portam eamdem, & vibrata janua statim aperta est parvo impulsu, & ingredientes claustrum magnum Castri ejusdem neminem viderunt. Tunc universi ingredientes in illud, & Regina cum eis, nullo invento, læti facti sunt, & quamplurimi admirati. Et sic Neapolitanorum Castrorum & Civitatis cessit victoria & dominium Reginæ jam dictæ.

Concurrit itaque universus Populus ad Regem Lodoicum apud Luceriam, unde Universitatibus singulis Regni hujus scripsit expressiùs & mandavit, ut statim eorum Syndicos mittant ad eum, sacramentum fidelitatis debitum præstituros. Et sic ad ipsius mandatum concurrunt Syndici omnium Terrarum Regni, modicis super-
E stitibus pro Rege Hungariæ memorato, videlicet Manfredonia, Mons Sancti Angeli, Ortona, Rocca parva juxta Nuceriam Christianorum, Triventum, Guillonisium, in quo morabatur Corradus Lupus jam dictus, & in Calabria quædam Castra, in quibus stabat quidam Hungarus potens Miles.

Tunc videns Rex Lodoicus, quòd omnes Terræ & Loca suo dominio responderent, & præfatæ Terræ nequaquam obedire volebant, in eas accedere hostiliter cogitavit. Et tunc misit Rogeronum Comitem Claromontis in Calabriam contra illum Militem Hungarum pugnaturum, cujus nomen erat Dominus Philippus Misbanus

A Dux Calabriæ pro parte Regis Hungariæ. Tunc Comes præfatus accedens potentialiter apud illum, congregato magno exercitu contra eum, obsedit illum in Castro Astili. Civitas autem Montis-Leonis, & Seminaria, & Nicotera, ac Castrum Astili solam fidem servabant cum dicto Milite pro Domino Rege jam dicto, qui in Capitaneum exercitus dicti Comitis insurgens viriliter cum sociis suis fidelibus, magnam stragem cœdis faciebat in illum. Et quum resistere se non posse sibi videbatur, retrocedens paulatim se conservabat in Castro. Et sic dictus Comes per trium mensium spatium lædere sibi non potens, videbatur confundere, quum sæpiùs homines sui exercitus succumbebant in prœlio. B Tamdem operante diabolo, quidam iniquissimus nomine .... factus sui Domini proditor ex promissa pecunia, quodam die paratam proditionem ostendit. Et dum in campo causâ prœliandi cum dicto Domino Misbano accederet, illum in campo prodiit, paratis inimicorum insidiis, eo sciente & suo Domino ignorante. Quum autem veniret in campum, abiit cum banderia sui Domini, & ipso Domino & sua gente ad locum rectè, quo erant insidiæ præparatæ. Et circumdatus undique nequivit effugere. Sed tamen Miles idem & sui Hungari proditione cognita evaginatis ensibus se tamdiu defenderunt in campo, quamdiu hinc inde plurimi perierunt, nec poterant ipsum convincere. Tamdem dum pluribus esset æmulis circumdatus, C quia omnes percutiebant in illum, contigit Militem ipsum crudeliter in tibia vulnerari, & equo suo interfecto pedes restare. Ex quo ipsum oportuit arma deponere, & vitæ veniam postulare. Comprehenditur itaque dictus Miles, & datur custodiæ plurimorum, & ducitur ad habenda Castra quæ possidebat. Proditor autem ille iniquus gerens banderiam sui Domini cum triumpho se finxit ad Castrum Domini cum sociis remeare, & accedens ad Castrum æmulos introduxit, & sic Terra illa & Castrum amissæ sunt pro Domino nostro Rege ex proditione præfata. Verumtamen proditor ille miser meritum habuit quod acquisivit, quoniam ex parata D proditione sui Domini fuit in alto suspensus, ut proditionem aliam aliàs non committat.

Acceptis itaque Castris eisdem & Civitatibus modo præscripto, remansit idem Rogeronus in Terris & Castris eisdem, illaque & illas pro se custodiri faciebat, apposita munitione decenti. Quibus nuntiatis Domino Lodovico apud Luceriam, per universum suum exercitum factum est magnum festum; unusquisque laudans sagacem solicitudinem Rogeroni. Retinuit autem secum idem Rogeronus præfatum Militem Hungarum, quem ceperat, nec illum mittere voluit ad Dominum Lodovicum, quamquam illum per suas literas petiisset.

Dominus autem Lodovicus de Tarento tunc E nomen Regium sibi dicere faciebat, & velut Rex à singulis habebatur. Coadunaverat autem, ut præfertur, in Civitate Luceriæ in Capitinata exercitum infinitum, & statuto consilio diligenti, ordinaverunt velle capere Civitatem Manfredoniæ. Erant enim quamplures de Manfredonia ibidem, qui exules erant à Terra jam dicta, tamquam Regis Hungariæ infideles, qui impugnabant exercitum Regium in Manfredonia provocare, & de eorum consilio in muris ipsius Terræ scalas apponi, asserentes habere se intus dictam Terram quamplures partiales eorum, qui guardiam suam erant eis dare parati. Sed vana cogitatio erat eorum, quoniam in Terra ipsa erant inimici prædictorum exulum sagacissimi & potentes, qui ordinaverunt, utpote Nicolaus Macziæ, Nicolaus Lapi, & alii sequaces eorum cum Domino Stephano de Jadera Milite tunc Capitaneo, & Castellano Civitatis ipsius, quòd acceptis primò stagiis ab eisdem filiis eorum pueris ab omnibus de dicta Terra, quos nominabant, ipsi stagios haberent in Castro; quod factum est. Habitoque per ipsos totius Populi animo, dulciloquio mediante, tota Terra ipsa fuit cum eis in uno concursu, apti mori simul & vivere ad defensionem dictæ Terræ contra Regem Lodovicum & Reginam, Domini Regis Hungariæ fidelitatem servando. Erant autem in Monte Sancti Angeli quidam nobilissimi Hungari, quorum Caporalis erat Dominus Johannes Chucz, & Michaël de Deborcz Milites habentes secum Hungaros circa centum, custodientes Castrum Montis Sancti Angeli, & Terram. Ad quos viri Manfredoniæ recursum habentes scripserunt, quòd in Manfredonia venirent in eorum succursum, quoniam eorum auxilio & consilio parati erant defendere Civitatem contra exercitum Domini Ludovici: quòdque pro securitate ipsorum stagios in Castro posuerant in manibus Castellani. Ad quorum clamorem idem Dominus Johannes cum sociis quindecim apud Manfredoniam festinus advênit, dimisso in Monte Domino Michaële præfato cum aliis Hungaris causâ custodiæ Civitatis & Castri. Qui etiam pro tutiori cautela stagios pueros quamplurimos receperunt. Et pervenientes Manfredoniam, circa salubrem custodiam Civitatis quilibet cautiùs intendebat. Est autem Civitas ipsa magni circuitus, & in ea Populus modicus, per quos tota Terra custodiri nequibat. Eo namque tempore, Anno videlicet Domini MCCCXLIX. in toto Regno Siciliæ, & generaliter per totum Mundum pestifera mortalitas perduravit, & morbus talis, quòd subitò apparebat glandula in inguine hominis, & infra duos aut tres dies ad tardius hominem occidebat. Sicque in Terra ipsa tanta invaluit ipsa mortalitas, quòd quasi modicus superfuit Populus in eadem. Et sic generaliter contigit in singulis Civitatibus & Casalibus Regni hujus, & Mundi. Dum autem ad confortationem Lilli de Grifo & aliorum exulum de Manfredonia, scalæ paratæ essent eundi apud Manfredoniam nocte sequenti, summo mane Dominus Comes Mileti factus Caporalis gentis armigeræ accedendæ apud Manfredoniam equitavit cum equitibus quingentis & ultra, & viâ acceptâ versùs Manfredoniam pervenerunt. Posuerant autem viri Manfredoniæ diligentes excubias secus viam, ut per eas præscirent adventum exercitus inimici. Quæ videntes inimicum exercitum properare, & instanti nocte super eam esse debere; festinè concurrunt nuntiare adventum inimici exercitus Capitaneis, & Rectoribus Civitatis. Nuntiato itaque inimicorum adventu, publicatur per Terram, ut unusquisque ad opportunam defensionem se paret. Quum autem appropinquavit hora quasi circa Solis occasum constituerunt Capitanei guardias opportunas armis decentibus & lapidibus communitas, quibus universaliter jussum fuit, ut nequaquam quisquis loqui præsumeret inimico adhærente exercitu, usquequo in tantum adhæreant, quousque scalas posuerint in saliendo ad murum.

Ecce horâ noctis primâ veniunt præcursores inimici exercitus, illi præcipuè exules, qui Terram sciebant, sciturì & exploraturi, qualis custodia fiebat in Terra, & bene opportunius esset

esset scalas apponere. Ut autem Civitati adhæserunt quasi usque ad muros, crediderunt se à nemine visos fuisse, nec per muros aliquem esse custodem: ita sub silentio quisquis erat juxta ordinem datum eis. Tunc reversi sunt præcursores ad Comitem Mileti dicentes: *Domine; quasi jam circuivimus Terram, & à nemine visi sumus, immo firmiter credimus, nullum in muris esse custodem. Festinemus igitur ponere scalas nostras, & subitò intrabimus Civitatem.* Tunc de mandato Comitis universus adhærens exercitus juxta muros, adhibentes quilibet patulas aures suas, credunt à nemine se sentiri, & depositis equis in manibus famulorum properant ponere scalas ad murum, & scalis appositis incipiebant salire, & quilibet sub muro quasi securus adstabat. Custodes autem interiores Civitatis ipsius ut viderunt singulas scalas appositas, & homines ascendentes, cum silentio consurgentes, acceptis lapidibus mortaliter jaciebant in illos, & dimissis scalis præ magno timore singuli fugerunt, pluribus remanentibus interfectis, & lethaliter vulneratis. Inimicis verò retrocedentibus custodes murorum sub silentio restaverunt in muris, & tota ipsa nocte vigilem custodiam perfecerunt. Quum autem manè factum foret, inimicus exercitus distabat à mœniis Civitatis ultra jactum balistæ, & videntes viros Civitatis in muris, in manu forti Civitatem tuentes, minimè adhærebant, sed equites incedentes circumdabant Civitatem. Ad hæc præfatus Dominus Johannes Chucz per posteriorem Portam Civitatis cum Hungaris decem Civitatem egrediens, super equos cum eorum arcubus inimici exercitus ferierunt in caudam, quorum quilibet ictum suum perfecit, & revolvente exercitu retrocedebant Hungari juxta Terram; & quanto potiùs fugere videbantur, tanto acriùs & sæpiùs equos & viros inimici exercitus feriebant cum eorum reciprocis arcubus feriendo. Et sic alternatim feriendo unus contra alterum, cessit victoria Hungaris; & percussus in badiluco fuit equus magnus Comitis præfati, & plurimi defecerunt ex illis, Hungaris semper salvis. Ut autem Comes Mileti sensit equum suum percussum, cogitavit suum exercitum abinde removere, & abiit, quoniam vidit in Civitate Manfredoniæ nil posse lucrari, sed potiùs gentem amisit.

Recedente itaque inimico exercitu, & versùs Luceriam remeato, prædictus miles Dominus Johannes Chucz, suique Hungari socii possibilitatem inimicorum recognoscentes, quasi omni die militabant contra exercitum dicti Domini Lodovici; & tum ipsi, tum etiam ii, qui in Castro Luceriæ morabantur quasi omni die de hominibus exercitus Domini Lodovici capiebant in prædam, & ipsos carcerabant pretio redimendos. Duraverunt autem guerræ tales in Capitanata à mense Junii usque per totum mensem Novembris Anni prædicti, secundæ Indictionis, ubi, & infra quod tempus Latini miseri plurimi redemti sunt pretio, & plurimi perierunt.

Erat autem tunc temporis in Terra nostra Gravinæ quidam vir Nobilis nomine Judex Nicolaus Angeli de Monte Sancti Angeli Capitaneus pro Domino Voyvoda, qui quia homines Gravinæ voluntariè se subdiderant dominio Regis Hungariæ, & de obtenta victoria redierant dominio Domini Lodovici, de Castro Gravinæ cum familia sua subitò recessit. Et dum pervenisset apud Barulum, hospitatus est in Sancto Jacobo loco Monasterii Montis Sacri. Sequenti die dum dictus Judex Nicolaus pararet se per mare Manfredoniam perrecturum equos suos per famulos transmisit in Manfredoniam, & in tantum tardavit se in mare immittere, quòd ex mora sua pervênit tarditas ad aures Marrensium, ex quo ordinaverunt Marrenses, ut ipse Judex Nicolaus intrans mare, ipsimet mare intrantes, caperetur in mari per eos; & factum est ita. Et eo capto super mare, ipsum disrobarunt viriliter, & captivum in manibus Domini Adæ de Vicecomitibus tradiderunt, qui dictum Judicem Nicolaum apud Luceriam captivum portavit. Et dum dictus Judex Nicolaus ita captivus adesset, cogitavit se pecunia redemturum à Domino Ada prædicto. Et solvit inde sibi Florenos centum, quibus receptis, ipsum Judicem Nicolaum protinus præsentavit Domino Lodovico præfato, unde positus in carcere tractavit cum Curia concordare, & factâ concordiâ Unciarum quinquaginta, de solvenda ipsa pecunia obsidem posuit Paulum fratrem suum, qui portatus in Castro Melfiæ pro ipsa pecunia diu stetit in illud sic carceri mancipatus.

Liberato itaque Judice Nicolao prædicto, & dimisso obside fratre suo præfato, Dominus Johannes Chucz cum aliis Hungaris, qui in Monte & Manfredonia consistebant, contra exercitum dicti Domini Lodovici sæpiùs militabant, & tum ipsi, tum etiam ii, qui in Castro Luceriæ morabantur, damnum maximum & prædam gentis armigeræ faciebant, & in Manfredonia perducebant. Ut autem vidit Dominus Lodovicus damnum pati in gentibus hinc & inde, mandavit Civitatem Luceriæ fossatis & muris undique circumdari.

Discurrente itaque tempore ecce Corradus Lupus Theotonicus Dominus Baroniæ Guillonisii cum egregia comitiva Theotonicorum equitum ultra mille quingentos fortificavit se in Guillonisio; & perducto ad notitiam Domini Lodovici suique exercitus, dictum Corradum venturum cum dicta gente super eum ad defensionem dicti Castri Luceriæ, & se fortificaturum cum dictis Hungaris in Manfredonia, ordinaverunt, deliberato consilio, passum sibi tollere Pontis fluminis Civitatis, quo non posset ad eos aliquatenus pertransire. Et misit proinde ad custodiam dicti passus Ducem Guarnerium Theotonicum, & Palatinum Altamuræ, jam dictum, habentes secum sub eorum banderiis viros Theotonicos ultra mille sexcentos. Qui juxta dictum ordinem accesserunt. Ut autem scivit idem Corradus, passum prædictum sibi fore sublatum, ascendens superiorem partem fluminis transivit per superiorem passum fluminis, qui est in Abbatia Stolculæ. Et equitans festinanter, subitò pervênit horâ quasi vespertinâ apud Luceriam, & se Castro adhæsit, & pulsatis buccinis & tubis contra exercitum dicti Domini Lodovici, inimicum exercitum dicti Domini ad prœlia convocabat. Nec quisquam ausus est Civitatem exire in campis, prœliaturus cum eo. Tunc idem Corradus per horam modicam conquiescens ibidem; ecce dicti Dux Guarnerius & Palatinus cum gente eorum, scito transitu dicti Corradi, ad sui Domini exercitum cum festinantia pervenerunt. Nec quisquam eorum ausus est dicto Corrado aliquatenus obviare. Mox ut vidit idem Corradus nullum exire ad prœlium amota inde gente sua, versùs Fogiam militavit. Et dum pervenisset Fogiam, viri Fogiæ ad defensionem Civitatis paraverunt sibi fossatos, quum ibi muri non essent-

ſent. Erat autem ibi quidam Capitaneus nomine Dominus Nicolaus Calaber pro parte Domini Lodoici, & ſtatuens ſe contra foſſatos, ait exercitui Domini Corradi; quid peterent, & ad quid veniſſent. Qui dixerunt: *Refreſcamentum petimus pariter, & vinum, hordeumque pro equis denario noſtro. Curialiter itaque vos rogamus, quòd nobis hìc in campo victualia educatis*. Tunc Capitaneus idem, colloquio habito cum univerſis Concivibus dictæ Terræ, rediens ad exercitum dicti Corradi, ait: *Iniquiſſime proditor Domini noſtri Regis, ut quid præſumſiſti fideli huic Civitati te adhærere? Nonne ſcire debes, Dominum noſtrum Regem Lodoicum de Tarento Regem eſse, & Dominum Regni hujus? Scias, quòd niſi hinc recedere facias tuum proditorium exercitum congregatum, omnes morte turpiſſima eritis interemti, quoniam nos ex interiori parte Civitatis iſtius, & Dominus noſter Rex, qui Luceriæ commoratur cum ſuo felici exercitu, ab exteriori vos gladiis perimemus. Diſcedite igitur ſtatim à locis iſtis, & pergite quò vultis; quia, ut exiſtimo, necubi recipiemini tamquam Regni proditores. Heic autem nihil lucrari credatis, quum Civitas hæc magna ſit, & Populo multo plena, & minimè exercitum veſtrum timet*. Audientes autem dictus Corradus & alii Caporales memorati exercitus tantam in eos proferri injuriam ex loco, ubi cordis eorum non erat offendere, habito inter eos diligenti conſilio, deliberaverunt inter ſe mutuò dictam Terram potiùs violenter acquirere, quàm inde diſcedere, etiamſi omnes ibi mori deberent, aſſerentes intra ſe: *Ecce duabus noctibus & una die laboravimus, equitando abſque potu & cibo equorum & noſtro, & abſque quiete; & per totam iſtam provinciam nullus nobis locus proximus eſt amicus per unam dietam & ultra, niſi ſola Manfredonia, quam Hungari tenent. Quòd ſi apud Manfredoniam ſecedere volumus, hodie minimè poſſumus, & quum poſſemus, fortè minimè recepti eſſemus ibidem, quum viri Hungari ſuſpecti ſint, nec pro eis uſque modo aliquid fecerimus, unde veriſimiliter confidant in nobis. Melius itaque nobis erit, Terram iſtam violenter invadere, quàm eundo illuc laborare in vanum. Hæc enim Terra fertilis eſſe dicitur, omni bono repleta, & non eſt muris circuita ſed foſſatis, per quæ, ſi volumus, poſſumus violenter intrare. Scimus autem, quòd ex interiori parte Civitatis homines armigeri non ſunt, qui nobis paſſum intrandi defendant. Audacter enim feriamus in illos, & intrabimus violenter, & robbam Civitatis pariter acquiremus. Amodo inter nos & ipſos nullum cedat verbum pacificum, & aſpera guerra fiat*. Hoc itaque unanimi deliberato conſilio, datis equis eorum ragaczinis, unuſquiſque pedes evaginatis gladiis concivibus Civitatis mortem minantur; & adhærentes ſe in manu potenti foſſatis dictæ Terræ, fortiſſimum inter eos prœlium inchoatur. Cives autem Civitatis ipſius inſenſato dicti Capitanei credentes conſilio, ad defenſionem Civitatis unanimiter ſe pararunt ex fidelitate Lodoici Regis Latini, & confortatione eorum Capitanei prælibati. Duravit autem hoc prœlium, & durus inſultus ab hora quaſi veſpertina tranſacta, qua applicuerat inimicus exercitus in Civitatem eamdem, uſque ad horam noctis obſcuram die finito. Infra quod ſpatium temporis plurimi Civitatis ejuſdem velut inermes, & in actibus bellicis minimè eruditi, percuſſi ſunt, & occiſi, ex dictis Theotonicis modicis vulneratis ictibus baliſtarum & jactu petrarum. Nam Theotonicis ipſis arma talia lædere minimè poterant, præcipuè lapides, qui non ſunt in Terra eadem, quoniam armis optimis corporaliter ſunt muniti. Ut autem ſupervênit nox obſcura, quaſi ceſſare ex utraque parte prœlium videbatur. Dictus autem Corradus, & ſui velut bellicis actibus eruditi, totum eorum exercitum retrocedere mandaverunt, opportunis excubiis poſitis versùs Luceriam, ne contra eos inimicus exercitus adveniret. Et ſtatuit idem Corradus, quòd totus exercitus quieſceret, & dormiret, eductis ex eis viris quaſi centum, qui tota nocte viciſſim inſurgerent, & pugnarent cum hominibus Civitatis, pro eo quòd homines Civitatis in continuo timore ſiſtentes ſinguli vigilarent, & ſequenti die velut ſomno perdito fatigati defenſioni Civitatis minimè prævalerent. Et ſic factum eſt. Ii autem, qui ad inſultum nocturnum deputati fuerunt, tanta ſollicitudine infeſtab'nt concives, quòd undique quaſi videbantur inſultus circa Civitatem. Et ſic omnes facti ſunt in laborem continuum vigilando, ne de nocte Terram intrarent. Erat autem inter Cives ipſos murmur maximum Populi ululantis ſexus utriuſque, tamquam inſoliti alias ſimiles guerras pati. Quoniam plurimi aſſerebant: *Ut quid pro non dando refreſcamento huic exercitui noſtro denario, quod amicabiliter petierunt, ſic hoſtiles maluimus ſufferre inſultus? Ecce videbimus, quòd ò utinam gratis donaviſſemus eiſdem victum neceſſarium eis, quàm lites inire. Ii autem noſtri Concives, qui mortui ſunt tam plurimi & percuſſi, non eſſent nec mortui nec percuſſi, ſi dediſſemus eiſdem. Et utinam cum toto hoc, dando etiam victum eis gratis, vel ſuo denario, poſſemus pacificari cum eis*. Alii autem contrarium aſſerebant, quòd *pro ſervanda fidelitate Domini noſtri Regis priùs mori volumus, quàm ſuis inimicis victualia exhibere*. Et tota nocte inſimul alloquentes, viciſſim vigilando & fatigando, minimè dormierunt. Luceſcente igitur die poſt auroræ horam cunctus exercitus dicti Corradi pulſatis tubis & buccinis, ut bellicorum moris eſt, unuſquiſque ad arma concurrit; & facto impetu terribili contra Cives, armata manu invadunt Cives eoſdem, & cum eis fortiſſimum prœlium inchoatur, & duravit inſultus acerrimus quaſi uſque ad horam diei ſextam. Credentes Cives dictæ Terræ, quòd Rex eorum Lodoicus cum ſuo exercitu convicino de Luceria eis in auxilium adveniret, pro ut eadem nocte expreſſum nuntium tranſmiſerunt. Qui dum nuntius adveniſſet, reſpondens retulit, nullum haberi poſſe à Rege ſuccurſum. Tamen nullus venire confidat. Habita igitur tali reſponſione, omnes vani facti ſunt & territi dicti Concives, & tanto pavore marceſcunt, quòd quaſi ſinguli mortificaſſe videbantur, quia ſpes defecerat ſuccurſus eorum. Et ex hoc novo unuſquiſque quaſi pro majori parte Civium, dimiſſa foſſatorum defenſione, concurrit abſcondere ſub terra bona eorum, & mulieres poſſe ſalvare vituperio conſequendo. Tunc major inſultus creſcit Theotonicorum, quum videbatur eis defenſores à defenſione deficere; & corrupta gente Civium in uno paſſu prædictæ Terræ violenter ingreſſi ſunt Civitatem. Antefugientibus igitur Civibus Theotonici poſt terga feriebant, & plurimos occiderunt, plurimos carcerarunt, & modici per fugæ ſubſidium evaſerunt. Et erat per eamdem Terram fletus maximus, & ſtridor gentium, puerorum, & mulierum inexaudibilis ululatus. Occur-

curreret autem maxima pars mulierum & puerorum infantium ad Majorem Ecclesiam dictæ Terræ, & ibi adunati sunt ultra duo millia mulierum & infantium puerorum generis utriusque, clamantium inimico exercitui, *miserere*. Dictus autem exercitus, obtentâ victoriâ Civitatis, sævius exardescens contra viros Civitatis, totam Terram in momento discurrunt, singulos homines furore maximo & nudatis gladiis compescendo. Ut autem viderunt totum Populum territum, & pro majori parte carceri alligatum, opportunis excubiis appositis circa Terram, singuli ad universam robbam concurrunt, & unaquæque societas pro ut se ad invicem conveniebant, domos habitant vicinatim, patronis earum carceri alligatis. Si quas autem mulieres in domibus invenerunt, siquidem pulchræ erant, sibi retinebant amicas.

Erat autem in dicto exercitu Comes Triventi Latinus cum gente sua, qui compatiens tanto ululatui mulierum adunatarum in Ecclesia memorata, se opposuit ante dictam Ecclesiam, & cum instantia petiit, rogans dictum Corradum & alios Caporales, ut mulieres prædictas vituperari nullatenus consentiret, sed eas custodiæ suæ darent, per universum exercitum banno emisso. Mulieres autem prædictæ ut viderunt Nobilem Dominum illum supplicare pro illis, licèt esset incognitus, adhæserunt se universaliter circa ipsum, clamando, *Domine miserere. Nos suscipe commendatas*. At Comes idem statuens se viriliter ante Portas Ecclesiæ, compatiens stridori inexaudibili mulierum & tantorum infantium parvulorum, alta voce & vultu flebili assecuravit easdem, asserens: *nolite timere*. Mulieres autem aliæ, quæ suo fato inventæ sunt per domos earum, magno vituperio sunt reductæ, virgines præcipuè & puellæ, nobilis fuerit, vel villana. Steterunt autem mulieres ipsæ in dicta Ecclesia per duos dies & noctes, in qua propter multitudinem earum affitus & fœtor maximus generatur ex stercore & urina sparsis ibidem, quum ex ea non possent exire. Cogitavit autem dictus Comes eas emittere extra Terram, exercitus licentiâ impetratâ. Et obtentâ licentiâ dixit Comes mulieribus ipsis: *Dominæ Mulieres jam tœdet me vestræ custodiæ, & compatior vobis inhabilis vestri status in tanta arctitudine & angustia vos heic stare, & fame perire. Cogitetis itaque simul ad quam Terram vobis vicinam utilior est vobis accessus, quoniam eousque prope faciam vos fideliter sociare. Heic enim in Terra Fogiæ ex tyrannitate virorum vestrorum amodo habitare nequitis, nam domus vestræ & bona vestra omnia sunt inimico vestro exercitui distributa, nec aliqua spes est pro nunc recuperationis illorum*. At mulieres illæ singulæ, inter quas erant Dominæ plurimæ nobilissimæ Civitatis, primæ loquentes, rengratiantes humiliter dicto Comiti, supplicaverunt, ut apud Exculum eas sociari fideliter dignaretur. Tunc Comes jussit scutiferis suis quasi centum eas sociare debere usque prope Exculum cum salute ipsarum, illasque dimisit abire.

Tunc cunctus exercitus Theotonicorum, Civitatis ipsius victualibus perquisitis, in qua maximam copiam invenerunt, ibidem conquiescere ordinarunt, & constitutis guardiis opportunis, die noctuque circa rescattum captivorum miserorum continuò intendebant, variis tormentorum generibus macerantes eosdem, opprimentes eos evulsionibus dentium usque ad eorum ultimam paupertatem. Sicque fertur quòd facta summa totius acquisitæ robbæ in Civitate jam

A dicta, & in Castro ipsius Ecclesiæ cumulata pecunia, inventum fuit communiter dictum exercitum lucratum fuisse ibidem in pecunia vigintiduo millia unciarum. Et ibidem firmi stantes omni die contra exercitum Lodoici Regis Latinorum acriter militabant, & circum circa per unam dietam Terras singulas discurrebant. Et propterea Barolitani Cives, Marrenses præcipuè, sub quorum præsidio Civitas consistebat, Pontem fluminis Canarum, ac Cives Salparum Pontem fluminis Pantani Salparum fregerunt, ita quòd nullus Theotonicorum discurrentium talium transirent ad eos; sed minimè profuit; quum nocendi eis vias multifarias invenissent.

B Hac itaque guerra durante ecce generosus Vir Stephanus Voyvoda Transilvanus ad Regnum pervênit in Manfredoniam per mare cum Hungaris Nobilibus ultra CCC. De cujus adventu per provinciam Terræ Bari publica fama fuit. Et dum ego essem in foro Bari cum Angelo Domini Gualterii memorato missus per eum ad eumdem Dominum, obtuli suo nomine nos esse pro eo ad omnia sua mandata. Cujus benivola responsione accepta ab eo recessi.

Pervento igitur Domino Voyvoda memorato in Regnum, & scito per eum, Corradum Lupum pro Domino Rege Hungariæ prœliare, quòdque Civitatem Fogiæ acquisivisset pro eo, nuntiavit sibi suum adventum. De cujus adventu satis gaudens idem Corradus, adfuit præsens C cum suis Nobilibus Domino memorato, paratus fidelitate Regni Domini Regis Hungariæ vivere & mori cum eo. Ut autem ipse Dominus novit constantiam dicti Corradi operis per effectum pro Domino Rege jam dicto, cum suis Hungaris se adhæsit eidem Corrado, & apud Fogiam se feliciter contulit triumphare. Ubi dum præsentes fuerunt, cogitaverunt viriliter Dominum Lodoicum Latinorum Regem convincere quomodocumque sub armis.

Et inter hæc insultibus plurimis sæpiùs datis per eos contra exercitum dicti Regis Latinorum per dies & dies, infra quos plurimos carcerarunt stipendiarios dicti Regis, tanta crevit eisdem Hungaris sequela gentium, & virtus prœ D liandi contra Latinos jam dictos, quòd tum impulsis iis, qui in Castro Luceriæ consistebant, tum etiam Hungaris & Theotonicis, qui Fogiæ permanebant, exercitus præfatus Latinorum in Luceria stare minimè fuit confisus, eâ etiam causâ, quòd tamdiu ibidem steterat, quòd majorem partem victualium consumserat, & jam incipiebat deficere eis victus. Immo quod deterius erat, Civibus dictæ Terræ enormes injurias intulerunt, & ex diversis nationibus gentium consumta erant singula domicilia Civium dictæ Terræ, & ideo ibidem stare potiùs non valebant. Providerunt itaque rationibus suprascriptis dividere exercitum Latinorum, dimissa E Luceriæ Civitate in Terram Exculi, Corneti, & Trojæ, quæ convicinæ sunt altera alteri, & perrexerunt. Et scito hoc per Dominum Voyvodam & Corradum, dictum Dominum Lodoicum suumque exercitum Civitatem Luceriæ dereliquisse in totum, statim dimissâ Fogiâ, illuc accesserunt, & ipsa Civitate munita super dictum Latinorum exercitum militare potentissimè cogitarunt.

Retulerunt mihi Jaconus Chiccus Christophori de Gravina, & Cobellus de Altamura socii mei atque sequaces, qui cum Palatino fuerant in Luceria, & sociis aliis, quòd dum quodam die viri equites exercitus Latinorum ultra quingentos de Civitate Trojæ pervenissent Exculum quieturi

turi cum aliis; invenerunt in valle planissima imboscatos in quadam valle nemorosa ejusdem itineris Hungaros circa centum. Qui exeuntes in campis in illa planitie, Latini omnes, quamquam ibidem Theotonici plurimi & Lombardi in eadem acie adfuissent, magno timore repleti fugerunt à campo, nec ausus est quisquam quingentorum ipsorum defendere quisque se ipsum; sed alternatim fugientes fuerunt occisi plurimi, & plurimi intercepti captivi, & sic diversis peractis insultibus Latini convicti de præsentibus & instantibus minimè confidebant. Ipsi autem manus Hungarorum per abscondita nemora evaserunt, & se ipsos statuentes in altum hæc omnia præviderunt. Cessit autem finaliter victoria Hungaris in vituperium Latinorum, quos apud Fogiam adduxerunt captivos pecunia redimendos.

Dum autem essent in Civitate Luceriæ Dominus Voyvoda & Corradus cum eorum exercitu, nuntiatum fuit eis, quòd Dux Guarnerius cum sua gente semotim morabatur in Corneto, & quòd faciliter horâ nocturnâ, si vellent, ingredi poterant Terram ipsam, quoniam dictus Dux cum sua gente sic confidenter consistunt ibidem, quòd quasi dubitantes de nullo, absque nocturnis excubiis dormiunt sine cura. Ut autem relatio talis dictorum Dominorum insonuit auribus, statim ordinaverunt sequenti nocte accedere super eum. Et in constituta hora parato exercitu abierunt versùs Cornetum. Quum verò apud Cornetum adhærere se viderunt, per idoneas excubias fecerunt insidias custodibus dictæ Terræ. Erat autem Terra ipsa in planitie situata in partibus Capitinatæ, terra siquidem fertilis, & omni bono repleta, & ideo Dux præfatus cum gente sua pervênit moraturus ibidem.

Et dum pervenissent prope Terram Corneti insidiatores exercitus dictorum Voyvodæ & Corradi, attentis auribus potiùs proximabant. Et in tantum se adhæserunt dictæ Terræ fossatis, quòd totam Terram undique circumdantes, visum est eis à nemine fuisse sentitos. Immo remisso uno eorum ad Dominos memoratos, miserunt dicendo: *properate tam citiùs, quoniam istius Terræ facilis est ingressus*. Ipsi enim insidiatores circa ingressum festinum Terræ ipsius solicitè intendebant, & factis per eos quasi scalis cum cultellis feritoriis in fossatis unus post unum singuli sunt ingressi. Et facto ingressu tamdiu sub silentio permanserunt, usquequo cunctus Dominorum exercitus pervênit eòdem. Et quum dicti insidiatores senserunt exercitum proximum, miserunt unum ex ipsis iter ostendere ingressus incœpti.

Tunc Domini ipsi ejusdem rectores exercitus jusserunt per iter illud pedes ingredi majorem partem gentis eorum, modicis superstitibus extra equitibus viris idoneis cum aliis ragazinis. Et iis omnibus introductis fuit eis injunctum, quòd usquequo Portam Terræ ipsius aperire possent, nullus fieret intus rumor, siquidem sentiti non essent. Tunc ii, qui extra remanserant, ad Portam Terræ protinus accesserunt; & subitò aperta est eis Porta jam dicta, & ingressus cunctus exercitus Terram ipsam circa obsidionem domus, in qua dictus Dux Guarnerius morabatur, promtiùs cucurrerunt; & facto rumore maximo per totam Terram eamdem, omnis Populus loci ejusdem ad arma concurrunt, defendere se credentes. Sed minimè eis defensio profuit, quoniam ipsorum Civium & stipendiariorum Theotonicorum & Lombardorum major pars in lectis existens, nudi potiùs, se ipsos inimicorum iram evadere cogitabant, quàm velle pugnare. Erat autem per totam Terram ipsam inexaudibilis ululatus, & planctus virorum, & mulierum, ac infantium puerorum, qui per Theotonicos, & Hungaros inimici exercitus hinc inde perimebantur gladiis, & carcere ducebantur. Tota autem nocte eadem per Terram ipsam terribilis rumor fuit. Ibi incredibilis timor & stridor dentium ululabat, & usque mane vocifera pestis clamantium perduravit. Lucescente igitur hora diei, multi quidem Terræ Concives occisi reperti sunt, & plurimi carcerati, ac multi Theotonici & Lombardi, qui in nocturno prœlio defecerunt. Dux autem Guarnerius memoratus videns se non posse eadem nocte resistere, discalciatis pedibus, tantùm caligas se cum habens, & juparellum in dorso, super tectum hospitii, quo fuerat hospitatus se tota nocte recondidit, & assecuratus ipso die per Dominum Voyvodam, se ipsum in manibus Voyvodæ tradidit pro captivo. Et ibidem captus est Dominus Jacobus de Cavalcantibus antedictus. Et dum horâ quasi Tertiâ sic ibidem ad cursum Terræ dictus exercitus jam vacaret, ecce pervênit ibidem Missus à Domino Lodoico Latinorum Rege, qui Exculi morabatur, Americus de Cavalcantibus, & certi alii Tusci Nobiles cum eodem, nihil scientes de passo damno præfato. Et dum securè Terram intrassent, credentes cum gente dicti Ducis se loqui, cum æmulis loquebantur, & sic cogniti, fuerunt cum aliis carcerati. Sicque per modum præscriptum capti sunt ipsa nocte viri armigeri Theotonici & Lombardi equites & pedites ultra mille quingentos, præter Cives dictæ Terræ, qui esse verisimiliter potuerunt ultra tantumdem. Maxima enim præda fuit eadem nocte dictis Theotonicis & Hungaris acquisita in Terra præfata, & in ea magnus thesaurus inventus, quum in ea fuissent Cives ditissimi. Et victualium copia multa satis, equorum, & animalium domitorum & indomitorum præda maxima adunatur, & inæstimabilis robba domorum Concivium miserorum; factaque generali præda per totam dictam Terram, & omnibus carceratis eductis, ad Civitatem Fogiæ adducuntur, & ibidem captivi miseri Concives præcipuè maccerantur, tormentis crudelibus positi, ut pretio quisquis redimat corpus suum. Theotonici autem atque Lombardi viri armigeri, qui captivi abducti fuerant, tum ex rogatione Theotonicorum & Lombardorum exercitus Domini Regis Hungariæ, tum etiam quia moris esse dicitur stipendiarios licitum non esse offendere, fuerunt carceribus leviati; & restitutis eis equis & armis Theotonicis dicti Corradi tractantibus ad gagia dicti Domini Regis Hungariæ retenti fuerunt, pro eo amodo pugnaturi contra Lodoicum Regem Latinum. Dux autem Guarnerius supradictus diligenti custodiæ datus est conservandus. Et dum Fogiæ ita essent, adducitur coram Domino Voyvoda, & Corrado interrogandus per eos. Cui dictus Voyvoda per interpositum interpretem Hungaricè alloquens dixit: *Ut quid Dux Guarnerio contra Dominum nostrum Regem Hungariæ cum armis insurgere præsumsisti? Numquid sic citò immemor es verborum promissorum per te dicto Domino Regi, quando ab ipso Domino recessisti in primo suo adventu in Regnum? Ubi est fides tua? Certè decollari merueras*. Cui respondens Dux idem dixit: *Domine Voyvoda, confiteor verba vestra vera esse. Verumtamen petenti veniam, neganda non est. Supplico igitur, ut mei misereri velitis, quoniam si imprudenter egi, seductus fallacibus so-*

sociis incidi in hoc tremens. Ecce in manibus vestris sum: facite de me quod vultis. Ubi tamen mei dignemini misereri, offero me ipsum ex nunc cum meis complicibus vobis regio honori servire usque ad vitam: Fuerat autem hic Dux tempore, quo dictus Rex Hungariæ prima vice pervênit ad Regnum, quando Ducem Duratii decollavit, ad stipendia dicti Regis. Et quodam concepto odio inter se, & Ulricum de Wulfort præfatum cum dicto Ulrico coram dicto Rege unus alterum se ipsos proditorio nomine increparunt. Sicque ex hoc nomine per eumdem Regem erat utrique mandatum, ut nudatis vestibus ambo duellum committerent ensibus enudatis. Demum antequam advenisset dies duelli, communibus intervenientibus amicis supplicantibus Regi, restavit ipsum duellum; & propterea à tunc dictus Dux Guarnerius licentiatus à Rege in simili odio remansit cum dicto Ulrico, & Corrado Lupo fratre suo, in cujus manibus ad præsens se videbat captivum. Unde verisimiliter timor maximus sua viscera cruentabat; sed oculos semper suos habebat ad Voyvodam memoratum, in cujus manibus reddiderat se captivum. Finaliter operantibus Domino Voyvoda, pluribusque aliis Caporalibus Theotonicis, dictus Voyvoda eumdem Ducem cum prædicto Corrado pacificavit, & ipsum ad stipendia Regis Hungariæ revocavit. Alios autem Tuscos, videlicet Dominum Jacobum de Cavalcantibus, & socios, quos secum ceperat, ad Castrum Manfredoniæ destinavit.

Igitur præfatus Domius Lodoicus Latinorum Rex, reliquusque suus exercitus videns suum exercitum ictus validos Hungarorum sufferre non posse, sed de malo in pejus succumbere, territi facti plurimi in occulto recedebant ab ipso, sicque post captionem dicti Ducis Guarnerii modica gens superfuit ei. Persuasus itaque Neapolitanis & Comitibus, qui erant cum eo, ad Neapolitana fortilitia properavit, dimissâ Provinciâ Capitinatæ, ubi congregaverat exercitum tantum magnum.

Remanserunt autem dictus Voyvoda & Corradus in partibus Capitinatæ discurrere totam ipsam Provinciam, ut eam dominio revocarent Regis Hungariæ supradicti; & militantes apud Trojam, quam invenerunt penitus dissipatam per exercitum Domini Lodoici, eam dominio Regis Hungariæ revocaverunt, quæ Terra per eumdem Dominum Lodoicum concessa erat Petro Comiti Vici fratris Comitis Palatini; eratque Officialis suus ibidem Dominus Matthæus de Potentia, dictus Macza, qui captus per eos fuit, ad Castrum Manfredoniæ portatus captivus, ubi per annum & ultra miserabiliter fuit captivus, demum liberatus ex solutione Florenorum quadringentorum.

Ex utroque igitur exercitu morante in Provincia Capitinatæ plurimæ Civitates, Castra, & Casalia ipsius provinciæ sunt destructa, ut puta primò Luceria, Fogia, Faciolum, Troja, Cornetum, Cidiniola, Canusium, Pontumalbanetum, Fabrica, Scornaria, Castellucium, & quamplurima alia loca bona. Et ex hac fama unaquæque Terrarum circumstantium valde timet potentiam Hungarorum, maximè videntes Lodoicum Latinorum Regem sic miserabiliter recessisse, & ad Neapolitana fortilitia remeasse. Rediit autem universus exercitus Hungarorum ad Civitatem Fogiæ moraturus, & demum Civibus Baruli, & Trani literas speciales miserunt, ut se ipsas dominio Regis Hungariæ se reducant; aliter se putent prœlio convincendas.

A Barolitani igitur Cives, literis ipsis receptis, videntes Regem eorum Lodoicum fugisse à campo, quòdque melius eis erat, se pacificè reddere domino Regis Hungariæ, quàm prœliare cum eis miserunt ad Dominum Voyvodam & Corradum Syndicos & speciales Nuntios, eis fidelitatem debitam juraturos; & similiter Tranenses Cives fecerunt, & etiam Andrisani. Cives autem Botonti hoc similiter sentientes, similiter hoc idem fecerunt. Similiter Juvenatii, & Melfictæ. In Vigiliis autem Palatinus morabatur, quoniam Civitas ipsa Vigiliarum, Melfictæ, & Juvenatii per dictum Regem Lodoicum & Reginam donatæ sibi fuerant, atque Menopolum, & factus erat Bari Princeps in


B præmium remunerationis servitii per eum præstiti in guerra præsenti. Et ex eo quòd Terras, quæ fuerant sui patris, habere non poterat, quæ erant in manibus Domini Raymundi, & Domini Roberti de Sancto Severino æmulorum suorum. Remanserat autem in Terra ipsa Vigiliarum idem Palatinus ex ordinato consilio, ut in Terra Bari cum Theotonicis suis quingentis stipendiariis, quos habebat, guerram faceret Hungaris, & Terras ipsas in fidelitate servaret. Sed minimè valuit; nam ut præscribitur, Terræ præfatæ se dominio Regis Hungariæ voluntariè reddiderunt, dicti Palatini dominio non contentæ.

C Et ideo dictus Voyvoda & Corradus adunato quidem exercitu valido gentis armigeræ Theotonicorum, & Lombardorum, Hungarorumque, in manu potenti apud Barulum pervênit, & ibidem per dies aliquos conquievit, pecuniam cumulans atque gentem. Et dum ibidem consisteret, clamitoso rumore facto ante dictum Voyvodam de Domino Jacobo de Cavalcantibus per Populum dictæ Terræ ex malis processibus factis per eum tempore peracto, quo fuerat Officialis ibidem, ad ipsius petitionem Populi à Castro Manfredoniæ apud Barulum adductus, & in manibus Capitanei Baruli traditus fuit, tormentis expositus, & demum moriendi sententia condemnatus, tractus per Terram fuit ad furcas suspensus. Et post dies duos Castrum Baru-

D li fortissimum, quod per gentem Domini Raymundi de Baucio tenebatur, adepti sunt violenter.

Morante adhuc dicto Domino Voyvoda apud Fogiam, antequam pervenisset Barulum, quia Terra Gravinæ quondam Ducis Duratii ad suum pertinebat dominium, constituit in eadem Terra suum Capitaneum Judicem Nicolaum Angeli de Monte Sancti Angeli prænotatum, qui veniens apud Barulum scripsit per suas literas Angelo Domini Gualterii dictæ Terræ, quòd factus erat Capitaneus dictæ Terræ per Dominum memoratum, significans, quòd nisi dominio dicti Domini Terra ipsa voluntariè se

E subderet, contra Terram ipsam & bona sua stragiciosa præda facienda erat per eumdem exercitum Hungarorum, & proinde literas Universitati Gravinæ dicti Domini Voyvodæ præmittebat per responsales suas voluntatem sciturus Civium dictæ Terræ. Cum quibus literis venerunt famuli sui duo, quos ego in propria domo recondens, dicto Angelo nuntiavi causam eorum adventus. Et super causa rimantes, pro meliori credentes hoc facere, cautè persuasimus nostris sequacibus, ut universis hominibus congregatis peteremus singuli dominium Hungarorum. Appropinquante igitur hora Vesperarum per eosdem nuntios clam eductos à domo, ac si eâdem horâ venissent cum literis, ad Plateam pu-



publicam dictæ Terræ dictas literas Civibus dictæ Terræ fecimus præsentari, quas quum plurimi vidissent, aliqui contenti facti sunt, & aliqui condolentes. Nec erat qui vellet recipere literas tanti Domini de manibus nuntiorum. Interea concurrit universus Populus ad locum solitum nova illa audire, & omnes Terræ primates. Erat autem tunc temporis pro dicta Ducissa Duratii Capitaneus dictæ Terræ præfatus Angelus Domini Gualterii ordinatus per Concives ipsius Terræ, non per Ducissam præfatam, quoniam paucis diebus elapsis Petrus de Sancto Felice, qui Capitaneus fuerat in eadem ab ipsa Domina constitutus, ex varietate temporis dimiserat ipsum officium, non confidens ibi manere. Et dum ibidem præsens non esset, universi primates & Populus Civitatis miserunt ad eumdem Angelum expresse, ut ad Plateam veniret consulturus cum Civibus dictæ Terræ, quid respondendum esset literis prænotatis. Et dum bis & ter fuisset vocatus, venire renueret, tamdem ab universis sæpiùs infestatus pervênit ad locum, in quo erat universus Populus adunatus. Et jusso per me literas relegere, & Populo vulgarizari, non erat, qui aliquid responderet, quoniam velut animo imperfecto respondere unus pro altero dubitabat. Ad hæc providus quidam vir nomine Judex Martucius de Gravina erigens se dixit: *Universi Cives, quid vultis? Placetne vobis libentiùs dominium Dominæ Ducissæ, an dominium Hungarorum? Dicite publicè velle vestrum, & concurramus ad unum velle, si volumus esse salvi*. Ad hæc universi clamaverunt: *Placet nobis lubentiùs dominium Hungarorum*. *Mittamus*, inquiunt, *quòd veniat ipse Judex Nicolaus Capitaneus noster, qui est cognitus noster amicus*. Et his verbis singuli fuere concordes, ut per literas Universitatis vocaretur Capitaneus idem ad regimen Civitatis pro Domino Voyvoda supradicto. Tunc responderunt Judex Angelus de Petrello, & Judex Garganus, promto quidem verbo, corde tamen malivolo & corrupto, dicentes: *Scribamus communiter dicto Capitaneo, ut quia præsens tempus ita corruptum est, cum modica familia sua veniat, & non multa Hungarica aliena, quoniam sibi parati sumus in omnibus obedire*. Hoc autem dixerunt, quia ex tunc sincerum cor minimè habebant erga dominium Hungarorum. Et licèt per plurimos eorum fuissent verba cognita, tamen non bene pensata proditionis ipsorum verba congrua contraria siluerunt. Et factis responsalibus sub sigillis quamplurium rescripserunt eidem Judici Nicolao, ut receptis responsalibus statim veniret, & datis literis suis nuntiis, dicti nuntii abierunt ad domos.

Ego autem Civium universorum cognita voluntate, quòd Hungarorum dominium affectarent, eodem sero alloquens cum Angelo supradicto, ac Chicco de Gregorio, & Roberto de Buccha nostris complicibus super causa, providimus ad Castrum Sanctæ Mariæ de Monte, in quo dictus Judex Nicolaus easdem responsales literas exspectabat, nos accessuros ad eum, & ipsum apud Gravinam unanimiter sociare. Et hoc dicto spopondimus simul ad dictum Castrum accedere venturos cum Judice Nicolao præfato apud Gravinam. Et surgentes quasi nocte media ivimus ad Castrum præfatum, ubi applicuimus orto Sole. Et alloquentes cum eo, diximus sibi negotium qualiter se haberet. Erant autem in dicto Castro Thomas Pauli Hungarus cum Hungaris aliis circa triginta, ac Sclavis, A & ipsis aliis necessariis custodibus dicti Castri. Et sumta comestione in Castro jam dicto equites pervenimus ad Casale Guaranioni, distans ab ipso Castro per milliaria octo. Et applicantes ibidem quia jam hora tarda assuerat, ipsa nocte ibidem quievimus. Judex autem Nicolaus præfatus, quia quasi solus advenerat, cum tribus aut quatuor sociis ad receptionem Officii supradicti, requisivit & rogavit Fratrem Rengaldum Ordinis Sacræ Domus Hospitalis Præceptorem in Casali præfato, quòd nobilitate sua & dicti Domini honore de sua familia & hominibus dicti Casalis viros sibi concederet usque Gravinam sociandos eumdem. Qui curialiter id spopondit; & venerunt nobiscum causâ B societatis Judicis Nicolai præfati usque Terram jam dictam viri providi dicti Casalis equites quasi viginti. Appropinquantibus itaque nobis prope Gravinam invenimus quosdam viros de Gravina forenses, qui dixerunt: *Scitote, quòd sero præterito vênit Hodorisius de Turri à Neapoli cum literis Dominæ Ducissæ, ut dicit, confortans Universitatem Gravinæ, & quòd Terram pro se fideliter teneant, nec vacillent, & propterea plurimi concurrerunt cum assertione illius, & paulò minùs maxima briga fuit inter volentes & nolentes*. Et ecce inter hæc verba nuntii duo illi, quos priùs miserat Judex Nicolaus jam dictus, obviaverunt nobis ducentes literas Angeli, quòd nequaquam veniret, C nisi in manu potenti, quia videbatur sibi de iis, quæ sibi scripta fuerant, plurimos vacillare, & sermonibus dicti Hodorisii dare locum. Nos itaque unà cum Judice Nicolao jam dicto super causa pensantes providimus sic: *Ecce proximiores sumus Gravinæ, quàm Guaranioni. Pergamus igitur apud Gravinam tamquam amici; & siquidem post colloquium tuum Judicis Nicolai Universitas tibi obediat, & te receperit Capitaneum suum pro parte Domini supradicti, ibidem Capitaneus remanebis. Si verò noluerint Capitaneum te tenere, velut extraneus amicus hospitabis ibidem, & mane sequenti cum Domino remeabis*. Et perquisitis hinc inde diversis modis aliis super causa placuerunt magis D ultimò verba jam dicta. Et incedentes simul pervenimus ad Castrum Gravinæ longè distans ab ipsa Terra per milliare unum vel circa. Quod Castrum erat sub mea custodia. Dimiseram autem loco meo Dominicum mihi...... virum de nostris sequacibus. Et adhærentes nos dicto Castro, eidem Dominico dixi: *Dominice, aperi nobis*: qui respondit: *ecce prohibitum mihi est per Universitatem Gravinæ, ut nullum recipiamus in Castro absque suo speciali mandato, & ideo vobis aperire recuso. Sed itote ad Terram, & sicut Universitas volet, sic faciemus*. Et sic fuimus potiùs desperati, ut idem Capitaneus minimè reciperetur in Terra. Et appropinquantes Gravinam longè parùm, exivit ob- E viam nobis Angelus prænotatus cum infinitis complicibus & sequacibus suis. Et post eum vênit etiam Judex Angelus de Petrillo præfatus, & Judex Martucius, salutantes Judicem Nicolaum præfatum.

Major autem pars Populi, qui Hungarorum dominium affectabant, nobis obviam exierunt alta voce clamantes: *Vivat Rex Hungariæ in æternum*. Tunc Judex Angelus de Petrello ad se clamans semotim ad dictum Angelum & Judicem Nicolaum dixit: *Capitanie, scias universum Populum pœnituisse tui adventus, teque penitus nolle in Terra recipere. Consulo igitur, quòd redeas unde venisti, quia scio firmiter,*

quòd

quòd non eris in Terra receptus. Ex quibus verbis obstupuit Judex Nicolaus jam dictus, asserens: *Ut quid me vestris literis vocavistis? Hæc est proditio manifesta. Sed postquam Universitati non placet me in Terra recipere, redeam unde veni*; & petitâ licentiâ redire volebat. Tunc dictus Angelus, & nos, qui pro Judice Nicolao intravimus ad Castrum præfatum, condolentes & stupentes de causa, diximus: *Ecce videmus hunc Populum adstantem clamantem universaliter, Vivat Rex Hungarorum, & suum dominium petere. Quomodo dicit hoc Judex Angelus, quòd non recipietur Judex Nicolaus in Terra?* Et alloquentes Populo illic foris sistenti nobiscum, diximus: *Placet vobis, quòd Judex Nicolaus in Terram intret Capitaneus noster?* At illi clamabant: *Hunc volumus, & non alium. Vivat Rex Hungariæ*. Tunc alloquens dictus Judex Martucius ait: *Domine Capitanie, appropinquemus in Terram, & videamus omnium voluntatem, & sicut videbimus universos dicentes, sic fiet*. Tunc Angelus Domini Gualterii, Chiccus, & alii illic simul sistentes dixerunt: *Bene loquutus est Judex Martucius. Appropinquemus ad Terram, & videbimus omnium voluntatem*. Ii autem plurimi, qui adstabant, clamabant: *Volumus & requirimus, quòd expressè venias in Terram Capitanius, & regas Terram. Eamus simul, quia contra voluntatem nolentium, te inducemus in Terram*. Tunc datâ banderiâ dicto Cicco accessimus versùs Terram. Quum autem pervenimus ad domos Massariæ Curiæ extra mœnia dictæ Terræ longè parùm, ecce murmur maximum clamantium: *Retrocedite proditores. Nolumus nisi dominium Dominæ nostræ Ducissæ, non Hungarorum*. Et desuper muros sistentes cum balistis & lapidibus jaciebant in nos. Judex autem Nicolaus præfatus videns hunc insultum in nos, & eum fieri balistarum, retrocedens cum dictis viris Guaranioni, apud Guaranionum redibat expressè. Angelus autem Domini Gualterii, & ego cum toto Populo, qui nobiscum extra Terram eramus, currentes ad Portam Sancti Antonii, quæ custodiebatur viriliter per nostros sequaces, & majorem partem Populi dictæ Terræ dictum Capitanium exspectantes, & nos, ingressi fuimus Civitatem, & dicendo illi Populo præsenti ibidem, qualiter fuerat in nos factus insultus per quosdam, Hodorisium scilicet, & plures alios, universaliter clamaverunt; *pereant hujusmodi proditores, & veniat Capitanius noster, pro quo misimus*. Tunc Judex Martucius equitans iterum post Dominum Judicem Nicolaum, adjunxit illum ultra Palatium longè parùm, & unà cum Cicco præfato & Roberto, ac viris aliis Guaranioni cum magna laude ingressus est Civitatem, & à quolibet carus receptus. Dictus verò Angelus, & ego unà cum Populo dictæ Terræ circa persequutionem lapidantium nos intendentes, accessimus ad domum Hodorisii memorati, nec ipsum invenimus. Et singuli clamantes *ad focum, ad focum*, ipsam domum volebant comburere, nisi fuisset Angelus memoratus. Et ob hoc unusquisque, qui dudum in contrarium clamaverat, *nolumus dominium Hungarorum*, positi sunt in absconso. Et omnis Populus concurrebat ad unum velle nobiscum cum Angelo supradicto. Dictus autem Hodorisius per dies tres existens absconditus cum certis suis sequacibus, consequenter misit ad eumdem Angelum internuncium Ciccum prædictum, veniam petens tanti commissi delicti; & si placeret ipsum

A & socios securare, paratus erat ad pedes venire Capitanei, atque suos veniam postulare. Angelus autem præfatus volens bonitate vincere omne malum, rogavit etiam dictum Judicem Nicolaum Capitanium, ut omnes, qui contra eos taliter deliquerunt, reducat ad gratiam. Et dato responso internuntio memorato, abiit internuntius, & rediit festinus cum Hodorisio & aliis pluribus secum culpatis, & ibidem universis concurrentibus factum est magnum festum.

Remansit ex tunc Capitanius dictæ Terræ Gravinæ Judex Nicolaus superiùs nominatus. Post paucos verò dies ii, qui corda sincera erga Regem Hungariæ non habebant, nec ejus dominium affectabant, cogitabant, quando possent Terram exire cum eorum filiis & uxoribus. B Et verum aliqui hoc cogitabant, qui vanè cogitaverunt, & timebant quod non erat timendum, immo continuè infidelia corda sua monstrabant, continuè verbis variis, non tamen operibus, dum non possent.

Idem autem Capitanius, malivolorum cognita voluntate, cum consilio dicti Angeli suorumque sequacium, dum in Civitate Gravinæ essent Portæ murorum quatuor, omnibus ipsis factis seris ferreis, & datis clavibus custodiæ Nicolai, dicti Coccellæ de Gregorio, nostri sequacis, & statuti Camerarii dictæ Terræ per Capitaneum ipsum, Civitatem ipsam cum diligenti studio conservabat. Ipse autem Capitaneus C extra muros Civitatis sistebat in domibus Massariarum Curiæ, prope tamen muros prædictos, quæ domus ædificia pulchra erant, & in eis mandra optima equorum & pulchrorum, qui fuerant quondam Ducis Duratii supradicti. De quibus seriatim dicere seu scribere longum esset. Sed dimissis verbis bonorum ipsius Curiæ, divertamus ad factum, sicut processit. Tamdem crescentibus odiis & verbis malignis æmulorum malorum, timuit Judex Nicolaus in dicta Massaria morari. Sed ingrediens Civitatem, in domibus Angeli supradicti cum sua familia potenter & curialiter cum omnibus morabatur. Propter quod quodam die ad mandatum suum universis hominibus dictæ Terræ congregatis in D unum, provisum fuit, ut muri Civitatis opportunis ædificiis reparentur, & fossati convenientes circumquaque fiant in fortilitium Civitatis, quòdque Portæ omnes ipsius Civitatis claudantur & fabricentur, unâ tantùm apertâ, dimissâ tamen sub sera nocturna, causâ diligentioris custodiæ Civitatis. Placuit universis Concivibus dictæ Terræ ordinatio talis, propter quod, quia videbantur guerræ potiùs crescere, viri omnes habitantes extra mœnia dictæ Terræ tam in convicinio Sancti Caytaldi seu Domorum Massariæ prædictæ, quàm etiam habitantes extra Portam Sancti Thomasii, & ii etiam qui foris in plano extra Portam Sancti Antonii habitabant, Terram ex interiori parte murorum in- E gressi sunt habitare ..... ptis, & domibus, aliisque habitaculis exteriùs derelictis. Et sub hoc regimine tota Civitas ipsa ad velle dicti Capitanii fideliter concurrebat, præfato Angelo, suisque sequacibus id tractante, & unusquisque contentus erat dominio prænotato.

Venerat autem ipse Capitanius ad ipsius regimen Civitatis die IX. Februarii, secunda Indictione, Anno videlicet Domini MCCCXLVIII. dicta guerra regnante. Tamen antequam ad dictam Terram Gravinæ veniret, post tamen recessum dicti Petri de Sancto Felice Ducissalis Capitanii dictæ Terræ, per Universitatem hominum dictæ Terræ communiter factus erat Guber-

bernator & Rector ipsius Terræ Angelus prænotatus ad regendum dictam Terram pro Domina Ducissa jam dicta: quod in veritate legaliùs valde fecit, quàm solo verbo potuit suos inimicos destruere unâ horâ, si voluisset. Immo persuasus à suis, ut eo tempore habili suos æmulos dissiparet, volens uti potiùs bonitate, mortem illorum noluit consentire. Dum verò quodam die infestatus à suis, ut saltem Notarius Petrus Judicis fratri inimicus suus moreretur, assensit, & cum toto assensu tepidè se gessit circa ministerium. Ecce parato negotio mortis illius & insidiis positis, contigit Johannem de Pascarello amicum, nostrumque sequacem, tunc mortua sibi uxore prima secundam velle uxorem accipere, qui quia servitor intimus erat Angeli prænotati, præsens coram eodem Angelo rogavit eum, ut dignaretur eum suo amore ad novas uxoris novæ faciendas nuptias sociare, quem idem Angelus nesciens denegare, statim parato dimisso negotio ad nuptias dicti Johannis accessit. Vitiosus autem vir ille Notarius Petrus de paratis insidiis sibi conscientiam habens ex multifariis loquutoribus, sciens dictum Angelum ad nuptias perrexisse, subitò equo sibi parato unà cum Antonio suo nepote discessit, & Terram exivit. Nec cum toto hoc evadere potuisset, nisi quia sequaces singuli cum dicto Angelo tunc eramus. Cujus discessu per statutas insidias nobis significato, dolentes & tristes fuimus, quia noster inimicus evaserat sic improvidè manus nostras, futura nostra pericula divinando.

Remanserat tamen adhuc in dicta Terra Domina Vella & filiæ, quæ consors fuerat quondam Domini Cigrami de Gravina Caporalis inimici Angeli supradicti. Quæ post fugam dicti Notarii Petri tantum timorem conceperat ex sequacibus dicti Angeli, quòd scriptis literis suis Domino Nicolao Spinello de Juvenatio fratri suo, suum consilium & auxilium petiit, quomodo posset Terram Gravinæ salva exire. Johannes autem filius dictæ Dominæ, Juvenatii tunc adstabat in domo dicti Domini Nicolai Avi sui. Et tunc nuper venerat de Castro Montis Sancti Angeli, in quo captivus exstiterat per annum & ultra penes Dominum Johannem Chutz supradictum, cui pro suo rescatto soluerat Uncias CXX. Et rescripserunt ipse Miles & Johannes eidem Dominæ Vellæ, ut cum viaticariis, quos sibi mittebant, totam robbam & bona earum ac de pecuniis etiam apud Juvenatium mitterent, seque conferrent. Patuit autem hæc secreta responsio sequacibus Angeli supradicti, & consurgentes quasi nocte media viderunt per Maffeum Caczollam de Juvenatio habitatorem Gravinæ familiarem dictæ Dominæ viaticarios sero præterito introductos, robbam & bona dictæ Dominæ onerare in stalla dictæ Dominæ in Platea vicina quidem longè parùm à domibus Dominæ supradictæ. Et velut insensati sequaces iidem, inter quos ego met affui absque conscientia dicti Angeli, noluimus tollere bona illa, quæ tollere per Populum Terræ dubium nullum erat. Extimo certè, quòd bona illa, & robba, & pecunia illic apposita valoris erant Unciarum octingentarum & ultra. Immo velut simplices, vel quasi fideles dicto Angelo, & ut veriùs alloquar, de novis guerris minimè eruditi, causam oneratorum bonorum & robbæ nuntiavimus Angelo supradicto. Qui illâ horâ consurgens, nobiscum videre voluit causam onerationis jam dictæ, & per fenestram magnam salæ suæ contiguæ domibus dictæ Dominæ vidimus totam onerationem jam dictam, immo quod plus, ego adiens domum meam, paravi me ante viam, & vidi dictam Dominam egredientem cum filiabus duabus, & usque ad Portam Civitatis ibidem prope sequutus sum eas, & animalia sua quatuordecim onerata robba jam dicta. Non placuit dicto Angelo, quòd eidem inimicæ suæ omnia tollerentur & vita, immo nos expresè prohibuit eis nullatenus offensuros, licèt ordinaveramus ad matinam Padulis Vivæ sibi tollere prædicta bona omnia atque vitam, tamquam nostrorum capitalium æmulorum.

Sequenti autem die Judex Garganus de Roberto ac Judex Robertus, aliique sui filii, licèt nostri non essent æmuli capitales, sed grossi ... corde, ex malivolis suis animis, nulla rationabili causa, dicti Judicis Nicolai adventum, velut imperfecti corde dubitaverunt, & nocte sequenti robbam eorum omnimodam ac uxores & filios petitis clavibus, & licentia dicti Angeli asportaverunt. Quibus Angelus ait: *Ut quid subitò ita receditis cum tota vestra familia? rogo ut non absque maturo consilio recedatis. Quis ergo vos fugat? quis vos sequitur, ut Civitatem istam sic ponatis in sfrido? Etenim valde miror, & siquidem aliquis fortè contrarium vobis dixerit, quo dubitetis, dicite mihi, quia ad velle vestrum faciam quidquid vultis. Nulla enim vobis est materia recedendi.* At illi mali cordis rabie concepta, verba dicti Angeli minimè audierunt, sed obturatis auribus recesserunt. Cui nos iidem sequaces diximus: *Domine Angele, ecce hi odioso animo discedunt à nobis; qua causa nescimus. Et portant cum eis magnum thesaurum. Si ergo placet vobis, possumus eorum thesauro ditari*: nec placuit sibi. Similiter & sequenti nocte fecerunt Judex Angelus de Petrello, Hodorisius, & plures eorum sequaces. Et idem Angelus eos liberè & securè permisit abire. Ipsametque nocte quamplurimi dictæ Terræ Cives nescio quo timore concepto, quasi universi habitantes Rugam Sancti Matthæi & Sancti Andreæ, Terram ipsam exire volebant. Quo nuntiato dicto Angelo, suisque sequacibus ad Portam Sanctæ Mariæ de la Porta, cujus clavem dederat ipse Angelus Judici Angelo memorato, & omnibus refrenatis, pluribusque egressis, janua fuit clausa, & mane sequenti illam fabricari mandavit, quin valeret nullatenus aperiri. Perrexerunt autem universi egressi ad Terram Montis-Pilosi vicinam Terræ Gravinæ per milliaria octo. Crevit autem rumor maximus inter Populum dictæ Terræ mane sequenti prædicto, & omnes coram dicto Angelo comparentes mirabantur, quid sibi vellet subitus talis recessus; & deducto ad maturum consilium, deliberatum fuit per universos restantes Concives, quòd amodo nullus talium recedentium aliquatenus recipiatur in Terra. Et sic jussum est. Post autem dies tres aut quatuor, quia si qua verba schismatica dicta fuerant per impios inimicos, frustra dicta fuerant, & causâ scandali; nam dictus Judex Garganus animo fallaci, & generandi scandali dixerat, quòd Angelus Domini Gualterii Hungaros & Theotonicos in Terram Gravinæ volebat inducere causâ dissipationis inimicorum suorum, & consequenter singulos homines dictæ Terræ facere disrobare, & fœminas violare, ut guerrarum moris est, credens per hæc verba subvertere Populum contra Angelum memoratum. Sed vana cogitatio sua fuit, quoniam idem Angelus, ut præscriptum est, non consensit inimicos capitales in-

interfici, & eorum bona & robbam auferri, immo permisit illos discedere salvos, nullâ per eum illis illatâ molestiâ. Sed credendum, quòd si schismata talia publicata fuissent per Terram ante recessum dicti schismatici, nequaquam recedere potuisset, sed oportuisset ipsum subitò mori. Unusquisque illorum, qui recesserant, & apud Montem-Pilosum abierant, per interpositos nuntios ad dictam Terram redire humiliter petierunt; & quamquam esset universaliter prohibitum, nullum debere hujusmodi recedentium redire ad Terram volentium iteratò recipere, tamen Angelus idem humano ductus animo & benigno singulos redire volentes ad Terram redire permisit cum voluntate Civium singulorum. Et sic infra duos aut tres dies singuli, qui abierant, redierunt ad Terram.

Præfatus autem Judex Garganus & Judex Robertus, Abbas Nicolaus, & Cubellus sui filii cum eorum uxoribus & familiis apud Gravinam nullatenus redire præsumunt, immo unà cum Hodorisio de Turri præfato, Angelo filio Judicis Stephani, Notario Petro, Antonio nepote suo, Johanne filio Nicolai Crudelis, Johanne filio Pandoni, & Martino de Chessa, societatem fecerunt, non quòd ipsi Judex Garganus & filii, dictusque Hodorisius, Angelus Judicis Stephani, Martinus, & Johannes de Crudeli inimici essent dicti Angeli capitales, malivolo tamen eorum corde seducti cum dictis nostris æmulis se capitalibus adhæserunt, & facti sunt æmuli capitales nulla causa legitima præcedente. Factoque inter eos consilio accesserunt simul ad Dominum Robertum de Sancto Severino, & Comitem Rogeronum Tricarici Comitem, offerentes se prodere Civitatem Gravinæ in eorum manibus, & Angelum prænotatum. Et tanto cautè in causa procedunt, quòd vix sciri poterat hic tractatus. Uxor autem dicti Judicis Gargani, Churamaria nomine, videns, quòd dictus Judex Nicolaus Capitanius, Angelus, & sui sequaces omnes, qui de Terra recesserant, receperant amabiliter intus Terram, de consilio dicti viri sui cum filio in ulnis parvulo Johanne nomine pervênit Gravinam, credens bona, quæ dimiserat, post suum recessum salvare se posse. Et dum venisset Gravinam, invênit dictum Capitanium habitantem in domibus suis, quas dimiserant vir suus & ipsa. Invênit etiam dictum Capitanium totum frumentum, & hordeum dicti viri sui & filiorum pro Curia recepisse, & omnia bona eorum posita esse in strage. Et dum præsentaret se coram eodem Capitanio, scitura causam captionis bonorum suorum, gerens filium suum in ulnis, puerum utique trium annorum, mulierem ipsam & filium de pecuniis constrinxit. Tamdem ad preces quamplurium dimisit eamdem mulierem abire sub fidejussoria cautione, & dictum puerum in Palatio obsidem posuit sub custodia dicti Cicci, qui custodiæ præerat Palatii supradicti. Tunc similiter captus est cum eodem puero filius parvulus ejusdem ætatis Hodorisii supradicti, & in eodem Palatio positus velut obses, ex eo quòd patres eorum, qui extra Terram erant, filiorum suorum compescerentur amore ad mala paranda. Sed fuit in contrarium cogitatum, quia malo eorum corde pejus operabantur, de suis filiis non curantes. Videns autem Churamaria præfata filium habere non posse, quantumcumque cum Angelo præfato juvare se vellet, nec potuit, reversa est in Montem-Pilosum ad virum, de fidejussione per eam præstita parum curans. Contra quos fidus idem Capitanius non processit. Similiter idem Capitanius victualia omnia dictæ Dominæ Vellæ, filiorum Pandoni, Johannis Nicolai Crudelis in parte pro Curia vendi mandavit. Erat autem in Gravina tunc præsens Alfarana mater dicti Johannis de Nicolao Crudeli, & certè mulier bona. Hæc mulier in tantum scivit tractare dulcibus verbis cum dicto Capitanio, quòd soluta sibi aliquali pecunia subtus manum, ipsam & bona sua occasione exterioris filii non ulteriùs molestavit.

Interea nuntiatum est dicto Angelo, quòd tractantibus dictis Judice Gargano & aliis, Dominus Robertus de Sancto Severino, & Rogeronus Comes Tricarici, venturi erant apud Gravinam hostiliter unà cum Lamberto de Fusto de Neapoli Justitiario dictæ Dominæ Ducissæ in Valle Muri. Et quòd Domini ipsi gentem undique congregabant. Tunc miserunt me apud Barulum ad Dominum Voyvodam, qui erat ibidem, & maximum exercitum adunabat, significaturum dicto Domino per literas dicti Capitanii & oretenus, futuros contra nos Dominos prænotatos, supplicando, ut sibi placeret gentem suam ad nos mittere adjutricem. Et dum præsens coram eo adessem, libenter spopondit gentem mittere copiosam in auxilium Civitatis. Tardavit autem talis succursus per dies & dies, me remanente cum eis. Finaliter nuntiatum fuit dicto Domino, quòd Civitas Rubi, & Castrum Terlicii, quæ & quod erant donata præfato Domino Johanni Chutz Hungaro per dictum Robertum de Sancto Severino, erant penitus dissipanda, pro eo quòd licèt Civitas Rubi pro dicto Domino se teneret, tamen Castrum Rubi fortissimum pro dicto Domino Roberto viriliter tenebatur, & cum hominibus Civitatis continuè prœliabant. Et ecce dictus Dominus Johannes ad tutelam Terrarum ipsarum missus est cum equitibus Hungaris & Theotonicis circa trecentis & peditibus quasi centum; & me requisito simul accessimus usque Rubum, ubi per dies duos sistentes ibidem, demum apud Gravinam accessimus in manu potenti, ubi dictus miles per universos Terræ Concives honorabiliter fuit receptus, & hospitatus est in domibus dicti Angeli honoranter. Et quiescentes ibidem per unum diem vel duos, nuntiatum fuit, quòd Fustus prædictus unà cum exterioribus nostris æmulis plurimos congregaverat malandrenos in Terra Oppidi vicina Civitati Gravinæ per milliaria decem & octo, venturos tam citò hostiliter in eamdem Civitatem Gravinæ. Et perductis iis ad notitiam dicti militis Hungari, statim miles idem actibus bellicis eruditus, mandavit eidem Capitanio ut viros centum pedites armigeros dictæ Terræ faceret præparari, & equites, si qui essent in Terra, ut ipsomet die ad sonum buccinæ compareant coram eo, nullo sciente, quò essent ituri. Elapsâ verò horâ quasi vespertinâ ecce pulsus intonuit buccinæ, & unusquisque equitum & peditum ad arma concurrit, & præsentes coram dicto milite exeunt Civitatem. Quum autem extra Civitatem fuerunt, dicto Capitaneo remanente in Terram, ait idem miles dicto Angelo & Judici Nicolao Domini Corradi Caporalibus nostris: *Ecce extra Terram sumus: ducite nos ista nocte fideliter apud Oppidum, quia ibidem paratos inveniemus malandrenos super vos veniendos. Nec cuiquam dicatis nostrum accessum, nisi quando oportebit singulos scire.* Et sic factum est. Accedunt itaque singuli ipsa nocte apud Oppidum, & tota ipsa no-

 cte

cte ambulantes, & per magnas tenebras noctis aliquantulum quiescentes, pervenerunt ex mora illa ad dictam Terram horâ quasi ortus Solis. Et intrantes Terram illam non tamen simul, sed unus post unum, Terram eamdem undique invaserunt. Ut autem intus fuerunt, pro majori quasi parte cœperunt ad terrorem habitantium ignem imponere in certis domibus dictæ Terræ; & ecce rumor maximus crevit in Cives, & inæstimabilis stridor dentium, ululantium mulierum, & Populi dictæ Terræ. Plurimi autem malandreni, qui erant in Castro cum Fusto jam dicto, acceptis armis se paraverunt ad defensionem eorum, inter quos erant Paulellus de Muro, Jaconus de Muro, & tota pars Fontanæ, & pars etiam Sansonum laudatorum in partibus Vallis Muri. Erantque etiam ibidem Judex Robertus, prædictus Hodorisius, Johannes filius Pandoni, Nicolaus de Aversa, Nicolaus Notarii Guillelmi, Martinus de Chessa, Angelus Judicis Stephani, & certi alii nostri æmuli de Gravina cum dicto Fusto, ut præscribitur, adunati tam citò venturi Gravinam. Angelus autem præfatus unà cum Venuto Magistri Johannis, & Cicco de Gregorio soli tres præcursores ingressi sunt Terram illam; & obviantes malandrenis eisdem, quia modici soli erant eo tunc, ab eisdem malandrenis fuerunt oppressi in tantum, quòd dictus Ciccus & Venutus dimisso Angelo aufugerunt. Dictus autem Angelus eques erat, nec poterat cum illis abire, eo quòd Terra Oppidi in quodam monte consistit, Castrum suum & Terra in costeria dicti montis, estque Terra composita multis ripis. Et insequentes dictum Angelum, cum equo fugere non potentem, diversis lancearum ictibus ferierunt equum prædictum. Qui equus sentiens se percussum ad mortem, à quadam instanti ripa præcipitavit se à summo usque deorsum. Unde dictus Angelus sic præcipitatus ab alto sub equo cecidit, & sub equo jacebat, nec poterat surgere. Tunc malandreni illi ultra viginti irruentes in eum in manu salva ceperunt eumdem Angelum, inter quos erant Paulucius de Muro, Jaconus de Muro, & plures amici noti dicti Angeli, per quos mortis periculum tunc evasit.

Erant autem dicti malandreni de parte Fontanæ; qui dictus Angelus etiam amore potentiorum malandrenorum & Caporalium, partis erat ejusdem; & licèt malandrenis ipsis esset incognitus, tamen amore partialitatis eum perimi ab aliis minimè consenserunt. Verùm ipso intercepto, sublatis sibi armis, & sella equi, quoniam equus mortuus erat ictibus lancearum, eumdem Angelum captivum deportabant ad Castrum, nulla sibi in corpore læsione illata. Dum verò ipsum Angelum deportarent captivum, ecce maxima concio Hungarorum affuit in auxilium Angeli supradicti, licèt ignorarent Hungari dictum Angelum esse captivum. Ii autem, qui dictum Angelum portabant captivum, videntes Hungaros in eos venire, & volentes cum velocitate portare Angelum supradictum captivum ad Castrum, ipse Angelus cum manu in gutture feriens huic, qui portabat eumdem, manus illorum detentorum violenter evasit. At illi de eo nihil curantes dimiserunt illum, non sequentes eumdem, sed potiùs de propria salute pensantes. Dicti verò Hungari sæviùs insequentes malandrenos jam dictos, contigit eos obviare dicto Judici Roberto de Gravina, quem crudeliter occiderunt, & malandrenos duos alios cum eodem longè parùm ab eo. Retulit mihi dictus Angelus, quòd dum dicti malandreni visis Hungaris prænotatis fugerent versùs Castrum, timore Hungarorum ipsorum, duo ex dictis Hungaris videntes dictum Angelum per aliam viam fugientem ab ipsis malandrenis, cucurrerunt post eum, & ipsum adjunxerunt exspectantem eosdem. Credebat autem ipse Angelus cognosci ab illis. Ut autem cum eo fuerunt, evaginatis gladiis feriebant crudeliter in eumdem. At ipse dum magis clamaret eum esse, eorumque amicum, velut non intelligentes Linguam Latinam, in eo tanto magis feriebant, nec poterat manus eorum evadere. Tamdem videns se diversis ictibus esse percussum ab ipsis in capite, quia in corpore lædi non poterat, desperatus de vita sua irruit super unum illorum, & cum manu feriens illum in gutture præcipitavit illum in terram, & per fugæ subsidium manus evasit illorum; & progrediens paulò ante, invênit de Gravinensibus turbam magnam discurrentem Terram eamdem. Ut autem viderunt ipsum Angelum sic sanguinolentum & percussum, facti territi stupuerunt. Et volentes illum associare, nequaquam consensit, sed jussit illos acriùs Terram comburere, & penitus dissipare. Interrogavit autem eos, si equum suum destrerium ductum vidissent, & ubi posset illos invenire, ut rediret Gravinam; & assistens ibidem Janucius de Gervasio noster socius, jumentum suum bonum descendens, ac laceratâ sibi camisiâ & vulneribus alligatis, super ipsum jumentum protinus equitavit, & invento suo destrerio in via, soli duo reversi sunt apud Gravinam Eoque applicante Gravinam, ululatus magnus & planctus factus est per universos Concives, præcipuè per suos benivolos & sequaces. Et perveniens ad meum hospitium hospitatur ibidem, quia in suis domibus Hungari morabantur. Hungari autem, & universi Theotonici, & Gravinenses Latini astantes secum ingressi sunt Terram Oppidi memoratam, & pro ut præscribitur, ignem imponentes in diversis partibus dictæ Terræ, tota ipsa Terra fumare undique videbatur. Et propterea magno timore concepto universus Populus generis utriusque pro majori parte valles & nemora proxima dictæ Terræ per fugæ subsidium petierunt. Prædictus verò Fustus, & alii malandreni congregati per ipsum, qui in Castro ipsius Terræ potenter sistere se credebant, videntes tantum gentium ululatum, dimisso Castro fortissimo, ac equis & armis innumerabilibus, vallium auxilium petierunt. Sicque pro majori parte Populo dictæ Terræ hinc inde disperso, modicis interceptis, tota ipsa Terra posita est in stragem Hungarorum, & Theotonicorum, ac Gravinensium, qui fuerant depopulationi Terræ præfatæ.

Cordis enim erat Domini Johannis prædicti Militis Hungari, aliorum Hungarorum & Theotonicorum, habitâ Terrâ Oppidi, hinc inde acquirere Terras & Castra & Casalia convicina Domini Regis Hungariæ per honorem. Et verè captio ejusdem Terræ fuisset refrenatio singulorum locorum partium Basilicatæ. Sed perducto ad notitiam dicti Militis, eumdem Angelum Domini Gualterii vulneratum fuisse, & rediisse Gravinam, suum removit propositum ampliùs esse in locis eisdem, quoniam spe cujus advenerat, ex præmissis percussionibus defecerat potentia sive virtus. Duravit autem strages & prædatio dictæ Terræ in eadem Terra Oppidi ab hora prima diei usque ad horam vespertinam, vel circa, & ipsâ horâ redierunt apud Gravinam cum universa robba hominum dictæ Terræ, eâ dimissâ.

Re-

Reverso itaque dicto Milite apud Gravinam cum universa gente sui exercitus, valde condoluit de Angelo sic percusso, & sæpiùs illum visitans, secum de omnibus conferebat, quid essent facturi. Stetitque ibidem Miles ipse per dies aliquos. Et inter hæc literas à Domino Voyvoda recepit expresè, ut apud Barulum se conferret expresè cum gente, quam tulerat, recepto priùs per ipsum pro parte Regiæ Curiæ atque sua fidelitatis & assecurationis debitæ juramento. Tunc Miles idem universis probis viris Civitatis Gravinæ convocatis ante se, præsente ibidem Judice Nicolao Capitaneo memorato, & in præsentia Angeli supradicti, qui in lecto jacebat in hospitio meo novo, facta loquutione decenti & unoquoque vocatorum ipsorum fidelitatem firmissimam spondente Domino Regi Hungariæ, & Domino Voyvodæ memorato, ab eorum quolibet sacramentum fidelitatis & assecurationis debitæ super Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta recepit. Tunc Judex Angelus de Petrello ad præstationem sacramenti fidelitatis ipsius primus se erigens, ad majorem fidei firmitatem ambabus manibus sacramentum præstavit, & sic per consequens singuli juraverunt, me tamquam Notario publico de mandato dicti Militis sacramenta ipsa recipiente, & pro Curia stipulante.

Sequenti die Miles idem recessit cum universa gente, quæ venerat cum eodem, & apud Barulum recto tramite remeavit. Post cujus discessum statim ii, qui corda profana habebant, præfatus Judex Angelus præcipuè, & Martinus frater suus, ad jam dictum Judicem Garganum, aliosque exteriores nostros æmulos transmiserunt, dictum Militem recessisse Gravina dicentes: *Ecce Hungari recesserunt: tractetis sic, ut in manu potenti veniatis cum auxilio Dominorum de Sancto Severino; quoniam vos ex exteriori, & nos ex interiori parte Civitatis, Angelum Domini Gualterii, suosque sequaces penitus confundemus. Sed antequam possitis in manu forti venire, ordinetis, quòd super animalibus & hominibus Gravinæ præda fiat & strages. Et fortè ex ipso rumore prædæ contra dictum Angelum, & Capitanium Civitas rebellabit nostro impulsu*. Posset quis dicere: Si ergo dictus Angelus, & Capitanius, aliique sequaces sui initium proditionis novistis, quomodo circa destructionem talium proditorum minimè processistis, cùm potuistis? Respondeo, quòd dictus Judex Angelus, & fratres, aliique sui sequaces consanguinei erant dicti Angeli, nepotesque erant Fratris Lucæ Prioris Sancti Andreæ, & Gregorii Judicis Laurentii fratris sui. Et pro majori fidei firmitate omni die quasi epulabantur cum dicto Capitanio, & Angelo, velut amici perfecti. Ciccus & Coccella fratres consobrini sui erant, & semper continuè unum erant, ad omnia consilia vocabantur, ut veri fideles. Nec ex præmissis rationibus erat suspicio aliqua super eos. Habebant autem nuntium eorum fidum quemdam nomine Johannem Maryonum virum zappatorem, & vilis conditionis. Ipse Johannes continuè ibat & redibat ad Dominum Robertum cum literis, & novis, & insidiis super nos præparatis, & habebat secum panem unum artificialiter factum, in quem hujusmodi literas recondebat. Et quandocumque Terram exibat per Portam Civitatis, habens zappam in collo, & panem illum in bisaciolis & flascum vini, quasi iret ad vineas videbatur. Posset etiam objici, hæc vera non esse, sed divinatoria verba, & causa simplicitatis nostræ nos periisse. Respondeo, quòd consequenter dum extra Terram nostro fato fuimus, Angelum Judicem Stephani de persona cepimus in quodam conflictu, qui per nos in Campanario Rubi captivus adductus, & tormentis expositus hæc omnia nobis seriosiùs indicavit, & per plures alios Gravinenses hæc scivimus, qui ex ore dicti proditoris se inde laudando, pluries audiverunt; quia verò valde prolixum esset tantam sequi materiam, processum incoeptæ materiæ assequamur.

Quum autem Miles jam dictus Barulum applicuit ad Dominum Voyvodam prænotatum, quia Miles idem magni consilii homo erat, nuntiatum est per ipsum Militem dicto Domino, quòd Gravinenses, juxta id quod viderat & cognoverat, fidelissimi erant Domini nostri Regis & sui, & propterea de Terra Gravinæ poterat esse securus. Erant autem cum dicto Voyvoda viri providi & potentes Corradus Lupus, Dux Guarnerius, Comes Triventi, Dominus Petrus filius Comitis Bellauti, pluresque Milites & Barones, Hungari, Theotonici, & Latini, equites & pedites ultra decem millia. Et de communi consilio scripserunt jam dicto Palatino, qui in Vigiliis morabatur, quòd secum loqui volebant de pluribus confidentes, ex eo quòd Cives Juvenacii, & Melfictæ, qui se dominio tradiderant Domini Regis Hungariæ, scripserant dicto Domino Voyvodæ per speciales Syndicos & nuntios sæpiùs & per sæpe, quòd à præfato Palatino & gente sua multifariè vexabantur, ea scilicet ratione, quòd ipse Palatinus petebat omnino dominium Terrarum ipsarum, tamquam indultarum sibi per Lodoicum Latinorum Regem & Reginam consortem suam. Quod sibi Cives jam dicti penitus denegabant, nec consentiebant aliquatenus ex demanio reduci ad dominium Baroniæ; libentiùs enim mori petebant sub dominio Domini Regis Hungariæ, quàm ditari sub dominio Palatini. Et ex hac supplicatione & informatione dictus Dominus Voyvoda Tranum pervênit, ut super colloquio habendo cum Palatino jam dicto inter Tranum & Vigilias viâ mediâ statutis terminis possent esse. Habito itaque responso ab eodem Palatino, quòd in Lama Vigiliarum loqui erat cum eo paratus, subitò dictus Dominus Voyvoda unà cum jam dicto Corrado, & Duce Guarnerio, aliisque prænotatis Nobilibus cum egregia equitum comitiva, Hungarorum præcipuè, ad constitutum locum jam dictæ Lamæ pervênit. Et ecce pervênit ibidem Palatinus prædictus cum honorabili comitiva stipendiariorum suorum. Et remotis hinc inde singulis adstantibus, dictus Dominus Voyvoda & Corradus vocaverunt ad se jam dictum Palatinum, qui veniens ad eos fideliter cum Militibus suis duobus prudentibus, super causa loquuti sunt diligenter, monentes & requirentes eum, ut memor sit accepti beneficii sibi facti per quondam Ducem Andream, qui suâ invidiâ fuerat interemtus; quòdque ea consideratione Domino Regi Hungariæ fideliter obediret, & cum eis honore dicti Domini Regis contra rebelles dicti dominii militaret. Nam parati erant, ubi hoc fideliter ageret, ad gratiam Regiam cum amore intimo provocare. Aliud etiam in sua loquutione sequuntur dicentes, in hoc vehementiùs admirantes, quòd Civitates Melfictæ & Juvenatii dicti Regis fideles multifariè vexari mandabat per stipendiarios suos, requirentes eum propterea, quòd contra fideles hujusmodi Regios amodo molestas recessarent. Ad quorum sermones idem

idem Palatinus respondens ait: *Nobilissimi Milites: verba nobis prolata per vos bene perpendimus, & credimus vos Dominos hac qua dicimus plenè scire. Nonne scitis, quòd quando Dominus Rex Hungariæ primò ad Regnum pervénit, nos fuimus in suo servitio cum nostra potentia, & spe sua usque in Hungariam venimus, & ipsum ad Regnum induximus, ut suorum vindictam sumeret proditorum? Ipse autem postquam Regnum ingressus est, & vindictam habuit proditorum, majoribus proditoribus æmulis nostris pepercit. Et ad petitionem eorum jussit nos Regnum exire, quod displicenter egimus velle nolle, quum non essèmus ita potentes; nunc autem vos dicitis nos esse debere vobiscum servitio suo. Absit. Juris enim non est, quum ab eo pheodum nec Terras aliquas teneamus. Sed quia vos amicabiliter requirere nos audetis, volumus id spondere, ut deinceps vobiscum vivamus pacificè, & sub treguafirma. Verumtamen volumus, quòd super dominio Civitatum Melfictæ & Juvenatii nullatenus nos turbetis, sed ipsos nobiscum sinite militare, quoniam vobis in fidei verbo promittimus acquisitis Terris ipsis nostro dominio, quiescemus in pace, nihil innovaturi deinceps contra honorem Regiæ Majestatis. Si verò nos impedire voletis ad hoc, scitote firmiter, quòd cum stipendiariis nostris inimicitialiter resistemus.*

Audiens autem Voyvoda taliter Palatinum eumdem superbè fuisse loquutum, cogitavit protinus intercipere ipsum, & convocato ad se quodam Milite Hungaro mandavit ei, ut unà cum aliis Hungaris eumdem Palatinum & gentem capiendos circuirent. Quod sentiens Corradus Lupus & Dux Guarnerius memoratus, rogaverunt eumdem Voyvodam, ut talis remaneret insultus, consulentes ei, quòd promissionem factam per Palatinum recipiat sub fidei sacramento servandam per eum, & similem promissionem recipiat à Theotonicis Caporalibus stipendiariis suis, & ipse Voyvoda Palatinum ipsum non turbet super dominio Melfictæ & Juvenatii Civitatum. Hoc autem dicebant, ut idem Palatinus, qui potenter in Terra Bari restabat fidem servando promissam, nullam guerram faceret contra fideles Regiæ Majestatis, ut ipsi cum eorum exercitu contra Lodoicum Latinorum Regem, provinciâ Terræ Bari in pace dimissâ, possent securiùs militare. Sed tamen contrarium cogitarunt, quoniam erga ipsum nulla fuit fides inventa. Et sic de ipsorum consilio amovit suum propositum idem Voyvoda, & promissionem factam & petitam per eumdem Palatinum firmiter acceptavit, præstito hinc inde corporali ad Sancta Dei Evangelia juramento de observantia promissorum. Et sic loquutione completa dictus Palatinus versùs Vigilias, & idem Voyvoda versùs Tranum, mutuò petitâ licentiâ, remearunt. Et demum apud Barulum veniens idem Voyvoda morabatur ibidem; ubi dum esset, cogitans cum aliis Caporalibus sui exercitus, quò essent ituri, ecce Nuntii duo expressi Neapoli venientes cum literis quorumdam Militum Neapolitanorum, & literis Universitatis Neapolis vitiosè compositis per dictum Lodovicum Latinorum Regem, & alios Regni Magnates ad dictum Voyvodam transmissi, ut versùs Neapolim cum eorum exercitu se conferrent, quia parati erant Civitatem Neapolis, & omnes Civitates Terræ-Laboris sibi supponere honore Regiæ Majestatis. Et hoc faciebant eo prætextu, quia Hungari stantes in partibus Terræ Bari totam ipsam provinciam

A subjugassent, sicut Capitinatæ provinciam subjugarunt, unde expulerant ipsum, & exercitum cunctum suum. Disposuerant autem idem Voyvoda & alii Caporales versùs Barum cum eorum exercitu militare, ipsamque Terram acquirere quomodocumque, & demum successivè de Terra in Terram usque Ydrontum. Et sic paulatim paulatim totum Regnum discurrere, & finaliter in Civitate Neapolis se conferre. Et verè sanius consilium istud fuit. Ut autem viderunt nuntios prænotatos, & literas perlegerunt, habitoque mutuo eloquio cum nuntiis memoratis, præfati nuntii juxta informationem factam eisdem tam magistraliter sunt loquuti & firmiter, quod firmius dederunt credere dicto

B Domino Voyvodæ contenta in dictis literis vera esse. Deductis itaque literis, & nuntiorum verbis in communi Consilio dicti Domini & Caporalium aliorum, visum fuit eis esse magis expediens & accessus utilior versùs Neapolim militare, quàm heic inde accedere, pro ut erat superiùs ordinatum, dicentes: *Eamus ad partes Terræ-Laboris, & curemus habere Civitatem Aversæ pro nostro recupero, & demum cum Civibus Neapolis tractatum habere poterimus, quem captamus. Nam certum est, quòd acquisita Civitate Neapolis, quæ nobis ecce promittitur, totum Regnum nobis est acquisitum.* Fuit autem istud non sanum consilium literis velle credere & promissionibus Neapolitanorum, quia,

C ut præscribitur, hoc vitiosè factum erat, ut de partibus Terræ Bari, ubi incœperant militare Hungari recederent, & ad alienas partes Terræ-Laboris accederent inter multifarios inimicos, ubi Neapolitani & viri alii partium illarum cum Lodoico Rege Latinorum contra dictos Hungaros impugnarent, & in partibus Terræ Bari & Capitinatæ, ubi tantas acquisiverant Terras, impulsibus tum Palatini, tum Domini Roberti & aliorum de Sancto Severino convicinorum, ac Domini Raymundi de Baucio Terræ acquisitæ eisdem Hungaris rebellarent.

Igitur per eumdem Dominum Voyvodam & alios Caporales proviso diligentiùs super causa, providerunt salubriùs ad partes Terræ-Laboris

D accedere, quàm juxta primum propositum militare hinc inde. Et adunato ibidem in Barulo cuncto exercitu, circa cumulationem pecuniæ per Magistrum Nicolaum Macziæ de Manfredonia statutum per eum Magnæ Regiæ Curiæ Magistrum Rationalem cum magna solicitudine jussit intendi, ut ex ipsius perceptione pecuniæ bona paga fieret stipendiariis universis.

Deinde morante in Civitate Gravinæ jam dicto Judice Nicolao de Monte Capitaneo, per gentem Domini Roberti, & Rogeroni Tricarici Comitis, unà cum Notario Petro & aliis nostris æmulis, in eadem Terra Gravinæ sæpiùs in animalibus præda fiebat, quæ quandoque recupe-

E rabantur per sequaces dicti Angeli, & quandoque recuperari non poterant. Contigit autem uno die, videlicet die Veneris Sancto, Dominum Nicolaum Campanellum Militem de Neapoli Domini Roberti Militis & Collateralium cum sociis decem & septem bene equitibus, ac cum peditibus quadringentis Lombardis ex conductu Paschalis de Rosata de Monte Selicola Magistri Massarii Massariarum dicti Domini Roberti in Monte Selicola venisse apud Gravinam, seu prope, de nocte hora quasi in primo somno. Et pervenientes ad ovilia Angeli Domini Gualterii tulerunt abinde ovium milliaria duo & ultra, & prope ibidem aliorum patronorum totidem; etiam pastores, ex quibus pasto-

ftoribus duobus evasis tam citò pervenerunt Gravinam, & nuntiato dicto Angelo causa & facto per pastores illos, rumor in Populo pulsante campana ad sturmum, universus Populus ad domos concurrit Angeli supradicti, quid esset exinde faciendum. Tunc inde Angelus volens cum cautela procedere, interrogavit in præsentia omnium dictos Pastores, quanta gens fuerit in tollendas oves easdem. Qui dixerunt: *nox obscura est; sed juxta id, quod potuimus æstimare, credimus fuisse equites circa viginti & pedites circa quinquaginta cum multis balistis*. Interrogati, si essent valde allongati, dixerunt, *quòd adhuc prope sunt*. Tunc Dominus Guillielmus, Venutus, Coccella, Nicolaus Lupus, & socii alii inter omnes viginti unum paratis equis contra voluntatem dicti Angeli equitaverunt post prædatores jam dictos, & insequentes illos, adjunximus eos in Valle Sancti Felicis de tenimento Gravinæ, quasi media nocte transacta. Ut autem sentivimus rumorem & ululatum ovium abeuntium, & vestigia equorum illorum, appositis galeis in capitibus nostris super illos vociferavimus diligenter. Tunc Zoccula de Gifono, & Nicolaus de Sterchio nostri socii balistarii optimi protensis balistis & sagittis appositis in eisdem semoti à nobis parum, nos autem catervatim super illos irruimus viriliter & potenter. At illi in cujusdam montis in dicta Valle sistentis cacumine constituti, & quoddam eorum tympanellum pulsans clamabant nobis dicentes: *properate ad montem*. Nos autem minas eorum & verba minimè pertimentes super eos accessimus, inter quos erant balistarii quindecim, qui unus post unum jacientes in nostra turba nullum nostrum gratiâ Dei læserunt. Dicti autem Zoccula & Nicolaus duos eorum acriùs vulnerarunt, & mortui sunt longè parum. Nos autem qui equites cum lanceis adstabamus, simul currentes in illos violenter fugavimus eos ex illo loco, & illis corruptis dispersi sunt hinc inde. Quia verò nox erat obscura, quasi juxta diem, per obscuritatem noctis penitus evaserunt; & recuperantes prædam ovium dicti Angeli & pastores, per eosdem oves remisimus apud Gravinam, & equitantes post illos per viam, qua itur apud Montem Selicolam, jam orto Sole longè parum à Fonte Fœtida, quæ est in media via ipsius itineris, vidimus quosdam ex illis peditibus plures cum balistis abire, & toccum unum dimissarum ovium trasportare. Nos autem, quia longè eramus ab illis, quasi per milliare unum, veloci cursu equorum cucurrimus post eosdem. Et antecedentibus nobis Johanne de Abriola, Dompno Guillielmo, Mattheo Zocha, & Coccella, subtus Montem Selicolæ adjunxerunt eosdem, & audacter ferientes in illos in momento unusquisque unum occisit illorum. Reliqui autem videntes socios nostros lethaliter sic ferire in illos, timentesque de nobis succurrentibus sociis nostris in illa planitie subitò versis tergis montis, Montis Selicolæ auxilium petierunt. Dictus autem Johannes de Abriola noster socius videns in costeria dicti montis illos eques non posse lædere, descendens equum, pedes ensem tenens in manibus, & alii socii nostri eques ex illis novem homines occiderunt in illo conflictu. Nos autem ex illis Lombardis novem alios accepimus de personis, quibus compatientes honore tanti sancti diei ferire noluimus, sed eos apud Gravinam deferebamus captivos. Viri autem Montis Selicolæ, quæ Terra pro Domino Francisco de Baucio filio

A quondam Comitis Berterandi de Baucio Magistri Justitiarii supradicti fideliter tenebatur, Officialisque erat in ea quidam vir Nobilis Provincialis nomine Janininus, homo quidem magnæ & pulchræ staturæ, & ejusdem Angeli suorumque sequacium perfectus amicus, adstabant circa fossatos dictæ Terræ in cacumine montis, nec ipsorum aliquis descendere fuit ausus in auxilium Lombardorum, licèt in cacumine illo armati singuli ad sonum campanæ adstarent. De quibus aliquantulum dubitantes alias antecedentes oves dubitavimus sequi, quia montem transierant dictæ Terræ, & versùs Gentianum abibant. Dubitavimus etiam eo præcipuè, quòd in Terra ipsa idem Dominus B Robertus dominii partem habebat. Quia verò equi nostri tanto labore & cursibus fessi erant, utiliùs providimus redire Gravinam cum carceratis illis, quàm ulteriùs velle procedere, quoniam longè eramus à Terra Gravinæ per milliaria duodecim. Et sic de communi consilio divertentes pervenientes ad Fontem præfatum, ecce contigit nos obviare equitibus illis in via, portantes secum pedites socios duos. Quieverant enim viri illi ex hora qua rupti fuerant, in Base . . . to usque quasi ad horam meridiei, suique erant equi optimi reposati. Nostri autem plurimùm fatigati, quos idem Zoccula noster socius prævidens, tamquam noster præcursor, & illi eum, de illorum adventu per di- C ctum Zocculam conscientia nobis facta, paratis armis nostris libentiùs irruimus super illos. At illi modicum sustinentes abierunt equorum cursu veloci. Nos autem equos fatigatos habentes parum insequentes sequi nequivimus per impotentiam equorum. Accepimus enim viros duos illos, quo pedes portabant, & ligatis post terga manibus ducebamus eos Gravinam. Pastores autem, qui primò iverant cum ovibus recuperatis apud Gravinam, nuntiaverunt eidem Angelo & universis Civibus dictæ Terræ præfatos prædatores per nos fuisse corruptos in Valle Sancti Felicis jam dicti, eosque promtissimè fuisse sequutos; quorum informatione statim singuli equos habentes absque requisitione ali- D qua Capitanei in nostrum auxilium pervenerunt, & plurimi pedites cum eis. Ut autem pervenimus ad altum Sancti Felicis, distans à Terra Gravinæ per milliaria sex, vidimus magnam gentem eques & pedes per viam Lamæ Culmæ versùs nos venientem. Quam quum vidissemus ita subitò, credidimus inimicos, & paratis armis, ac datis captivis illis bene ligatis custodiæ trium nostrorum, contra illos cucurrimus promto corde. Tunc adhærentes mutuò novimus nos metipsos, & simul cum victoriâ rediimus apud Gravinam dictis interceptis carceri Capitanii introductis.

Displicuit autem satis Domino Roberto de Sancto Severino jam dicto suorum dissipatio fa- E mulorum, & cogitabat continuò tantam injuriam vindicare. Unde per interpositum nuntium supradictum Johannem Maryonum de Gravina, per sæpedictum Angelum de Petrello transmissum, rescripsit Judici Angelo memorato, quòd illorum, qui captivi erant, curam teneret, quia non moriantur, quoniam ipse petitam gentem citò intendebat mittere generalem prædam facturam contra singulos Gravinenses, scribens ei, quòd in adventu suæ gentis armigeræ curaret & tractaret, quòd ex confortatione sua & suorum sequacium exirent eques & pedes ii, qui soliti erant exire ad pugnam, illi præcipuè, qui tantum homicidium commiserunt in famulos suos; quos

quos idem Judex Angelus sponte spopondit, sed minimè in puncto valuit sua proditio. Posset dicere aliquis: unde scivistis hæc verba? quæ si scivistis, quare non ad vindictam debitam processistis? Respondeo, quòd hæc verba scivimus consequenter post longum tempus nostri exitus ex confessione dicti Angeli Judicis Stephani, qui tunc erat cum nostris æmulis extra Terram, petens Dominum Robertum jam dictum, quando illum posuimus in tormentis. Et ecce post tres aut quatuor dies dum Angelus de la Scofa, & Angelus de Mayorano, ac Nicolaus Pullesius de Gravina viaticarii, quia per guerram initam somerii sui fuerant eis ablati, causâ recuperationis eorum in Montem Selicolam perrexissent, intellexerunt ibidem per speciales suos amicos, gentem plurimam versùs Gravinam dicti Domini Roberti esse ituram ad clamorem interiorum proditorum, ut saltem magnam facerent prædam. At ipsi intellectâ causâ, post Solis occasum horâ tardâ quasi obscurâ de Monte Selicola recesserunt expresè venientes versùs Gravinam nuntiaturi Capitanio & universis hominibus inimicorum adventum. Ut autem montem descenderunt Terræ ipsius, senserunt parum longè ab eis turbam magnam equitum & peditum venientem versùs Gravinam. Quos quum audierunt, veloci cursu tota nocte venientes applicuerunt Gravinam media nocte transacta.

Erat autem tunc dies festi Paschatis infra Octavam. Quibus applicantibus Terram, per custodes Civitatis fuerunt sentiti, & interrogati qui essent. At illi nomina eorum dicentes recogniti, quia Cives: adhærentes Portæ Civitatis dixerunt. *Itote ad Capitanium & Angelum, & dicite illis: ecce venimus de Monte Selicola cum velocitate: Et ecce post nos veniunt contra Civitatem plurimi prædatores gentis armigeræ Domini Roberti*. At custodes domum Capitanii citiùs adeuntes nuntiaverunt sibi negotium nuntiorum. Tunc Capitanius idem per eosdem vocari mandavit Angelum memoratum, & veniens idem Capitanius ad domos Angeli, præfatis nuntiis jussit aperiri Portam Civitatis, & ad eum venire. Quibus præsentibus ait dictus Capitanius: *dicite quæ nova sunt*. At illi retulerunt causam, prout superiùs annotatur. Tunc Capitanius idem eâdem horâ singulos probos viros vocari ad se mandavit, & universum Populum excitari à somno, quibus nova jam dicta ventura super Terram nuntiata fuerunt, & in momento publicata per Terram. Et ex eo rumore, antequam dies fieret, unusquisque fuit paratus ad arma ad defensionem communem. Lucescente itaque die, & orto jam Sole adhuc non apparentibus inimicis, ecce infantes duo de Gravina, qui foras ibant facturi funicolos, redierunt expresè & dixerunt: *Ecce hoc mane ante diem invenimus plures equites armatos in Ponticula, qui nos fuerunt sequuti. Sed tenebrarum auxilio evasimus manus eorum. Guillielmum autem de Murano, qui veniebat nobiscum in loco Ponticulæ, nequiter occiderunt. Quò autem iverint, ignoramus*. At omnes suspicabamur imboscatos esse in Petramanga longè parum à Civitate Gravinæ, ut omnes foras euntes capere possent in maceriis & campis. Tunc Domnus Guillielmus ascendens jumentum suum optimum, absque conscientia alicujus, ultra velle omnium, Portam Civitatis egressus est. Et pergens recto tramite ad Petrammangam, præteriit primam postam equitum, & non vidit, & appropinquans secundæ postæ, volens per eamdem viam redire, invênit dictam primam postam currere super eum. Quia verò fato suo volente fuerat bene eques, reciprocè equitans abiit, & sequutus à pluribus comprehendi nequivit. Ut autem viderunt dicta gens armigera visos fuisse, subitò exierunt omnes & versùs Gravinam venerunt audacter. Erant autem inter omnes equites circa centum & pedites circa centum quinquaginta, decenter armati. Mox ut idem Capitanius & Angelus, nostrique sequaces alii viderunt gentem illam à monte dicti loci descendere, campanam pulsari mandarunt ad sturmum.

Dicti verò inimici appropinquantes dictam Terram, inimici nostri Notarius Petrus, & alii præcursores fuerunt. Erant autem tunc in Terra Gravinæ animalia infinita præcipuè Curiæ, quæ in Terram Gravinæ nullatenus capiebant, licèt in Terram plurima interessent. Cœperunt præcursores prædicti recolligere omnia animalia, quæ extra muros stabant. Magna autem turba equitum distabat à muris, quasi per medium milliare subtus Sanctum Martinum. Tunc universus Populus clamans eidem Capitanio & Angelo: *Eamus ad eos, & recuperemus prædas nostras, & ipsos penitus occidamus*; quibus Angelus & Capitanius dicebant: *Nolumus, quòd ullus exeat moriturus, quia dubium est, ne aliqua fiat proditio. Major autem pars animalium ipsorum sunt Curiæ, & mea. Nolumus, quòd pro ipsis animalibus quis moriatur*. Et factâ maximâ prædâ abierunt absque aliquo prœlio. Quæ animalia Rogeronus Comes Tricarici integrè obtulit emere magno pretio, & saltem nonnisi centum uncias inde solvit; & verè valuerunt ultra mille quingentas largo mercato. Ut autem vidit Dominus Robertus paratam proditionem per Judicem Angelum non prodesse, scripsit per suas literas dicto Angelo, persuadens sibi, quòd Terram redderet dominio Dominæ Ducissæ, paratus ipsum & suos salvare, & generalem veniam fieri quibuscumque. Quas literas idem Angelus nulli demonstrans scidit & contemsit, nihilque scribenti respondit.

Et ecce Magister Nicolaus Medicus post alium diem loqui confidit eidem Angelo, Civitatem reddere Domino Roberto prædicto. Quod Angelus penitus denegavit. At ille per dies & dies eadem verba referens dicto Angelo, ultimò dixit sibi idem Angelus: *Caveas Medice, ne ampliùs talia referas mihi verba. Nolit Deus, quòd proditor sim Domino, cui juravi. Sed verba ista referas in communi Universitatis, & sicut communiter respondebitur, ita fiat*. Tunc Medicus ille confusus discedens ab Angelo, dicto Angelo prædicta verba, malo nostro fato, silente, rescripsit Domino Roberto non posse dictum Angelum removere. Immo scripsit, quòd cum potenti exercitu adveniret, quoniam aut de nocte aut die introitum sibi dabat Civitatis ipsius. Fecerat autem ex interiori parte domus suæ idem Medicus foramen in muro Civitatis, quoniam domus sua contigua erat muro Civitatis ipsius. Non tamen foramen illud ex exteriori parte Civitatis exitum ostendebat; erat tamen ejus introitus in sua domo celatus. Posset quis dicere: ubi tu Compositor Libri hujus tantum prodimentum præscivisti? Ut quid tenuisti secretum in vestrarum periculum personarum, & destructionem bonorum? Debuisti utique publicare. Respondeo, quòd Medicus idem, velut iniquus apostata, sua nequitia, Sacerdotali honore, & habitu Moniali deposito, Deum & suum Ordinem dereliquit, & faciens Medici sibi nomen, uxorem in eadem nostra Ci-

Civitate receperat. Erat autem Aprutinæ Provinciæ oriundus. Ergo concluditur, quòd ubi sua nequitia Deum & suum Ordinem irridere præsumsit, levius sibi fuit velle nos proditoriè irridere. Moris autem sui erat, continuè cum dictis Capitanio & Angelo conversari, & omnia eorum secreta sciebat, & videbatur per id, quod monstrabat, esse totaliter partis nostræ, omnique die quasi per Margaritam socrum suam delicatas epulas eidem Capitanio præparabat; & hac vita fungens, maximus noster videbatur amicus & cordis unius, præfato Angelo Caporali nostro silente in periculum omnium verba dicta sibi per Medicum memoratum. Si ergo nos fraudulenter illusit, ubi Deum & Ordinem suum irridere præsumsit, nulli sit mirum. Sed quomodo scivi paratam proditionem per eum facti foraminis in muro Civitatis? Consequenter hoc scivi quasi post annum ejectionis nostræ à Terra Gravinæ per matrem meam, quæ unà cum uxore mea eo die, quo Terram ipsam exivimus, de eadem Margarita socru dicti Medici satis confidens, velut sua proxima & in ejus domo, inimicorum nostrorum timendo furorem, domo dimissa propria perrexerunt. Ubi per dies & dies in abscondito permanserunt. Sed consequenter dicta mater mea cum Chiccarello de Gisualdo tunc Justitiario dictæ Terræ post nostrum exitum, & ad Terras dicti Chiccarelli per eum portata in obsidem, ab eodem Chiccarello audivit, dictum Medicum hanc paravisse proditionem facti foraminis ingressus muri, ubi dictus Angelus & Capitanius cum hominibus Civitatis fuissemus ad defensionem Civitatis. Et sic talem paratam proditionem per eum Compositor ego scivi.

Igitur præfatus Angelus & Capitanius Judex Nicolaus Domini Corradi, & ego ceterique nostri sequaces receptis literis à quodam nostro amico, nomine Fratre Berterando Provinciali Præceptore Grassani, quòd Comes Tricarici, & Dominus Robertus de Sancto Severino magnum super Civitatem Gravinæ faciebant gentium apparatum, quòdque robbam Gravinæ per universam montaneam provinciæ Basilicatæ fecerant publicare, quòdque intellexerant in eadem Terra Gravinæ proditores inesse, neminem nominando, super literis ipsis habentes consilium providimus, dictum Judicem Nicolaum Capitaneum nostrum iturum apud Barulum ad Dominum Voyvodam hæc omnia relaturum, ut dignaretur Dominus idem contra tales supervenientes nobis æmulos opportuniùs obviare. Et placuit omnibus ordo talis. Tunc idem Capitanius jussit ad se vocari viros subscriptos, videlicet Judicem Angelum de Jacobo, Judicem Nicolaum de Provinzano, Judicem Abamontem Judicis Ursonis, Robertum de Bucza, Judicem Nicolaum Domini Corradi, Montum de Petrello, Judicem Guillielmum Gactum, & me, aliosque de Gravina, quorum nomina non recordor. Inter omnes numero quindecim; dicens ita: *Mando vobis & volo, ut hac nocte mecum veniatis usque Barulum causa tutioris conductus ad Dominum Voyvodam, petere sibi gentem & suum auxilium, quomodo præesse valeamus inimicis futuris. Paratæ igitur vobis equos, ut hora, qua vos requirere faciam, eques sitis.* Qui respondentes: *sumus ecce parati.* Facto igitur tali consilio & unoquoque recedente à Capitanio ipso, horâ quasi meridiei transactâ, ecce malivolis operantibus cordibus nuntiatum fuit requisitis eisdem, quòd *ideo dictus Capitaneus vos secum*

A *requirit ituros, quòd pro tutiori statu suo in Terra Gravinæ de consilio dicti Angeli retineantur obsides apud Barulum, ubi per Dominos non daretur succursus.* Et sic universi requisiti, non ego, positi sunt in terrore, & cum ipso accedere vacillabant. Confidentes autem in me, Judex Abamontus, Judex Angelus de Jacobo, Judex Nicolaus de Provinzano, & Judex Guillielmus Gactus hæc verba mihi in secreto dixerunt. *Notarie Dominice, nos fratres & amici tui sumus, & scimus te nobiscum esse benivolum. Rogamus te, ut si verba præscripta vera sunt, indica nobis, quoniam nostri cordis non est in Castro restare. Credimus enim te scire animum Capitanii, & Angeli de hac causa, &*
B *omnibus. Et si fortè sit sic ordinatum, obsides nos restare, salvâ gratiâ consulentis, nos non sumus propterea retinendi; quia ut bene nosti, sumus perfectè fideles, & vestri sequaces. Quod si obsides Capitaneus petat, sunt alii in Terra, qui suspecti videntur, & retinendi obsides promerentur* Quibus ego respondi: *carissimi, ecce vobiscum ego venturus sum: In iis, quæ dicitis, nullatenus dubitetis, quia certè per ipsum Capitaneum hoc cogitatum non est. Sitis itaque firmi, & nolite verbis credere profanorum.* Qui respondentes dixerunt: *ecce confisi verbis per te relatis, sumus venire parati.*

Adveniente igitur hora equitandi quasi nocte media, unusquisque vocatus, fuimus statim
C eques cum Capitaneo supradicto, & apud Barulum personaliter nos contulimus cum eodem, qui protinus coram Domino Voyvoda præsens esse curavit. Ut autem Dominus Johannes Chutz jam dictus dictum Capitanium illic vidit & nos, statim scire voluit nostrum adventum. Cui idem Capitanius fideliter retulit tamen qualiter se habebat, & ad quid veneramus, auxilium gentis armigeræ petituri. Quod dictus miles audiens, statim cum dicto Capitanio ac Judice Nicolao Domini Corradi adhæsit se reverenter dicto Domino Voyvodæ, & sibi per ordinem negotium retulerunt. Quibus respondit: *providebimus quod fuerit vestræ salutis.* Tunc universo congregato Consilio coram Domino Voyvoda, ad
D quid essent in antea procedendi, & relato negotio imminentis insultus super Civitatem Gravinæ per Dominum Robertum & Rogeronum prædictos juxta informationem nostram, deliberatum fuit ultimò per dictum Consilium, esse dictum eorum exercitum versùs Neapolim militandum. In partibus verò Terræ Bari & causa nostri succursus remanere jussum est Thomam Pauli Castellanum Castri Sanctæ Mariæ de Monte, & Dominum Philippum de Sulz Theotonicum militem cum banderiis tribus Theotonicorum equitum in Castro Andriæ, & regimine Civitatis. Quibus jussit idem Dominus Voyvoda nobis præsentibus, quòd ad nostram requisitionem ad Terram Gravinæ nobis succur-
E rerent, quod nobis in ipsius præsentia Domini promiserunt libenter. Sequenti verò die idem Dominus Voyvoda jussit suum exercitum amoveri à Civitate Baruli, remanente Capitanio & Rectore ac Castellano Castri Baruli Domino Stephano de Jadra milite superiùs nominato, & versùs Canusium militare mandavit exercitum supradictum. Quam Terram, quia fossatis circuita non erat totaliter, subitò invadentes penitus deprædarunt, & ibidem eo die & nocte sequenti steterunt, ubi divitias maximas sunt lucrati. Castrum verò fortissimum dictæ Terræ capere nequiverunt, quia fortissimè servabatur. Et sic recedente dicto Domino Voyvoda cum uni-

universo exercitu à Civitate Baruli, prædictus Judex Nicolaus noster Capitanius & alii socii cum eodem, cum prædictis Domino Malospiritu, & Thoma Pauli Hungaro Castellano Montis, similiter de Civitate Baruli recessimus, & apud Andriam direximus iter nostrum. Et sic loquentes simul cum dicto milite Malospiritu diximus: *Domine miles, ecce videmus vos heic restare debere in Castro Andriæ. Non tamen constitutam vobis gentem videmus. Unde ergo promissum nobis succursum dabitis?* Qui respondens ait: *Ecce commissum mihi est per Dominum Voyvodam primò huc venire, & Castrum Andriæ meis familiaribus assignare, & demum cras summo mane accessurus sum apud eum apud Cornetum, & ibidem Theotonicos recipiam remanendos heic mecum. Igitur, ut idem Dominus Voyvoda potiùs animetur promissam tradere mihi gentem, mittite mecum cras unum vel duos socios vestros, qui Domino Voyvodæ recordentur de vobis, & de succursu promisso, & sub tali colore promissam gentem promtius sibi quæram.* Tunc Capitanius noster idem verbis spopondit dicti militis, & jussit me Notarium Dominicum, & Judicem Nicolaum de Provinzano prædictum accessuros cum eodem milite mane sequenti apud Cornetum ad Dominum memoratum, quod ad sui mandatum nequivimus recusare. Facto igitur sequenti mane ecce vocati fuimus per famulum dicti militis equitaturi cum eo. Et statim jubente dicto Capitaneo fuimus eques, ego & ille, & cum dicto milite ipso die accessimus apud Cornetum, remanentibus ibidem dicto Capitaneo & aliis sociis prænotatis usque ad reditum nostrum. Eodemque die recesserat idem Dominus Voyvoda de Civitate Canusii, quam undique prædaverant & consumserant, & recto tramite incedentes ad Terram Gaudiani, acriter militaverunt, quam subitò aggredientes similiter destruxerunt, & demum applicuerunt Cornetum. Erat autem Terra Corneti penitus consumta, & in eâ habitatores modici pauperes, quoniam ex quo idem Voyvoda Terram ipsam acceperat, quando de persona cepit dictum Ducem Guarnerium, ut præscribitur, Theotonici & Hungari plurimi ultra sexcenti continuè quasi moram traxerunt ibidem, & ideo erat per eos penitus dissipata, & in tanta fame & caristia reducta, quòd eodem die tantum & non plus, frumentum, hordeum, & vinum completa fuerunt in ea. Factaque erat in Terra ipsa per eosdem armigeros domorum & bonorum aliorum maxima tanta strages, quòd vix una domus sana tecto reperiretur in Terra. Sic illam penitus destruxerunt. Et ut veriùs alloquar, fortè quinque viros pauperrimos cum uxoribus vidi habitantes ibidem. Tunc Comes Triventi cum dictis Dominis in Terra ipsa existens, deridendo inter tantos Nobiles, ait: *Verè Terra ista sui domicilii tempore suis habitantibus læta fuit, & Populo plena. Sed credo firmiter quòd numquam tanti habitatores nobiles, sicut nunc fuerunt in ea. Non sic cras erit, sicut est hodie, quia cras heic nullus incola remanebit.*

Tunc jamdictus Dominus Malusspiritus præsentiam dicti Domini Voyvodæ adiens, & nos duo parati cum eo, Miles idem promissam petiit sibi gentem, quam Dominus idem sponte sibi promisit, nosque commissa nobis verba per Dominum Capitanium nostrum retulimus Domino prælibato. A quo gratiosè recepto responso, gratias sibi egimus subjectivas, unde congregatis universis Caporalibus & Comestabilis Theotonicis coram Domino sæpedicto, ad sonum buccinæ, & tubarum, idem Dominus fuit loquutus per constitutum interpretem suum, quia Theotonicè loqui nesciebat, jussit interpretem loqui Latinè, dicens: *Ecce sumus amodo in confinibus æmulorum, & vicina nobis est Civitas Exculi, in qua nostri sunt plurimi inimici. Non licèt ergo nos amodo absque ordine bellico militare. Fiant igitur heic Marescalli exercitus fide digni, & expertissimi, qui benè sciant exercitum ducere cum salute, & quò sit eundum, heic etiam ordinetur.* Ad hæc universi Caporales & Comestabuli prævidentes consulto electionem Marescallorum, ipsiusque exercitus regimen, prædictis Duci Guarnerio & Corrado Lupo penitus commiserunt. At illi hujusmodi ordinis in se onere collato, nobilissimos quidem Theotonicos Dominum Armagnum Fretzam Militem, & Turrimbatrum de Lort Ductores & Marescallos exercitus statuerunt. Et sic de gradu in gradum optimos in eodem Rectores & Capitaneos statuerunt, dicto Domino Vayvoda tamquam Vicario Regio super omnibus Domino remanente. Erant autem, ut audivi & vidi, in dicto exercitu viri equites Ungari, Theotonici, & Latini modici ultra milliaria septem, & pedites duo mille & ultra Lombardi. Facto igitur ordine supradicto, ipso eodemque die præfatus Miles Dominus Malusspiritus iterum de promissa sibi gente armigera Domino supplicavit. Qui referens dictis Duci Guarnerio & Corrado ministerium gentis petitæ per dictum Militem libenter promiserunt dicto Domino, ipsi Militi gentem dare promissam & ultra. Tunc vocaverunt ad se quosdam Comestabulos Theotonicos, dicentes: *Ecce Dominus Vayvoda omnino vult, quòd pro salute & diligentiori custodia Provinciæ Terræ Bari & partium vicinarum, restent in Castro Andriæ atque Terra cum Domino Malospiritu statuto Castellano ibidem Theotonicorum Banderiæ quatuor, seu quinque. Rogamus itaque vos, ut vos cum vestris sociis cum dicto Milite remaneatis ibidem, quia vobiscum alios inducemus usque ad numerum stabilitum.* Qui responderunt: *procuretis de aliis, quia nos sumus parati facere, quod jubetis.* Et procurantes de aliis iidem Caporales, illos invenerunt usque ad numerum stabilitum, dicto Milite Malospiritu remanente valde contento. Superveniente igitur nocte, quod cœnaremus minimè habebamus, nisi quia Miles idem tabulam dicti Ducis adiens, magnum exinde tulit placcellum, quem in nostrum omnium cœnam duxit, & post cœnam defectu vini potus est noster aqua.

Lucescente igitur die ecce dictus Miles incœpit requirere eos Comestabulos, qui secum prædicto sero venire promiserant, ut secum se ipsos & socios pararent ad iter. A quibus dilatoria verba recipiens, ultimò remanere cum eo fuit negatum ab illis. Videns igitur dictus Miles se factum deceptum ab illis, adiit eosdem Ducem, & Corradum, dicens: *Ecce qui sero præterito Comestabuli promiserunt mecum restare in Andria, hoc mane me fallunt. Supplico igitur, ut eos animetis, & eos ipsi aut alios inducatis.* At illi Dux & Corradus Comestabulos alios plurimos requirentes de causa, omnes cum dicto Milite remanere penitus recusarunt. Et licèt eidem Domino Vayvodæ nuntiaverimus gentem nobiscum habere non posse, tamen ex accessu versùs Neapolim impediti nullum recepimus ab eo responsum. Stetimusque ibidem ante Campum Corneti, usquequo congre-

gregatus magnus exercitus fuit paratus ad iter. Et sic Miles idem nobiscum rediens versùs Andriam iter accepit. Ut autem fuimus in flumine Cannarum, recto itinere non sequuto (quod si rectum iter forsitan fecissemus, in manibus Custodum Castri Canusii devenissemus fortasse, qui iter illud pro euntibus & redeuntibus conservabant) ecce vidimus in cacumine parvi Montis cujusdam viros equites duos, & post eos alios quatuor, qui pedetentim secus viam nobis obviam exeuntes, capere nos volebant. Quibus per nos visis diximus verbo mutuo inter nos: *Ecce nos heic socii septem sumus. Ii autem, qui obviam nobis veniunt, sex sunt. Quomodo contra nos venire confidunt?* Verùm plures sunt post montem reconditi, & sic illâ viâ dimissâ sinistriorem viam accepimus longè ab illis, quasi per medium milliare, inter nos & illos media plana valle. Dum verò viderunt illi, nos aliam suscipere viam, velociori passu dimissam viam per nos transierunt, & vidimus per Montem illum alios viros decem rapacissimo cursu nos versùs Andriam præituros. Et sic velociori cursu equos nostros incœpimus festinare, & præfuimus omnibus per auxilium equorum. Ut autem viderunt nos insequentes prædicti lædere nos non posse, quia jam prope eramus Andriæ Civitati ferè per milliare unum, fessis equis eorum retrocedere curaverunt. Nos verò cum dicto Milite Andriam applicantes, præfatum Capitanium nostrum nostrosque socios nos ibidem invenimus exspectantes. Quibus relato negotio, & habito cum dicto Milite colloquio amicabili, petitâque licentiâ, eadem instante nocte cogitavimus pro nostra salute redire Gravinam, priusquam per nostros æmulos sciretur recessus exercitus, & nos Gravinam non esse applicitos, ne nobis exirent obviam cum Domini Roberti potentia displicere.

Steteramus autem, à die nostri recessus Gravina, Baruli & Andriæ usque ad nostrum reditum per dies septem. Eratque mirum maximum exspectantibus nos tam longam moram nos trahere, ubi missi eramus expresse armigeram gentem inducere in auxilium Civitatis. Et ideo omnes, qui corda non habebant sincera, palàm & in occulto sæpiùs susurrabant, dicentes: *ecce vidimus, Dominum Capitaneum nostros fratres & filios seu concives apud Barulum obsides portasse*. Et hoc rumore cœpto iniquus Judex Angelus de Petrello, cujus frater Montus nomine nobiscum erat in Andria, cum certis suis sequacibus clamabat, quòd Jacobum cognatum dicti Capitanii, qui Gravinæ remanserat, Gravinæ modo simili obsidem retineret. Et eodem sero dictum Jacobum in timore maximo induxerunt, in quantumcumque juvenis ille assereret, quòd cogitabat, verum non esse. Occurrit igitur dictus Angelus Domini Gualterii ad rumorem eumdem, & juvenem illum Jacobum eripuit de manibus invasorum. Nos autem post Solis occasum hordeo equis dato equitare curavimus, & iter cepimus versùs Gravinam. Non tamen recti itineris sumus vestigia consequuti, sed per carrariam currus. Ecce more solito facta nocte in tantum noctis tenebræ nos tenebris invaserunt, quòd vix unus alterum nostrum poteramus videre, nisi quia nos ipsi verbis mutuis ducebamus. Sicque rectam carrariam tenere potuimus, quanto tamen silva duravit. Ut autem pervenimus in planicie Murgiarum propter insuetum iter, viam perdidimus tenebrarum ex causa, & per horam maximam incedentes viam dimisimus valde longè. Cognovimus autem omnes viam dimisisse, propter quod utiliùs providimus usque in diem debere ibidem quiescere, quàm hinc inde incedere, & fortè in manibus incidere æmulorum. Et sic ibidem quievimus usque ad diem. Mane autem facto vidimus nos esse in planicie Savillani juxta Castrum Montis prope viam, qua itur Guaranionum, longè à Terra Gravinæ per milliaria ultra quindecim, & foris viam rectè pervenimus ad Civitatem Gravinæ.

Quum autem applicuimus Gravinam, omnia inita scandala retentorum obsidum conquiescunt. Post verò dies quatuor aut quinque persequutores prodimenti incœpti contra nos proditione incœpta, fini debito ducere procurabant, & per consuetum nuntium suprascriptum significare curarunt Domino Roberto, nos non potuisse succursum habere à Dominis, & etiam Hungarorum exercitum versùs Neapolim abiisse. Unde si vellet, posset hostiliter pervenire Gravinam, quia juxta promissum erant complere parati. Ecce Judex Nicolaus Domini Corradi dicti Domini Roberti timore concepto, eoque post mortem quondam Terlicii Comitis, licèt ante fuisset familiaris suus continuus, fuerat per eumdem Dominum Robertum factus Vicarius Comitatus ejusdem in Terra Terlicii, cujus Castrum in manibus suis existens dicitur prædavisse, & pro nihilo dereliquisse in manibus Hungarorum, & ideo cogitavit pluribus peractis diebus bona sua educere, quæ in Castro Criptolarum recommendavit. Et sic in timore existens, semper persuadebat nostris sequacibus, ut inimicos nostros interiores, qui prodimenta parabant, uno die gladiis perimere deberemus. Erant autem nostræ sequelæ rectæ Angelus Domini Gualterii Caporalis cum omnibus domesticis, familiaribus, & sequacibus suis, quos in scriptis ponere longum esset, quia totus quasi Populus erat suæ sequelæ & ad suum mandatum. Item Judex Nicolaus Domini Corradi cum quampluribus aliis suæ sequelæ. Item Domnus Guillielmus, & Ego cum non modicis nostræ sequelæ. Item Gregorius Judicis Laurentii, Frater Lucas frater suus, Chiccus & Coccella filii ejusdem Gregorii, Judex Martucius, & Micculus, & filii alii sui; Robinus de Gervasio & sui; Judex Angelus Guallardus, & Valerianus frater suus; Robertus de Buccha Archidiaconus, & fratres filii quondam Judicis Ursonis: Chanella, Jaconus Guillielmus de Symonecto & fratres; Nicolaus Zupus; Jannucius & Blasius fratres filii Gervasii de Lanzano; Domnus Stephanus, Domnus Joseus, & Jaconus Nicolaus de Ariminello, & alii infiniti.

Ut autem Judex Nicolaus jam dictus consilium dederat omnes nostros suspectos occidere, idem Gregorius Judicis Laurentii præconsulebat id fieri, quòd omnes morirentur suspecti. Congregati itaque in unum cum Judice Nicolao jam dicto, ut præmissum consilium exequutioni debitæ mandaremus, non tamen quòd omnes prædicti præcipuè Clerici in subscriptis adessent, ante hospitium Judicis Angeli Guallardi jam dicti, ut per singulos præsentes ibidem vocaretur Chiccus de Gregorio supradictus, ad exequutionem causæ jam dictæ, & eo vocato, horâ quasi meridiei transactâ, relatum fuit ei per omnes consilium prænotatum. Qui respondens ait: *Caporalis noster Angelus Domini Gualterii concurrit nobiscum ad hoc?* Cui responsum est: *Nolumus, ut idem Angelus nihil rei huius sentiat nisi post factum*. Tunc Chiccus ait: *Veniat primus idem Angelus tamquam*

quam Caporalis noster in causa, *& fiant omnia*, *quæ mutua utilitate videntur*. Ut autem Judex Nicolaus præfatus audivit ita Chiccum respondere verbis va.......... sui patris & fratris timuit, in quantum idem Ciccus consobrinus erat Judicis Angeli de Petrello. Nec ampliùs alloquens inde recessit. Subitò Nicolaus Coccella alter filius ejusdem Gregorii, & frater Chicci præfati requisivit me Notarium Dominicum, & Robertum de Buccha, quòd ad incipiendum dissipationis ordinem suspectorum cum aliquibus nostris sociis adessemus. Cui providè vel improvidè assentivimus. Et convocatis nobiscum Jacono Leonis de Dominico, Ursone de Palumba, & pluribus Popularibus aliis infinitis, accessimus sub silentio quasi ad domum Notarii Roberti de Notario Guillelmo nostri suspecti, & æmuli publici dicti Coccellæ, quod initium fuerat mortis quondam Jaconi Leonis sui fratris præterito tempore cum Aymerico de Ferreriis tunc Camerario dictæ Terræ, quod sicut processit scribere longum esset, & ideo suum sanguinem sitiebat. Quum verò ad domum dicti Notarii Roberti simul procederemus, providimus, quòd si ipsum inveniri in domo sua contingat, quòd prædata penitus domo sua vivus ducatur ad carcerem nostri Capitanei supradicti. Et demum inter nos statutum fuit, ut consequenter domus quondam Nicolai Crudelis prædaretur similiter, & filius duceretur similiter pro captivo, ad hoc ut per nos inciperetur Regis & nostrorum captio proditorum. Accessimus itaque nos ad Plateam, & quadam nob s Populari sequela adhibita, nulli dicendo quò pergeremus, viâ rectâ ivimus ad domum Notarii Roberti jamdicti. Ubi quum affuimus, commotus Ego animi pietate, quia compater meus erat, studui, ut vivus carceri Capitanii duceretur. Eratque etiam uxoris meæ consobrinus carnalis, licèt falso modo procederet contra nos, & honorem Regiæ Majestatis. Eratque etiam consobrinus Judicis Galgani præfati initiatoris rebellionis ejusdem. Studebat verò dictus Coccella illum occidere, quia, ut præscribitur, suum sanguinem sitiebat morte sui fratris jam dicti. Invento itaque dicto Notario Roberto in domo sua, qui quum vidit nos ita subitò super eum, magnum concepit timorem, & confidens in me, vênit ad me, dicens: *Carissime compater & frater*, *ad quid venistis?* Cui ego: *Nos enim missi sumus pro Capitaneo ducere te captivum ad eum*, *quia sic jussum est nobis*: Qui ait: *Ut quid hoc contra me? quid peccavi? Etenim fidelis sum*, *non proditor*. *Sed postquam mandatum est vobis me duci captivum*, *rogo te*, *ut usque ad Capitanium me conducas*. Timebat autem, ne dictus Coccella eum occideret, quod ego non cogitabam. Et egrediens domum suam se posuit in manibus meis. Tunc universi sequaces, qui nobiscum venerant Populares, ipsius domum ingressi sunt, & exinde robbam singulam abstulerunt. Ego autem intendens circa illius salutem, neglecta robbæ parte, ivi cum ipso Notario Roberto longè à domo sua ultra jactum balistæ, & fortè totidem ab hospitio Capitanii tunc distabat, ipsumque dedi captivum portandum in manibus quorumdam, qui sui non erant publici inimici, credens, quòd dictus Coccella in domo restasset Notarii Roberti præfati, qui in itinere se paravit illum occidere. Quum autem transivit arcum domus quondam Francisci Johannis Stephani, subitò irruerunt in eum dicti Coccella & Jaconus Leo, & ipsum evaginatis gladiis sunt aggressi. Et

A percutiens idem Leo cum ense in tibia illius miseri, nullatenus sibi læsit. At ille miser rapacissimo cursu fugiens ad hospitium Capitanii se salvare credebat. Dictus autem Coccella, quia junior illo erat, tamquam magis sitiens sanguinem fugientis, ipsum velociùs insequens ante domum quondam Francisci de Romancia quondam Avi sui illum adjunxit, & eum percutiens ictu gladii interemit. Alii autem Urso & Jaconus Leo applicantes ibidem ipsum miserum diversis ictibus vulnerarunt. Ex cujus morte tantus stupor universis invaluit dictæ Terræ, quòd vix omnes, qui rebelles videbantur, loqui contrarium minimè loquebantur.

Ego autem, & Robertus jam dictus de tali

B morte nihil sciebamus. Tamen moti filiarum planctu, moliebamur res domus sibi salvare, sed nequaquam potuimus, cùm diversi Populi manus essent. Ecce pervenerunt ad nos interfectores jamdicti, quibus diximus, unde venirent. Et statim concepi factum per eos homicidium. Quod si scivissem compaternitatis honore nullatenus consensissem. Qui dixerunt: *Juvavimus ad carcerem ducere proditorem*. Quibus ego: *bene fecistis*: *sed dubito*, *ne commiseritis pejus*. At illi penitus negaverunt. Et intendentes circa domus ejusdem prædam, ut ea prædata, ad prædandas alias pergeremus, ecce nuntiatum est mihi, quòd Notarius Robertus à dictis in prædicto loco jacebat occisus. Quod ego audiens

C & Robertus, statim inde discessimus, & totus ille Populus post nos sequutus. Perducto igitur ad notitiam dicti Angeli homicidium tale commissum fuisse, valde conturbatus, contra nos fulminabat, cur absque licentia vel conscientia sua rumorem in Populo per homicidium movebamus, nec ullus nostrum audebat coram eo adesse, licèt Judex Nicolaus Capitaneus, aliique nostri sequaces bene factum esse illud homicidium recenserent. Tamdem eodem die sero tardo fuimus omnes nostri sequaces præsentes cum Angelo supradicto, & omnes simul persuasimus dicto Angelo, quòd omnes nobis viri suspecti aut pereant gladio, aut in Castro Montis Sancti Angeli mittantur captivi, ne per eos verba relata proditionis initæ veritate niterentur.

D Et placuit omnibus ordo talis, ut mane sequenti omnes suspecti de personis caperentur & ponerentur captivi, facto priùs generali colloquio per eumdem Capitanium, universis hominibus dictæ Terræ in Ecclesia Sancti Nicolai de Protontino publicè congregandis de verbis præscriptis. Quum verò mane factum esset, juxta præscriptum ordinem universis hominibus dictæ Terræ in eadem Ecclesia voce præconia congregatis, ecce dicti Capitaneus constituto silentio inter cunctos ait: *Fidelissimi Regii*, *significo vobis*, *quòd mihi & Angelo nuntiatum est per expertos amicos*, *quòd in Civitate ista sunt ex intima parte plurimi proditores*, *quos qui sint certè ignoramus*. *Sed ut perpendimus*, *eorum esse*

E *credimus consanguineos*, *patres*, *& fratres*, *qui ad præsens sunt extra Terram in rebellione Domini nostri Regis*. *Igitur ex eadem Regis parte & Domini Vayvodæ universis suis fidelibus mando*, *& expressè requiro*, *ut unà mecum sitis ad capiendos & constringendos hujusmodi infideles parentes*, *quos intendo obsides retinere ad conservationem Civitatis istius in Regia fidelitate jam dicta*. Tunc universi ibidem adstantes responderunt: *Domine Capitanie*, *ecce sumus tecum universi parati vivere & mori honore Regi fidelitatis servandæ*. *Jube itaque*, *quid sumus facturi*, *& quoscumque volueris*, *capiantur*.

Tunc

Tunc Capitanius idem uniuscujusque voluntatem accipiens ait: *Si quis enim me diligit, me sequatur*. Et statuens se primùm, universi sequuti sunt eum. Et ad domum Judicis Stephani perreximus universi, quem de persona statim mandans intercipi, universam robbam domus suæ in prædam tradidit universis. Et in momento tota domus ejusdem fuit bonis omnibus deprædata. Ipsumque Judicem Stephanum jussit statim carceri mancipari. Occultaverat autem idem Judex Stephanus divitias suas sub terram, quas ipso die quis invenire nequivit. Sequenti verò nocte idem Capitaneus cum pluribus nostris sequacibus, & Angelo sæpedicto ad idem hospitium accesserunt, & diligentiùs perquirentes invenerunt omnes divitias repositas subtus terram, vasa argentea, & robbam carissimam. Et ecce ob hoc magnus stridor & susurratio gentium erat per Terram, & unusquisque pro simili timore fremebat. Consequenter cessavit ipse Capitanius à captione obsidum aliorum, quod malè fecit, & sic dominabatur.

Post verò dies tres aut quatuor, die videlicet XXVIII. Aprilis, secunda Indictione, ecce scriptum fuit eidem Angelo per Præceptorem Graffani, quòd maxima gens armigera adunata erat per dictum Robertum de Sancto Severino, & Comitem Tricarici memoratos, venturos tam citiùs in obsidione Civitatis Gravinæ, quòdque ex interiori parte ipsius Gravinæ erant plurimi proditores, proditorum ipsorum nomina non dicendo, ut idem Angelus circa præmissa cautè procederet, ne deceptus incideret in ipsorum supervenientium manibus Dominorum. Quibus receptis literis idem Angelus vocans ad se Judicem Nicolaum Domini Corradi jam dictum, literas ipsas infra se ipsos secretè legerunt, & nulli nostrum suorum sequacium retulerunt; immo territi facti cogitaverunt statim sequenti nocte recessuros à Terra. Dictus etiam Capitaneus de Literis illis aliquid ignorabat, sed eodem sero Ego, Ciccus, Coccella, ac Micculus Judicis Martuccii fuimus cum eo ad cœnam. Igitur factâ cœnâ, & abeuntibus dictis sociis, me tantum remanente ibidem, super tabula recubuimus ego & ipse Capitaneus juxta ignem de pluribus conferentes. Ecce inter hæc verba pervenerunt ibidem dicti Angelus & Judex Nicolaus, & vocaverunt dictum Capitaneum ad cameram, ostendentes sibi literas sibi missas præfatas, quibus lectis consuluerunt ad invicem quid essent inde facturi. Quibus Capitanius ait: *Nobilissimi fratres nolite terreri. Ecce videmus universum Populum Civitatis nobiscum in uno concursu, & omnes fideliter obedire. Si videtur vobis, faciamus statim vocari heic ad nos omnes nostros sequaces, & super causa consultemus cum eis: & si qui nobis suspecti videntur, hac noctemet pereant, & sic poterimus Terram sub nostra voluntate tenere*. Tunc Capitanius idem me convocavit ad cameram, & iterum mihi negotium retulerunt, quibus ego: *Ergo quid faciendum est?* Respondit Judex Nicolaus prædictus: *Videtur mihi utilius pro salute personarum nostrarum Terram exire bonis nostris omnibus derelictis, quoniam ex quo proditores intus sunt, & hostes circa Terram, non poterimus intus & extra pugnare*. Quibus ego. *Qui sunt hujusmodi proditores? Capiantur hac nocte statim, & interficiantur, vel carcerentur. Numquid viginti aut triginta proditores non possunt constringi? Videtur mihi, quòd convocentur omnes nostri sequaces, & consulamus mutuò super causa, & demum Capitaneus*

A *vocari ad se faciet unà nobiscum ducentos aut trecentos viros Populares, quos fidelissimos eligemus, & hacmet nocte suspectos singulos capiamus, & eis interceptis & carceratis poterimus Castrum bene munitum, & Terram viriliter conservare. Est etiam locus Civitatis Castri-Veteris valde fortis, in quo possumus singula bona nostra, & nostram familiam reponere, & locum ipsum fortiùs reparari, & sic non timebimus dictorum potentiam Dominorum*. Respondens Capitaneus dixit: *Ecce mecum concordat Notarius Dominicus verba sua: Videtur mihi utilius sic fieri*. E contrario Judex Nicolaus dicebat; & altercantes per horam maximam semper verbis eisdem finaliter prædictus Judex Ni-

B colaus dixit: *Compater Angele: cordis mei non est heic potiùs una hora restare. Consulo recedamus*. Cui ego: *Judex Nicolaë, non bene dicis. Quomodo dimittemus omnia bona nostra & filios in manibus æmulorum? Si ergo cordis tui est, & consulis omnino recedere, priusquam recedamus, suspectos singulos occidamus, quia, si volumus, possumus per modum præscriptum. Et quia tu bona tua omnia jamdiu in Castro Griptolarum salvanda portasti, hac nocte sustine nobiscum, ut bona nostra etiam ubicumque melius nobis erit, salvanda portemus*. At ipse circa recessum verba sua volvebat. Angelus præfatus similiter concurrebat cum eo. Ut autem vidit dictus Capitanius, non posse illos unà mecum

C removere à proposito recedendi, dixit: *Carissimi, postquam videtur vobis sanius recedere quàm morari, faciam & ego quod vos consulitis. Simus ergo parati, & ad montaneam Sancti Angeli properemus*. Et iis verbis facti concordes tres ipsi, in eorum præsentia ira commotus scidi tunicam meam à summo usque deorsum: At illi, cur illud facerem? quibus dixi. *Quia video me, & omnes nostros sequaces in puncto perire, miseria vestri cordis. Supplico itaque, ut amicis nostris & sequacibus priùs conscientiam faciamus de nostro recessu, ne pereant, postquam de verbis terremur*. Responderunt dicti Judex Nicolaus & Angelus: *Compater Notarie Dominice, scias finaliter nolle heic nos mori.*

D *Si vis nobiscum venire, venias: tibi consulimus. Sin autem, facias quod tibi videtur. Nostri est cordis omnino abire*.

Iterum dictus Capitanius audiens illos taliter alloquentes dixit famulis suis statim: *Parate equos, & arnesia onerate confestim*. Ut autem vidi, quia nihil verba mea prodessent, post eosdem Angelum & Judicem Nicolaum, plorans & dolenti corde accessi ad domum meam, & excitans fratrem meum Domnum Guillielmum, matrem meam, & uxorem, meosque filios dormientes media nocte transacta, ac Nicolaum de Sterchio cognatum meum, & sororem meam vicinos mihi adstantes dolenter recessum nostrum eis dixi cum dolore & fletu, & faciens

E statim parare equos, statim post dictum Angelum equitavimus festinanter, & Terram nostram dimisimus in manibus æmulorum. Fuit autem noster exitus ipsa nocte quasi circa horam auroræ, eo quòd usque ad horam ipsam exire tardavimus, me impediente ad hoc, ut non recederemus à Terra; sed minimè mihi profuit impeditio talis, quoniam recessum dispositum à recedentium cordibus minimè valui removere. Quod finaliter cessit in nostrum pœnitere, vituperium, atque damnum.

Igitur egressis nobis à Terra, ecce statim per totam Terram inexaudibilis rumor Populi est elatus; fideles nostri dolentes & dicentes: *Ut quid*

quid eorum fuga subita? qualis æmulorum potentia eos fugavit à Terra? Certè malè fecerunt. Alii autem, qui nobis erant malivoli proditores, & inimici occulti sinè causa justa, novit Deus, utpote Judex Angelus de Petrello & fratres, Notarius Palmerius, Nicolaus Domni Pagani, Sanctorius Camastra, & certi alii Populares nostrum exitum sentientes per rumorem initum, principaliter domum mei Notarii Dominici sunt aggressi, me credentes invenire ibidem, ut caperent de persona. Et congregati ante domum meam, ipso Judice Angelo, aliisque pluribus suis sequacibus, domum ipsam sunt violenter aggressi. Remanserant autem in domo mea mater & uxor mea, & filii duo parvi, nam alius minor filius duorum mensium minori ætate apud nutricem steterat illa nocte. Gregorius autem major meus filius fortè septennis mecum recesserat ea nocte. Mox ut eadem mater mea, & uxor, aliaque domus familia senserunt æmulos ante portam post nostrum recessum, lumen lucernarum extinguunt ad hoc, quod nullus sciret ad eas accedere in obscuro. Sed illi extra sistentes evaginatis gladiis, & aperta hospitii janua, sursum timebant ascendere, quia licèt clamarent, nullum recipiebant è sursum responsum. Cognoverunt autem mater, & uxor mea, quòd hujusmodi insurgens Populus contra eas cum Judice Angelo memorato venerat causa domus prædandæ, & ipsas si potuissent capere de personis. Quod ego, nec frater meus propter recessum subitum facti immemores minimè cogitavimus. Sic etiam egit improvidè compater Robertus de Buccha, & alii plures nostri sequaces, qui ipsa nocte nobiscum fuere egressi. Tunc mater mea & uxor de propria salute pensantes, bonis omnibus dictæ domus penitus derelictis, per posteriorem fenestram hospitii ad Hortum Marini de Leone convicini nostri, amici carissimi, ad ejus hospitium se recondere perrexerunt, ubi per totum eumdem diem steterunt reposìtæ. Judex Angelus prædictus, clarescente die penultimo dicti mensis Aprilis, domum meam cum universis suis sequacibus fuit ingressus, & omnia bona mea secum abinde tulit in prædam; & sic quod in corde suo latebat, per opera demonstravit.

Prædata itaque domo mea, ad vocem præconis quilibet de Terra in loco solito adunatur. Et facto consilio, quid fuerit consequenter agendum, præfatus Judex Angelus, Notarius Nicolaus, Nicolaus Domni Pagani, & alii sui sequaces nostri æmuli, absque causa, persuaserunt Populo, ut remoto Vexillo Regis Hungariæ, Vexillum Ducissæ Duratii erigatur. Et Syndici ad Dominum Robertum de Sancto Severino mittantur, quòd veniat & mandet regere Civitatem pro Ducissa præfata. Et propterea Nicolaus Domni Pagani, Notarius Nicolaus, Martinus de Petrello, & Magister Nicolaus Medicus se voluntariè & avido animo obtulerunt, ituros ad Dominum Robertum jam dictum, nuntiaturos nostrum recessum, & quòd veniret ad Terram Gravinæ, possessurum eamdem pro Ducissa præfata. Et scriptis literis pro parte Universitatis eisdem Syndicis assignatis, ad eumdem Dominum Robertum sunt accedere infestati. Dicti verò Notarius Nicolaus, Martinus, & Medicus, ut prædixi, accedere sitientes festinè elatis per eos primò Banderiis ejusdem Ducissæ, quas ante paratas habebant, & qui nostri erant suspecti justa sinè causa, ut dixi, paratis equis, protinus perrexerunt. Publicato itaque nostro recessu, & in Monte Piloso vicino Terræ

A Gravinæ per milliaria octo hoc scito, erant ibi Nicolaus de Aversa, Nicolaus Notarii Guillielmi, Martinus de Chessa, Judex Galganus, & filii, & certi alii nostri æmuli commorantes, qui ut præscribitur, in Terram Gravinæ venire nullatenus confidebant, dum nos fuimus præsentes in ea. Et valde læti facti de nostro recessu, protinus apud Gravinam venire curarunt. Sed dicti Nicolaus Notarius Guillielmi frater, qui fuerat Notarius Roberti occisi jam dicti, & Nicolaus de Aversa festinaverunt citiùs venire Gravinam. Et applicantes ibidem statim petierunt, si aliqui nostrorum sequacium remansissent in Terram. Quibus nuntiatum fuit, quòd Sanda soror Magistri Blasii, & Jannucii filiorum Gervasii de Lanzano nostrorum sequacium remanserat Gravinæ cum viro suo. Cujus domicilio

B explorato statim illuc accesserunt, illamque miseram invenere exeuntem à domo suæ cujusdam vicinæ, portantem ignem in vase, paraturam epulas viro suo. Quam illi crudeliter invadentes evaginatis gladiis occiderunt. Et ecce rumor susurrantis Populi contra illos increpantis eos, non bene fecisse, & prohibentis, quòd ulteriùs mulierem aliquam tangere non præsumant, aliter se morituros putarent. A quibus actibus increpatione Populi cessaverunt.

Remanserant autem in eadem Terra de nostris sequacibus publicis Cola nepos Dominæ Riccæ, Nyurus Magistri Marini, Judex Martucius de Churleone, & Gregorius Judicis Lau-

C rentii, aliique plures, qui non ita publicè erant nobiscum. Qui illa nocte nostrum exitum ignorarunt, nec de die potuerunt exire: qui summo mane sentito rumore nostri recessus, dictus videlicet Cola recondidit se in domo suæ cujusdam vicinæ, quæ, si fas dicere sit, sua ferebatur concubina, quæ eum recondidit in quodam suppedaneo sub sera ferrea, in quo bona sua dotalia reposita erant. Et ecce nuntiatum est dicto Judici Angelo, quòd ipse Cola in domo avæ suæ adstabat Dominæ Riccæ jam dictæ. Subitò pervênit ad suum hospitium Judex Angelus cum sequacibus infinitis quærens dictum Colam, quem minimè invenerunt. Et tunc relatum fuit dicto Nicolao Notarii Guillielmi, quòd dictus Cola reconditus staret in domo mulieris illius præscriptæ, in qua erat. Et veniens cum alio socio ad domum illam ipsam domum accenso lumine undique perquisivit, invenitque ibidem manticam unam plenam pannis dicti Colæ, & buccas quatuor in eadem, pro ut mihi retulit Cola jam dictus. Nec ipsum potuerunt aliquatenus invenire, quum mulier illa sibi fidelis existens eum noluerit indicare quærentibus, sed ipsum negabat penitus fuisse ibidem. Qui post tres dies amicorum auxilio Terram exivit. Gregorius verò Judicis Laurentii videns tantum rumorem in Populo ti-

E muit in Terra potiùs commorari, immo eodem die nostri exitus cautè exiens Civitatem eques, in quodam suo bucchino portavit secum filium suum parvum nomine Jacobum, & rectâ viâ secessit apud Marcam; & demum quia securus ibidem esse non poterat, apud Ordeolum ad partes Calabriæ properavit, & Domino Galgano de Marra Militi damnabili amico suo se interim commendavit, qui finaliter eum prodiit viliter, & in manibus tradidit Officialis Ducissæ jam dictæ. Dictus autem Nyurus Magistri Marini juvenis captus est, & carceri mancipatus usque ad adventum Officialis Ducissæ præfatæ, quem cum gaudio exspectabant. Dictum verò Judicem Martucium usque ad adventum

dicti

dicti Officialis minimè tangere præsumserunt. Remanserat etiam Thomas nepos spurius dicti Angeli in domibus ejusdem Angeli, quem simpliciter ibidem dimiserat in manibus luporum, credens miser idem Angelus, quòd æmuli sui essent simili modo pii, sicut ipse fuerat inimicis suis. Qui Thomas licèt adolescens junior satis esset annorum fortè tresdecim vel quatuordecim, minas & rumorem Populi æmuli recognovit, & domo dimissa cautè Terram exivit, & non tantum cautè exire potuit, quòd à videntibus eum accusatus non esset. Subitò plurimi sequuti sunt eum, & ipsum ceperunt, & captivum duxerunt ad Terram. Aliæ autem domus nostrorum sequacium, qui nobiscum exierant illa nocte, prædatæ non sunt, sed prædandæ per futurum exercitum sunt dimissæ. Ipso eodemque die Mater mea, & Uxor à domo dicti Marini ad hospitium jam dictæ Margaritæ socrus dicti Medici sero tardo iverunt, ubi vix receptæ fuerunt.

Nos autem, qui recesseramus de Terra Gravinæ, viam Caurati tenuimus, ubi quum applicuimus, invenimus ante ingressum nostrum in Terram Hungaros, & Lombardos equites circa viginti, quibus per nos datâ notitiâ, cum ipsismet adhæsimus amicabiliter apud Terram, in qua Rector & Capitaneus erat nobilissimus quidam Hungarus nomine Nicolaus filius Thomæ, qui in nostro vulgari dicitur Thomas Nicolosi. Qui velut nobilis, sciens nos ex Regis fidelitate dispersos, nos ad Castrum Caurati invitavit ad cœnam, animo valde grato, & factâ cœnâ abivimus versùs Andriam, & demum apud Montem Sancti Angeli festinanter.

Et ecce sequenti die ultimo dicti mensis Aprilis ad clamorem Syndicorum missorum per nostros æmulos Gravinæ applicuerunt Gravinam Dominus Robertus de Sancto Severino, & Comes Tricarici Rogeronus, cum quibus etiam erat Chiccus de Gysualdo statutus Capitanius per eamdem Ducissam Duratii Terrarum omnium, quæ fuerunt Ducis Duratii viri sui, cum magno quidem exercitu virorum equitum ultra mille, & peditum in numero infinito. Sed antequam applicarent ad Terram Domini prænotati, miserunt nuntios suos duos equites hominibus Gravinæ dicentes: *Ecce statim post nostros nuntios veniemus Gravinam. Propterea vos præsentibus prævenimus, ut si qui nostri exercitus viri nos fortasse præcesserint, eos in Terra absque nostra præsentia minimè recipere præsumatis, quia de facili vestrum plurimos disrobarent, sicut moris est armigerorum virorum. Quia verò damna vestra cupimus tamquam Regiorum, & dictæ Ducissæ, nostrorumque fidelium evitare, ideo hos nostros nuntios ad declarationem causæ præscriptæ ad vos duximus præmittendos.*

Cives autem Gravinæ, illi præcipuè, qui nostri fuerant proditores, nuntiis ipsis cum honore receptis in urbe, persuadentes Populo de nostro recessu dolenti, dixerunt: *Confortemini: ecce statim videbimus Dominorum nostrorum potentiam præesse potentiæ Hungarorum. Nonne omnes scire debemus, quòd Domini Domus Sancti Severini fortiores & potentiores sunt domibus omnibus aliorum Dominorum Italiæ universæ? Amodo post Dominam nostram Ducissam non alios volumus defensores nisi Dominos; qui ecce veniunt in auxilium nostrum.* Quidam autem dicebant: *Ecce dicti Domini nos præveniunt, quòd absque sua præsentia nullus Civitatem hanc intret, ne disrobemur, sicut moris est armigerorum virorum. Jam scire debemus, quòd ubi armigera turba intrat in Terram contrariam vel amicam, ad hoc non ad aliud armigeri arma sequuntur. Quia undecumque possint habiliùs per fas aut nefas prædam tollere Civitatis. Ne igitur quæ nobis sunt per dictos Dominos pericula demonstrata, incidamus in illa, & ex fide nimia pereamus, infra Civitatem istam etiam dictos Dominos recipere minimè confidamus, sed extra muros in exteriori Casali eis necessaria præbeamus, solum Officialem Dominæ recipientes in Terra. Quod si fecerimus, erimus omnes salvi.* Hæc autem verba per eos, qui nobiscum hactenus concurrebant, sano quidem consilio & salute omnium dicebantur. Illi autem, qui contrarii nostri erant, Civitatis ipsius Populo contraria suadebant. Et sic facti divisi, venientibus ipso die dictis Dominis cum eorum exercitu apud dictam Terram, Terram ipsam sunt cum magna laude ingressi. Et Dominus Robertus idem in hospitio magno dicti Angeli hospitatur; Comes autem Tricarici hospitio Judicis Nicolai Domini Corradi moraturus accessit. Quæ quidem hospitia adhuc, ut prædixi, prædata non erant in totum, nisi in iis, quæ per principales patronos erant abscondita.

Sequenti die primo mensis Madii per universam Terram ipsam banna plurima emittuntur ipsorum Dominorum mandato, ut si quis nostrûm proditorum bona haberet recondita, infra certum præfixum terminum in ipsorum Dominorum Curia præsentaret. Audentes in contrarium nomine proditorio capiantur. Aliud etiam terribilius bannum emittebatur in Terram, ut si quis vel si quæ Civitatis ipsius virum, aut mulierem, filium vel nepotem nostrûm proditorum exteriorum receptatum teneret in Terra, quod statim post bannum emissum coram eisdem Dominis resignaret. Quia verò in eadem Terra Gravinæ fœminæ nostræ remanserant, ego præcipuè uxorem & matrem reliqueram, Venutus uxorem suam & filium parvulum in ulnis, & aliæ plures, de ipsarum præsentia per probos viros supplicatum exstitit Dominis prænotatis, dicendo: *Domini Reverendi; si viri mulierum & infantium parvulorum in domibus restantium agnatorum fortè peccarunt, quid mulieres & infantes parvuli peccaverunt? Supplicamus igitur, ut earum dignemini misereri, nec illas petere jubeatis.* Inimici verò nostri, videlicet Judex Garganus, Notarius Petrus, & alii plures infestabant Dominos persuadendo illis, quòd mulieres ipsas caperent, siquidem ipsarum pecunias affectarent; & ob hoc mulieres omnes & parvuli coram Dominis adducuntur. Uxorem autem meam juvenem quia & pulchram consanguinei sui noluerunt aliquatenus præsentare, excusantes illam adhuc partus infirmitate jacere. Comparuit tamen mater mea, & aliæ quædam, quas ut Domini viderunt, licentiaverunt easdem, nec crediderunt verbis inanibus æmulorum, qui si ut processerint, seriatim scriberem, longum esset. Francesca autem uxor Micculi Judicis Martucii, juvenis quidem & pulchra, per Dominam Mariam matrem suam in quodam aquarum puteo certis diebus permansit, quam tandem auxilio Clerici apud Milionicum transportavit.

Morantibus igitur dictis Dominis in Terra Gravinæ cum exercitu quippe magno, inimici nostri, præcipuè Judex Angelus de Petrello coram dictis Dominis & Chiccarello de Gysualdo statuto Capitanio, ut prædicitur, per Ducissam jam dictam Judicem Martucium de Churleone jam

jam dictum proditorem accusarunt, dicentes, quòd ipse etiam Judex Martucius proditor, ut nos, esset, propter quod capiendum ipsum de persona Dominis supplicabant. Et simili modo accusavisse dicuntur Judicem Angelum Guallardum. Ad suasionem itaque æmulorum ipsorum clamatus est Judex Martucius coram Dominis ipsis, & Judex Angelus Guallardus præfatus. Et dum præisset Judex Martucius coram Dominis fuit interrogatus ab illis, qui modo juridico se excusans dixit: *Magnifici Domini, reverentiâ vestrâ salvâ, hi, qui me in vestri præsentia nominant proditorem, veritatem non dicunt. Nam si Hungarorum dominium in Terra ista præfuit cum omnium voluntate pervenit, etiam cum voluntate & conscientia horum, qui me accusant; sicque placuit Deo, quòd ad dominium reduceremur Dominæ nostræ Ducissæ. Quod placet singulis, placet mihi. Si in his ergo videor peccavisse, ecce in manibus vestris sum. Jubete quid vultis.* Et inter hæc verba dum Judex Angelus Guallardus se veniret coram Dominis præsentandum, erant equi plurimi in claustro magno dicti hospitii Angeli Domini Roberti jam dicti. Inter quos erat equus unus valde tyrannus, qui dum transiret post equum illum, duris calcibus percutiens eum in pectore, protinus exstitit vita functus, & verè non meruit talem mortem, quia certè fuit bona persona. Significatur hoc statim Domino Roberto, & de tali nece visus est doluisse. Tamen, ut audivi, dixit: *melius sibi fuit ipsa nece perire, quàm crudeliori*. Tunc mandavit, dictum Judicem Martucium carceri mancipari, credens ab illo magnam se pecuniam recepturum. Mandavit etiam ipso instanti, domum dicti Judicis Martucii, persuadentibus nostris æmulis, deprædari in totum. Et consequenter constituens Inquisitores bonorum omnium Angeli prænotati, nostrûmque omnium, qui fugeramus à Terra illa, frumentum præcipuè congregari jussit loco in uno, & ea vendi pretio meliori, quo possent, pecuniam sibi recipiens ex eis. Et quum non posset bona dicti Angeli reperire, Thomam nepotem suum prædictum coram se jussit afferri. Qui territus formidine tormentorum, bona omnia recondita per dictum Angelum ipsius Ministris Domini indicavit. Et tanta inibi vasa ærea & bona alia reperiuntur abscondita, quòd mirum erat singulis videntibus illa.

Ut autem videretur ipse Dominus aliqualiter ad satisfactionem inimicorum nostrorum facere velle vindictam de nostris sequacibus, præfatum Nyurum Magistri Marini tormentis exponi mandavit in publico, & demum tractum per Terram ad caudam equi jussit ad furcarum suspendium condemnari. Dictum autem Judicem Martucium iidem nostri æmuli moriendum petebant. Tamen Domini ipsi, ejus innocentiâ cognitâ, illius morti minimè assentiebant, sed ipsum carcere manere volebant, credentes ab ipso pecuniam posse habere. Qui si saltem decem uncias habuisset solvendas, certè subsequutam mortem minimè passus fuisset. Steterunt autem dicti Domini in ipsa Civitate Gravinæ per dies decem & ultra, à qua victualia plurima & vini ac robbarum quantitates maximas transmiserunt ad domos, quæ nostrûm fuerunt, universique & diversi homines stipendiarii, & malandreni sequentes dictorum exercitum Dominorum magnam stragem faciebant in Populum Civitatis tollendo bona eorum & disrobando. Nec quisquam Populi ausus est lo-

A qui, sed in occulto clamabant: *O quam miseri sumus, dolentes & tristes de recessu Angeli, & suorum, qui dum fuerunt nobiscum, nullam sentivimus gravitatem. Ecce nunc pejora meruimus, quia verbis non credidimus Sapientum illorum, qui consuluerunt talem exercitum gentium non esse immittendum in Terram. Ecce pro insipientia nostra sumus bonis nostris omnibus dissipati.* Eratque inde rumor maximus inter omnes, quoniam viri dicti exercitus mulieres quidem, virgines præcipuè pulcherrimas, & divitias singulas secum tollebant. Nam Domini ipsi nostrûm exteriorum divitias abstulerunt, & illi in prædam omnium concurrebant.

B Nuntiatur itaque talis prædatio Dominis prælibatis, & scientes dicti Domini bona singula nostra eorum esse Fisco delata, amoverunt inde dictum exercitum, & versùs Rubum militavit audacter. Erat autem Castrum Rubi fortissimum, sua gente munitum. Civitas verò non, sed pro Hungaris tenebatur etiam, & Terra Terlicii. Ad quod dum nocte pervenisset, dato signo termini Custodibus dicti Castri sui adventus, subitò super Rubenses Cives crudeliter irruerunt. Erat autem Civitas Rubi Civitas fertilis, & in ea viri nobiles divites & prudentes. Tamen in tali insultu minimè profuit eis prudentia, quia Terram murare modo debito contemserunt; præcipuè versùs Castrum, quod inimicum habebant.

C Sed quod nostro reatu permissum est desuper, nulla valet prudentia, quia sic permissum fuit à Deo, ut per mortem dicti Regis Andreæ, & unius mulieris terminum, universi Regnicolæ miseri diversis periculis vexarentur. Sic placuit sibi, ut oculi omnium salutem propriam non viderent, quin diversis delictis nostris omnes multifariè puniremur. Ut autem inimicus exercitus Rubum pervênit, mandavit idem Dominus Robertus, quòd Civitas ipsa Rubi penitus curreretur; & factum est. Totus idem exercitus in facie Castri constitutus, contra Cives dictæ Terræ potenter insurgit, & viri Rubi potenter assistunt. Et durante prœlio usque ad horam

D meridiei transactam, infra quod temporis spatium hinc inde plurimi perierunt; tamdem quum plurimi Cives Rubenses in salutem uxorum & filiorum intenderent, potiùs quàm ad defensionem communem, cessit finaliter victoria Domino Roberto jam dicto, & violenter idem exercitus ingressus est Civitatem. Fugiunt omnes Cives per Terram illam, & extra, & vadunt hinc inde dispersi. O quam terribilis ululatus & planctus virorum, mulierum, & infantium puerorum generis utriusque! Capiuntur multi Concives miseri, & carceri ducti sunt, pretio redimendi: plures in fuga gladiis pereunt exercitus inimici; & plurimæ mulieres, virgines præcipuè tortoribus impiis capiuntur; & multæ

E quidem ex eis carnali vituperio adducuntur, universaque robba Concivium miserorum in stragictiosam prædam distribuitur exercitus memorati. Ii autem, qui Castri carceri ducti fuerant, prædatâ universaliter dictâ Terrâ, propter consequutum recessum exercitus diversis tormentis exponuntur, & evulsione dentium compuniuntur quasi ad ultimam paupertatem. Igitur universa ipsa Civitate prædata & consumta, Castrum ipsum & Campanile potenter muniri præcepit, & annonas plurimas in eis immitti, opportunos stipendiarios immittens in eisdem fortilitiis Campanilis & Castri. Retulerunt mihi viri Cives Guaranioni, quòd tota robba Civitatis ipsius per ipsum Casale ad partes Basili-

catæ

eatæ transivit animalium & rerum mobilium sine fine.

Demum Civitate ipsa penitus consumta & destructa, idem Dominus Robertus suum inde removit exercitum, & ad Terram Terlicii, in qua Hungari septem morabantur in Castro, cum modicis aliis familiaribus custodientibus Terram ipsam pro parte ex nomine Domini Johannis Chucz sæpedicti, cum eodem suo exercitu Terlicium ipsum potenter obsedit. Erant autem cum eodem Domino Roberto viri plures ejusdem Terræ, qui in Terra ipsa post Regnum Regis Hungariæ audebant minimè adhærere. Et licèt extra Terram essent interiores, tamen parentes habebant æmulos quidem eorum, qui Caporales erant ipsius Terræ Populi universi, quorum interiorum tractatu subitò sequenti die Terra est acquisita Domino Roberto jam dicto. Erat autem nomen unius Caporalium interiorum Leuchius, cujus cognomen ignoro, & sui, qui interceptus, & sui sequaces, qui capi potuerunt per ipsum Dominum Robertum, fuerunt mortis suspendio condemnati. Hungari autem, qui adstabant, se in Castro salvantes, viriliter se defendere cœperunt cum aliis confamiliaribus, qui erant in eo. Et quasi modicum aut nihil eos offendere poterant inimici; erat enim inter eos insultus durissimus, licèt Castrum non inexpugnabile foret; sed tamen per ipsius custodes Hungaros, & alios viriliter servabatur. Ut autem vidit Dominus Robertus, non posse violenter convincere Castrum illud, totum suum exercitum ab incœpto insultu retrocedere jussit, & advolvit bellandi potentiam ad solitæ proditionis tractatum, quando posset verbis fallacibus & promissionibus custodes seu defensores subvertere dicti Castri. Ii autem, qui cum dictis Hungaris erant in Castro, erant nationis Lombardæ ad stipendia Domini Regis Hungariæ. Quibus per quosdam Lombardos sui exercitus loqui sub fiducia faciens, ut moris est bellicorum, eis promisisse dicitur magnam pecuniam & vitæ præmium, siquidem Castrum ipsum sibi pretio resignarent, prædicentes eis: *Scitote, quòd postquam Hungarorum exercitus versùs Neapolim militavit, Regis Lodoici potentiâ sunt consumti, & sic universum Regnum est ipsius Regis, & Regni dominio penitus subjugatum. Quo circa vos, quia si vultis, potestis restituere Castrum vestro incomparabili commodo, his modicis Hungaris, velint nolint, quod in longum minimè poteritis defensare. Ad stipendia nostri Domini, Domini Roberti vos ipsos reducite, & acceptâ promissâ pecuniâ restituite sibi Castrum.* At illi dixerunt: *Nos volumus inter nos diligentiùs consultare super materia verborum, & cras in mane respondebimus vobis.* Remansit autem insultus bellicus contra Castrum; & ea nocte diligentiùs cogitantes dicti Lombardi assentierunt communiter verbis parium Lombardorum, semper putando, qualiter Castrum daretur in manibus æmulorum ex promisso thesauro. Facto itaque mane unus illorum Castrum egressus est, & Lombardis tractatoribus loquuturus adhæsit, Hungaris ignorantibus. & facto simul colloquio, & assecuratione recepta habendæ promissæ pecuniæ, rediit ille Lombardus referre sociis tractatum completum. At illi firma habita promissione tractatus, nuntiaverunt Domino Roberto dicentes: *Domine; ecce tractavimus, vos posse Castrum habere pro Florenis trecentis. Promittite nobis fideliter dictam pecuniam vos daturi, & habebitis statim Castrum.* Erat autem præsens ibidem Comitissa Terlicii, quæ statim obtulit, se dictam pecuniam soluturam, & solvit in manibus illorum, Domino Roberto præsente. Illi autem acceptâ pecuniâ per constitutum signum inter eos, & illos, qui in Castro manebant, dictam pecuniam se recepisse monstrarunt. At illi signo recepto tractatam proditionem effectui tradiderunt per modum subscriptum, videlicet. Ceperunt ipsi Lombardi Turrim Majorem dicti Castri, & ecce insultus durissimus contra Castrum aggreditur per exercitum inimicum, & credebant Hungari, quòd Lombardi eorum, qui erant in Turri, pugnarent pro eis. Sed illi velut impii proditores super ipsos Hungaros ex interiori parte Castri, & exercitus inimicus ex exteriori eosdem Hungaros in terrorem miserunt, sicque tantus invaluit insultus undique contra Hungaros illos, quòd fractis janis violenter ingressi sunt Castrum ipsum. Hungari autem illi viriliter se tuentes, nullus inimicus ascendere præsumebat in Salam. Tamdem tota illa die fatigati insultibus bellicis sunt conquisi, qui in manibus æmulorum reddere se nolentes, priùs maluerunt ab inimicis in bello interfici, quàm vivos intercipi ab inimicis eisdem. Unus autem illorum Hungarorum vivus captus est, & statim fuit suspensus, & tali prodimento Castrum ceperunt.

Deinde amovit exercitum suum à Terra Terlicii, & versùs Cauratum iter suum direxit. Erant autem cum ipso Domino Roberto Russus de Grisullo de Caurato, & alii quamplures sui sequaces, qui ex quo Terra Caurati se reddidit dominio Hungarorum, proditione territi Terram illam fuerant egressi. Habebant autem ex interiori parte dicti Russus & ejus sequaces consanguineos plurimos & parentes, cum quibus ante paraverant Terram reddere Domino Roberto jam dicto, si potentialiter adveniret. Pervento igitur Domino Roberto cum suo exercitu juxta Cauratum, jussum fuit per eum, ut Terra obsederetur, & unusquisque se pararet ad pugnam insultus. Erat autem super regimen dictæ Terræ Nicolaus filius Thomæ Hungarus cum modicis aliis Hungaris & Lombardis. Qui videns exercitum inimicum, cum universis hominibus ad defensionem Terræ se paravit; Et dum cum sociis suis semper curreret Terram eques, confortans, & animans gentem Terræ, ecce per interiores parentes Russi prædicti, & ejus sequacium per unam partem fossatorum Terræ datus est introitus inimicis. Et subitò tota Terra repleta est inimicis, neminem offendendo terrigenam, nisi contra Hungaros militantes. Et sic proditione præmissa ademit Terram eamdem. Hungari autem, qui erant ibidem, aliqui in Castro se adhæserunt, sed tamen Castrum ipsum fortè non erat; aliqui per fugæ subsidium abierunt ad Castrum Sanctæ Mariæ de Monte. Nicolaus verò filius Thomæ Caporalis in Castro jam dicto inter plures Theotonicos captus fuit. Qui Theotonicè alloquens, non Hungaricè, salvus fuit. Moris enim est Theotonicorum, & Lombardorum, ut si quando contingat aliquem eorum capi in prœlio vel in campo, captum talem de persona salvare, nec illum in manibus tradere alicujus. Qui Nicolaus Theotonicè alloquens, rogavit Theotonicos illos, in cujus manibus erat, ut eum minimè traderent in manibus Domini Roberti prædicti, sed ipsum abire permitterent. At illi eorum morem servantes, ad ipsius preces eum permiserunt abire, qui velocissimo equi cursu ad Castrum Sanctæ Mariæ de Monte festinus ac-

accessit. Illi autem, qui Hungari capti fuerunt, suspendi jussi sunt per Dominum Robertum jamdictum.

Igitur habitâ dictâ Terrâ dictus Dominus Robertus, & Rogeronus Tricarici Comes, dicti exercitus Caporales & Domini, apud Tranum suas literas direxerunt, requirentes Universitatem Trani, quòd Terram restituat dominio Domini Lodovici, & Reginæ Johannæ, Regni hujus naturalium Dominorum: aliter contra eos hostilem exercitum inducebat. Erat autem tunc in Trano Theodoricus Capitanius, & Roccus Castellanus Castri Trani, fratres Theotonicæ nationis, & ibidem cum eis Nicolaus Macziæ de Manfredonia Magnæ Regni Curiæ Magister Rationalis, habentes in fidelitate regere Civitatem. Quibus Universitas ipsa transmissas literas præsentarunt, super quibus deliberato consilio promtissimè fuit responsum, quòd nequaquam alium Regni hujus Dominum cognoscebant, nisi solum Dominum Regem Hungarorum, & non Dominum Lodovicum, neque Reginam, persuadentes dictis Domino Roberto, & Comiti Tricarici, quòd pessimè faciebant, quòd fideles Terras Regis ejusdem hostiliter invadebant, immo sanius eis esset, dominio se ipsos reddere Domini Regis jam dicti. Si verò hoc nollent facere, sed eos hostiliter mallent invadere, parati erant in campo ex fidelitate Regia pugnare cum eis. Ut ergo dicti Domini responsales tales literas receperunt, quasi furore commoti, in obsidionem Civitatis Tranensis suum exercitum induxerunt, incipientes facere guastum extra. Viri autem Tranenses videntes possessiones eorum ita vastari, foris exierunt contra hostes jamdictos, & dirum prœlium commiserunt, ubi hinc & inde plurimi percussi sunt & occisi. Sed quia parcitas victualium in exercitu ipso erat, vix idem exercitus poterat in campo morari, quum à Civitate Caurati modica victualia veniebant. Probaverunt autem iteratò velle Tranensem Civitatem invadere insultu aspero, ubi aggredientes viriliter, vitiosè permiserunt Tranenses in muris scalas apponere, & eos ascendere quasi murum, quando possent interficere ascendentes. Appropinquantes autem inimici intus fossatum, scalas apposuerunt in muris; & tunc Cives retrocedere se fingentes, ut ascendentes ascendere potiùs animarent, plurimi scalas plurimas ascendebant, assecurati plurimis balistariis exercitus sui præfati. Ut autem quasi juxta mœnia erant ascensi, ferociùs Cives surgentes ictibus lapidum eos præcipitaverunt ab alto, ubi fuerunt plurimi vulnerati. Acceperunt tamen in ipso conflictu quemdam nomine Barisanum, qui erat de sequacibus Marrensium ejectorum à Barulo, quem interceptum immiserunt in Urbem, & post discessum turpiter tormentarunt, per quem Tranenses proditores Marrenses, qui volebant perdere Civitatem, sciverunt; qui omnes per captionem dicti Barisani Civitatem ipsam penitus exierunt, bonis eorum omnibus derelictis. Fuit etiam in dicto conflictu crudeliter vulneratus Dominus Robertus jam dictus, qui sentiens se percussum, & videns nil super Civitate ipsa posse lucrari, sed gentem amittere, præcipuè quia victualium caristiam maximam ibi habebant, qua specialiter eos contigit, immo oportuit obsidionem Civitatis dimittere; subitò plurimis derelictis occisis, interceptis, & vulneratis delatis, exercitum suum jussit ab inde removeri, occasione sumta, quòd literas receperit à Domino Lodovico Latinorum Rege, esse Neapolim accessurum expressè. Sed sinè hoc major pars sui exercitus derelinquebant suum exercitum, tamquam videntes nil in Terra ipsa posse lucrari, sed potiùs fame convinci. Retrocedit itaque dictus Dominus Robertus cum suo exercitu ab obsidione Civitatis Trani percussus, & versùs Cauratum rediit festinanter, ubi nequaquam intus recepti sunt, sed in Campo forragium modicum eis datum, eadammet nocte major pars sui exercitus versùs Gravinam rediit, quietura, & post eos reliquus exercitus idemmet iter fecit. Ubi per dies duos quiescentes fuerunt.

Remanserat autem in Terra ipsa Gravinæ Justitiarius Ducissæ Duratii Chiccarellus de Gisualdo cum plurimis malandrenis partium montanarum, qui bona nostra omnia, & nostrorum sequacium stragiciosè consumsit. Etiam & mulieres servitrices dicti Angeli Caporalis nostri, quamquam pauperes essent, se ipsas coëgit pretio redimendas. Et ad satisfactionem inimicorum nostrorum quamdam mulierem nomine Alexandriam, licèt meretrix fuerit, comburi mandavit. Igitur præfati inimici nostri capitali odio persequentes Judicem Martucium suprascriptum, qui juxta præscriptum supra, erat carceri alligatus, præsente Domino Roberto jam dicto, dicto Chiccarello Capitanio dictæ Terræ nequiter accusabant; quibus Dominus Robertus ait: *Quod prodimentum commisit hic plusquam vos? Injustum mihi videtur ipsum occidere. Si ergo potest ab eo haberi aliqualis pecunia, habeatur, & ipsum ejicite extra Terram*. Et sic de voluntate dicti Domini Roberti sua liberatio fuit permissa. Recedente itaque Domino Roberto jam dicto cum universo exercitu suo, major pars sui sequacis exercitus majorem partem animalium hominum dictæ Terræ Gravinæ versùs montanas portarunt in prædam. Sic talis legalitas fuit in illis. Et ecce murmur maximus Populi clamantis: *Væ illis, quia ii, à quibus sperabamus auxilium, nos disrobant*. Tamdem tacuit murmur tale, & inimici nostri in nostrum dedecus atque damnum dictum Judicem Martucium occultè, & palàm accusare cœperunt, sicque in tantum dictum Chiccarellum Capitanium impulerunt, quòd ipsum Judicem Martucium obtinuerunt tormentis exponi. Et ecce sedente Curia pro tribunali adductus fuit miser ille Judex Martucius ad judicium, pluribus proditionibus sibi objectis. Ad quos respondens audacter dicebat: *Domine Justitiarie, supplico reverenter, quòd si gratiosè me non vultis audire, saltem justitiâ mediâ me audite; & siquidem secundùm justitiam sum culpatus, libenter mori volo. Si autem in culpa non sum, me supplico liberetis. Et rogo, quòd ii, qui me accusant, ecce ut videtis, mei sunt inimici, quia sinè causa desiderant mortem meam*. Tunc inimici præsentes accusabant eum dicentes: *Domine Justitiarie dignus est mori Judex Martucius velut proditor publicus Dominæ nostræ Ducissæ. Nam pro ipso & suis sequacibus Hungari venerunt Gravinam, omnibus nobis invitis. Quod si negare voluerit, sumus probare parati*. Quibus Judex Martucius ait: *Domine Capitanie, audite me, rogo. Isti inimici mei me accusant, quòd proditor induxerim Hungaros in Civitate Gravinæ cum sequacibus meis. Interrogate eos, si peccavi in alio*. Quibus Capitaneus ait: *Dicite: peccavit in alio, quàm in hoc, quod vos dicitis?* Qui dixerunt: *Hoc est inter alia peccatum gravius, quod commisit esse Dominæ proditorem. Numquid parum sibi videtur?* Quibus Judex Martucius ait: *Ut quid ego majus prodimentum com-*

commisi quàm vos? Nonne recolitis? Tibi dico, Judex Gargane, qui cognatus meus es, & me accusas cum aliis tuis sequacibus, ut moriar. Nonne simul fuimus omnes post lectas Literas missas per Dominum Vayvodam Universitati Gravinæ? Et placuit omnibus dominium Hungarorum? Et tu cum omnibus, qui mihi accusatores adstatis, vestris sigillis literas responsales egistis. Si ergo in hoc me dicitis peccavisse, & vos mecum peccastis. Uno quidem crimine detinemur. Ergo Domine Reverende, si hac causa ego mori debeo, homines singuli Regni hujus morte pessima mori sunt digni, quia totum Regnum dominio se reddidit Hungarorum post mortem Domini nostri Ducis, & post reditum Regis Lodovici & Reginæ, ac Dominæ nostræ Ducissæ quilibet se dominio reddidit eorumdem. Et post adventum iteratum Hungarorum, Regnum fuit iteratò divisum, & omnibus hujus Terræ hominibus placuit Terram istam reddere dominio Hungarorum. Erant autem ante tribunal dicti Justitiarii Populus plurimus congregatus, qui venerant audituri & visuri vindictam miseri Judicis Martucii. Qui audientes dictum Judicem Martucium ita legitimè se tuentem, persuasi à nostris æmulis clamaverunt: Domine Justitiarie, pereat proditor, & ipsum tormentis exponi mandetis, quia reliquos ex eo interiores scietis proditores nefandos. Quibus Capitanius ait: Numquid sinè causa faciam eum mori? Ecce quod legitimè se defendit; nam omnes in simili casu estis. Tunc nostri æmuli in persona totius Populi clamabant: potiùs moriatur. Et quasi fremebant in eum dentibus, illum devorare volentes. Ut autem vidit Capitanius totius Populi voluntatem, dictum Judicem Martucium ligatis post terga manibus in Turri dicti Angeli Domini Gualterii à summo usque deorsum ultra quinquagies exponi præcepit. At miser clamabat: Domine Justitiarie, quid vultis dicam? Dico & confiteor me esse proditorem iniquum. Jubete me mori, quia dignus sum. Novit Deus. Non possum ampliùs tormenta sufferre. Supplico ad sententiam procedatis. Compatiens igitur Capitanius illum deposuit à tormentis, & ait illi: Judex Martucie, scias te esse penitus moriturum cras summo mane. Pœniteas ergo delictorum tuorum, ne animam perdas sicut & corpus. Cui respondit: Domine: dignus sum mori meis delictis. Supplico, ut si mei potestis compati mediante justitia, compatiamini mei. Sin autem fiat vestra voluntas, quia in patientia mea cum Dei auxilio meam animam possidebo. Cui Capitaneus ait: Omnino te mori oportet. Et tunc jussit ipsum ad carcerem duci.

Convenerunt autem universi æmuli nostri ad Capitanium dicentes: Domine Capitanie, recordamur vobis, quòd ad pœnam corporis proditoris aliorumque terrorem, proditorem ipsum tenaliis igneis morderi mandetis cras mane per Terram, & deinde ossa ejus in medio Plateæ publicæ in altis furcis suspendi, ut sit continuò ad sempiternam memoriam suorum parium proditorum, & singulis ad exemplum. Quibus Capitanius ait: Ecce disposuimus ipsum moriturum omnino, damnavimus ipsum beneplacito vestro. Sanguis ejus super vos sit, & super filios vestros. At ipsi: Domine Capitanie, ita sit, sicut fertis. Dignus enim est mori. Facto igitur mane præfati inimici Carrectam parari fecerunt, & in ea forgiam ardentibus carbonibus paraverunt, & apponentes carnificem, ipsum Judicem Martucium miserum apposuerunt in eam vestibus enudatum. Et tantus suo fato invaluit stridor Populi contra eum, quòd quasi omnes, ut audivi, non vidi, clamabant: pereat proditor. Sic enim decet singulos proditores. Et ductus est per totam Terram circum circa, & Rugas singulas, causâ pœnæ majoris. Audivi namque dici à pluribus, qui viderunt eumdem sic pati, quòd tanta contritione & patientia talia tormenta gerebat, quòd non nisi bis væ clamavit. Sed continuè Pater noster & Ave Maria dicebat, quamquam sæpiùs morderetur. Adductus itaque vivus ad furcas in medio Plateæ, tota carne purgatus morsibus tenaliarum, ad furcas illas suspenditur. Et ecce quidam nomine Magister Laurentius Chaccharellus monoculus & claudus, generis utique æmulorum nostrorum, evaginato ense ipsum percutiebat in tibiis, nitens illas incidere velut ligna. Hoc autem scripsi ita seriatim, non licèt in totum, quum totum scribere longum foret. Saltem in parte scripsi, ut sit ad memoriam filiorum patris vindictam quærere, & suorum sequacium, qui fuerunt. Nec ausus quisquam fuit ipsum exinde tollere quasi per mensem. De quo nostri æmuli voluntate obtenta persuaserunt dicto Capitanio, quòd consanguineos, omnesque sequaces nostrorum sequacium stagios asportaret, si vellet Terram Gravinæ firmiter possidere, & ad Castra montana dictæ Dominæ Ducissæ portari, ne restantes in Terra, aliquam proditionem committant. Assensit Capitanius verbis inimicorum nostrorum, & omnes consanguineos nostræ sequelæ in numero quadraginta ad Castrum Tursii, Castrum Oppidi, & Monticuli transmisit captivos, ibique eos per menses duos & ultra retinuit carceratos. Et recessit idem Capitanius cum omnibus prænotatis, & Matrem meam secum portavit in obsidem, quam cùm Comitissa Baroniæ Bisaciarum recommendatam dimisit gratiâ sui. Remansit autem Terra Gravinæ sub regimine Nicolai de Jaquinto de Castellaneto Capitanei loco sui, & Castrum sub regimine Jaconi de Muro, & quorumdam sociorum suorum de Valle Muri malandrenorum, qui totam provinciam discurrentes undique disrobabant. Dominus autem Robertus de Sancto Severino, Comes Tricarici, & universi Comites Regni, de sequela scilicet Regis Lodovici de Tarento, ad mandatum & requisitionem dicti Regis potenter se apud Neapolim contulerunt, & ibi innumerosum exercitum adunarunt equitum & peditum, quo possent Hungaris & Theotonicis, qui ad partes Terræ-Laboris potenter adibant, obviare in campis.

Palatinus verò, qui ut præscribitur, Vigiliis remanserat, post recessum Domini Vayvodæ, & sui exercitus de partibus Apuliæ ad partes Vallis Beneventanæ, non curans de promissione verborum facta per ipsum dicto Vayvodæ & Corrado Lupo, nullam factutum guerram in partibus Terræ Bari, unà cum Theotonicis quingentis stipendiariis suis, aliisque plurimis suis sequacibus, collectaque multitudine Populi à Terris circumstantibus dicti Domini Lodovici fidelibus, Civitatem Juvenatii obsedit hostiliter, & per mare Galeæ quatuor affuerunt pro Domino Lodovico jam dicto contra Civitatem eamdem. Ceperat autem diebus proximis ante præteritis Palatinus idem Civitatem Melfictæ modo subscripto; videlicet quòd per stipendiarios suos continuè guerram faciebat contra homines Melfictenses. Et uno die fecit contra eos insultum asperrimum modica gente quasi usque prope mœnia dictæ Terræ. Homines verò Civitatis Melfictæ videntes usque mœnia per æmulos

los infestari, animaverunt se unanimiter contra illos æmulos viriliter irruere & potenter, & insequuti fuerunt æmulos illos usque prope Sanctam Mariam de Martyribus, longè fortè à Civitate Melfictæ per milliare unum vel circa. Constituerat autem idem Palatinus gentem suam relinqui reconditam in quodam loco abscondito post Civitatem Melfictæ. Et ut viderunt gentem Civitatis Melfictæ persequi promto corde socios suos, longèque esse à Civitate Melfictæ spatio prædicto, diversis viis post terga Melfictensium cursu velocissimo ferierunt. Nec sciverunt prævidere Melfictenses eorum insidias præparatas. Et sic stipendiarii, qui præcedebant, & qui sequebantur, in uno concursu super Melfictenses promtissimè ferierunt, & ceperunt de viris Melfictensibus viros centum & ultra. Inter quos esse contigit meliores, quos apud Vigilias carcerandos portavit, eosque tenuit, quousque universi Cives reddiderunt Civitatem Melfictæ dominio Palatini. Quam Civitatem, deficiente eis auxilio Hungarorum, quorum fidelitati se dederant, restituerunt, & se ipsos dominio Palatini.

Et dum esset Palatinus ipse in obsidione Civitatis Juvenatii, ut præscripsi, continuos diros insultus dabat & dari mandabat contra Juvenatienses, & ibidem plura construi fecit diversa ingenia, quibus possent se muris Civitatis adhærere. Et mandavit uno die guastum fieri in arboribus olearum. Statimque ut viderunt Juvenatienses guastum fieri in arboribus & bonis eorum, nuntios Ambassiatores miserunt cum certis pactis velle reddere Civitatem. Quod audiens Palatinus, mandavit guastum cessare, & cum Ambassiatoribus Juvenatii fuerunt ad verba. Tamdem concordes facti reddiderunt Civitatem Palatino jam dicto pacto subscripto, videlicet, quòd omnia jura Civitatis Regiæ Curiæ pertinentia assignentur in Camera Palatini, & Juvenatienses viri, vexillo remoto Regis Hungariæ, vexillum Reginæ erigant & Domini Lodovici; Et pro majori securitate stagios octo dabunt morandos in Castro Bari octo generum Civitatis. Et his pactis firmatis Vexillum Regis Hungariæ removerunt, & Vexillum erexerunt Reginæ & Domini Lodovici, dederuntque promissos octo stagios Caporalibus galëarum, qui erant super mare portandos per eos ad Castrum Bari. A quibus Palatinus idem pro amotione exercitus sui recepit à Juvenatiensibus Civibus uncias centum.

Et amoto inde exercitu suo pervênit Bitontum Civitatem magnam, & in Abbatia Sancti Leonis longè parum à mœniis dictæ Terræ castrametatus fuit cum exercitu suo. Et mittens Ambassiatores suos usque ad Portam Civitatis ipsius, misit dicendo Civibus Bitontinis, ut Terram Bitonti fidelitati restituant Reginali & Domini Lodovici, sibique pareant tamquam Principi Parisano. Quibus responsum per universos Concives (præerant regimini Civitatis ipsius Dominus Herricus, & Dominus Paulus Milites, Chiceus Domini Sergii, & Leo Castanea, & alii probi viri, sed ii præcipuè quatuor) qui dixerunt: *Dicite Palatino, quòd jam fidelitatem nostram promisimus Domino Regi Hungariæ. Amodo non aliud volumus, quàm dominium Hungarorum. Ideo dicite Domino Palatino, quòd placeat sibi nos non molestare, sed exspectemus videre, si quis victor sit Regni hujus; an Rex Hungariæ an Regina & Dominus Lodovicus. Necesse enim est, ut ipsorum Dominorum alteri è cœlo victoria concedatur. Miramur enim vehementer, quòd Dominus Palatinus promisit Domino Vayvodæ & Corrado Lupo ipsis recedentibus de partibus Apuliæ, & versùs Terram-Laboris euntibus, guerram non moveri debere in partibus Terræ Bari. Quomodo ergo sua promissione defecit, stupemus. Recordamur itaque sibi, ut promissorum verborum dictis Dominis memor sit tamquam Princeps magnificus. Finaliter autem nostri cordis est Civitatem Bitonti Hungarorum dominio non movere, sed omni remoto timore in eorum fidelitate consistere. Videamus usque quo finem rei.* Redierunt autem Ambassiatores ad Palatinum, & dixerunt ei responsionem jam dictam. Tunc Palatinus jussit per suum exercitum insultus committi durissimos contra Cives Bitonti, & Cives ipsi desuper muris se viriliter defenderunt, & sæpe sæpiùs insultus pessimi fiunt in eos.

Videns enim Palatinus ex insultibus non posse offendere Civitatem, convocatis undique viris circumstantium Civitatum, Castrorum, & Casalium, sinè fine innumerosus Populus concurrit in auxilium Palatini, Palenses præcipuè, qui inimici sunt Civitati Bitonti. Jussit itaque Palatinus guastum facere maximum cum combustione arborum, olearum, cum fractione molarum trappetorum, in quibus macinantur olivæ, & generaliter damnum in bonis omnibus eorumdem. Fecitque fieri Palatinus ibidem multa ingenia lignea, pontes, scalas, & gattos, trabuccosque erexit ante mœnia Civitatis ipsius, credens terrere fidelissimos Civitatis ejusdem. Et paratis ingeniis quodam die versùs muros se proximare credebant. Videntes autem Bitontini exercitum inimicum velle muris Civitatis adhærere cum dictis ingeniis, ut illa opportunitùs frangerent, quasi subtus murum adhærere permiserunt. Et quum fuerunt sub muro, ictibus lapidum vivorum tam fortiter percutiebant ipsa ingenia, quòd in momento fracta fuerunt penitus & consumta. Et multi quidem inimici exercitus lapidum ictibus sunt percussi, & dimissis ingeniis fugerunt. Erant autem in Civitate Bitonti balistarii plurimi & boni quasi circa mille, & per constitutas fenestras mœniorum sæpiùs jaciebant in exercitum Palatini; uno tamen semel unus balistariorum ipsorum jecit in personam Palatini, cujus ictus, quia caput suum alibi Palatinus revolvit, vicinum sibi famulum tunc percussit. Quem si percussisset, fortè tunc tota briga partium Terræ Bari finita fuisset. Sed noluit Deus propter peccatum Pòpuli, sed ipsum regnare permisit, ut sua impietas confundat nostra delicta. Stetit autem inimicus talis exercitus ante Bitontum per dies decem & septem & ultra, & nihil lædere potuit Civitati gratiâ defensorum. Tunc Cives Terræ videntes nullatenus posse offendi ab hostibus, sapienter cogitaverunt velle esse ad pacta pacifica cum Palatino, fidelitate Regia non mutata. Convocatis itaque quibusdam fidelibus Palatini juxta Portam Civitatis, dixerunt illis: *Dicite nostra parte Domino Palatino, quòd nostri cordis non est à fidelitate Regis aliquatenus deviare timore vel damno quocumque. Sed si placet ei, deveniamus ad pacta, ut simus utraque parte contenti. Ite ergo ad Dominum, & sibi narrate verba, quæ dicimus; & quod respondet, nobis referte.* Abierunt illi ad dictum Palatinum, & sibi præmissa verba dixerunt. Quibus Palatinus ait: *Placet nobis. Fiant eis assecuratoriæ literæ Ambassiatoribus Civitatis, ut securè valeant venire ad nos, & redire ad Terram.* Et factum est; quas dicti convocati sub bona fide Portæ Civitatis adhærentes, assecuratorias literas obtulerunt. Statimque Cives Bitonti de communi consilio Ambassiatores suos & concordiæ tractatores statue-

fuerunt Dominum Herricum, & Dominum Paulum præfatos, receptis primò stagiis duobus Militibus, & duobus Scutiferis Palatini in Terram. Fuerunt ante Palatinum Ambassiatores jam dicti, & finaliter devenere ad pacta, quòd pro subscripta treuga firmanda Bitontini Cives solvant ipsi Palatino uncias centum, & deinde nisi per totum quintumdecimum mensis Julii anni ejusdem adsit eisdem Civibus Bitontinis Dominorum auxilium Hungarorum, qui in Campo Sancti Leonis, in quo ipse Palatinus consistit, eum appellent ad arma in campo, quòd elapso ipso termino Civitas ipsa Vexillum Reginæ erigat, & dicti Domini Lodovici, ac suum tamquam Principis Barisani, subditosque fideles se deinde teneant Principis Palatini. Venerunt tunc Ambassiatores referentes Universitati Bitonti præfata pacta, super quibus mutuum habentes consilium, placuit omnibus ordo talis; & reversi ad Palatinum præfata pacta penitus firmaverunt. Et acceptâ promissâ pecuniâ, amovit inde exercitum suum, & se apud Barum contulit, credens eam ingredi, & Principatus nomine possidere. Sed vana fuit cogitatio sua, quia Barenses eum introire nullatenus permiserunt, ex eo quòd erant in Terra ipsa plurimi parentes sui, & nolebant ipsum pro Domino recipere intus Urbem. Abiit autem Palatinus versùs Monopolum, quæ Terra tenebatur pro eo, & ibi per dies aliquos requievit, & deinde reversus Vigilias inibi morabatur potenter.

Dominus autem Vayvoda, & Corradus Lupus, ac universus eorum exercitus per partes Vallis Beneventanæ cum plena victoria transeuntes, fuerunt à singulis obediti, & ad Regiam fidelitatem conversi sunt singuli partium earumdem. Et demum remoto exercitu pervenerunt ad partes Terræ-Laboris, & applicantes ad Passum Casalis Arpadii invenerunt Passum ipsum potenter fortificatum magno fossato & paliciis super eum. Est autem Passus ille infra duos montes maximos & altos & nemorosos atque lapideos, per quos ad defensionem modicam nullus transire posset. Erantque in Passu ipso Comes de Aspergo, & Bamberlingerius Theotonici Caporales, & alii plures armigeri pro Domino Ludovico ultra quingenti, qui se parantes in Passu, Passum ipsum transire volentibus defendere præsumserunt. Et constituti simul ad bellum tota illa die dirum prœlium commiserunt; ubi ex utraque parte plurimi perierunt. Tandem cessit victoria Hungaris, & contra velle custodientium Passum ipsum transiverunt, eosque custodes mortaliter insequuntur, de quibus in fuga plurimos occiderunt, & plurimos carcerarunt. Sed quia nox obscura supervênit eisdem, ideo fugientes singulos capere nequiverunt; & ipso Passu corrupto totum Casale Arpadii, & consequenter Burgum Argentii, velut loca rebellium, ignis incendio concremarunt, totali robba priùs sublata per eos. Et deinde ad Casale Cancelli hoc idem fecerunt. Et pervenientes Acerras, Terram ipsam potenter aggressi sunt, quam violenter ceperunt. Castrum verò fortissimum dictæ Terræ intercipere nequiverunt, opportunis defensoribus custoditum. A quibus terris & locis opportuna victualia receperunt, & per Villanos locorum ipsorum, & animalia deferri faciebant post eos. Demum versùs Capuam militantes, maximum Vulturni flumen per pontem fluminis nequiverunt transire, defensionibus Turrium defensatum.

A Erat autem cum eis in ipso exercitu quidam Jadarensis nomine Palatinus, in arte sua magnus magister. Et videns amplitudinem fluminis cum oculis mensurando, per convicina Casalia & nemora proxima opportuna lignamina fecit adduci, & infra dies duos Pontem ligneum statuit, quo possent universus exercitus & equi desuper præterire securi. Et sic subtili ingenio pontem illum statuit, quòd in erectione pontis ab una ripa fluminis ad aliam ripam magistraliter pontis lignamina perrexerunt, per quem ita pontem universus tam magnus exercitus præterivit. Erant autem in ipso exercitu, ut prædixi, Comes Triventi, & frater, qui monoculus erat, nomine Thomasius, qui nobiliores

B erant omnibus dictæ Terræ, sciebantque introitus & exitus Civitatis, habebantque consanguineos plurimos & sequaces. Erantque intus eorum plurimi inimici, quorum Caporalis Cervus de Capua vocabatur. Consanguinei verò dicti Comitis Triventi, scito exercitus Hungarorum adventu, ad destructionem interiorum inimicorum ordinaverunt exercitum ipsum inducere intus Urbem, & ea ordinatione tractata, & patefacta dicto Comiti Triventi juxta præfatam ordinationem datur per exercitum Hungarorum crudelis insultus circum circa Civitatem. Ut autem insultus crudelior affuit in constituto loco eorum introitus, interiores amici & consanguinei dicti Comitis fugere se finxerunt, quasi non

C valentes Passum illum ulteriùs defensare. Et irruens potenter exercitus per locum illum ingreditur cum furore miseram Civitatem, ubi quum ingreditur exercitus tantus, non juxta promissum de non currendo Civitatem, Theotonici servaverunt, sed ad disrobandum generaliter totam Terram cœperunt, quantumcumque Domini Hungari vellent ipsos Theotonicos refrenare. Et per modicam horam totam Civitatem illam penitus deprædarunt, & domos plurimas causa majoris terroris ignis incendio concremarunt. Præfatus autem Cervus de Capua, dicti Comitis inimicus, pluresque sui sequaces per fugæ subsidium evaserunt; Cujus filii, uxor, & domus per dictum Dominum Vayvodam sunt

D accepti, & major pars hominum dictæ Terræ per Theotonicos, Hungaros, & Lombardos ipsius exercitus carceratur, pretio se quilibet redimendus. Tantus erat in Civitate ipsa stridor & ululatus gentium generis utriusque, quòd quasi inexaudibilis stridor erat, nec erat ulla compassio tantorum ululantium puerorum. Stetitque idem exercitus in Civitate ipsa Capuana per dies tres, infra quos Turres Pontis etiam acceperunt, & eis acceptis victualibus & aliis opportunis optimè munierunt, & appositis earum custodiæ quibusdam Nobilibus Theotonicis, versùs Civitatem Aversæ suum exercitum direxerunt.

E Aversani verò Cives, sentito adventu tanti exercitus in partibus Terræ-Laboris, disposuerant ordinato consilio absque prœlio honoranter recipere Dominum Vayvodam, & suum exercitum in Civitate Aversæ. Ut autem sciverunt, dictum exercitum iter direxisse versùs Aversam, Syndicos & Nuntios honoratos miserunt ante dictum Vayvodam, offerentes pro parte Aversanorum dominio Domini Regis Hungariæ Civitatem Aversæ. Quod audiens dictus Dominus Vayvoda, & Corradus, læti facti sunt, & Nuntios ipsos honorificentiùs receperunt. Et simul incedentes ad Terram, cum magna laude suscipitur dictus Vayvoda Dominus à singulis Civibus dictæ Terræ, totusque exercitus hospitatur

tatur ibidem cum magno amore. Et ecce fama volante per universas Terras, Castra, & Casalia Terræ-Laboris, in Neapoli præcipuè, dicti exercitus est patefactus adventus, omnesque terrent terroribus factis in Civitate egregia Capuana, & Terris aliis supradictis. Et ob hoc universa provincia Terræ-Laboris ad dictam Terram Aversæ concurrit, fidelitatem & homagium Domino Regi Hungariæ juratura. Ibique universus concurrit Populus locorum illorum cum grassiis opportunis.

Cœperunt autem Hungari & Theotonici super Neapolitanos continuò militare, opprimendo eos diversis & variis prædarum & damnorum generibus, quibus eos subducerent domino Hungariæ. Dominus autem Lodovicus, & Regina Johanna intus Neapolim consistentes, ad quorum clamorem universi Comites & Barones suæ sequelæ convenerant, quilibet in manu forti, adunaverant in Neapoli exercitum gentium armatarum, quo apud opprimentes Hungaros prævalerent. Die verò quodam præfatus Dominus Lodovicus de consilio suorum Proconsulum, Comitum, & Baronum misit ad Dominum Vayvodam & ejus exercitum guantum pugnæ per Ambassiatores honoratos, dicens: *Ecce scias, Domine Vayvoda, quòd Dominus noster Rex Lodovicus de Tarento per præsentem guantum pugnæ provocat vos ad pugnam in campo. Estque ipse cum suo exercitu præparatus ad pugnam. Et propterea per nos Ambassiatores suos vos voluit prævenire. Nec voluit super vos irruere subitò, sicut fecistis in eum. Determinetis igitur diem committendi prœlii, & campum, ubicumque volueritis, statuatis, quum totum hoc electioni vestræ disponat. Aliter nisi volueritis cum eo pugnare in campo, super vos potentissimè veniet obsessurus. Respondete igitur super his velle vestrum finaliter, quia super his, quæ diximus, vestram scire desiderat voluntatem.* Dominus autem Vayvoda præfatos Ambassiatores honoranter recipiens, sicut decet Regios Nuntios tanti mysterii, eos ad prandium invitavit, dicens eis: *Prandete nobiscum, & post prandium respondebimus valde gratis.* Quod factum est. Igitur facto prandio diligenti, dictus Dominus Voyvada convocavit ad se Corradum Lupum, Ducem Guarnerium, & alios Milites suos Hungaros, & Theotonicos bellicosos expertos, quibus ait: *Ecce per Dominum Lodovicum Latinorum Regem ad prœlium invitamur per guantum in campo; & nostræ electioni disponit locum prœlii atque diem, & per præsentes Ambassiatores suos responsum nostrum exspectat. Qua de re noster animus valde gaudet, quum dicit se velle prœliare nobiscum in campo. Consulamus igitur mutuò, quid respondebimus dicto Regi.* At illi: *Domine Vayvoda, & nos etiam prœlium affectamus. Expedite tam citò Ambassiatoribus respondere. Et postquam arbitrii nostri est bellandi eligere locum, & diem, ut citius prœlium fiat, hoc etiam arbitrio vestro sumatis. Verumtamen ne aliqua causa dictum Dominum Lodovicum bellandi fortè pœniteat, sicut moris est Latinorum, respondete sibi, ut cras cum Ambassiatoribus his Milites duos mittat, ut cum duobus aliis nostris Militibus campum statuant prœliandi magnum & largum, voluerint communiter ubicumque. Diem autem prœlii, usque in diem Sabbati primò futurum, firmiter statuamus, quum simus omnes parati ad pugnam. Sed ut habiliùs locus campi prœlii ordinetur, ideo usque ad dictum terminum differimus diem belli.* Placuit omnibus Caporalibus Hungaris, & Theotonicis ordo talis, & propterea convocatis Ambasciatoribus dicti Domini Lodovici idem Dominus Vayvoda per constitutum Interpretem retulit Ambassiatoribus ipsis ordinem prænotatum, & ad majorem informationem præfata verba responsalia in scriptis eidem mandavit; immo ad velociorem expeditionem negotii Milites duos Theotonicos reambassiatores transmisit dicto Domino Lodovico, affirmaturus prœlium invocatum, sibique per ordinem præscripta omnia relaturos.

Tunc accesserunt Ambasciatores omnes versùs Neapolim, & simul ingressi sunt Civitatem, & euntes ad Castrum Regium apertis janius intraverunt, & simul cum Ambassiatoribus dicti Domini Lodovici coram ipso Domino præsentantur. Cui reverentiâ debitâ factâ per Ambassiatores Theotonicos, præscripta præmissa responsio respondetur, sibique scriptas literas assignarunt. Tunc Dominus Lodovicus Ambassiatorum responsione accepta, vocatis Collateralibus suis literas etiam legi fecit, quæ eademmet verba dictabant. Et habito consilio super verbis deliberaverunt consulto duos Milites esse mittendos, locum prœlii condicturos, pro ut scripserat Vayvoda supradictus. Statutum verò diem prœlii acceptarunt. Tunc rediens dictus Dominus Lodovicus magnanimo animo ad Ambassiatores eosdem jucundo vultu Regali, quæ dixerant, omnia firmo corde spopondit, quibus ait: *Carissimi, hoc sero cœnate nobiscum. Hora enim tarda est, vos redire posse Aversam. De mane redietis ad vestri exercitum Domini cum duobus nostris Militibus; quibus, ut Dominus vester scripsit, commisimus cum duobus aliis suis Militibus eligere locum belli.* At illi: *Domine, facimus quod jubetis.* Et paratâ cœnâ, cum Domino ipso honorificè invitantur ad cœnam, & ibidem ipsa nocte jussi sunt reposare. Facto igitur mane remisit ipse Dominus Lodovicus Milites suos duos apud Aversam cum Militibus Theotonicis supradictis, & præsentes coram dicto Vayvoda pro parte dicti Domini Lodovici, quod ordinaverat, confirmarunt, dicentes: *Domine Vayvoda, ecce missi sumus per Dominum nostrum Regem ad vos, ut cum duobus vestris Militibus, ubicumque elegerimus simul, habiliorem locum prœlii statuamus. Ergo ut utriusque vestrum Dominorum impleatur voluntas, mittite nobiscum Milites vestros duos, cum quibus locum faciendi prœlii eligamus. Constitutum autem diem per vos committendi prœlii nostro verbo Dominus noster acceptat.* Placuit dicto Domino Vayvodæ, & Corrado Lupo, ceterisque Caporalibus Hungaris & Theotonicis dicti exercitus, & statim sagacissimos duos Milites unum Hungarum, & alium Theotonicum, quos expertos noverunt, unà cum dictis duobus Militibus dicti Domini Lodovici, electuros locum & campum prœlii faciendi. Tunc præfati Milites quatuor cum Dominorum licentia perrexerunt, & venientes ad locum, qui dicitur Malitum, infra Civitatem Neapolis & Aversæ, spatiosissimum, illic committendum prœlium statuerunt, immo ad majus spatium dicti campi habendum quamplures arbores circumstantes, fossatos, & Rubos per statutos villanos incidi & explanari fecerunt; & parato dicto campo, quilibet ipsorum Militum ad suum Dominum remeavit.

Ex qua ordinatione tam Dominus Lodovicus cum suo exercitu in Neapoli, quàm præfatus Do-

Dominus Vayvoda in Civitate Aversæ cum suo exercitu de opportunis armis, paramentis, atque banderiis se ornabant, ut in constituto die prœlii essent prompti. Neapolitani igitur Cives, & universi Latini, Domini, Milites, & Scutiferi de faciendo prœlio læto corde videbantur fervere, & ad id altercantes unus alterum animabat. Plurimi tamen Neapolitani Nobiles, filii Nobilium Militum, occasione faciendi prœlii eidem Domino Lodovico honorem Militiæ postularunt, ut quum Nobiles sint, si aliquem eorum deficere contingat in prœlio, fama vel nomen Militis sibi restet, ut moris est bellicorum. Ut autem unusquisque dictorum Nobilium ad committendum prœlium animosior se demonstret, spopondit & placuit dictorum Nobilium petitio sibi facta; & eodem die zona Militiæ decoravit nobilissimos Juvenes septingentos & ultra. Dominus autem Vayvoda ad quorumdam Nobilium Hungarorum Scutiferorum suorum, & Theotonicorum petitionem, prænominatum Corradum Lupum primò, & plurimos alios honore Militiæ decoravit. Et sic ex utroque exercitu Dominorum ex nova Militia fuit gaudium magnum factum, alacri animo diem præfixi prœlii exspectantes.

Adveniente itaque faciendi prœlii die, ecce orto jam Sole expressus Nuntius dicti Domini Lodovici quasdam deferens literas ad Dominum Vayvodam præsens fuit, per quas certa causa diem prœlii differre petebat. Proditoriè autem statuerat dictus Dominus Lodovicus, & sui Proconsules, ut totus suus exercitus stet paratus, & ante auroram dicti statuti diei prœlii ex Neapoli eques & pedes quilibet sit paratus, ut se prope Civitatem Aversæ occultè recondant. Ipse autem dilatorias belli literas, quas scribebat, faciebat fictitiè, ut exercitus Hungarorum & Theotonicorum, qui spe faciendi prœlii summo mane se parabant ad arma venturi ad constitutum Campum, habitis literis dilatorii prœlii arma deponant, & ipse Dominus Lodovicus cum exercitu suo subitò irruat super inermem exercitum Hungarorum. Et sic factum fuit. Ecce juxta dictum proditorium ordinem ante diem clarum totus exercitus egreditur Civitate Neapolis, & ad statutum locum imboscamenti quilibet se recondit. Quum verò pervênit Nuntius ad dictum Dominum Vayvodam, qui etiam fraudulenter de dicta proditione informatus dixerat in suo transitu per exercitum Hungarorum, dictum Dominum Lodovicum dilationem petere prœlii faciendi, ipso statuto die certa de causa prœliare non posse, arma recepta ex verbis illius Nuntii quilibet deponebat, quasi dolentes de prœlio, quod restabat. Qui Nuntius dicto Domino Vayvodæ literas assignavit. Tunc Dominus Vayvoda universos sui exercitus Caporales requirere faciens ad legendas literas prænotatas, in Sala Castri Magni Aversæ Caporales singuli adunantur, & lectæ fuerunt literæ prælibatæ. Ad quas audiendas, quasi credentes novum aliquid audituri, plurimi concurrerunt. Et dum adhuc literæ legerentur, ecce rumor maximus per totam Civitatem Aversæ, clamantis Populi & exercitus, inimicorum exercitus irruere super eos, præcursoresque inimici exercitus instare ferociùs januis Civitatis. Tunc Dominus Vayvoda, & Dominus Corradus, Dux Guarnerius, & Caporales alii Hungarorum & Theotonicorum exercitus cognoverunt literas illas proditoriè fuisse formatas, & jusserunt totum exercitum esse confestim ad arma eques. Erant autem cum dicto Domino Vayvoda Hungari Archerii quasi trecenti, qui protinus de licentia dicti Domini Vayvodæ ascendentes equos eorum, post terga inimici exercitus se ipsos reponere cogitarunt, & per aliam Civitatis Aversæ Portam egressi sunt, licèt in ea mœnia nulla forent, & circa inimicum exercitum se recondunt. At inimicus exercitus Domini Lodovici magìs ac magìs circa Civitatem Aversæ & intus se adhærebat Civibus displicendo. Et ecce ad sonum buccinarum quamplurium maxima Theotonicorum militia cum Corrado Lupo egreditur Civitate Aversæ obviam exercitui inimico. Quorum exitum per buccinarum sonum inimicus exercitus sentiens, retrocessit per spatium brevis viæ. Et paulatim Theotonici & Hungari exeuntes quandoque in magna, quandoque parva turba, unus alterum non expectans; sicut primus exiit Dominus Corradus jam dictus cum sua comitiva, sic subitò irruit super exercitum inimicum. Qui nequaquam terga vertentes, sed se viriliter defendentes, super dictum Dominum Corradum promtiùs ferierunt, & tanto ardore super dictum Militem feriunt, quòd ipsum Dominum Corradum armorum potentia ceperunt, & quibusdam Neapolitanis datus est captivus Neapolim deferendus. Ceperat autem ipsum Dominus Raymundus de Baucio Miles, superiùs nominatus, qui Miles habetur in Regno magnæ virtutis. Et ecce capto Domino Corrado tanta supervênit Theotonicorum & Hungarorum potentia equitum super exercitum inimicum, licèt in satis quantitate majore forent viri exercitus Domini Lodovici viris exercitus Hungarorum, quòd quasi facti territi, erant sub spe retrocedendi. Et sic ex utraque parte inexaudibilis clamor utriusque ululantis exercitus aures audientium penetrabat. Tunc reconditi Hungari Arcerii supradicti maximo ululatu audito ad caudam inimici exercitus cum eorum arcubus & sagittis crudeliter ferire cœperunt. Ut autem vidit inimicus exercitus se esse reclusum, eosque percuti ex parte anteriori & posteriori, equosque eorum innumerabiles sagittis percutere atque viros, cogitaverunt utilius apud Neapolim redituri. Et corrupto eorum exercitu, quilibet se revolvit in fugam. Hungari verò & Theotonici fugientem inimicorum exercitum promtius insequentes, plurimos occiderunt & plurimos carceraverunt Caporales & Nobiles exercitus dicti Domini Lodovici. Et sic ii, qui dictum Dominum Corradum captivum habebant, illo dimisso fugerunt. Tantus enim pulvis equorum pedibus invaluit super locum, quòd quasi unus alterum ex pulvere non videbat. Promtissimè autem Theotonici & Hungari inimicum exercitum insequuntur usque juxta mœnia Civitatis Neapolis. In quorum fuga plurimos occiderunt & plurimos acceperunt. Et tunc, qui evaserunt pedes vel eques, magno tremore Neapolim sunt ingressi.

Redeunt tunc Hungari & Theotonici ad Civitatem Aversæ cum laude maxima & triumpho, ducentes secum plurimos carceratos & equos, & de obtenta victoria gratias agentes Domino Jesu Christo. Quum autem applicuerunt Aversam, de mandato Marescallorum exercitus universi captivi coram Domino Vayvoda præsentantur, inter quos inventi sunt esse captivos Caporales subscriptos, videlicet præfatum Dominum Raymundum de Baucio, præfatum Dominum Robertum de Sancto Severino, Rogeronum Comitem Tricarici, Dominum Adam de Vicecomitibus, & infinitos alios Nobiles milites Theotonicos & Latinos, qui fuerunt in-

inter omnes quasi mille accepti. Volens autem dictus Dominus Vayvoda, Dux Guarnerius, & Dominus Corradus scire, si de viris sui exercitus periissent in bello, dictis captivis appositis carceri diligenti, totum campum convicti proelii recolligere mandaverunt, mandantes, ut si quis sui exercitus inveniretur defunctus, ad Ecclesiam duceretur, quod factum est. Perquisitores autem defunctorum coeperunt diligenter hoc agere, nec unum tantùm Hungarum vel suum Theotonicum invenerunt defunctum, saltem modicis vulneratis, & numerantes defunctos partis adversæ invenerunt illos ultra mille fuisse defunctos in campo. Et sic inter vivos per Comestabulos Hungarorum exercitus est inventus. O si quis vidisset festum & magnum præconium tantæ obtentæ victoriæ! O quantus est clamor ad Deum cum laude, quia ubi inimicus exercitus proditor credidit eos occidere, fuerunt occisi! Et sic cum magno jubilo coram se dictus Vayvoda, & Dux Guarnerius dictos Dominum Robertum, & Dominum Raymundum venire præsentes jusserunt, ut seriatim eis dicerent, qualiter tantum fecerint prodimentum, quod cessit in angustiam frontis eorum. Qui præsentes coram dictis Dominis Vayvoda & Corrado dixerunt, rem ita fuisse tractatam, pro ut superiùs enarratur. Tunc Dominus Vayvoda prædictos Caporales custodiæ sui carceris recipiens, illos diligenter custodiri mandavit; & dixit Rogerono Tricarici Comiti, qui Misbanum Hungarum Ducem Calabriæ, quem captivum in Castro suo tenebat, venire mandaret Aversam, si vitam cuperet habere. Qui Comes prædictum Misbanum infra breves dies venire mandavit Aversam.

Tunc dictus Dominus Vayvoda ad confortationem hominum Civitatum Montis Sancti Angeli, Manfredoniæ, Baruli, Luceriæ, Trani, Bitonti, & Gravinæ, quæ sub dominio suo erant, credens quòd Civitas Gravinæ sub dominio suo staret, sicut eam reliquit, iis Universitatibus significavit obtentam victoriam per modum superiùs adnotatum. Unde per Universitates Terrarum ipsarum fuerunt magna gaudia celebrata, præter dictam Terram Gravinæ, quæ, ut præscribitur, fuerat rebellata. Nos autem, qui Gravinenses eramus extra Terram Gravinæ ejecti, sicut præscribitur, XXIII. die mensis Maji dicti anni recessimus à Civitate Montis Sancti Angeli, postquam scivimus Domini Roberti jam dicti & sui exercitus recessum à partibus Terræ Bari, & in egregia Civitate Baruli firmiter manebamus. Ubi dum essemus, per eos, qui in Castro Civitatis Canusii morabantur, super viros dictæ Terræ Baruli continuus fiebat insultus, quia dictum Castrum, & reformata Civitas Canusii tenebantur pro Domino Lodovico. Et in tantum Barolitanos Cives constrinxerant, quòd vix Barolitanus aliquis ad propinquiores vineas audebat exire. Erant etiam contra eosdem Cives Baruli persequutores impii Nobiles multi Marrenses, qui in Minerbino manebant, Terra Domini Raymundi de Baucio, qui erant amici antiqui, & ad conservationem fidelitatis ipsius Domini erant simul uniti contra dominium Hungarorum. Et è converso Dominus Nicolaus de Gactis, suique sequaces, in Civitate Baruli consistentes fideliter contra ipsos Marrenses & Dominum Lodovicum jam dictum pro fidelitate Hungara repugnabant. Per quos insultus sæpiùs inde factos ex Barolitanis Popularibus plurimi manibus & naribus mutilati fuerunt, unde unusquisque timebat egredi Portas Terræ, ipsamque Terram mobilibus omnibus penitus deprædarunt. Sed antequam nova talia essent in partibus Terræ Bari de captione dictorum Domini Roberti, & aliorum, seu corruptela dicti exercitus Domini Lodovici, præfatus Angelus Domini Gualterii, & nostri sequaces de Civitate Baruli recessimus, &, ut præfertur, scito per nos, quòd jam dictus Dominus Robertus iverat versùs Neapolim, dimissâ provinciâ Terræ Bari, unà cum Thomasio Pauli Hungaro Castellano Castri Sanctæ Mariæ de Monte, qui certâ causâ venerat apud Barulum, & ad Civitatem Andriæ nos ipsos contulimus, in qua jam dictus Miles Dominus Philippus de Sulz dictus Malisspiritus morabatur in Castro, & pro parte Domini Regis Hungariæ cum modicis Theotonicis militabat contra Regios infideles. Hic Miles tractatu cujusdam Lombardi, nomine Quiricinus de Placentia, qui custodiæ Campanilis Rubi præerat, à quibusdam Lombardis stipendiariis suis commonitus, Campanile Rubi prædictum, quod sub dominio erat Domini Roberti jam dicti, sua solicitudine acquisivit & cepit, licèt Castrum Rubi fortissimum pro dicto Domino Roberto servatum contra viros Campanilis ipsius pessimè impugnaretur.

Requisivit idem Miles Malisspiritus præfatum Angelum Domini Gualterii, & Judicem Nicolaum Domini Corradi Caporales nostros, ut cum eo contra Palatinum Altamuræ jam dictum, qui sciens dictum Campanile Rubi pro Domino Malisspiritu teneri, cum tota sua potentia Campanile ipsum venerat pugnaturus. Sed quia ii, qui Castrum Rubi tenebant pro Domino Roberto jam dicto, ex antiqua inimicitia Palatini cum Domino Roberto præfato, cum dicto Palatino minimè concurrebant, contra Dominum Malisspiritum memoratum causâ auxilii Palatini minimè intendebant. Ex quo Palatinus ipse diebus duobus repugnans ibidem, non potuit lædere in Campanili jam dicto. Cui militi dicti Angelus & Judex Nicolaus respondentes non permiserunt cum dicto milite nos ituros, licèt miles idem etiam dictum Thomam Pauli requisierit, & suos Hungaros contra dictum Palatinum ituros in auxilium Campanilis, qui similiter cum ipso milite accedere recusavit. Pervenimus autem simul omnes nos Gravinenses cum Thoma Pauli prædicto à Civitate Andriæ ad jam dictum Castrum Sanctæ Mariæ de Monte, ubi quum fuimus cum sociis Hungaris ejusdem Thomæ, apud Spinaciolam cogitavimus ire in prædam, & euntes una nocte invenimus ante Spinaciolam ovium milliaria triginta & plus. Quas accipientes duximus ad Castrum jam dictum, & deinde in Barolo venales portavimus. Deinde revertentes ad Castrum præfatum, occurrit in cordibus nostris Gravinensium versùs Gravinam dirigere nostrum iter, ut de nostratibus mulieribus & consanguineis derelictis nova aliqua sentiremus, & in quo casu consisterent. Et de voluntate expressa dicti Thomæ Pauli remansit Judex Nicolaus prædictus in Castro cum eo. Reliqui autem nos avido animo versùs patriam horâ meridiei transactâ coepimus militare. Et euntes prope Guaranionum præmisimus socios duos nostros recepturos abinde panem & vinum pro cibo nostro. Et sic illos exspectavimus longè parùm à Guaranione prædicto. Ecce pervenerunt ad nos quidam intimi nostri amici, Theodorus frater Notarii Berardi & filius, deferentes secum nostro amore panem & vi-

vinum & cabalcafeos noſtro cibo. Cum quibus per horam maximam alloquentes, hora quaſi veſpertina præſente eques fuimus, & deſcendentes in planitiem tenimenti Gravinæ, dum Chiccus de Gregorio noſter ſocius, & Domnus Guilielmus ſingulos nos præirent, viderunt quoſdam malandrenos equites treſdecim, qui cuſtodes erant Palatii ſeu Caſtri Gravinæ, cum Jacono de Muro. Super quibus duo hi viriliter irruentes, crudeliter ferierunt. Quos dum reliqui ſocii vidimus, cucurrimus in auxilium eorumdem & confuſionem illorum. Sicut enim illorum fugientium aliquem capiebamus in campo, ſublato ſibi equo & armis, per Ruſſum de Palema noſtrum conſocium decollantur, omni miſericordia procul pulſa, licèt miſeri illi clamarent vitam per Deum. Et primus quidem illorum, dum cepimus, clamabat: *Parcite mihi, quia ſum de Sancta Juliana, & foreſterius defenſalis Dominæ Duciſſæ*. Cui Ruſſus præfatus ait: *Et nos te quærimus, & alios, qui pro dicta Duciſſa dicimini*. Et ſtatim incîdit ſibi caput. Et inſequendo reliquos, quinque illorum accepimus, qui fuerunt protinus decollati. Diſpoſueramus enim, ut quotquot inveniremus partium montanarum, omnes abſque miſericordia morerentur, pro eo quòd cum Domino Roberto fuerant in prædatione omnium bonorum noſtrorum. Erat autem hora tunc quaſi juxta Solis occaſum.

Et tunc diſpoſuimus nos ituros apud Altamuram ad Judicem Thomaſium Nicolai de Staſio partialis noſtri, ſi poſſemus, moraturi ibidem, & contra Gravinam abinde impugnare. Acceſſimus ipſo eodem ſero uſque ad Serram Fille de Murgia, & ibidem quievimus ipſa nocte equos paſcendo in ſegetibus. Et adveniente hora auroræ, ivimus ego Notarius Dominicus, Chiccus, & Cola de Stechio apud Altamuram, & locuti fuimus cum jam dicto Judice Thomaſio, quòd Angelus Domini Gualterii cum ſuis ſequacibus proximus ſibi eſſet, ipſumque ſecum loquuturus exſpectat in loco. Qui audiens læto quidem animo, ſtatim equitavit cum ſuis ſociis, & ivit ad eum, derelictis nobis in Altamura causâ noſtræ quietis. Quo invento & ſociis, ſtatim eum conſuluit in Altamuram venire. Et venit. Erat autem Terra ipſa Altamuræ ſub dominio Palatini, quæ licèt non eſſet unius nobiſcum dominii, ſpe tamen dicti Judicis Thomaſii manere confidebamus ibidem. Quum autem ibidem eſſemus per dies duos, plurimi Gravinenſes confidentes in nobis, venerunt Altamuram nos videre. Et retulerunt nobis, adveniſſe nuper Gravinam quemdam Epiſcopum de novo formatum, cujus nomen erat, Epiſcopus Berardus de Limoſano. Et ecce ſupervênit ad nos alter nuntius nomine Petrus Nicolai Canis de dicta Terra cum literis ipſius Epiſcopi admonentibus nos, ne ad mala patranda potiùs moveremur. Cui reverenter, velut Prælato, reſcripſimus, noſtri cordis non eſſe ſuæ rebus Eccleſiæ lædere, vel Popularium aliorum, niſi tantummodo in rebus inimicorum noſtrorum, qui deſtructionis causa fuerant bonorum noſtrorum. Et dum eſſemus ibidem, Curullus filius quondam Judicis Martucii, qui cum matre miſera in Altamura manebat, retulit nobis, quòd Micculus frater ſuus major cum uxore ſua in Milionico moraretur, & nos ubi eſſemus ſemper ſcire cupiebat, ut ad nos venire valeret. Quo audito ſcriptis per me literis ad eum ſtatim miſimus nuntium ſpecialem. Qui noſtris receptis literis, ſtatim ad nos venire curavit, & fuerunt ipſe & frater prædictus eques ſtatim nobiſcum. Ubi dum eſſemus, ecce pro parte Univerſitatis Altamuræ relatum fuit dicto Angelo Caporali noſtro, quòd de ſtatu noſtro in Altamura ſcribere volebant ſuo Domino Palatino, ſiquidem ſibi placeret, nos in Altamura morari. Aliter niſi dictus Palatinus per ſuas literas nos ibidem permitteret moraturos, abſque conſcientia & voluntate dicti Domini ibidem ſtare nos minimè permittebant. Quibus Angelus ait: *Noſtri cordis non eſt heic ſtare continuò. Sed placet mihi, ut veſtro Domino nuntietis, ut ſi quando me vel meos ſequaces heic tranſire caſualiter nos contingat, annuet fortè nobis. Nos autem majori vel minimo veſtrum Concivium numquam intendimus diſplicere, ſed vos amore fraterno portare*. Et his verbis finitis ſcripſit dicto Palatino Univerſitas ipſa. A quo reſponſum habuerunt, poſſe nos ibidem, non continuè, ſed quandoque receptare ibidem. Et ſic reſponſionem ipſius erga nos cognovimus fraudulentam.

Mane autem facto convocato dicto Judice Thomaſio dixit idem Angelus: *Equitemus versùs Gravinam apud Yſclæ locum, & fortè de noſtris æmulis aliquos capiemus*. Tunc equitavimus omnes fortè in numero quinquaginta; & perreximus primò ad Silvam, & ibi imboſcati ſtetimus uſque quaſi ad horam ſextam, donec animalia omnia, & viri propter caloris ardorem perveniſſent ad aquas ſolito more. Et ecce habitis inſidiis animalium applicatorum ad aquas, exivimus dictam Silvam, & præcurſores miſimus aliquos noſtros, ut comburerent ſegetes in area æmulorum noſtrorum, & eorum animalia ſumerent. Ipſe autem Angelus & reliqui ſocii adſtabamus firmiter exſpectantes, ſi aliquis obviam nobis à Terra veniret. Præcurſores verò prædicti non juxta commiſſum eis fecerunt, ſed ubicumque ſegetes meſſas inveniebant in areis, ignem ponebant, capientes viros quoſcumque & animalia quorumcumque. Erat autem dies ille ſacratiſſimus dies Corporis Chriſti, & calor intenſus. Erat etiam ibidem area ſegetum hordei prænominati Epiſcopi, cujus boves, & viros, præcurſores iidem duxerunt in prædam. Et multi quidem forenſes, viſo rumore & igne præfato, per fortiora loca vinearum fugerunt apud Gravinam, ubi retulerunt, quòd per nos univerſa animalia & viri quamplurimi ducebantur in prædam, etiam ſegetes omnes ignis incendio concremantur. Ut autem vidimus præcurſores noſtros tam magnam feciſſe prædam, adunavimus nos cum illis, & versùs Altamuram dirigere cœpimus iter noſtrum. Quum autem pervenimus quaſi juxta Altamuram fortè per milliaria duo, ecce Gravinenſes viri ultra ſexcenti pedes & eques contra nos pervenerunt. Inter quos in veritate loquendo erant viri equites circa centum. Quos dum vidiſſemus, quia inter nos pedites erant quaſi decem, Judex Thomaſius ait illis: *Vos pedites vos ipſos ſalvare curetis, nec tantam gentem exſpectetis in campo*. At illi penitus fugerunt. Nos enim, qui eques eramus, exſpectavimus illos in campo, & quum longè parum nobis abeſſent, cognovimus nos non poſſe prœliare cum illis, quum nos eſſemus modici, plurimi tamen illi. Verumtamen longè facientes nos aliquantulum à tantis peditibus, per Dominicum Judicis Martucii, Domnum Guilielmum, Venutum, Johannem de Abriola, & certos alios noſtros ſocios ante facientes ſe obviatum fuit equitibus adverſariis noſtris, illos invocantes ad bellum æquale. Qui per verba ina-

inania differentes duellum retrocesserunt, & cum aliis Gravinam abierunt prædâ sublatâ. Cognito igitur per nos, præcipuè per Angelum prælibatum in Terra Altamuræ stare non posse, statim abeuntibus inimicis nostris versùs Gravinam, noluimus Altamuram intrare; sed mittentes aliquos nostros socios intus eam, fecimus emere panem & vinum pro nostro cibo, & sumta comestione in vineis Notarii Martini de Stellato, ipsomet die versùs Castrum Sanctæ Mariæ de Monte accessimus rectâ viâ, & deinde Barulum.

Ubi dum essemus ego Notarius Dominicus, quia dimiseram Gregorium filium meum in Monte Sancti Angeli penes Domnum Matthæum fratrem Judicis Nicolai jam dicti Primicerium Sancti Angeli, accessi apud Montem, & filium ipsum meum detuli, seu misi per mare Barulum, & ego per terram. Et dum essem prope Pontem Cannarum fortè per milliaria duo, ecce vidi Barolitanos plurimos per illas vineas fugientes, sequutos per custodes Castri Canusii. Quo viso statim ire meum cessavi, cogitans si necesse fuisset retrocedere Manfredoniam. Erat autem locus ille, ubi manebam, valde planus & publicus, nec poterat quisquis contra me venire pedes vel eques, ut eum non viderem longiùs, quàm per milliaria duo. Ubi dum starem refrescando equum per maximas horas duas, ecce viri duo de Barulo pedites Pontem fluminis transeuntes, & iter suum versùs me dirigentes, quos exspectavi me usque prope. Et appropinquantibus illis mihi, statim equum meum ascendi, ad quos statim adhæsi. Et cognitis illis per me, & me per illos, petii quid novum esset in Terra, qui dixerunt mihi: *Scias, quòd per Marrenses, & custodes Castri Canusii in Barulo hodie factus est magnus insultus usque ad Portas Civitatis, suntque quasi equites centum: & alligaverant extra plurimos Populares. Contigit autem eorum fato misero Thomam Pauli Hungari cum Hungaris suis circa viginti, Domnum Malumspiritum cum Theotonicis suis fortè totidem, Angelum Domini Gualterii cum sequacibus suis fortè quinquaginta, & certis aliis de Barulo subitò equitare post eos, & eos posuisse in fuga. Quodque Frater . . . . Abbas Sancti Samuelis de Barulo, qui cum Marrensibus ipsis erat, convictus in campo, sit per ipsos Hungaros decollatus, & duo alii cum eodem. Et ecce semper videbis per campos istos æmulos fugientes versùs Canusium. Unde nequaquam apud Barulum formides accedere, sed festines abire.* Tunc assecuratus verbis illorum recto tramite Barulum perveni, ubi inveni meum filium diu applicuisse per mare, & inveni causam fortè, pro ut dixerant viri illi. Et ecce quasi juxta horam vespertinam redeunt præfati Hungari, Theotonici, & Socii mei à sequela inimicorum supradictorum, secum deferentes quinque ipsorum captos in fuga, & tres alios occidisse. Reliquos sequuti fuerunt usque ad Civitatem Canusii, quibus illic minimè lædere potuerunt Verumtamen tantus invaluerat eo die ardor caloris æstivi, quòd ex labore nimio & calore equi tres Hungari defecerunt, & ii, qui redierunt, ex nimio convicti calore vix vivere crediderunt tam equi, quàm viri. Sed placuit Deo, quòd refrescati ad plenum nullus defecit hominum vel equorum.

Igitur Barolitani Cives de obtenta victoria valde gaudent, eo maximè quòd per inimicos ipsos, potissimè per dictum Abbatem & Marrenses impugnabantur crudeliter, & in tantum adstrinxerant Cives ipsos, quòd nullus eorum exire audebat longè à Terra Baruli per medium milliare. Et ex alia parte tam ipsi, quàm viri Tranenses repugnabantur per stipendiarios Palatini in Vigiliis commorantes, & sic erant ex utraque parte mortaliter affollati. Et quasi omni die capiebantur ex gente utraque, præcipuè per Canusinos jam dictos, qui propinquiores adstabant. Et sic Barolitani ipsi virilem animum assumentes, contra inimicos corruptos quilibet se ponere equitem ordinavit, & in paucis diebus facti sunt in Civitate ipsa equites circa trecenti, qui continuò hinc & inde super æmulos & loca rebellia militabant, & cum eismet pedites infiniti. Qui universam provinciam discurrebant. Et ecce præscriptum novum corrupti prœlii Domini Lodovici in campo per universam provinciam intonuit literis Domini Vayvodæ memorati. Nosque Gravinenses eramus tunc in Altamuram reversi, paraturi quidam nostri socii eorum uxores & filios habitare in ea sub spe Judicis Thomasii supradicti. Erant autem in Guaranione tunc stantes Thomasia uxor Francisci de Gregorio & filii Angelella uxor Cotzellæ fratris sui, & filii sui, Maria uxor Colæ de Sterchio, & filii sui. Pro quibus ducendis Guaranione, Altamuram simul accessimus, dicto Caporali nostro Angelo Domini Gualterii remanente ibidem cum tribus sociis meis. Ubi dum applicuissemus hora fortè primi somni, dictum fuit nobis in stalla illa, quòd quidam nuntius expressus fuerat tunc præsens in ipsa stalla, & petiit bibere. Deinde retulit ipsi stabulario, Dominum Robertum de Sancto Severino, aliosque supradictos Regni Dominos fuisse convictos in prœlio, & esse captivos in manibus Hungarorum. O mirum magnum! quod juxta literas per Dominum Vayvodam missas dictum prœlium fuit commissum die Sabbati, ut præfertur, & nos sequenti die Dominico in sero horâ præscriptâ scivimus novum illud in Guaraniono. Et quærentes dictum nuntium, minimè fuit inventus. Æstimo autem, quòd Casale Guaranioni distet à Civitate Aversæ, ubi dictum prœlium fuit commissum, per milliaria centum. Quomodo sic citò nuntius ille eousque pervenit? Certè credo, quòd talis nuntius spiritus fuerit, & non homo, eo præsertim, quòd eâdem horâ tale novum retulerit, & ipsomet puncto evanuit, nec potuit inveniri.

Et sic facti læti intrinsecus gaudebamus de novo jam dicto. & dubitabamus quasi novum vanum fuisset. Sed placuit Deo, quòd post dies sex convicti prœlii fuit novum certificatum literis prænotatis. De quibus novis plurimi gavisi sunt, sed multo magis plurimi condolebant. Et capientes nos eadem nocte mulieres præscriptas & filios, abinde duximus eas in Altamuram, & inibi paravimus domos eis. Post dies autem duos equitavimus, & versùs Castrum Sanctæ Mariæ de Monte direximus iter nostrum, & acceptâ Hungarorum comitivâ iteratò pervenimus apud Gravinam cum viris Andriæ sexdecim equitibus per nos & ipsos Hungaros convocatis. Fuimusque inter omnes equites octuaginta. Et ea nocte imboscavimus nos ad Fontem Culuni longè à Terra Gravinæ quasi per milliaria duo. Rugiebant autem præfati Hungari & Andrisani valde, quia tota nocte ambulantes equi omnium fessi erant, & à fortitudine Castri Montis nimium allongati, dubitando ne superveniat æmulorum potentia alicunde. Et volebant omnino

nino redire versùs Castrum. Judex autem Nicolaus Domini Corradi, & Angelus supradictus assecurabant eos dicentes: *Nolite timere. Nos autem scimus potentiam loci hujus. Sustineamus heic usque circa auroram. Et vos Domini Hungari & Andrisani firmi adstabitis; & nos & nostri socii erimus præcursores*. Et sic ex confortatione steterunt. Quum verò pervênit hora auroræ luciferæ, missi fuimus undecim socii præcursores, qui in Jardeno Episcopi nos posuimus imboscatos. Erat autem tunc dies ille Festum Sancti Johannis Baptistæ. Et dum eramus in loco, ecce juvenes quinque de Gravina irruerunt subitò super nos, quos intercepimus, & per Jaconum Leonem de Dominico nostrum socium ad locum, ubi dimiseramus Hungaros, misimus alligatos. Deinde vidimus orto jam Sole plurimos exeuntes Terram, euntes ad messes, & equites tres euntes ad Vineas, qui erant Judex Angelus de Jacobo, Notarius Leonus, & Stephanus Notarii Johannis, post quos equitavimus festinanter, credentes fore eos nostros æmulos capitales. Et insequentes eos, illos accepimus. Dictus verò Judex Angelus equo nobis dimisso fugit pedes in Vineis, quem nequivimus capere. Angelus autem Domini Gualterii eques stabat in Serra Sancti Quirici, ut exeuntes videret ex rumore inito. Et ecce rumor magnus factus est in Terra campana magna pulsante. Et omnes tunc interiores equites armati fuerunt, post nos currere parati. Et egressi foras, unus alterum exspectabat. Adstabat autem Angelus in loco, donec juxta statutum ordinem inimici equites allongarent à Terra, ut illis allongatis ipse & Hungari in Plano Ysclæ post terga ferirent. Sed tamen Hungari recesserant à loco illo, & propinquiores venerant juxta Terram, ut ipsi etiam hoc viderent. Et quum viderent inimicos nostros allongatos parum à Terra usque fortè ad Sanctam Barbaram, ecce dicti Hungari ab alto currentes post terga illorum exeunt ferituri. Sed prævisi à Terra, campana pulsante priùs pervenerunt nostri æmuli ad fortilitia Civitatis, quàm Hungari ipsi. Sed juncti in Strectula Sancti Aroncii, adjuti ab hominibus Civitatis neminem acceperunt; oportuit eos crebris balistarum ictibus retrocedere, ubi & pedites plurimos acceperunt. Nos autem, qui in Ysclam iveramus, plurimos invenimus pedites metentes, quos nobiscum portavimus, & devolventes per altum, ivimus ad locum, ubi dimiseramus Hungaros, nec invenimus illos, nosque nihil de facto rumore videramus in Terram, sed versùs Palatium seu Castrum cum eisdem captivis direximus iter nostrum.

Coadunaverant autem se Hungari, & alii nostri socii in Monte Formisello, ubi est locus furcarum constructus, in quibus pulsantes nostra buccina seu tubecta nos ipsi applicuimus, & invenimus ibidem dictum Angelum, sociosque nostros, Andrisanos & Hungaros intercepisse & captivos tenere viros Gravinæ ultra quinquaginta. Inter quos erat quidam Silvester de Cassano nomine, qui servitor & sequax erat æmulorum nostrorum, captus in campo cum quadam balista, quem idem Angelus suspendi mandavit ibidem. Et coadunatis captivis omnibus cum maxima animalium præda facta, aliquibusque sociis nostris præmisimus captivos eosdem in numero quasi centum. Tunc Thomas de Nicolosio, Dionysius dictus Contus Hungari, Gallus & alii Hungari socii unà cum dictis Angelo & Judice Nicolao, nostrorumque pluribus sociis accesserunt ante mœnia Civitatis Gravinæ, dicentes: *Ecce habemus viros vestros centum captivos, & unum talem suspendimus. Prævenimus igitur vos, quòd nisi Terra reddatur dominio Domini nostri Regis, eos suspendio simili noveritis condemnari, & propterea ipsos modò ad Castrum Montis captivos portamus, ut hinc ad dies quatuor voluntatem vestram super his finaliter nuntietis*; & abiimus. Applicantibus igitur nobis ad Castrum jam dictum horâ quasi juxta Solis occasum, omnes captivos & animalia in Claustro seu Ballio Castri reclusimus, captivos præcipuè in cippis paratis. Sed antequam omnes captivi carcerarentur, præfatus Stephanus Notarii Johannis, nescio cujus adjutus auxilio, ascendens clam murum Ballii se usque deorsum præcipitavit ab alto, & abiit, visus à nullo, & nos ipsum quærentes velut ditiorem nequivimus invenire, & credebamus ipsum per Hungaros fuisse vitiosè in Castro repositum.

Mane autem facto vocavit Thomas Pauli præfatus dictos Angelum, & Judicem Nicolaum, dicens: *Ecce habetis nobiscum in nostri custodia Castri tot captivos & animalia vendenda. Videtur nobis, vos ituros cum Hungaris nostris ad Civitates Andriæ & Baruli, & ibidem vendere animalia supradicta. Dimittatis ergo heic unum de vestris sociis, qui intersit nobiscum faciendæ compositioni captivorum istorum*. Cui dicti Caporales nostri dixerunt: *Domine Castellane, nos nullam volumus compositionem ex istis, sed Terram*. Quibus Thomas idem ait: *Habebimus compositionem, & Terram, velint nolint. Sinite me facere*. Dixitque illis: *Eligite ex captivis ipsis decem meliores, ut eos vestro amore teneamus cariores in Castro, & non viles in cippis*. Tunc elegerunt moraturos in Castro Jaquintum de Gargano, Notarium Leonem, & certos alios usque decem, quos immiserunt in Castro. Credebamus enim nos ipsos moraturos in Castro causâ quietis eorum, sed contrarium vidimus, quia ipsos ideo petiit, ut cariorem compositionem exigeret ab eisdem. Tunc ratiociniis plurimis habitis mutuò super causa, omnes ad iter paravimus equos nostros cum animalibus Barulum ituri. Tunc dixerunt mihi Angelus & Judex Nicolaus. *Notarie Dominice, remaneas heic cum Thoma Pauli, & scribas compositionem faciendam cum dictis captivis, ut sciamus quid petere nostra parte*. Quibus ego: *Nolo restare, quia uxor mea & filii mei sunt Gravinæ, nec confido videre tormenta facienda captivis in compositione habenda. Video autem aliter causam procedere, quam ordinavimus. Consulo igitur, ut partem nostram captivorum petamus*. Qui mihi dixerunt: *Omnia hæc verba tentavimus, sed non possumus obtinere. Libentiùs enim vellemus hoc non fecisse quod factum est, contra istos captivos. Sed postquam heic renuntias remanere, eamus*. Et sic cuncti abinde recessimus, ibidem nullo nostrûm restare volente, & versùs Barulum direximus gressus nostros. Et ecce Thomas Pauli jam dictus, operante Malospiritu supradicto, qui in Castro & Civitate Andriæ morabatur, post paucissimos dies vênit Barulum. Et constituti ad invicem alloquuti sunt jam dicto Magistro Nicolao Macziæ de Manfredonia Regiæ Curiæ Magistro Rationali, quòd si volunt, possunt tollere Palatino Theotonicæ gentis, quam tenet, partem majorem, cum quibus de facili potuerint contra eum pugnare, dicentes: *Oportebit autem vos Magistrum Rationalem undecumque pecuniam Regiam procurare, qua satisfiat stipendiariis Theotonicis ipsis. Nos autem Ma-*

Malispiritus & Thomas simul contra rebelles Regios militabimus hinc & inde cum stipendiariis supradictis. Quibus dictus Magister Rationalis libenti animo dixit: *Rego vos, ut omnino procuretis quod dicitis, quia ex Regia parte me offero soluturum pro prima paga stipendiariorum ipsorum mille Florenos. Vos autem super acquirendis Villis & locis aliis successivè solvetis pecuniam opportunam. Et sic Domino Vayvoda guerrizante in partibus Terræ-Laboris pro Domino nostro Rege, & vobis in partibus Terræ Bari, & aliis, Regnum subdetur Regiæ Majestati, eritque vobis communiter laus & honor apud Dominum nostrum Regem*.

Tunc abiit dictus Miles apud Andriam, & deinde ad suum Campanile Rubi, & ibidem per internuntium fidum statuit rem præfatam. pactis firmatis. Palatinus verò jam dictus quasi omni die contra fideles Civitates Regias per stipendiarios suos militari & prædari mandabat. Et quia stipendiarii multi erant ultra quingenti, Palatinus idem vix habebat unde posset satisfacere illis de eorum gagiis constitutis; quoniam de Terris & locis, quæ pro Domino Lodovico & Regina tenebantur, juxta sibi promissum nil recipere poterat, & sic tantis stipendiariis gagia constituta præteritorum trium mensium dare restaverat. Unde major pars ipsorum stipendiariorum super eum acriter murmurabant, & hac de causa recedendi ab eo tractatum fecerunt, & se adhærere servitio Regis Hungariæ, ordinante jam dicto Milite, statuerunt. Rediit igitur dictus Miles apud Barulum referens dicti Thomæ & Magistro Rationali dictum ordinem firmavisse, futurosque fore infra sex dies instantes Banderias quinque Theotonicorum ipsorum ad eos, aliasque quatuor successivè, & sic paulatim cunctam subtraheret sibi gentem. Et ecce Petrus Russus de Bitonto veniens Barulum literas detulit Universitatis Bitonti continentes, quòd licèt per alias literas & nuntios speciales sæpe scripserint Locumtenentibus Domini Vayvodæ in Barulo, quòd constitutus terminus treugæ præfixæ inter eos & Palatinum jamdictum proximus aderat, ut supra scribitur, per eumdem Petrum causâ observantiæ fidelitatis incœptæ, auxilium postulabant, quo in constituto Campo Sancti Leonis in eodem termino dicto Palatino obviare valeant repugnando, unde non valeat idem Palatinus per statuta pacta dominium petere in Bitonto. Cui præfati Thomas, Malispiritus, & Magister Rationalis dixerunt: *Sustine heic nobiscum, quia hoc modo tractabimus, & cum Dei auxilio habebimus quod tu petis*. Et ecce pervenerunt Barulum Guido Magnus, & Colinus Comestabuli Theotonici, habentes secum socios equites centum, qui promissa pacta sibi firmari petierunt, quæ expressa fuerant inter eos & Militem memoratum. Quod libentiùs faciens dictus Magister Rationalis solvit ante manum dictis Comestabulis Theotonicis tam pro ipsis, quàm pro futuris aliis mille Ducatos. Quibus factis libenter ita contentis, ecce ad clamorem dictorum Guidomagni & Colini venerunt apud Barulum Thomas de Porta Nova Theotonicus, & Comestabulus de la Rosa, cujus nominis non recordor, habentes secum sub eorum Banderiis equites circa ducentos, qui de confirmatis pactis facti simul contenti restarunt ibidem. Qui & dixerunt: *Adhuc post nos recessuri sunt à Palatino socii alii nostri multi, qui nobis dixerunt, scire se velle voluntatem vestram, si vultis eos etiam ad Regia gagia retinere*. Quibus responsum fuit: *etiam, si mille essent, dummodo recedant à servitiis Palatini*. Qui dixerunt, *etiam mittemus pro eis*.

Tunc Thomas Pauli jam dictus, & dictus Malispiritus, vocatis Comestabulis supradictis dixerunt: *Ecce habemus expressum nuntium Bitontinum, ubi pro pactis habitis cum Palatino, sicut scire vos credimus, exspectamur in succursum eorum, ne Civitas illas pro Domino nostro Rege perdatur. Jam terminus instat habitorum pactorum. Eamus igitur apud Bitontum, & deinde hinc & inde ibimus militando*. Qui dixerunt: *Placet nobis, quocumque vultis venire vobiscum, præcipuè in auxilium illius fidelissimæ Civitatis*. Sequenti verò die jamdicti Thomas Hungarus cum Hungaris suis modicis quasi viginti, Dominus Malispiritus cum præfatis Theotonicis stipendiariis, requisito per eos Angelo Domini Gualterii, & Judice Nicolao Domini Corradi Caporalibus nostris, fuerunt parati equis ad iter accedere versùs Bitontum, & rectâ viâ simul pervenimus ante Cauratum, quæ, ut præfertur, paulò ante fuerat rebellata. Et ibidem dato insultu asperrimo, nihil in ea fuimus allucrati, nisi quorumdam animalium factam prædam. Deinde venientes Bitontum, fuerunt dicti Caporales & omnes dicti exercitus cum affectu avido & magno gaudio intus recepti. Erat autem sequenti die dies termini constitutus inter eos & Palatinum de restituenda ipsi Civitate se ipsa dominio Palatini. Et ecce Comestabulus alius Theotonicus nomen habens Hebniger Comestabulus de Lupisce, habens secum sub sua banderia equites circa centum, qui etiam à Palatino recessit, ex suasionibus sociorum, qui etiam à dictis Capitaniis ejusdem exercitus honorificè fuit receptus, & ab hominibus Civitatis. Qui statim per universos Theotonicos, & eosdem Capitanios electus, & factus est ejusdem exercitus Marescallus & Rector merito providentiæ suæ.

Igitur adveniente jam dicto die sequenti, die videlicet termini constituti, Dominus Herricus de Bitonto jam dictus pro parte universorum hominum dictæ Terræ retulit dictis Capitaniis seriatim pacta habita inter eos & Palatinum jam dictum; quòd ipso die terminus erat restituendæ Civitatis Bitonti dominio Palatini, præcipuè Domini Lodovici. Idcirco juxta pacta habita inter eos oportebat Universitatem Bitonti in constituto Campo Sancti Leonis cum opportunis armigeris in statuto ipsius diei termino se ostendere potentes ad bellum, ut eisdem hominibus Bitontinis unà cum Capitaniis prædictis in dicto Campo exeuntibus, sive veniat, sive non veniat Palatinus, qui non videantur in habitis pactis fallere, non possit proditio annotari. Quod dicti Capitanii spoponderunt. Et banno emisso per Terram pulsante buccina, unusquisque stipendiariorum, omniumque aliorum Concivium dictæ Terræ equos habentium fuit eques armatus. Et sic parati ad arma exierunt in Campo jamdicto Sancti Leonis in numero sexcenti equites, & pedites circa mille. Ubi dum præsentes assisterent, convocato testimonio publico, præfatus Dominus Herricus pro parte dictæ Universitatis primus asseruit: *Ecce coram vobis Judice, Notario publico, & testibus heic præsentibus pro parte universorum Concivium Bitonti juxta pacta habita inter nos Concives Bitonti cum Palatino, ipsum Palatinum hodie præfixi termini convocamus in Campo Sancti Leonis ad bellum, parati secum pugnare. Ex quo de invocatione per nos sibi facta ad pugnam in Campo juxta pa-*

pacta præbabita vestrum testimonium invocamus, ne Palatinus idem quocumque judicio recenseret constituto nos fefellisse in pactis. Et sic alta voce singuli Bitontini Palatinum ipsum convocaverunt ad pugnam, nemine pro parte dicti Palatini comparente in Campo. Factaque fuit ibidem equitum & peditum monstra laudabilis. Et sic universi fidelissimi Bitontini repleti victoriali gaudio redierunt ad Terram cum Capitaniis & stipendiariis universis; eodemque die de consilio Bitontinorum ipsorum statuerunt dicti Capitanii, quòd sequenti die Casale Arricarri confine Castro Pali prædaretur & combureretur in totum, & deinde universa Casalia Terræ Bari, tamquam rebellia Regiæ Majestati Hungariæ, & quæ damna intulerant incomparabilia Civibus Bitontinis, & sic factum est.

Sequentique die prædicto ecce pulsante buccina universus movetur exercitus super Casale Arricarri, in quo quia præscitus fuit tanti adventus exercitus, masculus nec fœmina remansit præ magno timore, sed apud Palum se contulit unusquisque cum robba, quam portare prævaluit. Ubi dum applicarent dictus exercitus & Bitontini, prædatis singulis domibus dicti Casalis, in quo copiosam invenimus victualium quantitatem, eâque sublatâ, & in curribus & animalibus oneratâ, pluribusque supellectilibus inde sublatis, jussu Capitaniorum ipsorum per totum ipsum Casale ignis fuit appositus, per quem in momento domus singulæ combustæ fuerunt Casalis ejusdem, Ecclesiâ solâ salvâ. Et redeuntes Bitontum, ipso eodem die statutum fuit, ut totum Casale Castri Pali ignis incendio dissipetur. Unde ex præmisso ordine universus exercitus, & infinitus Populus Botontinus ad dissipationem Palensium sequenti die concurrunt. Ubi, ut existimo, ultra quàm duo mille pedites Bitontini fuerunt. Sic eorum dissipationem integram sitiebant. Ubi dum præsentes assisterent, per eumdem exercitum crudelis datur insultus undique circa Palum. Ex quo ex utraque parte plurimi vulnerantur ictibus balistarum & ensium impugnantium armatorum. Quo casu Palenses non potentes resistere potenti exercitui Bitontino, ultra quam partes tres dicti Casalis domorum incendio concremarunt, salvis tamen restantibus domibus illis, quæ circa defensam Castri fortissimi situantur. Duravit autem insultus talis horribilis ab hora prima diei usque quasi ad horam Vesperarum intenso calore mensis Julii calescente, per quem quilibet dicti exercitus fessus factus, quemlibet pertæsum est tanti laboris. Unde pulsantibus buccinis bellicis quilibet rediit apud Bitontum. Sequenti verò die præfatus exercitus nocte consurgens iteratum insultum pertulit Castro Pali, ubi parùm lædere potens, subitò inde recessit, & accedens versùs Binectum, Castrum ipsum Binecti undique circumdedit obsidione terribili. At viri loci ipsius per mœnia constituti diversis armorum generibus Villam defendunt clamantes: *Domini Capitanii exercitus Regii, miseremini nostri, quoniam quidquid vultis, facere promti sumus.* Tunc Angelus Domini Gualterii memoratus, quia Villa seu Castrum ipsum, quod fuerat quondam Ducis Duratii, præfati Domini Vayvodæ dominio pertinebat, erantque etiam viri loci ipsius satis devoti Angelo supradicto, qui alloquens viris loci, ait: *Carissimi, Domini Capitanii hujus exercitus petunt Terram istam pro Domino nostro Rege, & jura contingentia in eadem Dominum nostrum Regem. Propter quod consulo vobis, ut vexillum Domini nostri Re-*

A *gis & Domini Vayvodæ erigatis, & promtos vos ostendatis facere omne id, quod cedat ad vestrum commodum & honorem. Quod si mihi promittitis, cum Dominis Capitaniis procurabo. Et si aliter contrarium præsumatis, cavete vobis, quia eritis dissipati in totum.* At illi: *Domine Angele, nostis aliàs corda nostra & locum istum, & semper vos habuimus velut Dominum & benefactorem nostrum. Ecce in manibus vestris ponimus partes nostras. Parati sumus facere unanimiter quod jubetis. Quæsumus ergo, ut cum Capitaniis hujus exercitus nos pacificare velitis.* Quorum dictus Angelus benignè compatiens ad eosdem Capitanios statim accessit:

B *Domini Capitanii scitote, quòd Cives loci hujus dominium Domini nostri Regis petunt & volunt, parati in omnibus facere quod jubetis. Si ergo dignemini virorum ipsorum misereri benignè, detis eis vexillum Regium, quia parati sunt illud erigere fideliter & devotè.* Theotonici verò stipendiarii contrarium suadentes dicebant: *Domini Capitanii, inania sunt verba Villanorum istorum. Velitis igitur permittere nos currere locum istum tamquam Regios infideles, & sic post cursum eorum habebitis fidelius locum ipsum.* Prædictus autem Angelus in contrarium contendebat dicens: *Terra ista seu Villa Domini nostri Vayvodæ dominio spectat, & vix*

C *violenter ipsam habebimus, nam est undique murata & fortis. Domini Capitanii: videtur mihi honorabilius vobis esse, Terras & Castra & quæcumque Casalia benigno amore ad Regiam fidelitatem convertere, quàm ipsa dare in prædam stipendiariis, & bello convincere. Et si locum istum forte dissipari permittitis, si potestis, alia non poteritis forsitan dissipare. Sed si locum istum à principio militiæ vestræ benignè recipitis, loca alia animabuntur libentiùs ad dominium Regium revocare se ipsa.* Tunc prædicti Capitanii, ejusdem Angeli verbis acceptis in bono consilio, placuit eis, & commiserunt dicto Angelo ordinare restitutionem dicti loci dominio dicti nostri Regis.

D Ipsi autem Capitanii cum reliquo exercitu ad Casale Grunii protinus accesserunt, vicinum ibidem per medium milliare vel circa. Post cujus recessum exercitus Cives dicti Castri Binecti aperuerunt Villæ januas, & cum dicto Angelo Regium vexillum erexerunt in muro, & jura Curiæ promiserunt. Exercitus autem conferens se ante Grunium, Cives loci illius clamaverunt: *Domini Capitanii, ecce parati sumus facere quod jubetis.* Erexeruntque vexillum Regium, quod habebant, una voce clamantes: *vivat Rex Hungariæ.* Erat autem nobiscum in nostra comitiva Leonus de Agalisto de Turicto, habens in dicto Casali Grunii uxorem suam pulcherrimam & juvenem, qui referens nobis in Casali ipso suam uxorem consistere, illamque velle inde extrahere, unà cum eo

E certi nostri socii sunt ingressi. Viri autem Casalis de elato vexillo confisi aperuerunt januam dicti Casalis, licèt ita fortis locus non esset, quòd possent resistere exercitui memorato, & vino educto cœperunt omnibus dare potum. Applicito igitur universo exercitu in dicto Casale, præfati Theotonici violenter irruunt in dictum Casale, & cœperunt robbam tollere miserorum, qui sub fidelitate se sponte reddiderant dominio Hungarorum. Et sic in momento totum illud Casale fuit integrè disrobbatum, per Bitontinos præcipuè, qui universorum Casalinorum vindictam avidè sitiebant ex damnis per

per eos illatis tempore, quo jam dictus Palatinus fuerat in obsidione Bitonti. In cujus concursu Casalis violatæ fuerunt plurimæ mulieres, præcipuè virgines, per nationes diversas. Contigit autem dictum Leonem socium nostrum, qui causâ recuperandæ uxoris cum ceteris sociis ingressus fuerat, ut prædixi, uxorem invenisse in domo, quam quidam Theotonici invadentes, quia pulcherrimam illam sibi tollere nitebantur, quamquam idem Leonus diceret & socium se esse de sequacibus dicti Angeli, illamque esse suam consortem. Et nisi omnes quasi socii in rumore affuissemus, de facili dicta sua conjux vituperata fuisset. Pervênit autem ad aures Capitaniorum & Marescalli dicti exercitus tanta, quæ fiebat, injuria mulieribus dicti loci, quibus displicuit vehementer; & statim bannum fecerunt emitti, ut nullus, cujuscumque conditionis existat, sub pœna capitis mulieres ampliùs tangere non præsumat. Immo ut cautiùs servaretur id bannum, Capitanii ipsi cum quampluribus Nobilibus eorum exercitus ingressi sunt dictum Casale, & mulieres singulas extraxerunt de loco, illasque in exteriori Ecclesia dicti Casalis dicto Angelo Domini Gualterii custodiendas dederunt, salvas portandas in Binecto, ne majus vituperium sequeretur. Quas idem Angelus honoranter suæ curæ suscipiens, salvas detulit dicto Castro Binecti.

Bitontini autem, Theotonici, Hungari, & Lombardi, collectâ universâ robbâ dicti Casalis, & in curribus appositâ, ac victualium maximâ copiâ, illa secum duxerunt in prædam. Et ecce mandato Capitaniorum ipsorum ad Casale Turicti dirigitur idem exercitus, proximum dicto Grunio. Quorum homines Turicti sentientes accessum terribilem contra eos, ne simili Casalis Grunii exemplo perirent, vexillum Domini Regis Hungariæ in Ecclesia, & Palatio eorum Dominæ posuerunt, designantes se fore fideles. Sed in dicto Casali restare minimè sunt confisi; sed exeuntes cum robba modica, quam portare secum valuerunt, dimisso Casali per maclas & nemus proximum cum suis mulieribus fugerunt, nemine in dicto Casali restante. Irruit itaque universus exercitus in dictum Casalè, in quo nullo invento totum ipsum discurrunt & prædant. Et multi quidem dicti exercitus viri, Latini præcipuè, qui loca sciebant, per convicinas maclas & nemus, quærendo incedunt viros & fœminas dicti Casalis, ut eorum robbam & reconditam fortè pecuniam eis tollant. Plurimi autem in dicto Casali restantes maximam exinde quantitatem victualium pertulerunt cum equis & curribus, quos portabant, & apud Bitontum ipso eodem die remeare curarunt. Sed quia universam robbam & victualia amborum Casalium prædatorum uno die portari non possunt, sequentibus diebus duobus aliis ad totaliter prædanda dicta Casalia in manu forti redeunt Bitontini, unde robbam totalem & universa victualia secum detulerunt in prædam.

Post hæc per dies aliquos, insultu dato asperrimo contra Palenses per Bitontinos & exercitum supradictum, Palenses omnes universaliter confunduntur. Quo casu nullus eorum à fortilitiis Castri præsumsit exire. Ut autem visum fuit per dictum exercitum dicto Castro non posse lædere, ordinatum fuit per dictos dicti exercitus Capitanios Civitatem Bitecti proximam hostiliter obsideri. Et sic sequenti die universus idem exercitus ad obsidionem dictæ properat Civitatis. Ubi per dies quinque in obsidione manentes, scriptum fuit per Concives Civitatis ipsius Domino Becto de Ruffis Tusco Justitiario & Rectori Civitatis ipsius, quæ Civitas licèt ..... Domini Cardinalis Sanctæ Mariæ de Monriali esset dominii, per annuum censum Francisco de Baucio Montis-Caveosi Comiti respondebat, in cujus Comitatus Terris idem Dominus Bectus Rector & Justitiarius præsidebat. Qui literis dictorum Capitaneorum factus securus ad eumdem exercitum securus pervênit. Et habitis cum dictis Capitaneis multifariis eloquiis, Terras omnes suæ jurisdictioni commissas Comitis antedicti, vexillo Domini Regis Hungariæ decorare promisit. Quod eo tunc, licèt animo infidelis, accendit in subscriptis Terris provinciæ Terræ Bari, videlicet Castro Tarzani, Noha, & Aquaviva. Et dum Bitectensibus Civibus loqui vellet, ut vexillum dicti Regis Hungariæ erigeretur in Civitate Bitecti, nescio qua causa dedignati cum ipso Domino Becto, eum abinde lapidibus ejecerunt, & sic licentiatus abiit miles idem. Capitanii verò dicti exercitus, visa duritie Civium dictæ Terræ, olivas & possessiones eorum ignis incendio cremari jusserunt. Quod Bitontini Cives ad ultionem eorum libentiùs faciebant, & per inductos Magistros dicti Capitanei diversa ingenia lignea & scalas ordinare faciebant, cum quibus violenter possent convincere Terram eamdem. Erant enim in dicta Civitate Cives divites universaliter, contra quos Theotonici & Latini libentiùs impugnabant, eorum divitias affectantes. Et ecce Nobilis quidam vir Judex Jacobus Judicis Johannis nomine, Civis Civitatis ejusdem, qui nobilior & ditior erat aliis dictæ Terræ, Civitatis ipsius destructione pensata, quòdque ipsa destructio se & suos potiùs attingebat, damnis propriis & aliorum Concivium corde compatiens, eo maximè quia locum suum egregium palatium Gallitelli videbat penitus dissipari, unde pro faciendis ingeniis lignamina videbat educi, præconsuluit universis Civibus se ipsos reddi Hungarorum dominio, & non ampliùs destrui possessiones eorum. Quia verò regimen Civitatis ipsius providentia sua totum in manibus dicti Judicis Jacobi consistebat, placuit omnibus tale consilium, Terram ipsam in manibus reddere dominio Hungarorum, ut ampliùs damna non habeant, quum à nullo auxilium exspectarent. Et sic tali ordine publicato inter universos Concives, de voluntate universorum Concivium commissa est dicto Jacobo sub pactis salubribus restitutio dictæ Terræ. Qui faciens se ad murum, bona fide loqui spopondit alicui loco Capitaneorum exercitus antedicti, per quos missi fuerunt ad causæ ipsius tractatum Nobiles milites Dominus Henricus, & Dominus Paulus de Bitonto, qui referentes Bitectensium Civium voluntatem, placuit dictis Capitaniis ordo ille. Unde remoto exercitu Bitectenses ipsi vexillum Regium erexerunt, & pro securitate majoris fidei obsides suos dederunt, moraturos in Civitate Bitonti.

Rediit ergo universus exercitus quieturus Bitonti, ubi per dies circa quinque quievit, parans se in obsidionem currere Civitatis egregiæ Barisanæ. Et dum perveniret ad Casale Mudunii, quievit ibidem, in quo nullus supererat homo, sed timore exercitus Barum abierat unusquisque. Unde super Barenses continuus fiebat insultus, licèt abinde Barum distaret per milliaria quasi quinque. Et ecce nuntiatum est Capitaniis supradictis, quòd Palatinus jam dictus diu recesserat à Civitate Vigiliarum, & apud

apud Altamuram direxerat iter suum, ubi gentem congregaverat plurimam, venturus hostiliter super eos. Positis igitur insidiis opportunis per Capitaneos ipsos, quid esset facturus Palatinus idem, ecce nuntiatum fuit Capitaniis ipsis, quòd Palatinus ipse cum suo exercitu congregato proximus eis esset, castrametatus in Casale Luseti. Et ecce Nuntii alii duo Casalis Blasignani, quòd erat sub dominio Hungarorum, videlicet Simoncellus & Jaconus Angelus, referentes expressè, quòd idem Palatinus cum exercitu suo esset in proximo Casale Luseti, citò venturus, ut asserit, super exercitum Hungarorum. Auditis igitur novis jam dictis, subitò Dominus Malispiritus & Thomas Pauli, convocatis universis Comestabulis dicti exercitus, & aliis viris expertis armigeris, super adventu Palatini consuluerunt, quid esset agendum. At omnes in communi deliberato consilio se paraverunt ad arma, super dictum Palatinum hostiliter accessuri, honorabiliùs reputantes aggressuros accedere exercitum Palatini, quàm pati insultum exercitus Palatini. Sed antequam exinde eorum exercitus amoveretur, diviserunt gentem ipsius exercitus in tres acies bellicosas; & amoto exinde exercitu versùs Lusetum itinere recto pergunt super acies Palatini. Quum autem pervênit idem exercitus ad Casale Blasignani jam dicti, in quo per horam modicam conquiescens, adaquantes equos suos propter calorem intensum, ecce properant nuntii duo insidiatores prope Lusetum positi per jam dictos Simoncellum & Jaconum Angelum, ut viderent successivos actus, Palatini præfati. Qui venientes coram Thoma Pauli & Domino Malispiritu, dicunt: *Ecce totus exercitus Palatini paratus ad arma eques est in multitudine copiosa equitum & peditum, quos plures in majori quantitate vestro hoc exercitu recensemus. Et veniunt festinè super exercitum vestrum istum. Sitis ergo parati suscipere bellum. Ecce obviabitis eis in planicie Bitiricti proxima huic loco per milliare unum.* Nuntiatur itaque tale novum per universum exercitum, ut unusquisque se animet ad prœlium convincendum.

Erant autem in ipso exercitu Hungari quasi triginta cum arcubus, qui frementes dentibus inimico exercitui comminantur. Commissum est igitur primum bellum Hungaris ipsis & Marescallo ipsius exercitus cum sociis suis. Qui antecedentes cunctum exercitum, tanto ardore animi fervent inimico exercitui obviare, quòd in momento inimico exercitui obviaverunt in campo. Cunctus autem noster exercitus, ut vidit prædictum Marescallum & Hungaros ità properavisse festinè, ipsos sequutus est cum velocitate majori, dimissis omnibus peditibus Bitontinis. Sed antequam applicaret ad socios præcedentes, præfati Marescallus & socii, ac jam dicti Hungari viriliter irruerant super dictum exercitum Palatini, quem vi armorum expulerunt à campo. Ubi quum applicuit exercitus noster reliquus, totum illum campum invenit plenum defunctis de exercitu Palatini, uno tantum de dictis Hungaris Andrea nomine in ipso campo defuncto. Quidam autem juvenis Theotonicus nomine Hebinger viriliter irruens super Palatinum, ipsum personaliter comprehendit, & cum aliis tribus sociis illum deferebat captivum. Erat autem Palatinus idem eques solemniter, super equum unum grisellum, *os aureum* nomen habentem, incomparabilis quidem pretii & magni valoris. Ecce nuntiatur Lodoico Pipino fratri suo, quòd Palatinus ipse ferebatur captivus ad Hungaros, qui superveniens in auxilium fratris sui cum sociis aliis quatuor audacter feriit cum lancea super Hebinger supradictum. Quem licèt à sella non posset ejicere ictu illo, tamen Palatinus idem equi jam dicti potentia manus suas evasit, quamquam ambos fratres Theotonici & Hungari plurimi sequerentur, nec potuerunt eos comprehendere iteratò. Fugiunt itaque ii, qui evadere potuerunt, ad Castrum Luseti, & inibi se ipsos fortificant, & defendunt, quòd proximum eis erat. Quòd si fortasse, ut existimo, bis tanto longiùs affuisset, pauci & fortè nullus Palatinalis exercitus evasisset.

Occurrit itaque universus noster exercitus circa Casale Luseti, & Castrum, & tanto quidem ardore sæviunt præcipuè Bitontini, qui dicti Palatini sanguinem sitiebant, & sui exercitus, quòd pro majori parte totum Casale Luseti ignis incendio concremarunt. Salvæ tamen restarunt domus illæ, quæ sub defensione Castri sistebant. Et ecce dum taliter nostri socii hinc inde procederent, contigit suo fato, Nicolaum de Sterchio vidisse Judicem Thomasium Nicolai de Stasio de Altamura jam dictum, qui cum eodem Palatino Domino suo venerat ad duellum, in manibus Johannis Forlani & Dionysii Hungari dicti Conti casualiter incidisse, eumque volebant penitus decollare, tamquam Regium proditorem. Quem dum dictus Nicolaus cognosceret, dictis Johanni & Dionysio vitam illius petiit, velut sui amici. At idem Judex Thomasius in ultimo vitæ termino se cognoscens, appellabat se viva voce esse familiarem & sequacem Angeli Domini Gualterii & suorum. Illi autem honore dicti Angeli & suorum vivum spoponderunt eum tenere. Dictus verò Nicolaus Sterchii veniens ad dictum Angelum & socios, ostendit sic prope nos Judicem Thomasium interceptum. Ad cujus auxilium omnes occurrimus, & eum de manibus eripuimus eorumdem, & in nostra comitiva equo nostro & armis fecimus illum esse, ac si de nostratibus esset ipse. Tunc videntes iidem Johannes & Dionysius, quòd nos eum quasi media vi tulissemus de manibus eorumdem, dixerunt: *Domine Angele, ecce vestro honore ipsum dimittimus in manibus vestris. Ipsum servate pro nobis, exercitus Regii Capitaniis præsentandum.* Quibus idem Angelus ait: *Et nos ita recipimus eum. Sinite hunc manere nobiscum.* Tunc Judex Thomasius ait: *Domine Angele; supplico, perquiramus inter tantos defunctos, si aliquis sociorum meorum, quos scitis, sit mortuus in conflictu.* Cujus assertionibus annuentes, totum illum campum ivimus perquirendo, nec aliquem invenimus sociorum fuisse defunctum, sed se per fugæ subsidium salvavisse. Videntes autem dicti Capitanii exercitus nostri ampliùs non posse lædere Palatino propter fortitudinem dicti Castri, jusserunt abinde suum exercitum removeri, & ad Casale Mudunii remeare.

Erat autem hora tunc nostri recessus quasi vespertina transacta. Dicebant autem plurimi ejusdem nostri exercitus coram Capitaniis: *Domini Capitanii, existimamus utile satis exercitum heic firmiter arrestare, quoniam Castrum Luseti forte non esse decernimus, nec victualibus illud credimus esse munitum; & si victualia sint in eo modica, quid sufficient tanta genti Casalis & exercitus Palatini? Certè videmus quòd eos fame aut prælio convincemus. Quos si ceperimus, finita erit guerra totaliter Terræ Bari.* Super quibus Capitanii ipsi cum Comestabulis

bulis aliis cogitantes, consultè dixerunt : *Ecce sumus heic in patria æmulorum longè à nostro recupero Bitontino, nosque equites sumus modici, & scimus in Baro equites plures esse. Si fortè hac nocte in campo hoc super nos irruant subitò cum reliquo exercitu Palatini, de facili hinc inde pugnabimur, eritque nobis damnum & dedecus personarum. Et ubi de convicto bello gaudemus, si heic stabimus, & sinistrum eveniat, erimus valde tristes. Est etiam aliud rationabile, quo heic esse nequimus; quòd in isto campo aqua nobis non est, nec Terra vicina, ubi possimus victualia comparare*. Et sic versùs Mundunium, dimissa obsidione Luseti, rediimus ipsa die. Palatinus verò suique Theotonici & sequaces, exercitus nostri sentito recessu, post Solis occasum de Castro Luseti recessit expressè, & versùs Barum abiit rectâ viâ, credens se ex persequutione inimicorum Barum intrare, & Terram ipsam Principatus nomine possidere. Sed vana cogitatio sua fuit, quia quamvis Barenses Cives præscirent casum belli Palatini jam dicti, tamen ejus pensatâ malitiâ, ne tali prætextu Terram intraret eam Principatus nomine possessurus, ipsum intrare nullatenus permiserunt. Videns autem Palatinus nil sibi prodesse pensatam malitiam, versùs Vigilias tota nocte festinus accedit, ubi Hungaricis territus ictibus vovit & detestatus est, se tamdiu uno pede discalceato manere, usquequo amissam Principatus sui in Luseto Banderiam, & verecundiam passam devictionis in bello vindicet super Dominum Malispiritum supradictum. Nec diu exinde curavit exire.

Publicatur itaque in momento per universam Provinciam devictio Palatini jam dicti, & dicto exercitui Hungarorum laus victoriæ semper crescit. Nos autem sequaces Angeli Domini Gualterii ad Casale Mudunii cum universo Hungarorum exercitu applicantes, quia ut præscribitur uxores nostras & filios in Altamura habebamus, cogitavimus illas eadem nocte accedere delaturas Bitontum, ne propter casum belli Palatini jam dicti Palatinus idem illas nos prohiberet inde ejicere, & exinde vituperium sequeretur. Diximus eidem Angelo, apud Altamuram nos propterea accessuros, & dictum Judicem Thomasium portare nobiscum expeditionis nostræ causa majoris. Placuit enim dicto Angelo ipse noster accessus. Et primâ quidem noctis vigiliâ eques fuimus parati ad iter Ego, Ciccus de Gregorio, Cocella, Cola de Sterchio, Robertus de Buccha, Curullus Judicis Martucii, Johannes de Abriola, & alii usque ad duodenum numerum, quorum nominum non recordor. Et tota ipsa nocte ambulantes pervenimus hora Auroræ prope Altamuram. Tunc Judex Thomasius ait : *Ecce sumus prope Terram. Sinite me præcedere, & veniat Ciccus mecum, & videbimus, si in Terra est tumultus Populi pro conflictu. Quòd si intrare vos securè noverimus, mittam pro vobis. Sin autem, cautè tractabo exitum mulierum vestrarum & filiorum. Estote ergo heic in locis remotis, quousque ad vos nuntium remittam, vel Ciccum*. Et sic fecimus. Abiit ergo Judex Thomasius & Ciccus cum eo. Sed præcedens Judex Thomasius adhæsit se Portis Terræ, & audivit universos lugentes & dolentes de devicto bello sui Domini Palatini, suorumque quamplurium Altamurensium Civium, qui ejusdem belli fuerant in conflictu, nondum ad eorum domicilium reversorum. Et licèt eadem nocte aliqui modici Cives sui unus post unum rediissent ad Terram, qui prædixerant casum belli, tamen ex illorum relatibus universi credebant, reliquos, qui non redierunt, periisse in bello, præcipuè Judicem Thomasium supradictum. Quem quum viderunt aliquali spreto dolore, præ gaudio lachrymabant, sic universaliter diligebatur in Terra. Et interrogatus quomodo manus evaserat Hungarorum, laudavit se, quòd auxilio Angeli, & suorum inimicorum manus evasit, nosque eum eousque sociavisse, velleque intrare nos petiit Altamuram. Cui responsum est : *Placet nobis : intrent securi*. Tunc Judex Thomasius convocans dictum Ciccum induxit eum in Terram, & commisit cuidam nuntio partis suæ, quòd nos in tali loco repositos securè convocaret ad Terram. Accessimus igitur & nos post eos, & Terram ipsam ingressi sumus audacter, & unusquisque ad nostrarum domos accessimus mulierum, quas timore devicti prœlii invenimus semivivas, quum in eis duplex timor inesset; primus quidem quia in bello quis renascitur, nec in bello sanitas est; & secundus quia in Terra erant Palatini devicti, ne ipsæ nostrâ injuriâ retinerentur vituperandæ ibidem. Quæ ut nos viderunt, præ nimio gaudio lachrymantes eas abinde petierunt educi, & apud Bitontum salvari.

Ecce horâ prandii factâ nuntiatum fuit mihi Notario Dominico per quemdam fidum meum amicum nomen habentem Notarium Thomasium de Juliano dicentem : *Notarie Dominice, præparate vos exire de Terra cum uxoribus vestris tam citò si potestis, vel sine, quoniam rumor maximus est in Terra clamantis Populi contra vos, quòd inimici vos estis nostri Domini Palatini, & in sua devictione fuistis velut æmuli capitales, & hic rumor est modò præsens coram Riccuccio de lu Rubio Capitanio hujus Terræ, & proinde expressè requiritur, quòd vos capi præcipiat de personis, licèt Capitanius idem, ut arbitror, verbis talibus non dat locum. Est etiam ibidem Judex Thomasius, quem salvastis, & sui sequaces, qui pro vobis perfectè loquuntur. Sed quia effrenis est ira Populi, post tumultum inceptum, consulo igitur, quòd donec universus Populus, qui nunc in Castro consistit, super talibus ratiocinans cum Capitanio memorato, sociis tuis dicas, & paretis vos Terram exire*. Tunc ego convocatis aliquibus sociis, & omnibus adunatis dixi hæc eis verba mihi prolata. Et ecce Judex Thomasius ad nos veniens eademmet verba retulit nobis, ut nos ipsos pararemus ad iter, quia ipse & socii sui aptus erat nos sociare longo itinere. Erat autem idem Riccuccius Capitanius consanguineus Angeli Domini Gualterii, qui suo amore & honore statim ad nos quemdam famulum suum misit occultè, eadem nobis verba dicendo. Nos autem pari timore compositi, paratis armis & equis, mulieres nostras & filios per diversas vias præcedere fecimus versùs Portam Barisanam vocatam, sociatas quibusdam nostris benivolis. Et quum scivimus illas esse in Porta, subitò eques fuimus juxta illas, & Portam ipsius Terræ eximus, licèt adstantes ibidem modici rugirent de nostro recessu. Capitanius verò idem velut noster perfectus amicus, vitiosè per verba ducebat Populum, usquequo scivit nos fuisse egressos. Et ecce nuntiatur universo Populo, quòd nos egressi eramus à Terra, & factus est tumultus maximus clamitosus. Tamdem quievit Judex autem Thomasius, & quidam sui socii eques nobiscum adstantes, nos usque ad Menam so-

sociaverunt, & abinde redeunt Altamuram. Nos autem ipso die, & nocte sequenti Bitontum perveniinus cum nostris uxoribus gratiâ Jesu Christi, & sic tantis diversis imminentibus casibus nostros eripuimus filios & uxores.

Pervênit itaque ad aures Domini Malispiritus, quòd Judex Thomasius jam dictus abierat unà nobiscum de voluntate dicti Angeli contra conscientiam Capitaneorum exercitus Hungarorum. Quo sequutum est, quòd vocato coram dicto Milite & Thoma Pauli Angelo supradicto, idem Angelus constitutus est de persona per Capitaneos ipsos dicentes: *Domine Angele, ut quid præsumsisti abire Judicem Thomasium de Altamura Regium proditorem presonerium nostrum? Scimus enim, ipsum se potuisse redimere Florenis quingentis & ultra, aut Terram Altamuræ suo tractatu in nostris manibus nos habere. Petimus ergo te quòd aut dictum Judicem Thomasium in manibus nostris reddas, aut Florenos quingentos nobis exsolvas. Et interim nostro te volumus carceri detinere.* Et tunc jusserunt, ipsum in carcere hospitii dicti Marescalli curialiter commorari. Remanserant autem cum eo absque nobis Domnus Guillielmus frater meus & alii plures. Sed plurimi nostri socii auditâ famâ detentionis ejusdem Angeli, Domni Guillielmi, & aliorum quorumdam sociorum, se ipsos recondere cogitarunt, furorem vitantes in puncto. Et tunc arrestati fuerunt equi, arma, & robba dictorum Angeli, & Domni Guillielmi, & aliorum interceptorum. Viri autem Bitontini, Nobiles siquidem Milites Dominus Herricus & Dominus Paulus, Ciccus Domini Sergii, & Leo Castanea, plurimique alii Bitontini ad eosdem Capitaneos protinus accesserunt dicentes: *Domini Capitanii, ecce audivimus dici, vos de persona perstringi mandasse Angelum Domini Gualterii, & socios fideles Regiæ Majestatis. Ut quid hoc contra eos egistis?* Quibus ait Dominus Malispiritus: *Ecce eum in prodimento concepimus, quòd Judicem Thomasium de Altamura, per quem Terram Altamuræ sperabamus habere, absque nostra conscientia permisit abire. Et ubi hoc non potuisset per eum fieri, solvisset nobis pro suo rescacto Florenos quingentos, quos in gagiis stipendiariorum nostri exercitus solvissemus. Petimus ergo eum, quòd aut dictum Judicem Thomasium in manibus nostris resignet, aut solvat pro eo Florenos quingentos.* Quibus illi: *Placet vobis, Domini Capitanii, quòd cum eodem Angelo super causa loquamur?* At illi eis: *placet.* Qui ad eumdem Angelum accedentes dixerunt: *Domine Angele frater & affinis carissime: ecce loquuti fuimus modò cum Thoma Pauli & Domino Malospiritu, ut quid te constringi mandarunt, & nobis dixerunt ob causam præscriptam. Sicque ignorantes nos, quid fuerit respondendum, rogavimus eos, ut nos vobiscum permitterent loquuturi. Cogitemus itaque simul, quale sit remedium adhibendum liberationi vestræ.* Qui respondit: *Hoc mane, quando me constringi jusserunt misero fato meo, volui meam justam, ut existimo, excusationem proponere: sed noluerunt me audire, quia credunt me magnum habere thesaurum, & occasionem quæritant contra me, qua me valeant devorare. Sed adhuc spes mea consistit in Deo, quia veris amicis cum veritate juvabor. Scitis enim me & meos sequaces & socios causâ Regiæ fidelitatis servandæ esse per inimicos Regios à Terra nostræ originis effugatos, bonisque nostris omnibus dissipatos, fuisseque continuò in servitiis Regis ad nostras expensas, velut perfecti fideles. Numquid tam molestè ferunt Capitanii isti si dictum Judicem Thomasium abire consensi? Nonne salubrius fuit illum abire permittere, qui partialitatis meæ fuit continuò, licèt innobilis, non nobilis, sicut credunt, ut per liberationem suam uxores & filii, matres & fratres meorum sequacium, qui post recessum nostrum à Terra Gravinæ se ipsos pæne salvare potuerunt in numero quasi quinquaginta? Sed novit Deus. Ego pro me suum ignoravi recessum. Sed hoc ordinaverunt ii socii, qui secum iverunt, qui eorum in Altamura uxores & filios habebant annexos causâ salutis eorum. Non enim hoc debet Dominis displicere, quòd pro uno homine sic dimisso tanta eorum familia salvaretur. Audio tamen, benedicto Deo, dictos meos socios, qui pro mea sequela destructi sunt, in Civitate Bitonti eorum tantam familiam salvavisse. Amodo enim si proinde me mori oporteat, lætus ero. Etiam nonne meo servitio & meorum sociorum sequacium tanta merui, ut unum saltem hominem partialitatis meæ valeam in conflictu salvare? Quid ergo servimus, quum nostrum servitium sit ingratum? Et ut dicunt iidem Capitanii, quòd si ipsum haberent in manibus, aut suo tractatu Terram Altamuræ haberent, aut Florenos quingentos, quod fortè vos creditis esse posse; unde scitote firmiter, quòd Judex Thomasius modicæ conditionis est homo. Pater ejus fuit artifex aratrorum, in bonis non possidens quod valeat decem nummos: Nec stabilium nec mobilium est possessor. Unde ergo solvere poterit, quum eum haberent in manibus, florenos quingentos? Quod autem credunt, pro eo posse Altamuram haberi, hoc nullatenus credant ipsi, quoniam Capitanius in Terra est, & diversus Populus maximus in eadem. Hic autem quasi alienigena loci tenetur, nec de suo carcere quis curam haberet. Vana,* inquit, *est cogitatio eorumdem. Sed ut video sumta occasione hac contra me credunt à me posse exigere pecuniam supradictam. Sed Deus scit, quomodo egressus sum à Civitate Gravinæ mendicus, tam ego, quàm mei sequaces. Ecce audivistis perfectum cor meum. Potestis hæc verba Capitaniis ipsis seriosiùs vos referre. Fortè spero cum Dei auxilio vestris intervenientibus precibus liberari. Sed recordor, ut super iis primitus conferatis cum Thoma Pauli, quàm cum Domino Malospiritu prænotato.*

Abierunt ergo Nobiles illi ad Thomam Pauli jam dictum, & super causa loquuti sunt cum eodem, præscripta omnia ei seriatim dicentes; quibus Thomas Pauli ait: *Tædet me, novit Deus, displicentiæ illatæ Angelo ipsi; sed hoc procedit ex malivolo corde Malispiritus. Sed volens voluntati suæ aliqualiter assentire in primo furore, assensi dictum Angelum detineri. Non enim credatis vos, quòd ipsum consentiamus affligi, quum eum valde carissimum habeamus. In uno verumtamen Angelus ipse simpliciter peccavit, quòd debuit de illius recessu nostram conscientiam informare.* Cui Dominus Herricus respondit: *Domine Thomas æstimo, quòd si vobis de illius recessu conscientiam fecissent, vos eum nullatenus consensissetis abire. Et si restasset tunc recessus illius, tota familia sequacium dicti Angeli in Altamura degens de facili periisset. Sicque pro salvanda eorum familia non solùm vobis displicere sunt ausi, sed personas eorum in Terra Domini Palatini devicti inducere præsumserunt. Ad tantam desperationem eos induxit eorum dilectio filiorum.*

Tunc Thomas Pauli post diversa ratiocinia habita super causa dicit illis: *Faciamus Dominum Malispiritum invocari, & quemadmodum nobis hæc verba dixistis, coram eo seriosiùs redicatis Et sic ordinabimus, quod sit dignum*. Misit itaque nuntium suum Thomas idem Hungarum quemdam ad Cabannam seu Tentorium dicti Militis vocare illum, ut accedat ad eum. Tunc abiit Miles idem, & cum dictis Nobilibus Bitontinis ratiocinans super causa, pluribus hinc inde filacteriis allegatis, tamdem de voluntate Capitaneorum ipsorum vocatus est dictus Angelus coram eis, coram quibus præscripto modo alloquens se rationabiliter excusavit. Tunc jusserunt Capitanii ipsi dictum Angelum liberari, & socios ejus stantes equis & armis eorum omnibus restitutis. Verumtamen quia Capitanii ipsi rubore convicti recognoverunt sinè justa causa eidem Angelo enormiter deliquisse, dubitabant ne dictus Angelus & socii sui, qui erant in numero equites sexaginta, subitò derelinquerent suum exercitum, & aliò secederent moraturi, adstrinxerunt eumdem Angelum sacramentum præstare in manibus eorum, quòd ab eorum exercitu non recedet ipse & socii absque sua licentia vel mandato. Quod idem Angelus voluntariè fideliter præstitit & juravit.

Nos autem, qui in Altamuram iveramus pro nostra familia, ut præfertur, postquam Bitontum pervenimus, audivimus hæc omnia fore pro nobis contra dictum Angelum, & restantes cum eo socios innovata, & dubitabamus ad exercitum nos redire. Tamdem percepimus, quòd eidem Angelo & nobis per dictos Capitaneos fuit omnis culpa remissa.

Procedit igitur idem exercitus ad obsidionem Civitatis Barensis. Et ecce ab universis Casalibus Terræ Bari ad exercitum ipsum currunt cum gente, & grassiis opportunis, quorum dominio subditæ redduntur, Cassanum, Bitrictum, Cileæ, Capursium, Montoronum, Balenzanum, Canetium, Nona, & alia loca plura, & mittunt ad eos pecuniam generalis subjectionis debitæ per eosdem. Unde de mandato Capitaneorum ipsorum generale guastum fit hominibus Barisanis in eorum vineis & olivis. Erat autem in Baro Archiepiscopus Barensis nomine Bartholomæus Neapolitanus de domo Caraffæ, qui sub magna tyrannide Barum tenebat, de damnis Concivium in olivis & vineis factis modicam curam habens. Et ecce subitò præfatus exercitus inde movetur, & super Rotulianum dirigitur cum furore, cujus Cives promti ad arma viriliter defendere se opponunt. Erat autem intus Rotulianum Provincialis quidam, cujus nomen ignoro, qui Thesaurarius Terrarum Beati Nicolai de Baro erat cum modicis familiaribus suis. Qui ut vidit Populum Terræ non posse resistere exercitui Hungarorum, effugere cogitavit. Corrumpitur itaque Populus Terræ, & in bello deficiunt, fossatorum fortilicia derelinquentes; & multi quidem timore correpti reconondituros se pergunt, & plurimi ad Ecclesiam & Campanile se ipsos fortificaturos accedunt. Tunc universus exercitus, corrupto Populo Terræ, in manu feroci Terram ingreditur miseram; & si quis invenitur masculus in eadem carceri alligatur. Mulieribus autem jussum est ut nulla fiat injuria, sed salvas à Terra exire permittant. Sed quia diversarum nationum homines erant ibi, plurimæ præcipuè virgines violantur; eratque in Terra ipsa planctus & stridor maximus utriusque sexus hominum dictæ Terræ. Nec erat qui compateretur stridentium

A puerorum. Maxima strages fit undique robbæ & vini Civium miserorum. Et multi quidem gladiis perimuntur crudelium percussorum. Occurrit itaque universus exercitus ad Campanile Ecclesiæ convincendum, in quo magna pars Civium dictæ Terræ se fortificare occurrerat. Sed profuit nihil eis, quoniam licèt desuper jacerent impassibiles lapides ad inferiorem exercitum, tamen virorum ingeniis quis posset resistere? Quia ligna plurima supponi fecerunt, ignem & oleum inducentes, & tanto altius flamma transcendit & fumus, quòd miseri, qui sursum stabant, clamare cœperunt: *Domine miserere: ecce dominio vestro nos ipsos reducimus*. Et quum Malispiritus vellet se ostendere loquu-

B turus cum illis, quidam Villanus impius lapidem maximum desuper jaciens parùm percutiens eum in facie, cecidit lapis ille. Tunc Malispiritus majori furore commotus ignem fortificari præcepit, eos penitus combusturum. At illi superiores magìs ac magìs clamabant: *Domine miserere*. Moti igitur pietati Capitanii ipsi, & totus exercitus ignem cessare jusserunt, & viri illi per appositum per eos asfericium descendere incœperunt. Ut autem singuli fuere descensi, carceri sunt ligati, se ipsos pecunia redimendi. Stetit autem dictus exercitus in Terra ipsa per dies novem & ultra, in qua victualia plurima, vinum, & innumerabiles divitiæ sunt inventæ. Et verè, ut æstimo, nulla

C Terra provinciæ Terræ Bari esse potuisset tanta fertilitate repleta, ut fuit illa. Mulieres itaque dictæ Terræ, quæ suo pudore salvæ fuerunt, sociatæ remissæ sunt cum filiis parvulis usquè Noham. Infra quos dies tantus concurrit Populus Bitontinus, & Nohæ, aliarumque Terrarum & locorum fidelium Regiorum, quòd totam robbam, vinum, & victualia præter ea, quæ ad usum exercitus sunt consumta, modico pretio compararunt. Consumtis itaque quasi omnibus victualibus & vino Terræ præfatæ, ad petitionem Civium miserorum ad Terram ipsam redire petentium, universus inde recedit exercitus, & recto tramite ad iteratum insultum redit Barensium.

D Et ibidem per dies aliquos existens in eisdem olivis & vineis damnum inferunt satis grave. Erat autem tunc proximum tempus vindemiarum quasi circa finem mensis Augusti Anni II. Indictionis. Et tunc prænominati Capitanii formatis per me literis scripserunt Barensibus Civibus in hæc verba: *Scitote Cives Barenses, quòd perducto ad notitiam nostram, quòd vos præsenti vindemiarum tempore habituri estis vini maximam ubertatem, quod absque magno auxilio gentium recolligere totaliter non potestis: ecce propterea vestris compatientes laboribus & expensis in vindemiis vinearum vestrarum gentem induximus copiosam, cum qua ad expensas Domini nostri Regis Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ tam citò speramus reponere*

E *integrè in torcularibus uvas vestras. Parate igitur vasa vestra reparationibus opportunis, in quibus mustum, quod vobis mittemus, reponere valeatis. Quia ergo pro vestro commodo & expeditione vindemiarum vestrarum venimus in hunc campum, facite quod dignum sit laudis ejusdem Domini nostri Regis. Aliter nec vinum nec oleum recolligere vos credatis*. Ad quas literas responsum fuit per Archiepiscopum & Populum Barisanum per certa inania verba blanda, statum suum pacificum prorogantes. Quorum Capitanei ipsi dilatoriis verbis cognitis ad majus priore guastum agendum Bitontinum Po-

pu-

pulum induxerunt, qui causâ ultionis damni eis illati quondam per Palatinum jam dictum obsidionis eorum tempore, vindictam super Barensibus sitiebant. Tunc Bitontini licentiâ habitâ devastandi quasi usque ad muros Barensium deridentes adibant: *Recordamini Barenses Cives, Domini nostri Regis rebelles, quando cum Palatino Principe vestro in obsidione venistis Civitatis fidelissimæ Bitontinæ? Quando cum universis Casalenis vestris universas cepas & nostra folia ab hortubus exstirpastis, & pro nostra ira majore deridendo clamabatis: o Bitontini exite, colligite de cepullis? Immo quod deterius agebatis, nostras cepas & folia projiciebatis hinc inde? Meritò igitur verborum illorum & actuum, quos egistis, ecce amore vestro ad nostras expensas venimus vindemiare vineas vestras, & vicinas arbores vestris muris ecce nostris gladiis expurgamus. Alii autem nostri socii ecce in beneficium vestrum tamquam rebellium olivas vestras & vineas consumunt gladiis, & igne comburunt. Exite igitur cum animalibus, & utribus, ad vasa vestra vinum deferre, & oleas albas in hydriis veniatis eligere conservandas. Hoc sero videbitis etiam & tota nocte in olivis vestris luminaria maxima ad honorem & decus coronationis Domini vestri Regis. Credimus enim firmiter, quòd priusquam ab hoc campo noster recedat exercitus, de damnis per vos dudum nobis illatis in centuplum vindicabimur super possessionibus vestris, pro ut supra, Casalenis omnibus vindictam sumsimus pleniorem, quibus totalem robbam tulimus & domicilia eorumdem in vituperium vestri Regis.*

Stupebant autem Cives Barenses verbis prolatis hujusmodi, frementes dentibus in eosdem, quum non auderent muros Civitatis exire. Stetitque exercitus idem in obsidione eadem per dies quasi decem, ubi inæstimabile damnum illatum est in vineis & olivis. Et ecce nuntiatum fuit dictis Capitaniis, quòd licèt Casale Carbonariæ proximum inhabitetur, tamen Palatium seu Castrum loci ipsius per decem latrunculos custoditur, qui habitatores Cilearum & locorum aliorum fidelium Regiorum sæpe perturbant. Contra quos subitò movetur exercitus, & eos in dicto Castro obsedit. Venerunt itaque universi habitantes in Ciliis dictum Palatium impugnare, qui cum eorum fundis lapides jacientes in tantum defensores Palatii confundebant, quòd vix eorum aliquis extra mœnia videbatur, ut cum balistis jacere in nos possent. Tunc videntes Theotonici nostri exercitus defensores Palatii defensioni deficere, scutos & arma secum habentes, sub dicto Palatio se supponunt, & catervatim sistentes ut unus alterius, si contingeret, ictum ferret, invenerunt quamdam Portam parvam fabricatam dicti Palatii, & eam cultellis feritoriis defabricare cœperunt. Quam dum defabricarent, Custodes Palatii hoc videndo intollerabilibus lapidibus defenderé incœperunt Portam eamdem. Quorum ictibus quidam Theotonicus Petrus Contifrex nomen habens, tibiam ruptam habuit valde malè. Qui exinde vi levatus ductus est apud Bitontum ad medici curam, non tamen quòd pro ictu illo Theotonici reliqui recessarent. Sed penitus defabricaverunt Portam jam dictam, per quam intrantes Palatium armorum potentiâ saliunt ad custodes, qui in superiori Turris cacumine consistebant. Et ipsis applicitis super eos cum eorum ensibus crudeliter ferierunt, projicientes illos à summo usque deorsum. Erat autem paratus ignis sub dicto Palatio, & sicut mortuus aut vivus projiciebatur ab alto, ita ponebatúr in ignem. Facta est autem eorumdem Custodum vindicta crudelior, & totum illud Casale igne comburitur, ut nullum in eo domicilium superesset. Deinde sublatâ universâ robbâ & victualibus, quæ erant in Palatio memorato, ignis immittitur in eodem, quod in momento combustum est ad damnum & dedecus Macciocti de Carbonaria sui Patroni rebellis.

Et dum adhuc ibidem consisteret idem noster exercitus, viri circumstantium Villarum & Casalium Syndicos suos mittunt, Turrum videlicet, Castellanum, Maulum, & Casa Maxima, debitum jus Curiæ generalis subjectionis in subsidium exercitus exhibentes. Tunc Capitanii ipsi videntes, quòd in Civitate Bari minimè lædere poterant, nec eam convincere damnorum terrore, iteratum transitum faciens ante Barum, majus intulit damnum. Et exinde amoto exercitu pervenerunt Bitontum per dies aliquos quieturi. Ubi dum essent, cogitaverunt Capitanii ipsi versùs Cauratum dirigere gressus suos. Erat autem tunc principium mensis Septembris Anni sequentis III. Indictionis. Ut autem Barensis Archiepiscopus & Cives senserunt dictum exercitum perlongatum, accesserunt ad Casale Cilearum jam dictum, & illud penitus dissiparunt. Et similiter fecerunt Casali Blasignani. Castrum verò Blasignani, quod semiforte tunc erat, verbis blandis proditoriis acceperunt, illudque custodiæ Domini Johannis filii Maczioctì de Carbonaria commiserunt. Qui Castrum ipsum pro se fortificare curavit, in quo Abbatem Guillielmum fratrem suum imposuit, & latrunculos decem cum eo, qui unà cum Palensibus super Bitectenses & Bitontinos sæpiùs impugnabant. Portaverunt autem dicti Barenses Caporales dicti Casalis Blasignani captivos in Baro Simonellum & Jaconum Angelum supradictos & alios plures, & post paucos dies eidem Simonello, & cuidam alteri Antonio nomine manus incidere mandaverunt.

Et ecce nuntiatum est dictis Capitaniis nostri exercitus in obsidione Caurati morantibus, quòd Archiepiscopus Barensis & Populus prædicta Casalia destruxerunt. Illi autem, quia vanus erat succursus eorum Casalibus dissipatis, condoluerunt de causa, nec proinde de Cauratina obsidione cessarunt. Concurrunt itaque ad dissipationem totalem Cauratinæ Terræ universus Populus Andriæ, Trani, & Baruli; & maxima pars Bitontinorum Civium erat ibi. Erat autem Terra ipsa Caurati magnis fossatis duobus circuita circumquaque, multisque defensionibus seu berdescis. Eratque intus eam Capitanius quidam pro parte Domini Lodovici, Andreas Patronus Tuscus nomen habens. Qui continuè cum aliis Civibus de opportuna defensione curabat. Capitanii verò dicti exercitus ab exteriori parte trabuchos quatuor erexerunt, per quos continuò nocte dieque impassibiles lapides jaciuntur. Sed, ut tunc vidi, existimo numquam pro trabucco Terram posse acquiri, quoniam trabuccus non ad aliud bonus est, nisi in acquisitione Castrorum, licèt ex ictibus trabuccorum ipsorum & fractionibus lapidum, quos jaciebant, plurimi periissent homines in berdescis, & berdescas plurimas infregissent. Fecerunt etiam Capitanii ipsi diversa ingenia lignea præparari, pontes, castra, scalas, gattos, & mantellos, fundas plurimas, & balistas, & ligna plurima, seu frascas incidere, ut cum eis &

& ex eis fossatis adhaereant, & fossatos faciant onerare. Quibus paratis infra dies quasi quindecim per universum exercitum undique datur insultus, & tanto cum ingeniis ipsis fossatis ipsis adhaeserunt, quòd frascas plurimas in primo fossato in momento miserunt, & cum Terra illud penitus impleverunt. Et impingentes ampliùs currum pontis in berdescis adjungebant caput pontis ejusdem, sub quo Theotonici & Latini plurimi permanentes cum zappis in manibus secundum fossatum pro viribus onerabant, licèt lapidum ictus plurimi jaciebantur in illos. Erant autem super Castra lignea nostri exercitus noster socius Nicolaus de Sterchio, & alter socius de Bitonto, balistarii valde boni, & superiùs in cacumine castrorum ipsorum viri duo, qui dirissimos ictus lapidum jaciebant desuper Cauratinos. Unde retulerunt mihi & omnibus palàm dicti balistarii duo, nosque vidimus, plures Cauratinos pugnantes contra nostrum exercitum multos cadere suarum ictibus balistarum, quòd unusquisque eorum, dictus videlicet Nicolaus, decem & octo arma projecerat cum balista, per quos decem & septem viros percussit ab ore usque ad frontem, dum ad berdescas se faciebant, ut jacerent. Habebant autem ex interiori parte Caurati Castrum aliud ligneum non sic altum, ut nostra erant, cum quo erga nostra Castra cum balistis & lapidibus repugnabant. Super quo dum hora proelii quatuor sisterent pugnatores, ecce subito ictu trabucci periit Castrum illud & viri. Sed ut veriùs alloquar, numquam desperatissimos pugnatores tam vidi, non curantes trabuccorum ictibus lapidum nec etiam balistarum. Sed si unus aliquo ictu cadebat, alter suo loco surgebat ad pugnam. Duravit autem insultus crudelior à Solis ortu usque quasi ad meridiem diei illius. Et ecce quasi desperati Cauratini in Castro ligneo & ponte, per quem Jannoctus Brancasius & Andrisani sui pugnabant, qui adhaeserant in fossatis, paratis vasis apium veteribus igne plenis super pontem miserunt, & deinde super alium pontem, quo Theotonici nitebantur intrare ignem similem immiserunt. Barulitani igitur Cives, qui in proelio illo erant, nescio qua de causa coeperunt à bello desistere, immo recedendi se ipsos parabant. Ut autem Theotonici & viri alii viderunt Barulitanos relinquere praelium, conturbati nimium, proelium similiter dimiserunt dicentes: *Ut quid vos, qui regionis hujus estis, & quibus damnosa est Terra ista, in puncto Terrae acceptae bellum dereliquistis incassum? Revertite nobiscum ad pugnam, quia statim babebimus Terram.* At illi unà cum Tranensibus legâ factâ clamabant: *Amodo taedet nos potiùs impugnare. Pugnet quis vult, Nos autem intendimus pugnam dimittere, & ad domos nostras accedere quieturi.* Et per haec verba rumor verborum maximus crevit in nostro exercitu. Unde Cauratini facti securi in dictis pontibus ligneis ignem plurimum immiserunt, quo combusti sunt in momento.

Ex illis itaque natis verbis insultus dimittitur ab omnibus nostri exercitus, ita quòd non nisi in dictis Castris remanserant balistarii illi duo, quos nisi nostra societas succurrisset, verè fuissent ibidem occisi. Credat igitur unusquisque, quòd si horâ illâ Barulitani & Tranenses non dimisissent id proelium, sed corde pugnassent, hora modica potiori Terram potentialiter assumsissent. Unde ergo causa processerit, quilibet ignoravit. Tunc ira commoti Capitanii dicti exercitus, quia videbatur eis dictos Barulitanos in hoc quidem falsum committere, providerunt utilius, non esse ampliùs in campo morandum, licèt ex interiori parte Cauratini Cives essent pestifera fame gravati. Cessato itaque universo insultu, & per unumquemque armis depositis, praefati Capitanii videntes, quòd in dicto campo non possent Latinos potiùs retinere, in vineis Cauratinorum guastum mandaverunt inferri per totum eumdem diem, quo non sinè damno rebellium inde recedere viderentur, licèt Andrisanus Populus & Tranensis vinum mustum plurimum ex dictis vineis eduxissent. Tunc in momento universi viri exercitus cum furore accedunt cum eorum gladiis per vineas universas, & tota quasi ipsa die magnum damnum inferunt vineis supradictis. Et ecce pulsantibus buccinis unusquisque ad tentoria rediit, & collectâ universâ robbâ exercitus ipse recessit, & versùs Tranum universi Theotonici redeunt quieturi.

Erat autem tempus vindemiarum; & tunc Tranenses petierunt ad eorum gagia Banderias duas Theotonicorum, vel omnes Theotonicos ibi stare, usquequo uvas colligerent de vineis, ut vinum vasis reponant, quoniam nisi auxilium eis adesset, Palatini timore, qui in Vigiliis morabatur, vindemiare non poterant. Tunc universi Theotonici per dies octo ibidem stare promiserunt, ut Tranenses vinum reponant. Erant autem nobiscum plures Bitontini, qui etiam petitis duabus banderiis Theotonicorum apud Bitontum simul abiimus. Quorum auxilio & nostrorum habitantium in Bitonto vinum vinearum ipsarum reposuerunt in vasis. Et sic divisis hinc inde Theotonicis & armigeris aliis cessavit exercitus Hungarorum. Noscat igitur unusquisque, quòd si praefatus exercitus, ut praefertur, per praescripta loca non ivisset hinc inde super infideles ejusdem Regis Hungariae, verè Civitates omnes, quae in partibus Terrae Bari consistunt, & erant pro Rege jam dicto, de bonis exterioribus consumtae fuissent ex impugnationibus aemulorum.

Palatinus verò stans in Vigiliis, ut praefertur, sciens quòd exercitus memoratus esset hinc inde diffusus, & quòd Dominus Malispiritus in Andria quiescere rediisset, cogitavit cum suis Theotonicis & armigeris contra Barulitanos & Tranenses guerram facere, potiorem semper habendo curam, qua posset injuriam vindicare, quam passus est in Luseto, per quam adhuc nudato pede manebat. Et equitans uno die, nocte se reposuit in vineis prope Barulum cum equitibus quasi ducentis. Ecce lucescente hora quasi Tertiarum praecursores misit praedare & capere viros & animalia, egressos à Terra; qui dum in Barulo sentirentur, multi quidem Populares armis acceptis currunt post illos hostiliter insequendo. Sciebat autem Palatinus, quòd in Barulo nullus restaverat armiger, qui sibi obviare posset in campo. Et sic praecursores sui, qui ante Terram venerant praedaturi, fugere se fingentes praeibant, usquequo insequentes viros educerent à fortilitiis Vinearum usque ad litus maris. Illi autem, qui à fortilitiis Vinearum eorum infortunio recesserunt, superveniente eis reliqua militia Palatini, quae post ipsos restaverat imboscata, capti sunt in momento, in numero centum decem. Tunc Palatinus ipse tantis viris acceptis Barolitani Populi laetus valde factus est ultra quàm dici possit, credens pro illis Barolitanam Civitatem habere. Et rediens juxta Terram, universi homines Baroli clausis januis Civitatis super muros saliunt se tueri. Videns autem

tem Palatinus se vanâ gloriâ speratâ deceptum, credidit se intrare locum Sancti Francisci adstantem muro Civitatis ipsius. Sed defensores invênit ibidem Fratres Minores, qui super Ecclesiam ascenderunt, defensuri portæ ingressum. Viri autem Baroli cum eorum balistis ingressum portæ desuper mœniis defenderunt. Et sic confusus Palatinus idem inde recessit, portans secum captivos jam dictos, ad Ecclesiam Sanctæ Claræ Ordinis Monialium se contulit quieturum longè à dictis mœniis jactibus tribus balistæ. Et ibidem horâ maximâ conquiescens, quasi victoriam magnam habuisset, ibidem nudati pedis tamdiu votum persolvit, & novæ Militiæ subtelares induit pedes suos, asserens: *Ecce de illata nobis injuria devictionis Luseti victorialis principii data est nobis arrha. Gaudeamus itaque universi, & animemus nos ipsos contra Hungaros, & infideles Regios superandos; quoniam ecce videmus eos esse dispersos, & eorum potentiam diminutam*. Et his dictis glorians se, superbis pulsatis buccinis, rediit apud Vigilias. Tunc Barolitani Cives de captione tantorum suorum Civium condolentes, miserunt apud Manfredoniam, quò accesserant Hungari universi, & ad Thomam Pauli, qui erat in Castro, significantes eis insultus factos per Palatinum contra eos. Et requirentes eos, quòd in eorum auxilium pervenirent, si salvam habere cuperent Barulitanam egregiam Civitatem. Ad quorum clamorem ecce pervenerunt Barulum Thomas Nicolosi, & Dionysius Contus cum sociis viginti Hungaris. Et ecce post duos aut tres dies nuntiatum fuit per homines Trani Civibus Baroli, quòd caveant, quia ipso die Theotonici stipendiarii Palatini Terram Vigiliarum egressi sunt in numero quasi centum. Ignorabant tamen quò perrexissent; quod idem Barolitani Cives Hungaris referentes, offerebant de suis equitibus Civitatis dare eis in socios. Hungari tamen audientes Theotonicos illos exiisse in campo facti sunt valde læti, nec de Civibus Baroli quempiam socium voluerunt. Sed statim eques fuerunt ad arcus, & rectâ viâ procedentes venerunt ad Lamam Vigiliarum, per quam oportebat dictos Theotonicos in eorum reditu pertransire. Ibique exspectaverunt reconditi usque ad horam meridiei transactam. Ubi dum sic exspectantes firmi consisterent, ecce viderunt Theotonicos redeuntes Vigilias cum maxima præda animalium & hominum Civitatum Baroli & Andriæ captivorum. Quos quum prope se viderunt adesse, exierunt obviam illis in campo.

Erat autem ibi planicies spatiosa. Ut autem Theotonici viderunt Hungaros, contra eos se paraverunt defendere; quos Hungari cum eorum arcubus circumdantes, in momento omnes Theotonicos ipsos deequitarunt ab equis, & cum ensibus ferientes in illos, octo ex dictis Theotonicis occiderunt in campo. Reliquos autem Theotonicos, quinque tamen evasis equorum potentiâ, in numero septuaginta quinque duxerunt captivos apud Barolum. Quod Barolitani videntes admirati sunt vehementer, quòd tam pauci Hungari tantos Theotonicos devicissent in campo. De quorum captione factum est magnum festum ibidem. Erat autem consuetudo ex antiquo servata inter armigeros, quòd si contingeret aliquem Theotonicum capi in campo sub armis, quòd sublatis sibi equis & armis dimittebatur abire sub fide. Et sic uno tantum die retentis dictis Theotonicis carceratis, sublatisque sibi armis & equis, sequenti die abire liberos permittebant per Terram undique per tabernas, ut consequenter, quò vellent, illos abire permitterent. Scientes autem Cives Baroli Theotonicos illos esse penitus liberandos, mutuum inter se habentes consilium, subitò magno tumultu prorumpunt contra Theotonicos supradictos, & Hungaros etiam, si vellent illos defendere, dicentes: *Domini Hungari, ecce nos fideles sumus Regiæ Majestatis, sicut vos estis. Rogamus itaque vos, quòd Theotonicos istos, qui hesterna die nostros Concives cum Palatino ceperunt, nullatenus liberetis, usquèquo ipsos Concives nostros, quos habent carceri alligatos & torquent, faciant liberari*. Quibus per Thomam Nicolosi prædictum responsum est, quòd oportet eos servare consuetudinem diu servatam inter armigeros in partibus Tusciæ & Lombardiæ, quòd sublatis eis equis & armis stipendiarii liberentur. Quibus Barolitani dixerunt: *Numquid consuetudo hæc facit pro ipsis, & non pro nobis? Nos petimus & volumus, quòd lex illa & consuetudo servetur eis, quam ipsi servant nobis & aliis Latinis miseris, qui incidunt in manibus eorum. Heic autem sunt Theotonici Caporales Comestabuli quasi decem, qui de nostris Concivibus retinent in cippis ligneis calcatis pedibus cugno ligneo velut canes. Sic eos nos volumus retinere, usquequo fratres & filios nostros, quos in cippis detinent, jubeant liberari*. Et facto crudeli impetu contra eos Theotonicos omnes jam dictos de personis ceperunt, illosque consanguineis eorum, qui in Vigiliis erant captivi, dederunt servandos captivos. Qui statim portantur captivi, & in cippo positi sunt, cugno calcato, & tota nocte ululantes impressione cugnorum sequenti mane fecerunt omnes, quos Barolitanos Cives tenebat in Vigiliis carceratos, Barolum liberos pervenire. Et à tunc Theotonici dicti Palatini timore casus similis timebant ita sæpiùs solito equitare, quia videbant eis consuetudinem solitam non servari; pluraque alia sunt sequuta, quæ sicut processerant scribere longum foret; sed super opportuna materia procedamus.

Dominus autem Vayvoda memoratus, qui cum exercitu magno erat Aversæ, universam provinciam Terræ-Laboris acquisierat virtute armorum. Verumtamen superbum genus Theotonicorum acquisitas Terras penitus destruebat, & sic acquisitio Terrarum ipsarum sibi pro parte Regis nullius erat profectus, unde posset habere pecuniam solvendorum gagiorum Theotonicis ipsis. Cœperunt autem Theotonici cum importunitate petere dicto Domino Vayvodæ gagia eis debita pro tempore præterito mensium Junii, Julii, & Augusti, qui erant in summa ultra centum quinquaginta millia Florenorum, dicentes: *Domine Vayvoda, ecce pro gagiis nostris solvere nobis habetis tantam pecuniam. Solvite nobis. Sin autem indemnitati nostræ nos ipsi providebimus opportunè*. Quibus idem Dominus ait: *Scitis, quia diu expressos nuntios miserim ad Dominum nostrum Regem apud Hungariam nuntiare sibi causam, & pecuniam quærere pro gagiis vestris præteriti temporis & futuri. Oportet vos sustinere usque ad nuntiorum adventum. Unum tamen vos rogo, mando, & volo facturos, quòd Terras, Civitates, & Castra nostro Domino redditas volenter vel violenter hujus provinciæ Terræ-Laboris non ampliùs dissipetis, nec deformetis, & super rebellibus procedite militanter. Speramus autem à Terris nobis subditis bonam habere pecuniam vestris gagiis convertendam, si ab earum vexatione cessatis*. Qui respondentes dixerunt: *Quomodo*

modo fiet istud, quod tanti temporis gagia restamus recipere? Et jam omnes facultates nostras expendimus in substentatione equorum nostrorum, & nostra. Unde ergo vivemus? Si hoc voluerimus observare, quod dicitis, nequaquam possumus, quia jam defecerunt nobis expensæ. Quibus idem Dominus dixit: *Quomodo vos dicitis vobis defecisse expensas, qui victualia nulla jam tanto tempore non emistis? Ecce totam istam provinciam Terræ-Laboris prædavistis, tanta bona, Casalia, Terras, & Castra. Video autem vos non aliud petere, nisi robbam tollere Regni hujus, & claudicare à servitiis Domini nostri Regis, parùm curantes de me.* Et convocans Comestabulos Caporales, videlicet Ducem Guarnerium, & Corradum Lupum, & alios Magistros dicti exercitus, quibus eademmet verba dixit, & addidit: *Ecce habemus hos nobilissimos Regni hujus in manibus, videlicet Dominum Robertum de Sancto Severino, Rogeronum nepotem suum, Dominum Raymundum de Baucio, & alios, quos videtur mihi in Hungariam transmittendos ad Dominum nostrum Regem, de quibus valde gaudebit, & demum libentiùs pecuniam nobis mittet gagiorum vestrorum. Et fortè annuente Domino veniet ipse Dominus ad hoc Regnum potenter. Compescite igitur gentem vestram, & socios, ut patiantur & sint nobis obedientes, nec acquisitas nobis Terras ulteriùs destruant, ut possimus ab eis recipere pecuniam opportunam.* Cui præfati Caporales dixerunt: *Domine, quod dicis bonum est, & dignum fieri. Sed quia, ut scitis, tantam habemus pecuniam à vobis recipere pro gagiis nostris, promissum jam est per Theotonicos nostros præfatos Dominum Robertum & socios pecunia liberandos, nescimus tamen si cum conscientia vestra. Scitis enim pacta habita inter vos & nos, qualia fuerint, videlicet, quòd si contingeret nos aliquod committere prœlium, quo nobis victoria cederet, sicut contigit in præsenti, quòd duplicata per vos fieret nobis paga & mensis completus. Et sic rationabiliter habemus à vobis recipere pecuniam innumerabilem. Modò ergo quia videmus vos carere pecunia, non curamus de duplicatione pagæ, sed simplicem tantum quærimus pagam; & providimus, quando ipsa caretis pecunia, per dictos Regni Magnates, quos captivos habemus, pecunia liberari nostris gagiis convertenda.* Iratus itaque Dominus supradictus verbis assertis, ait Caporalibus illis: *Ecce video vos quasi proditoriè loqui, quia de captivis, quos teneo, vos per compositionem promisistis liberare eos. Quomodo absque conscientia nostra egistis tractatum hujusmodi? In simili casu possetis me & meos tradere in manibus rebellium Regiorum. Ubi est fides vestra probata? Quale de vobis testimonium referam Domino meo Regi? Nonne diffiteri posses tu, Domine Corrade, quòd die commissi prœlii non fuisses captus in prœlio cum pluribus tuæ sequelæ potentiâ æmulorum, & captivus Neapolim ferebaris, & vestra parte prœlium erat amissum, nisi Hungari nostri inimicorum ferientes à tergo te recuperassent in pugna, & amissum per vos prœlium revicissent? Quomodo ergo absque conscientia nostra promisistis captivorum rescattum, qui eos non cepistis in pugna?* Responderunt igitur Theotonici illi dicentes: *Et nos etiam victores prœlii fuimus, sicut & Hungari vestri. Et si Dominus Corradus captivus fuit, ut dicitis, & nos & Hungari vestri liberavimus illum. Non totam laudem convicti prœlii dicite vobis. Quidquid tamen sit, petimus gagia nostra*; & his verbis utraque parte turbata factus est magnus tumultus.

Tunc videns Dominus Vayvoda tumultum semper augeri Theotonicorum universorum super eum petentium eum statim gagiorum pecuniam eis dari, sapientissimè cogitavit, & dixit coram omnibus palàm: *Nobilissimi fratres Theotonici, placet mihi, quod vobis placet: Unum tamen vos peto, quòd pecunia habenda pro rescatto captivorum Dominorum vestris gagiis deducatur, à quibus potestis exigere centum millia Florenorum. De restante pecunia ponam penes vos obsidem Nicolaum filium meum vobiscum in Alamanniam deportandum, quousque satisfiat vobis per Regiam Majestatem.* Tunc Dux Guarnerius velut homo magnificus & magni consilii primus alloquens dixit: *Theotonici fratres, ecce audivistis verba Domini Vayvodæ, & satis videntur consona rationi. Faciamus ergo quod dignum sit honoris & laudis Regiæ Majestatis, & fideliter servire animemur deinceps. Scimus etenim omnes, quia diu Dominus Vayvoda ad Dominum Regem misit pro habenda pecunia, quam propter loci distantiam venisse facile non est. Consulo igitur, ut captivos Dominos in nostris manibus resumamus, & eos ad decentem rescattum comprimamus eorum flagello corporeo, & deinde præstolabimur per dies aliquos, si venerit pecunia ad Dominum Vayvodam, infra quos nisi venerit, rescatti pecuniam recipiemus ab ipsis; & pro reliquo paratus est Dominus Vayvoda filium dare nobis.* Placuit omnibus talis assertio, & anxio quidem animo Theotonici vadunt captivos illos ducere ad torturam. Quos suscipientes inducunt ad horribilia tormenta pressuros. Retulit mihi quidam Hungarus Notarius Nicolaus Secretarius Domini Vayvodæ, quòd Rogeronum Comitem Tricarici primum torturæ dederunt, & eum prosternentes in terram quasi super trabem maximam ambulantes nudatis vestibus ventrem suum calcibus opprimebant, & deinde urentibus viminibus ligneis carnem suam finè misericordia verberabant, & adeò quòd totum corpus suum à planta pedis usque ad verticem sanguinem emanabat. At ille semivivus non potens ampliùs sufferre tormenta, clamabat, se daturum omnia bona sua. Tamdem composuit in triginta tribus millibus Florenorum. Similiter eisdem Domino Roberto, & Domino Raymundo de Baucio, hæc eadem tormenta inferentes, ad compositionem eamdem eorum quemlibet admiserunt solvendam per eos infra mensem unum completum: quo veniente soluta fuit dicta pecunia centum millia Florenorum Theotonicis ipsis, quæ juxta pacta præscripta fuit eis deducta in pagam. Sed priusquam præfati Dominus Raymundus, & Dominus Robertus, ac Rogeronus liberarentur, Dominus Vayvoda vocavit eos ad se dicens: *Licèt sacramentum vestrum nullius sit fidei, quum aliàs in manibus Domini nostri Regis juraveritis esse sibi fideles, quo meremini decollari propter jusjurandum confractum, & proditionem per vos commissam, quare in prœlio vestra proditio vos præcipitavit ab equis, iteratum peto vos in manibus nostris sacramentum præstare, jurantes, quòd amodo Domino nostro Regi fideles eritis, non rebelles.* At illi petente Domino suprascripto juraverunt super Sancta Dei Evangelia esse deinde fideles Domini Regis Hungariæ eorum vitæ tempore, & contra suos rebelles cum tota eorum potentia militare deinceps. Quod consequenter minimè servaverunt. Et acceptâ licentiâ Neapolim abierunt, de quorum liberatione Neapolitani

Ci-

Cives universi lætantur.

Post hæc dissolutum genus Theotonicorum, incœpit iterum clamitare, & impetere dictum Dominum Vayvodam de habendis reliquis gagiis, quæ dictus Dominus non valens solvere, nesciebat quid ageret, & timebat, ne prætextu verborum talium interciperetur proditoriè à Theotonicis ipsis, & fortè in manus daretur pecuniali pretio Domini Lodovici. Incipiebant autem Theotonici plures sui exercitus cum Neapolitanis stipendiariis & Civibus, cum quibus hactenus fuerant inimici, esse quasi in treuga, & sub spe treugæ esse ad eorum velle in Civitate Neapolis. Quod etiam nuntiatum est dicto Domino Vayvodæ. Erat autem in dicto exercitu quidam Theotonicus, cujus nominis non recordor, satis dilectus & intimus Domino supradicto, qui inquirens de talibus actibus Theotonicorum, quæcumque explorabat ex illis, dicto Domino referebat occultè. Et ecce quodam sero proditoriis tractatibus consequutis ordinaverunt Theotonici ipsi sequenti die sub colore petendorum gagiorum personaliter comprehendere Dominum Vayvodam supradictum. Quod sentiens Theotonicus ille dicti Domini fidelis abiit ad ipsum Dominum, nuntians sibi causam parati mysterii. Tunc Dominus Vayvoda, convocatis Hungaris suis omnibus in secreto, mandavit eis, quòd unusquisque se paret in Apuliam protinus remeare. Et subitò nocte ipsa dictus Dominus cum universis suis Hungaris recessit Aversa. Quod Theotonici sentientes, fremebant dentibus contra eum, quòd frustra pervenerat tractatus eorum. Et plurimi quidem Theotonici clamabant post ipsum Dominum, ut quid fugeret ita de nocte, & non de die recederet; quibus responsum est: *Ecce usque ad diem claram exspectabimus foris in campo; si quis enim proditor velit offendere nos, veniat offensurus.* Processit autem dictus Dominus continuatis diebus usque Manfredoniam. Theotonici verò, qui remanserant in Aversa, videntes dictum Dominum ita subitò recessisse, non quòd omnes scirent proditionem paratam, varii facti sunt in momento. Et multi quidem ex eis, videlicet Berardus Grassus, & Berardus Macer, Theotonici Comestabuli, aliique plures, qui dictum Dominum diligebant, recesserunt Aversa, & apud Manfredoniam unà cum Domino Ursillo Minutulo de Neapoli pervenerunt in numero inter omnes quasi equites quadringenti. Quos idem Dominus amicabiliter secum suscepit. Alii autem, qui cum dictis Duce Guarnerio & Corrado Lupo remanserant in Aversa, cœperunt velut lupi glutire & dissipare miseros Aversanos, illosque penitus disrobare usque ad ultimam paupertatem. Et facta strage simili in locis omnibus amicis & inimicis, in quibus subitò potuerunt irruere, ea penitus consumserunt, steteruntque ibidem in partibus Terræ-Laboris usque ad Festum Natalis Domini.

Tractaverunt autem post discessum Domini Vayvodæ cum Domino Lodovico de Tarento & Neapolitanis Civibus treugam subscriptam; quòd Dominus Lodovicus unà cum Neapolitanis Civibus dabat ipsis Theotonicis centum millia Florenorum, ut ipsi Theotonici permitterent eos vinum recipere ex arbustis eorum, & deinde usque ad Natale Domini pacificè transire cum eis. Quòd si contingeret infra tempus ipsum Regem Hungariæ venire in Regnum, quòd iidem Theotonici, si vellent, servitio redeant dicti Regis. Si verò momento ipso non

A venerit, quòd ipse Dominus Lodovicus solvat ipsis Theotonicis alia centum millia Florenorum, & ipsi Theotonici Castrum Aversæ, & Turres Capuæ, aliaque fortilitia Terræ-Laboris, quæ in manibus sunt eorum, resignent dicto Domino Lodovico, & ad stipendia sua redeant. Et sic fuerunt inter eos hæc pacta firmata. Ex quibus gaudent Neapolitani Cives, & universi illius provinciæ viri, quòd dudum inimicus exercitus factus est eis amicus; & super omnibus gaudet Dominus Lodovicus eo præcipuè, quòd inimicus Vayvoda de nocte recesserat cum suis Hungaris à suo exercitu, quem pararat, & versùs Manfredoniam pervenisset spe redeundi Hungariam. Et sic credebat Re-

B gnum sibi restare, nullo sibi superstite inimico. Magnum itaque per universas Terras sibi subditas celebratur præconium. Sed ultimò spe fuit vana deceptus. Ii autem Theotonici, qui in Aversa restarunt, tanta strage vivebant, quòd infra modicos dies victualia defecerunt, nec inveniebant aliqualiter ad emendum. Oportuit eos velle nolle provinciam relinquere Terræ-Laboris. Dux autem Guarnerius, qui ut præfertur, Capitaneus Corneti fuerat factus per Dominum Vayvodam supradictum, pœnituit se consensisse promissionibus factis dicto Domino Lodovico, eo quòd juraverat tempore vitæ suæ non esse rebellem vel arma sumere contra Regem Hungariæ, vel exercitum suum. Et sic

C ampliùs stare nequiens in provincia illa, recollectis suis sequacibus equitibus octingentis, versùs Romam, & deinde in Alamanniam militare providit, & abiit. Dominus autem Corradus, & alii Comestabuli plures, dimissis Custodibus in Castro Aversæ, & Turribus Capuæ in provinciam Capitinatæ cogitaverunt redire, dimisso in Civitate Theyani Domino Armagno Fretza cum equitibus quingentis in auxilium Castri & Turrium præfatarum, aliorumque locorum fidelium dicti Domini Vayvodæ defensionem, quæ erant in provincia Terræ-Laboris. Quoniam pœnituerat unumquemque pactorum

D factorum cum dicto Domino Lodovico, opportunitatem quærentes reconciliare se ipsos cum Domino Vayvoda supradicto. Et dimissâ per eos provinciâ Terræ Laboris cœperunt dicti Theotonici per alia loca montana Vallis Beneventanæ rebellia dicto Regi promtiùs militare, acquirere, & prædare, concurrendo cum eis per loca eadem nobilissimos Dominos Lodovicum Comitem Apicii supradictum & Johannem de Fontanarosa, fidelissimos Regiæ Majestatis, qui rebellia loca Regia ipsius provinciæ cognoscebant.

Pervênit autem Dominus Vayvoda in Manfredoniam cum Hungaris suis. De cujus accessu subitò universi videntes stupebant. Ubi dum applicuit, fideles omnes occurrerunt ad eum,

E scire volentes, qualis causa fuisset sui reditus de partibus Terræ-Laboris. Quod licèt palàm non diceret, tamen ex multis loquutoribus, qui cum eo fuerant, statim scita fuit sui causa recessus. Concurrunt ad eum de omnibus Terris sibi fidelibus viri multi, & omnes Theotonici, qui cum Domino Malispiritu, & Thoma Pauli fuerant præterita æstate contra rebelles Regiæ Majestatis, pervenerunt ad eum offerentes se promtos servire, & esse ad sua stipendia pro Domino Rege jam dicto. Quos idem Dominus Vayvoda sciens, quòd fideliter servivissent in partibus Terræ Bari cum Domino Malispiritu, & Thoma Pauli, secum admisit ad stipendia Regia, & cum eis suisque Hungaris contra rebelles

belles Regios militare disposuit. Erat autem eo tunc Angelus Domini Gualterii Caporalis noster in Civitate Bitonti cum omnibus suis sequacibus. Et scito adventu Domini supradicti, dixit universis sociis; *Ecce scimus, Dominum nostrum Vayvodam nuper venisse Aversa. Eamus ad eum. Sed antequam pergamus ad ipsum, militemus super inimicos nostros apud Gravinam, ut sciamus aliquid intentionis eorum*. Tunc equitavimus omnes à Civitate Bitonti, & ad Campanile Rubi pervenimus, quod pro Domino Malispiritu servabatur. Ubi recepti Theotonicos decem illos ad lucrandum nobiscum venire rogavimus, qui nobiscum sponte venerunt, & sic inter omnes eramus equites septuaginta. Accessimus igitur ipso die ab hora Vesperarum, & continuato itinere pervenimus prope Gravinam quasi media nocte. Ubi dum applicuimus, recondimus nos & equos nostros in Lama Sancti Eustasii longè à Terra Gravinæ per milliare unum vel circa. Et ecce subitò magna invaluit pluvia, & tenebræ maximæ, quibus unus alterum non videbat. Et ecce quasi circa auroram venerat Gregorius Sclavus, & socius alter, quos miseramus Guaranionum deferre hordeum, panem, & vinum, qui pro magnis nocturnis tenebris competentiori hora ad nos venire nequiverant. Præmiseramus autem eadem nocte ad Silvam Gravinæ Johannem de Abriola, Russum de Palma, & certos alios usque decem, ut summo mane apud Ysclæ locum facerent prædam, & cum præda ipsa juxta nos pertransirent.

Ecce clarescente die defecit pluvia. Posuerat autem idem Angelus insidiatores Robertum de Buccha, & me Notarium Dominicum in Ecclesia Sancti Andreæ de la Guardia, quæ in cacumine stat montis Petræ Magnæ. Unde videbamus ingredientes & egredientes à Terra, & paulò minus audiebamus omnia quæ verba dicebant. Ubi per horam maximam stantes quasi circa horam Tertiarum vidimus viros duos veloci cursu venientes de partibus Ysclæ clamantes: *Redeat unusquisque ad Terram. Ad arma; quia modici equites fecerunt in Yscla maximam prædam, & abeunt versùs Ponticulam*. Hoc facto rumore unusquisque redit ad Terram, & tumultus maximus fit ibidem clamantis Populi, & sonitus campanilis. Occurrunt igitur universi viri Gravinæ ad arma pedes & eques in numero infinito currere versùs Ponticulam, unde erant transituri cum præda socii nostri. Et primi quidem exeunt pedites infiniti, credentes prædatores illos potiores non esse, ut priusquam secedant longiùs, impediant prædatores. Nos autem, qui in insidiis manebamus, cautè discessimus à loco illo, & pervenimus ad socios nostros, ubi erant reconditi. Quibus retulimus negotii causam. Et ecce præda maxima infinitorum animalium, quæ ferebatur per socios nostros, & versùs nos recto tramite præteribat. Et post eos magni tumultuantis Populi sequuti eosdem. Tunc jussit Angelus, quòd omnes protinus eques essemus, & super tumultuosum Populum curreremus audacter. Sed si paulò plus tardavissemus, totum illum Populum in planitie Ponticulæ de facili cepissemus. Egressus est igitur unusquisque nostrûm de imboscamento illo, & super illum Populum cucurrimus cum furore, quibus potuimus minimè lædere, quia ad fortilitia Vinearum Montis Plagisii se salvarunt. Et sic exinde cucurrimus ante Terram. Et ecce universus Populus congregatus ad arma viriliter irruunt super nos cum armis, lapidibus, & balistis. Nec omnes veneramus ante Gravinam, quum multi nostrûm hinc inde prædando ivissent. Eramus ibi fortè, ut existimo, quasi viri quadraginta, & impulsi nimium jactibus balistarum & lapidum multorum virorum, qui in fortilitiis parietum & hortorum sistebant, passim passim retrocedere jussi sumus. Quum autem retrocedendo pervenimus ad hortum Jaconi Gualterii, in quo est angustus transitus equorum propter iter lapideum & cavernosum, irruit super nos universus Populus Civitatis, & crebris in nos balistarum & lapidum jactibus ferientes nos mortaliter, affollabant, quia per cavernosam viam cum equis fugere nequiebamus. Sed vi armorum patientes illorum insultus passim passim præteriimus locum illum, & in planitie Vallis Sancti Stephani fuimus extra illos. Maxima autem turba peditum dictæ Terræ per Gravinam pervenerat, ut nos. Sed idem Benutus securim acutissimam secum gerens ex exteriori parte januæ ipsius ferire incœpit, & ipsam Portam modicâ horâ confregit.

Angelus verò jamdictus & alii socii ingressi fuerant domos Episcopi rectâ portâ, & apertâ januâ Salæ magnæ pervenerunt ad portam cameræ ipsius Episcopi. Et sic ex utraque porta cameræ dirus sibi erat insultus. Ipse autem Episcopus sentiens ex utraque parte seu porta potentem insultum, timidus ab una janua ad aliam semper ibat dicens: *Amici carissimi, rogo vos, dicite mihi, qui estis. Supplico ut quicumque sitis, misereamini mei*. Cui dicebant: *Redde te in manibus nostris, & non timeas mori*. Quibus ipse: *Est ibi Angelus Domini Gualterii, ut me reddam in manibus suis?* Cui loquitur Angelus: *Sum heic: aperi, & redde te mihi secure*. At se potiùs portas firmabat, credens sibi à Terra succursum adesse, & rumorem facere, ut sentiretur per Terram. Tunc prædictus Angelus, vocato prædicto Benuto, qui securim habebat, jussit confringi portam ipsius cameræ. Nam ex alio latere, ubi fregerat primam portam, erat & alia porta contigua fortior prima fracta, in quam ferire non poterat propter arctitudinem loci. Pervênit igitur ad portam rectam Salæ, & percutiens ipsam portam penitus illam confregit. Et tunc clamavit Episcopus: *Misereamini mei amici: ecce in vestris manibus me reddo captivum*. Ingrediuntur tunc cameram idem Angelus, & plures cum eo, & ceperunt ipsum Episcopum habentem tantum jupparellum in dorso, & stivalia in pedibus suis. Cui Angelus: *Domine Episcope, quando tibi displicui, ut mihi fieres inimicus & persequutor mortalis, & domorum tantarum nostrarum sine misericordia dissipator? Unde tibi hoc ò alienigena! quare fecisti?* Qui respondit: *Domine Angele, peccatum meum me induxit ad tales actus improprios, ut finaliter mala morte perirem. Sed quia hoc meritò patior, patienter ferre memor sum. Quidquid tamen sit actum, spero nobilitate vestra salvari hac morte crudeli, quia Prælatus sum licèt indignus*. Tunc ingreditur Ferracius noster socius, habens secum duos ardentes cereos & dixit; *Ergo tu es Episcopus, qui habitum tenes velut perfidi Malandreni?* Et percussit eum in ore ardentibus cereis supradictis, subridens & dicens: *Prophetiza nobis Episcope, quis est, qui te percussit?* Tunc Angelus iratus contra Ferracium actu tali, jussit illum bene custodiri per Syrmadium, & Colam de Sterchio, & foras abduci ad alios socios. Quem suscipientes eorum custodiæ, apposita sibi in ca-

canna mayştra corda baliştæ , ipsum ab eadem camera eduxerunt. Et inter hæc media præfatus Domnus Theodorus Lat..... o occultè recesserat à dicta Ecclesia , & per quamdam ripam se præcipitans abiit , & excitatis à somno quampluribus nostris æmulis prædixit adventum ejusdem Angeli , & sic factus est rumor maximus inter Cives. Qua de re omnes inimici nostri acceptis sibi funibus volebant se de muris descendere , ut salventur. Sed maledictus ille Presbyter cœpit dicere omnibus: *Scitote, quòd Angelus non nisi cum sociis suis est fortè triginta. Nullus ergo fugiat, sed eis viriliter resistamus.* Tunc Cives universi catervatim dicebant : *Melius nobis est mori in bello, quàm pati destrui Civitatem , & nos hinc inde ire dispersos. Paremus ergo nos eis obsistere , & convincemus forsitan eos, qui modici sunt.* Erat autem hora quasi mediæ noctis & ultra.

Consurgit igitur universus Populus dormiens, & magnus crescit gentium ululatus in Terra; & tunc jussit Angelus Portam Civitatis veteris factam & fortificatam de novo per eumdem Episcopum à nostris sociis bene ferrari, & lapidibus fabricari post eam . Sed improvidè fecit, quoniam consultum fuerat in Communi , antequam ingrederetur Civitatem , quòd ipsis ingressis statim quosdam vicinos contiguos nostros amicos vocari faceret, qui reliquos nostros interiores amicos de domo in domo clamarent, priusquam fieret ullus rumor, cum quorum auxilio egissent cautiùs suum factum. Quod quia non egit, nullus secum in auxilium esse potuit. Sed communi rumore territi, omnes abesse curarunt, quia sic opportunum erat speratis auxiliatoribus ipsis. Nos autem cum Hungaris, qui extra eramus, audito tanto rumore gentium Civitatis, statim Thomas Nicolosi nuntios duos equites misit apud Canusium ad Corradum Portanora prædictum & socios , ut statim in nostrum auxilium pervenirent, quoniam per nos erat acceptum fortilitium Civitatis . Et euntibus illis nuntiis statim misit ad dictum Angelum in auxilium socios viginti pedites, qui nobiscum extra manebant. Qui protinus se paraverunt ad iter. Et ecce universus Populus Civitatis ipsius distribuitur per guardias mœniorum, quia nos circa Terram sentibant manere, ne cum scalis ascenderemus per muros . Reliqua verò gens Terræ, scilicet hominum, cum vocibus & insultibus contra dictum Angelum & socios impugnare nituntur jactibus balistarum. Habebat autem dictus Angelus secum balistarios ultra viginti quinque, & nostro fato misero nullum eorum jacere consensit in turba virorum Civitatis, quoniam si consensisset in turbas jacere repugnantium, verè nullus adstitisset eis pugnator. Nam credebat idem Angelus blandis verbis & bonis convertere Populum Civitatis, dicens sic : *Gravinensis Popule mi dilecte : Nonne recordati estis beneficiorum tantorum impensorum vobis per me præterito tempore pacis? Nonne ego vobis eram apud Officiales Dominorum nostrorum clypeus & defensor? Unde ergo me quæritis impugnare ? quare suasionibus inimicorum meorum creditis , & oblitis beneficiis mori vultis in pugna? Ecce balistarios meos plurimos, quos habeo, jacere in vobis prohibeo catervatis, quia nox est præcipuè, ne jactu balistæ contingat vestrum aliquem, quem noluero heic perire. Si quis ergo mihi inimicus capitalis non est, quos modicos esse credo in vobis, de loco ipso discedat, & ad suum domicilium securè dormiturus accedat. Nam firma fide pro-*

A *mitto, non nisi capitales inimicos juxta posse offendam , alios qualescumque habebo more pristino valde caros ut fratres .* Ad quæ verba quasi in persona omnium gentium clamabant nostri æmuli: *Mentiris tu proditor Angele, quia nullus est tibi in hac Terra amicus; quoniam nos destruxisti in actione prædarum. & es etiam Dominæ nostræ rebellis.* Tunc coactus Episcopus submissa quasi infirma voce clamabat : *Vivat Rex Hungariæ; clamate sic omnes vos Popule, qui adstatis, quoniam ut video & cognosco, hic Angelus, quem sui vos æmuli dicebatis ignobilem , nobilis & perfectus est homo . Consulo igitur vos universum Populum, qui adstatis, ut inimicos ipsius Angeli separetis à*
B *vestro gremio , & sibi penitus adesse benivolè studeatis.* Est autem moris in Populo qualicumque, ut si unus vel duo proclament in moto tumultu, Deum non esse in cœlis, omnes ita proclamant. Et sicut inimici nostri dicebant, sic & omnes tumultuosè clamabant, & his verbis ratiocinantes ad invicem , Populus semper crescebat in loco.

Tunc ait Episcopus dicto Angelo : *Domine Angele, quia magno frigore vestibus nudatus affligor, & sum graviter vulneratus , supplico ut me operiri quadam clamyde faciatis, quoniam sum delicata persona, non solitus mala pati .* Tunc jussit Angelus quadam cappa cooperiri eumdem in scapulis; & ait idem Episco-
C pus : *Domine Angele, dic mihi : habes aliam gentem extra Terram in auxilium tuum ?* Cui Angelus : *habeo satis.* Et ille : *Ecce ostendam tibi locum & viam, qua per fundum Gravinæ contra Civium voluntatem poteris in Terram & locum istum inducere, si volueris, gentem tuam. Recipe ergo claves Portarum Terræ hujus in tuo dominio , & facias totam gentem in locum istum intrare.* Cui Angelus : *Non nunc , sed facto die.* Et ecce inter hæc verba, susurrante universo Populo, pluribus animalibus sistentibus sub Castro veteri Civitatis, quidam Sanctorus, Camastra nomine , vas plenum oleo in Porta dicti Castri veteris projecit auxilio tenebrarum, & umbra animalium prædictorum , & conse-
D quenter non videntibus nostris sociis restucium & ignis imponitur januis dicti Castri. Et subitò ignis flamma concrevit auxilio olei conspersi in Porta. Tunc Ciccus de Gregorio, & Micculus Judicis Martucii auditis verbis dicti Episcopi de ingressu reliquæ gentis nostræ, quem dictus Angelus differebat in diem, recesserunt ab eo , & exeuntes per locum, quo ingressi fuerant , ut venirent, nos , qui extra eramus, vocare, ut cum eis intraremus in locum fortilitii , obviaverunt illis viginti sociis in Sancto Demento in Gravina, euntes in auxilium superiorum sociorum nostrorum, quos, ut citiùs irent, confortaverunt dicentes, Terram esse nostram. Et petito ab eis, ubi essemus nos, qui extra eramus, & illis dicentibus in Sancto Aroncio, idem Ci-
E cus & Micculus ad nos venêre festini. Sed malè fecerunt, quoniam ab ipso Angelo recesserunt. Nam socii alii, qui remanserant cum Angelo in custodia fortilitii , videntes ignem appositum, mortis timore concepto, unus post unum dimissâ defensâ fortilitii fugiebant . Et primus quidem post exitum dictorum Cicci & Micculi, fuit Coccella , qui non contentus suo solo recessu, ad fugiendum alios inducebat , quibus obviabat in via , & tali principiatore post modicam horam in fortilicii custodia pauci restarunt. Et sic descendentes hujusmodi obviantes, sociis ascendentibus illis, eos retroce-

dere induxerunt, inimicorum potentia fore ruptos. Tunc videns Angelus, quòd janua fortilitii comburebatur, fecit priùs eam fortiùs fabricare per quosdam, & per quosdam alios aquam deferri ad extinguendum ignem. Quia verò ex magno frigore noctis idem Episcopus quasi moriebatur illic, illum in Ecclesia Duci permisit.

Et ecce nuntiatum fuit sibi, cum eo modicos socios restavisse. Tunc vocavit Domnum Guillielmum, Sirmadium, Johannem de Churi, & Johannem de Abriola, & certos alios socios, & dixit eis: *Ecce videmus Chiccum & Micculum & omnes socios abiisse cum eis, & Porta comburitur loci hujus. Quid facimus? abeamus?* Et dixit: *Sic ergo vivum Episcopum dimittemus?* Et euntes ad Ecclesiam, evaginato gladio illum occidere nisus est dictus Angelus, sed nequivit defensa multorum. Recessit igitur idem Angelus, & omnes cum eo, nobis, qui extra eramus, ignorantibus de recessu eorum. Et ecce prædicti Chiccus & Micculus venerunt ad nos dicentes: *Domini Hungari, & omnes socii gaudete, quoniam nostra est Terra. Venite nobiscum, ut simul intremus.* Et dum pararemus nos velle cum eis ad locum accedere, ecce Coccella & plures alii cum eodem semivivo verbo venientes ad nos, & magno quidem timore & rubore confusi vix valebant exprimere causam fugæ. Et ecce unus post unum infra horam modicam ad nos, derelicto tanto fortilitio, fugerunt. Et recedentes nos confusi ex loco illo Sancti Aroncii pervenimus in pristino Sancti Stephani, reliquos socios exspectare, ubi invenimus miserum Angelum suo fato coxam fractam habentem in descensu cujusdam ripæ minoris, ubi nisi casualiter abinde pertransissent Johannes de Abriola, Urso de Palomba, & Andreas Albertinus, qui cum eo intus fuerant, & post eum exiverant, remansisset in manibus æmulorum, ut fortuna sua non falleret, ut quoties eum equitare contingeret, sibi periculum sui corporis eveniret. Quem videntes sic præfati Hungari & nos tanta læsione gravatum, valde fuimus contristati, quoniam si idem Angelus salvus exiisset de sua persona eo die, maxima strages facta fuisset in Terra animalium & virorum. Sed ut firmiter credo, tantum malum Deus noluit consentire, priùs illum in personam suam maculari permisit. Videntes autem Hungari laborem suum & nostrum fore frustratum casu Angeli prælibati, dixerunt: *Domine Angele, si juxta nostrum consilium tu fecisses in Civitatis ingressu, vix tale fortilitium fuisset amissum. Sed quia noluisti, imputetur vobis. Tædet nos mali tui; amodo ex tuo casu mali non licet nos potiùs heic morari. Studeamus ergo abire, & de tua salute pensare.*

Tunc sociis omnibus adunatis recedere cœpimus, dicto Angelo posito super unum jumentum ad bardam. Quum autem fuimus parati ad iter, credens ego quòd Domnus Guillielmus frater meus nobiscum adesset, ecce Philippus nepos meus parvulus, jumentum custodiens dicti fratris mei, ad me pervenit dicens: *Domnum Guillielmum invenire non possum infra nostram turbam, ut sibi assignem jumentum.* Quod audiens ego pallui semivivus, dubitans ne in Terra interceptus fuisset per multifarios inimicos. Tunc remansimus paulò post omnes Ego, & Chiccus de Gregorio, & cœpimus interrogare singulos, si vidissent Domnum Guillielmum exire Terram. Et quisquis respondebat non vidisse illum, nisi in Terram. Quidam verò nomine Paulus Castanea de Bitonto dicebat mihi, firmiter vidisse Domnum Guillielmum secum exiisse de Terra usque ad fundum Gravinæ. Sed quò ivisset postea ignorabat, & sic cum eo quidam alius affirmabat. Quo audito, statim idem Chiccus & ego, vocato dicto Philippo nobiscum, circa Terram Gravinæ cœpimus equitare, & deinde per altum Petræ Magnæ quærendo & clamando, si fortè timore inimicorum non nobis inventis in locis illis fuisset absconditus. Nec illum potuimus invenire. Et dum per loca talia nos iremus pulsatâ campanâ, unusquisque Gravinensis Populi armata manu ingreditur dictum fortilicium per nos lapsum. In quo invenere quemdam de Bitonto miserum dormientem in Campanile, qui per subitum recessum miseri Angeli dormiendo remansit ibidem. Quem Thomas Forra sibi accipiens in excambium sui fratris in Bitonto captivi apud socios nostros, in domo sua portavit, eripiens illum morte. Alius autem miser inventus est restasse ibidem, qui in manus incidens æmulorum gladiis fuit incisus.

Magnaque laus & festum inchoatur in Terra, quoniam à tanto nos fortilitio expulerant. Sed ut majus dedecus nostrum esset, dicti Angelus & socii fugientes à fortilitio illo nemine insequente, tanto timore fugiendo præibant, quòd dimissis ensibus, bacinectis, & armis per ripas Gravinæ, illa sibi post recipere formidabant. Per quæ loca descendens Populus ille arma illa tollebat, & post nos viva voce clamabant injuriantes: *Quò pergitis proditores! volvite vos ad bellum. Ecce in quo sperabatis prœlium convicisse, duos socios dimisistis. Quid igitur, si exspectavissetis in campo, lucrum fuisset vobis in bello?* Ut autem Chiccus & Ego dictum Populum audivimus alloquentem, cogitavimus statim Domnum Guillielmum inimicorum manibus incidisse, & dolentes nostro fato, sed potiùs damno fratris lugentes abiimus, & adjunctis aliis sociis & Hungaris in planicie Sancti Pauli, Hungari versùs Andriam, & nos versùs Bitontum rediimus dolentes & tristes. Ubi quum applicuimus condolentes de casu Angeli, sed potiùs ego fratris amissi, misera mater mea & soror ululantes & flentes de prædicto filio macerantur, licèt juxta verbum prædicti Pauli dicerem vivere posse illum. Et ecce post tres dies me in domo in luctu manente vênit quidam carus amicus meus nuntians mihi dictum fratrem venire, & esse prope Bitontum. Ad quem occurrens avido animo, eo viso dimisi dolorem intrinsecum per oculorum palpebras, de invento fratre deperdito congaudendo. Occurrunt omnes socii lætantes & mecum, à quo scire volumus, qualis sibi casus evenit. Qui licèt vix narrare poterat quarti jam diei fame convictus, retulit, quòd in primo exitu facto per eum casualiter devênit ad Jardenum, quod fuit Caccivillari. Et constituens se in altum, quo nos videre non potuit, timens ampliùs fugere, quum non posset armatus, reposuit se in una cryptarum illarum, unde singulos Gravinenses perquirentes hinc inde videbat. Sed benedicto Deo nullus ad locum illum accessit. Cessante igitur querela gentium, apposuit fœnum & petras ante portam cryptæ illius, & stetit, ubi per horam modicam conquiescens, horam noctis instantis exspectans, fessus somno perdito noctis præteritæ, & labore raptus à somno dormivit à mane usque ad vesperas. Et evigilans se ipsum, cogitabat quid esset facturus. Facto autem sero tardo de loco illo recessit, & tota nocte ambulans bono passu lucescente die invênit se esse in pla-

planicie Maricelli. Sic per tenebras noctis præteritæ erraverat ea nocte. Sed recordatus, luce diei se salvavit in Murgiis, ubi quum adfuit fatigatus itinere, somnolentus recubuit, cerebrum vacuum fame tenens. Ubi per bonam horam permanens dormiendo, evigilans se surrexit, & depositis lorica & aliis armis suis ibidem sub spleca, ensem tantum habens in manibus abiit, & ambulans juxta posse, vix tota die potuit pervenire ad Domos Episcopi Bitontini in plano Matinæ. Ipsa autem nocte volens amplius pergere versùs Bitontum, fame convictus capite vacuo nesciebat, quò iret. Sed nitens se ipsum salvare Bitontum, pedetentim pervênit ad Silvas Bitonti. Quò dum applicuisset, fame convictus & labore itineris, plus ire nequibat, & ibi dies suos finire credebat. Ecce fato suo volente contigit quemdam Bitontinum irruere super eum cum Somerio uno ligna incidere. Cui per eum vitæ auxilio requisito, compatiens ejus, qui in Bitonto mortuus ferebatur, eum in Bitonto salvum perduxit. Et sic in tanto periculo fuit posita vita sua. Tale nos fatum miserum est sequutum. Dictus autem Angelus coxam fractam habens, vocari fecit Magistrum Tuccium Cirurgicum, & se suæ curæ submisit, qui infra tempus modicum sanus fuit.

Erat autem Quadragesimale tempus in diebus illis. Et tunc Dominus Malispiritus in Andria morabatur, tenens Castrum & Terram Andriæ, & Campanile Rubi. Universi autem Theotonici, qui in Regno tunc erant, partis siquidem Hungarorum, in consumta Civitate Canusii cum quampluribus Lombardis peditibus adunati sunt, dimisso Domino Corrado Lupo in Baronia sua Guillonisii casualiter infirmato. Ubi, ut existimo, congregati sunt quasi virorum milliaria septem pedites & equites. Qui destructâ penitus substantiâ dictæ Civitatis Canusii, singulas domos suas igne cremarunt, ordinatoque inter eos consilio, decreverunt simul accedere per quascumque Regni partes acquirere pro se ipsis, constitutis Caporalibus ad hoc Domino Malispiritu supradicto, qui erat in Andria, Turribacto de Lort, & Berterando de Mocca ibidem præsentibus cum eisdem. Moventur itaque omnes sub tali consilio, & apud Andriam veniunt cum Domino Malispiritu loquuturi, Civitate Canusii dimissa consumta. Et adhærentes Civitati Andriæ, eorum nuntios præmiserunt ad eumdem Dominum Malispiritum nuntiare suum adventum. Ad quos prædictus miles exiens, loquuti sunt super inito consilio. Quod miles ipse se cum eis facturum spopondit. Quia verò Civitas Andriæ dominio suo erat valde fidelis, voluit & rogavit, quòd per eos damnum non fieret Civibus in exterioribus rebus, animalium scilicet & satorum, sed mitè & curialiter pertransirent, quum ipse eorum denario quæcumque necessaria eos emere permittebat. Redit ergo jam dictus miles in Andria dimisso castrametato dicto exercitu in quadam planicie extra Terram, & referens ipse miles Civibus Andriæ causam illorum adventus, ac jubens exhiberi eis necessaria victus eorum suo denario, usquequo miles idem se pararet ad actum causæ initæ, cœperunt Cives Andriæ malo eorum infortunio vacillare, ne per dictum militem contra eos aliqua proditio formaretur. Sed miles bono zelo procedebat in causa. Quum autem viri exterioris exercitus in Terram venire inciperent necessaria comparare, Cives Terræ rugientes susurrabant, & eis necessaria vendere recusabant, in quantumcumque miles prædictus moneret, & diceret importunè. Et vix pro quarta parte gentis illius voluerunt necessaria liberare. Fremebat dentibus itaque miles idem contra homines Andriæ arguendo sic eos: *Cives miseri, ut quid instantibus diebus duobus vestro denario huic exercitui necessaria exhibere negatis? Nonne videtis, quòd nisi noster honor eos compesceret, quòd magna vobis & intollerabilia damna conferrent in satis & animalibus vestris? Numquid libentiùs dammificari quæritis, quàm lucrari? Facite meo consilio curialitatem eis libenter, & nolite corda illorum erga vos profana reduci.* At Cives ipsi credentes se decipi à milite supradicto, clausis janius Civitatis, erga exteriores Theotonicos ostenderunt totaliter se rebelles. Et die finito secundo tota illa nocte vigili custodia permanserunt in muris. Quos miles præfatus de tali rebellione inita corrigebat, admonens semper eos cum exteriori exercitu curialiter pertransire. At illi potiùs indurati, in nihilo consilium dicti militis audiebant. Quia verò dictus exercitus diebus duobus manserat extra Terram absque necessariis sui victus, sequenti die tertio nuntios speciales miserunt ad jam dictum militem, & Cives Terræ dicendo: *Ecce diebus duobus & noctibus curialiter nostro denario necessarium victum petivimus emere, & nobis negatum est. Unde hoc ignoramus. Rogamus vos, ut si nostra culpa sit vestra negatio, dicite nobis; quia sumus emendare parati.* Quibus multiplicatis eloquiis rusticorum, sicut moris est, in rusticos tales importunè responsum est, nolle eos victualia nec vendere, nec donare.

Ut autem miles idem audivit, quoslibet rusticos ita loqui elevata cervice, timuit interesse Populo Civitatis, sed pedetentim retrocessit ad Castrum. Nuntii autem illi, qui pro parte exterioris exercitus venerant, audita responsione superba, reversi sunt ad Caporales exercitus referre responsionem acceptam. Et dixerunt: *Scitote Domini Caporales, & vos universi exercitus viri, quòd homines Terræ hujus de victualibus eorum nostro denario nec volunt vendere, nec donare, quamvis Dominus Malispiritus opportunè & importunè eos rogaverit, dixerit, & mandaverit. Sed quod deterius vidimus, superbo capite dicto militi respondentes, miles idem cognitâ eorum nequitiâ, pedetentim retrocessit ad Castrum. Viros autem Civitatis istius per mœnia murorum ecce cum armis videmus adstare, quasi dicant nobiscum velle pugnare.* Tunc Comestabuli ipsius exercitus, responsione tali suscepta, irati sunt vehementer, & mutuum inter se habentes consilium dicebant: *Ecce jam diebus tribus hodie computato fuimus ante Terram istam, in qua honore Domini Malispiritus nil damnosum egimus seu malum, credentes Cives ipsius Terræ fore nostros amicos, & partis unius; nec ab eis nequivimus nostro denario victualia comparare, & sinè cibo & potu fuimus his diebus. Et quod majus vituperium nobis est, existunt cum armis in muris quasi convocent nos ad bellum. Si voluerimus ante ire, quasi fame convicti ab hostibus convincemur. Unusquisque igitur animosior ad arma concurrat, & rusticorum istorum duritiem & superbiam conteramus.* Tunc jussum est per Capitaneos ipsius exercitus, buccinas bellicas ad arma pulsari, & banniri per totum exercitum, ut unusquisque cum armis occurrat contra rebellem eis Populum Civitatis. Et ecce universi viri ipsius exercitus armis acceptis Civitatem cir-

circumdant, habiliorem locum intrandi Civitatem quærentes. Erant autem infra Theotonicos ipsos certi Comestabuli, utpote Navinger Comestabulus Piscis, Corradus Portanora cum eorum sequacibus, qui quia in recessu Domini Vayvodæ pagam receperant ab ipso Domino usque in præfixum terminum sui reditus in Festo Sancti Georgii, pugnare pro Rege consentire nolebant, quòd fidelissima Terra Andriæ versùs Regem Hungariæ vastaretur; sed irato animo & zelo perfecto repugnabant contra viros exercitus memorati, nitentes pro posse salvare Civitatem jam dictam. Et quum non possent compescere tantam gentem à tali proposito, adhæserunt se loquuturi fideliter cum Janocto Brancasio Nobilissimo dictæ Terræ, quòd contra aggressores Theotonicos viriliter se defendant, qui nituntur destruere Civitatem. Ipsi autem cum omnibus eorum sequacibus destructioni huic nullatenus esse volunt, quoniam ad stipendia regia dicti Regis Hungariæ sunt usque ad constitutum terminum Festi Sancti Georgii, quo Dominus Vayvoda redire promisit; *protestantes expressè, & vestrum testimonium requirentes, quòd vestræ dissipationi interesse negamus. Sed si vultis, parati sumus vobiscum intrare & repugnare bonore fidelitatis regiæ contra vestros hujusmodi aggressores*. Quibus Nobilis ipse Janoctus regratians dixit: *Exspectate modicum, si super verbis vestris alloquar cum Concivibus Terræ hujus*. Et dimissis illis per plures retulit verba promissa.

Erat autem undique circa Terram insultus crudelior ex parte utraque, & consulto ad invicem super verbis prædictis, dubitaverunt omnes illos in Terram immittere, ne proditionaliter id dixissent. Et rediens ipse Janoctus, sapienter regratiatus est eis, & rogavit eos, quòd ab aggressoribus iis se ipsos separent & sequaces eorum. *Alios autem nos adversari volentes, nobiscum sinite repugnare, quia eos cum Dei auxilio convincemus*. Qua responsione accepta præfati Comestabuli cum omnibus eorum sequacibus circa quingentis equitibus & peditibus ultra ducentis versùs Barulum in quadam planicie segregati fideliter abierunt, unde videre poterant finem belli. Duravit autem inceptum prœlium ab hora quasi ortus Solis, & usque quasi erat hora Sexta transacta. Et nihil lucrari poterant super Cives exterioris exercitus aggressores, quamvis ex utraque parte pugnantium balistarum & lapidum jactibus sint percussi. Erat autem Dominus Malispiritus supra Castrum in altum in auxilium quasi hominum Civitatis, arguens semper duritiem Populi, & incredulitatem eorum, qui suo consilio credere noluerunt. Et erat illo tunc miles idem malivolus cum præfato Janocto, & animo grossus, & unus alteri mortis insidias ministrabat. Ad cujus verba contrarium respondebat ipse Janoctus, quòd suo tractatu istud erat prœlium inchoatum, & semper per familiares suos miles proditor appellatur, licèt asserta verba inferiùs non bene perciperet ipse miles. Tamdem perducto ad aures ipsius militis tenore verborum, descendit à Castro, suam tantam injuriam defensurus, restantibus ibi sursum pluribus Theotonicis & Lombardis. Et ecce exteriori exercitu impugnante tota gens ipsius exercitus dirigitur contra Cives erga Portam Castelli, per quam violenter intrandi locus habilior eis erat. Sed resistentibus Civibus ultra posse, exteriores retrocedere compelluntur condensis ictibus balistarum. Et exeunte

A Domino Malispiritu extra Castrum, ad enormia verba procedit contra Janoctum, & è converso. Et his verbis interior briga oritur inter illos; quare miles idem Castrum compellitur introire. Ii autem, qui in superiori Castri parte sistebant, insultu viso contra Militem, acceptis balistis & lapidibus contra Cives defensores januæ Civitatis mortaliter jaciebant, quorum ictibus omnes ab eadem defensione januæ prohibentur. Viri autem armigeri exterioris exercitus videntes Populum Civitatis in defensione deficere, violenter ingressi sunt Civitatem, & armata manu ferocibus gladiis persequuntur Concives miseros & dolentes. Ingressus est igitur universus exercitus in miseram Civitatem, cujus Concives carceribus alligantur, pluribus interfectis. Et in momento tota ipsa Civitas discurritur, & prædatur. O si quis inexaudibilem dolorem & planctum mulierum & puerorum tantorum audisset! Verè si lapideum cor gessisset, eum compati oporteret. O quàm magna sit divitiarum strages imprudentium Civium, quia quod cum lucro vendere noluerunt, cum eorum damno & vituperio spargitur & prædatur! O quantæ mulieres Populares, & Nobiles, virgines præcipuè, violantur in conspectu patrum, virorum, fratrum, & filiorum eorum! quæ sicut hactenus mira naturali pulchritudine laudabantur per universam provinciam Terræ Bari, bonitate, & etiam castitate, sic demum violento vituperio nominantur; quoniam clausis januis Civitatis nulla potuit effugere manus eorum. Non est inter eos, qui compatiatur pudoribus mulierum, sed quisquis earum vituperio animatur. Quæritur ergo prædictus Janoctus per Terram ipsam, & suo bono fato non invenitur. Domus ejus, & bona spoliis convertitur Caporalis, & uxor sua nobilissima & pulcherrima detinetur in thoro. Ipse autem Janoctus levitate pedum aufugiens abiit, & exsiliens murum Terræ se salvavit in Trano, dimissis divitiis suis omnibus, familia, & uxore. Quis posset exprimere illatas injurias & torturas miseris Andrisanis? Quanti per universas Rugas à diversis tortoribus macerantur, absconditas pecunias exigendo? Certè dolores tantos scribere longum esset. Post dies autem tres universi cupiditate libidinis satiati, mulieres, senes, & viduas, atque nuptas, junioribus & pulchrioribus retentis cum eis, apud Barulum vel Tranum permiserunt abire cum filiis & filiabus parvulis, quos præsumtio erat pecunias non habere; omnes enim viros carceribus involutos retinuerunt, diversis torturis flagellando eos usque ad ultimam paupertatem, à quibus infra octo dies universam pecuniam extorserunt. Et demum liberatis omnibus viris ipsis steterunt per dies & dies ibidem usque ad totalem consumtionem & stragem totius Civitatis.

Igitur consumta totaliter quantitate victualium dictæ Terræ, & sufficientissima victualium ipsorum parte in Castello reposita per Militem supradictum, idem Miles cum prænominatis Caporalibus & exercitu inde recessit, Castro ipso bene munito dimisso, & ad initum consilium acquirendi potenter accedunt, & transeuntes Bitonto clausæ sunt januæ Civitatis, exemplo Andriæ Civitatis. Sed dicto petente Milite, & exercitu reliquo, victus & potus & alia necessaria in Abbatia Sancti Leonis eis eorum denario exhibentur; & abinde recedentes in Palo & Bitecto, Castro Merzadro, qui rebelles erant Regis Hungariæ, in eorum transitu deprædantur, & recto tramite apud Casam Maximam mi-

militarunt, quæ Terra Ducis est Athenarum. Applicito itaque universo exercitu ante eam, omnia animalia sua exteriora circum circa prædantur: Cujus Cives & incolæ pluribus invasoribus stupefacti modicorum fossatorum fortilitio roborati occurrunt cum armis se ipsos ab invadentibus æmulis defensuri pro posse. Sed minimè profuit eorum defensio impotentis fortilitii contra potentiam invadentium æmulorum, quoniam in momento rumpuntur velut inermes & modici multorum potentia invasorum. Compelluntur itaque fugere miseri Cives illi ante potentiam exercitus invasoris. Sed multo melius eis fuisset & tutius, si requisitam pecuniam per Capitaneos ipsius exercitus exsolvissent, vexillum Regis Hungariæ erigendo, quàm tantam pati injuriam, & enormia damna. Sed quia verborum Christi fuerunt immemores miseri Casaleni, quæ Evangelista testante sacrosancta cantat Ecclesia, quum dicit: *Aut quis Rex iturus adversùs alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decemmillibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Alioquin eo longè agente rogat ea quæ pacis sunt.* Si ergo iidem Cives miseri sic egissent, tantas illatas injurias, cædes, & damna integra non tulissent. Sed quia eorum superbia & imprudentia abstulit illis signum, dignum fuit & meritò pessimè illos pati. Ingressus est itaque universus exercitus miserum locum illum, & aufugientem Populum post terga feriunt acutissimis gladiis, omni misericordia recessante. Et multi quidem, qui in semibonorum virorum manibus incidebant, salvi fiebant à cæde, pecunia redimendi, clamantes *væ væ*, quia ipsimet aperire bursas eorum manibus propriis noluerunt, sed maluerunt eas ab invadentibus cursoribus lacerari. Erant autem omnes mulieres eorum cum universa quasi robba repositæ in Majori Ecclesia dictæ Terræ, confidentes quasi in fortitudine Campanilis, ubi major pars virorum & Populi fugit se salvare. Circa quam invadens exercitus irruit intercipere singulos, sitientes eorum robbam capere vel lucrari. Sed Populus ille loci lapidibus & balistis locum Ecclesiæ defendentes, præcipuè ex altitudine Campanilis, quod quasi eis lædere posse minimè videbatur. Nec erat aliquis invadentis exercitus, qui prope ipsam præsumeret Ecclesiam adhærere. Et tota quasi die ad invicem repugnantes in ipsa Ecclesia illos offendere non valebant. Tamdem diabolo indicante, qui singula mala dignoscitur operari, quidam impiissimi Lombardi ejusdem exercitus, ligna per totam Terram colligi consuluerunt, restucium siccum, oleum, & pinguedines universas, illasque conspargi sub fortilicio Campanilis. Quod factum est in momento. Tanti insurgunt manipuli & magistri in opere tali malo, & tanta inibi ligna & restucia induxerunt, quòd nullo inducto auxilio ignis appositus posset extingui, & projectu pinguedinum, & oleo super lignis & palea, & ignis maximus asciarum ardentium projicitur super illos, & hora modica vento inducto à dæmone ardua flamma crevit eousque, quousque miseros superstantes quasi consurgens flamma tangebat. At illi de vita potiùs desperati se defensare non cessabant. Sed in vanum erat eorum defensio, quum eis auxilium proximum nullum esset. Tunc videntes Dominus Malispiritus & alii Concapitanii illius exercitus tantam duritiem Populi, potius ad potius indurati, & nolle se ipsos reddere in manibus eorumdem assecurantium metu cædis, cœperunt potiùs fortificare ignem, & fumum, &

A tota nocte ardere sub Campanile præfatum. Ex quibus superiorum defensorum jactibus plurimi sunt percussi, & tanto magìs sæviunt in se ipsos. Lucescente itaque die visum est dictis Capitaniis, non posse superiores defensores accipere posse ignis. Cogitaverunt illud diruere Campanile. Unde vocatis quibusdam de Populo carceratis, aquas ex puteis fecerunt hauriri, & per eosmet in inferiori parte Campanilis in fabrica projici aquas illas in maxima quantitate, per quas decocti lapides igne fortissimo de fabrica caderent Campanilis lapides madefacti. Et sic tali crudeli ingenio bona pars lapidum de coctis per impositas aquas decidit & minuitur à fortitudine anguli Campanilis. Et in tan-
B tum istud egerunt mysterium, usquequo dirutis coctis lapidibus non coctos interiores lapides emergere. Ut autem viderunt fabricam ignis consumi potentia, sequentibus aquis fecerunt per carceratos iterum ignem poni sub Campanile fortiorem igne priori, & illum tota die magìs fortificari præcipiunt per Cives miseros carceratos. Horâ verò proximâ Vesperarum ex magno ignis ardore inferior fabrica Campanilis igne decocta pondere superiori depressa corruit super terram, ubi ultra quàm viri ducenti mortui sunt in ruina Campanilis ejusdem. Et sic nullus defensor superfuit contra eos. Mulieres autem, quæ in Ecclesia tristes erant, ruptis januis per violentum exercitum dictæ Ecclesiæ
C ab ipso exercitu capiuntur, quæ solutis crinibus, & nudatis quasi vestibus perquiruntur pro earum thesauro. Quibus penitus disrobatis extra ducuntur Ecclesiam singillatim, virgines præcipuè & puellæ fornicatoriè violandæ. Pueri earum flentes clamitant apud matres, nec est qui compatiatur tantis stridoribus superstitum maritorum torturis multifariis inductorum. Cujus Terræ universâ robbâ prædatâ omnique ab eis excussa pecunia, dimissis in ea miseris Civibus dissipatis, juratis fidelitatem Regis Hungariæ conservare, recessit universus exercitus.

Et abiit versùs Maulum, quæ Terra fidelis erat Regis Hungariæ, & pro ipso Domino Malospiritu tenebatur, ubi victum necessarium re-
D ceperunt. Deinde Miles idem, amoto suo exercitu, transivit ultra Monopolum, unde ne guastum facerent Civibus, recepit uncias centum. Et deinde apud Casalia Fasani & Fasanelli præteriit militando; & dum resisterent, omnem eorum substantiam januis dirutis abstulerunt, gentem ipsam ad sacramenta similia constringentes. Et deinde ad Terram Potigniani dirigunt gressus. Cujus Terræ Cives, primùm sentito inimicantis exercitus accessu in patriam, fortificaverunt Terram ipsam. Ubi cùm applicuit tantus exercitus, velut sapientes & nolentes brigare cum eis, ad compositionem unciarum centum devenere cum exercitu memorato, quas statim solverunt, ut eis nulla præda fieret in
E eorum animalibus & stabilibus guastum, simile juramentum præstantes servandæ fidelitatis Regi Hungariæ supradicto, exhibentes eis vinum & necessaria illo die gratanter. Deinde Miles idem cum dicto exercitu rediit Castellanum & Torum.

Appropinquabat autem terminus præfixus per Dominum Vayvodam redeundi ad Regnum, sicut promiserat . . . . Convenerunt itaque universi fideles Regis ejusdem alacri animo eumdem Dominum excepturi. O quàm magna fiebant tripudia, hastiludia & gaudia maxima per Civitates & loca fidelia ex adventu tanti Regis ejusdem. Et præcipuè Civitas Biton-

tontina, in qua ego & nostri socii tunc eramus. Ut igitur Rex idem Manfredoniam applicuit, ut præfertur, nuntiatum fuit ei per Hungaros milites ibi superstites, quòd Palatinus Altamuræ cum stipendiariis suis in Civitate Vigiliarum existens per totam Provinciam Terræ Bari . . . . in Terris suis fidelibus destruendo & prædando continuam guerram facit. Ipsoque die petentibus æmulis Regis erat, quòd . . . . . . suum exercitum militare . . . . Eratque coram eo præsens sollicitans Marinus Falzinus de Vigiliis ejectus à Terra per Palatinum, desolationem suam lugens ante Regem, & supplicans super eum suum hostilem exercitum . . . . . . ari. Tunc statim idem Rex jussit præfatis Domino Johanni Chutzo Domino Petro Vicevayvodæ, quòd cum gente eorum . . . . . Civitatis Vigiliarum. Sequenti die post suum adventum . . . . & jussit quòd Galêæ duæ essent in eadem obsidione . . . . . . Rex ipse petiit volens . . . . . gloriosissimi . . . . . . inesse. Cum quo . . . . . modicis Dominis Hungaris sociatus ingressus est Civitatem. Et Ecclesiam Beati Nicolai properat se ipsum orare. Dominus autem Vayvoda, & Comes . . . . Collaterales Regis ejusdem, scito subito Regis ingressu . . . . ne proditio committeretur in Regem, qui solus quasi Civitatem intraverat, adeuntes festini statuerunt se ipsos ante januam Civitatis cum sociis circiter centum, parati si necesse fuerit in succursum Regis ejusdem, & similiter major pars exercitus ipsorum mandato promta manebat. Sed quia universus Populus . . . . perfecto animo eumdem Regem, ideo dubitandum non erat de Rege. Celebratis itaque solemniis Vesperarum in Ecclesia Sanctissimi Confessoris, & ipsius Reliquiis osculatis, Rex idem oblationes ditissimas cum devotione obtulit in altare, & alii, qui cum eo Collaterales dicti adstabant, ibidem. Unde Clerus ipsius Ecclesiæ, & universi videntes cum magno tripudio asserebant: *Verè gloriosus Christi Confessor Nicolaus Episcopus &* . . . . causa sui honoris & laudis Civitas . . . . die festi nominis sui Sancti, ut tantus Rex cum . . . . suo exercitu nomen ejus sanctissimum cum laudibus & oblationibus prævenirent . . . . verbum alter alteri mutuò referentes ad aures intonuit universorum omnium exercitus tanti Regis, ex quo alternatim & catervatim turbæ maximæ cum devotione pergebant Sanctissimi Confessoris Ecclesiam visitare, & oblationes in altare offerre . . . . quòd Clerici ipsi Ecclesiæ servientes tantis oblationibus gloriantur.

Exiit itaque Rex jam dictus eamdem Ecclesiam, & recto calle pervênit ad expugnabile Castrum Bari, quod sub custodia erat viri Nobilis Franci de Carofilio Prothotini, quod idem Francus jam dicto Regi promtissimè & volenter assignavit. Sequenti itaque die facta restitutione fideli Civitatis ipsius, universi circumstantes viam redeunt quieturi, & omnes exterioris exercitus . . . . . . mandato Regio ingressi sunt Civitatem, stetitque exercitus ipse, principaliter Rex jam dictus, in obsidione Civitatis ipsius extra Terram per dies septem, & in Terra ipsa in Castro per dies decem & octo. Ubi dum esset, Syndici Poliniani, Civitatis Monopoli, & Terræ Villæ Novæ, ac universæ Terræ Ducis Athenarum confines Bari circa duas . . . . . . erunt eorum fortilitia & fidelitatem subdendo imperio dicti Regis Hungariæ . . . . autem idem Rex suum exercitum in duas partes dividere, unam . . . . . . cum eo personaliter apud Ydronti partes, & aliam versùs partes Basilicatæ . . . . militando acquirens finaliter acquisito Regno per totum ad . . . . Civitatem Neapolis laborare volebat. Et sic communiter per ejus exercitum fieri . . . . . . atur. Subitò fertur mutatum fore consilium, & velle dictum Regem versùs . . . . militare. Sed antequam à Civitate Barisana recederet, statuit personaliter . . . . totam Terram eamdem, ut si quis dictæ Terræ incola balistam haberet in domo . . . . ad præfatum Castrum duceret illam sub pœna publicationis omnium bonorum . . . . cujus mandato universi Cives balistas habentes in domibus, in eodem Castro dict . . . . & omnes ipsæ balistæ in ipso Castro servantur . . . . Statuit itaque Rex idem in custodia dicti Castri providos juvenes Thomam Pauli, & Nicolaum filium Leuchus Hungaros suos . . . . & versùs Civitatem Baruli Rex idem reiterat iter suum. Miserat autem Rex ipse Archiepiscopum Barensem jam dictum, ut quòd . . . . . tractaret ita & faceret, quod saltem eorum favore Rex in . . . . accessu versùs Neapolim, operante ipso Archiepiscopo intus urbem . . . . partialitatem haberet. Post cujus recessum ut securior posset esse de ipso, idem Rex fratres suos Petrillum Garratam, & Abbatem Janoctum, qui Bari remanserant, obsides in eodem Castro poni mandavit.

Quum autem in Civitate Baruli Rex ipse fuit applicitus cum universo ejus exercitu, in quo fore arbitror Hungarorum quasi quindecim millia equitum, & Theotonicorum quasi milliaria octo, ac Lombardorum brigantium peditum circa milliaria quatuor, hujusmodi gens tota hospitatur in Civitate eadem. Rex autem in Castro fortissimo morabatur. In qua Civitate . . . . tanta gens moraretur, singulis abundantia victualium & rerum comestibilium suo denario abundabat. Concurrunt inibi universi fideles Regis partium quarumcumque, illi præcipuè, qui præteritarum guerrarum ante Regis adventum passi sunt pondera & labores, & quilibet petitionem porrigit dicto Regi, ut de rebus suorum rebellium suis fidelibus, qui bona omnia perdiderunt, pro observantia fidelitatis suæ Regiæ Majestatis in restaurationem perditionis bonorum eorum, & in præsentium eorum servitii præstiti, eis provideat atque donet. Quod idem Rex libenti animo faciens, quampluribus suis fidelibus quamplurium rebellium hereditates & bona donavit. Erat autem Angelus Domini Gualterii in Civitate Bitonti sanus jam quasi casu fractionis cossiæ suprascripto. Et dum ego essem in Barulo post Regalem Curiam per me ipsum aliquod petiturus obtinui certa bona hereditatis quondam Franci de Crucibus in Bitonto. Tunc Nobilis Miles Dominus Johannes Chutz Hungarus suprascriptus, ejusdem Angeli probatus amicus, retulit ita mihi: *Notarie Dominice, Angelus Domini Gualterii nonne adhuc sanus est, ut venire valeat coram Rege servitiorum suorum meritum petiturus?* Cui ego: *Certè amodo sanus est, sed pedes incedere non bene potest.* Qui dixit: *Vadas ad eum, aut scribas, quòd per mare vel per terram veniat, sicut potest, quia ad præsens Dominus Rex omnibus suis fidelibus generosè liberat quidquid petunt, juxta petentium qualitates. Si ergo heic præsens adesset coram Rege, eum imponerem, & per Dominum Vayvodam nostrum Dominum quamcumque voluerit gratiam*

tiam obtinebit à Rege. Cujus ego audito consilio protinus scripsi dicto Angelo, quòd statim omnino Barulum veniret, sibi nuntians verba mihi asserta per Militem memoratum. Vênit ergo dictus Angelus à Civitate Bitonti, in qua tunc Capitanius residebat, licèt non bene sanus esset, ad Civitatem Juvenatii, ubi uxor sua & filii morabantur. Et ibi in mare se posuit usque Barulum, quoniam per terram eques venire nequivit. Mulum autem suum pulcherrimum per Leonem de Burguncia famulum suum duci post se fecit per terram. Ut autem simul mecum fuit hospitaturus, ipsum portavi in loco Ecclesiæ Sancti Sepulchri de Barulo, quo apud Venerabilem virum Fratrem Michaëlem de Venusio Priorem ipsius Ecclesiæ hospitabat. Eratque ipse cognatus noster amicus. Quem idem Frater videns ita dictum Angelum defectuosum personâ, ejus compatiens, honorificè ipsum in domo suscepit. Sequenti verò die vênit ad eumdem Angelum & me Domnus Guillielmus, & Chiccus de Gregorio noster socius, sociaturi dictum Angelum coram Rege, qui, ut præscribitur, erat impotens de personâ. De quorum adventu lætatus est Angelus memoratus. Cum quibus, & me, ipso die præfatus Angelus ad jam dictum Militem accedere non tardavit. Quem ut vidit Miles jam dictus ita cum afflictione maxima sui corporis ambulantem, compatiens impotentiæ suæ, simul sedere coëgit eumdem, & simul loquuti sunt super materia offerendæ petitionis in Curia dicti Regis. Finaliter autem ipse Miles consuluit dicto Angelo, quòd eodem die horâ quasi Vesperarum ad hospitium Domini Vayvodæ perveniret cum sua petitione formatâ, nam idem Miles informare priùs volebat dictum Dominum super eo, quod peteret Angelus prænotatus, ut idem Dominus habitâ conscientiâ suæ petitionis sciret, quid ipsum oporteat operari pro eo. Et acceptâ licentiâ pervenimus simul ad hospitium, quo eramus, & ibi petitionem formavimus petendi dictum Angelum bona omnia Domini Guillielmi de Pontiaco, qui erat Regius infidelis.

Adveniente igitur hora Vesperarum, postquam scivimus dictum Dominum Vayvodam surrexisse à somno, idem Angelus nobiscum accessit ad hospitium, quo erat idem Dominus hospitatus, & ipsum Angelum in Sala statuimus hospitii supradicti, quousque exiret cameram Dominus supradictus. Et ecce advênit Miles prædictus ad ipsius hospitium Domini; qui videns dictum Angelum ibi stare, satìs sibi complacuit, dicens: *Domine Angele sustine heic modicum, ut de te loquar Domino meo*. Et dimisso Angelo cameram Domini introivit: post modicam verò horam vocatus est dictus Angelus in camera dicti Domini ipso Milite operante. Coram quo nos, qui cum eo eramus, ipsum Angelum duximus sustinendo. Quem quum vidit Dominus Vayvoda sic miserum & dolentem, compatiens infirmitati suæ, ipsum super lectum sedere cum eo præcepit; à quo scire causam voluit sui casus. Qui referens omnia seriatim dicto Domino, concludendo sermones suos pervênit ad factum, & per præsentem interpretem Domini contenta sibi retulit in petitione, quam dare volebat in Curia dicti Regis. Cui Dominus idem grato verbo, placidoque vultu curialiter sibi dedit responsum, sibique promisit taliter operari, quod Regia Majestas sibi annuat quidquid petit etiam si peteret majora. Et recipiens petitionem ipsius Angeli, tradidit eam dicto Militi dicens: *Quum erimus in Ca-*

A *stro Domini nostri Regis, recordare mihi de præsenti petitione Angeli, & mihi porrigas eam, quando in Consilio fuerimus adunati*. Quo facto Dominus idem apud Regem accessit, post quem egomet ivi, ut dicto Militi ipsius petitionis mysterium recordarem. Et ingressus idem Dominus ad Regem eumdem, congregato Consilio, prima fuit ipsius Angeli petitio decretata, & jussum fuit Domino Sagrabiensi Episcopo, & Domino Ursillo Minutulo opportunas inde literas fieri dicto Angelo donationis petitorum bonorum. Quod mihi referens idem Miles esse perfectum, statim dicto Angelo nuntiaturus accessi, fore suæ petitionis mysterium expeditum. De quo novo fuimus valde læti.

B Sequenti verò die accessimus simul ad hospitium, quo Literæ Regiæ scribebantur, & ibi literas suas fieri petiit Angelus prænotatus, & factæ sunt in momento, mandante Domino Vayvoda supradicto. Erat autem, ut prædixi, in eadem Civitate Baroli innumerosus exercitus gentium nationis diversæ; & semper crescebat exercitus diversarum gentium ex concursu. Contigit quodam die tunc proximo, duos brigantes pedites cum taxillis ludere cum duobus aliis Civibus vitæ levis Civitatis ipsius in una taberna. Et ut moris est ita ludentium, lites mutuas incœperunt, ex quibus litibus unus duorum Civium percussus fuit in facie ictu pugni ab uno brigantium Lombardorum. Qui

C sentiens se percussum, evaginato gladio repercussit illum, qui percusserat eum pugno. Plurimi quidem brigantes socii, qui adstabant, videntes socium lethaliter esse percussum, irruerunt super illos Cives cum ensibus ferientes. Erant etenim in eadem taberna plurimi Cives Terræ, & tabernis aliis convicinis homines siquidem paris vitæ. Qui ad rumorem clamantium occurrentes, notâ causâ rumoris, lapidibus & gladiis irruunt in brigantes. Fugientibus itaque brigantibus illis, & eos sequentibus Civibus dictæ Terræ, maxima facta est ex rumore congregatio gentium ex parte utraque. Et in momento adunati sunt omnes forenserii parati cum armis, ut existimo, ultra millia qua-

D tuor, & cœperunt persequi quoscumque de Terra, si quos inveniebant per Rugas. Et ob hoc rumor magnus efficitur per totam Civitatem eamdem, campanis pulsantibus ad martellum. Igitur universus Populus Civitatis ad arma concurrit. Sed brigantes pedites advenæ doctiores in armis, Portarum Civitatis ipsius duarum fortilitia receperunt, Portam videlicet Sancti Leonardi, & Portam Sepulchri. Et reliqui per Rugam magnam Sellariæ Baroli, lapidando domos, & portas frangendo ac disrobando, pergebant. Theotonici autem statim equis armati sunt, & totas Rugas magnas Civitatis ipsius in momento discurrunt. Qua de re universi homines Civitatis ipsius in domibus eo-

E rum reclusi manebant. Ii autem, qui in arctis Rugis habitabant, in quibus adhærere non poterant equites nec brigantes, opportunis barris & trabibus grossis nullum transire permittebant ad eos. Sed nisi quia bono fato Civium eorumdem in principio rumoris incœpti habitatores Burgi Sancti Jacobi primò in causa salutis eorum transitum Portæ dictæ . . . . . gæ, curribus & trabibus reclauserunt, Cives omnes fuissent mactati; qui balistis defendere loca eorum se ipsos opponunt, quum nullus brigantium peditum, nec Theotonicorum equitum per jactum balistæ præsumsit adesse. Et ibidem concurrit quilibet in sua juventute confidens, ut juxta posse

posse Civitatem defendat. Videntes autem Theotonici & brigantes totam Terram discurrisse, omnesque viros fore arctatos in domibus, quòdque in dicto loco Burgi adhærere nequibant potentia defensorum, cœperunt brigantes ipsi pedites mandato Theotonicorum ipsorum ignem imponere in certis domibus convicinis Portæ Sepulchri, causâ majoris terroris. Dicti autem Theotonici & brigantes, secures acutissimas habentes in manibus, ibant per Terram signantes quilibet domum suam, ut tollat exinde sibi robbam. Nec erat qui defenderet domos ipsas, quamvis patroni clausis januis intus consisterent, sed tremebant omni quasi auxilio desperati.

Erat autem idem Rex in Castro cum pluribus Hungaris & Theotonicis Caporalibus, & dolens nimiùm de dissipatione tam nobilis Civitatis, quam fieri videbat per suammet gentem, ira & furore fremebat dentibus contra tales, & nitebatur omnino acceptis armis obviam exire iis discurrentibus Civitatem. Sed Collaterales fidelissimi secum stantes nullatenus Regem exire permittunt, quamvis ipse Rex retentores suos eosdem chirothecis ferreis, quas tenebat in manibus, percutiebat in visum. Tamdem Corradus Lupus & Mausus Theotonicorum Caporales, videntes Regem tam turbatum, frementem dentibus contra eos, eo quòd essent de principalibus Caporalibus Theotonicorum discurrentium Civitatem, acceptis armis exeunt dictum Castrum, promittentes Regi penitus talem removere rumorem, omnesque à Terra educere Theotonicos & brigantes. Et immiscentes se in turbis Theotonicorum omnium nihil agere poterant, quum satis placeret Theotonicis & brigantibus ipsis robba Civitatis ipsius. Sed quanto magis mitigare credebant, tanto magis acrius ignis ardebat. Tunc Dominus Vayvoda, qui cum ipso Rege etiam in Castro manebat, convocatis secum omni ejus familia, & nobilibus pluribus Hungaris quasi duobus millibus eques, in puncto fuit armatus. Et equitans cum tam maxima comitiva, vexillo Regio præcedente, quasi adhæsit viris Civitatis defensoribus loci Burgi, animans illos, quòd audacter post eum feriant in Theotonicis & brigantibus discurrentibus Civitatem. Videntes autem universi Hungari, quòd Dominus Vayvoda mandato regio contra Theotonicos militabat, quòdque mandaverat hominibus Civitatis audacter irruere super illos omnes, in auxilium hominum Civitatis eques fuerunt. Sed quia, ut præscribitur, brigantes priùs acceperant fortilitia prædictarum Portarum Civitatis, vix homines dictæ Terræ cum auxilio supervenientium Hungarorum à fortilitio Portæ Sepulchri dictos brigantes pedites ejecerunt, ubi, ut existimo, mortui sunt ultra decem hinc inde. Tamdem videntes Theotonici equites & brigantes obesse non posse potentiæ gentis Terræ, quorum intererat toto corde pugnare contra volentes tollere eis robbam, præfati Dominus Corradus & Mausus primi per Portam eamdem egressi sunt extra Terram, & totus eorum exercitus equitum & peditum post eosdem. In quorum exitu pro arctitudine Portæ balistarum multarum jactibus eorum equi plurimi affollantur & viri. Quibus egressis, janua per Cives accipitur Civitatis. Tunc dictus Corradus Lupus & Mausus cupientes Regi placere, sicut promiserant, primum iter arripiunt versùs Pontem de Canna, & ibi primi fixerunt eorum tentoria, credentes ut universi Theotonici & brigantes sequerentur eorum iter acceptum, Sed post modicam horam defecit gentis concursus, & quasi Theotonici mille ibi requiescunt cum eis. Reliqui verò Theotonici, injuriosè ferentes repulsam factam in eos per homines Civitatis, dimisso itinere per eosdem Caporales incœpto, per aliud iter volvuntur cum omnibus brigantibus memoratis, cupientes ulcisci de illatis injuriis & percussionibus per homines Civitatis in eos. Dominus autem Vayvoda, & ceteri Hungari, ut viderunt Theotonicos Civitatem exire, depositis armis redeunt quieturi. At homines Civitatis circa extinctionem ignis appositi per Theotonicos & brigantes, ut dictum est, viriliter intendebant, non quidem quòd comburentibus domibus adhærere valerent propter fortitudinem ignis, sed convicinas domos ab ignis superveniente potentia salvare curabant. Illæ autem domus, quibus ignis prævaluit, spreto virorum auxilio, usque ad fundamenta & parietes etiam concremantur. Et quasi tantus rumor creditur cessavisse.

Iniquissimi tamen brigantes pedites post horam modicam tanto cautiùs redeunt Civitati, quòd à nemine visi sunt, & Portam Sancti Leonardi capiunt, quorum major pars rectam Rugam cum armis procedit, & modici eorum fortilitium Portæ custodiunt. Et ecce Theotonici equites post eosdem cum magno terrore ingressi sunt per Portam eamdem. Et cœperunt brigantes ipsi prædare domos Rugæ ipsius, viros percutere, & fœminas violare. Subitus autem rumor iteratò initur per totam Terram, campanis pulsantibus ad martellum. Et ob causam primæ obtentæ victoriæ homines Civitatis promtiores occurrunt ad pugnam. Sed antequam opportunum perveniret auxilium, per insurgentes Theotonicos & Lombardos in contiguis domibus Rugæ Sellariæ fit maxima consumtio, & inæstimabilis strages rerum. Erat autem in Ruga ipsa domus una sublimior, quæ est Notarii Clementis, in qua bono suo fato, & quasi omnium hominum Civitatis, ipse Notarius Clemens stabat cum viris aliis quinque & familia sua. Qui in alto domus ascendentes cacumine astricato durissimos abinde jactus lapidum jaciebant in substantes Theotonicos & brigantes. Quorum ictibus quamplurimi peribant in loco. Et quum non possent ante procedere ex defensoribus plurimis Civitatis, oportebat eos velle nolle retrocedere circa Portam, licèt nondum omnes intrassent in Portam. Eratque inexaudibilis clamor tanti Populi prœliantis hinc inde. Plurimi autem eorum brigantium, nequeuntes per Portam intrare in auxilium clamantium sociorum, murum Civitatis ibidem prope Portam cum cultellis, & securibus defabricari cœperunt, ut agminantibus sociis succurrerent largo modo. Rex autem ut vidit iteratum brigantum & Theotonicorum insultum, magno furore fulminare videtur in eos, & jussit contra insurgentes eosdem ex Castro eis projici cum balistis, quoniam erat tale prœlium prope Castrum. Jussit etiam universis Hungaris, quòd contra illos assurgerent potenter cum armis. Et ecce maxima concio Hungarorum equitum & peditum, armis acceptis & arcubus, unà cum universo Populo Civitatis audacter insurgunt & feriunt in dictos Theotonicos & brigantes. Sed quia erant armigeri infiniti hinc & inde, eratque locus astrictus Rugarum domibus, non omnes armigeri poterant repugnare, nisi tantùm ii, qui animosiores in prœlio se monstrabant, nec poterant à fortilitiis Portæ rejicere Theotonicos & brigantes. Quidam autem nobilis Hungarus nomen habens Dominus Nicolaus Acerrarum Comes, sua

sua animositate confidens, more militis adarmatus & eques, audacter irruit super illos, & plurimi post eumdem percutientes acutis ensibus, quibus obstantes brigantes & Theotonicos extra & circa Portam rotare potentialiter compulerunt. Quo in puncto prædicto militi Hungaro equus optimus fuit percussus. Sed tamen à prœlio patronum salvum eduxit, ex quo quum exiit idem miles, equus, qui percussus fuerat, excussis visceribus vita defecit. Sed volens idem miles animositatis suæ incœptam bonitatem in tanta necessitate complere virtute, personaliter alium bonum equum ascendit, & iterum irruit in turbas brigantium pugnatorum, & plurimi cum eodem. Ob quod omnes Portam exire paulò minùs compulerunt. Et tunc viri Civitatis ipsius mœnia ascendentes pugnando constringunt repugnatores brigantes quasi circa januam Civitatis, quo insultu terribili territi facti Theotonici & brigantes, à pugna vacillare cœperunt, potentiâ insurgentium aggressorum. Quidam autem Cives Baruli, virtute propria fortilitiis januæ adhærentes cum defensoribus januæ, mutuam pugnam ineunt cum furore, quos ejecerunt abinde violenter, illos gladiis perimendo. Et sic accepto fortilitio januali, omnes Theotonici & brigantes abeunt catervatim, sequentes banderiam præcedentem, quæ eos conduxit ad Pontem Cannarum. Rex autem ut scivit rumorem esse finitum, valde contentus factus est, jubens, ut unusquisque in domo propria requiescat.

Sequenti verò die, petentibus hominibus Civitatis ipsius, Rex idem disposuit Castrum Canusii obsidere. Sed antequam Barulo recederet, Dominum Lodovicum Pipinum fratrem Comitis Palatini in Castro Baruli præcepit obsidem retineri, ac Dominum Nicolaum Spinellum de Juvenatio, qui eodem die captivus adductus ad eum per Castellanos Castri Bari præfatos, quibus fuerat hoc commissum. Qui etiam domo sua prædata per totum, etiam Johannem, & Chiccum suos filios in Castro Bari captivos miserunt, & Uncias octingentas in domo ipsius militis inventas dicto Regi duxerunt, ob causam prædictæ rebellionis ostensæ. Quo facto recessit idem Rex, & ad Pontem Cannarum cum universo exercitu castrametatus est ipso die. Et ibi Theotonicis & brigantibus pagam fecit. Deinde abiit versùs Canusium, & castrametatur ibidem, jubens, quòd unusquisque ad devictionem Castri, quia inhabitabilis erat Terra, promtissimum se ostendat. Erat autem Castrum ipsum sub custodia Lombardorum, sub dominio Domini Raymundi de Baucio. Ad cujus custodes jussit Rex ipse nuntios delegari, si vellent absque prœlio gratìs restituere ipsum Castrum. Quòd si gratìs redderent, paratus erat eis æquimerito respondere. Vadunt itaque nuntii, ut moris est bellicorum, Ambassiatam referre custodibus dicti Castri, qui per diversa ratiocinia fabulantes, ultimò Castrum reddere negaverunt absque dicti eorum superioris Domini voluntate. Quumque rediissent nuntii, acceptam responsionem Domino Regi dederunt, & universa verba, quæ mutuò habuerunt. Sed videns Rex, quòd dilatoria verba forent, jussit trabuccos erigi ante Castrum, & circumquaque cum balistis & clypeis insurgere pugnatores. Et primus quidem Rex ipse accepto clypeo, corporeis armis indutus, aggreditur Castrum ipsum, & plurimi cum eodem. Et in tantum fuit circa Castrum horâ illâ insultus terribilis exercitus Regii, quòd quasi defensores Castri pugnæ pertœsos fore videntur.

A Sed Rex idem animo regio valorosus, ignem gerens in manibus, sub tutela clypei processit ad Portam primam Castri ejusdem, positurus ignem in illa custodientium ad terrorem. Stabant autem defensores Castri in Custodia dictæ Portæ, eam viriliter jactibus lapidum defendentes, & quasi omnes occurrerant defensores. Erant autem in dicto exercitu Regio viri plures Civitatis Canusii, qui bene sciebant locos debiles dicti Castri. Qui videntes omnes defensores Castri in defensione Portæ rotare, fecerunt Regi dicere, quòd ab insultu Portæ nequaquam discederet, eousque, quousque ipsi qui fortilitia Castri norunt, probare valeant per locum intrare, quem sciunt. At Rex idem illorum verbis B auditis cœpit fortificare insultus incœptos in Porta, & ignem, quem portaverat, immisit in eam cum sulphure, lignis, oleo, & adipe opportunis, paleasque induci fecit in ignem, ut fumo convinceret superstites defensores. Sed illi velut docti bellici, per quosdam eorum Portam ipsam ex interiori parte fabricare fecerunt. Ii autem Canusini Cives qui erant, acceptis zappis ferreis, & piconibus cum quampluribus sociis vadunt ad locum cognitum frangere murum Castri. Custodiam vigilantes fractores Castri viderunt, qui post horam modicam invocantes alios defensores ad repugnandos eos, qui Castrum frangebant, unanimes adfuerunt. Et sic ex alto Castri subitò lapides jacientes fractores hujusmodi, & confractionem muri penitus ejecerunt. C

Nec tamen per hoc insultus deficit, dicto Rege instante. Tunc quidam ex custodibus dicti Castri in personam Regis, qui potiùs infestabat, balistis & lapidibus jaciebant. Quod videns nobilis Castellanus, multum sibi displicuit offensio facta in Regem, & Rege præsente prohibuit suis sociis, quòd in tali prœlio nullus contra personam Regis jaciat, nec offendat. Immo, ut honestior videretur, alta voce clamavit: *Sacra Majestas, valde miror in hoc, quo vos video primùm in præsenti aggressu. Non enim decet hoc Regiam Majestatem villanorum nostrorum parium judicio se supponi. Libeat ergo Majestati vestræ à præsenti distare insultu.* D Cui Rex: *Sic decet Regem primum adesse prœlio, ut Collaterales alii exemplo simili animentur. Sed quia videris bonorificè nobis loqui, bonæ qualitatis homo es. Propter quod volumus, ut Castrum istud nostro reddas imperio absque ulteriore insultu. Quod si promto feceris animo, tuæ benefaciemus promtiùs juventuti.* Qui respondens ait: *Sacra Majestas, libenter facerem quod jubetis. Sed quia juravi in manibus Domini Raymundi de Baucio superioris Domini loci hujus, me Castrum hoc fideliter sua parte servare juxta posse, ideo, si dignemini, mittam ad eum unum de his meis consociis; quòd aut mihi succurrat cum gentibus, aut convictus restituam vobis Castrum, & perjurium non committam.* E Cui Rex: *Legaliter facias quod dixisti, quoniam meritum vobis erit à nobis. Nos autem continuè heic stabimus, futurum tibi præstolando responsum.* Et recedens abinde, ad tentoria rediit quieturus. Ex verbis itaque sibi dictis mandavit idem Rex diligentiorem custodiam nocte qualibet fieri circa Castrum, ut si contingeret auxilium hominum Castro venire, omnimodo caperentur. Miserat autem nuntium suum Præsidens dicti Castri ad Dominum Raymundum præfatum referre imminentia dicto Castro, & quòd gentem mitteret in ejus succursum. Qui dum vellet aliquos mittere in auxilium dicti Castri, nullum venire vo-

vol ntem invênit. Demum quum nullum habere posset futurum in Castro, respondit: *Dicas Castellano nostra parte, quòd juxta suum arbitrium faciat, quantum potest. Nam potentia nostra defecit, nec ullum invenio venire volentem pecunia vel amore. Non enim decet violentos actus ostendere circa eos, qui venire recusant ad custodiam dicti Castri, quum tempus hoc amorem in talibus exigat, non furorem.* Et datis literis Nuntio, jussus est retrocedi.

Pervênit itaque Nuntius ad Castrum solus, & licèt visus ab hostibus, & perductus ad Regem, Rex tamquam providus nihil ab ipso scire voluit, sed salvum usque prope Castrum illum sociari mandavit. Quo ingresso ad Castrum, & facta responsione Domini Castellano, idem Castellanus sapienti cogitatu corde laborans providit sibi utilius Castrum ipsum Majestati Regiæ reddere, cum pactis suæ salutis, & sociorum, ac robbæ, quam in quantitate maxima præterito tempore fuerant allucrati, quàm repugnare velle potentiæ tanti Regis, ubi ex casu contingeret ipsum vel sociorum alterum repugnantem percuti vel occidi. Convocatis itaque sociis suis fidelibus, retulit cum illis propositum sui cordis. Qui pari voto concordes hoc idem se velle dixerunt, & publicans apud omnes Castri custodes causam eamdem, omnes sic meliùs fieri censuerunt. Sequenti verò die præfatus Castellanus misit ad Regem, rogans, quòd ipsum assecurare placeret venturum coram Regia Majestate. Qui jubens scribi assecurationis literas, eas sibi remisit. Statimque vênit ad Regem Castellanus jam dictus, & præmissæ intentionis suæ propositum retulit dicto Regi. At Rex idem desiderans penitus prænotatum Castrum habere, quodcumque pactum scivit petere Castellanus, sibi complere promisit. Et sic Castellanus ipse habitâ licentiâ oris Domini Castrum ipsum cum totali robba & sociis exivit incolumis atque salvus. Quod idem Rex Thomasio Nicolosi conservandum constituit. Sed antequam Rex idem inde recederet, Syndici & Nuntii circumstantium Civitatum, Castrorum, & Villarum Venusii, Spinaciolæ, Florentiæ, Corneti, Candelæ, Melfiæ, Rapollæ, Atellæ, Exculi, & Minerbini concurrunt undique ad Regem eumdem offerre Terras easdem, homagium juraturi. Erat autem Comes Palatinus in Minerbino dominio suo reddito. Castrum tamen habere nequibat, quod servabatur pro Domino Raymundo jam dicto, fortissimis defensoribus sistentibus in eodem. Et quum non posset Castrum ipsum convincere, ad Regem pervênit dicens: *Domine Rex, supplico, ut trabuccos duos aut tres ex his mihi dignemini mutuare, cum quibus inexpugnabile Castrum Minerbini convincere valeam Deo favente.* Ad cujus rogatum Rex idem trabuccos tres sibi mutuari mandavit, quos apud Minerbinum portari præcepit à familiaribus suis; cum quibus aliisque fortilitiis adjectis contra fortitudinem dicti Castri in breves dies Castrum idem convicit.

Rex autem, amoto inde cuncto suo exercitu, apud Exculum dirigit iter suum, & ibi intus & extra Terram suus exercitus hospitatur. Syndici autem, qui cum eo venerant, Terram suo dominio oblaturi, in pactis petierunt, quòd Terram ipsam nequaquam dominio redderet Comitis Apicii eorum Domini naturalis, sed ipsam pro suo demanio reservaret. Quod idem Rex eis servare promisit. Erant autem Syndici ipsi malivoli erga Comitem memoratum. Ut

A autem Rex fuit in ea, Comes ipse carus suscipitur ab universis Civibus dictæ Terræ, & ut Dominus honoratur à cunctis. Quod videns Comes ipse, satìs animo factus lætus, advocans ad se singillatim quosdam sibi benivolos familiares antiquos, rem cum eis sui dominii declaravit, & allidens eos promissionibus atque donis, tractavit cum eis, quòd singulos de Terra monerent, quòd ipsum Populus peteret, ut juris est, dominum dictæ Terræ, quorum interveniente tractatu sequuto die, ecce universi Cives ipsius Terræ, mares & fœminæ, accepto quasi tripudio chorearum, præcedentibus pulsantibus Jocularìis per totam Terram saltando & chorizando pergunt clamantes in voce tripu-

B dii: *Vivat magnus Rex Hungariæ, & Comes Apicii noster Dominus naturalis.* Et recto pergentes tramite pervenerunt ad hospitium, quo idem Rex fuerat hospitatus. Rex ut audivit chorizantis Populi sonitum, se faciens ad fenestram lætus efficitur voluntate Civium dictæ Terræ. Tunc quidam amantissimi dicti Comitis Apicii, quibus commissum erat Regi petitionem offerre, habita secum arundine petitionem porrigunt dicto Regi, qua petebant, post ejus principale dominium, dominium Comitis memorati, & ea petitione porrecta unus eorum oretenus petiit: *Domine Rex, supplicatur Majestati vestræ per omnes adstantes, ut salva priùs fidelitate vestri dominii, Domino Comiti Apicii*

C *hujus Terræ Domino naturali restituere placeat Terram istam.* Rex ut audivit illum ita loquentem, dixit: *Nonne Syndici vestri contrarium petierunt? quomodo hoc tu dicis!* Cui universus Populus clamavit: *Domine Rex, non sic eis commissum est per homines Terræ hujus: Sed tantummodo Terram offerre fidelem Majestati vestræ, & nos recto dominio dicti Comitis semper esse, quia usque nunc violenter & injustè exstitit spoliatus. Hoc petimus singuli, vestro beneplacito reservato, quòd Terram restituere dignemini Comiti antefato.* Quibus Rex: *Quod petitis fiat vobis.* Et convocans dictum Comitem, qui adstabat, Terram sibi assignavit per cultellum, quem gerebat ad latus, ut ejus de-

D inde dominetur. A quo fidelitatis solitæ juramentum accepit. Adstantes autem Civitates, Castra & loca, scito Regem ipsum in Exculo commorantem, suos mittunt Syndicos, dicto Regi fidelitatis debitæ juramenta præstare. Quos Rex idem gratiosè suscipiens, se benivolum omnibus ostendebat.

Crescebat autem assiduè gens armigera undique dicto Regi, quam nec Terra ipsa regere poterat, nec montes, nec vallis fluminis capiebant. Et ecce auribus Regis intonuit, quòd miles quidam, cujus nomen erat Jacobus de Pignatario, factus per Regem Lodovicum Latinorum Regem Castellanus & Capitanius Civitatis Aversæ, mandaverat satis expresè ho-

E minibus Casalium Civitati circumstantium Aversanæ, quòd infra sex dies Civitatem Aversanam intrarent cum totis eorum grassiis, & familiis sub pœna personæ, & sub pœna perditionis omnium bonorum suorum. Tunc Rex idem suo Consilio invocato mandavit, & voluit quòd Comes Nicolaus, & Corradus Lupus acceptis decem millibus equitibus in comitiva eorum sequenti mane recto tramite pergerent in obsidione Civitatis Aversæ, priusquam dictorum Casalium homines cum suis grassiis Terram intrent, ut inductis grassiis ipsorum Casalium in Civitatem eamdem, ipsi postea non valeant in ejus obsidione manere grassiarum defectu. Statuit etiam,

etiam, quòd Nicolaus Leuchus, & Thomas Pauli cum eorum Hungaris ducentis, & Theotonicis quingentis Barum redeant, & deinde versùs partes Ydronti militando discurrant. Jussit etiam, quòd Dominus Malispiritus cum Theotonicis suis unà cum Angelo Domini Gualterii per convicina loca earumdem Ydronti partium militaret, ut alter alterius esse valeat in succursum. Et sic factum est. Et mane sequenti gens ista dividitur per eas partes itura, quibus mandaverat Rex jam dictus. Ipse autem reliquo suo magno exercitu recedens ab Exculo versùs Melfiam dirigit iter suum, ubi cum magno tripudio & gentis applausu receptus est honoranter. Remanserat autem in dicto Exculo Comes Apicii fortificare sibi Terram ipsam, & hominum animos reconciliare sibi, qui dudum sibi rebelles exstiterant. Et in tantum humanum & placidum ipsis se ipsum ostendit, quòd omnes eorum capita in ejus sinu Domino reponebant, dicentes: *Miserere nostri Domine, miserere nostri*. Comes autem ipse, habita omnium voluntate concurrentium voto suo, duodecim ditiores & meliores Terræ ipsius, eos videlicet, qui sibi contrarii ante fuerant & rebelles, de personis accepit, & captos carceri jussit apponi, & non ante ipsa tormentis, eo animo ut, dum viverent, eorum confiterentur pecunias, promittendo ipsos postea liberare. At miseri illi sequenti die thesaurum suum quilibet jussit duci ante Comitem memoratum, & donaria copiosa. Et audivi tunc dici, quòd quidam nomine Cola Judicis Laurentii Cophinos tres de Carlinis attulit seu fecit afferri dicto Comiti offerendos, credens propterea manus evadere irati sibi Domini supradicti. Habitâ itaque dictâ pecuniâ eorumdem, quæ fuit magnus thesaurus, & explorato ab eis potiore & cariore, totam robbam & bona eorum sibi infiscari præcepit, & eos infurcari mane sequenti. Uxores autem eorum & superstites filios vel nepotes bonis suis penitus spoliatos ejecit à Terra, & servitoribus suis distribuit possessiones illorum.

Quum autem Rex in Melfia moraretur, Castrum Civitatis ipsius fortissimum sibi rebelle per Dominum Laurentium de Acharolis tenebatur, ipsomet præsente in eo. Quumque præfatus Rex illum requirere amicabiliter faceret de restitutione Castri jamdicti, ornata responsione respondit, se non debere Castrum ipsum restituere dicto Regi, quia juraverat in manibus Lodovici Regis Latinorum dictum Castrum nulli restituere absque sui conscientia & mandato. Quòd si restitueret, sui jam dicti Domini proditor haberetur. Ad evitandum igitur nominis proditoris infamiam negavit penitus restituere Castrum ipsum. Cujus responsione præfato Regi Hungariæ nuntiata, jussit Rex idem Castrum ipsum undique impugnari. Et quia Castrum ipsum ceteris aliis Regni hujus fortius esse dignoscitur, impugnatio talis minimè læsit ei, licèt ex parte utrâque aliqui percussi sunt in conflictu. Videns autem Rex, quòd tales insultus nihil læderent ipsi Castro, sed aggressores sui potiùs lædebantur, jussit trabuccos fieri optimos, & circa ipsum Castrum apponi. Quod factum est. Quia verò intentionis suæ erat versùs Neapolim hostiliter se conferre, statuit Justitiarium & Vicarium provinciæ Basilicatæ Dominum Gentilem de Sancto Georgio Dominum de Luceti, mandans sibi, quòd circa captionem dicti Castri diligenter intenderet toto posse. Qui faciens trabuccos erigere contra Castrum, per mensem & ultra nihil offendere potuit Castrum ipsum. Iverat

A tamen Dominus Andreas frater Domini Vayvodæ, dum Rex erat in Canusio, versùs Potentiam, & partes alias locorum convicinorum cum potenti militia, ubi per dies quindecim & ultra militans per partes illas Civitatem Potentiæ, Casaliasprum, Castrum Lacumpesulis, Petramperciatam, & plures alias Terras & Villas illarum partium acquisivit, in quibus Officiales dimisit pro parte Regis ejusdem. Et rediens apud Melfiam ad Regem eumdem, in die Beati Viti triginta quatuor equites Theotonicos & Latinos, inter quos Milites quinque fuerant, convictos in conflictu, ante Potentiam præsentavit Regi jamdicto armatos, & equis more pugnantium bellatorum. B Quos quum Rex vidit, regratians ensfeniatori, illos, datis armis & equis, acquisitoribus suis liberari mandavit.

Et ecce nuntius quidam Tubecta Regis Lodovici Latini cum literis ipsius Regis ad dictum Regem Hungariæ ambassiator advênit. Quæ litera & ambassiata continebat materiam consequentem in summa verborum. *Vos Illustris Hungariæ Rex, qui Regnum nostrum invasuri venistis, nos Dei gratiâ Jerusalem & Siciliæ Rex ad duellum mutuum requirimus faciendum. Scimus autem, quòd de personis Cumanorum & aliorum Paganorum, quos vobiscum duxistis ad prœlia, si moriantur, velut de canibus non curatis. Nos autem, qui nostrorum Militum &* C *Armigerorum damna timemus, ne ipsorum aliqui in conflictu deficiant, providimus pro citiori expeditione guerrarum præsentium, & Regni quiete, personaliter prœliare vobiscum. Et ubi alter nostrum in duello deficiat, victor superstes Rex sit & Dominus Regni hujus. Et ut communiter securè nostrum fiat duellum, elegimus, quòd aut fiat Parisius coram Rege Franciæ, aut in Civitate Perusii, aut Avinioni, aut in Neapoli. Ex his quatuor locis locus habilior vestræ electioni servetur, super quo respondete.* Rex ut audivit literas ita loquentes, convocato suo Consilio properat respondere, & in horum verborum summa rescripsit. *Maxime Rex:* D *vidimus & legimus literas vestras nobis noviter destinatas per præsentium portitorem, & de invocatione duelli complacet valde nobis. Tamen in nullo locorum, quem præscribitis, quum non confidimus in illis multiplici ratione. Nam Rex Franciæ avus maternus vester est. Nobis autem, licèt vinculo sanguinis, longævus affinis. Avinioni Civitas, licèt Domini Summi Pontificis nominetur, tamen vestræ provinciæ caput est, & in ea dominium vestrum regnat. Perusium suspectus nobis est locus, quia legationis vestræ præfertur, estque communis Populi Civitas Imperio suo rebellis. Nec licet Majestatem Regiam confidere in illis. Si autem Neapolitana Civitas sit nobis suspecta, non oportet literis exprimi, quam nobis nostis esse rebellem. Vosque sibi do-* E *minamini in præsenti. Sed si duellum committere placet nobiscum, fiat, si volueritis, in præsentia Imperatoris Alamanniæ, qui est superior Dominus, aut in præsentia Regis Ingliterræ, qui est communis amicus, vel saltem coram Domino Patriarcha Aquilejæ, qui Catholicus est, & communis. Sed ubi vobis talia loca non placent, sed verba dilatoria viderentur, ad tollendam omnis termini moram, ecce breviter erimus cum nostro exercitu apud vos, & ibi sortiemur communiter de factione duelli, ut illud licitè facere valeamus absque obstaculo exercitus utriusque.* Et scriptas in ea continentia literas Ambassiatori tradidit deferendas Regi præfato, donavitque illi Rex idem in præmium legationis ejus-

ejusdem Robbam unam sui corporis foderatam.

Recessit itaque Nuntius, & deinde Rex idem dimisso in Melfia prænominato Domino Gentili, sequenti die recessit cum toto suo exercitu, & versùs Civitatem Consanam accessit. Quo die transiens per loca illa, ecce Melucius Montis-Viridis Dominus, Matthias, & Chiccarellus de Gisualdo, magni Barones illarum partium, ante dictum Regem cum omni reverentia pervenerunt honorificè sociati, quos Rex idem carè suscipiens, sacramento fidelitatis recepto ab ipsis, ipsos antecessores præfecit sui exercitus, tamquam illius patriæ domesticos viatores, unà cum Domino Rogerio Domino Oliveti, & pluribus aliis Baronibus partium earumdem. Et horâ quasi Vesperarum applicuit dictus Rex in Civitate Consana. Quum autem fuit in campo prope Consam, noluit ipse Rex Terram intrare, sed castrametatur in campis, & totus exercitus circa eum. Et ecce ex circumstantibus Terris, Castris & Casalibus infinitis Syndici, Ambassiatores, mulieres, & pueri properant ante Regem Terrarum offerre fidelitates, grassias ad exercitum perducentes in maxima quantitate. Altera autem die præcedit Rex idem, & apud Olivetum quiescere se disponit, & nolens Terram ascendere, in flumine proximo requievit, ubi per dies duos quiescens, universæ Terræ, Castra, & Casalia locorum illorum ad Regem properant, fidelitatem debitam pollicentes. Quos omnes ad gratiam recipit cum amore. Deinde procedit Rex idem, & amoto inde exercitu pervênit apud Contursium, quæ Terra erat Domini Roberti de Sancto Severino. Cui adhærente exercitu, viri Terræ ipsius super muros ejus, se fortiores credentes, exercitui Regio se rebelles ostendunt. Viri autem exercitus Majestatem Regiam præcedentes, violenter aggressi sunt rebelles Cives Contursii, & promtissimè ferientes in illos, convincunt potentia Contursii defensores. Itaque dicto Rege applicante Contursium, per aggressores sui exercitus præcedentes fuit ipsi Terra convicta. Rex ut audivit præsumtuosam insaniam Populi dictæ Terræ, maluisse potiùs repugnare in suum exercitum, quàm verbo humili se suæ subdere potestati, assensit totali dissipationi ipsius, eo præsertim, quòd Terram ipsam fore percepit Domini Roberti de Sancto Severino sui rebellis. Et transiens idem Rex, noluit Terram intrare, sed inferiori flumine castrametaturus accessit, quem universi sui exercitus nobiles consequentes, circa ipsum tentoria præfixerunt. Infiniti verò Hungari Terræ ipsius prædam sibi molientes habere, universos Theotonicos ejusdem exercitus, qui in prædam concurrerant opum dictæ Terræ, Latinos seu brigantes, Tuscos, pedites, & Lombardos à Terra ipsa ejiciunt manualibus gladiis cum furore. Venerant autem in dicto exercitu à convicina Terra Oliveti sub banderia Domini Rogerii memorati viri armigeri pedites quasi ducenti, qui priores fuerunt in insultu contra homines dictæ Terræ, eo quòd convicini erant, & cum eorum aliquibus inimici, qui in captione violenta Terræ ipsius adstiterant duriores, & in primo eorum hostili introitu ingressi Terram ipsam sunt quasi primi; qui dum inter Hungaros intus ipsam Terram visi sunt comprædando, Hungari ipsi fugientes se, quasi non cognoscerent illos, corruunt super eos cum ensibus ejicere illos extra, ut tota præda Terræ illius eis pro lucro restaret. Illi autem loquentes, se fore fideles Regios, & adjutores eorum, nolebant Terram egredi, sed prædare cum illis: non cognoscebant, quòd illi solam sibi robbam Terræ volebant. Et tunc Hungari sævientes in eos, cœperunt illos percutere gladiis cum furore, quo casu territi facti & percussi quamplures eorum per rupes illas corruunt fugiendo, & coram Rege se véniunt lamentari. Sed miseri hi fuerunt, qui percussiones & damna in persona tulerunt, quos Rex idem coram eo constituens, quasi videretur illorum compati, præsente Domino Rogerio prælibato sic ait: *Verè, fidelissimi nostri, Hungari nostri non cognoverunt vos: crediderunt enim vos esse Cives Terræ ipsius. Et propterea vos non debuistis in conflictu misceri cum illis, præcipuè quando aliqua Terra intus prædatur. Et propterea ex nunc Capitaneis nostri exercitus districtè jubemus, quòd quotiescumque similis casus contingeret cursus Terræ, quòd sive Theotonici fuerint, sive Lombardi, sive Latini, cum nostris Hungaris se non misceant infra Terram. Sed si primò Hungaros Terram intrare contingat, gentes alterius nationis intrare desistant. Si verò Theotonici primi intraverint, Lombardi, sive Latini, nostros Hungaros recessare iubemus, ut nullus in conflictu possit error inesse cognitionis defectu.*

Hungari autem plurimi Terram ipsam ingressi sunt potentialiter, & cum magno furore illam discurrunt, eam totaliter deprædantes. O quantus erat stridor Populi, mulierum & infantium, lugentium, percussorum, ligatorum, carceratorum, & tortorum, ut suas pecunias fateantur! Certè inexaudibile quoddam erat & satis crudele; nec ulla erat compassio invasorum apud Populum dictæ Terræ. Et ecce infra modicam horam tota ipsa Terra subjecta est Hungaris, & universi viri ligati, & tota quasi grassia, panis & vini, & aliarum comestibilium rerum inferiùs ducitur exercitui recumbenti, absque pecunia vel valore. Et ibi totus exercitus per biduum requievit: infra quod strages maxima & rerum consumtio facta fuit, ac redemtio captivorum. Dum autem Rex idem tunc cum aliquibus suis nobilibus equitaret circa flumen in festum, ecce adfuit quidam ragacinus quemdam bonum equum equitans, ut illum adaquaret in flumine; & dum flumini adhæreret, Rex eodem applicuit. Erat autem ibi prope quidam gurgus aquarum profundus, ubi ex profunditate aqua nimium rutilabat. Cui Rex: *Ingredere juvenis cum equo in hanc aquam, ut videamus profunditatem ipsius*; & ille: *Timeo Domine, ne fluctibus iis submergar*. Cui Rex: *Intra securus, & noli timere*. Juvenis autem ille erubescens mandatum tanti Domini præterire, calcaribus premens equum ingressus est aquam ipsam, & primo ingressu aqua deglutivit eumdem & equum. Et resurgens ab aquis equus à juvene separatur, & foras equus egressus est, juvene remanente in aquis, quem aqua resurgens ter & quasi prope mortem sistens juvenis ille, Rex misericordia motus coarctans calcaribus equum suum ingressus est aquam illam, quem ab equo aqua dejiciens, equus aquam ipsam egreditur, Rege restante in illa. Induebat enim Rex idem quemdam mantellum de scarleto finissimo infoderatum variis, quem unda spargens circa ipsum quasi rotunda tabula videbatur firmum sistere super aquas, & usque ad guttur Rex sistebat in aquis. Et accipiens juvenem illum per crines salvum eum eduxit ab aquis. Certè maximum mirum fuit, Regem indutum super aqua natare, clamyde adjuvante, & eductum juvenem illum

illum ab aquis Rex ad suum tentorium duci jussit, qui quasi semivivus evaserat. Tunc Rex jussit juvenem spoliari sibi vestes aquosas, & suis regalibus indui vestimentis, & eum suo verbo confortans jussit inductum suspendi pedibus, ut vomeret aquas, quas glutiit, ut citiùs reduceretur pristinæ sanitati. Et sic Rex ipse juvenem illum à morte salvavit, ipsemet mori non dubitans, ut quem intrare aquis jusserat, ne periret, persona propria liberaret. O magna Regis audacia, qui ne argueretur à suis, quòd suo mandato perierit homo ille, mortis subire periculum non formidat.

Elapso itaque biduo, jussit Rex dimisso Contursio exercitum removeri, & versùs Serras iter dirigere. Distat enim Terra ipsa Terra Contursii quasi per milliaria sex. Ecce procedente dicto exercitu, ne Terra Serrarum modo simili vastaretur ex primo concursu gentium sui exercitus, jussit Dominum Vayvodam, & Magnum Regni Hungariæ Senescallum cum comitivis eorum præcedere cunctum exercitum, & ante Serras sistere, usquequo transeat exercitus ille magnus. Hoc autem libentiùs fecit magnus ille Senescallus, quoniam per Dominum Regem ipsum, Comitatus & Terræ Comitis Mileti sibi erant donatæ, ipsaque Terra suo dominio pertinebat, & hac de re Terram ipsam salvam facere libentiùs accesserunt. Est autem Terra ipsa nullis munita fossatis, turribus, seu muris, ut horâ pusillâ posset obsistere potentiæ dicti Regis. Quo casu universa gens Terræ ipsius fugit Terra relicta, & omnibus bonis. Applicante itaque universo exercitu apud Serras, jussi sunt præterire, nemine Terram ipsam intrante, ne depopularetur suis opibus atque robba. Sed præcedens Rex cunctum exercitum, versùs Ebulum properat castrametaturus in campis, & sic remansit indemnis Terra ipsa Serrarum. Pervento itaque cuncto exercitu ad locum, ubi Rex tentoria fixerat, ultra fiumen, ecce nuntiatum est Regi, quòd homines Ebuli cum parte adversa & cum malandrenis Comitis Sancti Severini repugnant, quoniam pro majori parte homines Ebuli Regem hunc invocant, & alii contrarium prætendentes. Quod audiens Rex subitò mandavit ipsum volentibus subveniri. Et ecce Rege mandante infiniti Hungari properant Ebulum, juvaturi eos, qui invocant auxilium sui Regis. Et inventis repugnatoribus, irruerunt in eos viriliter, & in momento disperdiderunt eos potentia, & ex illis quamplurimi perierunt, modicis evadentibus per auxilium nemorum & montium vicinorum, Terra ipsa clamante: *Vivat Rex Hungariæ, noster Rex, & Dominus naturalis*. Stetit autem Rex ipse per biduum in campo ipso, ubi singulæ Terræ vicinæ occurrunt cum suis grassiis, & Syndicis fidelitatem præstare. Gaudet Rex, & cunctus ejus honor exercitus, quòd ejus potentiæ nullus audet obesse, sed quisquis sibi obedire molitur. Ubi dum quiesceret Rex, ecce Nuntii duo venientes Salerno dicti Regis festini properant postulare succursum, dicentes: *Domine Rex: nos quidem nuntii sumus missi ad vos per Nobilem virum Dominum Guillielmum de Rogerio de Salerno, & alios suos consanguineos & sequaces, credentiæ debitæ Majestati vestræ literas deferentes, quas clementer dignemini sumere, & nostra verba intendere*. Cui Rex, *dicite*, inquit, *quæ vobis commissa sunt*. At illi: *Scitote Domine Rex, quòd inimici nostri Salerni sunt in pugna crudeli cum Domino Guillielmo præfato, suisque sequacibus, & jam sunt dies duo, quibus miserunt Neapolim ad Dominum Regem & Reginam, ut in eorum succursum per mare mittant gentes armigeras contra dictum Dominum Guillielmum, qui Terram Salerni servat imperio Regis Hungariæ. Dignetur itaque vestra Majestas, priusquam succursus inimicus adveniat parti contrariæ contra vestros devotos, in succursum nostrum personaliter festinare, scituri, quòd habendo vos Civitatem Salerni tota regio Principatus, & Montana Amalfiæ subjecta imperio vestro erit*. Tunc Rex alacri vultu ridendo clamavit: *Properemus omnes statim succurrere parti nostræ*. Et his verbis prolatis, absque solito buccinarum sonitu Rex primus fuit eques, & totus ejus exercitus post eumdem, & continuato trocto, cursu & passu celeri, ante horam Tertiarum applicuit ante Salernum ipse Rex fortè cum centum equitibus, qui equos celerrimos habuerunt.

Et ecce galêa una Regis & Reginæ armata apparuit per mare ante Salernum, quæ ad clamorem interioris alterius partis in auxilium veniebat. Sed tardus fuit ejus succursus, quoniam Rex Hungariæ primus venit: Ut autem galêa ipsa vidit tantam equitum multitudinem semper crescere ante Salernum, retrahens se modicum intra mare, exspectavit ut videret quid & qualis esset concio gentis hujus. Nuntii autem Salerni, qui venerant ad Regem eumdem, ingressi sunt Civitatem Salerni, & retulerunt: *Ecce jam vènit Rex Hungariæ ante Portas*. Pars autem adversa sciens tanti Regis adventum, & suæ multitudine gentis visa terruit. Et statim, depositis armis, Ambasciatores miserunt amicos ad Dominum Guillielmum & alios Nobiles Caporales inimicos eorum ita dicendo: *A Domino factum est istud, ut novum Dominum habeamus in Regno. Ergo relinquamus inimicitias veteres, & per novum pacis osculum novo Domino unanimiter pareamus. Ut quum nos dudum discordes concordes viderit præsens Dominus, in nostrum beneficium promtior animetur, & non ampliùs bella mutua prosequamur. Sed fraterno more viventes de cetero, quæ pacis sunt, perpetuè assequamur, & communem statum Civitatis hujus nobilissimæ roboremus. Procedamus ergo pariter & devotè ad Regem, qui adstat prope januas Civitatis, & ipsum honorificè cum toto Clero & Populo Civitatis suscipere studeamus. Nec expectemus ulterius, ne ex mora turbetur. Videmus enim potentiam Regis hujus cunctis Regibus prævalere*. Et accedentes Nuntii retulerunt hæc Domino Guillielmo, & aliis suis parentibus & sequacibus Caporalibus, quæ contraria pars eorum pro bono pacis mutuæ postulabat. Auditis itaque verbis iis per Caporales eosdem, & per ipsos pluribus Concivibus, qui adhæserant eis, visâ præsentiâ tanti Regis, significatis verbis partis contrariæ, consultè proviso per eos in causa, placuit eis pacifica postulatio æmulorum. Et miserunt Ambassiatores illos ad eos, qui miserant, eorum referre benivolam voluntatem, & quod eis placeret cum eis adesse, & simul ante Regem procedere cum Clero & Populo, sicut decet. Ut autem responsum placidum acceperunt, depositis armis & corde tyranno, pervenerunt omnes ad Ecclesiam Beati Matthæi, ubi pars altera cum universo Populo Civitatis adstabat, & mutuo osculo pacis dato, simul cum magna laude & Clericorum cantibus perveniunt ante Regem. Quum autem Rex primus ante Terram applicuit, sapientissimè cogitans interiorum præstolabatur responsum. Et in

in quodam vicino jardeno castrametatus est ad quietem. Et sic circa ipsum cunctus post eum exercitus veniens hospitatur in campis absque damno aliquo Civitatis. Veniens autem Clerus & Populus dictæ Terræ apud Regem eumdem, & sibi reverentiâ debitâ factâ per singulos, omnes gratiosè recepit. Et satìs sibi placuit reverentia tanta facta. Sed primùm Rex ipse, velut Catholicæ Fidei cultor verus, flexis genibus delatas Reliquias & Sanctæ Crucis insignia adoravit. Et convocatis certis Principibus & Magnatibus suis eos secum jussit Terram intrare, foras dicto reliquo exercitu remanente. Conducitur itaque Rex sub pallio aureo, sicut decet Regiam Majestatem, & ad Ecclesiam Beati Matthæi Apostoli deportatur; quo Rex ipse perveniens devotam reverentiam Ecclesiæ ipsi fecit, & de recepto honore satìs in Civibus gratulatur. Ubi per horam modicam conquiescens sic fatur: *Fidelissimi nostri, satis ultra, quàm dici valeat, gloriamur de nobis honore collato. Ecce parati sumus quamcumque petieritis libertatem, gratiam & honorem vestra voluntate complere. Etiam, quum credamus in exercitu nostro gentium multitudinem copiosam inesse, & variæ nationis, providimus pro salute Civitatis hujus & vestra nos in campis iis tentoria nostra dare, ut nostro exemplo in Civitatem nullus veniat hospitare, ut vestrum non tœdeat status eorum in domibus, nec licitum eis sit vobiscum lites inferre. Mandamus igitur, & sic per nostrum exercitum divulgari præconia voce jubemus per Marescallos nostros, ut nullus nostri exercitus homo armatus ensibus Terram intret sub pœna personæ, quòdque nullus ipsius exercitus, nec Latinus sit, in Terram veniat hospitare, & sit nobiscum in campis. Si quis voluerit victus necessaria sibi emere, depositis foras armis in Terram veniat emturus suo denario necessaria sui victus. Vosque Concives volumus & jubemus, quòd Portam unam tantùm Civitatis hujus teneatis apertam, quam faciatis diligentiùs custodiri, & juxta quod dictum est observari, ne ex multitudine gentium rumor contrarius innovetur.*

Tunc universi Cives adstantes hilari vultu, verbo placido, & flexis genibus regratiati sunt Regiam Majestatem de tanta provisione solerti, & amore monstrato, clamando singuli: *Vivat, vivat Rex noster*. Facto itaque in hora silentio Rex petiit: qui Castrum superiùs custodiret? Et responsum est ei: *Castrum hoc usque modo custoditur pro Domino Comite Sancti Severini. Creditur tamen, quòd custos ipsius pretio redderet Castrum ipsum*. Tunc Rex convocavit Dominum Guillielmum prædictum, & ait illi: *Tentetis pretio Castrum habere: sin autem faciemus quod congruum sit, ubi pretio haberi non possit*. Cui præfatus Miles ait: *Credo Domine, quòd Castrum ipsum haberi poterit pretio causa rationabili tali. Nam in Castro ipso modica victualia sunt. Verumtamen tentare incipiam statim voluntatem custodis*. Cui Rex: *Solicitè facias, quoniam tibi incumbit, & te vocat iste labor*. Abiit autem Miles ipse, & mittens unum de familiaribus suis ad Castrum, rogari fecit Castellanum ad mutuum habendum colloquium. Accessit nuntius, & referens sibi commissa, placuit Castellano, quæ sunt dicta sibi. Et rediens nuntius retulit dicto Domino Guillielmo beneplacitum Castellani. Quod audiens Miles ipse statim cum duobus suis famulis versùs Castrum accessit. Quem videns Castellanus ascendentem ad ipsum, statim ve-

A nit obviare sibi in via, & simul juncti retulit ipse Miles de restitutione Castri. Et factis hinc inde ratiociniis pluribus, tamdem ad concordiam devenerunt, quòd ubi Dominus Rex dicto Castellano mille Florenos donaret, ipse Castrum libenter restitueret ei. Præfatus autem miles, ipsius Castellani cum vera fide promissione accepta, rediit festinus ad Regem, qui foris in campis castrametaturus accesserat. Et sibi retulit Castellani responsum. Convocans autem Rex suos Proconsules & militem eumdem, retulit hunc tractatum. Et responsionem acceptam, super qua per eos pro visa maturiùs liberatum fuit plenum consilium dictos mille Florenos fore ipsi Castellano solvendos, dum tamen B nulla deceptio committatur. Tunc accessit miles idem iterum apud Castrum, & loquens cum Castellano, voluntatem Regis sibi aperuit, & promissionem Florenorum mille spopondit. Placuit Castellano colloquium dicti militis, & spondente dicto milite promissum pretium sibi dare, simul cum eo pervenit ad Regem, & debitam reverentiam faciens, suscipitur cariùs à Rege, dicto milite indicante. Tunc Rex convocans Thesaurarium suum, Florenos mille sibi jussit protinus exhiberi. Et eo Castellano spondente Castrum Regis nuntio resignare. Et dum sic maneret in campis, ecce pervenerunt ad Regem Archiepiscopus Amalfiæ, & Syndici Civitatis ipsius, Syndici Ravelli, & Scalæ, Castri Maris, C & Terrarum circumstantium, Casalium, & Castrorum, unus post alterum se coram Rege præsentant, & universa provincia Principatus Syndicos miserunt ad eum, fidelitatis homagium offerentes. Quos idem Rex generosè recipiens, fidelitatem ipsorum diligentiùs acceptavit. Stetit autem Rex idem in loco per dies quatuor continuos, usqueque concursum Nuntiorum & Syndicorum Terrarum circumstantium cessare cognovit. Et amoto inde exercitu versùs Neapolim dirigit iter suum, & transiens per Casalia Sancti Severini per Valles, quia gens ipsorum Casalium territa timore transeuntis exercitus dimissis propriis domibus atque robba, ad vicina nemora convolarat, jussit Rex, ut spatio brevis D itineris fideles quidam milites remanerent, ne Casalia prædarentur in transitu exercitus consequentis. Et sic factum est. Erant autem domus ipsorum Casalium omni plenæ grassia, & abundantia vini, ita quòd in ipso transitu panis & vini ac gallinarum & anserum quisquis volens audebat accipere modicum, non in multum. Et sic ipso Rege mandante salva facta sunt Casalia ipsa. Donaverat autem idem Rex Comitatum Sancti Severini Domino Stephano Vayvodæ Transilvano suo fideli Consiliario & Collaterali carissimo. Et tunc Dominus idem jussit suo militi Domino Johanni Chutz Hungaro, quòd Terram Sancti Severini, quæ caput est Comitatus affati, suo nomine apprehendat. Quod idem miles E cum diligentia fecit, Officialemque ibi constituit quemdam militem, qui Officialis fuerat pro parte Comitis Sancti Severini præfati, Castrumque Sancti Georgii proximum custodiæ Hungarorum commisit. Et post Regem jam dictum properat miles ille.

Rex autem applicans Schafatum, quod Casale minimum est Abbatiæ, Abbas loci pontem fluminis jussit eripi, ne transiret exercitus. Tunc Rex per adstantes Latinos moneri faciebat dictum Abbatem, qui Castro manebat, quòd pontem reparari faceret causâ sui exercitus transitus, quòdque Castrum suo daret imperio. Monachi autem & Ministri dicti Abbatis cum excusa-

cusatione dicebant: *Noster Abbas non est heic, sed Neapoli ad Dominos Regem & Reginam. Nos autem absque ejus mandato Castrum hoc nulli liberare valemus. Propterea nos præsenti Domino Regi rationabiliter credimus excusari. Reparatio tamen pontis nobis non stat, sed hominibus loci hujus*. Iratus autem Rex de responsione tyranna, jussit Hungaros flumen transire, & transeuntes equorum potentiâ fluvium, irruunt in Casale, & homines Casalis percutiunt cum furore, totumque Casale consumunt in præda, & per villanos illos pontem faciunt reparari, ut quisquis valeat transire securus. Videns autem Abbas & Monachi, suique famuli Castri custodes, Hungaros cum equis tam magnum fluvium transivisse, territi facti sunt vehementer, maximè quum videbant gemitus clamantium hominum sui Casalis. Et tunc cœpit Abbas palificare se ipsum, & ait adstanti viro, cui nomen Nicolaus Matthiæ de Manfredonia, dicti Regis Magistro Rationali, ita dicendo: *Vir Nobilis & amice carissime; quia in aspectu vos novi fore Latinum, precor, quòd Domino Regi mea parte dicatis, quòd ubi placuerit Majestati suæ velle coram eo me fideliter præsentare, & suam gratiam postulare, paratus in omnibus suis obedire præceptis*. Audiens hoc nobilis ille, festinus accessit ad Regem, & quæ retulerat sibi Abbas retulit dicto Regi. Rex ut audivit promissionem Abbatis, convocatis Collateralibus, placuit Abbatis promissio. Et misit ad eumdem Abbatem ante ipsum Castrum causâ securitatis majoris Dominum Dionysium, dicti Domini Vayvodæ filium, cum certis aliis viris magnificis, & Magistro Rationali jam dicto, ut ipsum ex parte Regia securè reducerent ante eum. Vadunt ipsi ante Castrum. Est autem Castrum ipsum aqua rivi duplicis ab ipso flumine circumdatum, qua quis nequibat Castro hærere, & propterea Magister Rationalis idem Abbati loquitur, Regi gratum fore, quod per eum spoponderat. Et ille descendens ad Portam inferiorem Castri vacillando loquebatur cum illis, ac si pœnituisset spopondisse, quæ dixerat. In tantum enim nobilis ille Abbatem ipsum confortando alloquitur, quòd ultimò illum animavit ad Regem accedere. Quem Rex idem gratiosè recipiens, petiit Castrum velle intrare, & properans ingressus est Castrum, & ibi prandium Rex assumit. Hora igitur Vesperarum adveniente, Rex Castrum egreditur, illudque custodiæ dicti militis Dionysii mancipavit. Quod ille diligentiùs capiens, Rex cum toto exercitu inde recessit, & longè ab ipso Castro per milliaria quasi tria circa flumen hospitatur proximum Castro Maris, ibique per dies duos suos figit incessus. Recedente itaque Rege à Castro prædicto, idem miles Dionysius cum Hungaris suis remansit ibidem, & capiens dictum Abbatem, scire ab ipso voluit, quas cumulaverat opes. Qui velle nolle indicans gazas suas, extorsisse sibi dicitur magnum thesaurum, ultra decem millia Florenorum, omnesque suos Monachos & familiares domesticos eduxit à Castro, Hungarorum suorum fidelium custodiæ Abbatem & Castrum delegando, omneque foragium frumenti, vini, & olei, aliarumque comestibilium rerum, quæ inveniuntur in vicino Casale, jussit in Castrum induci, quoniam locus sibi complacuit ex fortitudine fluminis circumdantis. Accepto itaque sibi dicto milite jam dicto thesauro, & Castro ipso diligenti commisso custodiæ, post Regem properare conatur, & sicut egerat nuntiat dicto Regi, thesauro sileto.

A Et dum sic Rex in campo ipso quiesceret, Nuntii & Syndici circumstantium Civitatum, Villarum, & Castrorum undique concurrunt ad ipsum, fidelitatis homagium præstituri libenter. At Rex recipiens singulos ad gratiæ suæ sinum, singulos vultu hilari conspicit, singulos diligit, & honorat, ostendendo se mixtim magnificum & humanum. Et ex hoc ex partibus circumstantibus locis ad ejus exercitum cum multifariis grassis securè concurrunt. Civitas autem Surrenti in sua fortitudine se confidens, se subdere noluit imperio dicti Regis. Quo ad aures sui perducto, jussit quòd per mare viri Castri Maris, viri etiam circumstantium Terrarum ad guastum & perditionem bonorum suorum unusquisque procederet, ut tyrannus, usquequo B convicti tyrannitate propria, Regis ejusdem imperio se convertant. Cujus mandato concurrunt universa loca maritima & montana partium Amalfiæ, & ad subvertendam duritiem Surrentinam unusquisque conatur. Unde maxima rerum strages fit Civibus dictæ Terræ. Rex autem per nuntios sibi missos expressè à suis Comite Nicolao & Corrado Lupo in novis acceperat, quòd certa rationabili causa, omni mora deposita apud Aversam properè dirigat iter suum. Quibus novis idem Rex consultè providens, acceptis sibi ab ejus exercitu nobilibus viris ducentis, cautè recessit à dicto exercitu, & apud Aversam properat, quò vocatur. Mandaverat autem C dicto Stephano Vayvodæ, quòd paratis negotiis regionis, apud Aversam festinus accedat cum omni exercitu. Quod libentiùs faciens ipse Dominus cum discretione matura Officiales constituit Regios in eisdem partibus optimos, quos elegit. In Salerno misit Dominum Nicolaum de Rogerio Hungarum, ut ibi & convicinis Terris solitis dominaretur & regeret. In Castro Maris & partium suis solitis constituit Nobilem alium Hungarum, & similiter egit Nuceriæ, Amalfiæ, in Sancto Severino & locis quibuscumque. Et contra Surrentinam Civitatem crudelem crescere guerram jussit. Post dies verò tres aut quatuor ipse Dominus magnum inde D jussit exercitum removeri, ut ad Regem perveniat in Aversam. Et transiens subtus montana Summæ pervênit ad Terram Octayani, ubi quia nullum sibi obstaculum fuit illatum, molestiam nullam fecit. Deinde præcedens pervênit Summam, cujus vias invênit arctis passibus interruptas, ut vix posset quis inde transire. Sed quia undique cautus erat ejus incessus, nullum sinistrum evênit in passibus interruptis, quoniam præcursores continuè præcedebant exercitum propter occultum insultum. Sed perveniens Summam, invênit ipsam bene fossatam & sticcatam, & infinitis armigeris custoditam, ubi erant præter Cives Terræ de usatis Malandrenis viri septingenti & ultra, vocati & constiE tuti ad custodiam Civitatis. Ut autem adhæsit exercitus Civitati, non animo prœliandi, sed transitivè, ecce quamplures jactus balistarum irruunt super viros exercitus Hungarorum, missi ex intima parte Summæ. Quod videntes Hungari absque culpa offendi in transitu, depositis equis, & acceptis arcubus jaciunt respectivè. Tunc Dominus Vayvoda jussit plurimos Theotonicos & Hungaros armatos corporibus fossatis hærere, depositis equis. At illi protinus, datis equis eorum famulis, fossatis Terræ se viriliter adhæserunt. Et primus quidem prænominatus Dionysius Miles Vayvodæ filius armis confisus indutis, & galea super caput, gladium gerens in manibus, ferreas chirothecas more strenui Mili-

Militis in duello, se fossato immisit, & post eum Hebinger Theotonicus quidam, & Hungari duo alii animosi. Et ingressi sub proelio, durus in eos insultus lapidum inchoatur. Strenuus autem Miles curvare faciens Theotonicum Hebinger, pedibus saliit ejus dorsum, & manu capiens trabem sticcati, ad impugnantes Cives ascendere se conatur. Contra quem in puncto vidi in eum insurgere varios percussores, & in momento percuti à percussoribus ultra centum, quis lancea super pectus, quis super galeam, cum securi & clava, quis magna trabe de puncta feriendo in eum. Et numquam valuerunt manum illius eripere à trabe recepta, stando suis pedibus super dorsum Hebinger memorati. Quod videns pater Vayyoda, de celeri succursu filii animatur. Et animans universos, assurgunt diris vocibus contra hostes, & per diversas partes irruunt universi. Tamdem præfatus Miles, gladium habens in manibus, fossatum primus potenter ascendit, & solus inter plurimos statuitur inimicos, ac contra omnes gladio viriliter repugnabat, quo nullus manus jacere potuit super eum. Fidelissimi itaque sui socii post eum principales ascendunt, & gladiis ferientes in hostes, in tantum prævaluerunt potentiæ hostium, usquequo cœperunt ascendere alii militones.

Videntes autem viri Summæ non posse resistere fortitudini Hungarorum, levitatem pedum exigunt in succursum. Sed ex multitudine fugientium anteriorum postremi & medii attriti gladiorum ictibus affollantur. Et quasi eos usque juxta inexpugnabile Castrum Summæ & Montanæ fortilitia insequuntur. Mulieres autem eorum & pueri ante mane fecerant Castrum ascendere cum omnibus rebus, quas commodè ducere potuerunt. Ingressus est autem universus armiger memorati exercitus in Terram Summæ, & fugatis omnibus inimicis Terram discurrunt & prædant, virosque interceptos percussos vel vivos carcerant & reportant. Magnaque strages rerum in ea fit per exercitum intromissum in vegetibus vini præcipuè, quas spargebant: vina Græca & Latina immoderatè vastantur, patronorum culpâ volentium cum tanto exercitu in eorum transitu proeliare. Et certè ut æstimare potui, plusquam septingenti viri Terræ illius mortui sunt in conflictu, & quamplures carcerati ducuntur; animalia & robba eorum in prædam servata sunt Hungarorum. Tunc Dominus Vayyoda perquiri faciens, si aliquis sui exercitus defecisset in proelio, & perquisito per Comestabulos cognoscentes sequaces eorum, nullus inventus est defecisse, nec fore percussum. Et pulsatis buccinis & tubis ad gaudium, factoque de obtenta cum eorum gente victoria solemni triumpho apud Deum, jussit idem Dominus abinde suum exercitum removeri. Et incedentes pervenerunt ad Villam Marillani, ubi nec masculi nec fœminæ sunt inventi, sed domus eorum munitæ, à qua unusquisque volens necessaria capiebat. Quia tamen Vexillum Regium præcedebat, neminem exspectando, modicum immo paucissimum ibi damnum infertur per viros exercitus transeuntis. Quum autem pervênit exercitus in planitie Viridarii prope Acerras, suos ibi præfixit incessus, & equos arreptis briliis pascua parata sumere permiserunt. Et requievit in eo per biduum exercitus congregatus. Infra quos Hungari plurimi soliti guerrizare, labori equorum & proprio non parcentes, versùs Nolam discurrunt & militant ad lucrandum. Terra autem Acerrarum vicina inhabitabatur, nisi tantum Castrum, quòd à constitutis custodibus servabatur, & per universam provinciam Terræ-Laboris, & usque Neapolim militando discurrunt. Ubi certè vidi somerium vendere gra .... decem. Miseri autem, qui ferebantur captivi, diversis tormentis oppressi, evulsionibus dentium, mutilatione manuum, nariumque truncatione sequuta, pecuniis oportebat eos redimere corporis sui salutem. Eratque tanta miserorum copia captivorum, quòd singulis noctibus, tota quasi nocte dolore pessimæ ligaturæ membrorum ululatus eorum & inexaudibilis planctus crescebat in aërem, nec ulla erat compassio apud illos. Solùm autem eorum erat refugium forma nummi.

Et ecce Nuntii duo Regis illustris ad Dominum, quòd omni mora deposita seu causa, apud campum Aversæ majoris exercitus gressus ducat. At ille Nuntio audito, jusso buccinarum & tubarum sonitu, unusquisque se parat ad iter, præcedens sequendo Vexillum, & continuato itinere pervênit exercitus ante Regem in obsidione Aversæ. Ibi congregatus est uterque exercitus, & circa Terram statutus est conquiesci. Ubi, ut arbitror, adunati sunt viri servitio dicti Regis Hungari quasi triginta millia equites singuli & potentes; Theotonici equites & bellicosi quasi quindecim millia; Lombardi & Tusci & Brigantes & alii pedites quasi viginti millia: Latinorum autem Regnicolarum Armigerorum quasi milliaria sex. Erantque cum Rege ipso Latini Comites & Magnates Regni subscripti. Primus quidem erat Comes Celani, gente sua sociatus decenter. Secundus erat Matthæus de Celano frater ejus cum decenti comitiva virorum aptorum ad pugnam. Comes Apicii jam dictus cum egregia comitiva. Comes Triventi cum suis armigeris & vexillo. Comes Sancti Valentini, & filius cum nobili turba virorum solitorum ad proelium. Dominus Gentilis de Sancto Georgio cum honorabili turba gentis. Dominus Jacobus de Laconissa, & fratres cum eorum vexillo honoratos viros adducunt. Pluresque alii Nobiles & Barones partium remotarum utriusque Aprucii, Apuliæ, Basilicatæ, Vallis Beneventanæ, Principatus, & Terræ-Laboris undique venerunt ad Regem, conantes pro posse ipsorum possibilitatem ostendere, qu .... servire & placere videantur potiùs summo Regi. Infra quos Rex idem existens in solio gloriatur, & magìs ac magìs continuè semper augebatur exercitus. Ibi singula Casalia, Civitates, & Castra Terræ-Laboris cum grassiis panis, vini, hordei, carnium, aliarumque comestibilium rerum semper occurrunt, quæ fertilitatem rerum omnium in exercitu affluebant, & unusquisque suo denario semper inveniunt quidquid volunt. Et dum sic Rex in obsidione maneret Civitatis illius, in cujus regimen & inexpugnabilis Castri custodiam præerat nobilissimus miles Dominus Jacobus de Pignatario, qui fidelitate Regis Lodovici Latini & Reginæ consortis servabat eamdem, requirere fecit, ut moris est, jam dictum Jacobum per specialem ambassiatorem, si vellet gratis reddere Civitatem & Castrum ejus imperio, parati sibi pro merito respondere, & Civitatem penitus servare indemnem, omneque pactum, & gratiam, quod & quam convenienter petierit per arrham verbi Regii complere spondebat, literasque credentiæ nuntio scribi jussit. Abiens igitur Nuntius securus Terram ingressus est Aversanam, & perductus ante dictum militem, literas credentiæ protulit ad legendum. Quas miles idem honore debito sibi caput aperiens

riens, & uti Ambassiatorem tanti Principis conveniebat, suscipiens, legit & perlegit literas sibi missas, & earum percepto tenore sic fatus est Nuntio illi: „ Amice carissime, refer audacter, quæ tibi commissa sunt à Rege tuo mihi dicenda. „ At ille: „ Dominus meus Rex Illustris Hungariæ, cujus cordis non est cuiquam suam potentiam cum tyrannitate monstrare, sed misericorditer & humanè volens cum singulis agere, non attendens ad ea, quæ facta sunt contra ejus honorem, tanta per vos rebellione monstrata; omnibus, qui ejus imperio consenserint fideliter se submitti, in quantum enormiter deliquisse in ipsum, quocumque casu contigerit actu guerræ, sereno vultu, animoque placato promtus est indulgere clementer, & dignis rependiis munere suæ gratiæ confovere. Ne igitur videretur in fortitudine sua contra vos & incolas Terræ hujus suam celavisse clementiam, quamvis ante suum felicem adventum sui præmiserit partem exercitus vos arcere, intendens ipse solertior ad partes alias Regni ejus subjiciendas imperio, per quas transitum habuit, in veniendo hucusque, ubi nullum nisi apud vos invênit obstaculum, mandaverat tamen Rectoribus dicti sui primi exercitus, ut in nullo consumerent substantiam Terræ hujus, ubi in rebellione consisterent Rector & incolæ Civitatis, sed sic obsessos servarent indemnes. Et si usque nunc aliquod factum est damnum, non obsidentis exercitus culpa perfectum est, sed vestramet tyrannitate processit. Igitur quum Dominus ipse Rex nunc heic præsens sit, sicut certificari potestis, si volueritis, vestrorum sic damnorum compati, quæ facta sunt, & majorum, quæ sequerentur vestra rebellione durante, priusquam regalis clementiæ vultum divertat à vobis, & ad ultionem monstratæ rebellionis in ipsum contra vos nocentem inducat potentiam dexteræ suæ, per me suum minimum famulum vos voluit misericorditer prævenire, volens & admonens vos, ut deposito vestræ rebellionis errore, ad suum verum imperium reducamini fideliter absque fraude, quum paratus sit qualemcumque gratiam vos & Civitas hæc sciveritis congruenter requirere, ubi suam servaveritis voluntatem, vobis & Civitati huic juxta petentium qualitates effectualiter adimplere; vobisque singulariter & generaliter quæcumque commissa sunt contra culminis sui decus remittere gratiosè. Hæc verba per me suum Nuntium firmiter verbo Regio pollicendo. Ubi verò malueritis potiùs tyranni fieri, vobis ipsis non compatiendo neque providendo consumtioni bonorum vestrorum, quæ extra vos sunt, infra potentem exercitum & consequenter depopulationi intimæ Civitatis, & vestræ, & pressuræ personarum vestrarum, quum ad longum non poteritis tolerare tanti Regis potentiam, & hostilis exercitus. Reducens ad vestri memoriam verbum Christi, quod dictum est Sancto Paulo: Durum tibi est Saule; Saule, qui me persequeris, contra stimulum calcitrare. Ex nunc ipse meus Dominus, quòd pius vobis & placabilis esse noluerit, se apud Deum excusat, vestrum met testimonium, quando necesse fuerit invocando. Videtis enim Dominorum vestrorum Regis & Reginæ, quos colitis, imperium diminutum voluntate divina ex patrata morte innocentis Regis Andreæ. Meorum itaque verborum de commissa mihi Ambassiata per Dominum, completo colloquio, quid vestræ sit voluntatis mihi quæso fideliter respondete, ipsi meo Domino fideliter referendum.

Tunc Dominus Jacobus antefatus curialiter loquendo Nuntio illi dixit: *Amice carissime, præstolare modicum, ut tibi consultiùs respondere possimus*. Et constituens cum eo certos providos juvenes Civitatis in socios, ipse cum quampluribus Civibus & Populo longè se fecit ab ipso, & per horam causæ ratiocinio perscrutatæ per universos, commissa fuit responsio militi nuntianda. Et venientes ad Nuntium Regium jusso silentio miles ait: „ Honorabilis Ambassiator, & Amice carissime, semper loquendo cum observantia fidelitatis Illustrium Dominorum nostrorum, Dominorum Regis & Reginæ Hierusalem & Siciliæ, quos summa Dei Majestas in statu prospero & triumpho servare misericordia sua dignetur, ad ea, quæ vestra discretio mihi & incolis Terræ hujus ex vestri Regis parte proposuit paulò ante, licèt illa Dominorum nostrorum fidelitate pensata acceperimus displicenter, tamen quia quod datum est desuper, nullus potest effugere, & quod manifestè videmus, quòd causa hæc generalis sit Regni pestis, ob hoc assertorum displicentiâ remotâ verborum, ipsorum Dominorum nostrorum voluntate servata, vobis taliter respondemus. Regratiantes primò clementiæ tanti Regis, qui nostrûm sibi rebellium simplicitatem non intuens, sed sua regali benignitate solita, ex quo primum suum ante nos misit exercitum, prohibuit nulla nobis pericula seu damna inferri in exterioribus bonis nostris, quæ ipsorum potentiæ consistebant, licèt ex abundantia equorum & Populi sit inestimabile nobis damnum. Nunc autem eo veniente cum tam grandi exercitu super hanc Civitatem, compatiens, ut dixistis, Civitati huic, per vos suum Nuntium nos voluit admonere de futuris periculis nos sano consilio fulciendo. Et ecce fatemur magnam in hoc Regis clementiam abundare. Novimus autem, me & homines Terræ hujus, illius non esse potentiæ, qua possimus per nos defendere Civitatem, vel per horam obsistere tanto Regi. Quòd si Civitas hæc libera per se foret, absque obstaculo rebellionis, cuiquam forsitan potenti Regi se volenter submisisset. Sed quia Christiana Plebs sola fide Christo submissa est, per exemplum .... & Regna subjecta Regibus solo sacramento eis ligata sunt, quocumque casu sibi fore fidelia, præcipuè in hoc casu, quum persona Regis præsentialiter ubique stare non possit, recepto fidelitatis debito juramento à Civibus Terrarum & Castrorum sui imperii per Officiales & Vicarios, qui præsunt in illis, Civitates ipsæ per se fideliter conservantur. Ego autem missus huc ad ipsius regimen Civitatis per eosdem nostros Dominos Illustres, Dominos Regem & Reginam confidentes in me suo milite, hique sui Vassalli fideles sacramento fidelitatis adstricti, verentes in perjurio Deum offendere, & sacramenti præstiti fidem frangere apud illos, ne fama proditorii nominis labefacti, proditorio nomine processu temporis arguamur, ad evitandam Summi Regis in perjurio læsionem, & proditorii nominis turpem famam, quodque periculum imminens fidelitatis corruptæ, quæ per vos nobis ex parte Regis vestri prolata sunt, nostris Dominis apud Neapolim

,, primò providimus nuntianda, ut processu
,, temporis ab eis vel alio non possimus argui,
,, nec turpis nominis fama lædi. Precamur ita-
,, que laudabilem discretionem vestram preci-
,, bus subjectis, ut verbis nostris simpliciter ita
,, prolatis ex brevitate sensus personæ loquentis
,, sensibilitatis vestræ profunditate concursis sic
,, me loquentem, & Populum Terræ hujus co-
,, ram tantæ Majestatis pedibus commendetis,
,, quòd ejus furor regali superatus clementia
,, contra nos & bona nostra non sæviat, sed
,, vobis operantibus mansuescat, donec ab ipsis
,, nostris Dominis de prolatione verborum ve-
,, strorum nobis respondeantur suarum placita
,, voluntatum. Credo etenim miles ego & ita
,, inter singulos æstimo semper . . . . . si supe-
,, rioris conscientia Domini inconsulta, de bo-
,, nis suis quis præsumsit innovare, præcipuè in
,, hoc casu, sic de me loquendo, ubi vellem
,, cum his Concivibus hanc restituere in manus
,, Regis al . . . . ipsis nostris Dominis
,, conscientiâ nullâ factâ, quòd non solùm ab
,, ipsis nostris Dominis, verùm etiam ab ipso
,, vestro Rege proditores pessimi haberemur,
,, essetq; nobis perpetua infamia, & personarum
,, periculum in futurum. Qua ratione ubi nunc
,, suo videmur imperio adversari, tanta Maje-
,, stas habere nos debet rationabiliter excusatos,
,, quum non liceat nobis absque sui notitia
,, fidem in talibus frangere nostro Regi.

Et finito eloquio d . . . . Regio Nuntio usque ad exitum Portæ Civitatis ipsius, jussus est sociari. Vênit itaque Nuntius ante Regem, qui in Ecclesia Sanctæ Mariæ Nuntiatæ moratur. Et quemadmodum assertio sua fuerat, & qualis accepta responsio, protulit ipsi Regi. Rex audiens responsionem affatam, illam adunato Consilio publicavit & super causa rimato prudenter, visum est dicto Regi & ejus Consilio providè fore responsum. Verumtamen sic ait: *Ne frustrari videamur in tempore, ad quid sit agendum, faciliter intendamus, & fiant scalæ infinitæ, pontes, & ingenia, liga, & trabucci interim usquequo nobis ipsis placuerit respondere. Brevis est enim via mittendi Neapolim ad suum Regem & Dominum, & citò nobis poterunt respondere.* Tunc jussum est per Marescallos exercitus parari trabuccos, pontes, & scalas plurimas, & ingenia universa, per quæ Terram ipsam possint potenter invadere circumquaque, ubi non velint voluntariè reddere Civitatem. Et sic convocatis Magistris quampluribus incipiunt facere ingenia ipsa cum expressitate majori. Expectata itaque per dies quatuor responsione intima Civitatis, quia nulla inde recipitur, nisi rebellio, jussit Rex contra Civitatem semper insurgere bellicosè, & nulli parcere, si quis posset haberi. Jussit verumtamen, quòd nullum guastum fieret in arbustis & exterioribus bonis. Infestantibus itaque viris exercitus circa murum cum balistis & arcubus, sæpiùs committitur badaluccum hinc inde mortale, & sæpiùs idem Rex accipiens Pallarensem & Lanceam, ad badaluccum personaliter ibat quasi ad festum. Factis autem trabuccis pluribus jussit Rex projici intus Urbem per loca diversa, ubi magnum damnum projecti lapides faciunt apud domos, & quasi nocte dieque non videntur deficere projectores. Et ecce famosum nomen insonuit per universum exercitum, quòd Illustris Domina Domina Maria Ducissa Durati, quæ in Castro Ovi Neapolis consistebat, Dominum Marinum Rumbum de Neapoli militem suum Nuntium miserat di-

A cto Regi, & apud Villam Trentulæ proximam,
dicto exercitui Rex iverat loquuturus militi
memorato. Et ferebatur, quòd ideo venerat,
quòd ipsa dictum Regem petebat in virum,
pro ut ex ordinatione incliti Regis Roberti
ante processerat. Cujus militis Rex accepto
colloquio remisit militem, & ad exercitum est
reversus, & hujusmodi matrimonium Rex comp.
. . . . unusquisque testatur. Sed nonnisi
quod datum est desuper . . . . Quia verò
non licuit mihi scribenti rei hujus secretum Re-
gis . . . . postulare, quare tale . . . . . .
completum non fuerit . . . . . . Sed Rex idem
sollicit. . . . . . . Civitatis . . . . . . bat fortifi-
care . . . . Terræ-Laboris miserat
B . . . . equites . . . . currebant, quod
ex universa Provincia Terræ-Laboris & circum-
stantium regionum Syndicis ad Regem jam di-
ctum . . . . . . veniebant, homagium fidelitatis
debitæ præstituri . . . . durantibus. Quos
Rex idem recipiens gratiosè singulis hilarem
vultum ostendit.

Qua causa die quodam congregato Consilio . . . . & Castrorum custodes illis tenens modum hunc apud omnes . . . . . statim quòd aliquod Castrum seu Terra præcipuè, in qua fortilitium esset, sibi volenter respondebat, suum m. . . . . bat officium, ut præesset regimini dicti loci, inter alia mandans officio, quod in missione victualium necessariorum exercitui unus-
C quisque à Terra qu. . . . . . non deficeret omni die; & hac de re in exercitu ipso fertilitas omnium abundabat, quamvis circa Neapolim discurrentes armigeri dicti Regis de nocte & die plurima vina & victualia capiebant, usque ad muros currentes Civitatis ipsius. Quorum incursibus crebris Neapolitani continuè flagellantur. Quodam autem die dum strenuus miles Dominus Petrus dictus Vicevayvoda Hungarus apud Neapolim militasset in prædam . . . . juxta Pontem Guiczardi invenit animalia onerata victualibus, & fa. . . . . fer. . . . sexagi. ta. Quæ intercipi jubens & conductores ligari, modicis evadentibus auxilio illius ad . . . . . . nam Neapolis rumor fit in Urbe,
D quòd modici Hungari ceperint tanta eorum victualia circa Pontem. Et pulsatis campanis in Urbe efficitur magnus rumor. Audiens autem miles rumorem Populi currentis in eum, & videns currere plurimos, jussit quòd . . . . suis consociis cum præda præire festinè apud Aversam. Ipse autem cum . . . . . tribus sociis remansit juxta Pontem descendendo ab equis, ut quiesceret, usquequo . . . . proximi fierent occursores. Et ecce infiniti pedites Pontis fortilitiis adhæserunt, exspectantes turbam equitum futurorum. Et post paululum veniunt equites infiniti stipendiarii Regis, & Neapolitani ultra tre. . . . . Ut autem miles ipse vidit turbam equitum copiosam, sapienter cogita. . . . . . .
E *Ecce nos videmus tantos in nos insurgere inimicos . . . . infinitos, quibus nos, qui tam modici sumus & . . . . . . liter . . . . cum longè . . . . . . Equitemus itaque eques . . . . passim . . . . multitudine inva.* . . . .
. . . .
. . . .

Insequentes autem Hungari equites nec minus pedites videntes Hungaros ante fugere . . . . . . potiùs ad sequelam cursu velocissimo currendo post illos . . . . labore cursus affollantur, calore pedites & equi multo . . . . ipsos quasi per milliaria duo sequuti fuerint animosè. Et jam præcursores . . . . adhærere fu-

fugientibus Hungaris providus Hungarus miles . . . . . habens giganteam, in fortitudine sua, & sociorum confidens moderatis habenis sonipedum, acceptis arcubus & sagittis subitò viriliter se revolvunt in æmulos persequentes, & hinc inde currentes, medios autem æmulos cœperunt acriter sagittare. Insequentes verò æmuli videntes Hungaros revolutos ad pugnam, eorumque equos longè percuti jactibus sagittarum, terga vertentes refugiunt apud Neapolim, quantum possunt, & obviantibus mutuò fugientibus cum illis, qui venerant ad pugnandum, videndo socios fugere, præ timore unus alterum præcipitabat ab equis. Nec minus Hungari persequentes ab illa persequutione cessabant, sed tanto promtiùs sequebantur. Ut autem Hungari cœperunt in via adjungere fugientes, quamvis præ nimia velocitate timoris & percussionibus sagittarum aliqui defecissent in via, tamen non sinebant antecedere Hungari pluribus eorum depositis arcubus, & acceptis gladiis terga fugientium crudeliter . . . . Nec erat quisquis illorum ausus manus erigere ad defensam. Videntes autem . . . pedites suos equites ante fugere Hungaros, territi timore mortis, repositis pallarensibus magnis in terram lanceis & balistis unusquisque cogitabat perso-


A

nam salvare propriam. Sed ex quo Neapolitani & stipendiarii equites immoderatè accurrentes cœperunt cum peditibus . . . . immisceri . . . . Gavisus itaque Rex tanta strenuitate militis supradicti & . . . . . . sodalium Hungarorum totus hilaris factus est & hilaritatem . . . . ferat in vultu, satis commendans quæ fecerat in bellicis miles . . . . . . qui sibi retulit ordinem talem . . . . Ducuntur igitur captivi miseri ad Cabannas . . . . illos, sibi ligantur suppliciis & torturis continuis . . . . . . pecunia redimant quilibet corpus suum. Et ligati continuè nocte & die miseri macerantur. Solus eis superest ululatus. Steterat . . . . Rex ante Aversam

B

per dies viginti septem & ultra in obsidione Terræ. . . . & insultu, & paratis omnibus ingeniis, scalis, & pontibus, quæ mandaverat . . . . quodam die jussus est neminem ab exercitu discessurum . . . . . . insultu Terræ agendo quilibet interesse. Erant autem homines . . . . Aversæ quasi fame convicti pro majori parte & incipiebat illis . . . . aliqui de Populo ut poterant habil. . . . .

Cetera usque ad finem desiderantur.



HISTORIÆ
PARMENSIS
FRAGMENTA

Ab Anno MCCCI. uſque ad Annum MCCCLV.

AUCTORE

FRATRE JOHANNE
DE CORNAZANIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

Latinè primùm, ſed heic tantùm Italicè ſcripta,

CUM ADDITAMENTIS

Uſque ad Annum MCCCCLXXIX.

Nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE TORELLIANO.

IN JOHANNIS CORNAZANI HISTORIAM PARMENSEM

PRAEFATIO


LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DEdi Chronicon Parmense, magni certe faciendum, Tomo IX. Collectionis hujus. Sed quoniam illius narratio non excedit primos Annos Seculi XIV. non desinebam ego inquirere alterum Scriptorem, cujus cura Parmensium res gestae per tempora subsequentia literis consignatae fuissent. Certe non desiderantur Historici alii, ex quibus, si ederentur, & illustri Urbi decus accessisset, & Italicae eruditionis census eorum ope fuisset adauctus. Ego vero, quandoquidem meliora dare non possum, quod possum exhibeo, nempe Parmensem Historiolam ab Anno 1303. ad 1355. deductam, quam mihi describendam concessit ex MSto exemplari suo Comes Franciscus Torellus, vir cum antiqua nobilitate, tum amore Literarum summe apud nos spectabilis. Ejus Auctor *Johannes Cornazanus* fuisse dicitur, ex Ordine Praedicatorum, qui eam Latine scripsit. Hanc autem in Italicum sermonem convertit *Angelus Marius de Herba Parmensis* Scriptor minime antiquus; ejusque versionem, quando Latinum textum dare non licet, ego publici juris facere statui, ne & hoc deperiret amatoribus illius Urbis. *Johanni Cornazano* adscriptam dixi hujusmodi Historiam. Verum dissimulare nolo, in eodem Codice Torelliano haec in fronte Libri adnotata fuisse. *In nomine Domini Amen. Incipit quaedam Chronica retracta, & abbreviata ex antiquis Chronicis de factis Civitatis Parmae, cum aliquibus adjunctis de aliis Civitatibus Lombardiae, & etiam de his, quae tempore mei Johannis Judicis infrascripti vidi vel audivi facta fuisse in Civitatibus Lombardiae, & scripta per me Johannem quondam Domini Zilioli de Parma Anno a Nativitate Domini N. J. C. 1360. tempore tyrannidis Dominorum Bernabovis & Galeaz Vicecomitum de Mediolano*. Ad haec idem ille Angelus Marius de Herba, cui Italicam Historiae hujus versionem debemus, in altero Opusculo Historico de Parmensium rebus, mihi non ignoto, scribit: *Che Parma ha dato Giovanni de Giudice Frate dell' Ordine di San Domenico, che da gli scritti del Salimbeni, di Adamo, di Giovanni degli Oddi, e di Giovanni Cornazani diligentissimamente raccolse, e scrisse Latino una Cronaca breve dal* 1036. *al* 1360.

Memoratum in postremis hisce verbis vides *Johannem Cornazanum*; at simul inde etiam intelligis, alterum *Johannem Judicem*, qui pariter ab Angelo Mario Fratrum Praedicatorum albo inscribitur, Historiam Parmensem iisdem temporibus, hoc est, circiter Annum 1360. scriptis mandasse. Uter ergo ex his Historiae, quam edimus, Auctor? Praeterea hasce tenebras augere mihi insuper videtur Bonaventura Angeli, qui in Historia Parmensi Anno 1591. Parmae evulgata, pestem referens Anno 1361. Parmae grassatam, se heic sequutum ait *Giovanni Balduchini Parmigiano, che visse allora, e notò le cose de' suoi tempi in forma d' Annali*. En tertium *Johannem* Historicum Parmensem, ac eadem tempestate florentem, qua reliqui duo supra memorati. Denique idem Bonaventura Angelus ad Annum 1328. 1334. & 1337. testem advocat *Herbam* Historicum, hoc est, illum ipsum, qui Historiam nunc edendam e Latina in Italicam Linguam transtulit, pro antiquo Auctore Interpretem recentem commemorans. Neque heic ullum sperandum lumen a Ranuccio Pico, qui Anno 1642. de Literatis Parmensibus infeliciter, ne dicam inepte, ac potissimum, ubi de Scriptoribus a suo tempore remotis agit. Ego inter hasce ambages nihil decernere audeo; sed titulum Libri, qualem mihi Torellianum exemplar exhibuit, clausis oculis accipiens ac retinens, *Johannem Cornazanum Ordinis Praedicatorum* Historiae hujus Auctorem appellare pergam. Quisquis enim

enim ille fuerit, dum constet, antiquum esse, id satis nobis futurum est, quia id unum nostra refert, *Cornazana* vero Familia cum Placentiae tum Parmae ab antiquis temporibus illustris habetur, atque egregios doctosque viros complures numerat. Exordium Historiae hujus in supra memorato Codice ducebatur ab Anno 1036. quod & nuper nos docuit Angelus Marius de Herba: ego tamen dimissis omnibus, quae Annum MCCCI. praecedebant, ne frustra repeterentur jam evulgata in antiquiori Chronico Parmense, reliqua descripsi, & nunc in omnium commodum Collectioni huic adjungo. Sucedebant post Annum 1355. additamenta Historica usque ad Annum 1479. quorum Auctorem si quis reputabit eumdem Angelum Marium de Herba, cujus est & ipsa Italica versio, me contradicentem non habebit. Erit & istorum aliquis usus.

ISTO-



ISTORIA DI PARMA.

Nell' Anno 1301.



Arlo Senza-Terra venne a Parma, andando a Roma, e nell' An. 1303. Matteo Visconte fu deposto del dominio di Milano.

Giberto da Correggio Parmegiano per molti giorni avendo conteso con Guglielmo, & Ugolino de' Rossi, la Vigilia di S. Jacobo ridusse la parte del Vescovo nella Città; & il giorno 25. di Luglio, che fu il giorno del prefato Santo, fu portato dalla parte del Vescovato in Palazzo dopo l'hora di Nona, e fu gridato Signore di Parma. Gran guerra fu fra' Veneziani e Padovani per le Saline.

1304. Grande fu la siccità in terra, perchè quasi tutto quest' anno non fu pioggia da Cielo; e fu per la siccità de' pozzi cavato su la Piazza del Commune un grande pozzo a' bisogni della Città; e stettero le Biade a nascere fino al mese di Maggio.

1305. Giberto da Correggio espulse i Rossi da Parma, e furono loro Case distrutte.

1307. Fu in Parma celebrato un Capitolo Provinciale.

Dulcino Frate Heretico con suoi seguaci, da Milano e da Bergomo fu espulso, e fuggendo per li Monti di Novara, essendo perseguitato, fu con l'armata sua heretica da gl' Inquisitori, e con più altri heretici preso; e condotto a Vercelli fu con quelli insieme abbrugiato.

1310. Giberto da Correggio con la parte del Vescovo, e dell' Imperio, adì 26. di Mar-

A zo fu da' Rossi espulso dal dominio di Parma, cioè da Guglielmo, e Ugolino de' Rossi. Giberto da Correggio adì 9. di Giugno fece il conflitto d'Henzola, e prese il Castello. Contra il quale uscendo Parmegiani, congregò Reggiani, & altri Amici con molti Nobili di Parma banditi, e fece con loro battaglia, uccidendone, e pigliandone molti. Giberto sopradetto adì 29. del prefato mese di Giugno il giorno di S. Pietro e Paulo fatta pace con Parmegiani entrò nella Città con gli Amici. Giberto da Correggio adì 3. d'Agosto fu la seconda volta da' Rossi espulso di Parma.

B 1310. Del mese di Gennaro fu espulsa la parte Guelfa Ecclesiastica di Venezia.

Del mese d'Aprile in quel dì a Colornio furono vedute apparire tante locuste nell' aria, che oscurarono il Sole; & in due parti divise combatterono insieme, e tante ne caderono morte, che co i rastelli si coglievano; e sarebbersi pieni i sacchi. Poi cessate dalla battaglia, in due parti divise si partirono.

In quello di Langhirano due venti affrontati combatterono con tal'impeto, che da terra levarono i sassi, e li percossero insieme spezzandoli nell' aria; e da terra levarono alcuni huomini e donne del prefato Castello di Langhirano, e li portarono per ispazio di una bale-
C strata, lasciandoli cadere in terra semimorti, co i panni rivolti al capo. Seccarono i Canali del fiume, e i Molini senza acqua tanto forte macinavano, che le pietre, overo mole, si rinfransero, e spezzarono.

Del mese di Decembre Henrico fu eletto Imperadore in Lucemburgo con licenza del Papa, e venne in Lombardia, restituendo i Banditi in Turino, in Asti, in Vercelli, & in Milano; e depose Guidone Torregiano del dominio di Milano, e restituì Masseo Visconte.

1311. Henrico Imperadore del mese di Gennaro in Epiphania Domini fu coronato in Milano

lano nella Chiesa di Santo Ambrogio, e fece 199. Cavalieri, de' quali fu il primo Maffeo Visconte, & a ciascuno donò tre para di Vesti, & un Cavallo. A lui fu donato dal Commune di Milano dieci mila fiorini.

Del mese prefato di Gennaro di volontà dell' Imperadore Henrico fu fatta la Pace generale in Parma fra le parti, in Brescia, in Pavia, in Piacenza, in Lode, in Cremona, & in Reggio. Restituì in Parma i Rossi fuorusciti, e depose del Dominio di Brescia Maffeo de' Madii, instituendo Vicarj nella Città a suo nome. In Parma rimise Giberto da Correggio. Dopo furono in Parma dall' Imperadore i primi Vicarj esterni, i quali al suo tempo durarono.

Adì 5. di Febbraro i Rossi furono espulsi di Parma la terza volta da Giberto da Correggio. Guido Torreggiano con suoi seguaci fu espulso di Milano.

La Parte Gibellina insieme col Vicario dell' Impero fu cacciata di Cremona, di Brescia, di Novara, e di Reggio.

Del mese d'Aprile Henrico Imperatore conducendo l'esercito da Milano a danno di Cremona, presi dal timore Cremonesi per avere espulso il Vicario, ritornò la parte Gibellina in Cremona, e misero 200 Nobili della Città ad Henrico, i quali scalzi con le stroppe e capestri al collo dimandorono venia de' commessi mali; ma presi furono, & incarcerati da Henrico tutti, salvo uno de' Cavalcabovi. Allora fuggì di Cremona ciascuno de' Guelfi, e fu la Città presa dall' Imperatore, desolata, ruinate le porte, affondate le mura, e molte belle torri atterrate.

Del mese di Maggio Henrico assediando Brescia prese Tebaldo Brusato capo de' Guelfi, il quale con molti seguaci fece a quattro porte della Città sospendere.

Giberto da Correggio con molti di Parma venne in ajutorio di Henrico a Brescia, e porsegli a donare la Corona, che Parmegiani avevano acquistato in Vittoria, in vece della quale ricevè dall' Imperatore Guastalla con le ragioni di quella, e fu fatto di Parma Vicario. Ma vedendo, come nell' esercito era per invidie mal detto di lui ad Henrico, temendo di lui si partì dall' esercito, e fuggì a Parma.

Valeriano fratello di Henrico per commissione dell' Imperatore andò da Brescia con esercito a Bergomo, e cacciò i Guelfi di Bergomo con ajuto de' Gibellini.

Henrico del mese di Decembre a certi patti da due Cardinali mandati dal Papa a fare accordo, hebbe la Città di Brescia, e fece spianare le fosse con la mura per non entrare per le porte nella Città.

Henrico andò a Genova; e quivi morta l'Imperatrice fu sepolta nella Chiesa de' Frati Minori. Fece allora l'Imperatore Vicarj Maffeo Visconte in Milano; Alboino dalla Scala, in Verona, e Cane dalla Scala; in Treviso fece Riccardo da Camino; & in Modena Francesco Pico Mirandolano.

I Guelfi tutti insieme Lombardi, Toschi, Romagnoli, Bolognesi, Fiorentini, Senesi della parte Ecclesiastica insieme con Giberto da Correggio, i Marchesi Cavalcabovi Cremonesi, e i Signori Torregiani Milanesi, ognuno con Roberto Re di Sicilia fecero lega per vietare la coronazione di Henrico a Roma.

1312. Fu coronato Henrico per favore de' Gibellini a Roma da due Cardinali.

Di Terdona, & Asti fu cacciata la parte Gibellina.

A Fu espulsa la parte Gibellina di Vercelli. Del mese di Decembre fu cacciato il Vicario dell' Imperio di Piacenza insieme con la parte Gibellina, e fu fatto Signore di Piacenza Alberto Scoto. Del mese prefato di Decembre Henrico assediò la Città di Fiorenza, e prese molti Castelli.

Del mese di Novembre Giacomino Cornazano condusse i Rossi in Medesano, grande e forte Castello di Parmegiana, e fecero guerra con la Città.

1313. Del mese di Gennaro i Rossi espulsi di Parma per Giberto da Correggio con suoi seguaci entrarono in Borgo S. Donino.

B Medesano Castello avendo tolto in se i suoi antichi nemici, che erano i Rossi, fu dal fuoco di dentro tutto arso.

Del mese d'Agosto Henrico andò con l'esercito a Siena, & il giorno 24. del prefato ivi accampato morì di veleno in Bonconvento del distretto Senese, essendo stato velenato da uno Frate Minore col Corpo di Cristo, e fu sepelito a Pisa.

Giberto da Correggio poco inanzi la morte di Henrico Imperatore di consentimento del generale Consiglio di Parma rinunziò il dominio della Città a Roberto Re di Puglia figliuolo di Carlo, ritenendosi solamente Guastalla.

C Giberto sopradetto fu fatto Capitano Generale di Parma, e di tutta la parte Guelfa in Lombardia da Roberto; e dal Commune di Parma fu salariato in lire 2000. l'anno, e fu dai Nobili giurata la fedeltà a Roberto in mano di Giberto.

Fu cacciato di Piacenza la parte Guelfa, & Alberto Scoto Signore della Città condotto a Milano prigione da' Piacentini fu incarcerato, e di Piacenza fatto Signore Galeazzo Visconte figliuolo di Maffeo.

La Madonna delli Frati Carmelitani fece molti miracoli.

Del mese di Giugno Ugutio della Fagiuola Signore di Pisa in soccorso di Castruccio venne a Lucca, & ivi cacciarono la parte di Roberto Re di Puglia, e suoi Vicario, & Offiziali.

D Il giorno della Festa di Santa Maria del mese d'Agosto, quando nella Città correvano lo scarlatto da di fuora della porta detta Nuova alla piazza commune: Giberto da Correggio con tutta la milizia di Parma andò incontro a i Rossi, che dal Borgo S. Donino erano venuti con tutta la parte Guelfa al luogo detto il Corso, e con letizia ricevè quelli nella Città, facendo con magno gaudio la pace in presenza d'alcuni Agenti del Re Roberto, e prese Maddalena di Guglielmo Rosso per isposa.

Del mese di Settembre furono sconfitti i Milanesi al luogo di suo territorio detto il Castelletto.

E 1315. Del mese di Luglio mediante Cane da la Scala Signore di Verona, e Passerino Signore di Mantova, Giberto da Correggio fece con Gibellini, che si trovarono in Borgo San Donino, la pace, e loro concesse di tornare in Parma.

Del mese di Ottobre Maffeo Visconte ottenne di Pavia il dominio, e ne investì Manfredino di Beccaria con la sua parte.

Del mese d'Agosto il giorno 29. che si celebra la Festa di S. Giovanni Decollato, grandissimo fu fatto il conflitto in Toscana appresso Monte Catino fra' Fiorentini e Pisani da un canto, il Figliuolo di Roberto Re di Puglia con la parte Guelfa, Francesi, & Italiani per la

la parte Fiorentina; dall'altro Ugutio della Fasola Signore di Pisa con Todeschi & Italiani per la parte Gibellina a nome de' Pisani, e furono vincitori i Gibellini.

1316. Del mese di Maggio Giacomo Cavalcabovi Signore di Cremona, considerando non potere difendere il dominio, lo rinunziò a Giberto da Correggio, il quale fatto di Cremona Signore, dall'esercito de' Veronesi e Mantovani lo difese.

Adì 25. di Luglio il giorno di San Giacomo, nel quale Giberto da Correggio fu la prima volta fatto Signore di Parma, fu ancora di quella espulso da Giovanni Quirico di San Vitale suo genero, e da Rolando Rosso suo Cognato, i quali di commune concordia lo cacciarono, nè più ritornò in Parma; ma morì in Castello Nuovo. A questo trattato hebbe mano Maffeo Visconte, Cane dalla Scala, e Passerino.

Adì 27. di Luglio il Popolo prese il dominio di Parma, e fu retta con buonissimi ordini per gli Anziani anni 6. nel qual tempo crearono 4. Capitani chiamati Capi di mille; e questi furono de' migliori della Città, e delle più degne famiglie, per guardia di Parma. Uno per porta ne assegnarono: a porta Benedetta Pietro Balduchino; a porta Nuova Antonio de gli Albertucci; a porta della Parma Venanzio della Porta; a porta Cristina Lanfranco Garumberto.

Simone Saltarello Frate dell'Ordine de' Predicatori fu fatto Vescovo di Parma.

1317. Del mese di Settembre fu fatta la pace frà Giberto da Correggio, & il Commune di Parma, il quale Commune diede cinquanta cavalli a Giberto, mentre che facesse guerra con Roberto Re di Puglia, e con la parte Guelfa; nè però volle Giberto redimere Parma, ma solo le concesse da vivere così libera.

1318. Furono poste le catene per ogni strada di Parma. Modonesi cacciarono dal suo dominio Passarino, & il figliuolo con suoi seguaci.

Del mese d'Aprile Poncino de' Ponzoni con l'ajutorio de' Veronesi e Mantovani espulse di Cremona i Cavalcabovi con tutta la parte sua; e l'anno seguente ne fu suo Signore.

Il Commune di Parma per sentenza ottenne Salsa, overo i 31. pozzi da sale, i quali per lungo tempo erano stati loro ritenuti dai Marchesi di Scipione Pallavicini indebitamente; e furono dipinti sopra il Palazzo vecchio del Commune. Furono poi ritolti a' Parmegiani da Luchino Visconte Signore di Milano, e ritornati ai prefati Marchesi, che ancora hoggidì li possegono.

1319. Cane dalla Scala assediò Padova, e Bassanello. Spineta Malaspina fu da Castruccio privo del suo.

Giberto da Correggio fu fatto Signore di Pontremolo.

Del mese d'Agosto Filippo Valois Francese passò in Italia.

I Frati d'Armenia dell'Ordine di San Basilio Abbate vennero a stare in Parma in campo di Ponte dalla porta di San Basilio de' Militi.

Raimondo di Cardona Capitano della Chiesa combattè contra Maffeo Visconte appresso a Bardi Castello Piacentino, & ivi da Galeazzo figliuolo di Maffeo fu rotto: nella quale battaglia Jacobo Cavalcabovi Signore di Cremona fu morto.

1321. Giberto da Correggio adì 25. di Luglio la Festa di S. Jacobo Apostolo la mattina in Domenica morì in Castello Nuovo, & ivi fu sepolto. Dicesi, che in tal dì nacque, in questo fu fatto Signore di Parma, nel medesimo fu espulso, e similmente morì e fu sepolto.

1322. Raimondo di Cardona assediò Alessandria, & a lui si oppose Marco Visconte in Basignana.

Del mese di Giugno morì Maffeo Visconte in Milano, e successe Galeazzo suo Primogenito, il quale per forza d'arme ottenne di Cremona il dominio.

Marco Visconte ruppe Raimondo di Cardona in Basignana. Adì 19. di Settembre una Domenica la parte del Vescovo, idest di San Vitale, fu la seconda volta espulsa di Parma; e Giovanni Quirico da San Vitale con l'Abbate di San Giovanni furono presi nel Monastero delli Frati Minori, i quali per essere amici de' Rossi gli accusarono. Allora Rolando Rosso, e Paulo Aldigeri fecero fabricare una fortissima gabbia di legno nel Palazzo del Commune, overo, secondo alcuni, in Piazza; & in quella fu posto Giovanni Quirico da Santo Vitale, e vi stette lungo tempo. L'Abbate di San Giovanni, & insieme Giovannino da S. Vitale furono posti nella Carcere del Commune, dalla quale Giovannino fuggì, e Giovanni Quirico dalla gabbia fu liberato. Così i Rossi di Parma presero il dominio, e lo tennero più che . . . . anni. Rolando Rosso fu poi . . . . . in Faenza, quando fu preso per lo Legato di Bologna.

Verzusio Lando con gente del Legato entrò in Piacenza, e ne espulse Azone Visconte figliuolo di Galeazzo Signore di quella. La cagione di questo fu, che Galeazzo Visconte usava carnalmente con la moglie di Verzusio; e fu questo fatto adì 9. di Ottobre.

Del mese di Ottobre Beltrando Prete Cardinale del titolo di San Marcello, Legato Apostolico in Lombardia, venne a Piacenza, & ivi constituì Vicario della Chiesa Verzusio Piacentino.

Adì 9. di Novembre un Lunedì Galeazzo Visconte fu espulso da Milano. Poi adì 12. di Decembre in Domenica l'anno medesimo ritornò nel dominio.

Azo Visconte venne a Parma, dove non essendo ricevuto dai Rossi Signori in quel tempo, e confederati col Legato Apostolico, il giorno seguente fece ritorno verso Milano.

Borgo San Donnino fu dato da' Borghegiani in potere del Legato Apostolico, il quale era in Piacenza.

1323. Ugolino Rosso, di Marsilio e Rolando fratello, in Calende di Maggio fu fatto Vescovo di Parma.

A' danni di Terdona venuto Raimondo di Cardona, fu presa la terra per la Chiesa, & in quella Marco Visconte del mese di Febbrajo.

Verzusio Signore di Piacenza Capitano del Legato Apostolico passando con l'esercito il fiume Adda, scontrato con Marco Visconte combattè, e vinse, ancora che del Legato moresse il Nipote; per vendetta del quale concesse oltra ogni ordine de' sacri Teologi il Legato Indulgenza a ciascuno, che contra Visconti prendesse l'armi.

Raimondo di Cardona in nome del Papa, e di Roberto Re di Puglia, prese Alessandria per forza, & in quella Marco Visconte con suoi seguaci.

I Guelfi di Piacenza cacciarono i Gibellini. Verzusio rimasto in Piacenza di spontanea volontà si partì, & andò al Pontefice.

Del mese di Agosto Raimondo di Cardona arse i borghi di Milano; poi a poco tempo fu pre-

preso da Galeazzo Visconte in Modoezia.

1324. Fu preso il prefato Raimondo in Modoezia da Marco Visconte, a nome di Galeazzo.

Del mese di Decembre Galeazzo Visconte ricuperò, e ristaurò Modoezia tolta alla Chiesa.

1325. Del mese di Marzo adì 16. Azo Visconte figliuolo di Galeazzo con 1000. soldati a cavallo venne a Borgo San Donino per far guerra con Parma, e col Legato, che si trovava in Piacenza.

Del mese di Maggio adì 23. Azo Visconte partito da Borgo San Donino cominciò la guerra contra Parma, cavalcando verso Pietra Baldana, e per altre contrade, dopo pigliando la strada verso il monte, con incendj e ruberie per dieci giorni molestò il territorio di Parma.

B Adì 23. Giugno Rolando Rosso Capitano della gente del Legato, e Signore di Parma, con gente assediò Azo Visconte dentro del Borgo San Donino per due mesi senza fare opera buona alcuna.

Azo Visconte partissi dal Borgo San Donino, & andò in ajutorio di Castruccio a Lucca con 300. cavalli, e combattendo con Raimondo di Cardona, e con Fiorentini, e con la parte Guelfa hebbe la vittoria, e fu preso Raimondo con circa cinque mila.

Azo Visconte partito con la vittoria da Lucca, venne in ajuto di Passerino Signore di Mantova, a Modena, dove era assediato da' Bolognesi e fuorusciti di Modena, e combattendo con danno grande de' nemici, hebbe la vittoria.

C Del mese di Novembre adì 22. il Legato Apostolico venne a Parma.

Questo anno, & il seguente, Rolando Rosso fece fare la Bastia contra il Borgo San Donino a spese del Legato.

1326. Del mese di Settembre adì ultimo Beltrando Legato Apostolico fu fatto Signore di Parma, e tenne il dominio due anni.

Del mese di Decembre adì ultimo Giovanni Quirico da San Vitale fu dalla carcere liberato dal Legato, e confinato a Venezia.

1327. Del mese di Gennaro il Legato Apostolico Beltrando fu fatto Signore di Bologna.

D Del mese di Marzo Lodovico Bavaro eletto Imperatore venne in Lombardia e fu coronato l'anno 1328. in Milano, dove da Galeazzo Visconte fu honoratamente ricevuto, & ivi fece fra molti Cavaliere Azo Visconte.

Del mese d'Aprile Marco Visconte entrò in Borgo San Donino contra il volere del Legato, e di Parma, e di Piacenza, e lo fortificò di gente e vittuaglia.

Del mese di Maggio Passerino Bonacossi dal dominio di Modena col suo figliuolo Francesco insieme & amici fu espulso da quelli della Mirandola.

E Del mese di Giugno Lodovico Bavaro prese Galeazzo Visconte con tutti i fratelli, salvo Giovanni, il quale era Cherico, & Azone suo figliuolo, e li mise nelle carceri privandoli del dominio di Milano. Perciò fu grande allegrezza in Parma, e ne fecero segno con suono di campane, e con solazzi e fuochi. Così fu fatto allegrezza in tutte le terre della Chiesa. Poscia andò in Toscana.

Del mese d'Agosto Lodovico Bavaro assediò Pisa Città di Toscana.

Del mese di Decembre il Legato Apostolico hebbe del Borgo San Donino il dominio.

1328. Del mese di Gennaro Lodovico Bavaro fu coronato in Roma Imperatore nella Chiesa di San Pietro.

A Del mese di Maggio il giorno dell' Ascensione del Signore essendo l'Imperatore in Roma, elesse Pietro Corvaria da Ziboli Frate dell' Ordine Minore Antipapa, e lo fece nominare Nicolao V. il quale creò subito 12. Cardinali, fra i quali uno fu Giovanni Visconte. Filippo Valois della non diritta linea de i Re di Francia fu eletto Re.

Adì 2. di Luglio Rolando Rosso espulse di Parma il Legato, e suoi Officiali nel mese di Luglio, e si ritenne il dominio.

Adì 16. d'Agosto Passarino de' Bonacossi Signor di Mantova con Francesco suo figliuolo fu espulso della Città, e morto, e del dominio da Luigi Gonzaga, e da Filippo, e Feltrino suoi figliuoli; e Luigi per se tenne il dominio.

Del mese prefato d'Agosto Galeazzo Visconte in soccorso di Castruccio contra Fiorentini, e Guelfi, assediando Pistoja, passò di questa vita in Pisa, ovvero in Lucca.

Cane dalla Scala di Padova ottenne il dominio. Castruccio di Lucca, di Pistoja, di Pisa, e di Lunigiana Signore, morì.

Lodovico Imperatore partito di Roma venne a Pisa, e di quella tolse il dominio, la quale era posseduta da Henrico malamente, così detto figliuolo di Castruccio, e disfece il dominio del prefato Castruccio.

Rolando Rosso maritò una sua figliuola ad un figliuolo bastardo di Cane dalla Scala e benissimo accompagnata mandolla a Verona.

Del mese d'Ottobre Cane dalla Scala mandò 200. cavalli in soccorso de' Rossi, che facevano guerra col Legato per il dominio di Parma.

Cane dalla Scala adì 27. di Novembre fece il nome suo celebre in Verona, e creò 38. Cavalieri, fra i quali fu il primo Luchino Visconte.

1329. Del mese di Gennaro fu rimesso Azzo Visconte dallo Imperadore nel dominio di Milano: la qual cosa fu di molta tristezza alla parte de' Guelfi in Lombardia.

Del mese d'Aprile lo Imperadore, partito di Toscana, venne a parlamento per quel di Parma con Cane dalla Scala in Mercaria.

Del mese di Maggio Pontremolesi cacciarono gli Officiali del Bavaro Imperatore, e diedero il dominio a Rolando Rosso.

Del prefato mese di Maggio Giovanni Quirico con quelli da Correggio con tutta la milizia del Legato di Bologna venne a Sorbolo, & ivi contro a Parma pose lo esercito.

Adì 19. di Luglio Cane dalla Scala entrato in Trivigio ne fu fatto Signore; & il giorno 21. del prefato mese ivi morì, e fu portato per sepelire a Verona, quasi per pronostico del Popolo, il quale per molti anni inanzi era solito dire: Che Cane si dovea fare di tutta la Marca Trivisana Signore, poi il terzo dì morire.

Adì 23. di Luglio Mastino, & Alberto dalla Scala figliuoli di Alboino di Verona dopo Cane presero il dominio.

Del mese di Settembre Rolando Rosso venuto a Bologna al Legato, fu detenuto da lui, e carcerato, & a prieghi di Giovanni Quirico fu mandato a Faenza, e posto in gabbia, come gli fece il prefato Giovanni in Parma.

Del mese di Novembre adì 28. Lodovico Bavaro Imperadore venne a Parma, & honorevolmente fu ricevuto, ricevendo da Parmegiani il dominio, il quale per se i Rossi difendevano dal Legato; e subito fece in Parma suo Vicario Marsilio Rosso adì 25. Novembre. Del mese di Decembre adì 9. l'Imperadore per la

via

via di Trento uscendo d'Italia, condusse seco Marsilio Rosso; e Pietro suo fratello rimase Vicario dello Imperadore in Parma.

1330. Adì 15. del mese di Marzo l'Imperadore fece Marsilio Rosso suo Vicario Generale in Lombardia.

Adì 24. d'Aprile Martedì la milizia del Legato si partì da Bologna, per volere pigliare la Città di Reggio, la quale contra Giberto Fogliano Reggiano virilmente combattendo li ributtarono in fuga fino a Castello Formigine su quel di Modena, dove da' Modonesi assaliti e vinti in battaglia, furono quasi tutti presi; e fra loro fu un fratello bastardo di Roberto Re di Puglia, e Beltrando dal Balzo Mariscalco della milizia del Legato Apostolico. Grande per questa vittoria fu l'allegrezza in Parma, e ne fecero feste con suoni di campane e fuochi; e tanto furono i fallodii elevati, che il battifollo, o campanile che si fosse, posto sopra l'angolo del Palazzo de gli Anziani verso strada levata, sopra il quale era il torrello e la campana de gli Anziani, tutto si arse; e tanto fu del fuoco la grandezza, che la campana si liquefece. Dopo queste cose Marsilio Rosso cavalcò a Modena, e menò prigioni in Parma il fratello del Re, Beltrando, & altri Nobili, i quali per più mesi tenuti prigioni ne fece contracambio in Rolando suo fratello, il quale era tenuto dal Legato nella gabbia a Faenza.

Del mese di Maggio adì ultimo in Giovedì Paolo Aldigeri Capitano in Borgo San Donino a nome del Legato da Pietro Rosso, insieme col figliuolo per trattato fu preso, e condotto a Parma, fu posto nella gabbia adì 3. di Giugno, che fu fatta da lui per Giovanni Quirico da San Vitale; e di Borgo tenne Pietro Rosso il dominio.

Adì 7. del mese d'Agosto Marsilio Rosso Signore di Parma fece impiccare tre Podestà, o Anziani, che si dicono de' Mestieri, de' Pelizzari, de' Ferrari, de' Calzolai, a i quali fu imposto, che volevano tradire la Città di Parma.

Del mese di Decembre Uberto Marchese Pallavicino celebrò le nozze del suo matrimonio con una figliuola di Marsilio Rosso, e di lei generò Nicolao Marchese Pallavicino.

Azo Visconte riconciliato con la Chiesa fu assoluto da ogni scommunica & interdizione con tutti i suoi e la Città di Milano.

1331. Il Re di Boemia in Calende di Gennaro venuto in Brescia, n'hebbe il dominio, & infra il predetto mese le Signorie di Bergomo, di Pavia, di Cremona, di Parma, di Reggio, e di Modena vennero a sua divozione.

Del prefato mese di Gennaro Rolando Rosso carcerato in Faenza fu rilasciato dal Legato con cambio di Beltrando dal Balso, e del fratello del Re Roberto presi nel conflitto di Formigine, e dati da' Modonesi a Marsilio Rosso Signore di Parma, e di Paolo Aldigeri, e del figliuolo, i quali da Pietro Rosso erano stati presi a Borgo San Donino. Questi quattro per uno furono lasciati al Legato, il quale non parendogli cambio a sufficienza convenevole, volle bonissima quantità di denari; nè prima fu liberato Rolando, che fosse pagata al Legato la pecunia dal Commune di Parma.

Adì 2. di Marzo in Sabbato Giovanni Re di Boemia figliuolo di Henrico Imperatore venne in Parma, & il terzo dì che fu nella Città, fu di quella gridato Signore nel Palazzo del Commune a voce di Popolo.

A Adì 9. del mese d'Aprile il prefato Giovanni ridusse in Parma quelli da Correggio con gli amici.

Adì 19. del prefato mese d'Aprile in Sabbato il Re Giovanni di Boemia venne a Castello Franco a parlamento col Legato Apostolico, dove di spontanea volontà rinunziò a' Rossi ogni ragione, che si pretendeva d'avere nel dominio di Parma.

Adì 15. Aprile Lunedì del prefato mese Carlo di Giovanni Re di Boemia sopradetto fu honorificamente ricevuto in Parma.

Adì 2. di Luglio il Re Giovanni si partì da Parma per tornare in Lamagna, e lasciò Carlo Conte di Sabaudia, ove alloggiò con suo figliuolo, e con la Regale milizia in Parma, il quale benissimo governò la Città più anni.

B Del mese d'Ottobre il fiume Pò inondò la Campagna più che mai per innanzi fosse udito dire; perchè tanto soprabondò l'acqua, che uscita dal suo letto scorse fino a Torrille, e a Gainaco, e communemente più che tre milliara si allargò fuori de gli argini, a tanto che tutta Mantova e Ferrara furono coperte dall'acqua: cosa horribile a vedere.

1332. Adì 2. Gennaro Giovanni Re di Boemia con la figliuola andò a Parigi, e maritolla nel figliuolo del Re di Francia del che fu fatta grande allegrezza in Parma.

C Adì 15. di Luglio dalli Brusati fu data la Città di Brescia in mano di Mastino dalla Scala, e per tre giorni con homicidj e rubamenti saccheggiata: nella quale espulsione Gabriele Cornazano Signore di Medesano da Parma, Soldato del Signore de' Rossi, Signor di Niviano, combattendo sulla Piazza fu morto; & il Signore similmente espulso e rubato.

Del mese di Novembre il giorno 25. la Festa di Santa Catterina Carolo figliuolo del Re di Boemia Signore di Parma co i Soldati Parmegiani e Reggiani venne in ajutorio di Manfredo de' Pii Signore di Modena; e tutti uno animo sconfissero l'esercito del Marchese di Ferrara, di Mastino dalla Scala, e di Azone de' Visconti, i quali assediavano Santo Felice Castello de' Modonesi; & ivi furono fatti Nobili

D Cavalieri molti, fra i quali furono di Parma Uberto Pallavicino, Marsilio e Pietro Rosso fratelli, & Aldigero della Senaza; da Reggio furono fatti Giberto Fojanò; da Modena Manfredo de' Pii, e molti altri. Dopo l'ottava di questa vittoria fecero grande solennità in Parma nella Chiesa di Santa Catterina con tutto il popolo con pallii e candele.

Del mese di Settembre Azo Visconte, Mastino dalla Scala co i Signori di Mantova fecero lega contra il Re di Boemia, e lo privarono della Città di Bergamo, della quale Azo Visconte tenne il dominio.

E 1333. Del mese di Gennaro il Cardinale Ostiense Legato di Bologna hebbe Argenta, e cominciò la guerra co i Marchesi di Ferrara, i quali in una cavalcata del Legato furono con Ferraresi sconfitti; e Nicolao Marchese fu condotto prigione a Bologna, & ivi carcerato stette lungo tempo.

Del mese di Febbrajo Giovanni Re di Boemia venne con nobile compagnia di Boemi in Italia, & andò al Legato a Bologna, proferendogli soccorso contra Ferraresi; ma il Legato lo rimandò con questa risposta: cioè: *non è di mio costume la gloria mia attribuire ad altri*. Con questo partito il Re, di Bologna venne a Parma.

Del

Del mese di Marzo il Re con lo esercito andò a Pavia, e pel territorio Milanese e Bergamasco fece molti danni.

Adì 14. del mese d'Aprile assediando Ferrara il Legato, fu da' Ferraresi sconfitto, e molti annegarono nel Pò; molti altri furono presi, fra i quali molti nobili di Romagna, e della Marca d'Ancona, i quali non volendo il Legato redimere, da per se accordati co i Marchesi Estensi, dalla carcere, dove erano stati molti giorni, si deliberarono; & in breve Forlì, Faenza, e Rimini ribellarono, e tutta la Romagna; e Marca Anconitana perdè il Legato.

Adì 18. del mese d'Ottobre il Re Giovanni di Boemia partendosi di Parma lasciò il dominio a i Rossi della Città.

Adì 20. del prefato mese d'Ottobre essendo partito con mala fortuna il Re di Boemia da Parma, Giberto Fojano per tempo di notte andò alla casa di Azone Manfredo in Reggio, e lo fece prigione con tre figliuoli, e due nipoti, e messeli nelle carceri.

Adì 22. del medesimo mese di Ottobre Matteo da Montecchio padre di Lodovico, e di Giovanni, e di Matteo, stando nel suo Castello, dopo cena fu morto da Tomasino & Anselmo suoi Nipoti: della qual morte niente dolse ad alcuno, perchè egli aveva fatto ammazzare Messer Guido dalle Olle, morto prima Girardo dall' Oglio, e Guglielmo de' Maldusii grandi e famosi Jurisiti, e Cittadini di Parma: della morte de' quali fu danno grandissimo alla Città. Ma non andò manco di questa morte Tomasino impunito, perchè dopo molti anni accusato appresso di Barnabò de' Visconti di volere occupare il dominio del Castello di Montecchio per se, o per li Marchesi di Ferrara, fu preso, e vecchissimo acremente tormentato, & in carcere con duoi figliuoli con vituperio tenuto, e con certi amici di Montecchio fu finalmente impiccato, e con detti suoi figliuoli.

1334. Del mese di Gennaro quei da Correggio con l'ajuto di Mastino dalla Scala cominciarono nuova guerra contra i Rossi, & entrarono in Briscello, e lo reedificarono a danno di Parma.

Del mese di Febbrajo i soldati Parmegiani assalirono quelli di Mastino, e di quei da Correggio, e circa 30. ne condussero, a Reggio, poi a Parma, perciochè li pigliarono a Correggio: e fra questi fu uno de' presi di Panico.

Adì 22. del mese di Marzo Beltrando Cardinale Ostiense Legato di Bologna fu espulso da' Bolognesi del dominio, e si salvò nel Castello ivi da lui fabricato, nel quale assediato dal Popolo dopo 6. dì fu liberato con la pace accordata dal Vescovo di Fiorenza fra lui e Bolognesi, con patto che si dovesse levare del territorio di detta Città. La qual cosa subito fatta, dal Popolo fu spianato il Castello. Ma non passò molto, che fra loro Cittadini nacque discordia, perochè Tadeo de' Pepoli con Giacomo e Giovanni suoi figliuoli (espulsi di Bologna i Beccadelli, Sabbadini, e Boaterii, & altri molti, de i quali spianò le case) di Bologna si fece Signore. Ancora del detto mese l'Anno 1376. fu dai prefati Pepoli espulso un' altro Legato.

Del mese di Luglio Azo Visconte si fece Signore di Cremona, avendola prima per molti mesi tenuta assediata, con l'ajutorio de' Veronesi, Mantovani, e Ferraresi.

Del mese di Ottobre Mastino dalla Scala in persona venne all'assedio di Colornio con l'ajutorio di Azo Visconte, e Ferraresi; e lo hebbe di quel mese.

1335. Del mese di Gennaro i Teutonici Soldati Ecclesiastici, che si trovarono in Parma, in Reggio, & in Modena, accordati insieme entrarono nel Monastero della Colomba de' Piacentini, e fecero molti mali.

Adì 15. di Giugno nella festa del Corpo di Cristo per publico concilio di Parma fu data la Città di Parma a Mastino dalla Scala, & ad Alberto suo fratello, perciochè i Rossi tanto negli amici, come nei nemici non trovavano fede.

Del prefato mese di Giugno adì 21. in Mercordì Alberto dalla Scala con 3000. cavalli o huomini d'arme, e grande quantità di pedoni entrò nella Città di Parma, e di quella per se, e per Mastino suo fratello prese il dominio, riducendo tutti i banditi in Parma; salvo Giovanni Quirico, che solamente lasciavagli del suo le entrate.

Adì 2. di Luglio Mastino dalla Scala hebbe di Reggio il dominio, il quale era tenuto da Giberto Fojano, & il mese prefato lo diede a i Signori Gonzaghi di Mantova, a i quali lo aveva promesso nella Lega fatta fra loro. Del mese prefato di Luglio Azo Visconte ottenne di Como il dominio, il quale teneva Francesco Ruscone, e i fratelli.

Del mese prefato di Luglio Francesco Scoto fu da Azo Visconte espulso di Piacenza.

Crema venne sotto il dominio di Azo Visconte.

Lodi Città posseduta da Vegio Temalcodo molinaro venne sotto il dominio di Azo Visconte, avendola il prefato Temalcodo posseduta molti anni.

Del mese di Agosto la guardia di Mastino Scala fu messa a stare sotto il Palazzo vecchio di Parma, e gli Anziani, Notari, & Avogadri ne furono espulsi.

Mastino hebbe di Lucca il dominio. Allora era posseduta da Pietro Rosso la Città, e ne uscì fuora.

Del mese di Marzo i Rossi non volendo più tenere per se Borgo San Donino, lo rinunziarono ad Azone Visconte.

Del mese d'Aprile gli Scaligeri partiti da Parma andarono a Verona; e conjurarono Veneziani, e Fiorentini contra loro: perciò furono banditi di Parma e suoi territorj i Rossi.

Adì 13. di Maggio il Marchese di Ferrara hebbe di Modena il dominio, la quale teneva Manfredo de' Pii; & avevala tenuta assediata il prefato Marchese mesi 9.

Del mese di Decembre Azo Visconte avendo per molti mesi assediata Piacenza con gli estrinseci, ne hebbe il dominio.

1337. Del mese di Febbrajo Alessandrino figliuolo di Bonifacio da Cuviago fu decapitato sulla piazza di Parma, avendo confesso di volere tradire la Città in mano de' Bolognesi, e Fiorentini.

Questo anno il Signore di Correggio cominciò di fare la Rocca di Colornio, avendogli donato prima Mastino dalla Scala il Castello; e fece guastare il Palazzo del Vescovo in Parma, e di quelle pietre fece la detta Rocca.

Giovanni Quirico del mese di Maggio fuggì da Verona con Giberto suo figliuolo, & andò a Ferrara: la qual cosa fu di non poco timore in Parma. E furono presi certi suoi amici nella Città, e tormentati, finalmente confinati a Verona: fra i quali furono Anselmo da Marano, Gio-

Giovanni da Sanguigna, e Zannone de' Zannoni.

Del mese di Agosto Padova ribellossi a Scaligeri, e si diede a Marsilio da Carrara, e a Pietro Rosso Capitani de' Veneziani e Fiorentini.

Del mese prefato di Agosto Pietro Rosso Capitano della Liga de' Veneziani e Fiorentini, avendo presa Padova, da quella si partì con sua gente cavalcando al Monte Scelice, & espugnando la terra, da una lancia ferito nel corpo, fu portato a Padova, e la notte seguente morì; e fu eletto in suo luogo Rolando Rosso, della Liga Capitano, e suo fratello.

Del mese di Agosto Marsilio Rosso venuto a Padova, & aggravato d'infermità morì anch' esso.

Del prefato mese d'Agosto Azo da Correggio fece decapitare, & uccidere, e nelle carceri a mala morte morire molti della nobile famiglia de' Remesini da Colornio, e spianar le sue case con molti altri del detto Castello, sotto colore che volevano tradire Colornio.

Del mese prefato d'Agosto furono fatte le strade dall'una e l'altra ripa del fiume Parma dalla porta Capellina fino a Colornio, e più oltra.

Grande fu la carestia in Italia, e valse il frumento nella Marca d'Ancona in alcuno loco la salma lire 60. di sua moneta.

Del prefato mese d'Agosto il Vescovo di Como per nazione Modonese, mandato da Papa Benedetto venne a Bologna, e ridusse i Bolognesi a divozione & obedienza della Chiesa. Allora Tadeo de' Pepoli rinunziò il dominio in mano del Legato, e gli presentò le chiavi della Città il Legato fra il termine di 15. dì fece Tadeo prefato Vicario in Bologna, e restituì lo Studio, & ogni buona forma. Poi passato il mese si partì di Bologna; e subito in Modena, sotto finta cautela di volere far guerra a' Reggiani, acciò che non avessero i Bolognesi sospetto, furono fatti cinquanta cavalli.

1340. Adì 10. di Giugno fu traslato il corpo di S. Pietro Martire in Milano nella Chiesa di Santo Eustorgio nel Capitolo generale, il quale era già morto 76. anni prima; e fu trovato integro; e posto in nobilissimo sepolcro marmoreo; & il Capo suo glorioso tolto dal busto in un tabernacolo fu riposto nella Sagristia del detto Tempio, dove oggidì si vede.

Del mese prefato di Giugno il Re di Granata in fine del Regno di Spagna con quantità di Saracini assalì il Regno di Spagna, con danno e privazione del Re di quel Regno.

Adì primo di Novembre nella Festività di tutti i Santi il Re di Spagna con l'ajuto di più Re Cristiani, e del magno e pietoso Iddio sconfisse il Re di Granata, e più che trecento mila Saracini uccisi.

Del mese di Luglio, e di Agosto, cadde dal Cielo molta tempesta, non più veduta simile da viventi, grande, lunga, e larga (nè fu poi quella vernata ghiaccio, neve, nè freddo) cioè che tenne largo spazio, e lunge di paese; e fu in quantità, e molte volte in quello spazio di tempo.

1341. Adì 11. d'Aprile circa la prima hora della notte grande, mirabile, anzi divorabile fu acceso il fuoco nel Borgo San Donino del territorio di Parma, & arse tutto il Castello vecchio con tutte le case ivi esistenti, ed abbrugiarono molte persone, e solo cinque case con la Chiesa di San Donino vi rimasero. Questo anno nella Città di Parma furono molti homicidj, incendj, insulti, e percussioni di membri, & altri mali, e tribulazione, e tanto nelle altre Città di Lombardia, e in tanta quantità, che non fu al tempo d'huomo vivente.

Furono brine molte con grandissimo freddo, il quale distrusse tutte le viti d'uve; e la notte di S. Giovanni Evangelista grande fu il Terremoto. Del mese di Gennaro grande fu il conflitto de' Tartari. E per duoi anni seguenti afflitti dalla peste, e dalle locuste, e più dalla fame, mancando in Tartaria gli arbori, e l'herbe, con ogni lor famiglia uscirono de i paesi loro, volendo entrare in Polonia, in Persia, e di quindi in Boemia, & Ongheria, & altre terre de' Cristiani, cercando di occuparle. Del mese di Decembre 1340. e di Gennaro 1341. con le mogli, e figliuoli, e con ogni sua gente sopra le ghiacciate paludi passarono; e furono dieci Principi, come era fama, i quali ognuno di loro aveva seco 10. mila Cavalli, o persone, senza le donne, e fanciulli. Contra i quali il Re di Polonia, di Boemia, d'Ongheria, & altri Cristiani armarono esercito, e presero i passi, e costrinsero questi Tartari con l'arme, con le fatiche, e con la fame, e più con le fionde e co i sassi, a tornare addietro, e a mangiare i Cavalli, gli animali, e di quelli il latte, e finalmente il sangue bevere, e più l'uno l'altro di loro ammazzarsi, e per fame divorare la carne. Così furono liberati i Cristiani per volontà divina da costoro.

Di Tartaria tanta quantità di locuste venne per aria, che oscurossi di mezzo giorno il Sole, & erano in ischiera accolte per lunghezza di più di 40. miglia, e in larghezza oltra due miglia; nè potevano dinanzi da loro gli uccelli apparire, nè altra bestia alcuna; e vennero in Boemia, nella Magna, e fino in Lombardia.

Adì 22. di Maggio Mastino dalla Scala avendo tenuto 6. anni e mezzo il dominio di Parma con somma crudeltà e tirannide, ne fu espulso in questo modo. Erano nobilissimi di Parma Simone, Guido, Azzo e Giovanni fratelli da Correggio, e patrueli di Mastino. Azzo era ito in Avignone al Papa, e nel ritorno venne a Milano, e fece con Luchino Visconte trattato di prendere Parma, con patto che il prefato Azzo insieme co i fratelli dovesse tenere il dominio quattro anni, poi fossero tenuti di rinunziare la Città a Luchino, il quale promise di dare soccorso contra gli Scaligeri a Correggiati. Con questa espedizione Azzo partito da Milano, non volle entrare in Parma, ma venne a Guardasone, & ivi co i fratelli, e co i Signori di Mantova suoi Cognati ordinò il trattato di prendere Parma. La qual cosa presentita da Boneto Veronese Podestà di Parma, per provedere al trattato circa la prima hora della notte, si fece armare, & insieme 600. barbute stipendiarj di Mastino alla guardia di Parma; & udito, che si congregava il Popolo in capo di Ponte da San Gervasio, ivi andò con sua gente, e prese Giovanni da Correggio; poi si torse verso l'Arena, dove con grande quantità di Popolo era Simone, e Guido da Correggio congregati, & avevano presa la porta di S. Michele. Ivi combattè Boneto fino all'aurora col Popolo; ma levato il clamore, che Azzo con sua gente entrava nella Città, subito si ridusse co i suoi alla piazza, non lo seguendo de' nemici alcuno, per Dio grazia. Avendo tanto favore dal Cielo, per Porta nuova uscì della terra, e fuggì a Lucca. Così presero di Parma quei da Correggio il domi-

minio, e cominciarono di reggere non come Signori, ma come Padri, la Città senza parzialità o gravezza alcuna, talchè se avessero continuata tal Signoria e governo, senza dubbio sarebbero stati perseveranti, e per modo di dire eterni nel dominio; ma passato l'anno, mutarono la Signoria, e loro costumi.

Del prefato mese di Maggio furono fatte le porte sarafinesche sulle torri, le quali sono in capo del ponte della glarea della Pietra, e di Madonna Zilia, acciochè il Popolo non potesse sì facilmente correre ad arme; e furono cominciate a fare queste torri l'anno inanzi 1340. da Mastino dalla Scala, dopo, come ho detto, finite da quei da Correggio.

B Del mese di Giugno Alberto dalla Scala con mille barbute a cavallo, e molti pedoni, levate di Luchino Visconte, e del Signore di Mantova le insegne, passò il Mincio fiume per pigliare con inganno la Città di Mantova; ma scoperta la falsità, che come amico voleva entrare nella terra, gli fu fatta resistenza; e per dieci giorni rubando & ardendo senza impedimento alcuno scorse il territorio di Mantova. Dopo li dieci giorni congregarono i Mantovani gente de gli Amici di Milano, di Parma, di Bologna, e di Ferrara; e per lo Trombetta mandorono il guanto sanguinolento segno di battaglia ad Alberto, il quale lo ricevè con animo acerbo, dicendo, essere parato la mattina alla battaglia. C Ma la notte seguente con sei compagni ed amici fuggendo, lasciò il suo esercito, il quale del fatto avvertito senza ordine alcuno si diede a fuggire. La qual cosa veduta da' Mantovani, furono seguitati, e molti ne furono presi con gran preda, a danno e vergogna de' Veronesi.

Adì 2. di Ottobre Fiorentini la terza volta secondo il solito furono rotti da' Pisani nel territorio di Lucca.

Mastino dalla Scala sospettando di perdere le altre sue Città non potendo più tenere Lucca, a' Fiorentini la vendè. La qual cosa veduta, Pisani deliberarono di cacciarlo di dominio, e chiamarono soccorso da Luchino Visconte, D da' Parmegiani, e Mantovani, & altri amici; e formarono lo assedio intorno a Lucca, e la circondarono con fossi e palancati che da' Fiorentini non potesse avere soccorso, o munizione alcuna.

Fiorentini congregati gli ajutorii de gli Amici della parte Guelfa, di Roberto Re di Puglia, de' Bolognesi, di tutta Romagna, & altri luoghi, soldati honorati, caricarono d'arme, e vittuaglie muli, cavalli, asini, & altri, e s' inviarono verso Lucca per soccorrere la Città, passando a forza del Campo, overo custodia de' Pisani, il Monte Cinegio fino all'esercito; e una mattina venuti a battaglia con grande strage, mortalità, e preda senza numero, E furono vinti i Fiorentini, e vincitori i Pisani, i quali portarono a Pisa insegne de' Fiorentini acquistate, overo di Roberto Re, e de' Bolognesi. Furono in questa battaglia quasi tutti i Cavalieri fatti prigioni, e di loro molti feriti, e mille ne furono del perditore morti, talchè o morti furono, o presi tutti dell'esercito; e fu la battaglia circa Lucca da Cinegio a Pistoja.

1342. Nel fine del mese di Aprile Benedetto Terzo Papa morì in Avignone.

Adì 7. di Maggio Clemente VI. fu eletto Papa, essendo prima Cardinale, e Monaco dell' Ordine di San Benedetto; e fu chiamato prima Pietro, dopo Monaco, Arcivescovo di Rotomago, poi Cardinale, finalmente Papa.

Adì 22. di Maggio fu fatta solenne festa per lo Popolo di Parma la maggiore che fosse prima da loro fatta, in memoria e letizia della espulsione de' Tiranni Scaligeri in questo giorno, che era l'anno, che furono cacciati i Tiranni. Con confaloni, cerei, e candele per le strade andarono in processione alla Chiesa di Santo Sepolcro, e con gaudio immenso & allegrezza celebrarono la festa ad honore di Santo Giovanni Papa e Martire, e di San Bono, la solennità del quale occorreva quel giorno. La qual festa per più anni fu poi celebrata da' Parmegiani fino al tempo di Barnabò Visconte, la moglie del quale figliuola di Mastino dalla Scala, chiamata Regina, nel tempo del suo dominio in Parma fece pattuire con Parmegiani, che non dovessero celebrare tal solennità, avendo inteso, come era fatta tal festa in vilipendio di Casa Scaligera.

Del mese di Luglio il giorno 6. il Popolo di Lucca, che l'anno intiero aveva sostenuto l'assedio de' Pisani, non avendo vittuaglia, nè aspettando soccorso da' Fiorentini per le molte rotte e sconfitte che hebbero da' Pisani, accordati, coi soldati de' Fiorentini, diedero Giberto Fogliano con molti Fiorentini soldati, e insieme con la Città d'accordo in mano de' Pisani, perciò che Giberto prefato era della guardia Capitano a nome di Fiorenza; e pagarono Luchesi 15. mila fiorini per dar le paghe a' soldati della guardia, i quali avanzavano di paghe servite a' Fiorentini; e questo fecero per timore, che nel partire non saccheggiassero la Città, avendoli prima minacciato più volte.

1343. Dal mese di Marzo Clemente VI. Papa mandò a due Abbati per ogni Città di Toscana, di Romagna, e di Lombardia, e della Marca, a commettere sotto gran pene, che dovessero d'ogni Città e luogo i Signori alla Santa Madre Chiesa essere ubbidienti; e fu fatta per tre anni una tregua, per la quale furono sicure tutte le strade da' latrocinj, e fu estinta la mala Compagnia de' Todeschi, la quale era a rubamenti sul Modonese.

Del mese di Giugno Pisani cacciarono di Lucca i figliuoli di Castruccio, e presero ogni lor Castello e lo spianarono da fondamenti, e quelli fuggirono a Milano a Luchino Visconte.

Il Duca di Athene, che l'anno inanzi 1342. era venuto in soccorso de' Fiorentini contra Pisani, & aveva tolto di Fiorenza e di tutte le sue terre il dominio, nel mese di Ottobre questo anno 1343. del mese di Luglio ne fu espulso da' Fiorentini, i quali crearono 6. Nobili, e 6. del Popolo Priori, che di commune governassero la Città di Fiorenza.

1344. Del mese di Marzo la Domenica delle Palme il Re di Spagna assediò Zizenia Città de' Saraceni nel regno di Granata, & in quel dì la prese con l'ajuto de' Genovesi. Si dice, che fu trovato in quella 80. mila Saracini, a i quali fu concesso dal Re di stare nella Città pigliando il Battesimo; e chi battezzare non si volle, fece partire con tanta quantità di roba, quanto volendo potesse portare in ispalla.

Del mese di Novembre avendo quattro anni la Città di Parma i Correggeschi, come ogni altro dominio loro, con pace e quiete sotto l'ombra di Luchino Visconte, morì Simone da Corregio il maggiore de' fratelli: per la qual morte nacque discordia fra Guido, Azzo, e Giovanni del dominio. Azzo vendette la Città ad Obizo da Este Marchese di Ferrara, Signore

re di Modona, per 60. mila fiorini, & insieme fecero lega con Mastino dalla Scala, Giovanni, e Giacomo de' Pepoli Bolognesi, e Signori di Bologna, & altri contra Luchino Visconte, e i Signori Gonzaghi. Fecesi Azzo nemico Guido, e Giovanni suoi Fratelli, e Cagnolo suo nipote, i quali usciti di Parma, anzi cacciati, entrarono in Briscello, in Guastalla, & in Correggio, & a loro nome fornirono questi Castelli. Intanto Giberto Fogliano con 200. cavalli prima entrò in Parma con Ostasio ambi in nome di Obizo. Dopo a pochi giorni il detto Obizo insieme con Ostasio, e con magnifica e nobile compagnia de' suoi Collegati, entrò nella Città, e di quella tolse il dominio. Allora fu dal prefato Marchese tornato in Parma Giovanni Quirico da San Vitale, e Giberto suo figliuolo, i quali per lungo tempo espulsi da' Rossi, erano stati fuora della Città.

Del mese di Novembre, partendosi Obizo da Parma con molti Nobili, che lo avevano accompagnato, & accompagnavano a Modena, sul Territorio di Reggio 2. migliaja lontano dalla Città verso il Monte venne improvisto assalito da Filippo Gonzaga con gente di Luchino Visconte, & ivi sconfitto. Restò preso di sua gente Giberto Fogliano, Giovanni da Correggio, e Paolo Aldigeri, & altri Nobili; & Obizo con Ostasio, & Azzo, e con più Nobili Parmegiani fuggirono verso Parma, & ivi lasciarono al nemico molte ricche spoglie, le quali furono co i prigioni condotte a Mantova, dove nella carcere morì Paulo Aldigeri Nobile di Parma, & uno figliuolo di Giberto Fogliano da Reggio nobilissimo.

1345. Luchino Visconte disponendo di avere il dominio di Parma, a lui promesso da Azzo da Correggio, e da' fratelli, collegato co i Gonzaghi, co i Rossi, con Guido da Correggio, e con la parte Gibellina, contra Obizo Marchese di Ferrara, dalla parte di Borgo Santo Donino cominciò la guerra, avendo tutta quella parte in suo favore da' Rossi. Niente godeva la Città; fino in su le porte possedeva il nemico; e così dalla parte inferiore era fino alle mura posseduto da Luchino. Perciochè Briscello; e Guastalla era in potere di Guido da Correggio. Fu fatto di questa Capitano Filippo Gonzaga, e mandato da Luchino pose il suo campo contra Parma presso al Monastero di Cistelli. Dall'altra parte venne Obizo Estense Marchese, e Signore di Parma, con altri suoi Collegati, e massimamente Mastino dalla Scala, e pose il suo campo a Colecchio contra quel di Luchino.

1346. Santo Felice Castello nel territorio di Modona, e de' Signori della Mirandola, e Gorzano de' Signori di Gorzano, similmente nel Modonese, questo anno si ribellarono ai loro Signori, e si dierono ad Obizo Marchese di Ferrara, il quale subito per timore che la parte Gibellina non si levasse in Modena, fece accordo con Luchino Visconte, e con Filippo Gonzaga.

Del mese di Settembre Obizo Estense, vedendo distrutta, e considerando non potere difendere nè bene tenere la Città di Parma contra Luchino Visconte, contra Mantovani, e Parmegiani estrinseci, temendosi per lo Castello di San Felice da' Signori Pii a se ribellato, di non perdere Parma insieme e Modena, fece l'accordo con Luchino, e gli vendette il dominio della Città di Parma per 60. mila fiorini, i quali per la promessa fatta furono dati ad Azzone da Correggio. Et adì 22. di Settembre Paganino di Boso Zotto entrò primo Podestà di Parma a nome di Luchino Visconte. E Cazago de' Cazaghi insieme col prefato Podestà fu il primo Capitano di Luchino ad entrare in Parma con cavalli e fanti in gran numero per cagione di prendere il dominio; e molti estrinseci tornarono in Parma.

Luchino Visconte d'accordo con Parmegiani, e con Obizo da Este mandò Paganino di Boso Zotto primo Podestà, e Cazago de' Cazaghi suo Capitano in Parma, e tanto i Nobili, come i Popolari fuorausciti fece tornare nella Città.

Paganino Bisozoro primo a nome de' Visconti Podestà di Parma, aspro e feroce Rettore fece fare la Rocca di Santa Croce, e cominciò di fare edificare la Cittadella circa la piazza.

1347. Dopo fece fare il naviglio, il quale comincia in capo Pasquale, e corre per Viarolo a Borgo Nuovo; e cominciò di fare fabricare il ponte di legname sul Taro, e più altri lavorieri, e fabbriche con grandissima spesa in Parma, tal che in due anni fece esser debito il Commune di Parma solamente di usure a certi banchieri Milanesi lire 60. mila d'Imperiali. Nelle parti oltra mare per più mesi fu grandissima pestilenza, la quale dalle galee de' Genovesi fu portata in Italia; e furono a Genova ricevute del mese di Novembre le prefate galee, sulle quali, prima che arrivassero a Genova, era morta di questa mala influenza la maggior parte di coloro, che vi erano sopra: il rimanente morì quasi subito che furono in Porto e patria loro, questa infermità si allargò nella Città, & infiniti ne morivano il giorno, & in breve per ogni Città di Lombardia, di Toscana, della Marca, della Puglia, e per ogni terra d'Italia si estese. E fu grandissima due anni continui, per la quale molte Città d'Italia furono distrutte; e sole Parma, e Milano pochissimo ne senterono; ma si sparse oltra monti, in Provenza, in Francia, in Aragona, in Spagna, in Anglia, in Alemagna, in Boemia, in Ungheria; anzi tutto il Mondo sì Cristiani, come Infedeli ne furono infetti, e furono da' servi, da' Medici, da' Notari, da' Preti, e Frati, abbandonati gl' Infermi, tal che non erano serviti nè curati, nè potevano testare, nè confessi o contriti assoluti morire i miseri Appestati. La cagione di ciò era, che subito che s'appressavano a gl' Infermi, cadevano in cotale disavventurata peste, e morivano per lo più di subito, tanto che molti insepolti restavano, e l'uno, e l'altro abbandonato lasciava, nè conoscevasi che Padre avesse Figliuoli, nè Moglie Marito, nè Amico compagno; e quantunque molti ricchi morissero, non erano allora pronti gli heredi a cercare i possessi delle facultadi; anzi senza prezzo era tutta la ricchezza tenuta; nè più si conosceva gli avari avere l'oro più che la vita a caro. Cosa horribile a vedere, che gli huomini abbandonando gli huomini, gli odj, le invidie, le lascivie, le facoltà, l'amore terreno, tutti volti in timore d'horrida e spaventevole morte, si pingessero varie e vane chimere ne gli occhi, ad hora ad hora aspettando il fiero colpo scaricarsi in loro, come in molti, che caduti, e cadere vedevano. Che il magno e pietoso Iddio da tanta e sì dura influenza ne guardi ogni Fedele, e per sua bontà ognuno. Quest' anno, & il seguente fu grande carestia anzi fu carestia quattro anni continui, e valse il

il frumento soldi 40. Imperiali lo stajo, idest . . . . 4. di grano a . . . . . 37. per fiorino d'oro che valse in quel tempo.

1348. Della Settimana Santa furono brine tanto grandi sul territorio di Parma, e per ogni pianura di Lombardia, che fecero essere caro il vino, e valse la misura soldi 40. nel piano, e soldi 50. nel monte, e si seccarono molte vigne.

1349. Adì 25. di Gennaro Luchino Visconte Signore di Milano, Parma, Piacenza, Cremona, Brescia, Bergamo, Como, Lode, Crema, Novaria, Vercelli, Terdona, Alessandria, Aste, Alba, Bobio, Cumi, Mondovico, Chirasco con gran parte di Piamonte, morì; e fu fatto Signore di questo dominio Giovanni suo fratello Arcivescovo di Milano, huomo clemente e benigno, in contrario di Luchino, che fu severo e crudele. Fece Giovanni ritornare a Milano Maffeo, Bernabò, e Galeazzo suoi Nipoti, i quali Luchino suo fratello aveva per più mesi tenuti fuora di Lombardia.

Del mese di Decembre a Natale Papa Clemente ridusse le Indulgenze dell' Anno Santo, il quale ordinò Bonifacio Papa l'Anno 1300. per ogni centenaro d'anni, in cinquanta anni; e cominciò la prefata Indulgenza il Natale di Cristo in Roma, dove infiniti Cristiani da ogni parte del Mondo concorsero.

1350. Del mese di Giugno il Conte di Romagna oltramontano con l'esercito della Chiesa, del quale era Capitano, fu quel di Faenza fu da Giovanni Pepoli Signore di Bologna affrontato con esercito di Bolognesi; e venuti a colloquio Giovanni fu distrutto dal prefato Conte insieme co i figliuoli, dal quale cercava il dominio di Bologna. Ma Giovanni escusandosi di non potere dargliela, perchè era posseduta da Giacomo suo fratello, fecero certo accordo in quantità di Fiorini, i quali fra certo termine promise Giovanni di pagare al suddetto Conte, dal quale rilasciato, tenendo però i figliuoli, venne a Bologna, e fece intendere a Giacomo Pepoli suo fratello, come egli voleva andare a Giovanni Visconte Arcivescovo e Signore di Milano per conto di avere danari per la taglia, e per pagare suoi soldati. Alla qual cosa consentì Giacomo, & egli a Giovanni Arcivescovo e Signore di Milano venne, dal quale honorevolmente ricevuto, promise di dargli il dominio di Bologna, se per riscattare lui stesso, e i figliuoli, gli porgeva danari; e questo fu fatto senza saputa di Giacomo suo fratello; e tutto fu accetto a Giovanni Visconte; e per se e per gli figliuoli gli promise provisione.

Del mese di Ottobre Giovanni Visconte Signore di Milano mandò Galeazzo suo Nipote con pulcherrima società da piede e da cavallo a Bologna insieme con Giovanni Pepoli; & entrato Galeazzo nella Città, di quella hebbe il dominio. Allora Giovanni Visconte secondo la promessa ricuperò di Giovanni Pepoli i figliuoli: della qual cosa sdegnato il Papa interdisse i Divini Uffizj a Milano, & in ogni Città e terra del dominio de' Visconti. Fece per lo Conte di Romagna suo Capitano fare a' Bolognesi grande guerra con assedio alla Città, il quale assedio fu levato dal valore di ottocento barbute mandate per soccorso da Giovanni Visconte.

1351. Del mese di Gennaro Bernabò Visconte, mandato da Giovanni Signore di Milano con gran gente di tutte sue Città e terre, e di Parma, & infiniti banditi di Bologna, andò in

A soccorso a' Bolognesi contra il Conte di Romagna, e contra il Papa; ed entrato in Bologna rimandò Galeazzo Visconte a Milano. Allora prima cominciarono i banditi Bolognesi a tornare a Bologna.

Bernabò Visconte prese per sua moglie Regina di Mastino dalla Scala figliuola; e Galeazzo Visconte prese per sua moglie Bianca sorella del Conte di Savoja, della quale era acceso d'amore; e grande si fece festa in Milano per queste nozze e matrimonj.

1352. Del mese d'Aprile, vedendo il Papa di non potere ricuperare Bologna, fece accordo con Giovanni Visconte Signor di Milano, con patto che il prefato riconoscesse Bologna

B dalla Chiesa Romana, e ne fosse investito da quella, alla quale per conto di censo fosse tenuto di pagare ogni anno 12. mila fiorini. E mandò il Papa a Bologna l'Abbate Marsiliense, che fu poi Urbano V. Papa, il quale in nome della Chiesa ricevè le chiavi e le insegne del dominio, e subito ne investì Giovanni Visconte Arcivescovo e Signore di Milano per se e suoi Eredi, come Procuratore della Chiesa, solvendole ogni anno 12. mila fiorini. Allora de' Visconti il dominio fu rimesso a gli Uffizj Ecclesiastici dal Papa, essendo prima interdetto; e furono le lettere absolutorie in Parma del mese di Maggio.

Giovanni Visconte Signore di Milano, chiamato da Nobili Gibellini in Toscana, collega-

C to con loro, condusse grande esercito, & in breve tempo con l'ajutorio de i banditi Toscani, di tutta la Provincia si fece Signore, guerreggiando con grande spesa delle terre del suo dominio. Prima assediò Fiorenza, e Scarperia, dopo Arezzo, Perusia, & altre Città, e luoghi, imponendovi gravezze e spese. Prese Città Vecchia, Borgo Santo Sepolcro, Betona, Gualdo; e più altri luoghi volontario si diedero al suo dominio. E volendogli i Romani dargli la Città di Roma, non volle intromettersi all' impresa, dicendo: che Roma particolarmente si

D apparteneva al Papa, & all' Imperadore. Finalmente nacque discordia fra i Nobili del suo esercito, la quale accordata dal prefato Principe, in Sarzana fu fatta la pace, & egli concesse questa Città libera a' Pisani.

Mastino dalla Scala, di Verona e di Vicenza Signore, morì, e lasciò Cane Grande primogenito, Cane Signorio, e Paolo Alboino figliuoli.

1353. Del mese di Settembre dopo lunga e mortale guerra fra' Genovesi e Veneziani in battaglia navale con danno grande di Genova, perdita di galee, e di gente, furono Veneziani vincitori, e vennero infiniti prigioni a Venezia. Per la qual cosa disperati i Genovesi, non potendo a' Veneziani, e più alla fame, re-

E sistere, di Genova, di Savona, d'Albinga, di Noli, Vintimiglia, & altre lor Terre, diedero a Giovanni Visconte il dominio, il quale mandò Guglielmo Pallavicino, detto di Cazano, con grande compagnia di cavalli e pedoni, suo Luogotenente nel dominio prefato di Genova.

I Genovesi, fatto del suo dominio Signore Giovanni Visconte, & il Signore di Mantova con suo sforzo, avendo già prima ordinati con Fregnano il trattato, andarono a Verona. Bernabò Nipote di Giovanni con 800. barbute fu ritenuto dentro. Ciò presentito, Cane con passi celeri tornando a Verona con l'ajuto de' Bavari, a lui dati da' Padovani, combattendo la Città quasi miracolosamente l'ottenne, e nell'

in-

introito fu morto Fregnano suo Fratello bastardo, il corpo del quale fu poi gettato n.ll' Adice fiume; e Paolo della Mirandola, allora Podestà di Verona, fu anch' egli nella pugna morto, & Azzo da Correggio, incolpato d'essere consapevole del trattato, fuggì di Verona. Ma Bernabò Visconte mandato da Giovanni fu di questo riacquisto cagione, perchè Fregnano gli volle rinunziare il dominio di Verona, & egli per essere Cognato di Cane, accettare nol volle; anzi contra Fregnano combattè nella Città, quando Cane suo Cognato ritornò a Verona, e fu di grande sussidio a Cane a pigliare il dominio: la qual cosa spiacque molto a Giovanni suo Zio in Milano.

Sdegnati i Veneziani contra il Signore di Milano per avere ritenuto il dominio di Genova, con gli Scaligeri, gli Estensi, i Gonzaghi, i Carraresi, & altri amici fecero lega contra de' Visconti & armarono 8000. cavalli, e 10000. pedoni senza i venturieri, e le meretrici; e prima vennero sopra il territorio di Bologna, dopo a Guastalla, e fecero un ponte sopra il Pò, non facendo cosa buona alcuna.

1354. Del mese di Giugno Giovanni Visconte mandò a Parma, & a Bologna contra Reggio, e Modena Francesco Castracani Capitano con esercito; e mandò Giovanni di Besozero con esercito ancora ineguale di Bresciana di Cremona contra i Signori di Mantova; e la parte Gibellina di Modena, ribellandosi a gli Estensi, con Galeazzo de' Pii si diede all' Arcivescovo Signore di Milano, e si collegarono insieme; & allora cominciò la guerra grandissima contra di Modena. I Fogliani, i Roberti, i Manfredi, e i Bojardi tenendosi in Rubiera, anche eglino si collegarono con Giovanni Visconti; e San Martino Castello de' Roberti, e Barzano de' Manfredi, prima distrutti da' Mantovani, furono da Giovanni riedificati, e grande guerra cominciarono a' Reggiani.

Del mese di Giugno il Popolo di Bologna volle occupare la Città a Giovanni Visconte suo Signore; e correndo ognuno all' arma gridavano: Viva il Popolo; ma vinti dalle guardie dentro del Visconte, molti ne furono presi, de i quali 32. furono decapitati, e fra questi fu Giacomo de' Bianchi Cavaliere, & uno suo figliuolo con altri de' Gozzadini, de i Bentivogli, e de' Sabbadini.

Del mese di Ottobre Giovanni Visconte morì in Milano, e furono fatti Signori i Nipoti Maffeo, Bernabò, e Galeazzo, i quali fra pochi giorni in discordia partirono il dominio. A Maffeo toccò in sorte Modoetia, Lodo, Piacenza, Parma, Bologna, Bobio, e Pontremolo; a Bernabò in sua parte Crema, Bergomo, Brescia, e Cremona; a Galeazzo Como, Novara, Vercelli, Terdona, Alessandria, Asta, Alba, Cumo, Mondevico, e Cherasco, e le altre Terre di Piemonte; e Milano, e Genova restarono fra loro indivise con le sue Terre intorno.

Del mese d'Ottobre Carlo Imperatore, di Boemia prima Re, venne a Mantova, intendendosi di volere andare a Milano per pigliare la Corona, e fece in pochi giorni fare una tregua fra i tre fratelli Visconti, e la prefata Lega.

Del mese di Decembre Carlo partito da Mantova fu honoratamente ricevuto in Cremona da' Visconti, e condotto a Milano, nella Chiesa di Santo Ambrogio fu coronato di Corona di ferro, e fece Cavalieri Giovanni Galeazzo figliuolo di Galeazzo, e Marco figliuolo di Bernabò ambi pargoletti.

1355. Del mese di Gennaro l'Imperatore coronato che fu andò a Pavia, la quale era posseduta da i Signori di Beccaria; e partendosi lasciò la Città al Signor Marchese di Monferrato, il quale fra pochi dì ne cacciò quelli di Beccaria.

Il Pò fu congelato tre mesi, che sopra vi si passava co i carri, nè fu tanto freddo 100. anni prima.

Del mese di Febbraro Carlo passato l'alpe per andare a Roma, fu con honore raccolto in Pisa. Ivi stando pochi dì, i Gambacorti Signori di Pisa, temendo di non essere privi del dominio, levarono voce per la Città, che l'Imperatore li voleva far soggetti a' Lucchesi, e corsi all' arme assalirono il Palazzo dell' Imperatore per farlo prigione; e sarebbe succeduto il loro disegno, se il Marchese di Monferrato, Ugolino Gonzaga, e i Visconti non si fossero intromessi con 1000. barbute, da i quali difeso sette ne fece decapitare.

Del mese di Febbraro Carlo pervenne a Siena, & ivi depose il dominio delli Nove, i quali erano chiamati Reggenti, & avevano governata la Città anni ottanta, e concordò i prefati Sanesi con Fiorentini con patto che non potessero entrare in Fiorenza, nè in terra del suo territorio, e pagassero allora quantità di danari, e poi ogni anno cinque mila fiorini per lo censo.

Del mese di Marzo Carlo con 10. mila cavalli entrato in Roma, fu coronato Imperatore, e nella Chiesa di San Pietro da due Cardinali, a ciò fare mandati dal Papa.

1347. Avendo di Parma il dominio Luchino Visconte, fu cominciato di fare il muro intorno alla Piazza commune, e le beccherie furono messe di fuora; che prima si facevano da S. Giorgio.

1348. Fu in Parma, e nel suo Contado, la peste, nè si trovava persona, che si ricordasse essere stata più in Parma.

1352. Fu sì grande il freddo, che congelato il Pò, e coperto il ghiaccio di paglia, per sopra vi fu condotto l'Imperatore in passaggio, che non se n'avvide. La qual cosa intesa, fece tagliare la testa alla guida, che lo aveva, senza fargli avviso, condotto in tanto pericolo.

1354. Brugiarono le botteghe e case poste sul ponte della Pietra; & arse ancora Castello Nuovo oltra l'Enzia.

1355. Fece miracoli Santa Maria Bianca, l'Imagine della quale era appresso d' Ogni Santi dipinta sopra un pilastro, e vi fu poi fatta la Chiesa.

ADDITAMENTA
RECENTIORIS SCRIPTORIS
AD HANC HISTORIAM.

1358. FRancesco Frigeri adì 6. d'Aprile fece condurre da Cremona un sepolcro di legname, cioè Cristo, Maria Vergine, & altri Santi, & Angeli, e furono messi sotto la Confessione del Duomo di Parma, e vi fece fare la sua Imagine, e dei Figliuoli per sua divozione, & una grada di ferro per riparo. Et era costui di Parma Cittadino. Il Consiglio di Parma si faceva di mille Cittadini, nè si poteva accettare nel Consiglio alcuno, che non fosse stato antico della Città.

1359. Circa la festività di S. Antonio in Parma e suo contorno la neve fu alta quattro braccia.

1361. La Peste cominciò in Parma, & hebbe durata mesi 9. e morirono in quel tempo 40. mila persone, come fu dato per iscritto alla banca della Riformazione.

San Biagio cominciò di fare miracoli presso al Battesimo di Parma.

1363. Cominciarono di fare il Castello presso di porta Nuova in Parma, e fu ruinata la Chiesa di Santa Agnese, e ridotta in San Christofaro; e quella di San Giacomo e Filippo fu ridotta in Santo Oldorico, overo Henrico.

1364. Cominciarono di fare il muro tra San Michele, e porta Nuova, e fu fatta l'ultima fiera in Parma, che si faceva il giorno di Santo Herculiano fuori della porta di San Barnaba sotto la Signoria di Bernabò Visconte.

1365. Vennero tante locuste, o cavallette dalla parte di Milano, che guastarono tutto il paese, e volarono per l'aria verso Roma.

1369. Fu dato un cane per Bernabò Visconte a ciascuno Cittadino, che aveva un soldo di estimo, & un'Uffiziale sopra ciò ogni mese faceva la mostra, e se erano troppo grassi, o troppo magri, condannava i governatori del cane.

1372. Bernabò Visconte fece atterrare quattro molini fuora della porta di Bologna a Parma, e quelle case, percioché diceva, che per quelle il Contestabile non poteva udire le guardie.

1375. Il Ducato valeva soldi 32. lo stajo del frumento, essendo carestia quest'anno, valse lire 5. d'Imperiali, la fava lire 4. & appareva no molti danari.

1385. Carlo Visconte figliuolo di Bernabò, il quale stava in Parma, e ne era Signore, si partì & andò al Padre.

Adì 6. di Maggio il Conte di Virtù figliuolo di Galeazzo Visconte prese Catarina figliuola di Bernabò, del quale era nipote, e generò tre figliuoli piccioli in Milano.

Adì 14. di Maggio essendo partito di Parma A Carlo Visconte Signore di quella, il Popolo semplicemente corse all'arme alla Piazza, e finalmente d'accordo insieme tre dì si governarono in libertà.

Valeva lo stajo del frumento soldi 12. e la spelta soldi sei.

Adì 16. di Maggio Giacomo dal Verme, e Nicolao Terzo fornirono la Città di Parma a nome del Conte di Virtù.

Adì 14. d'Agosto più che 4000. villani del contorno di Parma, una notte ruppero la porta di Santa Maria Nuova in capo di Ponte, la quale per molti anni era stata murata, & entrarono nella Città con animo di ammazzare e rubare i Cittadini di Parma, i quali circa 300. B armati sulla Piazza fecero tanto con parole, che per grazia di Dio cacciarono questi malvagi della Città; & alcuni di loro insieme con certi Cittadini consapevoli e fautori del trattato furono impiccati in Parma.

1396. Adì 4. di Novembre Beltramo Rosso Padre di Pietro Rosso morì a Pavia; & alli 10. del prefato mese fu condotto sopra una carretta in Parma, e fu sepellito nella sua Cappella in San Francesco con solenne pompa di cavalli covertati, e stendardi.

1399. Adì 29. di Luglio venne da Borgo San Donino la Compagnia de' Bianchi, chiamata della Misericordia, & adì 3. d'Agosto si partì da Parma la Congregazione di Parma, & an- C darono a Reggio tutti vestiti di bianco con carri, e carrette numero 40. e cavalli tutti coperti di bianco, che portavano le vittuaglie; e fu il numero fra Cittadini e Contadini più di 7000. e tutta quella Compagnia si dice di nuovo essere più di 33. mila persone.

1404. Adì 7. di Maggio Otto Terzo rimase unico Signore di Parma.

Adì 7. di Maggio Pietro Rosso, & Otto Terzo tutti due insieme si fecero Signori di Parma, e tennero il dominio insieme mesi 2.

1409. Adì 9. di Maggio Otto Terzo fu morto a Rubera da Nicolao da Este, essendo andato per trattare di pace con quello, il quale D era suo compadre. Et il prefato giorno Nicolao Estense entrato in Parma, hebbe di quella il dominio.

1468. Grande fu la pestilenza in Parma, e quasi fu abbandonata la Città, nella quale nacque sulla piazza e per le strade l'herba, come in campagna.

1479. Lodovico detto il Moro in termine di due anni, essendo sdegnato con Pietro Maria Rosso, lo privò di 22. Castella, e solo Rocca Lanzone si tenne contra del Moro, la quale da gli huomini di detta Rocca dopo la guerra si diede a Beltrando bastardo di Pietro Maria. Que-

Questo Pietro Maria morì nel tempo di detta guerra, e fu imbalsamato, e posto nella camera dell'oro nella Rocca di Torchiara sedente su una sedia con una veste di broccato d'oro intorno; & ivi è stato molto tempo. E di lui rimase uno figliuolo chiamato Guido Maria, che fu Capitano dei Signori Veneziani, e molto stimato da loro, morì in Venezia con grande honore, fu sepellito nella Chiesa di S. . . . . . e di lui rimasero due figliuoli, Bernardo, e Filippo. Bernardo da' Veneziani fu fatto Vescovo di Treviso, e più volte fu Vicelegato di Bologna, Governatore di Roma, e Presidente di Romagna nel tempo di Giulio II. Papa, di A Leone X, e di Adriano VI, e di Clemente VII. nè mai era stato in Parma, quando l'anno 1527. adì 23. di Giugno venne in questa Città circa le 22. hore, & alle 6. ovvero 7. di notte, la notte seguente passò al Signore nel Palazzo del Vescovado di Parma con doglia e dispiacere di ognuno sì de' Nobili, come de' Popolari, e fu sepelito con grande honore nel Duomo di Parma a man diritta all' Altare grande in una arca coperta di velluto cornisata d'oro con altri ornamenti. E l'anno 1527. similmente Filippo suo fratello ben vecchio morì in Cornilio suo Castello, e lasciò due figliuoli Camillo Abbate di Zara, e Marsilio ancora giovine di età.

IL FINE.



Pal Rè f.

CORTUSII
PATAVINI DUO,
SIVE
GULIELMI ET ALBRIGETI
CORTUSIORUM
HISTORIA
DE
NOVITATIBUS PADUÆ, ET LOMBARDIÆ
Ab Anno MCCLVI. usque ad MCCCLXIV.

SOLERTI

FELICIS OSII

CALAMO SERIO CASTIGATA

Beneficio MSS. Exemplarium IV.

QUORUM

Primum sumministravit Illustrissimus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Senator, & obliteratæ Veterum Scriptorum memoriæ restitutor, *Dominicus Molinus*.
Secundum, exaratum Viri docti Francisci Mussati manu, consanguineus ejus, & J. U. C. *Marcus Antonius Mussatus*.
Tertium *Bartholomæus Petardus*, Veronensis J. C. &c.
Postremum *Jacobus Philippus Thomasinus* Canonicus Secularis Sancti Georgii ab Alga Venetiarum, & Sanctæ Mariæ ab Avantio Patavii Prior.

Omnia nunc prodeunt castigatiora ac ampliora ope quinque MStorum Codicum:

Primum suppeditavit *Bibliotheca Estensis*.
Secundum Nobilis Vir *Antonius Rambaldus Comes Collalti*, intimus Augustissimi CÆSARIS Consiliarius.
Tertium Cl. V. *Apostolus Zenus* ejusdem Augusti Historiographus & Poëta.
Geminos verò *Bibliotheca Ambrosiana*.

IN CORTUSIORUM HISTORIAM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AUctores habuit Historia haec *Guilielmum* & *Albrigetum*, seu *Alberghettum Cortusios*, quibus eadem Patria Patavium, eademque Familia. Quin effulserit Cortusiorum gens inter spectatas ac Nobiles illius Urbis, nos dubitare non finit eorum aevo sat vicinus Galeatius Gatarus in Chronico Patavino, qui Cortusios inter Primores Urbis ad publicum Consilium advocatos scribit. Ipsemet Guilielmus ad Annum 1336. Lib. 6. Cap. 1. se inter *Judices ad regimen Paduae* constitutum commemorat. Heic autem audiendus est Bernardinus Scardeonius Canonicus Patavinus, qui Lib. 2. Classe X de Antiquit. Patavin. de Cortusiis in haec verba loquitur: *Non multo post ea tempora* (nempe post Albertinum Mussatum) *habitus est inter doctos, vel in primis Guilielmus Cortusius, qui de his, quae Patavii suis temporibus gesta fuerant, scribere adortus est: quam interceptam morte Historiam Albrigetus ejus consanguineus, hujus quidem exemplo, sed majori felicitate postea prosequutus est; exorsusque altius majora scripsit tam de domesticis, quam etiam de rebus gestis aliorum Populorum, quae sibi digna memoratu visa forent, nullo tamen verborum cultu, aut orationis elegantia. Quare Petrus Paulus Vergerius de hoc in Vitis Carrariensium sic refert:* Cortusius, *inquit*, cum scriberet, venustatem orationis, quam praestare non poterat, facile neglexit. *Texuit de Acciolini tyrannide longos Annales, qui adhuc exstant, & a multis magna cum voluptate leguntur. Insuper de bello Canis Scaligeri Veronensis Tyranni adversus Patavinos, & alia multa, ita ut pro ingenii facultate, gesta patriae, & se ipsum, perpetuae posteritatis memoriae commendarit.* Haec Scardeonius. Dolo autem *Alberghetti Cortusii*, quem Historici hujus Nepotem aut filium opinari malo, proditus fuit Anno 1435. Marsilius Carrariensis, dum Patavinam Urbem secreta conjuratione recuperare contenderet. Deduxerunt Historiam suam Cortusii ad Annum usque 1358. Sed mihi non levis dubitatio superest, ulterius etiam ab iis productam. Quum enim in altero ex duobus Chronicis Patavina Dialecto conscriptis, de quibus mihi sermo erit post hanc Historiam, pleraque ad eum usque Annum ex ipsis Cortusiis desumta videantur, cetera, quae ibi adduntur continuato sermone, eumdem exhibent Scriptorem tum praecedentis tum subsequentis narrationis. Sed hoc alii videant.

Prodierunt Venetiis *Cortusiorum* monumenta Historica Anno 1636. una cum Rolandino, Albertino Mussato, Monacho Patavino, & aliis, cura doctissimi Viri Felicis Osii, quem tamen importuna mors ante eripuerat, quam ipsius Historiae editio absolveretur. Nunc igitur eadem rursus luci redduntur, eaque ut Lectores habeant quantum fieri potest emendatiora, edita contuli cum membranaceo Codice Bibliothecae Estensis spectandae antiquitatis, hoc est scripto circiter Annum 1388. Hic habetur Cortusiorum Historia, sine nomine Auctoris, atque incipit ab Anno 1293. ut jam Scardeonius monuit. Nempe desiderantur & ibi octo priora Capitula, quae ab Albrigeto addita censentur. Reliqua procedunt paria in MSto Codice atque in editis, nisi quod nonnullas Variantes Lectiones ac supplementa collegi; quae omnia in gratiam Eruditorum nunc evulgo. Sed neque heic stetit sors simul ac diligentia mea. Forte factum est, ut apud Cl. V. Apostolum Zenum Caesareum Poëtam atque Historiographum, Amicum inter praecipuos meum, repererim Cortusianae Historiae partem non contemnendam, quae Editori Osio, sive Dominico Molino incomperta lucem nondum aspexit. Nimirum Capita XXIV. ejusdem Historiae hactenus desiderata descripsit ille ex MSto Codice vetusto, apud Nobilem Virum Comitem Manfredum de Comitibus Patritium Venetum olim adservato. Facile votis meis cessit amicus Zenus, mihique di-

dimisit praeclaram hanc laciniam reliquis Cortusiorum Libris adjungendam. Itaque ipsam publici juris nunc facio; & quamquam integrum Librum solus constituisset, attamen eamdem conjeci in Librum Secundum a Cap. II. ad XXV. Hoc interim beneficio fruantur Lectores. Neque silebo, in Ambrosiana Bibliotheca adservari MStum Codicem complectentem Libros XII. ejusdem Historiae (Libri tantum XI. in editione Ursi numerantur) cum hocce titulo: *Gulielmi Cortusii Historia de Novitatibus Lombardiae*. Caput I. *Oratio Populi Patavini capto Monte-Silice per Hezerinum*. Sequitur *De Ezerino de Romano* &c. Desinit & ibi Cortusiorum Historia in Annum 1358. Alterum quoque ex eadem Ambrosiana protulit Vir Clariss. *Joseph Antonius Saxius* optimae notae, ac tantae antiquitatis, ut Cortusiorum propemodum aetatem attingat. Horum auxilio, postremi praecipue, qui a verbis illis *Libera Marchia* &c. exordium sumit, ut ceteri antiquiores, non modicum emendata est, atque alicubi etiam aucta hujusmodi Historia. Quo circa plurimas gratias *Saxio* nostro habendas reor, sicuti & *Philippo Argelato*, qui in utriusque MSti Codicis collatione ea, qua solet, diligentia indefessam operam suam lubenti animo, sollicitoque studio praestitit, ac labore. Denique accedet in peculiarem, ni fallor, Editionis hujus commendationem subsidium non leve, quod mihi attulit beneficus in me, omnesque bonas Artes amor Illustrissimi & Excellentissimi Viri Antonii Rambaldi Comitis Collalti, intimi Consiliarii Caesarei. Erat illi Chronicon MStum Andreae Redusii de Quero, spissum Opus, a condito Mundo usque ad Annum 1428. (tunc enim is florebat) Latina Lingua deductum, cujus me pro sua singulari comitate compotem voluit. Vix Librum lego, quum deprehendo, Redusium nihil sibi religioni duxisse, Cortusios integros in suum Opus inferre, & quidem neutrius nomine adnotato, ut ex alienis spoliis gloriam sibi tam levi labore conquireret. Quae Redusium revera auctorem habent, suo loco prodibunt: quae vero ad Cortusios spectabant, aliquid etiam beneficii mihi praestitere. Nam collatus cum editis ille Codex, non variantes solum utilesque lectiones suppeditavit, sed etiam additamenta aliquot non contemnenda Redusii ipsius. Haec igitur omnia, ad uberius novae editionis hujus ornamentum atque praesidium, in Notis subjiciam: qua ratione servatum quoque erit, quidquid Redusius alieno panno assuit, dignumque erat, quod minime intercideret. Coronidis loco adjungam verba Patavini Anonymi, cujus Opusculum MStum *de Familiis Patavinae Urbis* in Bibliotheca Estensi adservatur. Ibi haec *de Corthosis* scripta sunt: *Hi, qui de Corthosis dicuntur, fuere Curialis conditionis. Matthaeus de Corthosis ornatus Militia, divitiisque multis abundans, genuit Aldrigetum, qui similiter factus est Miles a Nobili Viro Guecillo de Camino. Hic postquam ornatus fuit Militia, Potestariam Feltrinae Civitatis etiam ab illo habuit, quum esset illius Tyrannus.* An haec respiciant Cortusios Historicos, alii videant.

FE-

FELICIS OSII
ADMONITIO AD LECTOREM
De Conditoribus hujusce Chronici.

ETsi Titulus, adscriptus initio Libri primi, in MSS. Codicibus melioris notæ non alium, quàm Gulielmum Cortusium Operis universi conditorem agnoscat: fatendum est tamen cum iis, qui Patavinarum rerum Scriptores ante nos cognitos habuerunt, ad ea, quæ Gulielmus scripserat de Novitatibus Paduæ, & Lombardiæ, Albrigeti quoque Cortusii manum, & calamum accessisse, quibus illa meliora redderet, atque adeò nonnullis in Capitulis efficeret pleniora. Duxerat initium Operis Gulielmus ab illis Capituli octavi Libri primi: Libera Marchia permanente, &c. adjecit Albrigetus septem Capitula, quæ præcedunt, de Hezerino, & Alberico fratribus de Romano, quorum gesta in MSS. acæphalis non leguntur. Creverunt ad hæc accessionibus Scriptoris ejusdem Librorum aliorum Capitula quæpiam, ne quis existimet, parùm illum in tanto Opere de Lombardia, & Patria meruisse. Fuerunt etiam, qui censerent, & hos inter Bernardinus Scardeonius, rerum Patavinarum apprime doctus, Albrigetum Historiam, interceptam Gulielmi morte, ejusdem exemplo, sed majori felicitate prosecutum esse, exorsumque altiùs majora scripsisse, tam de domesticis, quàm etiam de rebus gestis Gentium aliarum. Ea re nos, Cortusios Duos, laborem istum Historicum, utrique Scriptori ex eadem domo communem, inscripsimus. Quanti porrò is labor à Doctis fieri debeat, vel illud argumento est, quod uterque Scriptor ea, quæ vidit, immo & pleraque, quorum pars magna fuit, in eo literis consignatum iit, ut vel hoc uno nomine verus uterque Historiæ Alumnus, & Mysta debeat appellari. Historia quippe ab ἱστορεῖν, video, eruditis dicta, & à Gellio ex Priscorum sententia definita: Narratio rerum gestarum, quibus interfuerit is, qui narret. Atque huc fortassè respiciens Plutarchus in Pericle, eadem ἡλικιῶτιν, hoc est coætaneam voluit appellare, quòd æqualium, idest eorum, qui rebus, quas scriberent, interfuissent, industriam desideraret: & Galenus, insignis Author, in Libro de Sectis tum αὐτοψίαν, hoc est, proprium intuitum, & spectationem, tum experientiam cum Historia conjunxit, quasi verò nil aliud illa sit, quàm Narratio eorum, quæ viderimus ipsi, aut experti simus. Scripsit autem uterque post Albertinum Mussatum, Patavinum Historicum, & Poëtam, ut apertè indicant, quæ passim ex illius Ecceriniде proferuntur, & maximè primis in Capitulis Libri primi. Viget adhuc, floretque Patavii Cortusiorum familia nobilis, & digna Majoribus sobole propagatur. Et hæc quidem de utroque hujusce Chronici Conditore prænotasse libuit, ne, Amice Lector, rudis & hospes omnino in ejusdem adyta penetrares.

CLARI VIRI,

QUI

De Cortusiis, eorumque familia meminere.

JOANNES DOMINICUS SPAZZARINUS
Patavinæ Reipublicæ Cancellarius MS.

In Præfatione Operis de rebus gestis à Venetis in Continenti.

ALbertinus Mussatus, *Gulielmus Cortusius*, Patavini, *res sui temporis scripsere. Ille heroico carmine, hic in Historia de rebus domesticis multa, & de externis quædam.*

PETRUS PAULUS VERGERIUS
In Procemio Libri de Principibus Carrarienfibus, & eorum gestis.

I*Nde verò (post Albertinum Mussatum) Guielmus de Cortosiis contemporaneus ejus, & concivis, & ipse quidem Historiam conscribere adortus est. Multaque post illum vita ei superstes, cum de domesticis, tum etiam externis rebus, in unam seriem collegit. Verùm, dum res scriberet, venustatem orationis, quam præstare non poterat, facilè neglexit. Et apud istos quidem tametsi multa de Viris, de Familiæ tamen hujus origine nihil agitur.*

PAULUS MERULA
Parte II. Lib. IV. Cosmographiæ Generalis, in Patavio.

F*Lorent etiamnum hodie Patavii familiæ Transalgarda, Sforzatea, Capilistia, Tada, Comitum Baonorum, Comitum Sancti Bonifacii, Lionellorum, Daulorum, Dottorum, Maltraversorum, Nonianorum, Vici Aggeris, Rustica, Trapolina, Malfattorum, Zaccorum, Cortusiorum, Capivaciorum, &c.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS
Lib. III. de Historicis Latinis.

G*Ulielmus Cortusius, ac consanguineus ejus, Albrigetus Cortusius, Patavinus uterque, in pretio habebantur temporibus Henrici VII. & Ludovici IV. Horum prior rerum Patavinarum historiam est exorsus: sed posterior perfecit. Minor autem cultus est in Gulielmo: de quo sic Paullus Vergerius in vitis Principum Carrariensium, & ex eo Bernardinus Scardeonius Lib. II. rerum Patavinarum.* Cortusius, cùm scriberet, venustatem orationis, quam præstare non potuit, facilè neglexit.

LAURENTIUS PIGNORIUS
Sacerdos, & Antiquarius eruditissimus Patavinus in Schedis MS. de Historicis Patriæ.

G*Ulielmus Cortusius perscripsit res gestas suorum temporum ab anno MCCLXXIII. ad annum MCCCLVIII. Albergbetus Cortusius, Gulielmi Nepos, omnia recudit, & ad sua tempora produxit. Floruit anno Domini MCCCIII. & deinceps.*

EXstat & Albrighetti de Curtosiis mentio in Privilegio Caroli IV. Romanorum Imperatoris, & Bohemiæ Regis, indulto Magnifico D. Jacobo de Carraria II. Nonas Junii Anni Domini MCCCXLVIII. in hæc planè verba apud Anonymum, qui Carrariensium Stemma confecit, ad annum MCCCXLVI.

„ Considerantesque, quòd claræ memoriæ Invictissimus Princeps Henricus Septimus, Avus noster, „ tunc in Imperiali solio constitutus, Jacobum quondam Marsilii, Ubertinum quondam Bonifacii, „ Nicolaum ejus filium, Marsilium quondam Perinzani, Oppizonem quondam Marsilii de domo illorum de Carraria, Tisonem Novellum quondam Tisonis, & Guillielmum quondam Jacobi, ambos de Domo illorum de Campo Sancti Petri, Belludum & Zambonettum quondam Alexandri de „ Belludis, Albrighettum quondam Matthæi de Curtosiis, & Philippum quondam Demitrii de Comitibus, & alias quamplures singulares personas de Civitate Paduæ nominatim. Nec non & Commune ipsius Civitatis, & personas omnes dictæ Communitatis generaliter pro quibusdam excessibus, „ & delictis, ut dicebatur, ab ipsis perpetratis, de crimine læsæ majestatis sententialiter condem„ navit, &c.

IN-

INDEX CAPITULORUM

LIBRI PRIMI.

I. *ORatio Populi Paduani capto Montesilice per Hezerinum.*
II. *Memoratio Hezerini de Romano.*
III. *Qualiter Padua trahitur de dominio Hezerini.*
IV. *De Gestis per Hezerinum captâ Paduâ per Legatum.*
V. *De captione Legati.*
VI. *De morte Hezerini.*
VII. *De morte Alberici de Romano, & suorum.*
VIII. *De quibusdam novitatibus post excidium familiæ de Romano.*
IX. *De discordiis Marchionum Estensium.*
X. *De Ferraria, & Venetis excommunicatis.*
XI. *De statu pacifico, & magnifico Civitatis Paduæ.*
XII. *De adventu Imperatoris Henrici.*
XIII. *De amissione Vicentiæ, & aliis factis.*
XIV. *De Padua data Imperio, & Paduanis rebellibus.*
XV. *De morte Gulielmi Novelli, & confinatis primò, & aliis.*
XVI. *De disputatione Senum cum Juvenibus, & quasi prophetia futurorum.*
XVII. *De morte Domini Rizardi de Camino.*
XVIII. *De captione Motæ, & exercitu Quartesoli, & aliis.*
XIX. *De Lucio dato Domino Cani, & aliis cavalcatis in Monte.*
XX. *De Tarvisinis fugatis per Comitem Goritiæ.*
XXI. *De morte Imperatoris, & quibusdam cavalcatis.*
XXII. *De horribili morte quorumdam.*
XXIII. *De captione Domini Jacobi de Carraria, & prima pace facta cum Domino Cane.*
XXIV. *De morte fratris Regis Apuliæ.*
XXV. *De Pace facta, & morte Comitis Sancti Bonifacii.*

LIBRI SECUNDI.

I. DE *Montesilice capto à D. Cane.*
II. (*) Qualiter Ugutio de la Fagiola conflixit Principem Tarantinum cum suo exercitu de Apulia.
III. Decessus Philippi Regis Francorum.
IV. Qualiter Ugutio de la Fagiola de Civitatibus, & Dominio Pisarum, & Lucæ expulsus fuit, & Castrucius de Antermenellis factus est Capitaneus Generalis Populi Lucæ.
V. Qualiter Dominus Gueceli de Camino accepit Civitatem Feltri, & expulsit Episcopum.
VI. Decessus Ludovici Francorum Regis.
VII. Qualiter Comes Goritiæ cum Domino Gueceli de Camino venerunt in Verona, & confirmata fuit parentela inter Dominum Gueceli prædictum, & Dominos de la Scala.
VIII. Qualiter per Dominum Canem Grandem, Antianos, Gastaldiones, & Consilium Communis Veronæ jurata fuit obedientia, & honor Regi Romanorum.
IX. Qualiter Gilibertus de Corrigio cum aliis Guelfis tractavit cum Paduanis, quòd Vicentia raperetur de Dominio Domini Canis.
X. Qualiter Cavalcaboves de Cremona fregerunt pacem, & jura, & de Cremona expulerunt omnes applicantes parti Sacri Imperii.
XI. Qualiter Comes Sancti Bonifacii cum Veronensibus extrinsecis, & Vicentinis similiter extrinsecis, & cum Paduanis, & stipendiariis Paduæ aggressi sunt Civitatem Vicentiæ.
XII. Hìc Dominus Canis succurrit Vicentiam.
XIII. Hìc Ugutio de la Fagiola per Dominum Canem factus est Potestas, & Rector Vicentiæ.
XIV. Qualiter Dominus Canis iteratò misit Ambaxiatores suos Venetias Domino Duci causâ petendi pœnam obligationis.
XV. Hìc misit Dominus Canis Ambaxiatores suos Mediolanum.
XVI. Hìc Dominus Canis congregat exercitum ex omni loco, & mediatur dolor Paduanorum. Finis qualis erit Deus scit.
XVII. Hìc Dominus Canis cum gente sua discessit de Verona, & ivit versùs Montemscilicem.
XVIII. De captione Montagnanæ, & aliorum locorum per Dominum Canem de la Scala.
XIX. Hìc Dominus Canis cum comitiva sua equitavit versùs Paduam, & castrametatus est ad Terram duram.
XX. Qualiter reversus est Dominus Canis cum gente sua in Montemscilicem, qui continuè non cessabat se præparare.
XXI. Qualiter quædam Stella apparuit.
XXII. Qualiter monstra equitum, & peditum omnium fit in Terra Montisscilicis.
XXIII. Qualiter Dominus Canis aggressus est Burgum Sancti Johannis, ipsumque igne devastavit.
XXIV. Qualiter supervênit præsidium Domino Cani de Lombardia, & habuit Pontemcorvum, igneque destruxit Burgum Sancti Jacobi.
XXV. Qualiter vênit auxilium Domino Cani à Duce Carinthiæ, & tractatur de pace medio Ambaxiatorum de Venetiis.
XXVI. *De secunda Pace facta cum Domino Cane, & de quibusdam de Civitate fugatis.*

XXVII.

(*) Sequentia Capitula usque ad vigesimum sextum nunc primùm in lucem prodeunt ex MSto Codice Clarissimi Viri *Apostoli Zeni*.

XXVII. De dominio Paduæ dato Domino Jacobo de Carraria.
XXVIII. De obsidione Tarvisii, & qualiter fuit datum Comiti Goritiæ.
XXIX. De obsidione Civitatis Paduæ.
XXX. De Concione facta in Palatio.
XXXI. De Castro Bassanelli.
XXXII. De Gestis per Paduanos, & Cittadella, & Ambassatoribus Venetorum.
XXXIII. De Padua data Comiti Goritiæ.
XXXIV. Qualiter Dominus Canis voluit capi, & de extrinsecis Paduanis condemnatis.
XXXV. Hic primò Vicarius Ducis Austriæ intravit Paduam.
XXXVI. De Tregua, & captione Asoli, & Montis Bellunæ.
XXXVII. De præda Bojonis, & morte Rainaldi.
XXXVIII. Qualiter Dominus Canis præsumsit intrare Paduam furtivè.
XXXIX. De defensoribus Civitatis, & Paduanis, qui cum Domino Cane fuerunt contra Paduam.
XL. De captione Potestatis Castri.
XLI. De fuga Domini Canis capto Castro.
XLII. De morte Macharussi, & Guecilli Advocati de Noale.
XLIII. De obsidione Montisilicis, & spoliatione Terræ de Est.
XLIV. De tertia pace facta cum Domino Cane, Cittadella, & Feltro.

LIBRI TERTII.

I. De Civitate data Duci Karintiæ.
II. De Vigozolo, & pace Paduæ, & morte Comitis Goritiæ.
III. De Duce Austriæ, & captione Domini Guecilionis.
IV. De adventu Ducis Karintiæ in Marchiam.
V. Qualiter Dominus Canis vindictam fecit de prædictis.
VI. De Civili bello, & morte Gulielmi Dentis.
VII. De morte Domini Altinerii, & Azonibus confinatis.
VIII. De electione Ducis Bavariæ in Romanorum Regem.
IX. De privatione Ludovici, & gestis per rebelles Ecclesiæ.
X. De adventu Ludovici in Italiam.
XI. Summula gestorum per Ludovicum.
XII. De Domino Nicolao de Carraria, & Terra Estensi.
XIII. De auxilio Theutonicorum.
XIV. De tribulationibus Paduanorum.

LIBRI QUARTI.

I. De causis, quibus Padua data Domino Cani.
II. De pactis factis cum Domino Cane.
III. Quo ordine Dominus Canis intrarit Paduam.
IV. De gestis Paduæ per Dominum Canem.
V. De Paduanis extrinsecis.
VI. De publica lætitia facta Veronæ.
VII. De nominibus militum ordinatorum Veronæ per Dominum Canem.
VIII. De obsidione Parmæ, & Tarvisii.
IX. De morte Domini Canis.
X. De gestis post mortem Domini Canis.
XI. De quibusdam duris novitatibus in Lombardia.

LIBRI QUINTI.

I. De Rege Boemiæ, & Brixia.
II. De Brixia data Domino Mastino, & Bergamo dato Domino Azoni Vicecomiti.
III. De obsidione Ferrariæ.
IV. De secundo adventu Regis Joannis, & aliis.
V. Quomodo Legatus dominium Bononiæ acquisivit, & de ejus expulsione.
VI. De obsidione Colurnii, & aliis.
VII. De Nuptiis, & Curia Domini Marsilii de Carraria.
VIII. De Brixello, & aliis.
IX. De discordia Venetorum, & Patriarchæ, & morte Rizardi.
X. De Parma, & Luca, & morte Raynaldi Marchionis.

LIBRI SEXTI.

I. De potentia Dominorum de la Scala, & aliis.
II. Qualiter Domini de la Scala cœperunt declinare, & de captione Gerardi de Camino.
III. De Mestre, & adventu exercitus Venetorum.
IV. De furore, & rabie Theutonicorum, & aliis.
V. De quibusdam gestis à Theutonicis, & aliis.
VI. De quibusdam Rebellibus, obsidione Tarvisii, & aliis.
VII. De Advocato Tarvisii, & conjuratione facta contra Dominos de la Scala.
VIII. De quibusdam gestis per Dominum Mastinum, & exercitu Venetorum.
IX. De Civie, Feltre, & aliis capitulis, & Bononia.

LIBRI SEPTIMI.

I. DE liberatione Civitatis Paduæ à dominio illorum de la Scala.
II. De Dominis Ambassatoribus Venetiarum, & Florentiæ.
III. Responsio Domini Marsilii.
IV. De morte Dominorum de Rubeis.
V. De carceribus Domini Alberti, & filio Regis Joannis.
VI. De regimine Paduæ, & Brixiæ.
VII. De exercitu Montissilicis.
VIII. De filio Domini Mastini obside, & aliis.
IX. Quo ordine Dominus Ubertinus de Carraria receperit dominium Paduæ.
X. De morte Domini Marsilii.
XI. De liberatione Gerardi de Camino, & aliis capitulis Montissilicis.
XII. De Monteclo, & aliis capitulis.
XIII. De liberatione Montissilicis, & aliis.
XIV. De Castro Montissilicis.
XV. De captione Nobilium de Fojano.
XVI. De Turribus Quartesoli, & Burgis Vicentiæ.
XVII. De morte Advocati, & aliorum nobilium.
XVIII. De pace Venetorum.
XIX. De executione pacis promulgatæ Venetiis.
XX. De captione Loderisii, & vindicta Theutonicorum.

LIBRI OCTAVI.

I. DE Campo Sancti Petri, & nobilibus dictæ domus.
II. Summula quorumdam gestorum.
III. De nuptiis Domini Ubertini, Mundiano, & aliis.
IV. De conjuratione facta contra Dominum Ubertinum, & aliis.
V. De societate facta contra Dominum Mastinum, & aliis.
VI. De facto Parmæ, & Mantuæ, & aliis capitulis.
VII. De captione Principis Joannis, & obsidione Lucæ.
VIII. De morte quorumdam, & aliis capitulis.
IX. De Domino Florentiæ, & ejus expulsione.
X. De societate quorumdam Theutonicorum, & Duce Venetiarum.
XI. Qualiter Domini Ubertinus, & Mastinus amicabiliter convenere.
XII. De morte illorum de Flumicello.
XIII. De Comite Araldo.
XIV. De Falsariis, & facto Xichi, & morte Lemici, & aliis.
XV. De fuga Marchionis, & facto Parmæ.
XVI. De morte Petri Zeni, & facto Turcorum.

LIBRI NONI.

I. DE morte magni Ubertini, & ejus successoris.
II. De gestis per Jacobum de Carraria, & ejus dominio.
III. De morte Regis Apuliæ, & aliis.
IV. De morte illorum de Lucio.
V. Magnus Jacobus efficitur Venetiarum Civis.
VI. De facto Zadræ.
VII. De captione Xichi de Caldenatio.
VIII. De morte Regis Joannis, & aliis.
IX. De facto Ravennæ.
X. De Domina Isabella.
XI. De morte Regis Ludovici, qui se dicebat Imperatorem.
XII. De Tribuno Romæ.
XIII. De Rege Ungariæ.
XIV. De clade inaudita.
XV. De morte Hengelmarii de Villandres, & aliis.
XVI. De Vicecomitibus.

LIBRI DECIMI.

I. DE Domino Legato.
II. De Beato Antonio, Domino de Valse, & aliis.
III. De morte Domini Patriarchæ, & nuptiis Dominæ Ziliolæ.
IV. De morte Domini Jacobi de Carraria, & nuptiis Domini Barnabovis.
V. De dominio Dominorum Jacobini, & Francisci de Carraria.
VI. De Bononia, & ejus dominio.
VII. De discordia Venetorum, & Januæ.
VIII. De morte, & discordia Marchionum, & aliis.
IX. De nuptiis Domini Jacobini de Carraria.
X. De facto Veronæ.
XI. De conjuratione contra Vicecomites.

I. DE adventu Imperatoris Caroli in Lombardiam.
II. De prima corona Imperatoris, & de Militia Francisci de Carrariæ.
III. De adventu Imperatoris.
IV. De secunda Coronatione Imperatoris.
V. De conjuratione facta contra Imperatorem.
VI. De recessu Imperatoris, & Domini Patriarchæ.
VII. De captione, & vindicta Zamboni.
VIII. De adventu Regis Ungariæ.
IX. De captione Domini Jacobini de Carraria.
X. De gestis post Treguas.
XI. De Pace facta inter Regem, & Venetos.
XII. Tenor Privilegii concessi Domino Paduæ per Regem Ungariæ.

GU-



HISTORIA
GULIELMI ET ALBRIGETI
CORTUSIORUM
DE
NOVITATIBUS PADUÆ, ET LOMBARDIÆ.
INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Oratio Populi Paduani, capto Montesilice per Hezerinum.



Gloriosa Justina, Civitatis Paduæ Regina, in nostris necessitatibus semper clypeus, & tutela, in nos respice oculis pietatis: malitiis hominū obvia, quoniā inter Cives crescunt injuriæ, odia, deceptiones, fraudes, & (quod pejus est) quidam nituntur Paduam tuam propriam Civitatem summittere dominio Hezerini de Romano, qui Montemsilicis occupavit, & solummodo cogitat Civitatem invadere fraudulenter. Vestris etiam precibus Dominus Noster à servili jugo nos defendat, ne fauces tyrannicæ (1) nos devorent, & viduas cum orphanis compellant mendicare, libertate perpetuò carituros.

Ego verè Regina Civitatis Paduæ, Regis Vitaliani filia, tempore mei Martyris vos nobili Privilegio prædotavi, dicens: *Civitatem* A *meam Paduæ liberè relinquo in manibus populi mei*, quod Gloriosus Dominus vobis longissimo tempore conservavit. Vobis autem ingratis, & vestræ salutis immemoribus, odia, rapinæ, homicidia, deceptiones, fraudes, bella placent: & quidam jam Padauani Montemsilicis accesserunt, volentes Hezerini parti favere. In vanum ergo nolite effundere preces vestras, sed discite servire Tyranno cum gravi subjectione. Sic enim vestra opera meruerunt.

Amodo Paduani videntes auxilio veri Domini se (2) relictos, ac etiam potentiam Hezerini, stabant, quid facerent, dubitantes.

CAP. II.

Memoratio Hezerini de Romano.

B Videns Hezerinus de Romano, quòd Vicentia, & Verona suo dominio subjacebant, & jam ceperat Montemsilicem; cum sua militia versùs Paduam equitavit, credens eam capere violenter: sed Paduani se illa die viriliter defenderunt, exeuntes obviam Hezerino. Sed communitas Paduæ in tali proposito non stetit inposterum: immo statim in sequenti die in MCCXXXVII. die IV. exeunte Februario, Hezerinus intravit Paduam, recturus ibidem de consensu civium pro Domino Federico Romanorum Rege.

Sta-

(1) *In Cod. Mussati, & ambobus Amb.* ne fraudes tyrannicæ.

(2) *Al.* destitutos.

Stabat amodo Hezerinus cogitans destruere humanum genus, causasque invenit inauditas, multos cogens cum filiis, & uxoribus per alienas Provincias mendicare: alios verò, gladio, furca, igne, carceribus inauditis facit etiam mortem durissimam sustinere: parvulos verò genitalibus cæsis, jubet cœcari: mamillæ mulieribus abscinduntur: petit frater cremare fratrem, natus matrem, ut placeant dicto Tyranno. Est Hezerinus inspector (3) tantorum scelerum, & queritur parùm sceleris, dum restat quod præparet (4) Patavinum genus: & asperans sævas iras, ait Alberico suo fratri, qui in Tarvisio similem sævitiem exercebat. (5) *Delicta Gentium poscunt ultrices manus, capiamus Urbes, & undique lata Regna; promissa Lombardia me Dominum vocat; habere puta; ad ortus signa referantur mea; cum Plebe pereat omne Nobilium genus*, (6) *licèt amodo esset fas, & nefas*. Tunc Albericus ait: *O mi frater, Infernus annuat Pater. Sed ad quid inanes ducimus frustra moras? finge te iratum mihi. Hæc dolosa species trahet multos ad interitum; agamus bella; Fides undique absit nobis, & Pietas semper procul. Mundo dati sumus, ut scelera ulciscamur. Parêre licet: turres, & habitacula, & palatia delicata destruamus: Omnino privemus omnes honoribus, & divitiis, adeò ut vivi possint mortuis veraciter invidere. Inferamus tales pœnas hominibus, & tantas, quales, & quantas numquam intulit Pharao, neque Nero, nec crudelis* (7) *Annibal, non Syllæ crudelitas, vel Herodis*. Ecce nunc manifestè videmus, quanta horribilia, & nefanda Tyranni operantur in Civitatibus, quibus regnant: quod debet esse exemplum cunctis, ut talium sit spernendum dominium, vitandum servile jugum, & modis omnibus defendenda libertas usque ad finem mortis. Amodo senes & juvenes, & generaliter omnes in tantis angustiis commorantes misericordiam quæsiunt, sic dicentes: *Quid Deus tantos pateris furores? Cur terra non dehiscit sub pedibus, ut hic Hezerinus subeat tenebras? Te Patrem Cœli populus redemtus invocat supplex iterum relapsus*. (8)

CAP. III.

Qualiter Padua trahitur de dominio Hezerini.

INiquus Tyrannus Hezerinus cogitans ducere ad effectum, quod jam longo tempore putabat, (9) scilicet devastare Mantuanum districtum, & postmodum progredi ad majora, congregatis in Verona militibus, ac peditibus de Marchia Tarvisina, ac etiam suis militibus Teotonicis, in quibus habebat maximam confidentiam, magnificè & potenter equitavit versùs Mantuam MCCLVI. circa principium mensis Madii. Ecce quidam Legatus Romanæ Ecclesiæ, qui venerat Venetiis de mandato Summi Pontificis, convocatis Venetis, Ferrariensibus, & Nobilibus expulsis de Marchia Tarvisina, prædicans Sanctam Crucem in perniciem Hezerini, Nobili viro Tisoni de Campo Sancti Petri consignavit vexillum Sanctæ Crucis. Hoc facto Legatus, qui se asserebat nosse voluntates Paduanorum, qui detinebantur sub Imperio Hezerini, de consilio Domini Marci Quirini Potestatis Paduæ, Marci Badoarii, Tisonis prædicti, & aliorum Nobilium de Marchia Tarvisina, post expugnationem quorumdam Castrorum, exercitum suum feliciter collocavit in Villa Plebis. Cùm verò fama tenuit, quòd gens Crucis erat in Plebe, multi habitatores Villarum venerunt ad Legatum alacres, quasi expugnare deberent barbaras nationes. Facta in Plebe concione solemni, Legatus se movit versùs Paduam, & post magnam expugnationem, sicut placuit Summo Deo, Legatus cum gente sua tam potentem, tam invictam habuit Civitatem, positis armis intrinsecus, nec fuit multa strages hominum occisorum; sed inter unam partem, & aliam fortè quinquaginta (10) homines perierunt. Facta fuerunt prædicta MCCLVI. die Lunæ XII. mensis Junii, reclusis hostibus intra muros, omnes affectuosè hanc diem benedicebant, quam sua ætate venturam vix aliquis cogitasset. Die verò sequenti omnis gens Crucis arma lætanter arripuit, & pugnatum est undique: sed tamdem motâ portâ Pontis Altinati per ignem, intravit Civitatem gens Legati. Ansedisius verò de Guidotis, qui se appellabat Vicarium Imperii usque Tridentum, qui pro Hezerino in Padua multas sævitias perpetraverat, videns ignem per portam Sancti Joannis, aufugit, quem sui videntes conversum in fugam, & ipsi similiter fugierunt. Fugatis hostibus apertæ sunt portæ Civitatis ex omni parte. Extractæ sunt de carceribus omnes fœminæ, ac pueri, quibus septem magnæ domus erant plenæ in tantum, quòd vix poterant vivere, vel spirare. In introitu Civitatis mortui fuerunt circa septem, cujus non potuit esse causa, quòd Paduani intrinseci extrinsecorum adventum toto desiderio expectabant. In paucis verò diebus sequentibus Mestre, & quasi omnia loca Paduani districtus fuerunt reddita Domino Legato, & Communi Paduæ; & in tantum se præceptis Matris Ecclesiæ subdiderunt, quòd pauci, imò ferè nulli fuerunt, qui haberent de malis præteritis memoriam, vel de transactis cruciatibus condolerent, quoniam dulcedo post amaritudinem plus delectat.

CAP. IV.

De Gestis per Hezerinum captâ Paduâ per Legatum.

LIcèt Hezerinus, cùm redibat à vastatione Mantuæ, manifestè scivisset, Paduam fore captam: ille tamquam sagax Tyrannus aliud gerens in ore, & aliud in mente, quamcitiùs potuit sine mora cum toto exercitu equitavit Veronam, taliter ordinans gentem suam, quòd nullus potuit deviare. Et sic, quamvis Hezerinus

(3) *Ambo Codd. Amb.* tyrannicè.
(4) *Mel.* reparet, *ut in Ambr.*
(5) *Lege ex Actu III. Scen. I. Eccerinidis Mussati, cujus è fontibus hæc deducta*: Delicta poscunt Gentium ultrices manus. Capiamus Urbes undique & latè loca. Promissa Lombardia me Dominum vocat. Habere puto. Meos nec ibi sistam gradus. Italia mihi debetur, haud equidem satis est illa, ad ortus signa referantur mea. *Habes hæc eadem in eodem Actu Sc. II.*
(6) *Legerem ex eadem Scena*: Jamque omne fas licet, & nefas, *& infra Mussatus hæc eadem sic expressit in laudato Actu Sc. I.* Finge te iratum mihi. Dolosa species hæc ad interitum trahet, hinc inde multos transfugas; absit Fides, Pietasque nostris actibus semper procul. *Adi finem Chori Act. II. Eccerinidis.*
(7) *In Cod. Petardi, & Ambrosianis* cruentus.
(8) *In Codd. Mussati, Petardi, & Ambrosianis deest* Populus, *& pro* redemtus, *est* redactus.
(9) *In Cod. Mussati* peroptabat.
(10) *Ambo Codd. Amb.* XL.

nus hæc tegeret, quantum posset, tamen murmurabatur latenter, & timorosè per omnes, Paduam fore captam. Timens Hezerinus, ne liceret mœstis gentibus mutare propositum, claudi fecit omnes Portas Civitatis, & si quis recedere præsumebat, manibus & pedibus truncabatur.

Vult amodo Hezerinus sui odii venenum evomere, & suis convocatis complicibus quæsivit consilium, quid facere habeat de Paduanis. Tunc ait quidam: (11) *Magnamine Princeps, subitò Paduanos cape: Verona vinctos teneat, & carcer tuus, mortes minare rigidas, & Paduam celer accede, invade trepidos, tolle moras, quoniam terror suorum, & vester magnus vigor sternet rebelles, victor optatum feres.* Hezerinus, vir iniquitatis inauditæ, jussit Paduanos carcerari, & eos fecit spoliari equis, & armis, & omnibus ornamentis, quæ tulerant studiosè ad Hezerini decorem; & fuerunt numero undecim millia, & ultra, quos omnes perire fecit igne, gladio, fame, & siti, & pestibus inauditis, de quibus (12) neque CC. redierunt.

Persecutor humani generis cogitans Paduam occupare, si poterit, congregato exercitu copioso de Verona, Vicentia, Feltre, Cremona, Papia, Placentia, Vercellis, Brixia, Bergamo, & de diversis partibus multis Gentibus congregatis, equitavit Montegaldam, & eam cepit, excœcatis omnibus repertis in Castro. Postmodum verò vênit Hezerinus, credens Paduam occupare violenter. Scientes (13) amodo Paduani, quòd locatus est exercitus valde prope, exiverunt obviam inimicis, locantes se foris à muris Civitatis inter spaldum. Erant autem in hoc Ecclesiæ guarnimento Aquilejensis Patriarcha, Dominus Bianchinus de Camino, Dominus Azo Estensis Marchio cum Ferrariensi militia, Milites Mantuani, Veneti, Clugienses, de Romagna, & quidam expulsi de Verona. Milites & pedites, qui venerant de Bononia ob Sanctæ Crucis reverentiam, recesserunt, Dominum Legatum & alios pugnantes pro fide in maximo necessitatis articulo relinquentes. Hezerinus verò sæpe numero appetivit intrare Paduam violenter; sed propter nobilem defensam spes sua ivit incassum. Videns amodo Hezerinus, se frustra gentem in obsidione tenere, attentavit transire riveriam Montisfilicis; sed nequivit. Post verò magnam devastationem Villarum, totam suam militiam, quam habebat ultra militiam Paduanam, in triplum ordinatè glomeravit in unum, & viam ordinatè capiens Vicentiam est reversus. Fuerunt hæc MCCLVI. circa finem Augusti. Et die IV. intrante Septembri rediit Vicentiam, ubi fecit publicam concionem, in qua inter cetera fuit locutus, quòd milites sui Paduam obsederunt, & Marchionem Estensem cum sua gente, & quod plus est, Romanam Ecclesiam compulerunt turpiter trepidare, dum Legatus Apostolicæ Sedis latuit intra spaldos. His verbis propositis, & aliis, ille callidus, & astutus dubitans amittere Vicentiam, proposuit Vicentinos ponere extra propriam Civitatem, & ait: *Meis fidelibus Vicentinis sic dicam: Nolo, quòd mei Vicentini lateant intra muros, quemadmodum fœminei Paduani; sed foris à Civitate permaneant, & per burgos, ut, si qui volent ausu temerario venire Vicentiæ, redeant flebiliter, & dolenter, & noscant quid valeat Vicentinorum libertas.* Et sic, positis in Vicentia Veronensibus, & Theotonicis, Vicentinos manere fecit extrinsecus, & ita eis Lunam monstravit in puteo, & sub auri specie præstitit auricalcum. Post hæc ivit Veronam, & cunctis gentibus, quæ fuerunt cum eo, dedit licentiam recedendi.

CAP. V.

De captione Legati.

Legato sanctæ Fidei hactenus (14) satisfecit gratia Dei; sed quia in rebus hujus Seculi nulla est prosperitas, quam adversitatis stimulus non oppugnet. Ecce namque talis evênit casus, quòd Cremonenses fraudulenter acceperant quædam Castra Brixiensium, qui nunc favebant Ecclesiæ. Quare Dominus Legatus cum suis fidelibus exivit Brixiam, ut Cremonensibus obviaret. Hoc audito Hezerinus cum maximo guarnimento equitavit Veronam ad exercitum Cremonensium: quod multum terruit Legatum, quia ad exercitum Legati nondum advenerat Marchio Estensis. Itaque Hezerinus cum Cremonensibus contra exercitum Legati viriliter equitavit: & tamdem post magnam pugnam captus fuit Legatus, multi alii capti, vel mortui permanserunt in campo: quod multum omnes amicos Ecclesiæ contristavit. Dominus Hezerinus in hoc loco majorem habuit gloriam, quàm habere potuisset in toto exercitu Lombardiæ. Fuerunt hæc MCCLVIII. mense Septembri.

Eodem mense Brixia reddita fuit Hezerino, in qua multos milites decollavit: trusit populares in carcerem, fœminas, pauperes, & pupillos: Ecclesias destruxit, & Castra: & breviter, totam Brixiam dedit exterminio, & ruinæ. Nullum est sanè diluvium, nulla pestis, quæ tantam inferat miseriam toleranti, quam sub iniquo Tyranno libertatis. Satis ergo est manifestum, quod quilibet debet noscere Tyrannos, fugere proditores, & usque ad mortem defendere libertatem.

CAP. VI.

De morte Hezerini.

Jam animus Hezerini levatur in altum. Scit enim, quòd Rex Castellæ electus Imperator, licèt in discordia, intendit prorsus venire in Lombardiam. Scit etiam, quòd jam secretè tractaverat, quòd quidam Mediolanenses sibi proditoriè traderent Mediolanum. Itaque congregato exercitu copioso, ait iis, de quibus plurimum confidebat: *in Lombardiam se velle agere rem majorem, quàm acta foret à tempore Caroli Magni citra.* Et electo die suæ motionis, de consilio Astrologorum, circa finem Augusti MCCLIX. equitavit magnificè circa mœnia, Urceorum Brixiensis districtus, qui adhuc Hezerino . . . . (15) Hoc audito Marchio Palavicinus, Bossius de Dovaria, qui cum Cremonensibus, inscio Hezerino, secretè fuerant in con-

(11) *Mussati hæc ipsa sunt in Eccerinide Act. III. Sc. IV. ore Commilitonum. Ibidem paulò aliter hæc leguntur, nempe:* Accede, muros milites cingant tui. Invade trepidos, tolle pendentes moras. Terror suorum, noster & magnus vigor sternet rebelles, victor optatum feres.

(12) *Al.* numquam.
(13) *Al.* autem.
(14) *Al.* satis favit.
(15) *Supple lacunam istam ex Chronico Rolandini Lib. XIII. Cap. II.* viriliter resistebant.

concordiam cum Marchione Estensi, & ceteris fidelibus Ecclesiæ, moto toto exercitu Cremonensium, locaverunt se circa Castrum de Soncino, venientes obviam Hezerino. Marchio Estensis cum Ferrariensibus, & Mantuanis equitaverunt Marchariam in Cremonensium auxilium, & succursum. Hezerinus ipse subitò & latenter remisit Brixiam populum Brixiensem, & cum suo copioso exercitu, furtivo gressu transivit flumen Olei per pontem de Palazzolo: & illi Mediolanenses proditores, per quos sperabat habere Mediolanum, venerunt ad ipsum. Martinus verò de la Turre, Capitaneus in Mediolano, cum Mediolanensibus copiosè exivit in auxilium Cremonensium, propinquans ad eorum exercitum, quantum potuit. Ecce Leo rugiens, insciis Lombardis, pervênit ad vadum cujusdam fluminis, quod dicitur Ada: & transivit per vadum, & cœpit versùs Mediolanum dirigere iter suum: & forsan peregisset sui crudelis animi propositum, sed non fuit voluntas Dei. Scilicet Nuntius quidam animo anhelanti hoc retulit Martino de la Turre, qui subitò Mediolanum est reversus, & prævênit adventum Hezerini, & sic Civitatem incolumem reservavit. Ipse autem coluber tortuosus, fons scelerum, & magister, cùm jam facere nequeat quod præsumsit, rediit spe fraudatus, & violenter occupat Pontem Cassani super Ada, & eum tenuit & armavit, & mansionem suam in Vicomercato posuit infelicem. Cogitavit inter se, quid in tantis periculis sit agendum: nihil curans amodo de domibus planetarum, vel sideribus. Nam non ignorat, sibi summum periculum esse inter flumina, inter loca inimicorum, & inter hostes, & esse cunctis Gentibus Italiæ odiosum. Studet de gente sua plus solito procurare. Hezerino manente in Vicomercato, Cremonenses, Marchio Estensis, & omnes de parte Ecclesiæ viriliter equitaverunt ad Pontem Adæ, quem tenebat Hezerinus. Quidam ivit ad Hezerinum referens facti seriem festinanter. Tunc Hezerinus protinus properavit ad Pontem, quem de facili habere confidens, suos milites, & pedites animabat ad pugnam, in tantum, ut quasi hostes jam de ponte crederent. Sed extrema gaudii luctus occupat. Nam ecce sagitta quædam de Ponte emissa, fixit Hezerini sinistrum pedem, qui dolorem vulneris alta mente contemsit, & ad Vicomercatum est reversus, dixitque omnibus audientibus: *Hodie sinè ponte talem viam faciemus, quam cum ponte Hostes nullatenus attentarent*. Et cum gente sua salubriter transivit Adam. Stabat igitur Hezerinus regali more in dextrario phalerato, tergo verso ad inimicos, quasi eos pro nihilo reputaret, directa facie ad Brixienses, qui ultimò transibant. Sed post illius gentis transitum acies Lombardorum appropinquavit ad acies Hezerini. Et ecce Brixiensis militia cœpit versùs Brixiam extendere viam suam, nec declinare ad Hezerini defensam. Ipse verò animosus, & audax, aspiciens gentem suam nullatenus in armis, vel viribus confidere, & quosdam se reducere ad eum, tamquam ad locum muniminis, & ad Castrum, stans in articulo tali, cœpit tendere cum gente sua versùs Bergamum, non sicut fugiens, sed equis procedentibus, quasi passim. Insecuta est gens Lombardica Hezerinum. Et ecce Estensis Marchio, & Marchio Palavicinus, Bossius de Dovaria, & alii quamplures Nobiles, & potentes Hezerinum circumdederunt, & ceperunt: quem sic captum quidam bis, vel ter in capite percussit, excusans se, & dicens, quòd fratrem suum uno pede fecerat mutilari. Sed quisquis fuerit, laudem non meruit, sed opprobrium vilitatis. Fuit hæc captio MCCLIX. exeunte Septembri. Hezerinum verò sic captum honorabiliter, ut in hoc casu decuit, ad Castrum Soncini conduxerunt, & (16) accitis medicis, & sapientibus, talem curam habuerunt de eo, quam laudare possis factam per Albericum ejus fratrem, quæ non profuit. Nam die undecima post ejus captionem, diem clausit extremum, & à prædictis Baronibus honorabiliter fuit in Soncino sepultus; & sic causâ passionis, tumulo paterno fraudato, in aliena patria requievit.

CAP. VII.

De morte Alberici de Romano, & suorum (17).

Hezerini audita desiderabili captione, & postea ejus morte, multiplicatum est gaudium, populis exultantibus in immensum. Itaque, postquam veritas cognita est, Urbes pacificantur, & Gentes. Et eodem anno, tempore autumnali, quidam nobiles Vicentini Paduam cucurrerunt, rogantes Populum Paduanum, quòd Vicentiam accipiant, & defendant. Et tunc statim Potestas cum militia Paduana Vicentiam equitavit, & dispositis Vicentiæ negotiis sapienter, omnes Paduani cum Potestate alacres Paduam sunt reversi. Paucis verò diebus elapsis, illi, qui Bassanum tenebant pro Hezerino, se reddiderunt in manibus Potestatis, & Bassanensibus data electione, utrum vellent subesse Paduæ, vel Vicentiæ, subesse Communi Paduæ sponte elegerunt.

Ecce jam Domini Anno revoluto, scilicet MCCLX. Albericus de Romano anxietatibus circumventus, tum propter mortem Hezerini, tum quia sciebat, se in Tarvisio tyrannidem, & mala innumerabilia perpetrasse, quæsivit sibi locum securiorem in suis Castris: & cum tota sua familia, & quibusdam militibus Teotonicis, Tarvisio derelicto, ad Castrum Sancti Zenonis equitavit. Erat autem hoc Castrum in Pedemonte artificiosè constructum, & adeò munitum, quòd dicebatur à multis Castrum Sancti Zenonis posse totam Marchiam subjugare. Tarvisini verò malorum memores, quæ Albericus fecerat in Tarvisio, volentes de eo sumere ultionem, exiverunt Tarvisium hostiliter, & positi sunt cira locum. Sic itaque magnificè permanentes à Kal. Junii usque circa finem Augusti, taliter impugnaverunt locum, & inimicum, quem præ cunctis desideriis confundere nitebantur, quòd ad hoc tandem est deventum, quòd Teotonici, & quidam alii, quos Albericus secum habebat pro defensa, circa finem Augusti extrinsecis dederunt Castri munitionem, quæ vulgo dicitur *Cinta*. Stat nunc Albericus cum uxore, & filiis in summo turris dolorosus, & tristis, sciens cunctos desiderare ejus desolationem, & mortem. Cùm per triduum stetisset in summo turris conclusus, non tantum fame, quantum arida siti devictus, uxori ac filiis non sinè lachrymis est locutus, & ait:

Heu vigor, & sapientia Hezerini crudeliter & indignè jacet prostrata, & nostro jugulo insistit iniquitas circumstantium proditorum! Vos verò, Carissimi filii, domus nobilis de Romano heredes veri estote, & prædecessorum vestrorum mor-

(16) *Al.* vocatis.

(17) *Vide Cap. X. Libri XII. Rolandini*.

morte facite meritam ultionem. Habetis namque magnam partem in Lombardia, & consanguineos vestros nobiles, & potentes Comites de (18) *Magono, qui natura sanguinis exigente, favebunt vobis, & vestrae parti. Ego autem do vobis paternam benedictionem, & gratiam, & Deum precor Omnipotentem, ut super inimicis nostris vobis det gloriam, & triumphum.*

Post haec vocavit ad se omnes, qui cum eo erant, & ait: *Scio, quòd melius est, quòd solus moriar, quàm vos mecum. Accipite ergo me captum, & meam familiam, & reddite inimicis.* Tunc subditi protinus descendentes locuti sunt cum inimicis, promittentes se daturos suum Dominum, & familiam, si vellent eos dimittere absolutos. Et habuerunt Servi gratiam postulatam. Ductus est ergo Albericus cum sua familia infra turrim, & impositum est ei ligneum quoddam frenum, sinè quo stetit tantum, quantum accipere potuit poenitentiam de commissis. Demum ductus est per exercitum unà cum uxore, & sex filiis, & duabus filiabus. Ipse verò cum filiis fuit gladio truncatus, & membratim laceratus per frusta: duae ejus filiae & uxor incendio sunt consummatae. Facta fuit haec caedes in MCCLX. exeunte Augusto (19).

Mortuis illis de Romano, omnes cives Paduae iverunt per Civitatem, quasi nudi se verberantes ob Dei reverentiam; & adeò se pacificaverunt in unum, regentes Paduam in communi, quòd omnes sperabant, pacem in Padua, & tota Marchia Tarvisina perpetuò duraturam.

(20) Licèt de Gestis illorum de Romano scribatur pleniùs in Chronica Rolandini, tamen placuit aliquam facere mentionem in exemplum, quòd pravum dominium sit vitandum, & ad evidentiam infra scriptarum Novitatum, quae post adventum Imperatoris Henrici meo tempore occurrerunt.

CAP. VIII.

De quibusdam novitatibus post excidium familiae de Romano.

Libera Marchia permanente post mortem illorum de Romano, quidam Vicentini proditoriè dederunt Veronensibus quaedam Castra. Unde Commune, & Homines de Vicentia se Communi Paduae liberè reddiderunt, & sic Paduanorum exercitus Leonicum ivit hostiliter, & ipsum proinde (21) de manibus Veronensium extirpavit. Stabat amodo Vicentia pacificè sub dominio Communis Paduae in MCCLXVI.

In eodem anno obiit Beatus Antonius Peregrinus.

In MCCLXXIII. quidam (22) ascenderunt Castrum Angarani, sed exercitus Paduae eum accepit per vim.

In MCCLXXVIII. mense Novembris, Paduani Castrum Coloniae, Veronensis districtus, obsederunt, & mense Decembri (23) habuerunt per vim. Hoc facto Dominus Albertus de la Scala, Capitaneus Veronae, timens potentiam Paduanorum, & Marchionis Estensis, sapienter vênit ad pactum, quòd dictum Castrum destruatur, & perpetuò debeat manere desolatum.

Eodem Anno Dominus Albertus de la Scala voluit accipere Vicentiam. Quare Domini Bartholomaeus, & Ansedisius fratres de Schinellis, nobiles cives Paduae, (24) fuerunt tamquam proditores forbanniti.

Statim in sequenti anno Paduani cum Nobilibus de Camino, Patriarcha Aquilejensi, & Carrocio Paduano iverunt Villam-Novam, faciendo guastum usque ad Burgos Veronae: postremò devenerunt ad pacem. Hoc anno Dominus Gerardus de Camino in civem Paduae fuit assumtus (25).

Veronenses iteratò in MCCLXXXX. voluerunt accipere Vicentiam Paduanis. Unde per Paduanos captus fuit Dominus Leonardus Comes Vicentinus, & mortuus. Post cujus mortem in anno sequenti Dominus Jordanus de Sarego, frater uxoris Domini Leonardi, nocte insultavit in milites Paduanos, volens Vicentiam de manibus Paduanorum exstirpare. Qui post magnam pugnam captus fuit cum sequacibus, & in platea Communis Vicentiae decollatus.

Sequenti anno quidam Castellani forbanniti ascenderunt (26) castrum Valdagni, ostendentes se rebelles, qui capti per vim fuerunt & in Campo Martio Vicentiae decollati. Eodem anno completum fuit laborerium Castribaldi.

CAP. IX.

MCCLXXXXIII.

De discordiis Marchionum Estensium.

Mortuo Obizone Marchione crevit discordia inter filios, in tantum, quòd Dominus Azo cogitans solus habere dominium Ferrariae, Mutinae, & Regii, & totius patrimonii domus Estensis, primò Dominum Aldrevandinum jussit exire Ferrariam, qui Paduam vênit, & contra fratrem auxilium imploravit. Cui Padua ait: *Tibi succurri paterna merita meruerunt.* Et hac causa Castra Cerri, & Calaonis capta à Paduanis fuerunt, & destructa, & munimina Marchionum Estensium pulcherrima fuerunt diruta omnibus fundamentis. Dominus Albertus de la Scala videns hanc discordiam, cogitavit habere concordiam cum Communi Paduae; & se obtulit, & Commune Veronae in servitium Paduanorum; quod Commune Paduae acceptavit. Item Paduani iverunt hostiliter contra Marchiones, & castra sua fixerunt ultra flumen Aticis circa Castrum de Veneze. Hoc videns Raymundus Aquilejensis Patriarcha, pacem composuit hoc modo, quòd Marchiones Azo, & Franciscus in gratiam Paduanorum sint recepti; & ipsi dederunt Communi Paduae Abbatiam cum suis juribus, & tertiam partem Lendenariae, Luxiam, Castrum de Veneze cum sua Curia, & terras Burbili: & quòd ipsi Marchiones numquam possint in summitatibus Cerri, & Calaonis, & Rocchae Estensis facere aliquod aedificium. Fuerunt haec in MCCLXXXXIII.

Dominus Azo, Estensis Marchio, volens propositum suum adimplere, scilicet habere dominium

(18) *Rolandinus eum vocat* de Mangono.
(19) *Vide Lib. III. Chronicae Monachi Paduani pag.* 32.
(20) *In MSS. quos vidit Franciscus Mussatus, Cortusiorum Chronica hic incipit. Vidimus & nos quosdam hujuscemodi.* MS. Estensis quoque Codex hinc exordium sumit, & antiquus textus I. Cod. Ambrosiani.
(21) *Cod. Amb. I.* per vim.
(22) *Fortè meliùs* obsederunt, *uti legitur in Cod. Amb.*
(23) *Cod. Amb. I.* Novembris.
(24) *Cod. Amb. I. addit*: conscii praedictae factionis.
(25) *Cod. Amb. I. addit*: & eidem possessiones rebellium Paduae per commune Paduae conlargitae sunt, ita tamen, ut in pretium stipendii cederent.
(26) *Cod. Amb. I.* obsederunt.

nium totius patrimonii de Ferraria, expulsit alium fratrem suum Dominum Franciscum, priùs tamen contracto matrimonio cùm Nobili Domina de progenie Regis Franciæ; qui cum Domino Alberto de la Scala, & Mantuanis societatem fecit contra fratrem, amodo asserens manifestè velle partem Imperii sustinere. Duobus suis fratribus sic expulsis multùm gloriatur Dominus Azo; sed extrema gaudia luctus occupat. Nam subitò habuit nuntiantem, filium suum naturalem expulsum de Mutina, & sequenti die Regium amisisse. Post hæc verò Veronenses, & Mantuani cum Domino Francisco hostiliter venerunt contra Ferrariam, qui Azonem Marchionem adeò terruerunt, quòd cogitavit exire Ferrariam; sed hortatu suorum militum destitit a proposito. Tamdem pax convênit. Non multo tempore subsecuto Dominus Azo Frescum, suum filium naturalem, Dominum constituit in Ferraria, & infirmus (27) vênit, & ibi solvit debitum naturale in MCCCVIII. de mense Januarii.

CAP. X.

MCCCIX. mense Augusti.

De Ferraria, & Venetis excommunicatis.

STatim post mortem Marchionis Dominus Franciscus furtivè intravit Rhodigium, & habuit Lendenariam cum quibusdam Castris, quæ omnia dedit Communi Paduæ, tamquam suum patrimonium proprium. Dominus verò Frescus, timens amittere Ferrariam, eam dedit in manibus Venetorum, qui ipsum cum filiis in Civem Venetiarum receperunt: quibus annuatim providebant de libris C. grossorum. Dominus Franciscus procuravit, quòd Summus Pontifex Ferrariam in sua protectione recepit; & Bononiam misit suum Legatum, qui Venetos ab omni communione fidelium separavit. Adhuc Venetis resistentibus, Legatus cum copioso exercitu Ferrariam obsedit, & cepit. Veneti verò fugerunt ad Castrum Thealdum, positum in suburbio Civitatis, contra stimulum calcitrantes (28). Naves in tantum ponderabant, quòd cum ipsis navibus ibant in profundum: alii se præcitabant in Padum: alii mactabantur (29) ut canes, de quibus tria millia ultra fuerunt sepulti in una sola fovea, quam ipsi fecerant defensa. Si qui casu fugere potuerunt tales pœnas, capiebantur ut servi. Fuerunt hæc in MCCCIX. mense Augusti.

Statim post hoc, Castrum de Marchamò captum à Ravennatibus, fuit destructum.

Dominus Bajamonte Thiepolo cum quibusdam de Cà Quirino, & Baduariis, & aliis de parte Ecclesiæ, statim in sequenti anno, mense Junii, movit civile bellum cum gente sua, viriliter intendens Sancti Marci obsidere plateam. Dominus Petrus Gradonico Dux cum illis de Cà Justiniano, Dandulo & Delphino, & aliis taliter ordinavit, quòd Bajamonte rediit in Rialtum. Qui postea curialiter cum falsis promissionibus cum multis suis sequacibus fuit expulsus. Et postea forbanniti perpetuò, bonis suis omnibus publicatis, occidebantur ubique, & occisoribus à Communi Venetiarum præmium donabatur. In hoc civili bello mortuus fuit unus de Quirino (30) cum filio, Vexillifer Bajamontis (31). Sequenti die Dominus Baduarius de Baduariis (32) de Padua ivit Venetias, asserens se insontem: qui fuit capitali pœna damnatus (33), quia miles, socii sui furca suspensi.

Post hoc civile bellum Summus Pontifex Venetos restituit in integrum, ipsosque multavit in florenis centum M. De Domino Bajamonte, & suis nil curavit. Quod est exemplum, quòd unusquisque cavere debet subvertere velle propriam Civitatem. Stat amodo Ferraria in dominio Romanæ Ecclesiæ, in qua stare poterant etiam Marchiones.

CAP. XI.

MCCCX. mense Julii.

De statu pacifico, & magnifico Civitatis Paduæ.

BRevitas obscuritatem inducit, sic & verborum prolixitas tœdium generat audientibus. Idcirco placet tenere medium in scribendo. Scias primò, ad evidentiam novitatum, quas vidi in Marchia Tarvisina, ut manifestè cognoscas occasum, quòd Padua sola libera in communionibus (34) in tota Marchia imperabat. Duces (35), imò Reges, Paduanos ceteris præferebant. Tuscia, Lombardia Rectores de Padua supplicabant. Sub dominio Paduæ erat Vicentia cum toto suo districtu: Rhodigium cum Comitatu: Lendenaria, & Abbatia. Erat Padua armis, & equis plena, & aliis divitiis infinitis, munita & turribus, & aliis ædificiis delicatis. Forenses de diversis partibus Paduam veniebant ad refugium salutare. Sapientibus viris, Doctoribus in qualibet Arte liberali, religiosis viris splendida; & ut breviter concludatur, multa Sanctorum corpora in Padua sunt sepulta, quorum precibus Deus Paduam in pace longissima conservavit, scilicet quinquaginta annis, & ultra, post obitum Hezerini. Hæc ætas pacis habuit (36) Lovatum Paduanum, præ ceteris Militem, & Judicem decoratum.

Dum Padua sic esset in pace, Episcopus de Constantia intravit Paduam, annuntians, quòd Henricus, Comes de Lucemborg, Imperator electus, de consensu Summi Pontificis intendit omnino intrare Italiam, ut recipiat Romæ coronam Imperii. Licèt ergo hæc nuntiatio fuisset tremor omnibus Lombardiæ Civitatibus, sola Padua non curavit, sperans, quòd sua potentia non valeat aliquibus adversitatibus immutari. Præfatum Nuntium honorificè receperunt. Fuit hæc nuntiatio in MCCCX. à Nativitate Domini de mense Julii.

CAP.

(27) *Cod. Est.* infirmus ad Est, *& ita Ambrosianus I.*
(28) *In alio MS.* Victi tamdem à Legato ob omnibus truncabantur: alii autem ascendentes naves, in tantum &c.
(29) *Cod. Collalt.* natabant ut anseres, *& ita Amb. I.*
(30) *Cod. Est.* de Ca Quirino.
(31) *Cod. Amb. I. addit*: qui capite extitit mutilatus.
(32) *Cod. Est.* de Ca Badoaria.
(33) *Cod. Collalt.* cujus miles & socii furca suspensi sunt.
(34) *Cod. Collalt.* in communibus.
(35) *Cod. Collalt.* Cujus Cives & Rectores ceteris præferebantur. Tusci, & Lombardiæ Rectores Paduam supplicabant.
(36) *Cod. Collalt.* Paduam auxit, & Comitatum; & præterea Milites radicaverant decorati. Dum &c.

CAP. XII.

MCCCXI.

De adventu Imperatoris Henrici.

CUm Imperator Henricus esset in Aste, quidam Nobiles de Lombardia, scientes esse ejus adventum de voluntate Clementis Summi Pontificis, ipsum honorificè receperunt, scilicet Dominus Guido de la Turre, Dominus in Mediolano, Comes Philipponus Dominus in Papia, Dominus Antonius, & Bassaninus de Sussiraga (37) Domini in Laude, & alii homines Nobiles & potentes. Dominus Maphæus Vicecomes, qui cum filiis erat à Turriensibus expulsus de Mediolano, cum Imperatore Mediolanum intravit, de cujus consilio Imperator inter ceteros Lombardiæ plurimùm confidebat. Erat enim vir sapiens, & astutus. Imperator stans Mediolani, misit literas ubique, annuntians, se debere à Legatis Summi Pontificis in Modoecia (38) Corona Ferrea coronari. Quæ literæ præsentatæ fuerunt Paduæ in MCCCXI. die primo Januarii, post (39) Domino Alberto de Castello, quæ coronatio statim fiet in die Epiphaniæ. Cui coronationi Legati Paduæ interfuerunt honorificè, scilicet Henricus Scrovegnus, Rolandus de Guarnarinis, Joannes de Vigontia, Petrus de Mursis milites, Joannes Henricus de Capite-Vaccæ Judex, Baricus de Lengua de Vacca Legum Doctor, & Musatus Poëta. Parvo tempore subsequuto Imperator suprascriptos Nobiles Lombardiæ carceravit, Dominum Guidonem expulit, & in Mediolano Dominum Maphæum Vicecomitem constituit suum Vicarium.

CAP. XIII.

MCCCXI. die XV. Aprilis.

De amissione Vicentiæ, & aliis factis.

IMperator voluit Paduam in libertate propria conservare, & eidem donare Vicentiam pro LX. M. florenis. Hoc facere Padua (40) recusavit, reputans Imperatoris potentiam quasi nullam. Cogitat Imperator amodo Paduanis auferre Vicentiam, qui cum Vicentinis secretè tractavit, & Veronam misit Episcopum Genevrensem, qui cum Domino Cane de la Scala equitavit, & eam cepit mediantibus proditoribus Vicentinis. Paduani verò, qui ibi erant pro custodia, fuerunt ducti Veronam, & carcerati: qui erant omnes digni morte, quia propter vilitatem perdiderant Civitatem. Exierunt tunc de Vicentia Dominus Morandus de Tressano, Bonmassarus à Collo, & Henricus de Ravasino Judex annosus, & sapiens, qui continuò consulebat Paduanos abstinere invadere Vicentinos, ne metu se ponant in manibus Veronensium, & ut faciliùs consequantur optatum, scilicet dominium Vicentinum, asserebat discordias omnino crescere Vicentinis; Vicentini verò se excusabant, asserentes, se non posse sustinere tantas injurias Paduanorum, & specialiter illorum de Dente, Demitrii de Comitibus, Martini Canis, & aliorum Paduanorum, qui

A possessiones magnas habebant in Vicentino districtu. Fuit hoc in MCCCXI. XV. die Aprilis, Potestate Vicentiæ Domino Joanne de Vigontia, qui, licèt negligentia errasset, & non dolo, tamen expulsus cum Nepotibus, aliquo tempore mendicavit.

Aliquo tempore subsequuto Proditores Vicentini aliqui fuerunt furca suspensi, volentes prodere Dominum Canem; multi expulsi, qui venientes Paduæ sunt recepti. Cremonenses primò Imperio paruerunt, & statim rebelles fuerunt. Unde Imperator equitavit versùs Cremonam: & Cremonenses de misericordia confidentes exiverunt Civitatem, misericordiam postulantes, sed non invenerunt nisi judicium.

B Nam quadringentos meliores carceravit, qui quasi omnes in carceribus perierunt. Ipsa Civitas ad tantam inopiam, & destructionem fuit deducta, quòd fuit ferè ab omnibus Civibus destituta. Brixiam obsedit quatuor mensibus, & cepit. In cujus obsidione mortuus fuit Dominus Galeranus frater Imperatoris ictu sagittæ, dum equitaret circa mœnia Civitatis. Dominus Thebaldus de Brusadis de Brixia, captus per Imperatorem, fuit laceratus per frusta. Captâ Brixiâ Imperator equitavit Romam, ibique coronatus fuit à Legatis Ecclesiæ. Erat autem Summus Pontifex in Equitania (41). Fuerunt hæc eodem anno.

C

CAP. XIV.

MCCCXI. Die 20. Junii.

De Padua data Imperio; & Paduanis rebellibus.

VIcentiâ in parte Imperii constitutâ, Paduani amodo trepidantes, hortatu Episcopi Genevrensis, qui erat Vicentiæ, miserunt ad Imperatorem Musatum Poëtam, & Antonium de Vico-argeris, quibus Imperator promisit Paduam liberam conservare. Item, quòd Padua-

D ni tres eligerent Potestates, è quibus ipse unum eligat, recturum Paduam secundùm consuetudines Paduanas. Item, quòd per Commune Paduæ fiat donum Imperatori de florenis centum mille, quod fuit factum. Item, quòd florenos viginti millia debeat habere annuatim. Unde Episcopus de Genevra pro Imperatore Paduam intravit eodem millesimo, die 20. Junii.

Mense sequenti Dominus Rodulphus de Sancto Miniato, Paduæ Potestas, recessit, & Dominus Gerardus de Yzola de Parma, Vicarius Imperatoris, juravit regimen Civitatis. Dominos Albuinum, & Canem Grandem de la Scala in Verona, & Vicentia constituit suos Vicarios, & in omni eo, quod de bonis rebellium Imperii recuperare potuerunt violenter. Domi-

E num Rizardum de Camino in Tarvisio (42). Dominum Gibertum de Corrigio in Parma: Dominum Passarinum de Bonacosis in Mantua. Hæc fecit pecunia mediante; & sic, quos opprimere debuit, sublevavit. Unde, cùm Imperator esset Januæ, Ambasciatores de Padua secretè de Imperatoris Curia recesserunt, qui in Concilio Paduæ inter cetera retulerunt, quòd Imperator constituerat in Vicentia suum Vicarium Dominum Canem de la Scala, inimicum Paduanorum specialem; & quòd Imperatoris po-

(37) *Mel.* Fisiraga.
(38) *Cod. Est.* Monza, *& ita Amb.*
(39) *Cod. Est. & Collalt.* Potestate.
(40) *Cod. Collalt.* Paduani recusaverant, reputantes, *& ita Amb.*
(41) *Cod. Est. & Collalt.* Guasconia, *& ita Amb.*
(42) *Cod. Collalt.* præfecit in &c. *& ita Amb. I.*

potentia vilis erat, & non timenda; & quòd etiam per Curiam Imperatoris dicebatur, licèt clam, quòd Dominus Canis Vicariatum Paduæ jam habebat, unde non erat amodo præceptis Imperii subjacendum. Licèt hæc consuluisset Rolandus Judex de Plazola, tamen Joannes Judex de Vigontia, & Musatus Poëta contrarium consuluerunt, timentes Imperatoris potentiam, pulcherrimis argumentis: Rolandi consilium tamen placuit. In eodem Consilio Gerardus de Yzola, Vicarius Paduæ pro Imperio, renuntiavit, & contra Imperatorem recepit regimen Civitatis, qui postea mortuus fuit in suo castro à sibi conjunctis linea parentelæ. Fuit prædictum Consilium in MCCCXII. de mense Februarii.

CAP. XV.

MCCCXII.

De morte Guilielmi Novelli, & confinatis primò, & aliis.

ANtonius de Carmegnano cum quibusdam assassinis Dominum Guilelmum Novellum de Paltaneriis de Montefilice in Sala Palatii Paduæ jugulavit: tamen securè Civitatem exivit: tanta erat potentia (43) mandatorum. Causa suæ mortis fuit, ut ceteri de parte Imperii terrerentur. Hoc facinus non fuit inultum. Nam ad vindictam Dominus Antonius, & Clarellus de Buglis cum filio suo ab Aycardino de Capite-Vaccæ sunt occisi.

Audita morte Gulielmi Renaldus de Scrovegnis equitavit Vicentiam, & Domino Cani obtulit se, & suam fortilitiam de Trambache (44), quam Dominus Canis noluit, timens potentiam Paduanorum. Renaldus tamen vênit ad mandata Paduæ, qui missus fuit in Caput Istriæ ad confinia.

Post hæc convenerunt quidam populares, divites & potentes, scilicet Macaruffi, & illi à Ponte, de Polafrixana, de Altechinis, de Maliciis, de Terradura, de Villa-Comitis, Musatus Poëta, & quidam alii, regentes Civitatem non per justitiam, sed per partem, & extra Civitatem miserunt ad confinia (45) Marcum de Forzatè, Gaboardum (46) fratrem Renaldi Scrovegni, Traversum de Delesmaninis, & multos alios tempore subsecuto. Asserebant enim, hoc facere contra amicos Domini Canis, volentes Civitatem ejus evitare dominium, & suis malis operibus augebant potentiam inimici.

Mense Martii Millesimo eodem, scilicet MCCCXII. Paduani equitaverunt Montagnanam, & Burgum Cognæ cum omnibus illis partibus cremaverunt. Mense Aprilis equitaverunt versùs Vicentiam: sed in ponte Quartesoli invenerunt obstaculum. Unde Dominus Martinus Canis cum Civibus, & forensibus aliquibus transivit per vadum, & pugnâ commissâ Vicentinus fûgit exercitus: multi fuerunt mortui, multi (47) etiam carcerati. Post hoc Dominus Canis de Verona Vicentiam equitavit, & quos invênit conscios hujus facti, punivit ad mortem; quosdam carceravit, quidam (48) Paduani fugierunt. Tractatu namque quorumdam Vicentinorum equitavit exercitus. Eodem mense Paduani impugnaverunt Burgum Marosticæ, quod à Baxianensibus optimè pugnantibus captum fuit, & combustum cum omnibus illis partibus Vicentinis. Hoc facto Paduani relevantur in altum, quasi Dominum Canem pro nihilo reputantes,

CAP. XVI.

Eodem Mense (49).

De disputatione Senum cum Juvenibus, & quasi Prophetia futurorum.

IN vicinantia aliquibus congregatis, ait Juvenis: *Vicentinus districtus igne flammatus Paduæ subjacebit (50) nullo tuente. Jam Dominus Canis posuit fiduciam suam in fortilitiis potiùs, quàm in armis, nec audet publicè apparere; tanta est virtus nostra. In brevi Vicentiam habebimus captam. Quis dubitat Veronam, Lombardiamque nostris parêre mandatis? Vos ergo Senes, quibus longa ætas est magistra, consulatis circa Vicentiam equitare, & quòd nullus recedere audeat, nisi victâ. Pro certo enim (51) scitis, quòd ferrum calefactum meliùs, quàm frigidum laboratur: sic recens injuria meliùs vendicatur.*

Primò ait Senex quidam: *Utinam Vicentiâ captâ Paduani procurassent Vicentinos in libertate propria sustinere, etiam auxilium inferentes: nam ex hoc Padua esset in pace, & Dominus de Verona non esset per Imperatorem in Vicentia constitutus: quod potest esse destructio Marchiæ Tarvisinæ. Nam parva scintilla magnum ignem parere consuevit.*

Secundò alter ait: *Nihil est, quod aliis inferre valeas, quod ab alio sustinere non possis. Unde gaudendum non est, si nunc Verona, & Vicentia igne vastentur, quia forsan nobis fiet simile in futurum. Fiat ergo pax, ad quam finaliter tendit omnis homo. Namque absque pace nihil potest esse beatum.*

Tertiò quidam annosus ait: *Ego vidi tempora Hezerini de Romano, qui propter guerras cepit Montemsilicis, postea Paduam, quam quasi destruxit, compellendo nobiles cum plebe fame, siti, ferro, igne, & putridis carceribus mortem durissimam sustinere. Infantes cæsis genitalibus exsecabat. Quis potest nisi timere, propter guerram, in simile dominium pervenire? Est namque Imperator in Lombardia magnificè, qui favet Domino Cani, & suæ parti. Vos ergo Juvenes in pace nutriti, ab arte bellica alieni, quærite pacem. Nam propter guerras calor juvenilis nos adduceret faciliter ad ruinam.*

His auditis, senes juvenes deriserunt, dicentes: *Puerilis sensus in istis est, qui non desiderant de inimicis Paduæ facere ultionem. Capiamus consilium à Juvenibus, qui desiderant habere Vicentiam, & vivere cum honore.* Amodo nullus præsumebat pacem in Padua absque mortis periculo nominare.

CAP.

(43) *Cod. Est.*, *Collalt.*, *& Amb.* Magnatorum.
(44) *Cod. Collalt.* de Trabuche.
(45) *Al.* Martium.
(46) *Cod. Amb. II.* Gerardum.
(47) *Cod. Collalt.* multi capti, & etiam &c.
(48) *Cod. Collalt.* Paduam.
(49) *Lege* Millesimo.
(50) *Cod. Collalt.* Padua subjiciet, nullo tuente ceteras Lombardiæ Civitates.
(51) *Cod. Collalt.* sicut ferrum.

CAP. XVII.

MCCCXII.

De morte D. Rizardi de Camino.

VIr Nobilis Dominus Rizardus de Camino Vicarius in Tarvisio pro Imperio, dum more Nobilium scachis luderet pro solatio, quidam (52) rusticus appropinquavit ad eum, & amota clamyde sua, griseo clam traxit de subclamyde suo ronconem ferreum,& virum nobilem percussit in capite, qui statim à circunstantibus fuit crudeliter laceratus. Dum Vir nobilis staret non expectans, nisi mortem, ait: *Ubi est, qui me vulneravit indignè?* Tunc ait unus: *Mortuus est.* Ait infirmus: *Amodo sciri non poterunt tanti sceleris mandatores?* Cui quidam miles ait: *Nullum est secretum, quod non reveletur. Jam enim murmuratur, hoc fore factum mandato quorumdam nobilium Tarvisii, quos inter ceteros diligebas.* Tunc Nobilis dirigens se ad Deum, ait: *Credo, quòd adbuc Tarvisium luet in Communi quod deliquit singularitas aliquorum*: & inclinato capite emisit spiritum. Post cujus mortem Dominus Guezilus ejus frater factus fuit Dominus, omnibus annuentibus, in Tarvisio. (53) Fuerunt hæc in MCCCXII. mense Aprilis.

CAP. XVIII.

MCCCXII.

De captione Motæ, & exercitu Quartesoli, & aliis.

DOminus Canis magnificè cum Mantuanis, Veronensibus, Vicentinis, & aliis equitavit Cervaresium (54), & impugnari jussit Castrum Motæ, quod cepit per vim, & Dominum Demitrium captum misit Vicentiam, Dominum dicti loci, qui obiit in carceribus. Audito hoc, Dominus Guezilus de Camino, subitò Paduam equitavit, se offerens Paduanis. Dominus Canis combustâ Motâ cum omnibus partibus ivit Vicentiam. Paduani postea dictum Castrum funditus destruxerunt. Fuit hoc eodem anno, mense Maji.

Die primo Junii Paduani cum Domino Franceschino Marchione Estensi, & Domino Guezilione (*) de Camino exercitum posuerunt in Quartesolo. Dum miles quidam Domini Potestatis cum aliquibus militibus, & peditibus equitasset, ut damnum redderet inimicis, & pugnaret contra fortilicias de Longare, subitò Dominus Canis de Vicentia equitavit, &, calatis suis pontibus levaturis, (55) processit in hostes, ipsosque fugavit. In hac pugna mortuus fuit Miles Potestatis, Trondus de Capite-Vaccæ: Bartholomæus à Palatio de Verona captus obiit in carceribus. Joannes de Caudalonga captus fuit
A per Dominum Canem, & liber relaxatus propter quoddam servitium, quod à patre dicti Joannis jam receperat. Pedites sinè numero, volentes aufugere per Pontem de Sacole, submersi fuerunt in flumine. Paduani de suo exercitu volentes suis fugientibus subvenire, subitò occurrerunt in opposito inimicis, & eos compulerunt turpiter remeare. Tunc mortuus fuit Pancetta de Schinellis, rebellis Paduæ. Paduani cum suo exercitu se posuere juxta flumen de Longare, volentes transire riveriam: quod non profuit. Nam Dominus Canis cum sua militia erat ultra flumen in oppositum. Paduani videntes, non posse transire riveriam, munita summitate Montis Galdæ, Paduam redierunt. Fuerunt hæc eo-
B dem mense Junii.

Post reditum ab exercitu multi divites populares fuerunt missi ad confinia, tamquam amici Domini Canis, quorum divitias quidam falsi Cives auferebant. (56) Justè his confinatis, Paduani secretè equitaverunt ad flumen de Longare, & facto subitò ponte ligneo transierunt riveriam, & exercitum posuerunt in Longare. In transitu quidam milites de Vicentia occurrerunt, quos Paduani turpiter fugaverunt, aliquibus mortuis, vel detentis. Postea igne consumserunt omnes Villas Beregæ usque Lonicum.

Eodem anno, & mense per vim ceperunt Villam Pojanæ, & impugnaverunt Castrum. Illi de Castro, non expectantes auxilium, salvis perso-
C nis dederunt Castrum, quod non profuit illis de Castro, quod Paduani combusserunt. Fuerunt hæc MCCCXII. mense Augusti, Potestate Domino Jacobo de Rubeis de Florentia.

Mense sequenti Paduani equitaverunt Villam-Verlam, & usque ad portas Vicentiæ omnia combusserunt. Dominus Canis tunc exivit Civitatem parum longè, contra quem Dominus Guezilus de Camino libenter fecisset insultum; sed consilio Sapientum destitit à proposito, propter vicinantiam Civitatis. Paduani volentes Domino Guecili de Camino honorificè providere, eidem dederunt arbitrium eligendi Potestatem Paduæ, qui elegit Dominum (57) Borninum de Samaritanis, Civem honorabilem de Bononia.
D

ADNOTATIO.

In altero antiquo Codice MSto Historiæ Cortusiorum heic interseritur Capitulum, quod hactenus desideratum est in editis, neque in Estensi MSto, quo sum usus, scriptum reperitur. Accipiant igitur Lectores, quæ Mussatus etiam memoravit in fine Lib. VIII. de Gest. Henrici VII.

IN Pojana exercitu permanente salubriter, ait nuntius lachrymando: *Vir nobilis Franciscus Estensis jacet à Guasconibus detruncatus. Nam cùm sinè armis rediret à Paissa, Dominus*
E *Dalmaxe Vicarius in Ferraria pro Romana Ecclesia constitutus in eum fecit insultum, asserens* Do-

(52) *Cod. Collalt.* rusticus de Tugninano famulus D. Altenerii de Azonibus appropinquavit ad eum, & amoto clamyde suo griseo, *& ita Ambrosianus I.*

(53) *Cod. Collaltin.* Causa fuit, nam Dominus Rizardus de Camino rem habuerat cum uxore dicti de Azonibus existentis tunc in Potestaria Civitatis Belluni, cui dominabatur ille de Camino, & hoc invita Domina, quæ advenienti marito nuntiavit; qui secretè participato consilio cum Comite Rambaldo de Collalto, cujus filiam voluerat deflorare, adduxit eumdem Rusticum familiarem suum, & fortè amentem, ad tale homicidium perpetrandum, dum idem Dominus Rizardus ad scachos luderet cum prædicto. Quo immediatè percusso, Dominus de Azonibus sica evaginata proprium famulum interemit, ne rem aperiret in posterum, *& ita legitur in Codice Ambrosiano I.*

(54) *Cod. Amb. II.* Cornasium.

(*) *Cod. Est. & Collalt.* Guezilone.

(55) *Cod. Est.* percussit.

(56) *Cod. Collalt.* auferebant injustè. Et &c. *& ita Cod. Amb. II.*

(57) Bornium *alii.*

Dominum Franciscum de dominio Romanæ Ecclesiæ velle capere Civitatem. Post hæc Dominus Dalmaxe ivit contra illos de Zadra, qui tunc Venetis revellabant. Qui prodidit acies Venetorum, secundùm quod publicè dicebatur. Ipse verò tali velamine se excusabat, dicens: *Veneti mihi & meis militibus non miserunt stipendia juxta pacta*.

A

Prædicto Anno mense Decembris nobiles de Tervixio, scilicet Rambaldus Comes, Guido Advocatus, Altinerius de Azzonibus, Petrus de la Parte, Tolbertus de Scalzonibus, & alii, prosiluerunt ad arma, dicentes: *Expellatur de domo Dominus Guecelli de Camino, ut nostra Civitas libera permaneat in Communi*. Paduani volentes eidem subvenire, equitaverunt Treville: quod non profuit, jam enim erat expulsus.

B

CAP. XIX.

De Lucio dato Domino Cani, & aliis cavalcatis in Monte.

STatim eodem anno, & mense, potestate Domino Bornino de Samaritanis de Bononia, Dominus Nicolaus de Lucio se, & Castrum suum de Lucio dedit in manibus Domini Canis, & hac de causa omnes Villæ Pedevendæ fuerunt combustæ, & ipsum etiam Lucium jussu Domini Canis fuit destructum. Ipse verò cum Antonio de Curterodulo ejus socio fuit de Padua forbannitus, domibus eversis, & bonis omnibus publicatis. Hoc audito, statim Paduana militia equitavit ad Est. Sed dum gens Domini Canis discurreret per montes Paduæ, (58) in eos facientes insultum, omnes posuerunt in fugam; quidam verò capti, fuerunt furca suspensi. Videntes Paduani, quòd Lucium rehabere non poterant violenter, secretè per Abbatiam equitaverunt Portum Lignacum, & cum toto Burgo viriliter fuit defensum, (59) multas Villas pulcherrimas combusserunt, & cum magna præda redierunt in Est. Fuit hoc MCCCXIII. die secundo Februarii.

C

Prædicto mense Rectores Paduæ inierunt consilium habere Castrum Brazoli, quod dare Paduanis Sulimanus de Rubeis, Dominus dicti loci, recusavit. Tunc Paduani ipsum hostiliter obsederunt. Sulimanus videns potentiam (60) assistentium, salvis personis & rebus, Castrum dedit Domino Potestati, qui licèt fuisset receptus in fidem, tamen fuit occisus & Castrum destructum, ejus bona publicata, & filii forbanniti.

D

Eodem anno, mense Junii, Paduani equitaverunt ad Archole, & post pugnam habuerunt Villam. In hoc exercitu multum instabat Comes Sancti Bonifacii, volens in suam patriam remeare.

Die sequenti exercitus stetit ante portas Veronæ. Tamdem combustis Montorio, Bonalbergo, Burgis Illaxii, & Suavii, Archole, Villanova, & multis Villis, redierunt Montagnanam, & timore Henrici Comitis de Goritia, qui parabat se venire versùs Tarvisium in Domini Canis auxilium, Paduam sunt reversi.

E

CAP. XX.

MCCCXIII. De mense Julii.

De Tarvisinis fugatis per Comitem Goritiæ.

QUia erat omnibus manifestum de adventu Comitis de Goritia, qui veniebat in Domini Canis auxilium, Paduani equitaverunt Bassanum. Tarvisini equitaverunt ad partes Montagnanæ, ubi dicitur *Marem*. (61) In quorum auxilium miserunt Paduani circa centum milites de melioribus, quos habebant. Sed dum Comes Goritiæ appropinquaret ad locum, jussit Conradum de Ovenstagno, & alium nobilem de (62) Guasame, cum suis banderiis transire Montagnanam. (63) Ad quorum impetum Paduani cum Tarvisinis viriliter occurrerunt. Tamdem Comes Goritiæ cum suo pulcherrimo guarnimento habuit principatum, omnesque fugavit. Multi mortui fuerunt, multi carcerati, multi fugientes submersi sunt in Plave. Ex hoc certamine perierunt Martinus de Zacchis, & Ugo de Macharussis. Quidam etiam Nobiles Theotonici in Castro Sancti Salvatoris per Comitem Rambaldum fuerunt carcerati. Dominus Canis ex hoc facto elevatur in altum, putans amodo submittere Paduanos; sed Goritiæ Comes, asserens, non fore per Dominum Canem suis Theotonicis plenariè satisfactum, ac etiam equos suos quasi omnes infirmatos peste quadam, quæ dicitur *pejane* (64), post magna damna illata (65) in partibus Tarvisinis, Goritiam remeavit. Fuit hoc in MCCCXIII. mense Julii.

CAP. XXI.

MCCCXIII. In die Sancti Bartholomæi de mense Augusti.

De morte Imperatoris, ac quibusdam cavalcatis.

EXercitu Paduano magnificè permanente in Montebello Vicentini districtus, Nuntius quidam ait: *Imperator obsedit Florentiam, & Florentini latuerunt intra spaldos: sed, dum recessisset ab obsidione, infirmitate captus solvit debitum naturale, cujus corpus sepultum est in Bonconvento*. Hac morte multiplicatum est gaudium Paduanis, & factum fuit Paduæ magnum festum. Obiit autem eodem anno & mense Augusti in die Sancti Bartholomæi.

Post cujus mortem convenerunt Barones Alemanniæ, & discordes elegerunt Romanorum Reges Ludovicum Ducem Bavariæ, & Federicum Ducem Austriæ.

Statim eodem mense Augusti Paduani obsederunt Barbaranum cum trabuchis, quod non profuit. Unde attentaverunt facere Castrum ligneum in Longare, & à bono proposito destiterunt. Fuit hoc eodem mense, Potestate Domino Nicolutio de Carbulo, qui in tormentis occidit Antonium Bezogum de Caudalonga, propter falsas accusationes de Civitate prodenda; sed auctores sceleris Deus punivit.

Dominus Canis cepit consilium omnino invadere Paduanos, & cum Mantuanis, Veronensibus,

(58) *Cod. Est.* montaneas, Paduani in eos, *& ita Ambrosiani*.
(59) *Cod. Collalt.* & quum totus Burgus viriliter fuisset defensus.
(60) *Cod. Collalt.* obsidentium.
(61) *Cod. Collalt.* Montegani, ubi dicitur Maroni, *& Cod. Amb. legit* Marini.
(62) *In aliis Scriptoribus* de VValse.
(63) *Cod. Collalt.* Monteganum.
(64) *Cod. Est.* prane.
(65) *Cod. Amb. I.* post magna dona sibi collata &c.

bus, Vicentinis, (66) Tridentinis equitavit versùs Aponum, (67) & Villam impugnatam habuit violenter. Postea attentavit transire riveriam, sed nequivit, resistentibus Paduanis. Unde Dominus Canis equitavit Montemgaldam, & fortiliciam impugnavit. Hujus timore Clericus de Maliciis, Capitaneus dicti loci, reddidit se cum loco, quem Dominus Canis cum sociis duxit Vicentiam vinculatum. Fuerunt hæc in MCCCXIV. mensis Aprilis.

CAP. XXII.

MCCCXIV. De mense Aprilis.

De horribili morte quorumdam.

POtestate Domino Dino de Rubeis de Arimino fuerunt multi Cives Paduani confinati. Unde Carrarienses, asserentes se velle sustinere Commune, & malitiis hominum obviare, dixerunt: *Insultemus in istos, qui sunt omnibus tædiosi, qui committunt delicta enormia sinè fine; nam nostrorum inimicorum malitia faciet nos victores*. Itaque ordinato die Nicolaus de Carraria fecit insultum in Petrum Judicem de Altechino, (68) quem Franciscus de Vigontia cum ense vulneravit in capite; sed tunc cum equo mortem evasit. Hoc facto tota Civitas fuit in armis; & Carrarienses, quibus populus tunc favebat, magnificè armati in dextreriis se posuerunt in plateis. In quorum oppositum occurrerunt Macharuffi cum Altechinis, Runchis, & aliis popularibus, exclamantes: *Moriantur Carrarienses, qui sustinere nituntur proditores de parte Imperii confinatos, propter hoc sperantes habere dominium Civitatis*. Tamdem Reverendus Vir Paganus de la Turre, Episcopus Paduanus, postea Aquilejensis Patriarcha, volens partes ducere ad concordiam, taliter ordinavit, quòd Macharuffi cum suis recesserunt de plateis: quod fuit destructio suæ partis. Nam statim Altechinis, & Runchis fuerunt domus eversæ. Die sequenti Ronchus, & Guertius ejus filius nudi tracti fuerunt per plateas, & lacerati. Post hæc Dominus Nicolaus de Carraria hora noctis traxit de Episcopatu Petrum de Altechinis cum tribus filiis, quibus ait: *Hic est frater unus, à quo potestis accipere veniam de commissis*. Mane facto duxit eos ad plateas, in quorum adventu alta voce clamavit multitudo populi universa: *Moriantur, qui Commune continuò spoliant, nos omnes compellentes etiam injustè per alienas Provincias mendicare, maleficia committentes enormia sinè fine*. Clamore (69) quidam sopito ait: *Petrum, & Priorem de Cervaresia, Fraxam, & Pacem ejus filios tollite, & judicate secundùm legem vestram*: (70) qui ab omnibus occurrentibus fuerunt crudeliter lacerati. Dumque Fratres Eremitani vellent hæc miserrima corpora tradere sepulturæ, populares, qui sinè lege reguntur, ea accipientes de capsis tota die traxerunt per Civitatem, & agros.

Post hoc civile bellum multiplicaverunt (71) in Padua odia, deceptiones, & fraudes: & spes (72) salutis Domino Cani levatur in altum. Fuerunt hæc MCCCXIV. mensis Aprilis. Dominus Dinus Potestas uno solo mense fuit in regimine, quia favebat Altechinis, & Runchis, qui postea decapitatus fuit in Arimino

Huic successit Dominus Ponzonus de Ponzonibus de Cremona. Beltramus Guilielmi Catelanus in armorum arte Magister, stipendiarius Paduæ, transivit ad hostes, & cœpit contra Paduam militare. Dum verò cum quadringentis militibus equitasset in partibus Cittadellæ, Ponzonus Potestas cum Paduanis gentem suam ordinatè conduxit ad vadum Brentæ. Dum transiret, supervenit militia Paduana, statimque omnes conversi fuerunt in fugam, & multi fuerunt mortui, ac etiam carcerati. Ipse Beltramus, qui ultimò incedebat, in medio Brentæ fuit à Paulo Dente mortiferè vulneratus, qui postea obiit Paduæ in carceribus, traditusque fuit honorificæ sepulturæ. Fuerunt hæc eodem anno, & mense Junii.

Mense sequenti exercitus ivit (73) Limeriam, & facta fuit Brentella. Mense Augusti Paduani equitaverunt ad Villam Montisursii, omnia devastantes in Vicentino districtu. Dominus Canis fortis & audax equitavit usque Monteclum. Voluit etiam (licèt impar) cum Paduanis bellum sumere contra ipsos: tamen credens cònsilio saniori destitit à proposito. Exercitu existente in Monteursio Dominus Canis equitavit usque ad portas Civitatis. Tunc Paduani, qui erant Paduæ pro custodia, exierunt ad pugnam quasi hostes pro nihilo reputantes: sed illa dies multis exstitit lachrymosa. Nam Petrus Briamons, nepos Beltrami Gulielmi, (74) quos poterat, jugulabat, volens de morte patrui sparso sanguine facere ultionem.

CAP. XXIII.

MCCCXIV. Die 16. Septembris.

De captione Domini Jacobi de Carraria, & prima pace facta cum Domino Cane.

FAma publica referente, quòd Dominus Canis affectabat relinquere dominium Vicentinum, & habere pacem cum Paduanis. Paduani, sperantes habere Vicentiam violenter, pace neglecta equitaverunt secretè ad portam Sancti Petri, & posuerunt pedites per foveas ultra spaldum, qui custodes ceperunt, & inierunt consilium comburere Burgum Sancti Petri, & extra Burgos figere castra sua. Veronæ hoc infortunio nuntiato, Dominus Canis à prandio se levavit, & absque mora Vicentiam equitavit. Dum multum dubitaret, quid in tanto discrimine sit agendum, præmisit Petrum Briamontem ad portam Sancti Petri, qui in gula mortiferè vulneratus, est reversus, & ait: *O mi care Domine, ex hoc vulnere non evadam: invade trepidos & sinè mora subitò facias ultionem*. Jam in vesperum die vergente, Dominus Canis cum aliquibus militibus recuperare Burgum attentavit, & faciens insultum in milites, qui erant in Burgo, compulit omnes turpiter remeare. Qui fugientes per portam Sancti Petri obviaverunt militiæ Paduæ in tantum, quòd intrare non potuit ad defensam. Dominus Canis Fortunam prosperam aspiciens, viriliter persequendo, exercitum posuit in terrorem & fugam, om-

(66) *Al.* Trigentis, *pro* Trecentis.
(67) *Cod. Est.* Abanum, *& ita Amb. I.*
(68) *Cod. Est.* Alteclino.
(69) *Cod. Collalt.* Clamans quidam subitò ait.
(70) *Cod. Est.* nostram.
(71) *Idem Cod.* hæc civile bellum multiplicavit, *& ita Amb. II.*
(72) *Cod. Collalt.* salutis non est. Dominus Canis.
(73) *Cod. Amb. I.* Limenam.
(74) *Cod. Collalt. & Amb. II.* & Gulielmi crudeliter occisorum.

omnesque (75) ditavit. Nam Paduani in hoc pulchro guarnimento erant omnibus divitiis copiosi. Capti fuerunt ea die mille & quingenti Paduani, inter quos fuerunt Jacobus de Carraria, Vannes de Scornazanis de Pisis, Capitaneus forensis militiæ, Mussatus Poëta, Rolandus Judex de Plazola, & multi alii populares. Et Ponzonus Potestas captus cum capientibus, (76) suis promissionibus scivit evadere. Mortui fuerunt Barnabos de Macharuffis Vexillifer, Albertus à Ponte, Gerardus de Villa Comitis, Jacobus Pecius de Tergula, Piper de Pipere. Fuit hoc MCCCXIV. die XVI. Septembris.

A

Hoc triumpho animus Domini Canis elevatur in altum, & convocatis gentibus in auxilium, scilicet Gulielmo de Castrobarcho, Giberto de Corrigio Domino Parmæ, Passarino de Bonacosis Domino Mantuæ, ait illis, de quibus multum confidebat: *Equitemus versùs Paduam: eam habere puto, vel Montemsilicem*. Huic proposito Dominus Jacobus taliter obviavit; ait enim Domino Cani: *Virtus Paduæ magna est, cui favet Tarvisium, & Bononienses jam equitaverunt ad Est. Unde, si vobis placet, ibo Paduam ut pacem componam, quam nemo est ausus Paduæ nominare*. His verbis Dominus Canis annuit, & receptis ab eo obsidibus, Marsilio nepote Domini Jacobi, & Jacobino filio Nicolai de Carraria, Dominus Jacobus cum Domino Vanne de Pisis, Paduam equitavit, qui exposuit dolores, & angustias Paduanorum, qui erant cum ipso Veronæ, & Vicentiæ carcerati. Supplicans igitur Paduanis de pace pro consilio saniori, ei Macharuffus de Macharuffis contradixit palàm, allegans mortem Domini Bernabovis ejus fratris, & veteres inimicitias inter Commune Paduæ, & illos de Verona, jam longissimo tempore constitutas. Postremò pax convenit hac forma: Quòd Paduani extrinseci esse debeant perpetuò forbanniti, & quòd carcerati liberè relaxentur. Quod factum fuit eodem anno, die septimo Octobris. Hac pace gaudet tota Marchia, sperans eam perpetuò duraturam.

B

C

CAP. XXIV.

MCCCXV. mense Augusti.

De morte fratris Regis Apuliæ.

D

POst mortem Imperatoris Henrici, Ugutio de la Fasola Pisæ, & Lucæ dominium invasit. Postea castrum Montis Catini obsedit hostiliter. In ejus oppositum Florentini postulaverunt auxilium Regis Roberti, qui Florentiam misit Principem, & Dominum Petrum fratres suos. Dum verò Florentini pararent in tali loco ponere castra sua, ut Ugutionem cum suo exercitu subjugarent, Ugutio se viriliter paravit ad pugnam. Fuit bellum acre nimis. Conveniunt hinc inde nationes fortissimæ. Post multas dimicationes Ugutio victoriam habuit gloriosam. In hoc bello fuit strages maxima occisorum: sed inter ceteros occubuerunt Dominus Petrus frater Regis, & Karolus filius Principis. Ipse verò Princeps turpiter Florentiam remeavit. De parte Ugutionis obiit filius suus. Fuit hoc MCCCXV. de mense Augusti, Potestate Domino Ugolino de Liazaris de Bononia, qui successit in regimine Domino Francisco de Carbulo. Domino Ugolino successit Dominus Merulus de Asisio. (77) Huic successit Dominus Ubertus de Cancellariis de Pistorio, qui amputare jussit caput Domino Ursio suo Judici, qui volebat prodere Paduam Domino Cani. Ore proprio fuit confessus.

E

Potestate Domino (78) Brogdo de Cornio MCCCXVII. mense Martii, Leæna quædam leones tres peperit Venetiis, in istis partibus res miranda.

CAP. XXV.

MCCCXVII. mense Madii in die Sancti Spiritus.

De Pace facta, & morte Comitis Sancti Bonifacii.

DOmino Cane magnificè existente in obsidione cujusdam (79) Castri Brixiensis, aliqui Paduani habito tractatu cum aliquibus Proditoribus Vicentinis (qui licèt, ut Paduani meliùs de ipsis confiderent, secretè dedissent filios suos obsides, tamen Domino Cani revelabant, quæ tentaverant, in secreto) vinxerunt Dominum Vinciguerram, Comitem Sancti Bonifacii cum forensi militia Vicentiam equitare. Qui circa diem intravit Burgum de (80) Berega, expectans intrare Civitatem, secundùm quod promiserant intrinseci proditores. Nam nuntius de Grimanis Civitatem exivit, asserens pro certo prodere Civitatem. Dominus verò Canis cum suis, (81) hujus facti inscius extrinsecis, clam intravit, (82) qui Dominum Antonium de Curtarodulo civem Paduæ cum aliis militem fecit ibidem. Et ait: *Extrinseci proditores contra pacem Vicentiam invaserunt; sed Dei auxilio hodie vestra virtus me in Padua habere faciet principatum*. Et sic, apertâ portâ Civitatis, contra militiam Paduanam feliciter dimicavit, omnesque fugavit, multos occidit, & multos etiam carceravit. Comitem Sancti Bonifacii, inimicum, & captivum, honorificè tractavit: qui tamen mortiferè vulneratus obiit Vicentiæ, & datus fuit honorificè sepulturæ. Dominus Piscaresius de Verona etiam captus obiit in carceribus. Fuit hoc MCCCXVII. mensis Madii, in die Sancti Spiritus, Potestate Domino Obizone de Obicinis de Pisis. Quia hoc terruit Paduanos, Dominus Odoricus de Cucagna vênit Paduam ad stipendium cum centum elmis.

(75) *Cod. Collalt. & Amb. I.* & fugam omnes inimicos, suosque ditavit.
(76) *Cod. Collalt.* capientibus promissione facta statim evasit.
(77) *Cod. Amb. II.* de Sixio.
(78) Berardus *aliis*.
(79) *Cod. Amb. I. pro* cujusdam, *legit* Leonadi Castri Brixiensis districtus.
(80) *Mel.* de Berica.
(81) *Cod. Est.* conscius hujus.
(82) *Legunt alii*: qui ait ad Dominum Antonium de Curtarodulo, Civem Paduæ: *Vestra virtus &c.*

Explicit Liber Primus.

INCI-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPITULUM PRIMUM.

MCCCXVII. die XXI. Decembris.

De Montesilice capto à Domino Cane.

POst mortem Comitis Sancti Bonifacii, Dominus Canis, de pace fracta volens facere ultionem, secretè tractavit habere Montemsilicem. Qui ad se convocavit Comitem Goritiæ cum tercentis elmis, qui per Feltrem, quem tenebat Dominus Guezilus de Camino, Vicentiam equitavit. Dum verò vellet mittere ad effectum quod tractaverat cum Macchono (1), mediantibus aliquibus extrinsecis Paduanis, equitavit versùs Montemsilicem per partes Pedevendæ. Post mediam horam noctis intravit Montemsilicem, & Brixianus de Buzzacarinis, negligens in custodia, fugit ad Castrum, quod postea dedit Domino Cani paucis diebus elapsis, unde fuit de Padua forbannitus. In ortu Solis infortunio Paduæ nuntiato, fuit tantus timor & tremor, quòd Dominæ, & Burgenses cum filiis, & divitiis Venetias fugerunt: immo etiam quidam viri, fœmineam verecundiam non timentes (2). Et fuit hoc MCCCXVII. die 21. Decembris, Potestate Domino Raynerio de Canossa de Regio, qui statim renuntiavit, & ei successit Petrus de (3) Lapide de Tarvisio. Die nato, in auxilium Paduanorum venerunt ducenti equites, & pedites mille de Tarvisio. Capto Montesilice, die sequenti Dominus Canis impugnavit Villam Estensem, & eam accepit violenter. Fuit tamen in ipsa pugna vulneratus in pede. Tunc Estensis Villa, bonis spoliata, & igne consumta, exstitit à suis incolis inhabitata. Altera die Antonius Filarolus Potestas Montagnanæ, cum Gulielmo Curmsano (4) de Cathelonia stipendiario, turpiter sinè pugna fugit Abbatiam. Unde Montagnana data fuit Domino Baylardino de Nogarolis, recipienti pro Domino Cane de la Scala.

Post hæc Dominus Canis exercitum suum posuit in Terradura, ubi etiam convenerunt Ambassatores de Venetiis pro pace tractanda. Die verò VII. exeunte Januario, existentibus Paduanis . . . . . . Dominus Canis intravit in Plebatum violenter. In ejus transitu Antonius Boteghinus de Zacchis viriliter percussit in hostes, qui transiverat undas fluminis, superatusque, cum equo mortuus permansit ibidem. Ceteris Paduanis de campo fugatis, multi tamen remanserunt carcerati. Villæ omnes Plebatus, post omnem spoliationem bonorum, fuerunt igne consumtæ. Exercitum verò Dominus Canis posuit juxta pontem Sancti Nicolai, & continuò omnia devastabat usque ad portas; immo semel persequendo Redolphinum de Villata, stipendiarium Paduæ, usque ad Portam omnium Sanctorum, quasi potuit cum eo Civitatem intrare. Dum Paduani in Palatium convenissent, causâ eligendi Capitaneum Populi, ut sic meliùs resisterent inimicis, Tartarus de Lendenaria, & Clarellus de Buglis ad invicem se rixantes in Palatio, totam Civitatem commoverunt ad arma, unde armati elegerunt Capitaneum Populi Dominum Odoricum de Cucagna. Hic finito suo officio, timens fortè de gestis reddere rationem, clam de Civitate migravit. (*)

CAP. II.

Qualiter Ugutio de la Fagiola conflixit Principem Tarantinum cum suo exercitu de Apulia.

POst Serenissimi Domini Henrici Romanorum Imperatoris decessum Pisani propter brigam, in qua eos reliquit, instituerunt Virum Nobilem, & potentem Ugutionem de la Fagiola in suum Capitaneum & defensorem, qui suâ promtâ industriâ quasi omnes Barones, qui consueverant militare cum Domino Imperatore ad ejus stipendium excitavit; quibus cùm multa Castra, & loca districtus Pisarum, quæ violenter tenebantur, suæ jurisdictioni subjugavit, & interim tantum tractavit, quòd habuit Civitatem Lucæ, quæ per Guelfos tenebatur. Qua capta postmodum usque penes Civitatem Florentiæ reartabat, ita quòd Florentini vix poterant ab ea parte Civitatem ad loca sua exire; & cum dicta gente sua multa Castra, & loca, & Villas Florentini districtus consummavit, & sibi supposuit. Et interim obsedit Castrum Montiscatini districtus Lucæ, quod per extrinsecos Guelfos de Luca in favorem Florentinorum detinebatur; nihilominus transcurrendo usque ad Sanctum Miniatum, & alibi per Comitatum Florentiæ derobando. Sic ea videntes Florentini, & de manibus Ugutionis præfati evadere non posse, omni potentia qua potuerunt quamplures Ambassiatores Regi Roberto in Apulia Imperii rebelli cum promissionibus multis & thesauris transmiserunt, ut penitus ipse Rex Robertus ipsis in tali puncto succurrat, & subsidium transmittat. Sic & ipse Rex Robertus multos ejus Barones ad prædicta invitavit. Quæ audiens Ugutio præfatus Capitaneus Communium, & Populorum Civitatum Pisarum, & Lucæ, omnes Imperii fideles, & amicos per Italiam constitutos sibi succurrendum convocavit, & quod omnino intendit dicto Regi Roberto, ejusque complicibus resistere. Quare idem Ugutio cum omni suo militum & peditum conatu tam Pisanorum, & Lucanorum, quàm Tusciæ, & alibi convocatorum exivit in campis, & tentoria sua fixit in monte, & in plano circa Montemcatinum prædictum, continuè Castrum ipsum, & locum cum ædificiis, manganis, & balistis debellando; &

(1) *Cod. Collalt.* Marchono.
(2) *Cod. Collalt.* negligentes, timentes exterminati sunt, ut incogniti timorem evaderent.
(3) *Cod. Est. & Collalt.* de la Parte. Et in die Natalis, *& ita Ambrosiani*.
(4) *Cod. Collalt.* Curimano de Caudalonga. *Cod. Amb. I.* de Curvano de Cadalonga.
(*) *Quæ sequuntur usque ad finem Capituli XXV. nunc primùm adducuntur ex MSto Codice, quem mihi suppeditavit Cl. V.* Apostolus Zenus. *An verò hæc tribuenda sint Guilielmo Cortusio, aliorum judicium esto. Fortassis ea Albrigetus Cortusius addiderit. Certè heic habes Auctorem synchronum, rerumque gestarum bene peritum.* Muratorius.

& tamdiu ipsum obsedit, quòd intrinseci vix poterant se tueri; & se Ugutioni prædicto dedissent, nisi quòd immediatè Princeps infrascriptus eis auxiliavit, ut inferiùs continetur. Princeps Tarantinus frater dicti Regis Roberti ejus mandato, & cum Carolo filio suo, & Petro Tempesta fratre dicti Principis cum magna militum comitiva de Apulia in subsidium Florentinorum advênit de mense Augusti, & Civitatem Florentiæ est ingressus, ubi magna gentium tam equitum, quàm peditum multitudo erat congregata, & ibidem totum suum composuit exfortium, & misit nuntios suos ad Ugutionem consistentem etiam cum suo exfortio circa Montemcatinum, ut supra; quatenus inde cum gente sua discederet, alioquin disfidabat eum in havere, & persona. Quibus Ugutio respondit, quòd intendebat habere dictum Castrum cum omni honore; & si volebat construere aliquam pugnam, quòd ad eum veniret, quia ipsum expectabat. Reversus est nuntius ad dictum Principem. Disfidato ergo Ugutione cum gentibus suis per dictum Principem, Princeps ipse cum omni suo exercitu & Baronibus exivit de Florentia, & se in campis opposuit in valle prope montem dicti Castri ab alia parte foveæ, per quam labitur quædam aqua tepida, quæ appellatur nebula, exiens de paludibus illis, & ab alia parte foveæ erat Ugutio cum dicto suo exercitu. Sic stantibus exercitibus utriusque partis, & in campis attendatis, quampluries Princeps appellavit Ugutionem ad bellandum, cui respondebat Ugutio, quòd transiret foveam, quia paratus erat secum committere pugnam. Verumtamen quoniam ex Principis gentibus aliquando & sæpiùs cum gentibus Ugutionis inter se luctabant, non audebat ergo Ugutio assumere prœlium, quia provisis gentibus suis habebat in exercitu suo circa ter mille milites, & viginti mille pedites; & examinatis gentibus Principis habebat in suo exercitu bene quatuor mille milites, & triginta mille pedites. Expectabat etiam Ugutio gentes Domini Canis Grandis de la Scala, & aliorum fidelium Imperii de Lombardia, quæ ipsi continuè succurrebant, & quamcitiùs veniebant, licèt nondum ad exercitum applicuissent. Et sciebat etiam Ugutio, quòd quasi omnia Castra de la Scimeraja, & aliunde circum circa exercitus prædictos Principi prædicto subdita facta sunt, quæ priùs Ugutio detinebat. Tamen paucis diebus stetisset Ugutio cum exercitu, quòd victualibus prorsus defecisset, & sic expectando utraque pars stetit in campis usque in diem Jovis XXVIII. mensis Augusti prædicti. Et audiens ipse Princeps, quòd Dominus Canis prædictus de la Scala magna cum militum gente ad exercitum Ugutionis personaliter, & celeriùs applicabat, se cautè in nocte amovit de campis, signa cum actis faciendo velle discedere, & fecit acies suas ita arctari, ne Ugutio perpenderet se de dolo. Volebat enim se ad ardua montis versùs Bivinagiam tendere cum omni suo exercitu causâ capiendi stratam, passum, & pontem Pisarum, ne gentes, & victualia de Pisis, Luca, & aliunde ad exercitum Ugutionis deportarentur, & etiam ne gentes Domini Canis continuè venientes sibi auxiliarentur. Et si Princeps fecisset quæ ordinaverat, revera Ugutio cum gente sua erat interclusus, & sopitus. Et illa nocte non perpenso Ugutione CCC. equites, & M. pedites de gente Principis à montanis, & abditis cum armis, & victualibus Castrum Montiscatini intraverunt pro muniendo locum. Ugutio

A tamen cautè egit, quia statim ea nocte sentiens motum Principis, cum comitiva sua bene admonita, armis præparata tam equo, quàm pede, & omni tarditate postposita, inordinatè occurrit ad passum in loco, ubi Carbuscheto inter Castrum Montiscatini, & Castrum de Bugiano versùs Bivinagia, & habuit passum antequam Princeps. Videns hoc Dominus Princeps statim disfidavit Ugutionem, & fecit acies suas armis præparari ad pugnam. Quæ videns Comes Montisfeltri, illi de Petramala, de Aritio, & alii nobiles comitivæ Ugutionis, eidem Ugutioni dixerunt, quòd adstringeret omnes gentes suas, ne ad pugnam sic inordinatè vadant. Sic & Ugutio convocavit ad se omnes Barones, Duces, Capitaneos, & Comestabiles suæ comitivæ, & ita ordinavit, videlicet quòd omne caput tam equitum, quàm peditum inter suos præcipiat pœna gravi, quòd nullus eques, seu pedes audeat aciem suam exire ullo modo. Et si eis contigerit victoriam habere, nemo equum descendat, nec de acie exire præsumat, sed fugientes inimicos penitus desolet, & consternat, nec ad aliquem capiendum, vel spoliandum manum injiciat, donec strages durabit. Hoc etiam verbum arrengavit Ugutio Baronibus suis, & ceteris sui exercitus proposuit dicens: *Annotet unusquisque, quòd olim divæ memoriæ Rex Conradinus cùm commisisset pugnam cum Avo hujus Principis, & inito bello Rex præfatus vicit; in qua victoria omnes ipsius gentes incœperunt spoliare campum, & derobare, credentes vicisse inimicum minorem. Qui reassumtis suis viribus in spoliatores, & prædatores cum acie sua irruit, & demum eos conflixit. Quapropter ipsum Regem Conradinum multis proditionibus captum, idem Carolus Avus prædicti Principis fecit ense decapitari, & omnes suæ comitivæ, postquam capti fuerunt, sævissimè martyrizavit, nemini parcens; quorum alios necari fecit dira morte, alios diminui, & alios occœcari jussit. Ac etiam omnes sint memores, & revigeant vires suas ob mortem Domini Henrici Romanorum Imperatoris nuper decessi.* Quibus dictis & aliis per Ugutionem, omnes suæ gentis reconfortati sunt, & alta voce exclamare cœperunt, dicentes: *In inimicos, in inimicos, quia melius est nobis hac probitate mori, quàm miserabiliter evadere cum miseria & dolore.*

Unde Ugutio incontinenti acies suas equitum, & peditum in hunc modum ordinavit; quia in prima acie posuit omnes Italos, & Franciscum ejus filium, & Spinetam pro Ducibus, & primis percussoribus. In secunda acie Teotonicos, & Ultramontanos stipendiarios suos. In tertia verò posuit Tuscos, Pisanos, & Lucanos. Et coadunatis aciebus suis ceteros scutiferos suæ comitivæ bene armis fulcitos & equis anteposuit, aciem primam Principis insultando, qui debellantes fracti fuerunt, quarum major pars periit. Sed duratis ictibus primis per primam aciem Principis, ubi erat Dominus Petrus Tempesta pro Capitaneo, credentes unam acierum Ugutionis fractam esse, accesserunt viriliter contra Ugutionem, ita quòd posteà ejus acies quasi fuit conflicta, & acies secunda quasi amissa debilitabatur; & vix quòd tunc non amisit Ugutio, quia etiam acies prima Ugutionis jam conflictis suis scutiferis in aciem primam Principis accedere non valebant, quoniam Princeps sic eam construxerat, videlicet quòd milites interclusit de lanciferis suis cum lanceis longis numero decem millibus, & eos composuit

A fuit à latere versùs acies Ugutionis. Quæ videns
Ugutio misit pro balisteriis Pisanis, qui erant
numero quatuor mille, & eos sagaciter ordina-
vit in hunc modum, quòd eorum tertia pars
sagittet in lanciferos dicti Principis, alia tertia
pars immediatè balistas suas ponderet cum mu-
schettis, & quòd telis etiam sagittet; alia verò
tertia pars postmodum jam ponderatis balistis
recutiat, & frequentando sagittare non cesset,
& omnes inspiciant primò in lanciferos sagitta-
re, & postea in equos militum Principis, & sic
fecerunt. Deus quidem inspiravit dictum Ugu-
tionem, quia ordinatis sic prædictis sagittantes
dicti balisterii à lateribus lanciferorum Princi-
pis, eos fortiter percusserunt. Ipsi autem sen-
tientes sagittas, & jam vulnerati cadebant, &
B sic lanceas suas devalare relaxabant. Nihilomi-
nus acies prima Ugutionis suos balisterios exe-
quendo, & Christi nomine invocato, devoluto
vexillo, & ostenso Imperii signo, gentes omnes
Ugutionis alta voce exclamarunt contra inimi-
cos *morti*, *morti*. Quare & milites aciei primæ
Principis videntes lanciferos suos conflictos, val-
de sunt perterriti, & tanto magìs Ugutionis
acies, & reliqua sua comitiva vires resumsit, &
in inimcos viriliter ac hostiliter invaserunt, &
profundè. Deus autem Principem occœcavit;
quando enim dissentavit pro capiendo passum
prædictum, sui balisterii posuerunt super salmas
eorum balistas; itaque ad pugnam ipsas non
habebant. Tandem secunda, & tertia Ugutio-
C nis acies simul commixta cum acie prima Prin-
cipis fortiter bellabant unanimiter, & proces-
serunt viriliter inimicos invadendo, & sic tam
fortiter bellarunt, quòd primam, secundam,
tertiam, & reliquam aciem Principis intrave-
runt, & denuo eas omnes in conflictum posue-
runt. Teotonici, & Itali tam pedites, quàm
equites Ugutionis, qui in aciebus erant compo-
siti de sua acie non exeuntes, (sic eis Ugutio
jam ordinaverat) percutientes hinc & inde,
nemini parcentes, continuè eos insequentes lan-
ciferi, baraterii, & aliqui in acie non erant
compositi, prosternatos confundentes, & exspo-
liantes. Et sic Ugutio victor fuit, quia nemo
de suis aciebus durante strage descendit equum,
D nec ad aliqua spolia se dirigebat. Itaque stra-
ges illa, & fuga duravit à Solis ortu usque ad
occasum, & hoc fuit die Veneris (*) XXVIII.
Augusti, qua die fuit Decollatio B. Johannis
Baptistæ. Duravit cædes, conflictus, & fuga
inimicorum per quatuordecim milliaria terræ,
& plus, & vocatur planicies, ubi fuit dictus
conflictus, planum Carcellæ, super qua plani-
cie dominantur Castra Montiscatini, Montissu-
mani, Montisvictorini, & Bugiani. In quo verò
conflictu perierunt ter mille equites, & bene
quindecim mille pedites numerati de gentibus
dicti Principis inter mortuos, & captivatos, in-
ter quos consignati fuerunt vivi dicto Ugutioni
infrascripti Barones, Nobiles, & Magnates, vi-
E delicet. Dominus Pinus de la Tosa de Florentia,
Bernardus de S. Miniato, Plebanus de Gerardi-
nis, Dossus de Spina, & alii quamplures de me-
lioribus Baronibus Apuliæ, & dicti Principis,
Florentiæ, & Tusciæ. De mortuis verò reperti
fuerunt Carolus filius, & Petrus Tempesta frater
dicti Principis, Dominus Rosolinus de la To
sa, Dominus Rodulphus de Malpigis, Dominus
Lippus de Sancto Miniato, Dominus Carroc-
cius, Dominus Lucius de Opicis, Dominus
Opizo, Dominus Talanus de Caveculis, & alii
quamplures de melioribus nobilioribus, & pro-
pinquis dicti Principis, & Tusciæ. De genti-
bus autem Ugutionis jacuerunt mortui in cam-
po Franciscus ejus natus, Dominus Johannes
Gatocius, qui ferebat in prœlio vexillum Im-
periale, Stephanus nepos Domini Ostiensis,
Leo de Caponsachis, quidam de Ciprianis, &
plures alii Nobiles vulnerati fuerunt in primis
ictibus. Princeps quidem relictis gentibus suis
quasi totis, quæ erant viginti mille, & plures,
ponderatis thesauris, victualibus, trabachis,
pavilonibus, balistis grossis, & parvis, & aliis
bellicis armis, & apparatis suis, in fugam con-
versus effugit in Montessumano non longè à lo-
co, ubi fuerat conflictus. Quæ audiens Ugutio
castra sua figi jussit circa dictum locum, & no-
cte illa proxima Princeps præfatus cum illo re-
siduo suarum gentium modico tamquam lepus
à venatore persecutus metu viam neque locum
tenens, exivit de Castro, & sic confusè ivit
Florentiam. Ugutio verò altera die summo ma-
ne credens intercludere & habere dictum Prin-
cipem in Montessumano, versùs dictum locum
cum gente sua equitavit, & habuit dictum lo-
cum, & fortilicias, ubi fugerant quamplures
Nobiles ex majoribus domibus Tusciæ, scilicet
Dominus Jacobus de Rubeis, Lapus de Prato,
Johannes Domini Cursii de Donatis, Appaldus,
& quidam filius Domini Francisci de Gisleriis
de Bononia, qui omnes se reddiderunt Ugutio-
ni, & affidati fuerunt per ipsum à morte, ta-
men ipsos omnes captivavit. Et similiter Ca-
strum Montiscatini, nec non & Castra multa,
& alia loca, quæ per exstrinsecos Guelfos Lu-
cæ, & per Florentinos tenebantur, in manibus
dicti Ugutionis se reddiderunt. Residuum au-
tem gentium Principis evasum de manibus tru-
cidantium Ugutionis pauci vixerunt. Et Ugu-
tio ordinatè cum omni suo exercitu se in cam-
pis castrametatus est, ubi stetit per decem dies
continuos post conflictum, & in tertia die post
dictum conflictum milites Domini Canis, &
Lombardiæ supervenerunt in exercitu dicti Ugu-
tionis, de quibus non modicum se exaltavit,
quos incontinenti misit ad Serravallum propè
Pratum, ut custodirent, ne inimici occurrerent
in spoliatores campi, & ibi steterunt donec
exspoliatus fuit campus cædis, & captivi con-
gregati fuerunt; & ibi gentes Ugutionis habue-
runt victualia opportuna de illis, quæ Princeps
ad excrcitum suum duxerat. Et in campo cæ-
dis prædictæ, ubi necatus fuit Carolus filius di-
cti Principis, super ejus corpus factus fuit Mi-
les Comes Neri de Pisis, natus olim Comitis
Gerardi, olim decapitati cum Illustri Rege
Conradino per Avum dicti Caroli, in memo-
riam diu recordandam. De quo verò conflictu
omnes Imperii fideles, & amici cum cordis ju-
bilo psallant Deo nostro, & hymnum cantent,
qui eos eduxit hodie de lacu miseriæ, & de
luto fæcis. Quoniam si Princeps victor fuisset,
nemo ausus esset deinceps Imperii nomen invo-
care.

CAP. III.

Decessus Philippi Regis Francorum.

De mense Decembris MCCCXV. Philippus
Francorum Rex obiit. Cùm enim ivisset
ad venandum cum proceribus suis, invento quo-
dam apro eum sequebatur, & quidam Nobilis
Miles ipsius Regis volens cum sagitta aprum
percutere, Regem suum prædictum peremit. Et
sic

(*) XXIX. Aug.

sic Ludovicus primogenitus dicti Regis in Francorum Regnum successit, & factus est Rex. Et postmodum idem Ludovicus Rex maximum movit exercitum cum gente sua adversùs Comitatum Flandriæ, eos diffidando.

CAP. IV.

Qualiter Ugutio de la Fagiola de Civitatibus, & dominio Pisarum, & Lucæ expulsus fuit, & Castrucius de Antermenellis factus est Capitaneus Generalis Populi Lucæ.

DIe Lunæ XII. Aprilis MCCCXVI. expulsus fuit Ugutio de la Fagiola de dominio, & Capitaneatu Civitatum Pisarum, & Lucæ cum multis Teotonicis suis per eosdem Pisanos, & Lucanos. Et incontinenti dimissus fuit de carceribus Castrucius de Antermenellis de Luca, quem Ugutio prædictus captivaverat, & decapitare intendebat; statimque Lucani propter industriam, & sensum suum ipsum in Capitaneum Generalem Populi Lucæ elegerunt, & constituerunt.

CAP. V.

Qualiter Dominus Gueceli de Camino accepit Civitatem Feltri, & expulsit Episcopum.

DE mense Junii ejusdem anni circa horam Nonæ Dominus Gueceli de Camino cum gente sua habuit, & recepit Civitatem Feltri, & expulit Episcopum, qui eam subjugabat, & multa etiam Castra dicti districtus post hoc sibi subjugavit.

CAP. VI.

Decessus Ludovici Francorum Regis.

LUdovicus Francorum Rex de hoc seculo transmigravit die XXV. Junii ejusdem anni, nullo relicto herede. Tamen uxorem suam filiam Regis Hungariæ gravidam reliquit. Itaque Regnum Francorum orfanum est, & impleta est scriptura, dicens: *Tu Regnum Francorum desolaberis, & diminueris capite. Possessio itaque tua in Aquilam convertetur, & ab Aquila cum Leone penitus desolaberis.*

CAP VII.

Qualiter Comes Goritiæ cum Domino Gueceli de Camino venerunt in Verona, & confirmata fuit parentela inter Dominum Gueceli prædictum, & Dominos de la Scala.

DOminus Henricus Comes Goritiæ, & similiter Dominus Gueceli de Camino de Tarvisio venerunt in Verona die XXIX. Octobris ejusdem anni, & postea iverunt simul cum Domino Cane Grande ad Terram Vicentiæ, ubi composita, & facta fuit parentela dandi Viridam natam olim Domini Albuini de la Scala filio ipsius Domini Gueceli, qui etiam natus est de una filia Comitis Vinciguerræ de Sancto Bonifacio. Quibus peractis prædicti Comes Goritiæ, & Gueceli in eorum contratis redierunt. Et postmodum de mense Decembris sequentis vênit idem Dominus Gueceli cum magna gentium comitiva, & ipsam puellam die XXIII. Decembris duxit secum in Civitatem Feltri honorificè associatam cum maximo triumpho & lætitia.

CAP. VIII.

Qualiter per Dominum Canem Grandem, Antianos, Gastaldiones, & Consilium Communis Veronæ jurata fuit obedientia, & honor Regi Romanorum.

DIe XVI. Martii MCCCXVII. coram nobilibus viris Dominis Conrado Comite Basile, & Johanne à Lettis Cive Veronense, Legatis, & Ambasciatoribus solemnis, & illustris viri Domini Federici de Austria Romanorum Regis electi, Magnificus Dominus Canis Grandis de la Scala Sacri Imperii Vicarius in Verona, & Vicentia, Dominus Ugolinus de Sesso ejusdem Potestas in Verona, Gastaldiones, Antiani, & Consilium Communis Veronæ juraverunt subjectionem, obedientiam, & honorem præfati Domini Federici Regis, & pro Communi, & Hominibus Vicentiæ similiter juraverunt, & hoc super Sala majori Palatii Communis Veronæ, ubi more solito erant congregati. Item juraverunt ligam & unionem firmiter tenere cum ipsis Ambasciatoribus, & Syndicis præsertim ad hoc recipientibus vice & nomine illustris viri Domini Leopoldi fratris dicti Regis, & Ducis Austriæ, & aliorum fratrum suorum. Similiter & ipsi Syndici juraverunt de manutenendo, & adjuvando se se ad invicem contra quascumque personas, & illud idem fecerunt Vicarii Mantuæ his diebus. Sidus quoddam in cœlis apparuit die Sabbati ultimo Aprilis ejusdem anni hora mediæ tertiæ, expandens comas igneas velut fulgur divisum in quatuor partes à loco, ubi Sol in meridie continetur, rutilando comas illas igneas versùs Austrum, quæ omnia per universam Italiam visa fuerunt.

CAP. IX.

Qualiter Gilibertus de Corrigio cum aliis Guelfis tractavit cum Paduanis, quòd Vicentia raperetur de Dominio Domini Canis.

CUm Dominus Canis Grandis circa Civitatem Brixiæ, & ejus districtum his diebus cum exercitu suo exstitisset, immediatè Dominus Gilibertus de Corrigio exul Parmæ cum suis suggestionibus & proditionibus tales ordinabat tractatus, videlicet quòd Cremonenses, scilicet Cavalcaboves incipiant frangere pacem, & inimicos suos expellere de Civitate Cremonæ. Item quòd Bononienses cum Ferrariensibus debeant invadere Civitatem Mutinæ, quæ per Vicarios Mantuæ dominatur, & custoditur. Ipsi autem ipsam debellare volunt. Item quòd Paduani debeant coadjuvare bannitos Veronenses, & Vicentinos, & cum ceteris Vicentinis proditoribus intrinsecis ordinare de invadendo Civitatem Vicentiæ, & ipsam intrare, & accipere, & gentes omnes Domini Canis Grandis, nec non Dominum Bailardinum de Nogarolis tunc Potestatem Vicentiæ pro ipso Domino Cane Grande duræ mortis tradere supplicio, & sic tractavit. Quæ omnia sciebat, & sentiebat Dominus Canis prædictus. Tamen Dominus Deus noster vigilans super hæc, cornua destruet malo-

lorum, qui tantas abominabiles nequitias ordinant.

CAP. X.

Qualiter Cavalcaboves de Cremona fregerunt pacem, & jura, & de Cremona expulerunt omnes applicantes parti Sacri Imperii.

CAvalcaboves de Cremona consistentes in pace cum Civibus suis dolosè & occultè Brixiam pro CC. equitibus transmiserunt, qui die Dominico XV. Maji ejusdem anni de nocte ad Civitatem Cremonæ equitarunt, ita quòd die Lunæ sequenti dicti Cavalcaboves cum ipsis CC. Militibus invasi sunt Civitatem Cremonæ, & expulerunt de ipsa Civitate Dominum Ponzinum Ponzonum, & omnes ejus complices, & plures Gibellinos morti tradiderunt, & sic pacem fregerunt.

CAP. XI.

Qualiter Comes Sancti Bonifacii cum Veronensibus extrinsecis, & Vicentinis similiter extrinsecis, & cum Paduanis, & stipendiariis Paduæ aggressi sunt Civitatem Vicentiæ.

PAduani ex tractatu jam facto putantes fortè, quòd Dominus Canis Grandis esset circa Lonadum cum exercitu suo, ut erat, ad se vocarunt Dominum Vinciguerram Comitem Sancti Bonifacii de Verona exulem, & Piscaresium de Delphinis de Pischeria bannitum Veronæ, die Sabbati XXI. Maji ejusdem anni; & ipsis ordinaverunt, & imposuerunt, quòd vadant Vicentiam cum bannitis Veronæ, Mantuæ, & Vicentiæ, & aliis stipendiariis coadunatis, quia jam ordinaverant cum quampluribus Vicentinis intrinsecis, quòd crastina die ipsam Civitatem invadere debent, & de manibus Domini Canis Grandis rapere. Et si contigerit Civitatem ipsam ingredi, & Palatium ascendere, statim signa ostendant, quia præparati erant cum Populo & militia Paduæ Vicentiam occurrere, eamque sibi subjugare, multa eis promittendo. Qua verò die Sabbati in vesperis, & tardius Comes, & Piscaresius prædicti cum ceteris Civibus Paduæ, cum stipendiariis, & bannitis Veronæ, Mantuæ, & Vicentiæ, qui erant numero quatuor mille equites, & mille quingenti pedites bene armis muniti sibi Ma . . . . . ministrante Civitatem Paduæ exierunt, & direxerunt se versùs Montegaldam, sonum facientes ire Ferrariam.

CAP. XII.

Hic Dominus Canis succurrit Vicentiam.

VErè cùm Dominus Canis præfatus totum tractatum & proditionem prædictam sciret, & sentiret, quam Vicentini interiores cum extrinsecis, & Paduanis ordinabant, scilicet Civitatem suam Vicentiæ Paduanis tradere dolosè, sciens etiam diem, & horam, quando venire debebant, exivit de Verona die Sabbati prædicto XXI. Maji post Nonas, quo die celebrabatur festivitas B. Zenonis, versùs Vicentiam equitavit continuò, milites sui terrerii, & forenses eum unanimiter sequendo; & sero jam facto ipse cum tribus tantùm sociis equitavit, &

A gentes suas alias dimisit continuè venientes; & occultè nocte illa ingressus est Civitatem Vicentiæ, ne ab intrinsecis Vicentinis sentiretur, relinquens attentè Ugutionem de la Fagiola cum tota comitiva ad S. Lazarum, ubi se repausaverunt cum equis per magnam horam noctis, attendentes hos, qui continuè veniebant ibidem, pro ut Dominus Canis sibi ordinaverat. Ea nocte Dominus Canis occultè in Civitate Vicentiæ consistens, Christum, & gloriosam Mariam ejus Matrem, & B. Zenonem Protectorem Civitatis Veronæ, & Populi ejusdem continuè exorans, sibi & suis gentibus auxiliandum, cum Potestate suo Domino Bailardino vigilans, sagaciter custodes ad fortilitias Civitatis

B ordinavit. Qua nocte in matutinis diurnis inimicorum prædictorum ceteri pedestres cum lanceis longis murum Pradevallis ascenderunt, & in Civitate Vicentiæ per scalas, quas intrinseci proditores ibi apportaverant, descendebant. Et Dominus Canis sentiens, & sciens omnia, tunc descendit Palatium, & solus occultè ivit visum quod Paduani faciebant; & invênit eos descendentes murum Civitatis, continuè ipsos confortando, quòd velociter descenderent, quia haberent Civitatem quietè. Ipsi verò credentes ita fore, velocitabant, & descendebant quantum valebant, & jam plures ex ipsis venerant usque ad Palatium habitationis Domini Canis cridantes, & dicentes: *Vivat Populus Vicen-*

C *tiæ, & Canis de la Scala penitus moriatur.* Videns ergo Dominus Canis, quòd jam bene ducenti, & plures ex ipsis transierant muros, & intraverant Civitatem, misit pro Ugutione prædicto cum militia sua, qui exspectabat ad S. Lazarum, & interim cum stipendiariis suis à lanceis longis se ostendit, & cognoscere fecit à dictis Paduanis transactis, & ipsos in continenti potuit in conflictum, eos occidendo & trucidando, ita quòd ex ipsis mortua exstiterat major pars, alii verò fuere capti. Interim Ugutio cum Teotonicis, & militia tota vênit, & coadunati sic existentes ad portam Bericæ, Comes S. Bonifacii, & Piscaresius prædicti cum comitiva sua equitum & peditum in Burgo exi-

D stentes confusionem illorum, qui muros transierant ignorantes, & exspectantes, quòd portæ Civitatis eis aperiantur, ad ipsas portas venerunt, volentes ipsas in terram projicere, & custodes dictæ portæ, pro ut eis ordinatum erat per Dominum Canem, simulabant dormire. Sentiens ergo Dominus Canis inimicos suos extra portam, jussit ipsam aperiri, & claves tunc ibi non erant, quas incontinenti adduci fecit, & interim quòd claves apportabantur, Dominos Zilibertum olim Nobilis Militis Domini Zalineti ejus socium, & Antonium de Curtarolo Nobilem Civem Paduæ exulem, cum quatuor mille Nobilibus Teotonicis ibidem militiæ sacramentis primò conformavit, & apportatis

E clavibus portas ipsas aperiri fecit, & inspiciens vidit maximam peditum multitudinem à lanceis longis, à balistis, & manarotis ante portam, & super stratam Burgi, & per totum; & maximè in exitu portarum erant certæ masnatæ à lanceis longis ab utraque parte viæ, qui satis bene & ordinatè stabant ad sui defensionem, ut videbatur. Deinde usque ad Crosariam magnam, quæ est in medio dicti Burgi, distantem à porta Bericæ fortè per unam balistatam tota strata, & portualia plena erant peditum armatorum. In qua quidem Crosaria erant Comes, & Piscaresius prædicti cum dictis quatuor mille militibus mascherati.

Quæ videns Dominus Canis sinè aliqua deliberatione cum fortè quadraginta equitibus, qui eum vigorosè sunt sequuti, pertransivit pedites prædictos usque ad aciem prædictorum quatuor mille militum. Et quum vidit ipsos, exclamare cœpit alta voce contra ipsos dicens *morti*, *morti*, & similiter omnes sui fecerunt. Et incontinenti cum ipsa modica gente ipsos viriliter, & hostiliter invasit, & denique eos posuit in conflictum. Dicerent fortè aliqui: quid faciebat Ugutio de la Fagiola cum tota comitiva militum, quam ducebat, quòd non succurrebat Domino Cani? Vobis dico, quòd quando Dominus Canis cum illa modica gente pertransivit pedites prædictos, quòd ipsi non se opposuerant ei, nec percusserunt aliquem eorum, credentes ipsos esse de proditoribus Vicentiæ, qui eis tradebant Civitatem, & maximè ex eo quia, quum aperta fuit Porta, in exitu ejusdem erat Dominus Conradus Nedus Nobilis Miles Teotonicus Comestabilis, & stipendiarius Domini Canis cum sua baneria, quamvis hoc præmeditatè, nec pensatè fuisset, qui similem gerit armaturam, ut Comes Sancti Bonifacii. Itaque pedites prædicti videntes banneriam prædictam Domini Conradi, & armaturas suas similes armaturæ dicti Comitis, putaverunt ipsos esse amicos. Sed quando audierunt ipsos exclamare *morti*, *morti*, & inimicabiliter corruere adversùs milites suos, statim se opposuerunt cum lanceis, & balistis suis contra Ugutionem, & aciem suam, & occiderunt sibi equum suum, taliter quòd nullo modo permittebant ipsos ad pugnam pertransire. Tamdem Ugutio recuperatus est ad pugnam, & sentiens Dominum Canem ab inimicis interclusum, cum ea modica gente, quia nuntius quidam acclamabat: *O probissimi milites accurrite, accurrite Domino Cani, quia perit infra inimicos, nisi ipsi velociter occurratis*. Quæ audiens Ugutio, durissimè ad iram commotus, confortavit milites suos, ut ipsum sequerentur, stimulantem dextrerium in ipsos pedites lanciferos, ita quòd fregit eos; sed quamplures equi ibidem mortui exstiterunt; & accessit ad Dominum Canem, qui jam milites, & inimicos fregerat, & conflixerat sequentes, & fugantes ipsos omnes præcipitando, qui nomen S. Georgii non vocabant, ut datum erat eis à Domino Cane, antequam exiret Portas, occidendo, prosternendo, & fugando ipsos usque ad Montegaldam, ita quòd quasi omnes inimici prædicti in Civitate, in Burgo Bericæ, in Strata, & campis remanserunt: alii peremti gladio fuerunt, alii in aqua Bachilioni demerserunt, alii verò captivati fuere, pauci evaserunt. Duravit autem strages illa usque ad horam sextam; inter captos quidem consignati fuerunt Domino Cani Grandi Comes S. Bonifacii, & Piscaresius supradicti de Verona, qui graviter vulnerati fuerunt ad stragem, ita quòd Comes prædictus non diu vixit, sed Dominus Canis diligenter medicari, ac nobilissimè servire fecit, donec vixit, & in domo sua in Vicentia. Noluit quidem Dominus Canis nec aliquem permisit fugam inimicorum sequi ultra terminos Vicentini districtus; immo fecit publicè proclamari, quòd nulla persona terreria vel forensis audeat pœna capitis dictos terminos pertransire, existimans nolle pacem rumpere Paduanis, licèt ipsi jam fregissent ei, intendens eis pœnam petere in contractu pacis insertam. Et hæc fuere die Dominico 22. Maji in Festo B. Juliæ Virginis in celebratione Festivitatis Pentecostes, quo Dominus noster Jesus Christus post

A ejus Ascensionem Apostolos suos, & Discipulos Sancti Paracliti Spiritus ardore illuminavit. Quo facto Domini Canis industri solemnitate intrinsecos proditores Vicentinos facinoris conscios carcere reclusit, sciscitans ab eis machinationem sceleris, & nequitiam rei, perquirens omnia erga ipsos, & alios similes fautores. Interim Dominus Canis cum diligenti examinatione contra eos, & alios exteriores in conflictu captos inquirere fecit & adnotari. Qua inquisitione, & examinatione facta, ad Dominum Ducem, & Commune Venetiarum destinavit nobilem militem Antonium de Nogarolis, & sapientes, ac jurisperitos Dominos Nicolaum Altemano Legum Doctorem, Bommesium Judicem
B de Paganotis, ac Gulielmum Judicem de Servideis, nec non & magnum mercatorem Veronæ Bernardum de Hervariis, Ambaxiatores suos solemnes, & Syndicos ad hoc specialiter, proditionem Paduanorum prædictam, & infrictionem pacis, ac etiam omnes notitias generaliter in scriptis, & tractatus proditionis, originem, & fundamentum facinoris juxta perseverantiam confessionis ipsorum, instrumenta pacis, & pactorum, obligationem pœnæ, ac etiam alia opportuna ipsis Domino Duci, & Communi Venetiarum mediante justitia significare. Ad hoc ut ipse Dominus Dux, & Commune Venetiarum sciant rei veritatem, petere nihilominus illam pœnam in instrumentis pacis contentam,
C scilicet viginti mille Marcharum puri argenti in ratione quindecim librarum denariorum Veronensium parvorum pro qualibet Marcha ab ipsis Paduanis exigenda, & Fisco Domini Canis redundari.

CAP. XIII.

Hìc Ugutio de la Fagiola per Dominum Canem factus est Potestas, & Rector Vicentiæ.

UGutio de la Fagiola factus est Potestas, & Rector Vicentiæ per Dominum Canem Grandem de mense Julii, qui jussu dicti Domi-
D ni Canis prædicti dicto mense videlicet die.... justitiavit proditores istos Vicentiæ, qui de mense Maji proximè præteriti, tractaverant tradere Civitatem Vicentiæ in manibus Paduanorum, ut prædictum est, quando Dominus Canis conflixit ipsos Paduanos in Burgo Bericæ; & ipsos proditores per Civitatem, & Burgos Vicentiæ strascinari fecit ad caudam equi, & postea in furcis suspendi. Nomina ipsorum sunt hæc ....

CAP. XIV.

*Qualiter Dominus Canis iteratò misit Ambaxiatores suos Venetias Domino Duci causâ petendi pœnam obli-
E gationis.*

HIs verò diebus misit Dominus Canis Ambaxiatores suos iteratò Domino Duci, & Communi Venetiarum, causâ petendi pœnam obligationis, ad quam Paduani incurrerant, & ob hoc citati fuerunt Paduani prædicti per dictum Dominum Ducem, & Commune Venetiarum. Qui incontinenti miserunt Ambaxiatores suos Venetias, qui denique ad prædicta responderunt, se unum solum denarium de dicta pœna nolle persolvere, quinimmo se potiùs dimittent consummari. Quæ audiens Dominus Dux

Dux prædictus, & Consiliarii Communis Venetiarum, Ambaxiatores suos Vicentiam ad Dominum Canem destinarunt causâ recitandi & exponendi, qualiter Paduani ex toto responderant se nolle aliquid pœnæ prædictæ sibi persolvere. Et die Mercurii septima Decembris equitavit Dominus Canis, & Dominus Bailardinus de Nogarolis cum eo de Verona Vicentiam, ubi reperiit Ambaxiatores prædictos Venetiarum, & ibidem facto colloquio; demum Dominus Canis dixit ipsis Ambaxiatoribus, quòd vadant Paduæ, & faciant quòd Paduani renuntient securitati, quam Dominus Dux, & Commune Venetiarum pro utraque parte se obligaverant tempore, quo primò facta fuit Pax inter Paduanos, & Dominum Canem, & quòd instrumenta ipsius obligationis de voluntate partium annullentur, & penitus incidantur. Sic & Ambaxiatores Venetiarum iverunt Paduam, in manibus quorum solemniter dicti Paduani renuntiaverunt dictæ securitati, & de voluntate utriusque instrumenta prædicta fuerunt annullata, & incisa; Salvo tamen quòd si dicti Paduani de jure hinc retro pœnam aliquam incurrissent, & legitimè apparuerit, quòd persolvere teneantur. Quibus peractis Ambaxiatores prædicti ad Dominum Canem reversi sunt, eidem narrantes ea, quæ facta sunt, quibus Dominus Canis respondit dicens, ac rogans, quòd de cetero Dominus Dux, & Commune Venetiarum non se intromittant inter ipsas partes; sed finant eos ad invicem facere, petere, requrere, & exigere, quæ promissa fuerunt.

CAP. XV.

Hic misit Dominus Canis Ambaxiatores suos Mediolanum.

IMmediatè quidem misit Dominus Canis Ambaxiatores suos solemniter Mediolanum, ubi etiam ceteræ Civitates Lombardiæ Potestatem Imperii tenentes, & attendentes suos Ambaxiatores destinarunt. Et in Mediolano renovata est pax, liga, jura, & fraternitas vicissim de adjuvando se ad invicem contra quascumque personas, & Communia, & quòd una talea certorum equitum, & peditum inter ipsas Civitates imponatur libito Dominorum Vicariorum Mediolani, & Veronæ: Et ibi ordinatum est, quòd singulæ Civitates Ambaxiatores, & Syndicos suos ad Dominum Canem Grandem, ubi erit, transmittant, & quidquid eidem placuèrit, promittant, & exequutioni mandetur.

CAP. XVI.

Hic Dominus Canis congregat exercitum ex omni loco, & mediatur dolor Paduanorum. Finis qualis erit Deus scit.

VIdens ergo Dominus Canis Paduanos interim non in aliquo bono supplicare posse, & omnia per eos acta in corde suo semper conferens, tractavit omni modo, & potentia, quibus potuit, contra ipsos procedere, & de carioribus ipsorum ad se conculcare, & subjugare in hunc modum, videlicet quòd primò misit Concarum Brixiensis districtus, ubi erat Magister Andreas Marescalcus suus cum centum quinquaginta equitibus ultramontanis stipendiariis suis, ut statim cum ipsa gente veniat Valegium. Item misit Vicariis Mantuæ, quòd transmittant Valegium illos equites, quos mittere possunt. Item misit in Longoniono, in terrerio Gardesanæ, in Valle Pulicella, in Valle Paltenæ, & in montaneis partim, quòd omnes à lanceis longis, balistis, & manarotis, & guastatores omnium Villarum dictarum, & contratarum armis præparati in Terra Gussolenghi se debeant congregare. Item misit quòd omnes de Riperia Gardesanæ se parent cum navilio suo, & sic facta est vox, & sonum velle ire cum omni suo exercitu contra districtum Brixiæ, ad hoc ne Paduani suum sentiant dolum, nec perpendant; tamen eos, si bene perlegeris, cautè diffidavit. Congregatis verò gentibus suis in Valegium, in Gussolengo, & in lacu Gardæ tractavit immediatè Dominus Canis cum ceteris amicis suis de Montescilice de habendo ipsam Terram Montisscilicis, & sagaciter ac cautè misit Dominum Bailardinum de Nogarolis, & Dominum Zilibertum ejus socium, & Militem Vicentiæ ad Ugutionem de la Fagiola ejus Potestatem in ipsa Terra tractando de faciendo fieri occultè pontes ad passus pro transeundo ad dictam Terram Montisscilicis. Quibus omnibus sic peractis Dominus Canis misit Valegium, & Gussolengum die Lunæ XIX. Septembris, ut gentes omnes in ipsis Terris congregatæ nocte futura veniant in Verona. Et incontinenti celeriter misit ad omnes passus Veronæ custodes, quòd nullus permittatur transire per terram, vel per aquam, ad hoc ne aliquis ferre possit nova aliqua versùs Paduam de dicto apparatu, seu guarnimento. Paduani verò audientes, & scientes, Dominum Canem facere guarnimentum suum pro eundo super districtum Brixiæ ordinaverunt, quòd si Dominus Canis ibit in districtu Brixiæ, Flumenovum prorsus fuerint aggressi, & omnia inde consummare existimabant. Qui miserunt ad Terram Montagnanæ sexcentos equites, & mille pedites; quæ omnia affectabat Dominus Canis, conferens in sinu suo.

CAP. XVII.

Hic Dominus Canis cum gente sua discessit de Verona, & ivit versùs Montemscilicem.

EXivit Dominus Canis Grandis de Verona Christi nomine invocato die Martis XX. Decembris MCCCXVII. hora Nonæ, simul & cum eo Magister Andreas præfatus, nec non & omnes pedites, qui eo adunati erant in Gussolengho, & direxit gressus suos versùs Leonicum districtus Vicentiæ; & misit Populum, & milites Veronæ, exceptis balisteriis Vicentiæ, pro custodia dictæ Civitatis. Exivit etiam eodem die in hora vespertina Dominus Ugutio de la Fagiola. Comes Goritiæ cum trecentum elmis, quem ad se vocaverat Dominus Canis, (transierat enim per Feltrum, quem tenebat Dominus Guecilus de Camino, & Vicentiam equitaverat) Bailardinus de Nogarolis, Gilibertus, & Parcitainus Capitanei guerræ cum omnibus equitibus, & peditibus, terreriis, & forensibus valentibus arma portare de Civitate Vicentiæ, ne nunc scientes causam, sed ipsum motum omnes ignorantes, exceptis his quatuor. Et volens Dominus Canis exequutioni mandare quod tractaverat cum Machono, mediantibus quibusdam Paduanis extrinsecis, direxit Dominus Canis gressus suos usque ad Baranum districtus Vicentiæ. Antecedens autem Magister Bonifacius de

de Zuchone Ingegnerius Domini Canis, qui statuit pontes supra Barbaranum in flumine Bachilioni, & pertransierunt gentes usque ad Valbonas, & ibidem constructis pontibus transierunt ipsos, anteponentes semper Paduanos extrinsecos; & nocte jam facta direxit gressus suos versùs Montemscilicem per partes de Pedevenda. Similiter & Dominus Canis cum omni suo exercitu de Leonico Barbaranum pertransivit, semper sequendo exercitum Vicentiæ per montes, & valles; & tanto equitaverunt gentes prædictæ nocte illa Luna refulgente, quòd die Mercurii XXI. Decembris in festo B. Thomæ Apostoli in matutinis diurnis Dominus Gilibertus, & Percitainus Capitanei guerræ, qui antecedebant cum fortè centum equitibus, secretè & occultè intrarunt Villam Montisscilicis, & incontinenti vias effugarunt Catelanos equites, & alios pedites stipendiarios, qui ipsam Villam pro Communi Paduæ custodiebant, absque aliquo vulnere, seu percussione exinde facta, sed de quieto ipsam Terram habuerunt; & Brixianus de Buzacharenis negligens in custodia fugit ad Castrum, quod postea dedit Domino Cani paucis diebus elapsis, unde fuit de Padua forbannitus. Sic stantibus militibus super plateam dictæ Terræ, interim die jam facto Ugutio de la Fagiola cum Domino Bailardino, & militibus Vicentiæ cum stipendiariis equitibus, & peditibus parum ante ortum Solis in ipsa Terra introivit, & postmodum Dominus Canis cum acie sua Teotonicorum, & militia Veronensi ad ipsam Terram accessit, & intravit. In ortu Solis hoc infortunio Paduæ nuntiato, fuit tantus rumor, & tremor, quòd Dominæ, & Burgenses cum filiis, & divitiis Venetias fugierunt, immo & quidam viri fœmineam verecundiam non timentes. Fuit hoc Potestate Domino Raynerio de Canossa de Regio, qui statim renuntiavit, & successit Dominus Petrus de la Parte de Tarvisio. Dicta die hospitatus est Dominus Canis cum tota sua gente in Montescilice, qua etiam die misit nuntios suos bis ad Terram Estensem, ut suæ ditioni subsint: quod si fecerint, eos affidabat realiter & personaliter. Quæ omnia prædicta Estenses contemserunt, & spreverunt. Altera autem die, scilicet die Jovis XXII. Decembris Dominus Canis se movit de Montescilice cum tota comitiva sua, prætendens versùs dictam Terram Estensem, eamque cum gentibus suis pede & equo circuivit; & statim appellavit intrinsecos, si adhuc se reddere volebant, quòd eos affidabat haveris, & personarum. Sed hi contra ipsum sagittaverunt, ita quòd cum singulo piloro Dominus Canis, & Cechinus ejus Nepos vulnerati fuerunt. Quapropter ipse Dominus Canis ira vexatus, unum quantum ferri projecit, fortiter exclamando *Morti, Morti*, ita quòd incontinenti omnes ejus milites equis descenderunt, & se in foveis jactantes ab ea parte usque ad spaldum processerunt, & per vim intrarunt Villam, intrinsecis se tuentibus ad pugnam paratis. Sed quando viderunt, quòd equites à parte montis Villam intrabant, perterriti fuerunt fugam arripientes. Sed ex eo quòd Villa imbuta erat divitiis multis, gentes Domini Canis incontinenti per domos se jactarunt deroborando, quapropter mortui non fuerunt ex ipsis rusticis ultra quinquaginta, quia fugerunt, & spatium habuerunt fugiendi occasione prædicta; & ferebatur quòd bene duo millia homines armigeri in ipsa Terra tunc erant. In qua verò Villa jussit Dominum Cechinum, & Ribaldonum de Tornielis de Novaria cum aliquantis equitibus, & peditibus Gardesanis permanere pro custodia. Qua verò die absque læsione aliqua suæ gentis cum omni sua comitiva ad Terram Montisscilicis reversus est, & sic ibidem permansit Dominus Canis cum tota sua gente, & celebratum est regulariter, & alacriter festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi; & tota Villa Estensis permansit, de qua Villa omnis exercitus Domini Canis uberrimè habuit victualia. Et post modicum omnes domus dictæ Villæ devastatæ, & igne consumtæ fuerunt, & magna pars lignaminis dictæ Villæ scilicet domorum delatæ erant in Montescilice, causâ spaldandi, & fortificandi Villam prædictam.

CAP. XVIII.

De captione Montagnanæ, & aliorum locorum per Dominum Canem de la Scala.

PErmanente Domino Cane cum comitiva sua in Montescilice die Martis XXVII. Decembris proximè sequenti post festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi relicta fuerunt, & ad mandata ejusdem Domini Canis devenerunt hæ fortalitiæ, videlicet Arx Montisscilicis, Castrum, & Pons Anguillariæ, quod est supra flumen Athicis, & Castrum Montagnanæ, quoniam Antonius Filarolo Potestas Montagnanæ cum Guilielmo Curcivagno de Catelonia stipendiario turpiter sinè pugna fugit Abbatiam, unde ipsa Montagnana data fuit Domino Bailardino de Nogarolis recipienti pro Domino Cane de la Scala, quæ omnes fortilitiæ per Paduanos detinebantur, & custodiebantur. Et his diebus usque in hanc diem inter Villas, Castra, & Fortilitias Paduani districtus trigintaquatuor de bonis, & melioribus dicti Comitatus in manibus præfati Domini Canis se dederunt, & reddiderunt; & omnes se reddentes in havere, & personis liberè absolvebat. Quibus diebus Dominus Xichus de Caldonatio de Vallesugana ad Dominum Canem honorificè cum quinquaginta equitibus armorum bene munitis in subsidio vênit usque ad guerram finitam permansurus suis sumtibus & expensis.

CAP. XIX.

Hic Dominus Canis cum comitiva sua equitavit versùs Paduam, & castrametatus est ad Terram duram.

AMovit se de Montescilice Dominus Canis Grandis cum universo exercitu suo die Jovis XXIX. Decembris proximè sequenti post festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, relinquendo Villam, & Arces bene munitas, dirigens gressus suos versùs Civitatem Paduæ usque in Villam Terræduræ, distantem à Civitate per quinque milliaria, ibique & in aliis Villis circumstantibus Carrariæ castrametatus est, animo transeundi Civitatem altera die. Qua die ecce supervenerunt quatuor Ambaxiatores Venetorum à Paduanis transmissi, treugam petentes inter Dominum Canem, & Paduanos, animo componendi & tractandi pacem. Et cridatâ treugâ continuò Paduam sunt reversi, referentes ipsi Ambaxiatores in consilio Paduanorum quæ audiverant à Domino Cane; & postmodum ipsi Ambaxiatores simul cum Ambaxiatoribus Paduæ, videlicet Dominus Jacobus de Carraria, Macaruffus de Macaruffis, Pantaleon de Buzacari-

Marinis Cives majores Paduæ unà cum Comite Rambaldo de Collalto de Tarvisio venerunt ad Villam Terradura, colloquium habentes cum Domino Cane, in quo quidem colloquio illa vice concordari non potuerunt, nec de compositione pacis aliquid peractum est. Die verò Lunæ II. Januarii MCCCXVIII. Ambaxiatores prædicti reversi sunt Paduam; & interim Dominus Canis fecit ampliari vias, explanare foveas, & pontes effici usque ad pontem Passanelli juxta Burgos Paduæ, animo eundi ad Civitatem, & Burgos penitus cremare. Sed ipsi Paduani durante treuga munierant Burgos, & Civitatem fortificaverant. Quæ sciens Dominus Canis, & propter pluvias, atque nives, quæ supervenerant in exercitu, quoniam nolebat ulterius prosequi, die Jovis V. Januarii jussit omnia inde destrui, & igne cremari, Villâ Carrariæ dumtaxat exceptâ, & anteposuit omnes suos pedites versùs Montemscilicem; & cum comitiva sua retro sequens in Terram Montisscilicis remeavit, & misit Vicentiam, & Veronam, ut omnes guastatores, qui in Villis permansissent, penitus ad dictum exercitum reperiantur, occasione reædificandi, & relevandi foveas Montisscilicis. His itaque diebus Lisanarius filius olim Domini Bontraversii de Bontraversiis diu exulis Paduæ habuit Castrum Bochoni districtus . . . ., & illud munivit, quod Castrum cum Villa Castelnovi sibi pleno jure pertinebat, quo munito omnes contratæ, & Villæ Pedevendæ securè laborari, & teneri potuerunt. Deinde misit Domino Cani, quid placebat de Castro fieri debere, qui liberè respondit, quòd illud teneat, & custodiat. Et similiter Guido natus Domini Nicolai de Lucio ivit Lucium de voluntate, & beneplacito præfati Domini Canis, possessiones & jurisdictiones suas congaudere.

CAP. XX.

Qualiter reversus est Dominus Canis cum gente sua in Montemscilicem, qui continuè non cessabat se præparare.

Reverso Domino Cane cum universo exercitu suo, & consistente in Montesilice, conspirante equidem à sapientibus suis, & proceribus quæ ordinanda erant, sciente quoque quòd Veneti favorabiliter Paduanis hoc tempore complacent palàm & occultè, & quòd Paduani per amicos suos, & suæ partis undique clandestinarunt, convocantes eos sibi succurrendum, & penitus auxiliari; quapropter Dominus Canis similiter per totam Lombardiam, & etiam in Alemannia, & alibi nuntios suos destinavit, convocans ipsos ut sibi subveniant equo & pede, ut per ipsum incœpta contra Paduanos in brevi suum sortiantur effectum; nihilominus continuè laborari faciendo ad fortificandam Villam, & Terram Montis-scilicis, & Turrim sitam supra flumen longè ab Este per unum milliare, similiter & Montagnanam; & interim suæ amicitiæ eidem succurrerent; ac etiam quamplures Villæ, quæ non veniebant ad ejus mandata, interim derobatæ, ac igne consumtæ per contratas illas fuerunt. Et immediatè venerunt in Montescilice Ambaxiatores Paduæ cum Ambaxiatoribus Venetiarum, colloquium cum Domino Cane inientes, pauca quærentes, sed discrepaverunt, quia credebant, quòd Bononienses cum liga Guelforum magnum subsidium sibi transmitterent. Tamen bene miserunt dicti Bononienses quingentos equites usque in Polesenum Scortiæ, & Abbatiæ, sed pertransire non potuerunt, aut ausi non fuerunt. His verò diebus magnus rumor fuit in Padua, quoniam dum Paduani in Palatio convenissent causâ eligendi Capitaneum Populi, ut sic metu resisterent inimicis, Tartarus de Lendenaria, & Clarellus de Buguillis ad invicem se rixantes in Palatio universam Civitatem commoverunt ad arma. Unde armati ad vocem Populi elegerunt Capitaneum Populi Dominum Odoricum de Cuchagna, qui erat ad eorum stipendium cum certa quantitate Theotonicorum, qui finito suo officio timens fortasse de gestis suis rationem reddere debere, aufugit. Quapropter magna pars Magnatum Paduæ ira vexati sunt. Venerunt etiam Ambaxiatores Communis Tarvisii in Montescilice, volentes se excusare Domino Cani de auxilio dato Paduanis hoc tempore, quibus Dominus Canis respondit, quòd redirent, & se defendant, si possent.

CAP. XXI.

Qualiter quædam Stella apparuit.

Quædam Stella magna visa fuit in cœlis die Veneris XX. Januarii in primo somno, quæ spargens comas suas velut faculas igneas apparentes in quatuor partes . . . . rutilantes versùs Orientem per mediam horam; & statim quædam alia apparuit post prædictam, licèt non tam magna, rutilans caudam magnam versùs mare Adriaticum.

CAP. XXII.

Qualiter monstra equitum, & peditum omnium fit in Terra Montisscilicis.

Fieri fecit Dominus Canis monstram peditum, & equitum terrestrium & forensium Veronæ, & Vicentiæ sub Montescilice die Mercurii XXV. Januarii, & licentiavit ipsa die pedites a lanceis longis, & balistis, & manaroris numero quinque mille ad Terram Estensem remanere; & fecit quadrigas, & plaustra sua rerum suarum ponderari ipsa die, sonum faciendo velle tendere versùs Veronam, nullum aliud excessum ostendendo contra Paduam velle prosequi de præsenti, sed in Curtivis absconditis in Terra Montisscilicis occultè jam construi fecerat pontes & ædificia, intendens in Plebatum Sacchi pertransire. Quæ videntes nuntii Communis Paduæ, qui licentiam habebant à Domino Cane posse liberè venire, stare, & redire, celeriter de Montescilice exierunt, sollicitantes iter suum usque in Paduam, quòd exfortium Domini Canis separabatur, & quòd Dominus Canis ibat Veronam. Quapropter nullum aliud exfortium tunc in Plebatu Sacchi transmiserunt Paduani. Militavit Dominus Canis die prædicto in media nocte veniente die Jovis, & exiens de Montescilice cum universo suo exercitu, & cum plaustris ponderatis, navibus, pontibus, & aliis apparatibus, cautè, & doctè, ac sagaciter arcem & Terram Montisscilicis bene munitas relinquendo, direxit gressus suos Christi nomine invocato versùs Plebatum Sacchi. Militando processit Dominus Canis cum certis equitibus ac peditibus usque ad Terram Ronchaitti, quæ est in Plebatu, ubi erat passus, quem reperit bene munitum apparitione spaldorum, sepium, & fossatorum, nec non & gentium, armatorum pede & equo mediante aqua ma-

gna

gna cum riperiis sublevatis. Videns ergo Dominus Canis gentes illas, cogitavit ad eos transire, si posset; sed ibi non habebat nisi fortè viginti quinque vel triginta equites sinè aliquo guarnimento sagittaminis, ita quòd incontinenti misit quemdam nuntium ad Ugutionem de la Fagiola, qui ducebat milites omnes, & comitivam totam Domini Canis ascheratos; & Dominus Canis jam longè factus erat ab ipso per quatuor milliaria, & plus, ita quòd Ugutio ignorabat sequitum Domini Canis, quia Dominus Canis descenderat Stratam versùs Ronchaittum causâ videndi dictum passum. Tamen simul ordinaverant velocitare iter suum ad passum Sancti Nicolai, ita quòd Ugutio continuè tenebat viam illam cum toto exercitu. Et videns Ugutio, quòd Dominus Canis non iverat per illam viam, stetit: & ecce quædam vox elevata est in exercitu, quòd inimici repererant Dominum Canem, & ipsum cum illa modica gente effugaverant, ita quòd omnes pavefacti sunt. Tunc Ugutio bene, sapienter, & ordinatè se cum tota gente sua in quodam prato posuit, & castrametatus est, & nuntios suos statim misit inquirendo nova de Domino Cane. Et sic stando ecce nuntius Domini Canis, qui dixit Ugutioni, quòd velocitaret iter suum ad ipsum, quia est ad passum ad visum cum inimicis. Et statim sinè mora amovit se cum tota gente sua, & gualoppando, trottando, ac velocitando iter suum accessit, ubi erat Dominus Canis; & ibidem supra dictum passum juxta inimicos se aliquantulum repausaverunt, attendentes balistas, & sagittaria grossa. Et interim Ugutio jussit, ut quilibet comederet, si volebat. Itaque omnes sic stantes comederunt, & taliter pransi fuerunt, & interim balistæ grossæ venerunt. Quo facto Dominus Canis jussit sagittari cum balistis grossis inimicos, ita quòd aliquantulum se retraxerunt, putantes ne aliquis ascendere posset riperiam, nec aquam pertransire. Et tunc Dominus Canis cum certis Nobilibus Militibus ultramontanis in aquam se projecit, ita quòd pertransierunt aquam, & non valentes cum equis ascendere reliquerunt equos, & ascenderunt ripam, pertranseuntes sepes, & spalda, & viriliter pugnantes versùs Paduanos, qui supra eos perturbabant equos; & isti fuerunt fortè sex vel septem ex Nobilibus ultramontanis Domini Canis, qui primò transierunt, & ascenderunt riperiam cum Domino Cane. Videntes ergo universi milites & pedites ea, quæ incœpta erant per Dominum Canem, omnes indifferenter se cum equis, & personis jactaverunt in aquam, & elevarunt rumorem tam maximum pertranseundo, & ascendendo ripam, quòd Paduani videntes, & audientes furorem gentium Domini Canis, mirabiliter pavefacti sunt. Tamen se opponebant ad defensionem; & interim certi milites in tantum tentaverunt passus, quòd cum equis ascenderunt ripam, ita quòd Dominus Canis ascendit equum, similiter & alii, qui potuerunt. In quorum transitu Antonius Boreginus de Zacchis viriliter percussit in hostes, qui transierant undas fluminis superati, qui cum equo mortuus permansit. Videntes ergo Paduani prædicti Dominum Canem equum ascendisse, & omnes milites suos vigorosè pertransire & ascendere ripam, quam priùs non putassent lucias aut muscipulas facere posse, exinde fugam arripuerunt. Continuè Dominus Canis proruit cum illa modica quantitate equitum, qui ascenderant riperiam, fugando, occidendo, & capiendo ipsos usque in Portis Paduæ; & dicta die habuit quasi totum Plebatum Sacchi, & castra sua fixit apud Pontem Sancti Nicolai distantem à Padua per duo milliaria, vel circa, ubi hospitatus fuit. De gentibus verò Domini Canis ad stragem illam quinque mortui fuerunt, inter quos fuit Nicolaus ab Equis de Verona dilectissimus familiaris Domini Canis. Quo verò die, & diebus Veneris & Sabbati subsequentibus plures Villæ existentes in Plebatu Sacchi, quæ subjacere nolebant Domino Cani, derobatæ, & consumtæ fuerunt, in quibus repertæ fuerunt equæ, & poledri innumerabiles & magnæ. Villæ autem, quæ supplicarunt, & subjacere voluerunt Domino Cani, affidatæ fuerunt. Et sic existente Domino Cane ad Pontem Sancti Nicolai, continuè omnia devastabat usque ad Portas, immo semel prosequendo Ridolphinum de Villata stipendiarium Paduæ usque ad Portam omnium Sanctorum, quasi potuit cum eo Civitatem intrare.

CAP. XXIII.

Qualiter Dominus Canis aggressus est Burgum Sancti Johannis, ipsumque igne devastavit.

Die verò Dominico XXVIII. Januarii de mane jussit Dominus Canis, omnes sui exercitus armis præparari animo insultandi Paduanos, & causâ supravidendi transitum, & fortilitias Burgorum Paduæ. Ordinatis aciebus suis in campis sagaciter & ipse cum sua acie victoriosa simul & cum Ugutione de la Fagiola versùs Burgum Sancti Johannis Civitatis Paduæ potenter equitavit, ubi quamplures Paduanos exitos de dicto Burgo, bene & diligenter armis præparatos pede & equo vidit, quos incontinenti hostiliter invasit, & fracti, ac in fugam ab ipso conversi fuerunt, semper Dominus Canis, & Ugutio prædictus cum ipso, & cum eorum gentibus eos insequendo, ita quòd ipsos intus fortilitia Burgi viriliter effugarunt usque in januis; ita quòd si acies magna suorum militum ibi tunc exstitisset, revera diffinitiva fuisset sententia. Ibi namque multi Paduani mortui & capti fuerunt; & postmodum jussit Dominus Canis ignem poni in palatiis, & domibus dicti Burgi, & factum fuit, ita quòd bene quingentæ inter domos & palatia igne consumtæ fuerunt in dicto Burgo. Quibus peractis Dominus Canis cum tota gente sua incolumis ad pontem Sancti Nicolai remeavit, ubi supervênit Dominus Guecilus de Camino de Tarvisio ad instantiam & preces Paduanorum tractaturus de pace inter ipsos, & Dominum Canem; & habito colloquio cum Domino Cane reversus est Paduam, & sic fecit pluries. Tamen nihil de compositione & pace tractari potuit inter ipsos. Quapropter idem Dominus Guecilus versùs Venetias remeavit. Interim verò Dominus Canis suis processibus non tardabat, faciens foveas implere, aggeres dirigere, pontes construi, latitare vias, & arbores cum cæsis devallare, & incidere à ponte S. Nicolai prædicto usque in Portis Burgorum Paduæ, animo insultandi Burgos, & ipsos destrui, & continuè gentes suæ omnes Villas inobedientes Domino Cani usque ad mare districtus Paduæ destruentes, derobantes, & consumentes.

CAP.

CAP. XXIV.

Qualiter supervénit præsidium Domino Cani de Lombardia, & habuit Pontemcorvum, igneque destruxit Burgum Sancti Jacobi.

SUpervenerunt in dicto exercitu CCC. equites armis bene fulciti de Mediolano, & LX. qui transmissi fuerunt à Domino Galeatio Vicario Placentiæ, qui Domino Cani in exercitu se præsentaverunt die Veneris tertia Februarii, offerentes se ad ipsum Dominum Canem usque ad bellum finitum, & plus ac minus ad ejus voluntatem ex parte Domini Maphæi Vicarii Mediolani, & Galeatii ejus filii Vicarii Placentiæ prædicti. Ordinavit Dominus Canis acies suas equitum & peditum die Dominico quinta Februarii, & equitavit versus Paduam, & per vim habuit Pontemcorvum; & Burgum Sancti Jacobi dictæ Civitati Paduæ contiguum intravit, quod derobari fecit, & igne destrui, faciendo etiam quamplures equites currere circa Burges Paduæ pro supravidendo passus, vias, & fortilitias; & postmodum reversus est cum Comitiva sua ad Pontem prædictum Sancti Nicolai, ubi dudum fixerat & tenuerat continuè castra sua. Et statim ipsa die exierunt de Padua Ambaxiatores de Venetiis, qui magnis precibus & instantiis Paduanorum de Venetiis ibi convenerant ad compositionem & pacem tractandam, petentes à Domino Cane treguam usque ad octavam diem, & quòd de cetero compositionem tractabunt ad ipsius voluntatem. Et sic cridata fuit tregua. Ea die venerunt ad dictum exercitum Ambaxiatores Dominorum Ducis Austriæ, & Ducis Carinthiæ, offerentes Domino Cani auxilium & favorem suum, & quòd Comes Goritiæ vadat in Alemanniam ad colloquium cum ipsis Ducibus consanguineis suis, ubi etiam in unum omnes Baroni Alemanniæ debent convenire. Sic & ipse Comes cum aliquot militibus suis recessit de exercitu, & ivit in Alemanniam. Tamen reliquit Baneriam suam cum gente sua Domino Cani.

CAP. XXV.

Qualiter vénit auxilium Domino Cani à Duce Carinthiæ, & tractatur de pace medio Ambaxiatorum de Venetiis.

SUpervenerunt in dicto exercitu die Jovis IX. Februarii biscentum quinquaginta milites Galeatii cum totidem balisteriis equitibus cum banneria Domini Ducis Carinthiæ, offerentes se Domino Cani, permansuri donec exercitus durabit. Altera autem die supervenerunt in dicto exercitu quingenti pedites, & quinquaginta equites armorum bene muniti in subsidio Domini Canis, quos eidem destinavit Dominus Guilielmus de Castrobarco, qui se obtulerunt stare in dicto exercitu, donec durabit. Qua verò die Veneris X. Februarii audientes intrinseci Paduani adventum dictarum gentium, statim pavefacti sunt, & miserunt foris ad Dominum Canem Ambaxiatores Venetiarum cum Domino Henrico Scrovegno, Jacobo de Carraria, & Rolando de Placiola, & Johanne de Vigoncia de majoribus Civibus Paduæ, qui petierunt à Domino Cane capitula super eo quod petebat in compositione pacis; & ibi steterunt ad colloquium cum Domino Cane usque ad vesperas; & re-

A ceptis capitulis ipsius in Padua sunt reversi, & prædicta omnia narraverunt Antianis, & Consilio Paduæ. Altera autem die exierunt iteratò Ambaxiatores præfati cum prædictis Magnatibus Paduæ, & dixerunt Domino Cani quòd Commune & Homines Paduæ penitus volunt pacem, & quòd in sequenti die Syndici Communis Paduæ, & ejus Ambaxiatores jurabunt, & affirmabunt pacem prædictam. Quibus respondit Dominus Canis, quòd redeant in Civitate, & crastina die ante Tertias finaliter respondeant, aliter suis intendit prosequi processibus. Qui Ambaxiatores in Paduam reversi pulsari fecerunt campanam ad Consilium Communis Paduæ, in quo lecta fuerunt capitula, quæ Dominus Canis penitus volebat, & requirebat, si cum ipso

B pacem volebant; & dato partito in ipso Consilio ad balottas more solito suo, pax vicit, & affirmata est, ac etiam factus est quidam Nuntius & Syndicus in ipso Consilio pro Communi & hominibus Paduæ, qui crastina die vadat ad Dominum Canem pacem prædictam confirmaturus. Die Dominico XII. Februarii in aurora diei misit Dominus Canis per Plebatum Sacchi, & ubi gentes suæ castrametatæ permansissent, quod sinè mora cum omnibus armis suis equo & pede in campo apud Pontem Sancti Nicolai prædictum coram ipso compareant, & sic omnes venerunt, & ipse cum Ugutione de la Fagiola acies suas construxit in hunc modum animo eun-

C di ad debellandum Burgos Paduæ, nisi immediatè intrinseci ad sua mandata ante Tertiam convenerint. In prima acie composuit Losmastrum cum omnibus militibus Domini Ducis Carinthiæ cum sua banneria, qui Losmastrus quæsivit à Domino Cane Burgum Sancti Johannis, ita quòd nullus alter secum vadat præter gentes suas, & sibi conlargivit. In secunda acie composuit Capitaneum Mediolanensium cum militibus suis, & Placentinis, & sibi conlargivit Burgum Sanctæ Crucis. In tertia acie composuit Catelanos, & Lombardos milites, & Vicentinos, & sibi conlargivit Burgum omnium Sanctorum. In quarta verò acie se ipsum compo-

D suit cum Marescalcho, & gente Comitis Goritiæ, & cum suis nobilibus ultramontanis, & cum familiis suis, & sibi elegit Burgum Sancti Jacobi in Corbo, accedens cum balistis, lanceis longis, & balistis grossis; jussit autem alias gentes pede & equo retro remansuros pro retroguardia. Et sic ordinavit inter Capitaneos omnium agminum & acierum, jubens quòd nulla persona equo vel pede audeat ire in alia parte, quàm in sua sibi ab eodem conlargita, nec inde discedat, donec strages durabat, pœna capitis, sciendo quòd nemini acciperetur præda sua. Ordinatis ita suis aciebus magnus tumultus factus est clamantibus omnibus una voce, & dicentibus *ad Paduam, ad Paduam*. Quæ au-

E dientes intrinseci Paduani prætimentes, ne haberent stragem, foris miserunt Ambaxiatores Venetiarum, & Syndicum Communis Paduæ à Magnatibus Paduæ sociatum, & exeuntes Civitatem obviarunt Domino Cani in capite Ponticorbi, ubi cum suis inzegneriis, & sapientibus, & cum certis militibus suis convenerat causâ prævidendi passus affectatos. Qui dixerunt ipsi: *Domine, Domine convertimini, convertimini ad castra vestra. Ecce ad Vos venimus pacem vobiscum, & vestræ voluntati roborare*. Et sic reversus est ad castra sua apud Pontem Sancti Nicolai prædictum. Nihilominus misit omnibus Capitaneis acierum, ut nullus aciem suam exeat, donec aliud eis non declaret. Ecce

ce

ge verò omnes acierum exclamarunt *ad Paduam, ad Paduam, nisi faciant velle Domini nostri Magni*: etenim magnus erat rumor & tumultus, quòd si Deus tonasset non audiretur, ita quòd ipsi Ambaxiatores & Syndici tremebant. Si Paduani etiam intrinseci tremebant, non admirandum, ac etiam si velle Domini Canis instanter deposcebatur; quoniam noverit unusquisque, quòd tunc in dictis aciebus examinati fuerunt per sapientes utriusque partis tres mille boni milites, & quindecim mille boni pedites. Et in dicto exercitu erat tam maxima omnium victualium & bestiarum ubertas copiosa, quòd si exercitus ibidem stetisset usque per totum mensem Maji, victualibus prædictis non defecisset, solummodo de illis quæ reperiebantur in dicto Plebatu.

CAP. XXVI.

MCCCXVIII. mense Februarii.

De secunda pace facta cum Domino Cane, & de quibusdam de Civitate fugatis.

EXercitu Domini Canis juxta pontem Sancti Nicolai constituto, tractatores pacis Paduæ retulerunt pacta pacis. Tunc in Majori Consilio Dominus Jacobus de Carraria consuluit fieri pacem pro consilio saniori. Macharuffus de Macharuffis contradixit palàm, asserens fieri pacem ad instantiam illorum de Carraria, qui nituntur partem Imperii sustinere. Firmato consilio Domini Jacobi, quasi omnibus annuentibus, Macharuffus cum suis sequacibus totam Civitatem commovit ad arma. Domus verò tractatorum pacis, scilicet Dominorum Henrici de Scrovegnis, & Belchari Doctoris Legum, fuerunt spoliatæ. Contra Dominum Jacobum etiam insultassent, nisi quòd eum sequebatur magna militum comitiva. Aliquibus suspensis, negotioque (5) sedato, statim Dominus Jacobus nocte sequenti equitavit ad Dominum Canem, pacemque firmavit hac forma. Primò, quòd D. Canis, dum vixerit, habere debeat Montemsilicem, Turrim passus ad Est, Castrum Baldum, Montagnanam. Item rebelles Paduæ, scilicet Dominus Nicolaus de Lucio, (6) Marcus de Forzatè, Raynaldus, & Gaboardus de Scrovegnis, Traversus de Delesmaninis, Gregolus, & Odoricus de Pojana, & omnes alii extrinseci Paduani restituantur in integrum. Hoc fuit in MCCCXVIII. mensis Februarii. Paduani volentes adimplere quod de pace promiserant, extrinsecos suos rebelles, Paduæ receperunt in festo Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, & in ipsos contulerunt honores, & officia Civitatis. Eorum adventum timens Macharuffus, sponte fuit Ferrariam, ubi dominabatur Raynaldus Estensis Marchio, qui ejus habebat neptem in uxorem. Gebellini ad gratiam Paduanorum restituti, volentes mittere ad effectum quæ tractaverant in secreto, ad plateas fecerunt insultum, & quorumdam domos spoliaverunt, etiam homicidia committendo. Hoc timore fugierunt de Civitate omnes Macharuffi, & illi de Polafrisana, de Terradura, de Maliciis, Joannes de Campo Sancti Petri, Dominus Conradus de Vigontia, Abbas Sanctæ Justinæ cum Mussato Poëta ejus fratre, & alii. Tunc verò erat Capitaneus Populi Dominus Obizo de Obicinis (7) de Pisis, qui etiam de Civitate recessit, quia præsumsit armata manu tanto sceleri obviare. Auctores verò sceleris increpantibus respondebant: *Hoc fecimus, quia nos injustè compulerunt longo tempore mendicare: & etiam recepimus in mandatis à Domino Cane Grande quòd Domui de Carraria essemus obedientes, tamquam sibi, quorum auxilio & assensu nostram fecimus ultionem*. Fuit hoc statim eodem anno mense Junii.

CAP. XXVII.

MCCCXVIII. Die 16. (8) exeunte Julio.

De dominio dato Domino Jacobo de Carraria.

EXpulsis contentis in superiori Capitulo, omnes de parte Ecclesiæ, qui Paduæ remanserant, formidantes, ceperunt consilium in Dominum Civitatis eligere Dominum Jacobum de Carraria. Ad hoc etiam consenserunt omnes de parte Imperii de mandato Domini Canis de la Scala: & sic per omnes de parte in Majori Consilio exstitit reformatum in MCCCXVIII. die VII. exeunte Julio. Die verò primò Augusti hac de causa fuit Paduæ magnum festum. Die VII. Septembris Dominus Jacobus fuit cum Domino Cane in Villa Montis Galdæ, à quo Dominus Canis requirebat, quòd omnes Paduani extrinseci, tamquam proditores Paduæ, bannirentur: sed Dominus Jacobus facere recusavit. Fuerunt hæc Potestate Domino Joanne de Molino de Venetiis. Timens Dominus Jacobus habere guerram cum Domino Cane, ut posset securiùs in Padua dominari, sapienti tractatu promisit filiam suam Thadæam, & infantem, dare uxorem Mastino, nepoti Domini Canis, propter quod speravit Dominum Canem suum propositum refrenare. Fuit hoc eodem anno, mense Decembris.

CAP. XXVIII.

MCCCXVIII. Die primo Octobris.

De obsidione Tarvisii, & qualiter fuit datum Comiti Goritiæ. (9)

ALiqui de Majoribus de Tarvisio ceperunt consilium malignum. Quorum tractatu Ugutio de la Fagola, quondam Dominus Lucæ & Pisæ, nunc Magister Militum Domini Canis de Verona, cœpit versùs Tarvisium equitare. Qui furtivè Civitatem intrasset; sed pluviis, & obscuritate temporis impeditus, taliter se arctavit, quòd die facto Tarvisini pace fruentes, à tali periculo evaserunt, ad portas Civitatis subitò occurrentes. Hujus sceleris auctores, spe fraudati, dixerunt Ugutioni: *Multa Castra Domino Cani nobis mediantibus subjacebunt, quæ Tarvisium penitus subjugabunt*. Et sic Articus (10) Avocatus Tarvisii suum proprium Castrum de Noale tenuit in damnum & opprobrium Civitatis, cujus uxorem Dominus Canis cognovit, & ex ea filios procreavit. Guezilus de Monfirmo occupavit Asolum, & Montem Bellunæ, Castra posita in Pedemonte. Hic Guezilus

(5) *Cod. Ambr. I.* rumoreque.
(6) Martius *aliis*.
(7) *Cod. Estens. & Collalt.* Obizis.
(8) *Cod. Estens. & Ambr.* die VII.
(9) *Cod. Estens. & Ambr.* Duci Austriæ.
(10) *Cod. Collalt. & Ambr.* Artiens Tempesta Advocatus.

zilus tempore subsecuto carceratus fuit per Comitem Goritiæ, & Castrum suum de Monfirmo fuit destructum. Gulielmus etiam de Ronico revelavit. (*) Ugutio suum exercitum posuit juxta Tarvisium, ubi dicitur *le Fontane*. Ad hunc exercitum equitavit Dominus Canis, putans habere Tarvisium. Dominus Guezilus de Camino cum trecentum elmis, & peditibus obsedit Coniglanum toto tempore hyemali in Domini Canis auxilium. Incœperunt (11) hæc MCCCXVIII. die I. Octobris. Intrinseci Tarvisini, scilicet Rambaldus Comes, Guezilus Avocatus, frater Artici prædicti, Altinerius de Azonibus, & alii Nobiles de Tarvisio propter oppressionem, quam sustinebant à Domino Cane, qui extra Civitatem omnia pacificè possidebat, consuluerunt recurrere ad majorem; & suos solemnes Ambassatores miserunt ad Ducem Austriæ, se dicentem Romanorum Regem. Qui offerens auxilium, statim in Tarvisio Comitem Goritiæ constituit suum Vicarium, qui cum suis Theotonicis magnificè versùs Tarvisium equitavit. Hoc viso Dominus Canis cogitavit habere pacem cum Comite de Goritia. Unde statim insimul convenerunt, paxque convênit. Dominus Guezilus de Camino de obsidione Coniglani recessit, & gens Comitis ivit in Castrum. Comes verò cum magno gaudio fuit receptus, & Civitas ab obsidione exstitit liberata in MCCCXIX. mense Junii.

CAP. XXIX.

MCCCXIX.

De obsidione Civitatis Paduæ.

TArvisio in potestate Comitis constituto, Dominus Canis, Vicarius Veronæ, & Vicentiæ, secretè tractavit habere Raynaldum, & Obizonem Marchiones Estenses, qui in Ferraria Ecclesiæ revellabant, in sui favorem: ac etiam Paduanos extrinsecos, quorum numquam fuerat amicus. His sic dispositis, ait Vicarius Veronæ: *Jam instat tempus equitandi versùs Paduam, quæ omnino non poterit à nostris viribus se defendere; tanta est virtus nostra. Jam enim Tarvisium, Ferraria, & extrinseci Paduani nobis favent. In Civitate erit schisma, quia dicemus eam velle reducere ad Commune, & Dominum Jacobum ejicere de dominio; quod est bonum, quia in Padua multa maleficia committuntur injustè, nec de iis aliqua fit justitia. Intellexit etiam, quòd dum Paduæ fieret monstra peditum, omnes habentes signa regalia exclamabant: Sublevetur Ecclesia, & pars Imperii opprimatur: & hoc signum erit contrarium nostræ parti. Unde Civitas est taliter opprimenda, quòd ejus Cives indomiti, & rebelles, si possit, doloribus & angustiis superati, flexis genibus veniant ad mandata.* Volens amodo invenire causam contra Paduam, misit literas Domino Jacobo, continentes, quòd amici sui extrinseci Paduani restituerentur in integrum absque mora; alioquin intendebat suis necessitatibus subvenire. Dominus Jacobus manifestè cognoscens, quòd Dominus Canis se extrinsecorum simulabat amicum, ut posset commodè contra Paduam insultare, Veronam misit suos Legatos, offerens Domino Cani, se velle in

A Paduam recipere suos amicos, tamquam Cives. Dominus Canis, volens omnino mittere ad effectum suum intentum, equitavit ad Montemsilicem. Die verò V. Augusti exercitum posuit in Burgo Sanctæ Crucis juxta Paduam, Potestate Domino Marco Gradenico de Venetiis MCCCXIX. Adhuc Dominus Jacobus sperans posse Domini Canis animum mitigare, misit ad eum suos Legatos pro pace tractanda; sed nihil profuit.

CAP. XXX.

Eodem Millesimo.

B *De Concione facta (12) in Palatio.*

DOminus Jacobus cogitans defendere Civitatem, facta in Palatio Civium publica concione ait:

O Cives, qui pro libertate pugnatis, patriamque defenditis, audiatis pacificè verba nostrà. Tunc omnes unanimiter siluerunt. Facto silentio, ait: *Post captum Montemsilicem, pacem composui inter Dominum Canem, & Commune Paduæ: Paduanos extrinsecos ad Patriam suam reduxi: item post Civile bellum Civitatis Dominium acceptavi solummodo, ut tamquam Pater, Patriæ providerem. Cum Domino Cane (13) pace sacramento firmata, vinculis Matri-*
C *monii, & pœnis pecuniariis me obligavi, ut vos tamquam filios conservarem. Hæc tamen omnia nihil prosunt. Jam enim multi Paduani, præferentes Civibus hostem, de Padua recesserunt, de quibus faciemus vobis mediantibus debitam ultionem. Dominus verò Canis, pace neglecta, & de perjurio parùm curans, nos invasit injustè: unde justitiam fovemus, & pro libertate pugnamus. Estote ergo parati armis, & equis, ut, cùm visum fuerit, in hostes viriliter equitemus.* His verbis propositis, omnes alta voce dixerunt: *O Defensor omnium, vestrum est præcipere. Præcipite ergo paratis in omnibus obedire.* In paucis verò diebus suburbia Civitatis
D fuerunt munita spaldis, foveis, & belfredis.

CAP. XXXI.

Eodem Millesimo, Mensibus Augusti, & Septembris.

De Castro (14) Bassanelli.

EXistens Dominus Canis in Burgo Sanctæ Crucis, post triduum habuit turrim Bassanelli; postea jussit fieri rostam in flumine, & Paduam privavit aqua, & sic caruit molendinis. Post hæc juxta turrim constituit ligneum Castrum fortissimum, & pulcherrimum in aspe-
E ctu, cui erat nomen inscriptum *Isola de la Scala*. Ibi constituit Potestatem Ribaldum suum militem, qui possessiones, & bona Paduanorum, qui Civitatem defendere nitebantur, Paduanis extrinsecis consignavit, appellans intrinsecos suos rebelles. Huic Castro liberè respondebant omnes Villæ Paduani districtus: Villæ verò positæ circa Paduam, ne ex eis Paduani perciperent aliqua victualia, & omnes ultrabrentaneæ partes,

(*) *Cod. Est.* Ronico Tarvisio rebellavit. *Cod. Collalt.* Vonico.
(11) *Cod. Collalt.* Acciderunt.
(12) *Cod. Est. & Amb.* per D. Jacobum de Carraria in Palatio.
(13) *Cod. Collalt. & Amb.* pacem sacramento firmatam, vinculis matrimonii, & pœnis pecuniariis firmam remanere sperans, me obligavi.
(14) *Cod. Amb.* de Castro fracto ad Bassanellum est Padua aqua, & omnibus bonis per Dominum Canem privata.

tes, distantes à Castro, bonis omnibus fuerunt spoliatæ, igne consumtæ. Earum incolæ quasi omnes in Mestre fame, frigore, & diversis angustiis perierunt. Totam Civitatem circuit via plana, ut sic facilius currere posset ad omnem partem Civitatis. Stat amodo Civitas ab hostibus circumdata, & in tantum, quòd exire Civitatem vix aliquis præsumebat. Marchiones Estenses, Raynaldus, & Obizo, Abbatiam, Lendenariam, & Rhodigium invaserunt, quæ licèt sint Ferrariensis districtus, tamen fuerant à Marchionibus Paduæ subjugata temporibus retroactis. Fuerunt hæc eodem anno, mensibus Augusti, & Septembris.

CAP. XXXII.

Eodem Anno.

De Gestis per Paduanos, & Cittadella, & Ambassatoribus Venetorum.

PAduani, post adventum Domini Canis, Paduam reduxerunt de districtu, quæcumque victualia potuerunt cum festinantia tam magna, quòd vix intrare poterant Civitatem: tanta erat multitudo volentium se, & sua in loco tutissimo collocare. Paduani privati molendinis reduxerunt Paduam quæcumque pestrina potuerunt de omni parte districtus, nova etiam fabricantes. Ad portam quamlibet Civitatis deputati erant continuò aliqui de Nobilibus Civitatis pro custodia nocturna; tertia pars omnium Civium continuò vigilabat. Ambassatores solemnes, Ubertinum Juvenem de Carraria, Joannem Judicem de Vigontia, Albertinum Mussatum (15) Poëtam, miserunt in Tusciam, auxilium imploratum. Dominus Jacobus secretò misit Tarvisium suos Legatos, offerentes Bassianum, Cittadellam, & florenos . . . . . . Comiti de Goritia, ut Paduæ subveniret. Ipse verò sagax hoc retulit Domino Cani, habitoque tractatu recepit à Domino Cane Asolum, & Montembellunam, Castra Tarvisini districtus; pro se verò tenuit Castrum de Noale. His Castris redditis, Comes Goritiæ fingens se Domini Canis amicum, literas misit continentes: *Nos Comes Goritiæ à Duce Austriæ recepimus in mandatis, quòd receptis Castris nostris à Domino Cane, fideli Sacri Imperii, deberemus ei præstare auxilium, & favorem. Quare vos, & vestra mittimus diffidando.* His verbis auditis, die sexto Octobris Dominus Jacobus comburi jussit Vigontiam, Peragam, & multas alias Villas, timens adventum Comitis de Goritia. Ait tamen: *Tot, & talia munera promittemus, quòd Comes omnino venire in nostrum auxilium non desistet.* Venetiarum Legati, pacem componere confidentes, ex parte Domini Canis Paduæ retulerunt: *Cum Domino Cane pacem habere potestis his præmissis, quòd Dominus Jacobus de Carraria renuntiet Dominio Civitatis, & quòd stipendiarii Paduæ expellantur, & extrinseci Paduani restituantur in integrum, omni exceptione remota.* Quibus ait Dominus Jacobus: *Mihi consulunt Sapientes, ut Vos Legati Domino Cani breviter exponatis, quod manifestè cognoscitur, eum velle Paduam subjugare, dum quærit Paduæ expellere (16) defensores, & Lupos ponere in ovile. Quare postulata displicent universis.* Dominus Canis de verbis Domini Jacobi nihil curans, qui etiam Cittadellam tenebat hostibus circumdatam, recepit obsides ab incolis Cittadellæ de Cittadella danda Domino Cani, nisi infra decem dies ei succurrerent Paduani: quod fieri non potuit. Unde Domino Cani data fuit Cittadella die primo Novembris; mortuo tamen propter multas vigilias Lucesio de Pernumia, quem Dominus Jacobus miserat Cittadellam pro custodia.

CAP. XXXIII.

MCCCXIX. Die IV. Novembris.

De Padua data Comiti Goritiæ. (17)

INterim Dominus Jacobus ait Ambassatoribus de Venetiis: *Placet, ut redeatis ad Castrum, ut tentetis Domini Canis animum mitigare.* Qui redeuntes retulerunt: *Hanc pacem habere potestis, si vos, Domine Jacobe, renuntietis Dominio Paduæ: extrinseci restituantur in integrum: & Potestas Paduæ eligatur, qui sociatus stipendiariis non suspectis, arbitrium habeat in regendo. Item videtur Domino Cani pro reformatione status Civitatis Paduæ, quòd ex extrinsecis, & intrinsecis sint aliqui confinati, donec inter eos per vincula parentelæ amicabuntur. Adhuc fieri ligam requirit inter Commune Paduæ, & Dominum Canem, & quòd per Commune Paduæ conferatur suæ ligæ secundùm quod faciunt alii socii Lombardiæ.* (18) *Ultimò requirit Dominium Bassani, offerens facere pro cambio Bassani de Cittadella, secundùm quod Ambassatoribus Venetiarum videbitur convenire.* Dominus Jacobus hanc pacem renuit: qui tamen continuò & secretè procurabat auxilio Comitis Goritiæ se defendere, suadentibus Paduanis. Qui à Comite habuit hoc responsum: *Quòd eum habere poterat defensorem, si Paduam eidem consignabat, recipienti nomine Ducis Austriæ Regis Romanorum. Qui asserebat pro certo Dominum Canem de campo fugare, ac etiam Montem Scilicem, Montagnanam, Rhodigium, & omnia loca, quæ Commune Paduæ temporibus retroactis possidebat, in Paduanorum manibus liberè consignare.* Quæ omnia Consilio Paduæ placuerunt. Electus itaque fuit Syndicus Aleardus de Basiliis, qui dedit dominium Paduæ Comiti de Goritia, recipienti nomine Ducis Austriæ. Qui statim alacriter acceptavit, & juravit se eximere Castra prædicta, & Paduanorum districtum, de manibus cujuslibet illiciti detentoris. Fuerunt hæc MCCCXIX. Die IV. Novembris.

CAP. XXXIV.

Eodem Millesimo. Die X. Novembris.

Qualiter Dominus Canis voluit capi, & de extrinsecis Paduanis condemnatis.

GOritiæ Comes, simulans se amicum Domini Canis de Verona, misit ad Castrum Bassanelli centum milites Theotonicos, quorum Centurioni secretè mandavit, ut viso vexillo rubeo supra mœnia Civitatis, sciret pro certo ipsum fore in concordia cum Paduanis, & quòd in-

(15) Hinc apparet, eos, qui cum Macharuffis ierant in exilium, anno 1319. restitutos; licèt id obscurè supra significetur. *Osius.*

(16) *Al.* Pastores.

(17) *Cod. Amb. addit* pro Duce Austriæ.

(18) *Al.* Ultimò requirit dominium Bassani, & Cittadellæ, secundùm quòd, &c. *& ita Cod. Amb.*

insultantibus Paduanis contra hostes, nil timeret, immo potiùs cum suis Theotonicis viriliter equitaret, ostendens se velle resistere Paduanis, & Dominum Canem, sæpe consuetum ante omnes occurrere inimicis, captivum duceret Paduanis. De concordia secretò convênit jussu Comitis. Dominus Jacobus ostenso vexillo rubeo modo prædicto, secretò mandavit apertis janius Civitatis occurrere inimicis. Cùm Dominus Canis aspexit hoc vexillum rubeum super mœnia Civitatis, ait Ugutioni de la Fasola: *Hoc Vexillum rubeum proditionis monstrat signum*. Et (19) forsan conscius hujus facti, gentem Comitis spoliavit armis, & equis, & quosdam ligatos ferreis vinculis carceravit. Fuit hoc die primo Novembris. Die verò quinto Dominus Canis, munito Castro, exercitum suum posuit juxta pontem Brentæ de Vico Argeris, & Traversum de Delesmaninis misit Peragam, ut nullus posset secure de Tarvisio Paduam equitare. Sexto decimo die ejusdem mensis Paduani extrinseci cum filiis in tertium gradum, ut proditores, & rebelles, fuerunt condemnati, & eorum bona publicata: domus verò eorum dirutæ à fundamentis Paduam deformabant. Quæ domorum destructio facta fuit Consilio Dominorum Marsilii de Carraria, & Antonii de Curterodulo, quorum domus in Villis positas destruxerant extrinseci Paduani. Ab hac die in antea extrinseci Villas igne cremabant, domos funditus eruebant, & sic intrinseci Paduam desolabant. Paduani expectantes auxilium Comitis Goritiæ, clauserunt omnes Portas Civitatis circa magnam custodiam vigilantes; & sic Paduani erant quasi in Civitate propria carcerati.

CAP. XXXV.

MCCCXX. Die III. Januarii.

Hic primò Vicarius Ducis Austriæ intravit Paduam.

CUm Paduani non cessarent literis, & Nuntiis à Comite Goritiæ auxilium implorare, victualibus jam privati, Goritiæ Comes Ungarorum, Sclavorum, Theutonicorum, & diversarum gentium fecit maximum apparatum equitum decem millium. Dum verò vellet omnino Paduam equitare in Domini Canis detrimentum, Ulricus miles Ducis Austriæ de Valse Capitaneus cum Ambassatoribus Ducis Karintiæ Tarvisium intravit, qui de pace cum Comite, & Domino Cane se voluit mediare. Et post tractatum Paduam intravit MCCCXX. die III. Januarii, exponens Paduanis quid videbatur placere Domino Cani circa pacem, scilicet, quòd Padua daretur in manibus Ulrici prædicti, nomine Ducis Austriæ, & quòd usque ad medium Quadragesimæ Dux Austriæ, & Dux Karintiæ possint, & debeant terminare de dicta Civitate, quod sibi videbitur convenire, ac etiam de Paduanis extrinsecis. Item, quòd de omnibus discordiis, ortis inter Dominum Comitem Goritiæ, & Dominum Canem, possint dicti Reges disponere, ut eis laudabiliùs videbitur convenire; & quòd interim stratæ sint securæ: pro quibus omnibus disponendis parlamentum debeat esse in Bolzano. Quæ omnia placuerunt. Et sic die quinto Januarii in pleno arrengo Do-

A minus de Valse, nomine Ducis Austriæ, recepit Civitatis Dominium.

His dispositis, Dominus Canis cum suo exercitu Vicentiam equitavit, munitis Paduanorum Castris. Nam Castra omnia possidebat, exceptis Bassano, & Pendisio. Goritiæ verò Comes suo pulcherrimo guarnimento grates retulit, & dedit licentiam recedendi. Ab hac die stant pro parte Imperii Paduani. In Castro Bassanelli pro Domino Cane erat Potestas Simon Philippus de Pistorio, qui districtum Paduæ totaliter gubernabat, & in Villis habebat suos Rectores, qui etiam ante portas Civitatis stabant procurantes, ne aliquis cum victualibus Civitatem intraret, nisi soluto maximo vecti-
B gale, quod esse poterat dimidium rei conductæ. His angustiis, & majoribus stimulati, in parlamento Bolzani spem habebant. Suadente Domino de Valse die XIII. Januarii Comes Goritiæ munivit Bassanum Theotonicis de beneplacito Paduanorum. Fuerunt hæc Potestate Domino Marco Gradenico de Venetiis.

CAP. XXXVI.

Eodem Anno, Mense Januarii.

De tregua, & captione Asoli, & Montis Bellunæ.

C AMbassatores Paduæ, Nicolaus de Carraria, Rolandus de Plazola (20), Joannes de Campo Sancti Petri, Aleardus de Basiliis cum Domino de Valse iverunt Bolzanum, ubi esse debebat parlamentum; sed ibi Duces Austriæ, & Karintiæ non potuerunt interesse; habebant enim tractare ardua facta cum Ludovico Duce Bavariæ, qui etiam se scribebat Romanorum Regem. Quare Austriæ Dux hoc retulit: *Nos Federicus Romanorum Rex nostris fidelibus Paduanis facimus manifestum, treguas dilatas ad Octavam Paschæ, & nos Vicario Veronæ similes literas destinasse*. Paduani, cupientes Regis obtemperare mandatis, miserunt Veronam
D suos Legatos, offerentes observare treguas à Majestate Regis stabilitas. Tunc Dominus Canis, de Regibus, & Ducibus parùm curans, ait: *Volo treguas hac forma, quòd Altenerius de Azonibus Paduæ Potestas, regimine privetur omnino. Item, quòd stipendiarii omnino* (21) *cassentur à soldo Paduæ, & quòd Domus Campi Sancti Petri nobis restituatur, occupata ab intrinsecis Paduanis*. Sed notum omnibus satis erat, quòd dictam domum poterat faciliter rehabere. Ab hac die ruptæ sunt treguæ, & furor guerrarum fremuit ubique, ut superiùs dictum est. Dominus Canis Comiti Goritiæ dedit Asolum, & Montem Bellunæ, sperans Comitem invadere Paduanos, & sic desiderium suum totaliter adimplere. Sed datâ Paduâ Duci
E Austriæ, cœperunt inter eos inimicitiæ capitales. Itaque Comite absente, occasione Parlamenti de Bolzano, Dominus Canis neptem suam Dominam Verdam dedit in uxorem filio Domini Guezilionis de Camino, & unicam filiam Domini Guezilionis dedit in uxorem Domino Chechino de la Scala Nepoti suo. Hoc facto Dominus Guezilus cum Domino Chechino hostiliter equitavit, & Castra Asoli, & Montis Bellunæ faciliter abstulit Theotonicis. Paduani cum Tarvisinis trepidantes nuntios mittunt festinanter Duci

(19) *Al.* Fortius.
(20) *Cod. Ambr. & Cod. Est.* Plazola Judex.

(21) *Cod. Collalt. & Esten.* Paduæ omnino cassentur à soldo; & quòd *& ita Ambr.*

A Duci Austriæ, Comiti, & Domino Ulrico de Valse, à Germanis auxilium implorantes. Fuit hoc eodem anno mense Martii.

CAP. XXXVII.

MCCCXX. Mense Madii.

De præda Bojonis, & morte Rainaldi Scrovegni.

VAndus (22), & Joannes Ruzerius de Vigontia fratres, ostendentes Communi Paduæ se rebelles, fortificaverunt suam domum de Bojone. Quidam verò intrinseci secretè miserunt Bojonem ducentum pedites, qui Villam subitò invadentes, spoliaverunt prædictos armis, B & equis, & eos compulerunt turpiter in fortilicia latitare; Villa verò fuit totaliter spoliata.

Duo fuerunt fratres Raynaldus, & Gaboardus de Scrovegnis. Gaboardus verò fuit cum Domino Cane contra Paduam, & iste mortuus fuit, dum de Vicentia equitaret Veronam. Raynaldus vênit ad mandata Domini Jacobi de Carraria, & videbatur circa Civitatis custodiam vigilare: sed Dominus Nicolaus de Carraria reversus à Parlamento Bolzani, asserens eum partem Imperii sublevare, & eum accusasse falsò Domino de Valse, quòd hostiliter convenisset de Civitate prodenda, in Rainaldum ipsum fecit insultum, eumque peremit in platea C Ecclesiæ Cathedralis. Causâ prædictâ Franciscus de Vigontia frater prædictorum ivit Venetias ad confinia, & quia non paruit confinibus consignatis, ejus fidejussor, & Patruus Dominus Joannes de Vigontia, qui Potestas erat Vicentiæ tempore captionis ejusdem, fuit turpiter carceratus: & solutis libris mille ivit Venetias. Tamdem bannitus, & publicatis bonis omnibus, aliquo tempore mendicavit. Fuerunt hæc MCCCXX. mense Madii. Item eodem mense fuit Parlamentum in Tridento.

CAP. XXXVIII.

D *Eodem Anno, Die III. Junii.*

Qualiter Dominus Canis præsumsit intrare Paduam furtivè.

DOminus Canis semper cogitans Paduam occupare vi, vel fraude, de Vicentia secretè equitavit ad Castrum, & ait quibusdam Paduanis extrinsecis: *Hodie potestis in Civitate propria triumphare. Placeat ergo vobis circa introitum Civitatis vires vestras ostendere.* Qui statim per rostam, factam juxta viridarium Sanctæ Justinæ, Civitatem intraverunt furtivè, quosdam verò custodes dormientes occiderunt. E Cùm jam Civitas esset juxta mortem, Stipendiarius quidam Parmensis versùs eos subitò insultavit, & ad resistendum inhabilis, terga vertens Domino Nicolao de Carraria obviavit, cui ait: *Occurrite subitò contra hostes, ne Civitas submergatur.* Tunc ille cum quibusdam in hostes fecit insultum, & Dei auxilio mediante compulit eos fugere sinè ponte, quorum aliqui in foveis summersi fuerunt, aliqui deformiter truncati, nudi tracti fuerunt per plateas, nec (23) traditi sepulturæ. De quorum numero fuerunt Rugerius de Vigontia, Antonius de Santo Vito, & unus de Brudigine: multi autem redierunt ad Castrum mortiferè vulnerati. Paduani ex hoc triumpho habentes spem salutis, statim sequenti die fecerunt magnum festum in Ecclesia Sanctæ Justinæ in honorem Virginis Gloriosæ. Fuit hoc MCCCXX. die III. Junii.

Ira plenus Dominus Canis, qui se appellabat Vicarium Imperii, voluit colligere omnes fruges Paduani districtus, ut sic Paduani quasi fame necati currerent ad mandata. Unde fieri jussit magnam foveam à Ponte Bassanelli usque ad flumen, per quod itur Venetias, & ibi juxta pontem de Graiciis fecit fortiliciam quasi Castrum. Nullus amodo exire poterat Civitatem. Paduani videntes extrinsecos colligere fruges suas, & de Theotonicorum auxilio desperantes, inierunt consilium juxta mortem defendere Civitatem.

CAP. XXXIX.

Eodem Millesimo.

De defensoribus Civitatis, & Paduanis, qui cum Domino Cane fuerunt contra Paduam.

THeotonicorum auxilio Paduam defendebant Nobiles Civitatis, Domini Jacobus de Carraria, Philippus cum suis de Peraga, illi de Capite-Vaccæ, de Zacchis, de Cortusiis, de Sanguinaciis, de Vicoargeris, de Polafrisana, de Macharuffis, de Mussatis, de Pedeligno, Tartarus de Lendenaria, Gulielmus Dente. Tiso Novellus de Campo Sancti Petri impubes, cum matre sua Domina Cunissa de Carraria stetit Venetiis, Gulielmus ejus Nepos stetit in Castro de Trivili (24). Omnes verò nominare esset impossibile, quia universaliter omnes Populares Civitatem libentissimè defendebant. Henricus de Scrovegnis cum uxore sua, filia Marchionis Estensis, ivit Venetias maximis divitiis derelictis.

Contra Paduam cum Domino Cane fuerunt infrascripti Nobiles, & Burgenses. Domini Nicolaus de Lutio, Lisancer, & Nicolaus de Castronovo dicti de Maltraversis, Martius, & Jordanus de Forzatè, Gaboardus de Scrovegnis, Macharuffus cum omnibus de Macharuffis. Omnes de Delesmaninis, Conradus de Vigontia, (25) de Tempo, de Vitalianis, de Caligine, de Capite-listæ, de Carturio, de Villa Comitis, de Sancto Vito, de Rubeis, de Frabianis, de Ronchis, de Altechinis, de Enselminis, de Capite-Nigro, de Brudigine, de Parthenopeo, de Ungarellis, de Terraria, de Malfattis, de Montagnone, de Alvarotis. Item Gregorius, Odoricus, & Bonifacius de Pojana, de quibus Dominus Canis multum confidebat. Erat enim Potestas Montisilicis Bonifacius, in Montagnana Gregorius; postea in Bassano posuit Odoricum Potestatem: ita Dominus Canis hos summo honore tractavit. Ceteri extrinseci Paduani nobiles, & Burgenses, vix se poterant victualibus sustentare.

CAP.

(22) *Cod. Collalt.* Conradus.
(23) *Cod. Esten. & Collalt.* nec ea die *& ita Ambr.*
(24) *Al.* Trevillæ.
(25) *Cod. Est.* Vigontia, aliqui de Maliciis, de Terra-dura, de Vigontia.

CAP. XL.

MCCCXX. Die VII. (26) Junii in die Sanctorum Hermagoræ, & Fortunati.

De captione Potestatis Castri.

COmes de Falimbergh cum centum militibus Theutonicis, de mandato Domini de Valse, intravit Paduam. Unde Paduani cum eo, & Ulrico juvene, filio Ulrici de Valse exiverunt per Portam pontis Curvi: & firmatis suis banderiis juxta Ecclesiam Sancti Jacobi, jusserunt pedites accedere ad splanandam foveam, quam fecerant inimici, ne aliquis accederet ad Plebatum. Tunc Simon Philippus Potestas Castri cum quingentis militibus equitavit, ut resisteret, qui in tantum terruit Paduanos, quòd pedites quasi omnes ceperunt fugere versùs portam: immo etiam quidam milites effœminati, de victoria desperantes (27), Divina tamen majestas voluit in tanto discrimine providere, quòd Alterius de Azonibus de Tarvisio, Paduæ Potestas, cum militia Paduana, & forsan sex Theotonicis, se exponens fortunæ, equitavit in hostes, & victoriam habuit gloriosam. Benè ducenti milites ultramontani remanserunt in campis, in quibus Dominus Canis multùm confidebat. Extrinseci Paduani tractabantur (28) ut canes, ut patuit in Joanne de Vigontia, Landone de Enselmis (29), Marsilio de Sancto Vito, & aliis. Paduani intrinseci omnes hilares Dominum Simonem Philippum cum multis duxerunt Paduæ carcerandum. In hujus rei testimonium in palatio posuerunt banderias XIV. illorum, qui passi fuerant tantam stragem. Admodum gratulantur Paduani, expectantes Dominum de Valse. Fuerunt hæc MCCCXX. XII. Julii in Festo Sanctorum Hermagoræ, & Fortunati. Propter hanc Victoriam in signum honoris perpetui facta fuit Statua, (30) significans Dominum Altenerium de Azonibus, quæ est supra plateam in palatio Potestatis. Altenerius de Azonibus recepit etiam maximas possessiones quorumdam, qui fuerunt pro rebellibus Paduæ forbanniti.

Prædicta die Dominus Canis de Vicentia equitavit ad Castrum. Qui, ut meliùs includeret Paduanos, dictam foveam fortificavit belfredis, & aliis necessariis, in qua etiam posuit de aqua fluminis, quod labitur versùs Montemsilicem, quæ producebatur in flumen, quod labitur versùs Clugiam. In dicto flumine fecit rostam; & sic aqua, quæ naturaliter debet currere versùs mare, cœpit currere versùs Paduam per obliquum. Die XIV. Julii Brusaporco datum fuit Comiti de Goritia (31).

CAP. XLI.

MCCCXX. Die VII. exeunte Augusto.

De fuga Domini Canis capto Castro.

CUm Paduani jam quasi omnibus carerent victualibus, Abbas Sancti Cypriani de Murano, & Ambassatores Parmæ, pacem interponere voluerunt inter partes: sed his fuit denegatus auditus, asserentibus Paduanis, se velle potiùs fame necari, quàm fidem frangere Duci Austriæ. Die VII. exeunte Augusti MCCCXX. Henricus Comes Goritiæ, Ulricus de Valse Capitaneus cum octingentis elmis intraverunt Paduam per portam Trinitatis. Statim die sequenti exiverunt Civitatem per portam pontis Curvi: sed dum accederent, ut viriliter transirent foveam, quæ Paduanos tenebat inclusos, Dominus Canis cum paucis exivit Castrum, ut more providi omnia provideret. Qui dum aspexit suos rebelles ultra foveam in destreriis paratos ad bellum, subitò rediit ad Castrum, jam tamen sagitta vulneratus in coxa suis ait: *O milites, viri fortes, qui mecum longo tempore militastis, parate vos ad bellum, nam pro certo hæc belli dies per gloriam tot nobilibus in prælio superatis, vos faciet vivere in æternum.* Post hæc ordinatè exivit ad Campum cum militibus circa mille. Hoc viso Ulricus Juvenis, qui jam foveam transierat sinè ponte, versùs eos cum centum militibus equitavit. Et quia inhabilis terga dedit. Tunc Goritiæ Comes, & Ulricus Major cum suis Theotonicis equitaverunt viriliter contra hostes, & absque magna occisorum strage, Dominus Canis fuit de Campo fugatus. Multi tamen fuerunt mortui, & multi etiam incarcerati. Mortui fuerunt duo principes, scilicet Ugo à Paella, & Magister Andreas Magister militum. Ex parte Paduæ Theotonici duo solummodo occiderunt. Dum verò Dominus Canis fugeret versùs Montemsilicem per riveriam, quidam Villicus, qui cum blado erat in Molendinis riveriæ, aspiciens equum Domini Canis valde fessum, eidem suam equam præsentavit, cujus virtute captivitatem evasit, & in Montemsilicem se reduxit. Die sequenti per terram Estensem equitavit Veronam. Chechinus ejus nepos per Castrum Bassanelli fugit Vicentiam; & tunc fortissimum Castrum capitur sinè pugna, spoliatur armis, & equis, & omnibus pulcherrimis fulcimentis (32). Erat enim omnibus deliciis copiosum. Putabant enim esse potiùs in nuptiis, quàm in bello, seque Paduanos fame convictos habere captivos. Destructum fuit Castrum totaliter, & aqua cœpit more solito labi. Multis diebus Theotonicorum furor discurrit per Villas spoliandas; sed huic furori resistere non poterant Paduani.

CAP. XLII.

Eodem Anno.

De morte Macharuffi, & captione Noale.

MAcharussus de Macharussis cum Carrariensibus contendebat, licèt impar, qui capto Montesilice ivit Ferrariam, putans Paduæ non posse habitare securè; cui crevit invidia, cùm scivit Paduam esse in dominio Domini Jacobi de Carraria, Paduanis alacriter annuentibus, & etiam de beneplacito Domini Canis de la Scala, cogitans Dominum Jacobum posse ejicere de dominio Civitatis, se adjunxit Domino Cani, cujus numquam fuit amicus, & cum Domino Cane obsedit Civitatem. Capto Castro, du-

(26) *Cod. Est. & Ambr.* die XII.
(27) *Cod. Amb. addit* fuger consuluerunt.
(28) *Cod. Amb.* trucidabant
(29) *Al.* Lando de Anselminis.
(30) *Cod. Esten.*, *Collalt.*, *& Amb.* Statua lapidea repræsentans Altenerium Militem prædictum, & in Palatio residentiæ Potestatis in angulo alto muro infixa est.
(31) *Cod. Collalt.* Goritia, quod fuerat Dominorum Advocatorum Tarvisii de Tempesta, *ut in Amb.*
(32) *Al.* Fornimentis.

ductus fuit Macharuffus Paduam, quem aspiciens Marsilius de Carraria, gladio vulneravit, ut sui patrui vindicaret injuriam, quem Macharuffus optabat amissâ Paduâ exulare: & sic à Tartaro de Lendenaria, & aliis astantibus fuit occisus.

Die sequenti filius Clarelli de Buglis de Montesilice fuit mortuus juxta Puteum Bonellum per (33) Echardinum de Capite-Vaccæ, qui erat captus in Castro, & ejus specialiter inimicus. Dominus Conradus de Vigontia etiam captus, ductus fuit secretè Venetias, & evasit mortem, quam aliquis Paduanus captus vix poterat evitare.

Eodem mense Guezilus (34) Advocatus de Noale, quem capto Castro Comes Goritiæ militem ordinavit, equitavit Noale, quod Articus ejus frater dedit Domino Cani, cui Capitaneus de Verona reddidit dictum locum, habitâ licentiâ recedendi cum armis & equis. Huic meritò Dominus Canis fecit amputare caput, ceteris Capitaneis in exemplum.

CAP. XLIII.

MCCCXX. Die XX. Septembris.

De Obsidione Montisfilicis, & spoliatione Terræ de Est.

Communis opinio est, si Theotonici equitassent capto Castro, quòd Montemsilicem habuissent de facili; quod Comes Goritiæ facere recusavit, fingens causam, quòd non erat provisum suis militibus de pecunia. Ulricus de Valse cum suis militibus juxta Montemsilicem se posuit in agris, jam combustis per intrinsecos suburbiis Montisfilicis. Exercitus Paduanorum ivit in Est die III. exeunte Augusto. Die IV. Septembris Comes Goritiæ receptâ pecuniâ equitavit Montemsilicem cum machinis & machinellis, ubi etiam Paduani convenerunt, qui erant in Est. Impugnabant continuò Montemsilicem; sed intrinseci etiam suis ædificiis se viriliter defendebant; nam quidam pedites intraverunt Montemsilicem furtivè intrinsecis succurrentes. Theotonicus furor more solito per Villas discurrens omnia spoliabat: multi tamen mortui fuerunt à rusticis in Faëdo. Dum Dominus Canis solummodo cogitaret se à tanto periculo liberare, sui Legati solennes, scilicet Marchio Malaspina, Aldrighetus de Castro-Barcho, Petrus de Marano, convenerunt in Est cum Comite Goritiæ, & Ulrico de Valse, ubi taliter exstitit ordinatum, quòd Comes Goritiæ relicto exercitu Paduam equitavit. Paduani verò, asserentes esse Comitem Goritiæ corruptum pecunia, horâ noctis, omni ordine prætermisso, relictis in agris Montisfilicis omnibus ædificiis ad bellandum. (35) Hoc tamen imputari non debet Domino de Valse, qui de campo recedere noluit, nisi clara die, increpans Paduanos de sua festinatione. Valde fortè gaudent amodo Paduani inclusi in Montesilice, antea desperantes: in Padua verò ante omnes, quid facere dubitantes, non postulantes aliquid præter pacem. Fuerunt hæc MCCCXX. die 24. Septembris.

Et sequenti die, statim audito adventu Paduanorum, Estenses occiderunt Laurentium Judicem de Terrariâ, Potestatem in Est pro Domino Cane de la Scala. Franciscus de Sancto Vito cum aliis tribus bannitis, & duobus, qui volebant (36) intrare Montemsilicem, fuit in Est furca suspensus. Item quidam inculpatus velle clam submittere ignem in Est, statim captus, nec convinctus, nec confessus, fuit à Tartaro de Lendenara combustus in Est. Negresolus de Ansolinis de Cremona, Paduæ Potestas, cepit quatuor famulos Obizonis de Carraria, qui in platea Communis capere nitebantur unum, quem asserebant fuisse cum Domino Cane contra Paduam, & asserens eos turbasse Civitatis statum, absque mora jussit in palatio omnes quinque (37) suspendi.

Post recessum Paduanorum ab obsidione Montisfilicis, Estenses omnes fugierunt, & sic Estensi terra à suis incolis derelicta, supervenerunt extrinseci Paduani, qui, post omnium bonorum spoliationem, eam combusserunt in totum. Et sic nobilis Estensis Villa fuit destructa eodem Millesimo, mense Septembri.

CAP. XLIV.

MCCCXXI. De mense Januarii, & Februarii.

De tertia pace facta cum Domino Cane, Cittadella, & Feltre.

Paduani dicebant amodo satis palàm: *absque pace non poterimus sustinere*. Unde per Dominum de Valse, post multa parlamenta habita cum Domino Cane, ac etiam cum Comite de Goritia, ad hoc finaliter est deventum, quòd, injuriis omnibus illatis occasione guerræ remissis, sit pax inter partes perpetuò duratura. Item, quòd Castrum Cittadellæ per Dominum Canem restituatur Domino de Valse, & Communi Paduæ. Item, quòd bona Paduanorum posita in Vicentino, seu Veronensi districtu, Paduanis liberè relaxentur, ac etiam carcerati occasione guerræ. Item de Montesilice, Turre passus de Est, Montagnana, & Castrobaldo in Dominum Federicum Ducem Austriæ fuit liberè compromissum, interim Domino Cane in prædictorum castrorum possessione durante; hoc adjecto, quòd stratæ & navigia sint aperta. Item de Paduanis extrinsecis, & eorum bonis fuit in dictum Ducem etiam compromissum. Hæc omnia fuerunt sacramento, pœna decem M. Marcharum, & stipulatione firmata. Quædam secreta postea patuerunt, scilicet, quòd Cittadella data fuit Communi Paduæ: Bassanum verò fuit datum Domino Cani per Comitem de Goritia, & eidem Dominus Canis restituit Asolum, & Montembellunæ: si quid autem supererat faciendum, fuit in Federicum Ducem Austriæ, tamquam in Romanorum Regem, liberè compromissum. Fuerunt hæc post multa, & varia parlamenta facta mense Octobri, & sequentibus, in anno sequenti, & mense Januarii fine debito terminata. Itaque in MCCCXXI. die primo Februarii Cittadella fuit Communi Paduæ restituta. Eodem anno, & mense Februarii

(33) *Al.* Aycardinum.
(34) *Cod. Collalt.* Guezelo Tempesta Advocatus de Tarvisio, capto Castro Noalis, equitavit Noale, ubi eum Comes Goritiæ Militem ordinavit. Quod Castrum Articus ejus frater dederat Cani, qui Capitaneo redeunti Veronam, reddito dicto Castro Noalis, habita licentia recedendi cum equis & armis, fecit amputari caput.
(35) *Adde* abierunt, *aut quid simile*.
(36) *Cod. Amb.* qui noluerunt.
(37) *Cod. Amb.* quatuor.

rii Manfredus de Colalto, (38) filius Rambaldi, Comitis de Goritia, contra voluntatem Domini Guizilionis de Camino, eodem mense fuit mortuus in (39) Civitate jussu Guizilionis de Camino, licèt ab eodem fuisset receptus in fidem. Post mortem Episcopi Dominus Guizilus equitavit Feltre, & omnia obtinuit, excepto Castro, in quo (40) Presbyter Gorca viriliter se defendebat, qui postea operâ Domini Canis ordinatus fuit Episcopus. Statim infra triduum gens Domini Canis intravit Feltre, & Dominus Guezilus cum suis sequacibus fuit fugatus, & Dominus Canis factus fuit Dominus Civitatis (41).

A

(38) *Cod. Collalt.* Collalto, Episcopus Feltri, & Cividadi, filius Rambaldi Comitis Tarvisii, contra voluntatem fictam Domini.

(39) *Cod. Collalt. & Amb.* in Camera Guizellonis jussu ejus.

(40) *Cod. Collalt. & Amb.* Presbyter Capellanus dicti Episcopi viriliter &c.

(41) *Cod. Collalt. & Amb.* Civitatis Feltri, & Civitadi.

Explicit Liber Secundus.

INCI-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPITULUM PRIMUM.

MCCCXXI.

De Civitate data Duci Karintiæ.

HIs itaque dispositis, ut superiùs dictum est, Ulricus de Valse, Vicarius in Padua, sociatus Theotonicis, & Paduanis, equitavit versùs Curiam Ducis Austriæ eodem anno, & mense Februarii, ubi etiam erant Ambassatores Domini Canis; sed tamen nihil potuit expediri. Dux verò Austriæ ex Ambassatoribus Paduæ Milites ordinavit Nicolaum de Carraria, Joannem de Campo Sancti Petri, & postea Schinellam de Doto.

Mense Madii Dominus de Valse cum nobilibus Civitatis equitavit Vicentiam, & quid tractasset cum Domino Cane, non potuit benè sciri.

Mense Julii iterum Ulricus ivit in Alemanniam, cum quo iverunt Dominus Nicolaus de Carraria, Joannes de Campo Sancti Petri, Joannes de Vigontia, Mussatus Poëta, Aleardus de Basiliis, petentes instanter: rebelles Paduæ à Duce Austriæ, uti rebelles Imperii, condemnari, ac etiam Castra Paduani districtus, quæ Dominus Canis tenebat invasa, Paduanis liberè relaxari. Ambassatores Domini Canis quamplurimum reluctabant, asserentes Paduanos extrinsecos esse fideles Imperii. Protestantes etiam, quòd Dominus Canis Paduana Castra justo titulo possidebat, qui similiter obtulerunt Duci Austriæ magnam pecuniæ quantitatem, servitium, & amorem, si vellet Dominum Canem in Padua facere suum Vicarium. Dum hæc ventilarentur in Curia Ducis Austriæ, nullus præsumebat contra Dominum Canem recipere dominium Civitatis: immo Dominus de Valse redire Paduam recusavit. Tamdem Dux Karintiæ, ductus precibus Paduanorum, à Duce Austriæ Paduæ factus fuit Vicarius (1), qui juravit Paduæ districtum à Domino Cane liberare. Fuit hoc MCCCXXI. die Sabbati V. Septembris. Mense Novembris Dominus Conradus de Ovenstagno Vicarius Ducis Karintiæ cum ducentis elmis intravit Paduam.

CAP. II.

MCCCXXII.

De Vigozolo, & pace Paduæ, & morte Comitis Goritiæ.

ANno revoluto, dum Dominus de Ovenstagno cum Ambassatoribus Paduæ ad Ducem Karintiæ equitasset, ut Domini Canis tractaret destructionem, & mortem, Dominus Conradus de Vigontia rebellis Paduæ cum Paduanis extrinsecis, consilio Domini Canis, & etiam Marchionum, se castramentavit in Est, & post magnam prædam in Vigozolo se collocavit, muniens locum in paludibus constitutum foveis & belfredis. Fuit hoc mense Februarii.

Statim hoc Paduani scripserunt Duci Karintiæ. Jam enim extrinseci occupaverant per vim Arquadam, & eam totaliter combusserant. Ad eorum mandata jam venerant Trebanum, Conselve, Pernumia, & omnes Villæ absque Bovolenta. In Paduanorum auxilium venerant CCCC. milites de Karintia. Unde Paduani refrenare volentes suos rebelles, miserunt in Est milites, & pedites pro defensa, qui maximis sumtibus tenebantur. Duravit hæc pestis completo anno.

Revoluto verò anno, scilicet in MCCCXXIII. iterum Paduani extrinseci cum gente Domini Canis, & Marchionum compulerunt positos in Est, & in Sancta Maria à Carceribus, Paduam turpiter remeare. Dante opera Fratre Paulino Ordinis Fratrum Minorum intrinseci cum extrinsecis convenerunt, paxque convenit à Duce Karintiæ confirmanda, quæ confirmata fuit Paduæ à quingentis Consiliariis nemine discrepante die secundo Martii. Dum propter hoc Frater Paulinus iret cum Ambassatoribus Paduæ in Karintiam, obiit in Tridento, cujus morte nuntiata Paduani fecerunt magnum festum, Missas solemniter ordinatas celebrantes.

Existentibus in Curia Ambassatoribus Paduæ, scilicet Marsilio de Carraria, Rolando Judice de Plazola, & aliis, subitò apparuit Nuntius de Tarvisio, qui Duci Karintiæ nuntiavit mortem (2) sui consanguinei, scilicet Comitis de Goritia, qui post magna solatia nuptiarum morte subita exspiravit die XXIV. (3) Aprilis. Cujus mors fuerat Paduæ publicè divulgata ante jam per triduum: quæ fuit res miranda.

Spe Comitis de Goritia jam sublata, qui vigilabat habere dominium Civitatis, pacemque turbare, ad quam sinè dubio pervenisset in brevi, Dux Karintiæ laudavit pacem conditionibus infrascriptis, scilicet, quòd extrinseci Populares restituantur in integrum absque mora: alii majores stare debeant ad confinia per sex menses, quibus tamen concessum fuit ex gratia redire Paduam ante tempus. Item, quòd habentes inimicitias capitales, ut Macharuffi, Delesmanini, Gaboardus de Scrovegnis, & alii quamplures, per annum & ultra stare debeant ad mandata, ut interim cum extrinsecis (4) concordentur, cum quibus habent inimicitias capitales. Istis verò non fuit pax servata. Fuerunt hæc Paduæ approbata in majori Consilio MCCCXXIII. die XIX. Madii.

Post mortem Comitis regnavit in Tarvisio Domina Beatrix ejus uxor cum filio suo anniculo. Quæ, licèt nobilis, de Domo Ducum Bavariæ, & juvenis, fuit cum Comite annos LX. matrimonio copulata.

Dominus Conradus de Vigozolo (5) ostendens etiam post pacem Communi Paduæ se rebellem, vênit ad mandata Paduæ, hoc pacto, quòd ipse cum suis heredibus Vigozolum cum suis jurisdictionibus debeat perpetuò possidere, & cum suis sequacibus restituatur in integrum.

CAP.

(1) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* Vicarius generalis.
(2) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* mortem subitam.
(3) *Cod. Est.* die XIV.
(4) *Puto ex seq. Cap. legendum*, intrinsecis.
(5) *Cod. Est. & Collalt.* Vigontia.

CAP. III.

MCCCXXIII.

De Duce Austriæ, & captione Domini Guizilionis.

FEdericus Dux Austriæ in auxilium Romanæ Ecclesiæ misit Brixiam Fratrem suum Henricum : quod multum placuit Paduanis. Sperabant enim auxilio (6) Romanæ Ecclesiæ, Domini Canis viribus obviare. Sed hortatu rebellium Ecclesiæ fictâ causâ, faciens transitum per Veronam, ubi à Domino Cane honorificè fuit receptus, rediit in Austriam in MCCCXXII. (7) mensis Martii.

In Anno sequenti die IX. Januarii, dum Dominus Guezilus de Camino fuisset Veronæ cum Domino Cane, & rediret, credens pro certo equitare securè (8), captus fuit cum multis in confinibus Asoli, & Cornudæ ab Engelmario de Villandres de mandato Conradi de Ovenstagno, & inclusus fuit turpiter in carceribus Citadellæ, qui post octo menses decem millibus florenis se redemit.

Statim (9) Domino Guizilione à carceribus liberato, quidam de Civie proposuerunt prodere Civitatem. Adveniente hora tarda, militiæ Domini Canis tentaverunt intrare Civitatem furtivè. Sperabant enim tractatores hujus sceleris, quia noti erant custodibus, qualibet hora Civitatem intrare securè, & sic, aperta porta, & captis custodibus, intra Civitatem imponere inimicos. Dum hæc spes ivisset in vanum, gens Domini Canis Civitatem obsedit. Itaque cives magìs arida siti, quàm fame devicti colla dedere, & sic die XII. Octobris MCCCXXIII. Civie datum fuit Domino Cani. Dominus Guezilus de Camino recessit de Civie, & ivit Serravalle, qui anno sequenti mense Augusti exspiravit. Huic successit Rizardus ejus filius, qui neptem Domini Canis habebat uxorem. Post mortem Domini Guizilionis, statim die III. exeunte Octobri Bernardus Ramezius (10) de Herivariis de Verona cum gente Domini Canis de Verona furtivè occupavit Montem Serravallis, & Civitatem (11) postea habuit violenter. Rizardus verò de Camino, qui fugit ad alia sua Castra, pro consilio saniori ivit Veronam. & Domino Cani obtulit perpetuò servitium, & amorem.

CAP. IV.

Eodem Anno, Mense Junii.

De adventu Ducis Karintiæ in Marchiam.

PAduani, præcipuè Nicolaus, & Marsilius cum aliis de Carraria, Mussatus Poëta, Joannes de Campo Sancti Perri, Abbas Sanctæ

A Mariæ de Abbatia, volentes de facto Vigozoli sumere ultionem, & impedire adventum Paduanorum extrinsecorum, qui stare nolebant ad mandata per annum, ut in superiori II. Cap. denotatur, inierunt consilium, & secretè, quòd Conradus de Ovenstagno Vicarius Paduæ ad Ducem Karintiæ equitaret, ut ejus adventum tractaret in Marchiam. Qui tendens illuc, de injuriis illatis à Domino Cane Paduanis, Ducem taliter informavit, quòd primitus Paduam misit præfatum Vicarium cum quadringentis elmis, qui in MCCCXXIV. die ultimo Madii introivit Paduam. Ipse verò Dux Karintiæ cum Othone Duce Austriæ, Ulrico de Valse, & multis nobilibus Alemanniæ invasit Forum-Julii,

B & circa Pordenon (12) posuit castra sua. Ejus Gualdana in paucis diebus Forum Julii devastavit. Die III. Junii intravit Tarvisium, & ejus Theotonici extra portas Tarvisii omnia consumserunt. Dum postea esset in campanea Castri Franchi, aëre turbato, ictus fulminis ter subitò percussit (13) exercitum cum tremore. Duces ceciderunt in terram, & quidam milites, & equi perierunt. Fuit hoc die XI Julii. (14) Postea exercitus se posuit in campanea Curtaroduli juxta Brentam, & Villam, & alias totaliter destruxerunt. Nam omnes incolæ Paduani districtus timentes Theotonicorum adventum fugiebant, qui etiam mulieres cum parvulis infantibus spoliabant.

C Dominus Canis, timens Theotonicorum rabiem, & adventum, convocatis Forensibus, scilicet Ferrariensibus, Mantuanis, Mutinensibus, Mediolanensibus, & aliis suæ partis ejus in auxilium : continuò tamen per Dominum Baylardinum de Nogarolis de Verona, Potestatem Vicentiæ, & alios suos Legatos visitabat Duces, volens amore, vel fraude, facere eos à suo proposito declinare. Sic eos continuò tenebat in verbis, & suis negotiis providebat. Paduani videntes has inducias, dederunt suis militibus florenos XXXM. His datis Dux Karintiæ exercitum suum posuit inter pontem Vici Argeris, & pontem Brentæ de Vigontia; die verò XXI. Junii intravit Paduam per portam Om-

D nium Sanctorum, Dux Austriæ per portam pontis Molendinorum. & statim eodem die Civitatem exivit, & sequenti die juxta Montemsilicem posuit castra sua. Erant etiam cum ipso milites, & pedites Paduani, qui quasi fuerunt spoliati à Theotonicis, qui erant cum XVM. equis, & ultra. Gens Theotonica sinè lege discurrens religiosas Virgines spoliando, nec ab incendio, & homicidiis abstinentes, compellebant omnes exclamare : *Melius esset Domini Canis bella pati, quàm sinè Marte mori*. Multi Theotonici fuerunt mortui à rusticis. Præcepit enim Dux, ut quilibet à Theotonicis (15) in bello (16) se defendat impunè. Die XXII.

E (17) Julii Dux versùs Paduam equitavit, & non

(6) *Cod. Collalt.* ejus auxilio, & Romanæ &c.
(7) *Cod. Collalt. & Amb.* MCCCXXIII. & XXII. die mensis Martii.
Cod. Est. mense Madii.
(8) *Cod. Ambr.* secretè.
(9) *In Cod. Collaltino hæc ita enarrantur* : Statim Guecelone à carceribus liberato, quidam de Coneglano præsumserunt prodere Coneglanum, fingentes à venatione proficisci hora tarda, qua militia Canis intrare Coneglanum furtivè debebat. Sperabant enim tractatores hujus sceleris, qui noti erant custodibus, qualibet hora intrare Coneglanum securè, & sic aperta Porta, & captis custodibus intra Coneglanum imponere inimicos. Dum hæc spes ivisset in vanum, gens Canis arida siti, fameque devicti, Collaltum se receperunt. MCCCXXIII. die X. Octobris Coneglanum datum fuit Cani; *ita, paucis mutatis, legitur etiam in Codice Ambrosiano I.*
(10) *Cod. Collalt.* Ranucii de Hortuariis.
Cod. Amb. I. de Hermariis.
(11) *Cod. Collalt. & Ambr.* & Terram.
(12) *Cod. Collalt. & Ambr.* Portum Naonem posuit castra sua; & ejus gualdana.
(13) *Cod. Collalt. & Ambr.* ter subitò percussit exercitum ictu fulminis, quo quidam &c.
(14) *Codd. Est., Collalt., & Ambr.* Junii.
(15) *Cod. Ambr.* à Theutonicis se defendat telo impunè.
(16) *Cod. Est. & Collalt.* etiam telo.
(17) *Cod. Est., Collalt. & Ambr.* XII.

non intrans Civitatem, se posuit juxta Brentam. Dum verò essent in Vico-Argeris, fuit rumor falsus, quòd Theotonici versùs Paduam equitabant, ut eam totaliter spoliarent. Unde Paduani velociter prosilierunt ad arma, præsumentes Theotonicis audacter relevare (18). Quibusdam etiam Theotonicis illatæ fuerunt injuriæ. Unde quidam Paduani non culpabiles in plateis fuerunt in furca suspensi.

Die XXVI. factâ treguâ cum Domino Cane usque ad Festum Nativitatis Domini, cepit Dux versùs Alemanniam gressus suos, ordinato in Padua Capitaneo Comite de Falimberg (19). Sic Dux tantarum gentium, nullis illatis injuriis inimicis, cum damno maximo Paduanorum, turpiter remeavit. Fuerunt hæc MCCCXXIV. mense Junii, & Julii, Potestate Domino Raynaldo de Cincis (20) de Cæsena, qui postea decapitatus fuit in Marchia, quia de dominio illorum de Malatesta Cæsenam abstulit fraudulenter.

CAP. V.

MCCCXXIV.

Qualiter Dominus Canis vindictam fecit de prædictis.

Mortuo Domino Jacobo de Carraria, (21) qui in eodem millesimo XXII. exspiravit, & sibi heredem voluit Marsilium de Carraria. Huic commendavit filias legitimas, & filios naturales. Et finitis treguis omnes Villæ Paduani districtus cum victualibus Paduam fugerunt, exceptis Villis Pedevendæ, usque ad Aponum (22), quas Dominus Canis recepit in fidem. Hæc Paduani Duci Karintiæ rescripserunt, auxilium implorantes, qui literis magnalia promittebat.

Amodo Dominus Canis volens suum desiderium adimplere, scilicet vastare Paduanum districtum, ad partes Tarvisii misit Ribaldum suum militem, qui in MCCCXXV. die XIII. Januarii cepit Brusaporco, Castrum Advocatorum Tarvisii, & eo igne cremato rediit Vicentiam. Per Marchionem Malaspinam obsedit Vigozolum, qui dictum locum habuit die XX. Januarii, datâ Domino Conrado de Vigontia, & suis cum personis, & rebus liberâ licentiâ recedendi.

His ita dispositis Dominus Canis exercitum posuit in Conselve; Paduam verò misit literas continentes, quòd ad eum mitterentur aliqui populares, cum quibus de pace tractaret, & quòd interim ab incendio abstineret. Paduani responderunt, hoc placere, dum tamen expectet, donec renuntietur Tarvisinis, sinè quibus nihil facere intendebant. Hac responsione asseruit Dominus Canis, velle suum propositum impedire (23), & statim jussit Tribanum, Conselve, Villam Plebis cum toto Plebatu, & omnes Villas, quas non habebat in fide, igne cremari. Potest amodo veraciter confiteri, Dominum Canem suo tempore extra portas Civitatis omnia ferro, igneque vastasse. Ope (24) Ambassatorum Ducis Bavariæ, qui se dicebat Romanorum Regem, treguæ fuerunt factæ in Roveredo usque ad Festum Sancti Martini, secundùm pacta Domini de Valse, scripta supra secundo Capitulo, tantùm adjecto, quòd quilibet, secundùm quod possidet, debeat possidere. Unde Dominus Canis tenuit occupatas omnes Villas Pedisvendæ usque ad Aponum cum multis Villis, quas recepit in fidem. Hæ treguæ nuntiatæ à Mussato Poëta, & Petro Judice à Campagnola Legatis Paduæ, licèt quasi in omnibus lachrymosæ, fuerunt comprobatæ.

Desperare incipiunt Paduani de auxilio Ducis Karintiæ, qui antea sperabant ejus auxilio Domini Canis dominium evitare. Fuerunt hæc eodem anno, die VI. Junii, Potestate Pulione (25) de Bechadellis de Bononia.

Post prædictas treguas convenerunt in partibus Alemanniæ Legati Ducis Karintiæ, Domini Canis, & etiam Paduanorum, offerentes de suis juribus disputare coram Duce Bavariæ, qui se dicebat Romanorum Regem, & Duce Austriæ, in ipsos liberè promittentes (26). Qui nobiles obtulerunt, se hanc litem sedare hac forma, quòd Padua habere debeat Villas Pedisvendæ, & alias secundùm quod habebant tempore Ulrici de Valse, donec ipsi concordes determinaverint inter partes omnes lites; quod facere promiserunt infra annum: & quòd partes interim nullam facere debeant novitatem. Hæc omnia promiserunt partes integraliter (27) observare, jurantes etiam firmam servare sententiam per dictos Arbitros promulgatam. Hoc Paduam nuntiavit Petrus à Campagnola, cujus socius Mussatus Poëta stetit Vicentiæ, timens venire Paduam propter civile bellum, de quo scribetur inferiùs.

Eodem anno, die III. Junii, Obizo de Carraria necavit sororem suam deprehensam in adulterio, pariter & adulterum, scilicet quemdam nobilem Theotonicum, Marescalchum Comitis de Falimbergh, de quo doluit dictus Comes: tamen hoc delictum fuit inultum.

CAP. VI.

MCCCXXV.

De Civili bello, & morte Gulielmi Dentis.

Ubertinus de Carraria, & Gulielmus Dens affinitate duplici sociati, & amore mutuo videbantur uniti. Crevit discordia inter eos occasione cujusdam pellicis Gulielmi, ad quam accedebat etiam Ubertinus. Unde die XVII. Junii Ubertinus, & Tartarus de Lendenaria Gulielmi Dentis fuerunt occisores, qui præsumserunt armata manu in Civitate manere; tamen per Pulionem de Bechadellis de Bononia, Paduæ Potestatem, fuerunt banniti, domibus eorum spoliatis, consentiente Marsilio de Carraria pro justitia conservanda. Occisores verò, eversione domorum, & spoliatione turbati, cum Domino Cane convenerunt contra Paduam, & ei dederunt obsides filios, & nepotes: precibus tamen illorum de Carraria à suo proposito destiterunt. Paulus Dens, frater naturalis Gulielmi Dentis, quasi vindicaturus mortem ejusdem, contra Carrarienses innocentes, & ad delendam Patriam conjuravit. Die verò XXII. mensis Sep-tem-

(18) *Cod. Collalt. & Ambr.* obviare.
(19) *Al.* Saliberg.
(20) *Cod. Collalt.* Tintis.
(21) *Lege*, qui in eodem millesimo CCCXXIV. die XXII. Novembris exspiravit.
(22) *Cod. Collalt. & Ambr.* Abanum, *ita & infra*.
(23) *Cod. Collalt. & Ambr.* adimplere.
(24) *Cod. Collalt. & Ambr.* Opere.
(25) *Cod. Est. & Ambr.* Puliano.
(26) *Cod. Est. & Ambr.* committentes; *fortè meliùs* compromittentes. *Osius*.
(27) *Cod. Collalt.* inter se æqualiter &c.

tembris ad plateas fecit insultum, exclamando ubique! *Totaliter moriantur proditores de Carraria*. Huic favebat Pulio de Bononia Potestas Paduæ, qui sono Campanæ in plateis Populum concitavit ad arma, & in ejus parte erant signa Communis omnia. Carrarienses, videntes injustè sibi mortis periculum imminere, quoniam erant omnibus destituti, & ab ipso Pulione, quem fecerant Potestatem, armati in dextreriis viriliter hostibus occurrerunt. Eorum impetum Paulus suscepit audacter. Bello commisso per horam satis duro Theotonici subvenerunt: plus faventes Paulo & fingentes velle componere partes ad pacem, jusserunt Carrarienses aliquantulum secedere de plateis, asserentes Paulum facere illud idem. Paulus verò, volens adimplere, quod optabat, iterum accessit ad bellum. Tunc Carrarienses, quasi soli pugnaverunt nobiliter, tamdem compulerunt Paulum exire plateas, qui postea relictis equis fugit Treville. Hic, si non fuisset à secum conjurantibus destitutus, hanc diem fecisset Carrariensibus lachrymosam. In hoc bello civili Dominus Nicolaus de Carraria effosso (28) brachio in naso habuit cicatricem. Marsilius Magnus pugnavit viriliter, sibi duobus equis mortuis successivè, qui multis vulneribus perforatus jacuit infirmus juxta mortem; Obizo verò ictu gladii quatuor dentibus fuit privatus. Marsilius verò minor de Carraria occiso sibi dextrerio fuit percussus in crure. Post civile bellum Abbas Sanctæ Justinæ, frater Mussati Poëtæ, oppugnatus ad locum suum clam fugit, qui spoliato à Theotonicis loco sacro fuit cum duobus filiis spuriis forbannitus. Banniti fuerunt etiam, bonis omnibus publicatis, Conradus de Vigontia, Ecardinus Malitia cum filiis, Paulus Dens cum omnibus de sua progenie, filius Mussati, & alii multi. Quibusdam Carrarienses pepercerunt, quibusdam fuerunt extortæ pecuniæ. Mussatus Poëta, qui erat Vicentiæ, fuit Clugiam confinatus propter delictum fratris, & filii. Dominus Joannes de Campo Sancti Petri confinatus Venetiis, ruptis confiniis, ivit Ferrariam. Vilitas Theotonicorum non potuit Comiti de Falimberg, qui tunc erat Karintiæ, imputari, qui statim debebant Paulum Dentem primò tumultuantem de plateis compellere, & pœnis legitimis subjicere.

Sequenti die post civile bellum occisores Gulielmi Dentis redierunt Paduam. Et die sequenti impugnaverunt domum Potestatis, quem asserebant Paulo favisse, qui absque defensa turpiter latitavit. Ejus familia absque misericordia occidebatur: imò quidam abhorrentes horribiles occisores de summo Palatii se præcipitabant ad ima. Judices sedes publicas sanguine polluerunt; ipse Pulio Potestas tractus de vili loco, dum super domum Antianorum ferreis stimulis urgeretur, fugiens de manibus occisorum, de summo domus se præcipitavit ad ima, & adhuc semivivus fuit crudeliter jugulatus. In hac die ruerunt omnia jura Communis. Nam spoliato Palatio per gentem rusticam & enormem, de publicis scriniis tracta jura Communis, fuerunt igne ac ferro cremata in damnum maximum, & opprobrium Civitatis.

Die penultima Septembris Conradus de Buchis de Brixia Potestas Paduæ juravit regimen Civitatis hac conditione, quòd non teneretur facere rationem de maleficiis ante suum regimen perpetratis.

Item die XXI. (29) Augusti incœptum fuit Castrum Mirani per Philippum de Peraga, ubi postea jurisdictione utebatur in causis criminalibus, & civilibus, à rusticis ultra Brentam pro custodia dicti loci maximas pecunias extorquebat. Hoc Castrum fuit ædificatum omnium Villarum operâ, & expensâ.

Eodem mense Dominus Canis habuit Castrum Cenedæ. Comiti de Falimberg in Vicariatu Paduano successit Conradus de Ovenstagno die XIV. Octobris, de cujus adventu Paulus Dens multum lætabatur, licèt incassum. Nam die XIV. Decembris fuit cum suis sequacibus bannitus, expulsis etiam uxoribus extra Paduam.

Revoluto anno Domini, scilicet MCCCXXVI. die penultima Februarii, Dominus Conradus de Vigontia cum centum peditibus invasit turrim Curani, ut guerram faceret Paduanis, confidens de auxilio Domini Canis, ac etiam Marchionum. Absque mora Dominus Nicolaus, & Marsilius Minor de Carraria cum Theotonicis accesserunt ad locum in paludibus constitutum, turrimque ceperunt, multis ex inimicis mortuis, vel summersis. Ipse Dominus Conradus ductus fuit Paduam, qui die III. Martii in habitu militari decapitatus fuit in Palatio, &, ut decuit in tali casu, datus juxta Ecclesiam Sancti Antonii honorificæ sepulturæ. Ceteri captivi fuerunt more solito jugulati.

Eodem anno, & mense Augusti Gaboardus de Scrovegnis mortuus fuit in itinere, dum de Vicentia equitaret Veronam. Erat enim de Paduanis extrinsecis.

CAP. VII.

MCCCXXVI.

De morte Domini Altinerii, & Azzonibus confinatis.

Mortuo Domino Tolberto de Camino, Domina Samaritana ejus uxor de Malatestis de Arimino cum Bianchino (30) ejus filio expulsa fuit de Castro Porti Buffoleti per Rizardum filium Domini Guizilionis, germanum dicti Bianchini, asserentem custodiam dicti loci non convenire fœminæ, vel pupillo. Dominæ Samaritanæ favebat in Tarvisio Ugo de Donino Vicarius in Tarvisio per Comitissam (31) Goritiæ. Dominus Altinerius de Azzonibus, Tolbertus Calza Rizardo favebant. Gueciloni Advocatus Tarvisii, Comes Collalti, Guilielmus de Vonico.

Dum Advocatus Tarvisii maxima convivia præparasset (32) Domino Conrado de Ovenstagno, Marsilio Minori de Carraria, Ugoni de Donino, Altinerio de Azzonibus, & aliis, qui erant in Tarvisio propter sororem dicti Rizardi, quam desponsaverat Jacobus Papafava de Carraria, clam exivit Tarvisium, & fugit ad Castrum suum de Noale. Scivit enim à Marsilio Magno de Carraria sibi paratas insidias per Ugonem de Donino, & Altinerium de Azzonibus. Hac causa crevit discordia. Unde Advocatus Tarvisio revellavit. Postremò usque ad Epiphaniam fuit tregua firmata. Dux Karintiæ, precibus Advocati Tarvisii, constituit suum Vicarium Lof-

(28) *Cod. Ambr.* offenso.
(29) *Cod. Collalt. & Ambr.* XVI.
(30) *Cod. Est.* Biachino *semper*.
(31) *Cod. Est. & Collalt.* Comitem.
(32) *Cod. Collalt.* comitiva properasset.

Lofmastro, revocato Ugone de Donino. Hic loco sui fratrem misit Tarvisium; Tarvisini verò eum recipere recusabant. Unde cum Advocato contra Tarvisium paravit clam insidias, & horâ noctis cum suis militibus, & peditibus equitavit, Advocatusque (33) per ardua loca absque ponte intravit Tarvisium. Bello parato cum intrinsecis inimicis victor extitit Advocatus, paucis tamen de suis in undis fluminis suffocatis. In conflictu mortui fuerunt Jacobus nepos Altinerii, & Tolbertus Calza. Ipse Altinerius, dum vulneratus se dedisset in manibus Advocati, jacens in thoro, à Gulielmo de Campo Sancti Petri fuit occisus. Azzo filius Altinerii fugit Venetias, ubi pater habebat maximam pecuniæ quantitatem. Quosdam de Azzonibus captos Advocatus liberè relaxavit. Quidam Theotonici spoliati armis, & equis fugerunt. Comitissa verò Goritiæ asserens hanc injuriam sibi factam, exivit Tarvisium (34) in MCCCXXVI. mense Julii.

Revoluto anno die V. Januarii remeavit. In introitu Civitatis subitò supervênit de Padua Hengelmarius de Villandres, de quo doluit Advocatus. Nam ejus timebat insidias, licèt Hengelmarius assereret se equitasse in sui auxilium de voluntate Marsilii de Carraria.

Item die I. Aprilis Lofmastro, qui Latinè dicitur *Magister Curiæ*, sive *Marescalcus*, Vicarius Ducis Karintiæ, intravit Tarvisium.

Eodem anno die XXIII. Decembris (35) confinati fuerunt de Padua Domini Marcus, & Zordanus Forzatè, Franciscus de Vigontia, Prosdocimus de Caligine, Ruzerius de Fabiano, acceptis ab eis bonis obsidibus, de parendo confinibus eis in Venetiis assignatis. Causa suæ confinationis fuit hæc, quia fuerunt falsè accusati, quòd cum Domino Nicolao tractassent de Civitate prodenda, & morte aliquorum de Majoribus Civitatis. Hac causâ Dominus Nicolaus de Carraria de Civitate recessit, ut patebit inferiùs.

CAP. VIII.

MCCCXXV. Mense Madii.

De electione Ducis Bavariæ in Romanorum Regem.

DEfuncto Imperatore Henrico de Lucemburg, qui obiit in MCCCXIII. mense Augusti, Barones Alemanniæ, ad quos spectat Imperatoris electio, in discordia elegerunt Ludovicum Ducem Bavariæ, & Federicum Ducem Austriæ. Unde inter eos crevit discordia, licèt essent germani. Nam unusquisque regnare optabat in Orbe. Post multas dimicationes Dux Austriæ cum maximo apparatu Theotonicorum, Sclavorum, Hungarorum, Saracenorum, & aliarum innumerabilium nationum, equitavit juxta Ottengar, quasi cogitans invadere Civitatem. Ibi autem erat Dux Bavariæ suis viribus congregatis; sed non tantis. Favebat tamen eidem Rex Bohemiæ, filius quondam Imperatoris Henrici. Ludovicus tamen exivit Ottengar, contra quem Federicus, non expectato fratre suo Leopoldo, qui de Suevia veniebat (36), & maxima militum comitiva, accessit ad bellum; quo pacto (37) victor extitit Ludovicus, cepitque Federicum, & fratrem ejus Henricum, & Ulricum de Valse cum novem Nobilibus de Valse, & multos alios nobiles, & potentes. Mortuorum verò fuit maxima multitudo. Habuit ergo Ludovicus, quod optabat. Fuit hoc in MCCCXXII. die penultima Septembris juxta Ottengar per unum milliare. Post hoc Dux Leupoldus non cessabat movere bellum Ludovico. Tamdem pax convênit, & sic fuit Federicus de carceribus liberatus MCCCXXV. mense Madii. Amodo Ludovicus se dicebat Romanorum Regem.

CAP. IX.

MCCCXXVII. Mense Junii.

De privatione Ludovici, & gestis per rebelles Ecclesiæ.

JOannes Dei gratiâ Summus Pontifex, asserens velle Lombardiam liberare de manibus Theotonicorum, & Tyrannorum, qui se appellabant Vicarios Imperii, primò Dominum Maffæum Vicecomitem, cum Galeatio, & Marco ejus filiis dominantem in Mediolano, Placentia, Bergomo, Cremona, Laude, Parma, Novaria, Vercellis, & alibi, Romanæ Ecclesiæ contemtorem, tamquam hæreticum, damnavit, & iis, ut hostibus Romanæ Ecclesiæ bellum indixit: & contra ipsos misit suos Legatos. Romanæ verò Ecclesiæ favebat Robertus Rex Apuliæ, cujus consilio procedebat Summus Pontifex. Post bella multoties perpetrata, in quibus Marcus Vicecomes appellari poterat alter Hector, Placentia furtivè data fuit Ecclesiæ per (38) Vertium de Lando civem Placentiæ. Ubi jam viribus Ecclesiæ congregatis, & mortuo Domino Maffæo Vicecomite, de Mediolano filii fuerunt expulsi. Et dum contenderet Legatus cum intrinsecis Civitatem habere liberam, & Turrienses intrare Civitatem, Vicecomites redierunt. Post hæc Gens Ecclesiæ Mutinam obsedit, & cepit, & se locavit in burgis Mediolani de quibus tamdem recessit, & ivit Placentiam. Tunc Vicecomites Montiam obsederunt usque ad famem, & ceperunt. Bello commisso per Vicecomites captus fuit Dominus (39) Raymundus de Richardem, qui Ecclesiæ regebat exercitum. Hic fugit de carceribus, qui cum exercitu Ecclesiæ, & Florentinis equitavit contra Castrutium rebellem (40). Dominabatur enim in Luca, & Pistorio. Post magnam stragem occisorum victor fuit Castrutius, qui Raymundum carceravit in Luca. Ludovicus, cùm vênit in Italiam, eum à carceribus liberavit.

Passarinus de Bonacossis Dominus Mantuæ, & rebellis Ecclesiæ, quædam Castra Bononiensium cepit. Dum hæc Bononienses postea obsiderent, supervênit Passarinus cum Mantuanis, & Mutinensibus, quibus etiam imperabat. Interfuit etiam Obizo Estensis Marchio cum Ferrariensibus, qui pugnans multos occîdit, duo millia cepit, ceterosque fugavit, & quasi Bononiam cepit. Datis à Bononiensibus obsidibus pax convênit. De mandato Legati Ecclesiæ rumpitur

(33) *Cod. Collalt. & Ambr.* equitavit Advocatus, qui per ardua loca, & aquis munita absque ponte juxta Turrim Guadæ intra Castrum & Civitatem intravit.

(34) *Cod. Collalt.* Advocatus Tarvisii exivit in &c.

(35) *Cod. Ambr.* Novembris.

(36) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* veniebat cum &c.

(37) *Cod. Collalt. & Ambr.* facto; *fortè meliùs*, quo peracto. *Ossius*.

(38) *Alii* Virginium.

(39) *Raymondus de Richardem*, Cardonia *aliis*, *Cod. Ambr.* de Ricardo.

(40) *In Cod. Est., Collalt., & Ambr. deest* rebellem.

tur pax. In Parma gentibus Ecclesiæ congregatis exercitus Legati obsedit Mutinam, & cepit Burgum Forte Mantuani districtus, & sic omnia ferro, igneque vastabat. Rebellibus Ecclesiæ favebant Raynaldus, & Obizo Marchiones, qui cossis (41) Guasconibus ceperunt Ferrariam. Ob hanc causam fuerunt tamquam hæretici condemnati. Asserebat enim Summus Pontifex, Ferrariam esse de patrimonio Sancti Petri. Rebellibus Ecclesiæ favebat Dux Bavariæ Ludovicus, qui se dicebat Romanorum Regem, asserens se debere Vicariis Imperii subvenire. Summus Pontifex hac de causa, & quia asserebat eum electum non legitimè in discordia cum Federico Duce Austriæ; ac etiam ante confirmationem administrasse jura Imperii (quod non debuit) ejus electionem annullavit: quem postremò Ecclesiæ Romanæ contemtorem pronuntiavit hæreticum. Item interdixit, ne quis præsumeret, sub pœna excommunicationis, eum Principem nominare. Ludovicus propterea non cessabat, asserens Summum Pontificem non legitimum, à cujus sententia appellavit ad futurum Papam, offerens se purgare de objectis in loco congruo coram Judice competente. Fuerunt hæc peracta in annis X. & ultra. Interdictum verò Ludovici publicatum fuit in Padua MCCCXXVII. mense Junii, cùm jam in Mediolano esset Ludovicus.

CAP. X.

MCCCXXVII. Mense Januarii.

De adventu Ludovici in Italiam.

Rebelles Ecclesiæ Romanæ timentes adventum unici filii Regis Roberti, qui Florentiam venerat, ut Legato subveniret, qui erat Bononiæ, viribus Ecclesiæ congregatis in unum, deliberato consilio miserunt in Alemanniam suos Legatos, ut Ludovicus Rex Romanorum, quàm citiùs posset, ad partes descenderet Lombardiæ, pro Imperio contra Ecclesiam pugnaturus. Eorum precibus, pace jam composita cum Federico Duce Austriæ, qui contra eum pro Imperio contendebat, Ludovicus cum centum millibus (42) vênit in Tridentum in MCCCXXVII. mense Januarii. In Tridento magnificè convenerunt rebelles Ecclesiæ, scilicet Vicecomites dominantes in Mediolano, Bergamo, Laude, Novaria, Vercellis, & alibi (Placentiam interim amiserant) Castrutius Dominus Lucæ, & Pistorii, Raynaldus, & Obizo Marchiones Estenses, Domini Ferrariæ, & Argentæ, Passarinus de Bonacossis Dominus Mantuæ, & Mutinæ. Iis etiam favebat Rex Siciliæ. Dominus etiam Canis fuit ibi honorificè ultra omnes (43). Dominabatur enim in Verona, Vicentia, Feltre, Civie, Montesilice, & Bassano, qui coram Ludovico palàm asseruit, se velle cum Romana Ecclesia concordare, nisi sinè mora eidem Vicariatum Paduæ consignaret, offerens Ludovico servitium, & amorem, & florenos ducentum millia, secundùm quod Legati Paduæ retulerunt. Hoc Ludovicus facere recusavit, asserens Paduam possideri per Avunculum suum Ducem Karintiæ. Sic Dominus Canis indignatus subitò equitavit Veronam, qui tamdem precibus rebellium Ecclesiæ rediit Tridentum.

(41) *Fortè* cæsis, *ut legitur in Cod. Est.* *Cod. Collalt.* expulsis, *& ita Ambr.*
(42) *Cod. Collalt. & Ambr.* militibus.
(43) *Cod. Collalt. & Ambr.* omnes, qui dominabantur, tractatus. Ipse enim dominabatur in &c.

A Instantibus Duce Karintiæ, & Ambassatoribus Paduæ, Ludovicus die XII. Martii jussit treguas observari inter Ducem Karintiæ, Vicarium Paduæ, & Tarvisii, & Dominum Canem per duos annos. Ob hanc causam Theotonici à Paduanis maximas pecunias extorserunt. His sic dispositis, Ludovicus die XIV. Martii exivit Tridentum, tendens Mediolanum, ubi coronatus fuit Corona ferrea per Episcopum Aretinum, & Episcopum Brixiensem rebelles Ecclesiæ. Ad hoc spectaculum convenerunt omnes rebelles Ecclesiæ, inter quos Dominus Canis cum mille militibus interfuit honorificè. Fuit hæc coronatio eodem anno die ultimo Madii.

B Mense Junii Mutinenses revellaverunt Domino Passarino. Mense Julii Dominos Galiatium, & Luchinum fratres, & Azzonem filium Galeatii Vicecomites Ludovicus Mediolani carceravit, viros probos, qui spem adeò jactabant in eo, quod sperabant mediante Imperio posse Romanam Ecclesiam subjugare. Postea Pisam obsedit, & cepit per pacta, & ibi Castrutium Vicarium ordinavit.

CAP. XI.

MCCCXXVIII. Die VI. Januarii.

Summula gestorum per Ludovicum.

C Revoluto Anno Domini, scilicet in MCCCXXVIII. die VI. (44) Januarii, Ludovicus intravit Romam, & totius Urbis cum fortiliciis habuit principatum. Die XVII. ejusdem mensis coronatus fuit ab Episcopo Venetiarum, & aliis Episcopis (45), & Præfecto Urbis in Ecclesia Sancti Petri. Ludovicus Dux Bavariæ ab hac die voluit esse Imperator, licèt à Joanne Summo Pontifice esset pro hæretico condemnatus. Ludovicus contra Summum Pontificem, qui erat in Avinione, formavit suos processus, & demum eum pronuntiavit hæreticum. Et asserens velle de novo Pastore providere, Fratrem suum, unum de Ordine Sancti Francisci, Romanæ Urbis fecit Episcopum, qui nominatus fuit D Nicolaus Quintus. Hic sibi constituit hæreticos Cardinales. Ipse etiam à Summo Pontifice fuit pronuntiatus hæreticus. Hæc fuerunt eodem anno, mense Aprilis.

Ludovicus precibus Lombardorum Vicecomites à carceribus liberavit; sed statim Dominus Galeatius obiit Lucæ, cujus filium, scilicet Azonem, in Mediolano constituit suum Vicarium.

In anno sequenti die XX. Aprilis Imperator equitavit Marchiam (46) Mantuani districtus, cum quo Dominus Canis fuit in colloquio cum Paduanis, Vicentinis, & Veronensibus nobiliter, & potenter. Quid factum fuisset, non potuit bene sciri; fuit tamen postea divulgatum, Ludovicum obtulisse Domino Cani dominium Me- E diolani, & totius Lombardiæ. Dum Ludovicus esset Marchiæ, in Mediolano Azo Vicecomes revellavit. Hac causa Ludovicus Mediolanum obsedit; sed mediante pecunia pax convênit. Cùm Parma fuisset obsessa per Legatum Ecclesiæ, dedit se Ecclesiæ: & Rolandus de Rubeis sponte equitavit Bononiam. Hunc Legatus carceravit. Hac causa Parma, Mutina, Regium revellaverunt Ecclesiæ eodem anno, mense Sep-tem-

(44) *Cod. Collalt.* die VII.
(45) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* Episcopis hæreticis.
(46) *Cod. Est. & Collalt.* Marchariam, *& ita infra.*

tembris, quarum districtus gens Ecclesiæ continuò spoliabat. Cùm has Civitates gens Ecclesiæ continuò infestaret, quæsiverunt sibi in auxilium Ludovicum, qui eodem anno, mense Novembri intravit Parmam, ibi verò Marsilium fratrem Rolandi de Rubeis suum constituit Vicarium. Albrighetus de Manfredis patrem, & fratrem expulit de Faventia, qui tamen compulsus per Legatum eos recepit. Hic, dum esset Bononiæ, cum aliquibus Nobilibus de Bononia, tractavit dare Bononiam Ludovico. Unde jussu Legati cum sociis decapitatus fuit in Bononia.

Eodem anno & mense Ludovicus Parmam, Regium, Mutinam, munivit suis Theutonicis, & asserens velle maximas Theutonicorum copias convocare, ut faciliùs Romanam Ecclesiam valeat subjugare, equitavit Tridentum, ibi enim erat Dux Karintiæ, & alii Nobiles Alemanniæ. Ad hoc colloquium pro Dominis de la Scala interfuerunt Nobiles viri Marchio Malaspina, Baylardinus de Nogarolis, & Dominus Marsilius de Carraria, qui non sinè timore, inscio Imperatore, rediere Veronam. Fuit hoc anno eodem mense Novembris.

In anno sequenti MCCCXXX. Ludovicus, nuntiata eidem morte Federici Ducis Austriæ, mense Decembri ivit in Alemanniam, promittens pro certo cum maximis copiis armatorum ad Italiam festinare.

Eodem anno, mense Augusti, Petrus de Cornovo (47), dictus Nicolaus Quintus, videns expressè, quòd Ludovici potentia declinabat, eo inscio ivit Avinionem, & se Joanni Summo Pontifici præsentavit, à quo veniam habuit postulatam. Marchiones Estenses, Raynaldus, & Obizo, qui multis annis fuerunt rebelles Ecclesiæ, tenentes Ferrariam, & Argentam, iverunt ad mandata, & in manibus Domini Legati dederunt Argentam. Fuit hoc Bononiæ in MCCCXXXII. die X. Januarii. Mense verò Martii Legatus equitavit Furlivium, & habuit quod aliàs per Ecclesiam fuerat obsessum.

CAP. XII.

MCCCXXIX. (48) *Die II. Julii.*

De Domino Nicolao de Carraria, & Terra Estensi.

PRopter confinationem Paduanorum, de qua feci superiùs mentionem proximo sexto Capitulo, Dominus Nicolaus de Carraria ivit Venetias, asserebat enim eos esse confinatos ad ejus injuriam. De Padua exivit in MCCCXXVII. die II. Julii; societatem verò fecit cum Domino Cane contra Paduam, & Paduanis extrinsecis. Unde domus ejus in Padua spoliatæ fuerunt, & destructæ. Ejus filii, Jacobus, & Jacobinus, fuerunt conducti in Alemanniam carcerati. Dominus Nicolaus jussit in Cervaresio gentes aliquas (49) congregari. Unde Paduani cum Theotonicis equitaverunt subitò Cervaresium, & omnes posuerunt in fugam, & multi fuerunt mortui, & aliqui carcerati; unus verò de Brudigine captus, in amissione capitis fuit condemnatus. Quidam Bastardus de Campo Sancti Petri, ob reverentiam suæ domus, jubente Marsilio Magno de Carraria, impunè recessit. Fuit hoc die XX. Septembris.

(47) De Corbaria, *aliis*.
(48) *Scribendum puto* MCCCXXVII.
(49) *Cod. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr.* suas.

A Die XXVI (50) ejusdem mensis Rizardus de Camino per terram Bassani cum ducentis elmis de Furlivio (51) equitavit Galgegnanum; postea exercitum suum posuit in Pernumia, ubi Dominus Nicolaus, & Paduani extrinseci convenerunt: cum quibus interfuit etiam Dominus Hector de Sovergnano. Unde pulcherrimæ domus Dominæ Margharitæ de Zacchis ejus uxoris, & germanæ Domini Nicolai, fuerunt destructæ, & bona ejus cetera publicata. Intrinseci, timentes, ne exercitus se locaret in Apono, partes illas cremaverunt, & ita se posuit Buvolentæ.

Die verò XIII. Octobris extrinseci equitaverunt ante portam Sanctæ Crucis, sperantes,
B quòd tumultus esset in Urbe. His bene intrinseci obviassent in duplum; sed timor Domini Canis obstabat, qui militiam suam miserat in Montemsilicem. Nam asserebat, se palàm nolle frangere treguas, & extrinsecis clam favebat. Cùm extrinseci omnia in Plebatu igne ferroque vastassent, exceptâ Villâ Plebis, quæ pecunia se redemit, facientes transitum per montes iverunt Cervaresium, & intra Brentas omnia destruxerunt.

Die verò XV. Novembris exercitus ivit in Est, quo fortificato foveis & belfredis, omnes Villæ Paduani districtus ejus erant tributariæ, exceptis Villis de ultra Brentam, & Plebatum. Dum exercitus esset Buvolentæ, confinati ha-
C buerunt suos obsides, quos dederant pro confinibus observandis. Unde Dominus Canis restituit Ubertino de Carraria, & Tartaro de Lendenaria suos obsides, quos dederant Domino Cani, quando propter mortem Gulielmi Dentis fuerunt forbanniti.

CAP. XIII.

Eodem Anno, Die XXV. Novembris.

De auxilio Theutonicorum.

JAm Paduano districtu ab extrinsecis Paduanis crudelissimè devastato, Conradus de Oven-
D stagno cum quadringentis elmis Paduam venit, qui cum Paduanis exercitum posuit Corniledæ, die XXV. Novembris. Theotonica rabies per montes discurrens, graviùs affligebat, quàm fecerant inimici; die verò ultimo turpiter remeavit, relictis multis plaustris oneratis multis victualibus, & aliis necessariis ad bellandum. His gestis Dominus de Ovenstagno, & Marsilius Magnus de Carraria, sociatus Philippo de Peraga, Ecardino de Capite-Vaccæ, & aliis Nobilibus Paduanis, per viam asperam Montis Crucis equitaverunt Tirole, Duci Karintiæ Paduanorum angustias exponentes. Qui sacramento, & literis promisit, in festo Sancti Georgii personaliter subvenire Paduæ: quod
E non fecit. Unde adhuc continuis legationibus instabant Paduani, postulantes Ducis adventum, vel saltem ab eo procurari pacem, vel treguas. Ducis monitu Ludovicus Romanorum Rex suum in Tirole de Roma destinavit Legatum, qui pacem vel treguas tractaret; sed multis habitis in Verona colloquiis, in quibus ego legatus interfui, nihil potuit expediri. Suspirant amodo Paduani, videntes extrinsecos colligere fruges suas, Theutonicorum auxilio defraudati, qui tamen non cessabant affligere Paduanos mutuis, &

(50) *Cod. Collalt. & Ambr.* Die XXII.
(51) *Cod. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr.* Foro-Julii.

& datiis, à Paduæ exulante justitia. Dominus de Ovenstagno Jacobum, & Jacobinum, filios Domini Nicolai de Carraria, conduxit in Alemanniam vinculatos die XV. Decembris, quos post duos annos Dominus Nicolaus traxit de carceribus.

CAP. XIV.

MCCCXXVII. & MCCCXXVIII.

De tribulatione Paduanorum.

HEngelmarius de Villandres pasculandi causâ misit ad Villas Plebatus quosdam equos, qui fruges pauperum devastabant. Unde duo Scutiferi fuerunt jugulati. Theutonicus simulavit non curare, ut graviùs stimularet, qui postea secretè Griffum ejus fratrem misit ad Villam Curtis, qui Villam cremavit, omnesque necavit, quos invênit, non parcendo sexui, nec ætati. Fuit hæc crudelitas in MCCCXXVII. die III. Julii.

Die verò præcedenti Dominus Nicolaus de Carraria de Civitate migravit, & ivit ad Villam Comitis, quem Theutonici capere vel occidere speraverunt.

Mense Augusti Hengelmarius horâ noctis violare voluit Petram, nobilem Dominam de Scrovegnis, quæ castitatem suam viriliter defendendo noluit consentire, postea cum matre, & fratribus fugit Venetias maximis divitiis destitutis. Theutonici cruciabant Paduanos mutuis & datiis, omnes carcerabant: extrinseci extra portas omnia destruebant (52). Fiebant enim à quibusdam potentioribus & suis sequacibus absque pœna violentiæ, furta, adulteria, homicidia, & alia crimina inaudita. Nam non solùm bona, sed homines etiam furabantur, non solùm Laici, sed Regulares (53), & in capitibus hominum imponebantur sacci corei, & sic ducebantur cæci, vel cœcati ad loca secreta, à quibus fures ignoti pecunias extorquebant.

Die ultimo Augusti Theutonici ceperunt consilium habere Castrum Pendisii, & ceperunt Angelum Episcopi servitorem, qui ductus ante Castrum ait Custodibus: *Castrum Domini mei defendite viriliter, quia potiùs mori volo, quàm tanto sceleri consentire.* Theutonici verò, spe fraudati, jusserunt Episcopatum bonis omnibus spoliari. Ipse Angelus, jubente Marsilio Magno relaxatus ivit Venetias. Intrinseci verò, sperantes defendere Civitatem, rusticos carcerabant Paduæ, & in Villis Campi Sancti Petri, & Mirani, quos omnibus divitiis spoliabant.

In MCCCXXVIII. mense Junii (54) Gerardus (55) Maurocenus Paduæ Potestas clam fugit Vicentiam (56), asserens Ubertinum de Carraria sibi præparasse mortis insidias, quòd eo invito unum carceratum traxerat de carceribus; sed causa suæ fugæ potuit esse paupertas. Nam Paduæ, & Venetiis erat tantum debitis gravatus, quòd bona sua fuerunt data creditoribus in solutum. Hengelmarius adveniens de Alemannia Griffum suum fratrem constituit Potestatem. Hoc facto, mense Augusti Marsilium minorem de Civitate fugavit, & domum ejus bonis omnibus spoliavit. Asserebat enim, eum verba injuriosa contra Ducem Karintiæ protulisse. Hic Hengelmarius introitus Civitatis totius anni vendidit vili pretio, ut citò se ditaret: mutua imposuit, & datia: & sic plenus pecunia in Alemanniam equitavit.

(52) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* destruebant; intrinseci tamen gravius cruciabant.
(53) *Cod. Est., Collalt., & Ambr.* sed etiam Regulares, quia in capitibus &c.
(54) *Cod. Collalt. & Ambr.* Mense Augusti.
(55) Nicolaus, *aliquibus*.
(56) Veronam, *iisdem*.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Anno MCCCXXVIII.

De causis, quibus Padua data est Domino Cani.

MArsilius Magnus de Carraria, videns manifestè facta Paduæ de malo in pejus continuò declinare, dubitans quid in tanto periculo sit agendum, (1) ait sibi: *Extrinseci Proditores extra Portas disponunt ad libitum. Dominus Canis, auctor tanti sceleris, simulat se nescire. In Civitate audio conquerentes: flentes video mendicare: Cives cruciari non solum in publicis carceribus, sed etiam in privatis: exulante Justitia fiunt maleficia infinita. His resistere non audeo, timens propter auctorum potentiam mihi mortis periculum imminere. In Alemanniam equitavi, & Duci Karintiæ supplicavi, ut Civitati mortuæ subveniret, qui sacramento promisit Paduæ personaliter subvenire: sua promissio exspiravit. Dux Austriæ justa causa auxilium denegavit: obsessus est in Vienna. Conradus de Ovenstagno, qui tanta recepit à Padua, denegat auxilium, nisi ego solus sibi fidem faciam de stipendio. Joanni Summo Pontifici in Avinione, suo Legato Bononiæ, filio Regis Roberti Florentiæ scripsi Paduanorum injurias, & auxilium imploravi. Secretè tractavi cum Domino Mantuæ, & Marchionibus, ut Paduæ subvenirent. Hæc tamen omnia nihil prosunt. Audi pejus, quòd Tarvisini constituti nobiscum sub Duce Karintiæ denegant auxilium. Veneti, quasi nobis imperant quidquid placet.* Dum hæc, & alia cùm animo multoties revolvisset, (2) ait: *Possem in Venetiis in divitiis vivere abundanter; sed, etiamsi me mori conveniat, volo meæ Patriæ subvenire.* Itaque deliberato consilio cum aliquibus nobilibus Paduanis cum Domino Cane Magno de la Scala, de concordia clam tractavit.

CAP. II.

Eodem Anno.

De Pactis factis cum Domino Cane.

POst varia parlamenta ait Marsilius nuntio secretissimo: (3) *Personam meam, & Paduam liberè esse volo in manibus Domini Canis absque ullo pacto: volo tamen, quòd matrimonium olim promissum Domino Jacobo Patruo meo de Domina Thadæa ejus filia, & Mastino ejus filio de la Scala compleatur. Item, quòd placeat Domino Cani omnes injurias receptas à Paduanis in speciali, vel communi, oblivioni mandare, & Cives omnes in suis juribus conservare, ut sub sua protectione possint securè ducere vitam suam. Item, quòd Theutonici, qui sunt Paduæ pro custodia, liberè revertantur,* A *satisfactione habita plenaria de stipendio, ne de Domino Cane (4) nobilis Dux Karintiæ causam inveniat conquerendi. Item, quòd pœnæ (5) solummodo teneantur delinquentes. Nam grave est non solum legibus, sed etiam contrarium æquitati, ex alienis delictis alios molestari. De his à Domino Cane nolo sacramentum, nec scripturas; sed suam solummodo quæro fidem.*

Dominus Canis, videns suum desiderium adimpleri, dominium Paduæ alacriter acceptavit, quod Imperatori, & Romanæ Ecclesiæ conveniret: sua verò fide promisit, justas preces Domini Marsilii integraliter observare, & ejus inimicos proprios reputare, & ipsum habere B (6) tamquam fratrem. Post hæc Domina Thadæa secretè ivit Venetias, ubi fuit Domino Mastino matrimonio copulata, præsentibus tantùm Marchione Malaspina, & Philippo de Peraga.

CAP. III.

Eodem anno, Die III. Septembris.

Quo ordine Dominus Canis intrarit Paduam.

VIa prudentiæ (7) futuros tractat eventus. Marsilius Civitatem munivit rusticanis, fingens causam insultandi cum Theutonicis contra hostes, qui Paduanorum vendemias collige- C bant. Qui videns se munitum, & cognoscens Paduanorum voluntates, qui sub Theutonicis tenebantur inviti, jussit Consilium Paduæ congregari, in quo omnibus alacriter annuentibus, eidem datum fuit dominium Civitatis. Fuit hoc in MCCCXXVIII. die III. Septembris.

Eodem die Griffus, frater Hengelmarii, Paduæ Potestas, cum Theutonicis depositis armis, claves Civitatis Domino Marsilio præsentavit, quibus recepto suo stipendio dedit securam licentiam recedendi. Die verò quinto Marsilius de Rubeis de Parma intravit Paduam cum ducentum elmis. Die sequenti Marsilius misit Vicentiam sub colore ambassariæ aliquos de Majoribus Civitatis. Die altero Dominus Mastinus D intravit Paduam cum elmis centum. Dominus Marsilius sciens amodo Civitatem sic munitam, quòd rationabiliter nullus esset ausus suo obviare proposito, in Majori Consilio Paduæ ait: *Hæc est nostra finalis intentio, quòd Padua in manibus Domini Canis liberè consignetur de vestra voluntate. Unde absque (8) motu inter vos sic placeat reformare.* Hoc statim factum fuit, & Syndicus electus Jacobus de Conigliano. Die VIII. Dominus Marsilius cum multis de majoribus Paduanis Vicentiam equitavit, quem cum sociis Dominus Canis summo honore tractavit. Dato dominio Paduæ à Syndico Civitatis, Dominus Canis primò pedites, postea milites præmittendo, ordinatè per portam Sa- E vonarolæ die X. Septembris introivit: sedem verò suam posuit in Ecclesia Cathedrali. De ejus adventu omnes mirabiliter exultantes, benedicebant nomen suum, clamantes & dicentes: Cum

(1) *Cod. Collalt. & Ambr.* intra se sibi ipsi ait.
(2) *Cod. Collalt.* ait sibi ipsi.
(3) *Al.* Patriam meam Paduam.
(4) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* Cane, vel Paduanis.
(5) *Iidem Codices* ad pœnas.
(6) *Cod. Est. & Collalt.* habere perpetuo.
(7) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* Viri prudentia.
(8) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* mora.

Cum benedictione vivat, qui nos de tenebris traxit ad lucem. Sic bellum, peractum cum Domino Cane decem & septem annis, mensibus quatuor, & XXV. diebus, ex quo in Marchia fame, frigore, gladio, carceribus, exilio, & diversis pestibus centum millia perierunt, fuit pacis lenitate sopitum.

CAP. IV.

Eodem Anno.

STatim sequenti die sumto prandio Dominus Canis magnificè sociatus Paduanis, & aliis Nobilibus Lombardiæ, omnibus alacriter concurrentibus, in Palatio fecit publicam concionem, in qua eidem præsentatum fuit vexillum Populi Paduani, quod posuit in manibus Domini Marsilii de Carraria, & ipsum constituit in Padua suum Vicarium,

Ex quo lætatur Padua tota (9) *nimis*.

Postea pulchra dona fecit Nobilibus Paduanis, cum quibus erat familiariter tamquam pater. Tisoni de Campo Sancti Petri, & Philippo de Peraga claves sibi præsentatas Castrorum Mirani, & Campi Sancti Petri restituit, quibus benignè præcepit, ut abstineant à delictis, offerens perpetuum servitium, & amorem.

Die XIV. Septembris Dominus Mastinus Dominam Thadæam publicè desponsavit. Eodem die Marsilius de Rubeis de Parma promisit Domino Cani duas filias fratris matrimonio copulare filio naturali Domini Canis, & filio Domini Baylardini. Capitaneum forensis militiæ constituit Marchionem Spinetam; Potestatem fecit Dominum Bernardinum Ramici (10) de Hervajis de Verona. Sic rebus bene dispositis ordinavit facere magnam curiam in Verona, & multis Paduanis honorem donare militiæ. Die XXVIII. (11) ejusdem mensis equitavit Vicentiam. Padua ergo languida ejus felicissimo adventu de tenebris ad lucem resurrexit.

CAP. V.

MCCCXXIX.

De Paduanis Extrinsecis.

DOminus Nicolaus de Carraria de voluntate Domini Canis recessit de Est, & ivit Venetias: non fuit tamen suis possessionibus spoliatus. Fortilitiæ Estenses fuerunt omnes explanatæ. Dominus Henricus de Scrovegnis, qui absque licentia vênit Paduam, clam Venetias fuit compulsus. Mussatus Poëta, qui similiter sinè licentia vênit (Paduam) Clugiam turpiter remeavit, ubi obiit in anno sequenti die ultimo Madii. Illis de Deslemaninis (12) fuit solummodo Civitas interdicta. Infrascriptorum omnium fuerunt bona, tamquam rebellium, confiscata, scilicet illorum de Macharuffis, de Dente, de Terradura, de Buglis, de Roncho, de Altechinis (13), aliquorum de Malitiis, & aliorum. Bona omnium prædictorum, & alias divitias infinitas Dominus Canis donavit Domino Marsilio de Carraria, ipsumque in tantum ditavit, ut ab omnibus diceretur ditior tota Padua. Omnes alii extrinseci Paduani Paduam redierunt de voluntate Domini Marsilii de Carraria, qui de consensu Domini Canis de Paduanis extrinsecis secundùm liberum arbitrium disponebat. Gaudet amodo tota Civitas fulgere Aquilas Imperiales ubique, & insignia de la Scala. Tarvisinos timor invasit, jam enim Rizardus de Camino eis rapuit Castra Soligi, & Vidorii: & Comes Collalti etiam cum aliis revellavit (*).

CAP. VI.

MCCCXXIX. Die Sabbati XXVI. Novembris.

De publica lætitia facta Veronæ.

DE dominio Paduæ feliciter acquisito Dominus Canis facere voluit publicam lætitiam in Verona, in cujus splendidissimum apparatum habere voluit filiam Rolandi de Rubeis, sponsam ejus filii Naturalis. Paduam verò misit Dominum Baylardinum de Nogarolis, qui cum Potestate Paduæ, & omnibus Nobilibus Paduanis, Dominam Thadæam de Carraria uxorem Domini Mastini sociavit Veronam. Ad ejus adventum Dominus Canis exivit Veronam associatus nobili comitiva, specialiter Obizone Marchione Estensi, Marchione Spineta, Rizardo de Camino, Marsilio de Carraria, Marsilio de Rubeis. Sic cum magno gaudio Domina Thadæa Civitatem intravit die Sabbati XXVI. Novembris.

Die sequenti gaudium voluit esse solenne, & multis nobilibus donavit honorem militiæ, quos ornavit vestibus aureis, & purpureis, aureis cingulis, destreriis, & pulcherrimis palafrenis. Ad hoc gaudium convenerunt de diversis partibus histriones universæ nationis, & omnibus donis, & expensis Dominus Canis voluit providere. Ibi fuerunt Dominæ pulcherrimæ, hastiludia, & torneria, & breviter, ad perfectum gaudium nihil defecit. Hoc spectaculo non fuit pulchrius in Italia temporibus retroactis. Ex hoc honore Dominus Canis gaudia magna sumit, & cunctis Nobilibus retulit magnas grates, concedens unicuique spontaneam licentiam recedendi.

CAP. VII.

Eodem Anno, & Mense.

De nominibus militum.

QUia non est bonum, quòd veritas occultetur, placet omnibus demonstrare de honore facto Nobilibus Lombardiæ, specialiter Paduanis, quos summo honore tractavit hortatu, & consilio Marsilii de Carraria, & omnes sponte, & alacriter acceptantes milites (14) creavit Dominus Canis Grande de la Scala in Verona, Padua, Vicentia, Feltre, Civie (15) pro Sacro Imperio Vicarius generalis. Militum autem nomina sunt hæc. De Verona Dominus Albertus, & Mastinus fratres, Ne-

(9) *Extat nihilominus in antiquiore MS.* ruinis, *sicut in secundo MS. Amb. Ut legi possit*: Ex quo lætatur Padua tot à ruinis erepta.
(10) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* Ranuci de Hervariis.
(11) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* XVIII.
(12) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* Delesmaninis.
(13) *Cod. Est. & Ambr. I.* Alteclinis.
(*) *Cod. Amb. I.* Co: Redalti etiam cum aliis rebellavit.
(14) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* ordinavit.
(15) *Cod. Collalt.* Cividado.

Nepotes præfati (16) Domini Canis; Franciscus, & Cagnolus Bastardi Domini Canis, Nicolaus, & Cagnolus filii Domini Baylardini de Nogarolis, Petrus, & Jacobus de Verme, Petrus de Perle., Galeasius socius Domini Baylardini, Bernardus de Hervariis. De Padua Marsilius Grande de Carraria, Ubertinus, Marsilius, Jacobus, Obizo, omnes de Carraria, Philippus de Peraga, Franciscus, & Ecardinus de Capite-Vaccæ, (17) Dux de Buzacharinis, Tartarus de Lendenaria, & Tiso de Campo Sancti Petri, Guertius Loti de Montagnana. De Vicentia (18) Vivarius Dens, Guercius de Vivario. De Venetiis, Nicolaus Foscari. De Feltre Endrighettus de Mongai. De Mantua Ludovicus de Gonzaga, Joannes Guilenzellus. Revoluto anno Domini, scilicet MCCCXXIX. die octava Januarii Dominus Franciscus Dandulus fuit Dux Venetiarum.

CAP. VIII.

MCCCXXIX. Mense Junii.

De obsidione Parmæ, & Tarvisii.

Cum Gens Ecclesiæ cum Bononiensibus extra muros Parmæ omnia devastaret (erant namque in parte Ecclesiæ Nobiles de Corrigio; Civitatem verò defendebant Rolandus, & Marsilius de Rubeis, de auxilio Domini Canis quamplurimum confidentes) Marsilius de Carraria, jussu Domini Canis, equitare cœpit versùs Parmam, & insidiis Simonis de Corrigio quasi fuit captus: fugit tamen in Casali Majori Cremonensis districtus, & postea cum duobus sociis Parmam equitavit incognitus: qui germanis suis de Rubeis de pace consuluit, & Veronam vênit: quem Dominus Canis de probitate quamplurimum commendavit, quia neglecto mortis periculo suis voluit obtemperare mandatis. Post hæc pax convênit, dataque fuit Parma Ecclesiæ certis pactis. Postea Regium, & Mutina Ecclesiæ se dederunt. Fuerunt hæc MCCCXXIX. mensibus Junii, & Julii.

Post pacem Rolandus de Rubeis equitavit Bononiam, quem Legatus Romanæ Ecclesiæ carceravit. Unde tres prædictæ Civitates rebellaverunt Ecclesiæ. Ludovicus equitavit Parmam cum suis Theutonicis in auxilium. Fuit hoc anno sequenti, & mense Novembris, Domino Cane jam defuncto.

His sic dispositis Dominus Canis cogitans, quòd a tergo nullum manebat obstaculum, volens adimplere quod optabat, scilicet in tota Marchia habere dominium, literas Paduam misit continentes:

Marsilio de Carraria Fratri nostro dilecto Canis Grande de la Scala salutem.

„ Vobis significamus, quòd die crastina Paduam „ veniemus, volentes secundùm vestrum consi„ lium invadere Tarvisinos. Unde vos præpa„ retis militibus, & peditibus Paduanis, ut „ eos magnificentiùs insultemus.

Hoc fuit valde gratum Domino Marsilio, propter odium Guizellonis Advocati Tarvisii, & quia Dominum Canem supra omnes extollere affectabat.

Die IV. exivit Padua, & sequenti die castra sua posuit circa mœnia Civitatis cum exercitu copioso. Erant namque in hoc pulcherrimo guarnimento milites, & pedites de Verona, Padua, Vicentia, Feltre, Civie, Nobiles de Castrobarcho, Rizardus de Camino, Brixienses extrinseci, & stipendiarii diversarum nationum. Vicentini exercitus constituit Capitaneum Dominum Baylardinum de Nogarolis, Vicentiæ Potestatem: ceteri exercitus Dominum Marsilium de Carraria (19). Ea die Nobilis, & probus miles Otto de Borgondia persequendo inimicos, equitans usque ad portas, quasi (20) de equo cecidit, quodam saxo ejecto de summo portæ percussus, ibique statim fuit peremptus. In exercitu Rizardus minor, & Gerardus (21) fratres de Camino, & Gulielmus de Vonico venerunt ad mandata Domini Canis. Advocatus Tarvisii desperans de auxilio Ducis Karintiæ, qui verbis, & literis magnalia promittebat: ac etiam aspiciens potentiam inimicorum, hortatu, & consilio Civium Tarvisii pacem petit, quam habuit postulatam. Unde Dominus Canis die XVIII. ejusdem mensis Julii Tarvisium introivit.

CAP. IX.

MCCCXXIX. Die XXII. Julii.

De morte Domini Canis.

Tarvisio jam subacto Dominus Canis jacens infirmus, in Ecclesia Cathedrali ad se voca-

(16) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* Vicarii Domini Canis.

(17) *Meliùs* Duxius *ex iis, qui de Paduanis familiis scribunt.*

(18) *Legunt alii* Vivarius Domini Guercii de Vivario. *Alii* Vivatius dictus Guercius de Vivario. *Cod. Collalt.* Vivarius dictus Guercius, *& ita in Codd. Amb.*

(19) *Additamentum Codicis Collaltini, & Ambrosiani I.* Ea die dum strenuus vir Guecelus Tempesta Advocatus Tarvisii, & alii multi Nobiles de Tarvisio præsensissent de adventu Canis cum exercitu adversùs Tarvisium properantis, nulla facta mora, exercitum suum jam pluribus diebus ordinatum, tam militùm, quàm peditum, potenti manu territorium Paduæ citra Brentam per viam Anoalis invasit, omnia igne & ferro hostiliter depopulando. Quæ quum nota essent Cani, obviam misit Ottonem de Burgundia Militem Capitaneum exercitus ipsius, mandans, quòd Tarvisinos insequeretur usque clausis portis. Qui non impigrè Tarvisinos insequutus usque dumtaxat ad Burgum Sanctorum Quadraginta, ubi Tarvisini vexillum suum firmaverunt, volens illos intra Civitatem arctare, congressus est cum prædictis, & ibi exstitit utrinque graviter expugnatum, in tantum, quòd Tarvisini se tutantes, & dictus Otto impellens, diem protraxerunt ad primam horam noctis, in qua hora dictus Otto allisus caput, interiit non longè à Porta Civitatis. Cujus corpus suus exercitus obtinere non potuit. Quinimmo Tarvisini vi illud intra Civitatem adduxerunt, nec potuit vis ulla exercitus prædicti facere, quod Tarvisini nocte illa Portam illam clauderent, stantes semper in armis adversùs belligerantes in Burgo. Die verò sequenti Tarvisini Nobiles desperantes de auxilio Ducis Carinthiæ, qui verbis & literis magnalia promiserat, & nusquam observaverat, attenta potentia dicti Canis, qui amodo illos circuierat, statuerunt ex eis aliquos accedere in campo ad præsentiam prælibati. Quo iverunt Gerardus & Rizardus minor de Camino fratres, & Guilielmus de Vonico, ac alii plures Nobiles Civitatis, quos magnificè suscepit Canis, & breviter, ut petierunt, sic pacem inierunt, & illi Civitatem & Comitatum totum subegerunt.

(20) *Cod. Est. & duo Ambr.* qui de &c.

(21) *Cod. Est.* & Jacobus, *aliàs* Gerardus.

cavit Nobiles viros Baylardinum de Nogarolis, & Marsilium de Carraria, quibus ait: *Albertum, & Mastinum Nepotes nostros nobis volumus esse successores, quos habere dignemini commendatos: ac etiam nostros filios Naturales.* Post hæc non sinè lachrymis Dominum Marsilium de probitate, & legalitate quamplurimum commendavit, & in ejus manibus suam banderiam principalem posuit, cui ait: *Vos Domine Marsili liberè teneatis Paduam cum districtu.* Hoc Dominus Marsilius recusavit, asserens instanter, Paduam subesse dominio de la Scala: timens tamen, ne patientis animus turbaretur, dominium acceptavit. His sic dispositis, cùm tribus diebus jacuisset infirmus, exspiravit hora sexta, die XXII. Julii in MCCCXXIX. De cujus morte ab antiquis Astrologis fuerat ante longissimo tempore nuntiatum, scilicet, quòd solis tribus diebus habere debebat dominium Marchiæ Tarvisinæ. Ejus morte in Consilio die (22), & hora noctis per Dominum Marsilium nuntiata, fuit omnium tantus luctus, ut omnes doluerint, tamquam in propria orbitate. Fuit autem vir probus, & prudens, qui post Veronam sibi reliquam Marchiam subjugavit. Bella semper per se gessit, & supra quam dici possit dominandi cupidissimus, amicis fidelis, quos invênit contra se conjurantes acriter punivit. Victis inimicis pepercit. Nam Paduanis, quibus fuerat durissimus inimicus, fuit pater (23). Multum enim gloriabatur, cùm dicebat, statum Paduæ sub suo dominio reformari antea desolatum. Semper dives armis, & equis, in venationibus, & avibus delectabatur adeò, ut falcones trecentos habuisse tradatur. Vir tamen tantarum virtutum, qui etiam Justitiam diligebat, victus luxuria, ejectâ Dominâ Joannâ de progenie Regis Antiochiæ, ex vili fœmina, quæ ante se prostituerat, filios procreavit, quos infantes milites fecit. Obiit ætatis suæ anno quadragesimo primo.

CAP. X.

Eodem Anno, & Mense.

De gestis post mortem Domini Canis.

MOrte Domini Canis in Consilio Paduæ nuntiata, Dominus Marsilius de Carraria nomine Dominorum Alberti, & Mastini Nepotum Domini Canis, Paduæ dominium postulavit, qui statim obtinuit quod optabat. Die verò sequenti Cives Nobiles, & Potentes, & Forenses Domino Marsilio Dominium jurarunt, honorem, & statum. Die XXVII. Julii vexillum Populi datum fuit Domino Alberto in publica concione: in Tarvisio verò ad ejus mandata venerunt Coniglanum, & Asolum, & omnia Castra Tarvisina.

Rebus ita dispositis, ut in Marchia nullum foret obstaculum, Dominus Albertus, & Mastinus, Dominum Marsilium constituerunt Vicentiæ Potestatem, qui alter Dominus Marchiæ dicebatur. Die X. Novembris Galeotus de Manziis (24) intravit regimen Paduæ. Hic die XVIII. Aprilis turpiter descendit Palatium, cui statim successit Dominus Baylardinus de Nogarolis de Verona. Zilbertus, & Dominus Bartholomæus, filii naturales Domini Canis, exiverunt Veronam, qui tamen reversi convicti sunt contra suos germanos conspirasse. Unde statim in anno sequenti, scilicet in MCCCXXX. mensis Januarii fuerunt in carceribus in perpetuum condemnati: medicus unicus (25) Domini Canis fuit furca suspensus.

Eodem mense Dominus Albertus in Tarvisio conjurationem contra se, & fratrem suum detexit, & sic duos fratres Gerardum, & Albertum de Bacholinis (26) damnavit ad mortem, bonis omnibus publicatis. Die XXIX. Januarii quosdam carceravit, & quosdam ad confinia jussit equitare Veronam.

Post mortem Domini Canis Castrum Mirani acceptum fuit ab heredibus Domini Philippi de Peraga & in MCCCXXXI. die VI. Februarii destructum. Die verò XI Martii tenebræ factæ fuerunt ante horam tertiam per duas horas. Item XXVI. Madii Domino Marsilio in regimine Vicentiæ successit Federicus ab Equis.

Post mortem Domini Canis Gerardus de Camino, qui in Verona curialiter tenebatur invitus (27), sub specie scutiferi fugit Caminum, & cum auxilio Venetorum revellavit: tamen hortatu Domini Marsilii de Carraria die XVIII. Aprilis Paduam rediit ad gratiam Dominorum de la Scala, quem receperunt ad suam gratiam gratiosè. Pro securitate prædictorum Rizardus ejus frater, filium suum pulcherrimum dedit obsidem illis de la Scala die III. Madii. Die verò IX. Septembris filius Naturalis, & infans Domini Alberti de la Scala sororem dicti obsidis duxit in sponsam, quæ postea nupsit Bertoldo Marchioni.

CAP. XI.

Anno MCCCXXIX.

De quibusdam natis (28) novitatibus in Lombardia.

GAleatius Vicecomes de Mediolano cum aliis nobilibus Lombardiæ auctor adventus Ludovici, à dicto Ludovico fuit carceratus, dominioque privatus in carcere obiit Lucæ MCCCXXVIII. mense Augusti. Post cujus mortem in Mediolano dominium habuerunt Azo ejus filius, & Domini Marcus, & Luchinus, fratres dicti Domini Galeatii. Marci verò bellicosi, quo nullus magìs floruit in armis, Nepos, & Frater fuerunt occisores, asserentes eum contra se cum Romana Ecclesia conjurasse. Passarinus de Bonacossis, Dominus Mantuæ & Mutinæ, Franciscum de Mirandula, qui ei subjugaverat Mutinam, cum duobus filiis strangulavit in carcere, qui postremò propter nefanda, quæ exercebat in Mutina, unà cum filio fuit hostis Romanæ Ecclesiæ judicatus. Hic cum Marchione Estensi, & Azone Vicecomite contra Bononienses dimicavit hostiliter (29) in campanea Montisvegli. Multos occidit, duo millia cepit, Bononiam usque ad mortem fecit trepidare. Pax convênit, quæ citò rumpitur jubente Legato. A gente Legati capitur Burgum Forte, & in Mantuano districtu omnia igne, ferroque vastantur. Deinde Passarino Mutina revellavit. Tam-

(22) *Cod. Ambr. I.* ejus mors in Consilio ea die, hora noctis extitit per D. Marsilium nuntiata.
(23) *Cod. Collalt. & Amb. I.* pater & amantissimus Dominus.
(24) *Cod. Collalt.* Martiis.

(25) *Al.* autem. *Cod. Est. & Ambr. I.* unus.
(26) *Cod. Collalt. & Amb. I.* Baldachinis.
(27) *Cod. Collalt. & Amb. I.* incognitus.
(28) *Cod. Est. & Amb. I.* duris.
(29) *Cod. Amb. I.* viriliter.

Tamdem capitur Burgum Forte per Passarinum, auxilio Ludovici rebellis Ecclesiæ. Die verò XV. Augusti Passarinus jugulatur. Hujus sceleris auctor fuit Ludovicus de Gonzaga, ejus germanus, de quo plurimum confidebat, qui post ejus mortem Mantuæ dominium invasit. Francischinus verò filius Passarini, donatus Zapino de Mirandula, in eodem carcere, quo Dominus Franciscus de Mirandula fuit strangulatus, fuit dira morte peremtus. Castrucius (30) de Tornellis de Luca stipendiarius fuit, & pedes, qui tempore adventus Imperatoris Henrici Lucam rediit: Ugutio verò de la Fasola, qui post mortem Imperatoris invasit dominium Pisæ, & postea Lucam cepit cum auxilio Castrucii, & ipsam totaliter exspoliavit, auferendo thesaurum infinitum Romanæ Ecclesiæ, qui ibi fuerat à multis Principibus collocatus, Castrucium carceravit in Luca. Qui dum de Pisa equitaret ad Lucam, ut Castrucium damnaret ad mortem, Pisa revellavit. Hoc timore Castrucium liberavit à carcere, quem (31) de Civitate fugavit. Qui veniens Veronam, fuit à Domino Cane summo honore tractatus, & Vicentiæ obiit. Castrucius verò Pistorium obsedit, & cepit. Castrucio existente cum Ludovico in Roma, qui eum constituit suum Vicarium (32) in ipsis, Luca, & Pistorio, Pistorium revellavit. Castrucius verò subitò rediens gentem Ecclesiæ compulit turpiter redire Florentiam, & Pistorium obsedit, & cepit. Dum sic omnia subjugasset eodem anno, mense Septembris obiit Lucæ. Item mense Augusti Parma, & Regium revellaverunt Ecclesiæ.

(30) *Legendum* de Interminellis. *Cod. Collalt. & Amb. I.* Termenellis.

(31) *Hoc est*, qui eum, *ut in Cod. Amb. II.*

(32) *Cod. Collalt.* in Pisa, *& ita Amb. I.*

Explicit Liber Quartus.

IN-

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPITULUM PRIMUM.

MCCCXXX.

De Rege Boemiæ, & Brixia.

POst mortem Domini Canis, Domini Albertus, & Mastinus cum Duce Karintiæ fuerunt in concordia sapienter. Amodo animus eorum (1) cogitat ad majora. Unde Dominus Mastinus mense Junii contra Brixiam hostiliter equitavit, Castra multa cepit. Ad ejus mandata erant omnes extrinseci Brixienses. Secundo verò mensis Septembris (2) cum validissimo exercitu totius Marchiæ Tarvisanæ Brixiam circumdedit. Duce exercitus Domino Marsilio de Carraria sibi omnia subjugavit extra mœnia; Civitatem etiam expugnavit. Post magnam victoriam Veronam venit. Fuerunt per MCCCXXX.

Mortuo jam Domino Tisone de Campo Sancti Petri, uxor ejus Domina Cunissa de Carraria peperit Tisonem, quem cum auctoritate nutrivit. Aliquando enim arma induens in Castro Sancti Petri merum, & mixtum imperium exercebat. Hæc Emum (3) militem de Borgondia fratrem illius Ottonis, qui in obsidione Tarvisii fuit extinctus, inhonestè dilexit. Eorum stupro detecto, ambo pariter jugulantur, mandato Domini Marsilii de Carraria fratris dictæ Dominæ, sed matris filius fuit occisor. Fuerunt hæc Veronæ die XXVIII. Octobris.

Dum Brixia infestaretur à Dominis de la Scala, Joannes Rex Bohemiæ, filius quondam Imperatoris Henrici, descendit in Tridentum. Huic, quia nurum habebat filiam Ducis Karintiæ, fidelitatem juraverunt Nobiles de Karintia, jussu Ducis. Brixienses etiam, propter infestationem illorum de la Scala, Regi liberè se dederunt mense Novembri. Revoluto Anno Domini MCCCXXXI. die penultimo Decembris, Rex Brixiam intravit. Domini de la Scala, timentes ejus adventum, secum fuerunt in concordia, primò tamen restitutis (4) omnibus Brixiensium Castris, quæ occupaverant, propter guerram. Quibus Rex in fide promisit Brixiam introducere omnes extrinsecos Brixienses.

Post hæc Bergamum, Crema, Parma, Mutina, Regium, Luca, & aliæ (5) Civitates dicto Domino Regi liberè se dederunt. Dominus Azo Vicecomes ductu Ludovici Comitis (6) de Savona, ejus soceri, fuit obediens dicto Regi, retinendo semper dominium suarum Civitatum: Mense Aprilis Rex Joannes fuit in colloquio cum Domino Beltrando Legato Romanæ Ecclesiæ, juxta mœnia Castri Franchi de Bononia, sociatus Marchione Montisferrati, & Comite de Savoja. Rex Joannes relicto filio suo Domino Carolo, qui sororem Regis Franciæ habebat uxorem, in Parma, in Alemanniam equitavit mense Julii.

CAP. II.

MCCCXXXII.

De Brixia data Domino Mastino, & Bergamo dato Domino Azoni Vicecomiti.

REx Joannes cùm jam esset in Francia, Dominus Mastinus ait: *Capiamus Brixiam. Quis ultra poterit nostris viribus obviare?* Cui ait Marsilius Major: *Hæc periculosa res est.* Tunc Dominus Mastinus ait: *Omnino volumus habere Brixiam.* Ejus jussu Dominus Marsilius cum Nobilibus Brixiensibus, mediante auro & promissionibus infinitis, hoc etiam addito, quòd omnes de parte Imperii jugulentur impunè, habere Brixiam secretè tractavit. Post hæc Dominus Marsilius simulans, se nuntium Domini Legati, qui diligebatur in Brixia, cum signis Romanæ Ecclesiæ, & Rolandi de Rubeis intravit Brixiam fraudulenter. Tunc omnes de parte Imperii (7) de Mazis expelluntur. Fiunt cædes etiam pupillorum. His peractis Dominus Mastinus intravit Brixiam, qui juraverat numquam se depositurum barbam, nisi priùs Brixiam obtineret. Fuit hoc MCCCXXXII.

Die XV. Julii Castrum Montis per custodes Regis traditum fuit Dominis de la Scala. Post hæc juxta mœnia Urceorum in colloquio convenerunt Domini de la Scala cum Domino Marsilio, Azo Vicecomes, Marchiones Estenses, Ludovicus de Gonzaga, qui omnes contra Regem Boemiæ juravere. In hoc colloquio Dominus Azo donavit Dominis de la Scala mœnia Urceorum.

Statim mense Septembri Dominus Azo cum Dominis Mastino, Marsilio, & omnibus suæ ligæ, Bergamum obsedit hostiliter. In hoc exercitu Dominus Marsilius jussit furca suspendi quosdam Theutonicos propter prædam. Unde Theutonici, viriliter inquirentes dictum Dominum Marsilium, pugnaverunt contra exercitum Brixiensem. Tercentos occiderunt, & ultra. Relicto verò exercitu quidam equitaverunt Cremonam. Eodem mense Bergamum datum fuit Domino Azoni, existente Vicario pro Rege Joanne, Domino Gulielmo de Castrobarco.

Eodem mense Raynaldus Estensis Marchio cum gentibus Dominorum de la Scala de Mantua, de Mediolano, equitavit contra Mutinam. Mense verò Novembris Burgum Sancti Felicis per gentem suam obsedit, ductore exercitus Domino Joanne de Campo Sancti Petri. Hoc præscito Dominus Carolus, postea Imperator, filius Regis Joannis, cum suis Theutonicis, quos habebat in Parma, sociatus Marsilio, & Petro de Rubeis, & Manfredo de Piis de Mutina, contra exercitum equitavit: jussu verò Domini Caroli, ejus adventu in exercitu nuntiato, utraque pars se paravit ad pugnam. In primo impetu gens Marchionum obtinuit; ultimo auxilio peditum, qui circa occisiones equorum

(1) *Cod. I. Amb.* sapienter amodo, eorum alter cogitat &c.
(2) *Codd. Amb. ambo*, Junii.
(3) *Cod. Collalt.* Henricum militem de Borgogna.
(4) *Al.* omnibus bonis Brixiensium, quæ occupaverant, &c. *& ita Cod. Amb. I.*
(5) *Cod. Collalt.* alia Castra, & Civitates, *& ita Cod. I. Amb.*
(6) *Al.* de Savoja, *& ita Cod. I. Amb.*
(7) *Cod. Collalt.* Imperii expelluntur. Illorum de Maziis fiunt cædes, etiam &c. *& ita Cod. I. Amb.*

tum instabant, Rex obtinuit, sexcentum milites cepit, & Joannem prædictum. Zinus de Macharuffis cum multis fuit occisus. Sic cum magno gaudio Dominus Carolus Burgum S. Felicis à persecutione hostium liberavit. Aliquo tempore subsequuto Dominus Joannes pro tribus millibus florenis se redemit.

Dominus Marsilius Rector Brixiæ, timens adventum Regis Joannis (8), Brixiam divisit maximo muro: Castra (9) Brixiensium jussit destrui; Civitatem & Castra munivit militibus, & ceteris necessariis. Die primo Madii Thadæus de Ubertis incœpit regimen Civitatis Paduæ. Die Dominico primo Novembris Dominus Petrus del Messa successit Thadæo de Ubertis. Die IX. Novembris, Aldrovandinus Comes Romanus, Episcopus Paduæ, intravit Paduam, & in anno sequenti die VIII. Augusti recessit (10). Mense Decembris (11) Tiso de Campo Sancti Petri furtivè intravit Castrum de Treville nepotis sui Domini Gulielmi; mandato verò Domini Mastini Dominus Gulielmus rehabuit Castrum suum. Eodem anno (12) Civitas Papiæ Joanni Regi fuit rebellis; excepto Castro Civitatis. Tunc Domini de la Scala Dominum Martinum de Civie Papiam miserunt Potestatem. In anno sequenti, & mense Junii Theutonici, qui erant in Castro, de voluntate Regis, defectu victualium, & pecunia mediante, Castrum reddiderunt Civitati.

CAP. III.

MCCCXXXIII.

De Obsidione Ferrariæ.

EXpulsis Guasconibus de Ferraria, Raynaldus, & Obizo Marchiones Estenses, quatuordecim annis rebelles Ecclesiæ, ad mandata Legati Bononiæ honorificè sunt recepti. Qui Domino Legato dederunt Argentam. Parvo tempore secuto, Dominus Legatus, asserens, Marchiones cum rebellibus Ecclesiæ conjurasse, duxit exercitum copiosum de Guasconibus, Bononia, Romandiola, Marchia contra Ferrariam. In oppositum, jussu fratrum, Nicolaus Marchio in Villa Consandali se opposuit, ibique pugnant. Gens Ecclesiæ juxta exercitum copiosum de Guasconibus Bononiæ capit campum: & Domino Legato præsentatur captus Nicolaus Marchio, qui cum gaudio Domini Legati Bononiæ jubetur honorificè custodiri. Fuit hoc MCCCXXXIII. die VI. Februarii.

Die sequenti juxta Ferrariam exercitus se locavit: die verò octavo gens Ecclesiæ cum auxilio quorumdam intrinsecorum Civitatem cœpit intrare. Fracto ponte introitus, gens Ecclesiæ retrocessit. Unde Marchiones cum Domino Guecelone Advocato Tarvisii, qui erat Ferrariæ cum ducentum militibus Theutonicis (13) de Verona, ea die Ferrarienses defenderunt, compellentes inimicos turpiter remeare.

Mense Aprilis rebelles Ecclesiæ convenerunt in Palazolo Brixiano, & cum eis Ambassatores Florentiæ, & deliberato consilio miserunt Marchionibus mille milites. Marchiones, qui erant inclusi cum Advocato Tarvisii, & tota militia, exeuntes Ferrariam, & pugnantes contra inimicos, qui exercitum suum fortificaverant extra portas, fortilicias inimicorum intraverunt violenter. Tunc Comes de Miniato (14), qui Legati regebat exercitum, se cum suis Guasconibus opposuit inimicis. Post dirum bellum, & multas strages occisorum, Marchiones obtinuerunt totum Campum. Ea die Raynaldus Marchio recepit honorem militiæ à Domino Advocato Tarvisii, qui postea milites fecit Obizonem, & Bertoldum cum filio. Per Marchiones, & alios nobiles de Ferraria capiuntur sex galeæ, & navilium universum. Capitur dictus Comes, & cum eo sex milites de Guasconia, duo Nepotes Domini Legati, Dominus Raymundus de Valle cum filiis duobus, & multi nobiles de Guasconia: Banderarii verò XIV. Domini Galeotus, & Malatesta de Arimino, & Malatestinus (15), Ostasius de Polenta de Ravenna, Franciscus de Ordelaffis de Forlivio, Ugolinus de Como (16) de Bagnacavallo, Galeotus de Bagnacavallo, Lupus de Adelusiis de Imola. Omnes quasi prædicti erant Domini Civitatum in obedientia Romanæ Ecclesiæ constituti. Jacobinus de Aldigeriis de Parma, filius Potestatis Bononiæ, etiam capitur cum sexaginta (17) Nobilibus de Bononia. Omnes prædicti, licèt captivi à Marchionibus honorificè tractabantur: alia verò multitudo captivorum ducebatur, ut grex (18), quos Marchiones jusserunt liberè relaxari. In Pado multi fuerunt submersi; & fracto ponte, quem fecerant inimici, quidam Ferrarienses capti, & rebelles, fuerunt suspensi. Fuerunt prædicta eodem anno die Mercurii XIV. Aprilis.

Post hæc à carceribus liberati Domini Malatesta, & Galeotus de Malatesta in Arimino, & Franciscus de Ordelaffis in Forlivio revellaverunt Ecclesiæ. Legatus verò Dominum Ostasium de Polenta cum mero Imperio misit Ravennam, qui simili modo expulsis Guasconibus revellavit. Legatus stans Bononiæ in Castro suo, de consilio Regis Joannis, qui eum personaliter visitaverat, offerens se pro Ecclesia contra rebelles Ecclesiæ pugnaturum, casum adversum Joanni Summo Pontifici nuntiavit.

Revoluto Anno Domini, scilicet MCCCXXXIV. Nicolaus Marchio, qui erat in carceribus Domini Legati, relaxatur, pro cujus cambio Marchiones dederunt Nepotes Domini Legati, & alios Nobiles de Guasconia, retento solo Comite de Miniato, qui solutis L. millibus florenis fuit à carceribus liberatus, à sua captione XXXIII. mensibus jam elapsis.

CAP. IV.

MCCCXXXIII.

De secundo adventu Regis Joannis, & aliis.

CAptâ Brixiâ, ut supra dictum est, Rex Joannes, qui erat in Francia, deliberato consilio cum Philippo Rege Franciæ, Ludovico Imperatore deposito per Ecclesiam, ac etiam cum

(8) *Cod. Est. & II. Amb.* Caroli.
(9) *Cod. Est.* Castra LX.
(10) *Cod. I. Amb.* in anno sequenti recessit. Die VIII. Augusti Tiso &c.
(11) *Cod. Est.* Novembris.
(12) *Codd. Ambr. ambo*: Eodem mense.
(13) *Cod. Collalt.* Tarvisinis, qui de Verona ea die venerunt Ferrariam, eam &c. *& ita Cod. I. Amb.*
(14) *Cod. Collalt.* de Miniaco, *& ita Codd. ambo Ambros. semper.*
(15) *Cod. Est. & I. Amb.* & Malatesta de Malatestis.
(16) *Cod. Collalt.* de Conio.
(17) *Ambo Codd. Ambr.* XL.
(18) *Cod. Collalt.* ut grex porcorum, *& ita Cod. I. Amb.*

cum Summo Pontifice, ductis secum duobus millibus galeatis, Parmam subitò introivit in MCCCXXXIII. mense Februarii. His Rex ostendit palàm se venisse, putans habere campestre bellum; cum militia enim sua equitavit, & Castrum Papiæ munivit; sed non profuit in futurum, ut supra dictum est in secundo Capitulo. Per campaneam Mediolani se publicè exhibuit, optans cum inimicis bellum habere campestre. Adversarii sustinendo deliberaverunt vincere sapienter. Rex Joannes videns adversariorum astutias, volens in Bytiniam (19) remeare, in Pischeria Veronensis districtus misit suos Legatos, Marsilium Rubeum de Parma, & alios Nobiles Theutonicos. Ubi etiam convenerunt Domini Mastinus, & Marsilius de Carraria, Ambassatores Mediolani, Ferrariæ, Mutinæ, & multi Nobiles Lombardiæ. Consensu omnium fiunt treguæ, scilicet inter Regem Joannem, Parmam, Mutinam, Regium, Cremonam, Lucam ex una parte: & Regem Robertum, qui tunc favebat Dominis Lombardiæ: Dominos de la Scala dominantes in Marchia Tarvisina, & Brixia: Azonem Vicecomitem Dominum Mediolani, & aliarum Civitatum: Marchiones Estenses: Ludovicum de Gonzaga Dominum Mantuæ: Franciscum Ruscam Dominum Comi, & inter omnes alias Civitates suæ ligæ.

Mense Augusti Rex Joannes primò misit filium suum Dominum Carolum Veronam, qui honorificè receptus, muneribusque receptis à Dominis de la Scala, & Marsilio de Carraria, quæ suis militibus dispensavit, equitavit Tridentum. Rex Joannes simulans se velle manere, fuit Bononiæ cum Legato, qui Capitaneum suæ militiæ constituit Petrum de Rubeis, qui cum exercitu Legati, & Theutonicis Regis contra rebelles Ecclesiæ fecit egregia; Rex verò, cùm esset in Parma, Rolandum Rubeum ibi constituit suum Vicarium: Marsilium etiam Dominum voluit esse in Luca. Quartus verò frater, scilicet Dominus Ugolinus de Rubeis Episcopus est in Parma. In Mutina constituit suum Vicarium Dominum Manfredum de Piis: in Regio Dominos de Fojano: in Cremona Ponzonum de Ponzonibus. His ita dispositis die XIX. Octobris veniens Veronam, fuit summo honore receptus, omnibus alacriter obviam occurrentibus. In apparatu omnis mensa argento fulgebat, & auro. Domini Albertus, & Mastinus ipsi Regi dextrerios, & dona nobilissima sunt largiti, qui statim ea permisit suis Comitibus: tantæ enim largitatis erat, ut omnia propria dispensaret. Dominos de la Scala, & Marsilium de Carraria, ita familiariter habuit, ac si factum Brixiæ non fuisset: palàm tamen dixit, ideo in Alemanniam se festinare, ut de voluntate Regis Franciæ pacem inter Ecclesiam, & Imperium duceret ad effectum. Die verò XXI. Octobris cum centum equis exivit Veronam, sociatus Domino Marsilio usque ad Clusam.

Eodem anno, & mense Junii Gentes de la Scala ceperunt Grignum violenter contra Xicum de Caldenacio suum rebellem.

CAP. V.

MCCCXXXIV. Die VI. Martii.

Quomodo Legatus dominium Bononiæ acquisivit, & de ejus expulsione.

BEltrando Episcopo Cardinali Legato Romanæ Ecclesiæ in Placentia, Bononia supplicavit auxilium implorando. Infestabatur enim durissimè à Marchionibus Estensibus, & Passarino de Bonacossis, tunc Domino Mantuæ, & Mutinæ: qui Bononiæ Dominus nomine Romanæ Ecclesiæ constitutus, à persecutione hostium eam totaliter liberavit: Romandiolam, & Marchiam ad mandata reduxit Ecclesiæ: Ferrariam subjugasset omnino, si in ejus obsidione non fuissent proditores: Bononiam muro circumdedit, ubi construxit forte Castrum: expulsos reduxit ad Patriam, quorum in numero fuerunt Thadæus Pepulus, & Brandalise de Gozadinis, & hos milites fecit, & nobilissimo honore tractabat: aliis civibus justitiam conservabat: Civitatem cum Studio reformavit in totum.

Cùm verò Marchiones obsidione superatam jam haberent Argentam, & exercitus Legati esset ex opposito Ferrariæ juxta Turrim, & multæ Civitates essent jam rebelles Ecclesiæ, Brandelise de Gozadinis, immemor beneficii jam accepti, conjurationem (20) palàm detexit, contra Legatum populum commovendo. Fiunt cædes, expelluntur Guascones: ipse Legatus in opprobrium Summi Pontificis latuit in Castrum. Interim Episcopus Florentiæ cum Ambassatoribus & militibus de Florentia Bononiam ivit, qui Dominum Legatum secum duxerunt Florentiam, ubi fuit summo honore receptus. Qui transiens per Pisas ivit Avinionem (21).

Bononienses verò (22) venientes in se arma, multos expulerunt extra propriam Civitatem. Fuerunt hæc in MCCCXXXIV. die XVI. Martii à principio sui Dominii septem annis jam elapsis. Die verò II. Junii domibus igne crematis, homicidiis commissis expelluntur de Bononia Becadelli, Baterii (23), Gallucii, Rovarii, & alia maxima multitudo. Soli amodo Pepuli, & Gozadini regunt Civitatem. Ex hoc furore Summus Pontifex cum Domino Legato gaudia magna sumit.

Eodem anno, die IV. Decembris Joannes Summus Pontifex migravit ad Dominum, Anno Pontificatus XIX. Cessavit Episcopatus diebus XV. De consensu omnium Cardinalium, qui convenerunt in Avinione, eligitur Jacobus Cardinalis de Tolosa de Ordine Cistercienslum, dictus postea Benedictus XII. Hic Joannes obscurissimè natus, sua bonitate & scientia, operam tamen dante Rege Roberto, per multos gradus ascendit ad Papatum. Qui Ludovicum Ducem Bavariæ Romanorum Regem excommunicavit, & deposuit. Multa bella gessit per suos Legatos contra rebelles Ecclesiæ in partibus Lombardiæ. De Bononiensibus, & processibus factis contra eos dicetur inferiùs.

CAP.

(19) *Cod. Est. & Collalt.* volens in Bohemiam, *& ita Cod. I. Amb.*
(20) *Cod. Collalt.* conjuravit palàm, contra dictum Legatum populum commovendo. Ex quo fiunt.
(21) *Cod. Collalt.* ivit Januam. Bononienses inter se divisi ad arma concurrunt, & se alterutri ex Civitate expellunt, *& ita Cod. I. Amb.*
(22) *Cod. Est.* venientes inter se ad arma. *Lego* vertentes. *Osius*.
(23) *Cod. Est.* Boacerii.
Cod. Collalt. Boaterii, *& ita Cod. I. Amb.*

CAP. VI.

MCCCXXXV.

De obsidione Columnii, & aliis.

STatim eodem anno, & mense Januarii Dominus Mastinus cum militia, & peditibus Marchiæ Tarvisinæ, & omnibus suæ ligæ, scilicet Ferrariensibus, & Mantuanis, Mediolanensibus, & Florentinis, quibus promissum fuit per omnes de liga recuperare Lucam, equitavit contra Parmam, & exercitum posuit juxta Colurnium. In oppositum verò Marsilius de Rubeis cum militibus Theutonicis, & Latinis (24) de Parma, Mutina, Regio, Luca, palàm stetit in campis, contra inimicos alacriter pugnaturus. Dominus Mastinus distulit pugnam sapienter. Interim ejus exercitus in tantum crevit, undique gentibus convocatis, quòd inimici de campo (25) civiliter recesserunt. Amodò illi de Colurnio de omni auxilio desperantes, mense Octobris Domino Mastino se dederunt.

(26) Mense verò Septembris Dominus Mastinus antiquos (27) factores illorum de la Scala jussit incarcerari, inter quos fuit Dominus Conradus de Imola, qui XL. annis fuit Judex Maleficiorum in Verona, ipsos etiam in tormentis fecit reddere rationem, & maximis divitiis eos privavit; aliqui verò in carceribus perierunt.

Die primo Novembris incœpit regimen Federici de Ubertis, qui successit Domino Petro (28) del Messa de Verona (29). Hic Federicus in suo regimine Paduæ exstitit gratiosus.

Revoluto Anno Domini, scilicet in MCCCXXXV. mense Martii Nobiles de Flesco expulsi fuerunt de Janua. Eodem mense obiit Henricus Dux Karintiæ, cui successit Joannes filius Regis Boemiæ, ejus gener. Postea exercitus ducitur contra Regium, quod fuit defensum per Dominos Guidonem, & Gibertum de Fojano, auxilio Theutonicorum Regis Joannis. Hi Domini de Fojano Dominis de la Scala, & de Corrigio jungebantur maxima parentela; quod non profuit, quoniam prædicta fiebant in favorem Ludovici de Gonzaga, qui prædictis auxilium promiserat contra Parmam. Hi tamen expulsi de Regio facti sunt stipendiarii Dominorum de la Scala.

Marchiones Estenses contra Mutinam duxerunt exercitum, ubi dominabatur Manfredus de Piis, Vicarius Regis Joannis, qui Civitatem tunc defendit contra hostes.

Ultimò Dominus Mastinus cum toto suo guarnimento se posuit juxta flumen Lenize (30), pugnaturus contra Dominos de Rubeis, & Theutonicos Regis, qui erant in Parma, hortatu Avunculorum suorum de Corrigio. Luchinus Vicecomes, Dux exercitus Mediolani, declinare (31) recusavit ad pugnam. Fit in exercitu tumultus Theutonicorum pugnantium inter se. Unde Dominus Mastinus timens proditionem, & inimicorum potentiam, inordinatè equitavit Veronam: post cujus recessum Petrus Rubeus cum Theutonicis circuivit omnia Castra Dominorum de Corrigio, & secum contulit magnam prædam.

Eodem anno, mense Decembris, die penultimo, extrinseci de Como cum militibus Mediolani furtivè intraverunt Civitatem, & Dominum Ravizam vulneraverunt, qui post triduum exspiravit. Cujus frater Dominus Franceschinus Rusca, Dominus Civitatis, auxilio Populi fecit inimicos turpiter remeare. Fuit hoc auxilio Pagani Advocati, de quo dictus Franceschinus plurimùm confidebat. Favebat enim Domino Azoni Vicecomiti.

(*) Duo fratres fuerunt de Camino, nobilissi-

---

(24) *Cod. Collalt.* Italicisque.

(25) *Alii* curialiter, *& ita Cod. Amb. I.*

(26) *Additamentum Codicis Collaltini.* Mastinus pecuniis inhians antiquos Factores Dominorum de la Scala jussit omnino carcerari, excepto quodam, qui fuerat natione Tridentinus, ad stipendia pedestria pridem operatus, & exinde Factor constitutus multas conflaverat pecunias. Ad quem ille; *Domine mi sine, ut tibi ostendam rationes, & breviter. Nolo*, ait Mastinus, *inducias*. Ad quem ille: *non pluries, quam summo mane*. Et vento mane Tridentinus ille adactis sarcinulis, quas secum pauper advexerat, deinceps oneratis quampluribus portitoribus auro & argento non modico, ad præsentiam accessit dicti Mastini, illi sarcinulas ostendens ac dicens: *Hæ siquidem, Domine mi, meæ sunt. Aurum verò & argentum huc, ut vides, advectum, ex tuo conflatum, tuum est, & ego utique. Jube de illo, & me, ut libet*. Tunc Mastinus ad se reversus ait illi; *Volo, ut fraternaliter partiamur: & quia fidelis fuisti, prosequere quæ cœpisti*. Non sic Conrado de Imola accidit, qui quum XL. annis maleficiorum Judex exstitisset in Verona, illum in tormentis de commissis fecit reddere rationem, & infinitis divitiis spoliavit. Aliqui verò alii in carceribus periere.

(27) *Al.* fautores.

(28) *Cod. Est.* Portæ.

(29) *Cod. Amb. I. addit* in Padua.

(30) *Cod. Collalt.* Lizeni in Valle Viridi, ubi est pons & locus transeuntibus non securus.

(31) *Cod. Collalt.* congredi.

(*) *Additamentum Codicis Collaltini.* Duo nobilissimi Milites fratres de Camino Cives Tarvisini, Rizardus scilicet & Gerardus, nepotes Biachini de Camino, qui unicum filium habuit Tolbertum natum ex Domina Samaritana de Malatestis, Biachinum prædictum juvenem pulcherrimum, & cunctis in dotibus eminentem laqueo suffocarunt, quos ille filialiter circa Festa Paschalia visitaverat, credens festa secum amœniter celebrare. Quo mortuo repentè invaserunt Castra Cæsalti, Portus Buffoledi, & Mothæ, utrisque etiam Tolberto cum ejus matre expulsis. Statim eodem anno, mense Junii Malatesta de Malatestis cepit Dominum Ferrantinum de Malatestis patrem dictæ Dominæ Samaritanæ de Malatestis, germanum suum, & Arimini dominium sibi vindicavit.

Bartholomæa de Scrovignis uxor Marsilii de Carraria Brixiæ subitò exspiravit, veneno, ut ab omnibus dicebatur. Nam Mastinus de la Scala rem secum habere dicebatur. Marsilius cautè Veronam repetens, Brixiam equitavit, & lacrymans ejus interfuit sepulturæ, cujus corpus demum Paduam translatum in Capella juxta Sanctum Antonium est sepultum. Marsilius considerans varios rerum & locorum motus, & videns sibi Brixiam subesse, & divitias infinitas possidere, ac quidquid mandabat in tota Marchia servabatur, unum solum sibi posse nocere animadvertit, dicens: *Jam Guido & Azzo de Corrigio avunculi Dominorum de la Scala, expulsi de Parma per germanos meos de Rubeis, de me suspicionem habentes, ne eis dominium Parmæ impedirem, procurare possent mortem meam cum Dominis de la Scala. Consilium ergo sit, ut uxorem accipiam Beatricem filiam Guidonis de Corrigio de voluntate Dominorum de la Scala.* Tunc Veronæ fit Curia generalis, & ibi convenerunt Nobiles Brixiæ cum Judicibus, & aliis multis Nobilibus, & Judicibus Marchiæ Tarvisinæ, indutis pulcherrimis vestibus, tam masculis, quam mulieribus. Ibique aderant cuncti Milites partium prædictarum vestibus aureis rutilantes. Nec deerat histrionum atque joculatorum maxima copia. Scaligeris præsentantur dona à Civitatibus, Terris, &

Ca-

lissimi milites; Bianchinus (32) verò duos habuit nepotes Rizardum, & Tolbertum (33); Tolbertus verò unicum filium habuit Bianchinum, natum ex Domina Samaritana de Malatestis. Hic Bianchinus pulcher, & juvenis in Castro Motæ strangulatur per Gerardum suum Nepotem. Hunc Bianchinus visitaverat, ut secum festa Paschalia celebraret. Hoc facto ejus occisores invaserunt Cesaltum, Portum Busoleti, & Motam, communia prædictorum Castra, matre Bianchini expulsa (34).

Statim eodem anno mense Junii Dominus Malatesta cepit Dominum Ferrantinum, Patrem dictæ Dominæ, suum germanum, & Arimini dominium occupavit.

CAP. VII.

MCCCXXXIV.

De Nuptiis, & Curia Domini Marsilii de Carraria.

Bartholomæa de Scrovegnis, uxor Domini Marsilii, in Brixia ita subitò exspiravit, quòd venenata ab omnibus dicebatur publicè. Dictus Dominus Marsilius, qui tunc erat Veronæ, cum lachrymis ejus interfuit sepulturæ: corpus postea Paduæ in pretiosa Capella juxta Sanctum Antonium est sepultum. Dominus verò Marsilius solus sedens in thalamo, ait: *Brixia mihi subest, divitias possideo infinitas, quod præcipio, obtemperatur* (35). *In Marchia unum solum nobis posset esse periculum. Nam Domini Guido, & Azo de Corrigio, Avunculi Dominorum de la Scala, expulsi de Parma per germanos meos de Rubeis, de me suspicionem habentes, ne eis dominium Parmæ impedirem, procurare possent mortem nostram cum Dominis de la Scala. Accipiamus ergo uxorem de voluntate Dominorum Beatricem, filiam Domini Guidonis de Corrigio.* Alii dicunt, etiam vivente uxore dictum matrimonium ordinatum dispensatione (36) Papali. Veronæ fit curia generalis; ibique convenerunt Nobiles cum Judicibus Brixiæ, & totius Marchiæ Tarvisinæ cum pulcherrimis vestimentis Dominarum, histrionum, & militum curialium maxima comitiva. Fiunt dona à Civitatibus, Castris, Civibus, Clericis, & Privatis. Fuerunt etiam hastiludia, giostræ, torneria, & omnia solatia cogitata. Fuit decem diebus Curia generalis, & omnium victualium tanta copia, quòd leviter tota Verona potuit satiari. Quadringentæ vestes fuerunt Curiæ præsentatæ. Nuptiis celebratis Dominus Marsilius Dominabus Paduæ donavit multas (37) listas, histrionibus pulchras vestes, quibus deficientibus, omnibus in auro, vel argento voluit providere. Ultimò referens omnibus de donis, & honore grates magnas, cunctis dedit licentiam recedendi.

A Fuerunt prædicta Veronæ in MCCCXXXIV. die Mercurii XIII. Junii (38).

Abbas Sanctæ Justinæ de Padua, cujus possessiones Marsilius tenebat in totum, ad ejus mandata ivit Veronam, supplicans, ut se cum suis fratribus de parte redituum valeat sustentare. Qui videns se esse Veronæ quasi captum, mense Augusti clam recessit, & fugit.

Die XX. Octobris, Beltrandus de Sancto Genesio de Guasconia, Aquilejensis Patriarcha, intravit Paduam honorificè, in Aquilejam transiturus.

CAP. VIII.

B

Eodem Anno.

De Brixello, & aliis.

Eodem Anno mense Augusti Dominus Mastinus de la Scala, Azo Vicecomes, Ludovicus de Gonzaga, & Marchiones Estenses, qui simul conjuraverant contra Regem Boemiæ, & Azonem de Corrigio, qui erant Avunculi Dominorum de la Scala (39), miserunt literas Regi, qui erat in Baveria, nuntiantes, cum eo ampliùs nolle treguas. Similia nuntiata fuerunt Parmæ, Mutinæ, Regio, & Cremonæ. Post hæc Rizardus de Camino, qui sororem Dominorum de la Scala habebat uxorem, & Guido C de Corrigio duces exercitus totius Marchiæ Tarvisinæ, totum exercitum duxerunt in Brixello. Facto verò ponte supra Padum, & ædificato ligneo magno Castro, discurrentes usque ad Portam Parmæ damnificabant quamplurimum inimicos.

Mense verò Februarii CCC. milites equitaverunt contra Regium, quos Petrus Rubeus Capitaneus Theutonicorum, qui erant in Parma, in quodam campo foveis circumdato taliter incluserunt, quòd absque pugna cum armis, & equis se dederunt. Hoc facto fit turbatio Dominis antedictis. Unde exercitus ducitur contra Cremonam. Ponzonus verò de Ponzonibus, Vicarius Regis Joannis, promisit dare Cremonam D dictis Dominis, si Rex Joannes non eidem in fine mensis Julii subveniret. Unde per dictum Dominum Ponzonum data fuit Cremona Domino Azoni Vicecomiti mense Julii MCCCXXXIV. Mortuo duce Carintiæ successit Joannes filius Regis Bohemiæ, ejus gener.

Die Martis IX. Madii Baylardinus incœpit regimen Civitatis Paduæ. Eodem mense prædicatum fuit passagium contra Saracenos, quod in effectu non fuit aliud, nisi pecuniam cumulare (40).

Mense Januarii elapso die XXII. Nicolaus Estensis Marchio uxorem duxit filiam Ludovici de Gonzaga. Ferrariæ fuit Curia generalis. Eodem anno filia Regis Siciliæ, Neptis Regis Apu-

E

Castris illis subditis, Civibusque, Burgensibus, Clericis, & Laicis, atque privatis; & repertæ sunt quadringentæ vestes illis collargitæ. Facta sunt hastiludia, jostræ, torneria, & alia quæcumque virilia atque nobilia, quæ sensu hominum excogitari potuerunt. Quæ quidem decem diebus durante Curia non cessarunt, ubi omnium victualium tanta copia confluxit, quòd nedum Verona, sed etiam Roma, Florentia, Mediolanum, atque Venetiæ potuissent saturari. Nuptiæ prædictæ celebrantur, & Marsilius de Carraria Dominabus Paduanis multa jocalia condonavit, & joculatoribus multas vestes, quibus deficientibus aurum & argentum pro supplemento largitus est. Quibus diebus & Curia completis, Mastinus Scaliger omnibus licentiam repatriandi condonavit. Fuerunt prædicta in MCCCXXXIV. die Mercurii XIII. Julii.

(32) *Cod. Est.* Biachinus *semper*.
(33) *Cod. Est.* Gerardum, *& ambo Amb.*
(34) *Cod. Amb. I.* Tolberto cum ejus matre expulsis.
(35) *Cod. Amb. I.* obtemperatur in Marchia. Unum enim solum &c.
(36) *Codices Ambr ambo* ordinatum non valeret; Nuptiæ dispensatione Papali egerent.
(37) *Cod. Est.* pulchras, *& ambo Ambr.*
(38) *Ambo Codd. Ambr.* Julii.
(39) *Cod. Collalt.* Scala, annuentes prædictis.
(40) *Cod. Collalt.* pecuniarum exstirpatio.

Apuliæ, futura nurus Imperatoris Ludovici rebellis Ecclesiæ, intravit Paduam, sociata (41) uxore Domini Alberti de la Scala, & aliis nobilibus Dominabus. Die VII. Junii recepit similia in Verona.

CAP. IX.

MCCCXXXV.

De discordia Venetorum, & Patriarcha, & morte Rizardi de Camino.

Mense Martii Beltrandus Aquilejensis Patriarcha furtivè abstulit Venetis Castrum Vallis (42). Veneti indignati, congregaverunt exercitum suum militum, & peditum juxta Polam. Discurrit exercitus destruendo Forum Julii. Semel verò Patriarcha cum Furlanis, & Theutonicis contra gentem Venetorum occurrens multos cepit. Dum hæc geruntur, Rizardus de Camino cum exercitu obsedit Sacile, ostendens se contrarium Patriarchæ. Domini de la Scala, gaudentes de iis discordiis, Partes incitabant ad guerram, & cuilibet clam favebant. Partes eorum insidias timuerunt, & inter eos pax convênit, Venetis restituto Castro Vallis.

(43) Pace facta cum Venetis, Patriarcha sinè mora equitavit contra Rizardum, qui fortis, & audax, se contra eum direxit ad pugnam: sed post multas strages occisorum, relicto campo fugit Serravalle. Rizardus volens de Patriarcha sumere ultionem, à Dominis de la Scala, quorum sororem habebat uxorem, auxilium personaliter imploravit, qui auxilio denegato de Verona rediens Serravallum, fessus verberibus belli, tristitia captus, febre correptus, mense Septembris sinè herede masculo solvit debitum naturale. Fuisse tamen hunc Nobilem veneno extinctum publica fuit opinio. Ea die defecit nobilis progenies de Camino. Nam Gerardus, primò expulso Gerardo à Castellis, dominium habuit in Tarvisio, omnibus gratiosus. Post eum Rizardus ejus filius, qui propter stupra gladio periit. Fuit tamen miles largus, fortis, & audax. Eo mortuo successit in dominio Dominus Guecilus alter filius, qui ab occisoribus fratris expulsus fuit de Tarvisio: qui Dominam Verdam de la Scala recepit in nurum, quam habere postea recusavit. Hic per Dominum Canem de la Scala expellitur de Feltre, & obiit Serravalle. Filius ejus Rizardus simili modo expellitur de Serravalle, qui rediens ad mandata Domini Canis reduxit uxorem. Mortuo verò Domino Cane, Rizardus per Dominum Albertum & Mastinum restitutus fuit ad dominium Serravallis. Per potentes igitur fratres de la Scala Serravalle, & per Dominam Verdam apprehenditur hereditas Domini Rizardi, nomine filiarum. Ex descendentibus verò nobilis Viri Bianchini de Camino, sunt duo fratres Rizardus, & Gerardus, qui se Dominis Venetis conjunxerunt, ut dicetur inferiùs. Eodem anno, scilicet MCCCXXXV. mense Septembris, Dominus Marsilius renunciavit regimen Brixiæ, cui successit Manfredus Marchio Malaspina.

CAP. X.

Eodem Anno, & mense Madii.

De Parma, & Luca, & morte Raynaldi Marchionis.

Eodem anno, & mense Madii venerunt juxta mœnia Urceorum Azo Vicecomes, Mastinus de la Scala, Obizo Marchio, filius Ludovici de Gonzaga (44), Ambassatores Florentiæ, qui optantes omnino nomen Regis Joannis deficere (45) in partibus Lombardiæ, Civitates Regis inter se taliter diviserunt. Azoni Vicecomiti assignarunt Placentiam, & Burgum Sancti Domnini: Marchionibus Estensibus Mutinam: Ludovico de Gonzaga Regium: Dominis de la Scala Parmam: Communi Florentiæ Lucam. Quæ omnia juraverunt recuperare, & totaliter adimplere.

Dum hæc geruntur, Marsilius de Rubeis festinanter equitavit in Franciam, & Regis Joannis auxilium imploravit, qui ait. *Sumus maximis negotiis impediti, quæ procurabimus expedire, ut valeamus vestris necessitatibus subvenire.* Post hęc in Avinione Benedicto Summo Pontifici ait: *Sancte Pater, legatus vester turpiter est expulsus de Bononia; inimicorum Ecclesiæ crescunt vires: nisi ei succurratur, deficiet nomen Ecclesiæ in partibus Lombardiæ,* quo-

(41) *Ambo Codd. Amb.* sociata equis cum uxore &c.
(42) *Cod. Collalt.* Vallis in Histria; ex quo Veneti &c.
(43) *Additamentum Codicis Collaltini.* Qua pace facta Patriarcha prædictus intendens ulcisci de Gerardo de Camino, adversùs illum paravit exercitum. Nec impigrè se gessit audax & fortis Rizardus Comes de Camino; nam suo protinus exercitu comparato, obviam occurrit Patriarchæ Aquilejensi prædicto ultra Liquentiam, ubi utraque pars ad pugnam congressa est, & hinc inde viriliter est pugnatum. Sed tamdem post mutuas strages occisorum, exercitu Patriarchæ de hora in horam accrescente ex Populis Patriæ Forojulii undique confluentibus, dictus Rizardus se cum gentibus suis sapienter intra Serravallum continuit. Et ad Dominos de la Scala, quorum sororem habebat uxorem, auxilium poposcit, cui extitit denegatum. Nam Scaligeri advertentes illius audaciam atque ferocitatem, timebant, ne altius ascenderet. Rizardus autem fulminans, quòd non posset juxta velle ultionem sumere de dicto Patriarcha, adversa valetudine ac febribus correptus, licèt suspicio exstiterit, quòd fuisset venenatus, viam universæ carnis sequutus est, nullo ex se masculo descendente relicto. Et ex illa die defecit Nobilis progenies illorum de Camino, qui quondam Tarvisio fuerant dominati. Nam Gerardus à primo alio Gerardo dominium habuit in Tarvisio, qui fuerat omnibus gratiosus. Post eum Rizardus ejus filius, qui propter stupra commissa gladio est peremtus, ut meminimus in præmissis, qui tamen fuerat Miles largus, magnanimus fortis, & audax. Cui successit Guecelus alter filius, qui etiam ab occisoribus fratris fuit expulsus de Tarvisio. Receperat enim Viridem de la Scala in nurum, & exinde illam recusaverat, quasi indignam suo sanguini debere conjungi. Propter quod per Scaligerum de Feltro expellitur, ubi tunc dominabatur, & obiit Serravalle, de quo etiam Rizardus filius ejus per prædictum expellitur. Sed rediens ad mandata Scaligeri, supradictam uxorem duxit, & per Albertum & Mastinum restitutus est ad pristinum dominium Serravallis. Quo quidem mortuo Domina Viridis de la Scala illius hereditatem apprehendit nomine filiarum. Ex descendentibus namque Viri nobilis Biachini de Camino exstant duo fratres Rizardus & Gerardus, qui se Venetis conjunxerunt, & Venetiarum Nobiles facti sunt.
(44) *Cod. Amb. I.* Obizo Marchio Estensis, Ludovicus de Gonzaga.
(45) *Cod. Collalt.* abolere in partibus Lombardiæ, nec minùs per omnem Italiam.

quoniam Luca, *Parma*, *Regium*, *Mutina crudeliter infestantur*. Ex opposito pro Dominis de la Scala, coram Summo Pontifice supplicabant Domini Azo de Corrigio, & Marchio Malaspina, allegantes, Civitates prædictas, & Dominos de Rubeis fuisse rebelles Ecclesiæ temporibus retroactis, ac etiam cum Ludovico Imperatore contra Ecclesiam conjurasse.

Mense Junii Dominus (46) de la Scala cum copioso exercitu totius Marchiæ, & omnium Civitatum suæ ligæ equitavit contra Parmam. Domini de Rubeis, scilicet Rolandus, Marsilius, Petrus, Ugolinus fratres deliberaverunt se, & Parmam dare Domino Azoni Vicecomiti, vel Communi Florentiæ; quod non (47) profuit, recusantibus Florentinis, & Domino Azone Vicecomite, & nolentibus aliquid facere contra ligam. Ex pacto enim ligæ Domini de la Scala habere debebant Parmam. Ultimò de omni auxilio desperantes, tractatu Domini Marsilii de Carraria sui germani, & promissionibus infinitis, Parmam dederunt Dominis de la Scala. Die verò XXI. Junii Dominus Albertus Parmam intravit, ibique constituit suum Vicarium Dominum Guidonem de Corrigio suum Avunculum, & Socerum Domini Marsilii de Carraria, Dominorum de Rubeis inimicum. Cum Domino Alberto venerunt Veronam Marsilius, & Rolandus de Rubeis; Petrus verò Rubeus rebellis erat in Luca.

Mense Julii, Domini Guidus (48) & Gibertus de Fojano dederunt Regium Dominis de la Scala, qui illud Domino Ludovico de Gonzaga, Domino Mantuæ, dederunt jure feudi. Ludovicus indignatur, asserens se debere habere Regium liberum ex pacto ligæ. Qui iram dissimulavit in totum.

Eodem mense Dominus Azo Vicecomes equitavit cum exercitu contra Comum, ubi dominabatur Franceschinus Rusca, qui ab omni auxilio destitutus, se & Civitatem dedit. Mense Augusti Dominus Azo equitavit versùs Laude, qui, apertis januis à Civibus, Civitatem intravit: Monarium, qui dominabatur ibidem, omnibus odiosum, Mediolanum secum duxit.

Domini de la Scala, contra pacta suæ ligæ, voluerunt habere Lucam, ubi dominabatur Petrus Rubeus. Unde tractatu Domini Marsilii, (49) precibus, pretio, & promissione, mense Novembris Dominus Petrus, qui Civitatem defendere non sperabat, quam etiam Florentini recusaverant, non volentes facere contra ligam, carens amodo omni spe, Civitatem dedit Dominis antedictis; dictus verò Petrus Paduam vênit.

Statim mense sequenti, nobilis legatio de Florentia, Veronæ coram Dominis sapienter exponit, Commune Florentiæ ante omnia desiderare amicitiam, & honorem, & statum Dominorum Alberti, & Mastini de la Scala. Verumtamen erat secundùm pacta ligæ, Lucam esse debere in Dominio Communis Florentiæ. Unde cum omni reverentia postulavit Lucam dari Dominis & Communi Florentiæ. Pro expensis autem factis circa recuperationem Lucæ, obtulit magnam quantitatem, & ultra expensas centum millia florenos (50); aliter enim inter partes posset oriri discordia. Domini de la Scala, consilio Marchionis Spinetæ, qui regnare desiderabat in Luca, se excusantes, & dicentes, Lucam à Domino Petro ex causa pignoris recepisse, & se obligatos ad restitutionem etiam vinculo sacramenti, p stulata facere recusabant. Florentini de fide rupta conqueruntur, & se conjunxerunt in ligam cum Venetis contra Dominos de la Scala, de quo dicetur inferiùs.

Prædicto mense Junii Raynaldus, & Obizo Marchiones Estenses exercitum posuerunt circa Mutinam, & cum bastiis, seu castris (51) intrinsecos incluserunt. Manfredus de Piis, Vicarius Regis Joannis, Mutinam defendebat. In hoc exercitu Raynaldus Marchio infirmatur morbo cancri juxta oculum, qui mense Decembri Ferrariæ exspiravit. Eo defuncto Obizo, & Nicolaus Marchiones duriùs incluserunt Mutinenses (52). Manfredus de Piis, videns se victualibus carere, & omni auxilio se privatum, retentis fortilitiis Sancti Felicis, & Castro Carpi cum suis juribus, Domino Mastino dedit Mutinam, quam habere permisit Marchionibus jure feudi. Unde revoluto Anno Domini, scilicet MCCCXXXVI. die XIII. Madii Obizo Marchio introivit Mutinam.

Eodem anno de mense Martii Burgum Sancti Domnini datur Domino Azoni Vicecomiti per Dominos de la Scala. His ita dispositis, fama Regis Joannis Boëmiæ, filii quondam Imperatoris Henrici, evanuit ut fumus in partibus Lombardiæ.

(46) *Cod. Estens. & Collalt.* Dominus Albertus, *& ambo Ambros.*
(47) *Legunt alii* non convenit.
(48) *Cod. Collalt.* Guido Riccius, & Gibertus &c. *ut in Cod. I. Amb.*
(49) *Cod. Collalt.* Marsilii de Carraria.
(50) *Cod. Collalt.* ducatorum.
(51) *Cod. Collalt.* castris lignaminum.
(52) *Cod. Est. & Collalt.* intrinsecos, *& ita Cod. I. Ambr.*

Explicit Liber Quintus.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De potentia Dominorum de la Scala, & aliis.

Opprimebatur Padua mutuis, & datiis, & Cives etiam cogebantur exire Civitatem, & ſtare in Villis, ſpecialiter cùm Domini de la Scala hoſtiliter equitabant. Breviter, circa expenſas nullus ordo. Unde Dominicus Judex de Agrapatis, & ego, Legati expoſuimus Veronæ coram nobili Viro Marchione Malaſpina querimoniam de prædictis (1), ac etiam de juſtitia ſupplicantes. Ibi enim vidimus potentiam, & ſtatum Dominorum de la Scala, qui cœlum excedere videbantur. Erant enim in eorum Curia Veronæ primò Legati Aretini, qui Dominis prædictis obtulerunt claves, & dominium Civitatis; opprimebantur enim Aretini, à Peruſinis, & Florentinis. Dominus Marſilius, Rolandus, & Petrus de Rubeis, Domini quondam Parmæ, & Lucæ: Domini Marſilius, & Ubertinus de Carraria, Domini quondam Paduæ: Guezilus Advocatus, Dominus quondam Tarviſii: Domini Azo & Guido fratres de Corrigio, Avunculi Dominorum: Dominus Ribaldonus, Dominus quondam Novariæ: Vivarius Guertius de Vivario de Vicentia: Coradinus de Confaloneriis de Brixia: Gulielmus de Caſtrobarco: Manfredus de Piis, quondam Dominus Mutinæ, qui poſtea fuit ad mandata Marchionum: Guido Riccius, & Gibertus de Fojano Domini quondam Regii: Martinus de Caſtello de Civie (2): Lodriſius Vicecomes expulſus de Mediolano: Marchio Spineta: Comes de Chiaramonte, expulſus per Regem Siciliæ, Capitaneus Forenſis militiæ, & rebellis Eccleſiæ: Tres filii Caſtrutii de Interminellis, Domini quondam Lucæ, Piſarum, & Piſtorii: Ambaſſatores Florentiæ: Nuntii Ludovici Imperatoris etiam rebellis Eccleſiæ. Erat enim eorum Curia militibus prædictis, & aliis nobilibus copioſa. Fuerunt hæc MCCCXXXVI. menſe Februarii.

A

Sed quia fortuna non ceſſat mutare ſumma infimis, & infima ſummis, ſtatim menſe Aprilis cœperunt eorum facta in aliquo declinare. Nam Rolandus, & Marſilius de Rubeis fugerunt Venetias; Petrus verò frater, ſimulans ſe ire in auxilium Regis Joannis Boemiæ contra Ludovicum Imperatorem, fugit Pontremulum, qui fuerunt de Parma tamquam rebelles forbanniti, & ſic facti ſunt exules in Venetiis. Cauſa enim ſuæ fugæ dicebatur, quòd Domini de Corrigio, qui dominabantur in Parma, eorum amicos opprimebant injuſtè. Ipſi etiam à Dominis de la Scala minus honorificè tractabantur. Aſſerebant etiam, Dominos de Corrigio eſſe in Parma contra pacta, ac etiam ſibi mortis periculum eſſe ſub Dominis de la Scala.

B

Gulielmus de Caſtrobarco, qui neptem Domini Ubertini de Carraria recepit in nurum, & filiam quondam Raynaldi de Scrovegnis, dum eſſet in Curia Dominorum de la Scala, cum gentibus prædictorum equitavit contra ſuos germanos. Roveredum cremavit, & alias Villas; ipſe verò non ſuſtinuit idem in ſuis Villis. Ex hoc gaudent Domini de la Scala. Nam in ipſos per ambas partes fuit liberè compromiſſum. Fuit hoc menſe Madii.

Die VIII. Junii. Dominus Baylardinus Poteſtas Paduæ deſcendit de Palatio de mandato Dominorum, cui ſucceſſerunt in regimine de Verona Daniel Judex de Bocafolle: De Padua,

C

Dominicus de Agropatis, Leonardus de Pincotis (3) Vizerius (4) de Titulo, Gulielmus de Cortuſiis Judices. Die Dominico XXIII. ſucceſſit in regimine cum pleno arbitrio Federicus ab Equis de Verona.

Eodem menſe Dominus Petrus Rubeus revellavit in Pontremulo, contra quem cum exercitu mittitur Marchio Malaſpina. Die VIII. Junii horâ galli cantus fuit terræmotus, forſan pronoſticatio futuri metus in Marchia Tarviſina. Die XX. (5) Auguſti Dominus Henricus de Scrovegnis exul obiit, cujus corpus ſepultum eſt Paduæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Arena, quam fundavit, & dotavit in MCCCXXX.

D

CAP.

(1) *Additamentum Codicis Collaltini*. Querimoniam de prædictis fecere, & pro juſtitia circa tales expenſas modum & ordinem obſervari, abſque quibus nullum diu poteſt durare dominium, petierunt; quibus gratiosè reſpondit, excuſans Dominos præfatis tunc vacare non poſſe. Qua in Curia præſentialiter confluxerant primo Legati Aretini Dominis Scaligeris claves Aretii præſentantes, quod à Florentinis & Peruſinis aſſeruerunt graviter opprimi, & in obſidione detineri. Erantque ibi Marſilius, Rolandus, & Petrus de Rubeis fratres, Domini quondam Parmæ, & Lucæ; Marſilius & Ubertinus de Carraria, Domini quondam Paduæ: Guecelus Advocatus de Tempeſtis, Dominus quondam Tarviſii, qui diebus illis a Scaligeris de Anoali oppido ſuo in territorio Tarviſino per literas accitus fuerat accedere. Verùm quia in dubiis ſemper peſſimus augur timor eſt, ſuarum factionum conſcius, quas clàm cum Marſilio de Carraria habuerat, proviſus acceſſit ad illos, ſecum ducens XL. ex fidelibus ſuis Tarviſinis uno ſolum cum familio pro quolibet, equis & armis nobiliter conſtipatos. Nec Veronam niſi mane hora, qua Scaligeri conſueverant exſurgere, intrare voluit, conſcios aviſans, quòd unuſquiſque famulum proprium admoneat, ne ab equis diſcedant, vel loco, quo deſcenderint, donec ad illos revertantur. Et loci & horæ opportunitate jam capta, ad ſcalas Palatii reſidentiæ Dominorum deſcendens, cum prædictis ingreſſus eſt Cameram Dominorum, illis ſe offerens ad mandata, non minùs Dominorum vultus quàm verba conſiderans. Ad quem illi ignari, quemadmodum ad ſe venerat, dixerunt: *habemus neceſſe vos pro Oratore noſtro Mediolani mittere*. Tunc Guecelus Tempeſta Advocatus prædictus ſe illis morigerum obtulit, & ad manſionem ſuam illi per dictos Scaligeros condonatam acceſſit intra Civitatem prædictam, & paucis poſt diebus in legatione perrexit, & ad propria re-

E

meavit. Cujus fuerat finalis intentio, ſi verbis malis illum impetiiſſent, illos per fruſta ſecare, & adactis calcaribus Noalum repetere. Aderant & tunc Azzo & Guido de Corrigio &c.

(2) *Cod. Collalt.* de Cume. *Amb. I.* de Cune.

(3) *Cod. Eſtenſ.* Piricotis. *Cod. Amb. I.* Pinzotis. *II. verò* Pernicotis.

(4) *Cod. I. Amb.* Ruzerius.

(5) *Cod. I. Amb.* XXX.

CAP. II.

Eodem Anno.

Qualiter Domini de la Scala cœperunt declinare, & de captione Gerardi de Camino.

RUbeis jam fugatis, cœpit in quatuor locis discordia contra Dominos de la Scala. Primò Pontremuli, in quo Dominus Petrus Rubeus revellavit. Secundò propter Lucam, quam Florentini asserunt (6) habere Dominos de la Scala contra fidem: qui Petrum Rubeum elegerunt contra Lucam Capitaneum suæ militiæ. Tertiò, cum Venetis denegantibus dare sal, propter quædam pacta non servata Dominis de Venetiis, & contentionibus ortis in partibus Salinarum, ac etiam propter catenam positam à Dominis de la Scala in Pado juxta Hostiliam. Quartò propter Castra Motæ, Portus Busoledi, & Cumani (7) Gerardi, & Rizardi de Camino (8), quæ Domini de la Scala volebant auferre, asserentibus Venetis, dicta Castra esse in protectione Domini Ducis. Propter hoc Dominus Marsilius (9), ivit Venetias, tenuit curiam generalem, & pacem postulavit à Venetis denegatam. Unde die XXVI. Madii, jussu Dominorum de la Scala, Federicus ab Equis equitavit hostiliter ad loca Salinarum, & tunc cœpit reædificatio Castri Salinarum sumtuosa. Veneti in oppositum fecerunt aliud Castrum. Amodo ex utraque parte congregantur exercitus. Veneti verò se conjunxerunt in ligam cum Dominis de Florentia, & Capitaneum constituerunt suæ militiæ Marsilium de Rubeis, qui jussu Venetorum equitavit ad Castra Dominorum de Camino.

Die XVI. Julii Gerardus de Camino furtivè intravit Castrum Opitergii. Unde statim Dominus Albertus (10), sociatus Dominis Marsilio, & Ubertino de Carraria, Advocato Tarvisii, Marchione Malaspina, & militia, & peditibus Marchiæ Tarvisinæ, ac etiam cum auxilio Mediolani, invasit Opitergium. (11) Gerardus exivit, volens defendere molendina, qui se sentiens inhabilem pro defensa, terga dedit. Eum verò sequebatur Comes de Claramonte, qui unà cum eo intravit Opitergium cum Theutonicis, & Latinis. Spoliatur in totum. A Ipse Gerardus, qui erat in summo turris, fit captivus. Qui dum esset in Tarvisio carceratus, auxilio cujusdam pupilli fugit de carceribus: verùm (12) captus, pedibus, & manibus catenatur, postea verò mittitur Veronam: pupillus sententia capitali damnatur. Fuerunt hæc MCCCXXXVI. die XXVI. (13) Julii.

Secundò Dominus Marsilius ivit Venetias die XI. Augusti, in cujus adventum occurrerunt honorificè Domini Veneti usque ad Oriagum. Cùm intravit Venetias, variæ voces populi clamabant: *moriatur, moriatur*. Unde timuit ibi habere perpetuam sepulturam. Fuit solus cum Domino Duce, unde, quid fecerit, ignoratur. B In reditu verò à Nobilibus Venetis fuit honorificè sociatus.

Capto Opitergio, ducitur exercitus contra Caminum. Capitaneus, qui erat Venetus, nisi infra X. dies succurreretur, promisit Domino Alberto dare Castrum. Marsilius de Rubeis, qui erat in Mota cum gentibus Venetorum, paravit se ad pugnam: tamen destitit à proposito; Nondum enim exercitum suum congregaverat, expectans Dominum Petrum ejus fratrem cum Florentinis, Theutonicis, & Furlanis. Unde datur Caminum Dominis de la Scala XXV. Augusti.

CAP. III.

C *Eodem Anno.*

De Mestre, & adventu exercitus Venetorum.

PEtrus Rubeus, Capitaneus militiæ in Florentia, contra Lucam duxit exercitum. Gentes illorum de la Scala exeuntes Lucam viriliter occurrerunt. Fuit bellum acre nimis, rediit utraque pars victrix, & victa. Abstulit enim pars Florentiæ vexillum Imperiale cum multis aliis inimicis: Ipse verò Petrus amissâ suâ banderiâ cum multis aliis vix evasit. Fuit hoc mense Septembris.

Propter occupationem Opitergii, & Camini, D & captionem Gerardi, inter Communia Venetiarum, & Florentiæ, & Dominos de la Scala multiplicatur incendium. Precibus Dominorum Venetorum, Dominus Petrus Rubeus avocatur de Florentia, qui cum omni gaudio, omnibus oc-

(6) *Cod. Est. & Ambr. I.* afferuerunt. *Cod. Collalt.* afferebant.

(7) *Cod. Est., Collalt., & Amb. I.* Camini.

(8) *Cod. Collalt.* Camino, Nobilium & Civium Venetiarum.

(9) *Cod. Collalt.* Marsilius de Carraria nomine Dominorum de la Scala, ivit Venetias, ubi tenuit &c.

(10) *Cod. Est.* Mastinus.

(11) *Additamentum Codicis Collaltini.* Ad cujus protectionem congressus est audax Gerardus de Camino, studens molendina in flumine Montegani defendere. Et quum de inimicorum viribus fuisset edoctus, terga dedit; quem quum insequeretur Comes de Claramonte, exclamans dicebat: *Non est egregii Militis officium fugere.* Et cum illo pariter Opitergium intravit cum Theotonicis & Latinis. Spoliatur in totum ipse Gerardus, nec in arcem confugisse profuit, quem oportuit deditionem facere, & in captivitatem venire; & Tarvisium advectus fuit carceribus mancipatus. Nec multo post auxilio miseri cujusdam adolescentis quondam scutiferi sui de carceribus evasit; sed iterum captus compedibus atque manicis catenatur. Proh Urbium Magnates advertite, quod ubi quondam imperia regebatis, mox ipsi tamquam vilia mancipia illudimini per conversum. Exinde Veronam sub fida custodia deportatur; nec adolescenti par- citur, sed capitali judicio perimitur. Fuerunt hæc MCCCXXXVI. die XXVIII. Julii. Marsilius verò de Carraria iterum secundo Venetias accedit: in cujus ingressu Populus omnis exclamat: *Moriatur, moriatur.* Et ex hoc timuit, ibi anima & corpore functus quiescere.

Quæ sequuntur ex Codicibus Collaltino, & Ambrosiano I. desumta sunt.

E Revera ista cum dolo fiebant, ut in posterum cautius curanda pertingerent. Tandem Senatui Venetiarum orationem exposuit, & quodam die dum cum Duce Venetiarum in prandio esset, finxit cultellum à pane manu collapsum, & illum velle à sub mensa levare. Quod & Dux ipse perpendens, se flexit ad idem, ad quem Carriger ille Marsilius ait: *Si vos Paduæ Dominum adsciverο, quid ad me? Tu quidem*, ille respondit, *Dominus eris.* Erectis itaque jam dictis, nullo ex mensa de hujuscemodi sermone percipiente completum est convivium, & Marsilius recedendi licentiam quærit, qui & associatus Nobilibus Venetorum perrexit Uriagum, quò illi obviam venerant Scaligeri, & illum magnificè susceperunt. Capto Opitergio &c.

(12) *Cod. Est.* iterum. *Cod. Amb. I.* captus in fuga.

(13) *Codd. Est., Collalt., & Amb. I.* die XXVIII.

occurrentibus, cum ipso Duce Venetiarum, se in Ducali Palatio præsentavit, à Domino Francisco Dandulo, Duce Venetiarum, omnibus annuentibus, Capitaneus exercitus ordinatur. Fuit hoc primo die Octobris.

Tertio verò die Comites Tarvisii in Collalto, & Sancto Salvatore fuerunt (14) rebelles Dominorum de la Scala. Veneti, & Florentini, vigilantes circa destructionem illorum de la Scala, fecerunt edictum, quòd quilibet capiens, vel occidens unum ex Dominis de la Scala habere debeat florenos decem millia. Post hæc Capitaneum de Mestre pecunia corrumpere tentaverunt, qui suis Dominis omnia revelavit. Tunc secrete munierunt Castrum de Mestre militibus, & peditibus. Veneti verò, qui obsides receperant à Capitaneo dicti Castri filium, & uxorem, de Capitaneo confidentes recipiunt in castrum circa centum. Unde proditi capiuntur. Tunc jussu Marchionis Malaspinæ fecerunt luminaria in summo turris: sic enim à Domino Duce (15) extitit ordinatum. Viso signo Venetiis horâ noctis omnes cum maximo gaudio surrexerunt, sexcenti stipendiarii Venetorum supervenerunt volentes intrare Burgum, contra quos equitavit Dominus Albertus de la Scala, qui cum gentibus suis ibi extitit in occulto. Fiunt cædes, quasi enim omnes gladio perierunt; multi tamen suffocantur in aquis. Sic Veneti, qui simulato signo gaudebant, fine cognito doluerunt. Dominus Albertus Paduam revertitur cum victoria. Fuit hoc MCCCXXXVI. die XVI. Octobris. Eodem mense, die XXIV. comburitur Mestre, excepto Castro, jussu Dominorum de la Scala.

Eodem die, ducibus Domino Marsilio, & Petro de Rubeis, (16) Ziroldo de Bardis de Florentia, Andrea Mauroceno de Venetiis, & aliis nobilibus Theutonicis, & Latinis, exercitus Venetorum, & Florentiæ copiosus & potens (17), congregatus in Mota, transivit flumen Plavis, & se posuit in Quinto. Deinde transitum faciens per Miranum, & Vigontiam pervênit ad Brentam. Post transitum Brentæ in Paluello exercitus requievit. Gentes exercitus, discurrentes usque ad Portas Civitatis Paduæ, omnia trahebant in prædam, tunc tamen abstinentes ab homicidiis, stupris, & incendiis. Fuit hoc die Lunæ XXVIII. Octobris.

Die verò ultimo, Dominus Petrus, totius exercitus Capitaneus Generalis, cùm esset in Villa Plebis Sacci, Domino Mastino suis literis destinavit, se paratum ad pugnam; qui indignatus, visis literis noluit respondere, Dominum Petrum asserens proditorem, quem asserebat de sua Curia sinè causa debita recessisse rebellem.

Die prædicto Turris Curani comburitur, & deseritur à custodibus Paduæ. Hanc Veneti postea tenuerunt. Die V. Novembris totus exercitus Venetorum, & Florentiæ in Bovolenta congregatur, ubi ædificatur forte Castrum. Veneti exercitum victualibus, & aliis muniebant. Districtus Paduæ devastatur ubique.

Tempore hujus tempestatis Pontremulum, obsidione famis superatum, datur Dominis de la Scala. In hoc Dominus Petrus Rubeus primò revellavit, fugiens de Verona. Eodem

A mense Novembris Castrum Salinarum fortissimum cum navibus circumvenitur. Clugienses, existentes in Castro, de omni auxilio desperantes, consensu Dominorum de la Scala, salvis personis dederunt castrum in manibus Venetorum. Hoc castrum, factum in opprobrium Venetorum, causa faciendi sal in confinibus Paduanorum, à Venetis destruitur, & in signum victoriæ Venetias exportatur.

Eodem mense Cuniglianum (18) revellavit Dominis de la Scala. Sic cœperunt amodo declinare ad ima.

CAP. IV.

B *MCCCXXXVI.*

De furore, & rabie Theutonicorum, & aliis.

Exercitu Venetorum, & Florentiæ in Bovolenta laudabiliter congregato, Domini de la Scala, qui juxta Brentam obviare de facili potuissent, cum tribus millibus galeatis se paraverunt ad pugnam, & populo copioso. Erat autem Padua plena Theutonicis, & Latinis totius Marchiæ Tarvisinæ, de Brixia, Parma, Ferraria, & Mantua, de Castrobarcho, & aliis multis locis. Contra (19) eorum intentum impugnabant timor subjectorum, quos offenderant, & Theutonicus furor. Discurrentes enim Theu- C tonici per civitatem Cives cum uxoribus de propriis domibus expellebant, eorum bona in proprium usum convertentes: stupra, & homicidia committendo. Die primo Novembris ducentos occiderunt, & ultra. His, & similibus nunquam Paduæ fuit tantus timor, & tremor. Non solùm subditi; sed etiam Domini timuerunt. Per Villas modo simili discurrebant, trahentes rusticos captivos, ut oves. Triste spectaculum Paduanis: extrinsecus exercitus undique discurrebat. Absque spe salutis stat Padua in tenebris constituta.

Dum hæc geruntur, Dominus Marsilius Major de Carraria, palàm ait Domino Mastino: D *nisi tantis crudelitatibus obvietur, Gens nostra tota perit, & nos omnes*. Sic ejus consilio mille quingenti milites Theutonici mittuntur ad Est, qui terram Estensem cum suis Villis ultimò destruxerunt. Post hæc die XVIII. (20) Novembris Theutonici spoliabant Cives in Burgo Sanctæ Crucis. His Dominus Ubertinus de Carraria subitò supervênit, volens suis Civibus subvenire. Contra eum quingenti Theutonici pugnaverunt, ultimò Theutonici eum fugaverunt. Hoc rumore commotus Dominus Mastinus equitavit ad locum tumultus cum Theutonicis, & Latinis: in auxilium verò Ubertini tota Civitas supervênit. Quasi ea dies Domino Mastino, & Theutonicis lachrimosa fuit. Erant enim Cives timore Theutonicorum muniti armis, militiis, E (21) & fortiliciis. Per contratas tumultu jam sedato, Dominus Mastinus timens potentiam Paduanorum, & suspicans de Domino Ubertino, Theutonicos de Est voluit revocare. Ejus iram Dominus Marsilius Major mitigavit, asserens, Dominum Ubertinum, & ceteros de Carraria, & cives omnes esse legales, & velle in omnibus obedire, cupientes solummodo à furo-
re

(14) *Cod. Collalt.* inimicati sunt Scaligeris memoratis.
(15) *Cod. Est. & Amb. I.* Duce Venetiarum in signum victoriæ.
(16) Gerasio *in aliis*.
(17) *Cod. Collalt.* potens XV. millium pagarum inter milites & pedites.

(18) *Cod. Collalt.* Castrum Crudignani.
(19) *Cod. Collalt.* Sed illorum proposito repugnabat timor & furor rusticorum.
(20) *Cod. Est.* XXVIII. *& ita ambo Amb.*
(21) *Cod. Est.* armis multis & fortiliciis.

æ Theutonicorum liberari.

Eodem anno, die XXVI. Decembris, Dominus Petrus Rubeus, Capitaneus exercitus Venetorum, in Pernumia victoriam obtinuit contra Theutonicos, qui erant in Est. Trecentos cepit, qui more Theutonico, sola promissione habita redeundi, omnes liberè relaxavit.

Tempore hujus tempestatis Azo Vicecomes de Mediolano Placentiam obsidione premebat. Hoc velamine Dominis de la Scala negabat auxilium. Hanc diu obsessam subjugavit mense Decembri.

CAP. V.

MCCCXXXVII.

De quibusdam gestis à Theutonicis, & aliis.

REvoluto Anno Domini, scilicet MCCCXXXVII. die V. Januarii, Dominus Guido Riccius de Fojano juravit regimen Civitatis Paduæ. Die verò XIII. Theutonicorum tresdecim banderiæ, quæ erant in Est, voluerunt intrare proditoriè Montemsilicem. Spe fraudatæ iverunt Bovolentam. Non multo tempore secuto viginti banderiæ, quæ erant in Est, deseruerunt Dominos de la Scala. Domini verò de la Scala à Ludovico Rege Romanorum imploraverunt auxilium cum promissionibus infinitis. Ipse Dominus Mastinus Cremonæ Domino Azoni Vicecomiti de auxilio personaliter supplicavit. A Marchionibus Estensibus, Ludovico de Gonzaga, & undique postulantur auxilia. Ultimò videbantur auxilia ab omnibus destituta: novem tamen Civitates erant in eorum dominio constitutæ (22).

Die vigesimo primo Januarii Caminum fuit totaliter destructum mandato Dominorum de la Scala. Gerardus de Camino manibus, & pedibus catenatus die III. Februarii mittitur Veronam. De ejus liberatione dicetur inferiùs.

Eodem mense Legati quasi totius Lombardiæ numero sexaginta in Venetiis convenerunt, specialiter Domini Azonis Vicecomitis, Ludovici de Gonzaga (23). Tractatu habito de pace inter Commune Venetiarum, & Dominos de la Scala, postulantibus Venetis Paduam, Tarvisium, Parmam esse (24) in propria libertate; Lucam verò dari Florentinis à Dominis de la Scala, nihil potuit expediri. Licèt prædicti colore pacis convenerunt in Venetiis, tamen clam tractabant Societatem cum Venetis, & Florentinis contra Dominos de la Scala.

Eodem mense, die XXIX. Dominus Petrus de Rubeis cum militia equitavit contra Portam omnium Sanctorum, quam combussit. Dum verò Porta ab intrinsecis clauderetur, miles unus Theutonicus se opposuit, qui, calatâ portæ levaturâ, seu Saracenescâ, inter utramque partem vivus remansit inclusus. Mense Februarii die VI. in nocte sequenti, tres audaces tractatu Venetorum, captis custodibus, aperuerunt Portam Sancti Joannis, & pontem calaverunt. Sic facilis fuit ingressus. Dominus verò

A Petrus venire in tantum distulit, quòd quidam furnarius clamando, Cives, & Theutonicos excitavit. Tres prædicti Venetias fugierunt, ubi habuerunt præmium postulatum. Juxta portam unius filius, & pupillus fuit suspensus.

Eodem mense, die nono Dominus (25) Hubaldonus de Torniellis de Novaria successit in regimine Tarvisii Domino Petro del Verme de Verona, qui Potestas Tarvisii fuit annis septem. Eodem mense die XX. (26) Theutonici de Bovolenta, rusticis superatis juxta Peragam, transierunt Tergulam, & abstulerunt magnam prædam. Dum prædam ducerent juxta Sanctum Lazarum ab intrinsecis superati, capti fuerunt circa centum extrinseci circa Paduam continuò

B discurrebant.

CAP. VI.

Eodem Anno.

De quibusdam rebellibus, obsidione Tarvisii, & aliis.

GUlielmus de Campo Sancti Petri primus fuit rebellis Dominorum de la Scala in Castro suo de Treville, quod furtivè abstulit. Tisolinus de Campo Sancti Petri secundus fuit rebellis Dominorum de la Scala in Castro Sancti Petri, qui furtivè abstulit ipsum Castrum

C Domino Marsilio de Carraria, mortuo Clarioto Capitaneo. Incolæ Cittadellæ revellaverunt etiam mortuo Montenario de Verona Vicario Cittadellæ. Revellaverunt simili modo Domini de Vonico de Monsumo, Castrum (27) Sancti Zenonis, & Asolum. Illi de Montebelluna, mortuo Hendrigeto della Rocha Capitaneo, revellarunt. Qui habitâ confidentiâ redierunt ad mandata; sed contra fidem spoliantur, postea comburuntur. Fuerunt hæc anno prædicto, mense Martii.

Eodem mense fuerunt Paduæ tres suspensi, volentes per flumen Sancti Bernardi introducere inimicos.

D Mense Martii die XXVI. Cives Conigliani, expulsis Rectoribus (28) Dominorum de la Scala, fuerunt in propria libertate, summittentes se protectioni Dominorum de Venetiis, recipiendo etiam Potestatem. Mense Aprilis revellaverunt castra Vidorii, Sancti Petri in Tuba, & Regizoli: & sic Venetorum crescunt vires.

Die Olivarum VIII. (29) Aprilis Dominus Petrus Rubeus cum parte exercitus Bovolentæ se posuit (30) in Burgo Sanctorum XL. Veneti navigaverunt contra Mestre (31). Illi de Castro post impugnationem cum machinis, & balistis, mediante auro, se dederunt. Anodo exercitus Tarvisinus à Venetis munitur victualibus, & necessariis ad bellandum. Jussu Domini Petri Porta Sancti Thomæ impugnatur., & comburi-

E tur nocte quadam, & sequenti nocte Porta Sanctorum XL. (32) comburitur violenter. Intrinseci defensores, Hubaldonus Potestas, Gibertus de Fojano, Palmerius de Sesso de Regio cum quadringentis Theutonicis galeatis, primò combu-

(22) *Cod. Collalt.* constitutæ, scilicet Tarvisium, Feltre, Padua, Vicentia, Verona, Brixia, Cremona, Parma, & Luca.

(23) *Cod. Est.* Marchionum, Ludovici de Gonzaga Domini Mantuæ, *& ita Amb. I.*

(24) *Cod. Collalt.* relinqui.

(25) *Cod. I. Amb.* Rambaldonus, *&* Ribaldonus. *Cod. Collalt.* Ribaldanus.

(26) *Cod. Amb. I.* XI.

(27) *Cod. Collalt.* illi de la Parte in Castro.

(28) *Cod. Est., Collalt., & Amb. I.* & Stipendiariis.

(29) *Cod. Est., Collalt., & Amb. I.* XIII.

(30) *Cod. Collalt.* contulit Tarvisium.

(31) *Cod. Collalt.* Muxestre, antiquitus semper Nobilium de Collalto Comitum Tarvisii, *& ita Cod. I. Amb.*

(32) *Cod. Est. & Ambr. I. addunt* impugnata.

bustis Burgis clauserunt portas muro; die verò XXIII. Madii Dominus Petrus cum suo exercitu pervenit ad Brentam, &, facto ponte cum navibus Venetorum, ivit Bovolentam. Stat amodo Tarvisium, sicut Castrum, expulsis civibus universis (33). Dominæ in habitu Rusticorum fugiebant: Domina verò Clara de Camino, Uxor quondam Domini Comitis Rambaldi, dum fugiebat in habitu servitricis, Capitaneo præsentatur. Spoliantur loca Sancta, affliguntur Cives, qui supererant, mutuis & datiis. Seravallum revellavit Dominis de la Scala die XV. Aprilis, & Potestatem habuit de Venetiis.

CAP. VII.

Eodem anno.

De Advocato Tarvisii, & Conjuratione facta contra Dominos de la Scala.

MEnse Madii Dominus Azo Vicecomes ferè Dominus Lombardiæ, Marchiones Estenses Domini Ferrariæ & Mutinæ, Ludovicus de Gonzaga Dominus Mantuæ & Regii, conjurationem fecerunt cum Florentinis, & Venetis contra Dominos Albertum de la Scala, & Mastinum adhuc dominantes in Luca, Parma, Brixia, & Marchia Tarvisina. Qui manifestè timentes, commiserunt custodiam Civitatis Paduæ Domino Marsilio de Carraria, qui suis Paduanis melioribus munivit portas singulas Civitatis. Erat etiam Dominus Albertus Paduæ cum quingentis Theutonicis galeatis. Dominus Marsilius propter oppressiones Paduanorum evitandas XXX. mil. florenos mutuavit Dominis de la Scala. Tamen Gualpertinus Mussatus, & Medius Comes de Est, propter suas divitias fuerunt carcerati, qui, ne fame perirent, carceribus cruciati se libris decem millibus redemerunt.

Dominus Guecilus Tempesta Advocatus Tarvisii de licentia Dominorum curialiter exivit Veronam, secum ducens Meladusium ejus filium, qui filiam Gulielmi de Campo Sancti Petri habebat in sponsam. Qui dum esset Noale, secretè procuravit habere filios suos pupillos, quos habebat Veronæ. Cùmque esset in propria libertate, ivit Venetias, & Domino Duci, & Communi Venetiarum se cum suo Castro obtulit contra Dominos de la Scala, qui postea se appellavit Capitaneum exercitus Venetorum à flumine Brentæ usque ad Plavim.

Eodem anno, & mense, die XIX. Advocatus equitavit ad exercitum Venetorum circa Tarvisium. Propterea Ziliolus Advocatus ejus frater, Gerardus de Balduchinis cum multis civibus fuerunt in Tarvisio carcerati. Ii mulctati in maximis pecuniis de Tarvisio sunt expulsi; solus Ziliolus in carcere cum Gerardo de Camino reservatur inclusus.

Die IX. Julii centum Theutonici de Padua equitaverunt, qui inimicis abstulerunt magnam prædam: inimici verò insequentes, omnes habuerunt carceratos, qui more Theutonico fuerunt relaxati, sola fide habita redeundi.

Eodem mense Joannes Quilicus de Sancto Vitale de Parma, cùm esset cum Domino Mastino juxta Castrum Baldum, per Abbatiam fugit Ferrariam (34).

CAP. VIII.

Eodem anno.

De quibusdam gestis per Dominum Mastinum, & exercitu Venetorum.

COnsilio deliberato cum Venetis, & Lombardis invadere fuit propositum Veronenses, munitâ Bovolentâ, Marsilius (35) Rubeus exercitum Venetorum, & Florentiæ de Bovolenta duxit per Abbatiam usque Mantuam. Ibi etiam convenerunt cum suis militiis Azo Estensis Marchio, & Luchinus Vicecomes. Igne consumitur quidquid est usque ad Veronam. Dominus Mastinus cum suis Theutonicis exivit Veronam pugnaturus. Milites tunc fecit Franciscum Canem ejus filium, & infantem, Marchionem Spinetam, Guidonem de Corrigio, Paulum de Aldigheriis Potestatem Veronæ. Duces exercitus Venetorum Florentiæ, & Lombardorum, credentes vincere potiùs differendo, quàm bellando, & timentes inimicorum potentiam, minus ordinatè tentoria relinquentes, Mantuam redierunt. Videns Dominus Mastinus quasi inimicorum fugam, volens capere Bovolentam, die quarta Julii equitavit Carrariam cum exercitu, ubi etiam convenerunt Domini Albertus, & Marsilius, & Ubertinus de Carraria cum Paduanis. Ducitur exercitus contra Bovolentam, quam Dominus Petrus Rubeus defendebat. Tunc in flumine pontis Longi capiuntur viginti naves Venetorum deferentes victualia Bovolentam. Propter infestationem Bovolentæ Marsilius Rubeus duxit de Mantua exercitum Anguillariam. In ejus oppositum, ne transiret, Dominus Mastinus se opposuit, qui postulavit à Marsilio Rubeo bellum habere campestre. Hic penitus recusavit. Simulans verò se velle per Cavarzere ire Bovolentam, retrocessit. Tunc Dominus Mastinus per Carrariam duxit exercitum usque Noventam. Unde Marsilius cum exercitu Venetorum in Bovolenta se cum Domino Petro Rubeo conjunxit. His sic dispositis, ordinatur campestre bellum, fiunt splanatæ. Dominus enim Mastinus ad bellum festinabat alacriter. Habebat enim in suo exercitu, absque Latinis, quasi (36) mille galeatos. Nunquam enim in Marchia majores, nec meliores copiæ convenerunt. Dominus Petrus Rubeus, Dux exercitus Venetorum, sperans Dominum Mastinum non posse longo tem-

(33) *Cod. Collalt.* Dominæ Nobiles, quæ Tarvisii supererant à viris derelictæ, ut pudicitiam asservarent, in modum rusticorum vestitæ fugæ consulebant, inter quas nobilissima Clara de Camino uxor quondam Magnifici Comitis Rambaldi de Collalto, dum servili in habitu fugæ consuleret, cognita deprehenditur, & Capitaneo præsentatur. Ad quam ille: *quænam es? Ego*, siquidem illa respondit, *Clara sum, his pannis obsita, duplici stemmate Comitissa. Teque per omnes Cœlicolas precans, ut si quis tuarum pudor est carus, meus sit tibi ingenuè recommissus*. Super qua pietate commotus, illam, quò voluit accedere, fecit nobiliter sociari.

(34) *Additamentum ex Codice Estensi, & Collaltino.* Capta Padua, & à Venetis, Legato Romanæ Ecclesiæ, & Paduanis extrinsecis liberata à servili jugo perfidi Ezelini de Romano, (& aliorum Tyrannorum de la Scala) ordinatur solemnitas cursus bravium die 20. Junii, quæ tempore hujus guerræ (bellum) cessavit. Huic tempestati additur alia pestis; corruptione enim aeris traduntur XX. millia sepulturæ. *Et ita in Cod. I. Amb. additis verbis, quæ parentesibus inclusa sunt.*

(35) *Cod. Collalt.* Petrus Rubeus.

(36) *Cod. Est. & Collalt.* quatuor, *& ita Cod. I. Amb.*

tempore sustinere tantas gentes; putans etiam vincere differendo, à bello abstinuit suorum consilio Sapientum. Dominus Mastinus dolore confusus, propter infestationem Lombardorum, & Mantuæ contra Veronam, per Peragam transivit Tergulam. Qui quasi omnes Villas ultra Brentam traxit in cinerem, quia Dominis Gulielmo de Campo Sancti Petri, & Advocato Tarvisii erant tributariæ. Per Fontanivam transiens Brentam, ivit Veronam die XXI. Julii. Ibi mille Theutonicis dedit licentiam recedendi, quibus non poterat de stipendio respondere. Paduani verò, bonis omnibus spoliati, (37) orabant pro Venetis, sperantes eorum auxilio liberari.

CAP. IX.

MCCCXXXVII.

De Civie (38), *Feltre, & aliis Capitulis, & Bononia.*

Veneti sapienter cum Florentinis se conjunxerunt Serenissimo Principi Domino Carolo, filio Regis Joannis, qui Karintiam gubernabat. Qui de conscientia Venetorum equitavit contra Civie cum exercitu, & opprimebatur à Rizardo de Camino cum gentibus Venetorum. Tunc Dominus (39) Hendrighetus de Mongai Capitaneus nomine Dominorum de la

A Scala insultans ad Plateam Civie rapuit de manibus Dominorum de la Scala. Hic statim se cum Civie liberè posuit in dominio Principis antedicti, qui cum gaudio omnium intravit Civie.

Die tertia Julii post hæc misit exercitum contra Feltre, quod carens victualibus, & auxilio, datur prædicto Principi die penultimo Augusti. Bonettus de Malavicina (40) die XV. Julii rediens de Tarvisio in Mirano à Venetis (41), Theutonicis, & peditibus de Noale habuit insultum, qui licèt vulneratus cum centum galeatis pugnam obtinuit violenter.

Post expulsionem Legati de Bononia, Domini Thadæus de Pepulis, & Brandalisius de Go-

B zadinis rexerunt in Bononia. Quia tamen nulla potestas patiens consortis erit, expellitur Brandilisius per Thadæum die VII. Junii. (42) Mense verò Augusti Thadæus invasit dominium Civitatis. Nunquam enim ante Bononia fuit in singulari dominio constituta. Expelluntur multi cives. Licèt Summus Pontifex cum Legato magna gaudia sumserit de Brandalisio, qui fuerat auctor expulsionis Legati, tamen Bononia interdicitur, Studioque privatur, & contra cives maximi fiunt processus, si Civitatem infra tempus non dederint (43) Summo Pontifici. vel Legato. A Rege Roberto, & Florentinis pro Bononiensibus Summo Pontifici supplicatur. Fuerunt hæc omnia mensibus prædictis millesimi

C CCCXXXVII.

(37) *Cod. Collalt.* ad Deum orabant.
(38) *Cod. Amb. I.* Cuneglano *semper.*
(39) *Al.* Henrigetus.
(40) *Cod. Ambr. I.* Malvexia die XX.

(41) *Cod. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr. I.* ducentis.
(42) *Cod. Amb. I. & II.* Julii.
(43) *Codd. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr. I. addunt* liberè.

Explicit Liber Sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

MCCCXXXVII. Die Dominico tertia Augusti.

De liberatione Civitatis Paduæ à dominio illorum de la Scala.

JOanne Dandulo Venetiarum Duce, Sereniſſimo Principe Domino Carolo filio Regis Boemiæ, Venetis, Florentinis, Marchionibus Eſtenſibus, Ludovico de Gonzaga Domino de Mantua, Azone Vicecomite, ferè totius Lombardiæ Domino contra Dominos Albertum, & Maſtinum de la Scala conjurantibus, Duce exercitus Petro Rubeo de Parma, juxta Bovolentam Padua infeſtabatur in tantum, quod ferè omnibus villis combuſtis, Paduani erant omnibus ſuis frugibus ſpoliati. Intollerabiliùs etiam vexabantur mutuis, & datiis: fiebant adulteria; ſtupra verò in Sanctiſſimis Monialibus (1): timebant omnes cives carceres, vel exilium. Verona infeſtabatur à Mantuanis, & Lombardis: Luca verò à Florentinis Duce exercitus Rolando Rubeo. Tarviſium etiam expulſis civibus, omnibus ſuis caſtris revellantibus, excepto Caſtro Francho, & Meſtre, multis civibus carceratis, & bonis omnibus ſpoliatis, verè erat in tenebris: poterant vivi mortuis invidere. His diebus Cometes apparuit.

Cùm omnes de Marchia Tarviſina gravi ſervitute coacti, eſſent de libertate propria deſperantes, lux apparuit in tenebris, quæ illuminavit Dominum Marſilium (2), Civitatem eripere de manibus Tyrannorum, qui clam conjungitur Domino Duci Venetiarum, & Florentinis. Sic Dominus Petrus Rubeus exercitum Venetorum die XXIV. Julii duxit Noventam. Tranſiens per Villam Turris ſe poſuit in Bruzigana. Poſt tranſitum fluminis, Porta Sanctæ Crucis impugnatur. Dominus verò Petrus ad portam Pontis Curvi cum quingentis Theutonicis equitavit. Hanc juſſu Domini Marſilii invênit apertam, qui pedes intravit, & eum ceteri milites ſunt ſecuti. Per portam Sancti Stephani intraverunt plateas; jam enim parati erant in plateis Dominus Marſilius, & omnes de Carraria, & alii nobiles Paduani. Fit ſtatim concurſus totius Populi. Clamatur ab omnibus: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia fecit redemtionem plebis ſuæ*. Statim omnibus annuentibus, datur dominium Paduæ in Conſilio Domino Marſilio de Carraria.

Eodem die capitur Dominus Albertus de la Scala, Dominus Riccius de Fojano Paduæ Poteſtas, & omnes Veronenſes. Domus eorum ſpoliantur. Hos juſſit Dominus Marſilius in domo propria honorificè cuſtodiri. In tanto furore jugulantur quinque, cum quibus Dominus Dominicus de Agrapatis, optimus Advocatus. Dicebatur enim auctor conjurationis factæ per Dominum Albertum contra Dominos de Carraria. Capiuntur quingenti Theutonici, ſtipendiarii illorum de la Scala. Solus Thomas de Capite-Nigro duxit ad domum tres Capitaneos cum ſuis ſociis, & banderiis. Dominus verò Marſilius, reſtitutis armis & equis, dedit cunctis ſecuram licentiam recedendi. Ex hoc dono Dei fit Venetiis, Florentiæ, Paduæ magnum gaudium (3), Italia tota canit. Ea die nutu Dei tota Civitas fit tranquilla. Fuerunt prædicta in MCCCXXXVII. die Dominico III. Madii. (4)

CAP. II.

Eodem Anno.

De Dominis Ambaſſatoribus Venetiarum, & Florentiæ.

DOminus Marſilius Domino Duci (5) Venetiarum per ſolennes Legatos retulit facti ſeriem. Die verò VI. Auguſti, Legati Venetiarum cum Ambaſſatoribus Florentiæ, Domini Juſtinianus Juſtiniano, Marcus Lauredanus, Andreas Moreſinus, in Conſilio Paduæ ſe præſentaverunt Domino Marſilio, & Communi. Et aſſurgens Marcus Lauredanus, ait. *Licèt ſim minor, & minus doctus; tamen paratus ſemper ſociorum meorum obedire mandatis, nobis commiſſa ex parte Ducis, & Communis Venetiarum, de eorum licentia recitabo. Primò enim ex parte Domini Ducis, & Communis Venetiarum portamus, & optamus ſalutem proſperam, & felicem Marſilio Domino, & Capitaneo Generali Civitatis Paduæ & diſtrictus, Antianis, & Populo univerſo*. Secundò ait: *Qualiter Dominus Dux cum Communi Venetiarum, & Florentiæ receperunt tantum gaudium de liberatione Civitatis Paduæ, & dominio dato Domino Marſilio, quantum potuerunt umquam recipere de facto aliquo temporibus retroactis*. Tertiò: (6) *Qualiter Dominus Dux cum Communibus Venetiarum, & Florentiæ de Domino Marſilio voluerunt Civitati Paduæ providere Venetiarum exemplo. Cives enim Venetiarum à ſuo Cive, & Duce (7) reguntur, qui, ratione ſanguinis, & amore Patriæ, Venetias in bono ſtatu & pacifico tempore longiſſimo conſervavit*. Ex parte ergo Domini Ducis, & Communium prædictorum, Domino Marſilio ſupplicatur inſtanter: *Quatenus ei placeat Populum Paduæ paterna affectione tractare, ut ex hoc accedat gaudium omnibus antedictis; ipſe verò conſequatur in hoc ſeculo perpetuas laudes, & gloriam in futurum*. Alexius Judex de Florentia ſecundò ſurgens præmiſſa ſalutatione, & auctoritatem (8) illam Iſaïæ: *Surge illuminare Hieruſalem, quia vênit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*, quam ſapienter adducendo propoſito, *ſurrexiſſe de tenebris in lucem Paduam demonſtravit*. His, & aliis ſapienter expoſitis contra inimicos Communium prædictorum obtulerunt auxilia.

CAP.

(1) *Cod. Collalt.* Sanctimonialibus.
(2) *Cod. Collalt.* Marſilium de Carraria, & Guecellum Tempeſta Advocatum Tarviſii eripere Paduam, & Tarviſium.
(3) *Cod. Eſt.*, *Collalt.*, *& Amb. I.* feſtum.
(4) *Cod. Eſt. & Collalt.* Auguſti, *& ambo Ambr.*
(5) *Cod. Eſt.*, *Collalt.*, *& Amb. I.* & Communi.
(6) *Cod. Amb. addit* adduxit in exemplum.
(7) *Cod. Ambr. addit* pacificè & quietè.
(8) *Cod. Collalt.* & cum auctoritate Iſaiæ præallegata ait: *& ita Amb. I.*

A

CAP. III.

Eodem Anno.

Responsio Domini Marsilii.

DOminus Marsilius de Carraria ascendit in speculum, & eo loquente ceteri siluerunt, Domino Duci, & Communi Venetiarum, & Florentiæ de salvatione, & liberatione Paduæ, ac etiam de honore, & dominio Civitatis sibi nuper acquisito, retulit grates magnas. Ait etiam. Quòd temporibus retroactis Padua opprimebatur gravi servitute per Hezerinum de Romano, quæ fuerat liberata auxilio Dominorum Venetorum. Unde Cives Paduæ perpetuò tenebantur Communibus antedictis in omnibus obedire. (9) Se, & Commune totum obtulit in perpetuum. Postea alloquitur Populum, & talia eis dixit: *Civibus meis multum teneor. Scio enim dominium Paduæ, Civibus Paduanis perpetuò denegatum, datum alacriter Patruo nostro Domino Jacobo, qui Cives paterna affectione tractavit. Conjungitur etiam Domino Cani societate, & vinculo parentelæ, dando D. Mastino ejus filiam in Uxorem, qui deceptus, & obsedione oppressus à Domino Cane, Paduam dedit Domino Federico Duci Austriæ, qui se Romanorum Regem appellabat. Hic commisit custodiam, & defensam Henrico Duci Karintiæ, qui per suos Vicarios inordinatè regebat districtum, & defendebat deterius. Unde, expulsis Theutonicis, Cives me elegerunt in Dominum: qui ab omnibus destitutus, & Domino Cani impar, Civibus meis compatiens, cum bonis pactis Paduam dedi Domino Cani. Qualiter sint servata per Nepotes taceo, est enim omnibus manifestum. Modò, expulsis Veronensibus, me Dominum voluerunt, quibus juro, eos in pace, & justitia conservare: & auxilio Domini Ducis,* (10) *& Florentiæ, recuperare Montemsilicem, & facere omnes Cives divitiis, & bonis omnibus affluentes. Dominus enim verè novit, quòd non mei causa, sed civium, dominium acceptavi, ut Pax, & Justitia præstentur omnibus, atque quies.* His dictis clamaverunt omnes: *Dominus te conservet, cùm sis spes nostra: vitæ tuæ sit salus.* Ultimò Aldrevandinus Campanatus, Judex Antianorum, ex parte Populi grates retulit Domino Duci, & Communibus antedictis. Destruuntur insignia de la Scala. Fulgent ubique Marcus Evangelista, & Lilium de Florentia. Combustis Opitergio, & Ponte Plavis, custodes illorum de la Scala deserentes Tarvisium fugierunt.

CAP. IV.

MCCCXXXVII.

De morte Dominorum Petri, & Marsilii de Rubeis.

POst liberationem Civitatis Paduæ, deliberato Consilio cum Domino Marsilio Majore, Guezilione Tempesta Advocato Tarvisii, Marco Cornelio (11), Zanino Moresino (12), Marsilio Rubeo, & Ambassatoribus de Florentia, Dominus Petrus Rubeus cum Dominis Ubertino, & Marsilio Papafava, & Theutonicis equitaverunt contra Montem-filicem. Die B verò VII. Augusti Dominus Petrus pugnando contra fortiliciam jactu lanceæ fuit in corpore (13) vulneratus: (14) quod vulnus alta mente contemsit. Die sequenti, Sacramentis receptis Ecclesiæ, voluit sibi Missam solemniter celebrari, qui statim consecrato Corpore Domini nostri Jesu Christi exspiravit. Morte ejus Paduæ nuntiata, omnes æqualiter doluerunt: induerunt multi vestes nigras, tam Theutonici, quàm Latini. Die sequenti de domo quondam Domini Jacobi de Carraria, ubi fuerat juvenis educatus, collo Nobilium portatus, militari habitu juxta Ecclesiam Fratrum Minorum traditur honorificè sepulturæ. Planctus omnium lin- C gua referre nequit. Fuit miles magnæ staturæ, fortis, & audax: absque crudelitate: militiæ optimus Gubernator, à Theutonicis tantum dilectus, ut eum suum Dominum appellarent: tantæ curialitatis & largitatis, ut vix sibi equum & tunicam retineret. (15) Breviter concludendo, fuit magnæ castitatis, qui religionem habuit erga Deum. Obiit autem anno XXXIV. ætatis suæ, transfixus lancea, & die Veneris, hora VI. (16) Hujus doloris inscius ejus frater Dominus Marsilius Rubeus morte communi præventus XIV. Augusti exspiravit: qui modo simili traditur sepulturæ. Accumulatur dolor dolori. Erat enim fratri similis. Ejus consilio exercitus D regebatur. Obiit ætatis suæ anno quinquagesimo.

Eodem die Turris de Est, sive Passus, datur Antonio de Lucio, nomine Domini Marsilii de Carraria. Defunctis Nobilibus antedictis, à Venetis, & Florentinis, & Paduanis Rolandus Rubeus frater major prædictorum eligitur Dux exercitus, qui tunc contra Lucam exercitum regebat Florentiæ. Die verò XXIII. Septembris in Bassanello juxta Paduam Theutonicorum invênit exercitum, qui omnia trahebant in prædam. Tunc, auditis omnium Rolandus querelis, juxta Montemsilicem pretio, & precibus duxit exercitum.

Eodem mense Hugo Vegio (17) de Rubeis carceratur in Parma, ibi enim regebant pro E Dominis de la Scala eorum Avunculi, Azo, & Simon de Corrigio.

Theutonici de Tarvisio, causâ capiendi prædam, equitaverunt usque Miranum, qui redeuntes in Pregazolo, ab inimicis de Noale fugantur,

(9) *Meliùs*, quare se, & Commune totum eis obtulit in perpetuum. *Ossius*.
(10) *Cod. Collalt.* Ducis Communisque Venetiarum atque Florentiæ.
(11) *Cod. Collalt.* Cornerio, *ita Cap. VI.*
(12) *Cod. Ambr. I.* Mauroceno *semper*.
(13) *Cod. Collalt. addit* mortiferè.
(14) *Al.* qui.
(15) *Cod. Collalt.* Et quod fuit mirabile, tantæ castitatis custos fuit, quòd virgo creditur exspirasse anno ætatis suæ XXXIV. Proh Italici Milites non erubescitis, qui nedum à mulieribus vos continetis, quin etiam maribus conjungimini! ite, ite, & infernas adite domos, vobis in æternum præparatas.
(16) *Cod. Ambr. I. & II.* sicut Christus.
(17) *Cod. Collalt.* senex.

tur, & capiuntur quatuor Theutonici banderarii. Tunc etiam pro custodia Tarvisini districtus mittitur à Venetis Andreas Moresinus cum quingentis militibus Theutonicis. Jam mortuo à Custodibus Joanne de Listano milite Theutonico, in Mestre Capitaneo, pretio duo mil. florenorum datur dictum Castrum Communi Venetiarum VII. die Septembris. Fuerunt omnia prædicta MCCCXXXVII.

CAP. V.

Eodem Anno.

De carceribus Domini Alberti de la Scala, & filio Regis Joannis.

Mense Augusti, die XII. D. Marsilius Major fuit Venetiis cum Domino Duce, & aliis Nobilibus multa ad invicem conferentes de libertate Civitatis Paduæ, & destructione illorum de la Scala. Ordinaverunt Dominum Albertum de la Scala esse Venetiis, qui die XXVI. sub fida custodia aliquorum Nobilium mittitur Venetias. Qui effusis lachrimis, & flexis genibus coram Domino Marsilio pro salute devotissimè supplicavit. Cui ait: *Faciam pro vobis quidquid potero: non possum tamen contradicere Dominis.* (18) *Dominus Mastinus frater vester, cùm erit in obedientia Domini Ducis, poterit vos à carceribus liberare.* Præsentatus Venetiis, cum maximo gaudio totius Civitatis, cum uno socio Nicoleto joculatore, qui sponte voluit carcerari, in Ducatu à Venetiarum Nobilibus custoditur. Sic Dominus Marchiæ Tarvisinæ, Brixiæ, Parmæ, & Lucæ, qui etiam habebat quatuor millia Theutonicorum galeatorum, cum uno servitore, Dei potentiâ in tribulationum hospitio (19) requiescit invitus, qui non solùm miraculis beneficiorum laudandus est, sed etiam terroribus ultionum.

Eodem mense, die quintodecimo, Serenissimus Princeps Dominus Carolus, filius Regis Boemiæ, qui Civie (20) jam abstulerat Dominis de la Scala, Venetias à D. Duce, & universo Populo summo honore fuit receptus, qui se totum obtulit Communi Venetiarum contra Dominos de la Scala. Die verò penultimo dictus Princeps habuit Civitatem Feltrensem cum Castro, fame potiùs, quàm viribus superatam. Die verò octavo Septembris Dominus Carolus misit Dominum Levorem, probum militem, & legalem, cum quadringentis militibus de Karintia ad exercitum Montisfilicis, in auxilium Venetorum, Florentiæ, & totius Ligæ.

CAP. VI.

Eodem Anno.

De regimine Paduæ, & Brixiæ.

In honorem Domini Ducis, & Communis Venetiarum per Dominum Marsilium eligitur Potestas Dominus Andreas Moresinus. Hic regimen recusavit. Tunc Dominus Marcus Cornelius de Ecclesia S. Mariæ de Arena, sociatus à Domino Ubertino, & universo Populo, in publica concione juravit regimen civitatis Paduæ.

A Die II. Septembris vacante regimine Civitatis Paduæ, propter captionem Domini Ricii de Fojano Potestatis, rexerunt Paduam XVI. Sapientes.

Dominus Azo Vicecomes de Mediolano, tractatu habito cum Brixiensibus, specialiter cum Conradino de Buchis, qui erat in Rocha Francha, Ziliolo de Ugonibus, jussit Conradinum cum mille quingentis militibus, & peditibus equitare contra Brixiam. Qui impugnando Civitatem Veterem auxilio intrinsecorum, in muro fecit tria foramina, & ibi posuit quosdam pedites. Conradinus subsequenter intravit. Bonetus de Malavicina de Verona, sciens inimicorum adventum, & omnia, quos quasi pro nihilo B reputabat, aspiciens Conradinum cum quibusdam militibus, insultavit in eum. Conradinus pugnam sustinuit in tantum, quòd gentes suæ intraverunt Brixiam. Tunc Bonetus cum ducentis militibus intravit Civitatem Novam fugiendo. Brixia divisa erat maximo muro (21) tempore regiminis Domini Marsilii de Carraria. Post victoriam Veteris Civitatis, Conradinus Populum concitavit Novam invadere Civitatem, & sic igne portis imposito Novam Brixiam intraverunt violenter, Domini verò Guidus de Corrigio, & Bonetus de Malavicina, ibi Rectores, cum Stipendiariis Veronam velociter fugierunt. Dominus Azo Vicecomes cum gaudio milites fecit Coradinum (22), Ziliolum de C Ugonibus, & alios Brixienses. Brixiam redire permisit omnes expulsos per Dominos de la Scala. Fuerunt hæc MCCCXXXVII. die VIII. Octobris. Castrum, quod est in summo montis, datum fuit die XIII. Novembris. Suspirant Domini de la Scala, undique auxilia inquirentes. Nisi fuerint in pace quæsita, non facilè inveniuntur in adversitate, præsidia.

(23) Eodem anno, mense Septembris Dominus Mastinus dedit Viginum Castrum Paduani districtus Marchionibus Ferrariæ. Unde crevit discordia Marchionum, & Communis Paduæ.

Eodem mense Septembris die VI. Rolandus Rubeus, transiens per Pontem passus de Est exercitum duxit contra Veronam, omnia deva- D stando usque ad portas. Dominus verò Ubertinus cum quingentis militibus Theutonicis, & Paduanis Montisfilicis rexit exercitum.

CAP. VII.

Eodem Anno.

De exercitu Montisfilicis.

Rolandus Rubeus, totius exercitus Venetorum, & Florentiæ, Generalis Capitaneus, in campis Montisfilicis duxit exercitum copiosum Theutonicis, & Latinis. Jussu verò Domini Marsilii Majoris, Dominus Ubertinus de Car- E raria Paduanorum gubernavit (24) exercitum. Petrus de Verme de Verona miles sagax, & probus, Potestas Montisfilicis, aspiciens inimicorum potentiam, procuravit sapienter habere auxilium aliquot militum, & peditum de Verona: qui incogniti transeuntes per exercitum, intraverunt terram Montisfilicis: quos putabat amicos Paduæ carceravit in Castro. Jussu Domini Ubertini quidam Nuntius Domini Ludovici

(18) *Cod. Collalt.* Dominus de Venetiis.
(19) *Cod. Collalt.* intra Ruigni saxa mancipatus.
(20) *Cod. Collalt.* Bellunum.
(21) *Cod. Collalt.* muro constructo.

(22) *Cod. Collalt.* Conradinum de Buchis.
(23) *Desunt hæc usque ad illa*, eodem mense, *in aliquibus MSS.* Ofius.
(24) *Alibi* duxit.

ci de Gonzaga, Domini Mantuæ, simulans se fugisse de Mantua, intravit Montemsilicem, qui secretè tractabat de captione Montissilicis. Ejus insidias Baldus de Pojana propalavit. Sic Zilius à Mantella, domicellus Domini Ubertini, & dictus Nuntius suspenduntur. His turbatus Dominus Marsilius Major, jussit suspendi septem ante portas Montissilicis. Carceratis de Verona fit timor, & tremor, qui tota nocte, ut in mane suspenderentur, steterunt cum laqueis ad colla. Fuerunt hæc mense Augusti.

Post hæc Gibertus Delesmaninus cum quibusdam audacibus contra Dominos de la Scala conjuravit. Conjuratione detecta, per Dominum Petrum del Verme capitur, cujus sententia decapitatur in foro. Aliqui suspenduntur, alii descendentes de muro fugierunt. Fuit hoc die XIX. Octobris.

Pro impugnatione Montissilicis Populus Paduæ congregatur. Fiunt vineæ, sive gatti, pontes, & scalæ, machinæ (25), & alia artificia ad oppugnandum. Impugnatur locus, non tamen viriliter. Pugnare enim Theutonici recusabant. Intrinseci, parati optimè pro defensa, pontem unum, & gattos aliquos combusserunt die XIX. Novembris. Putans Dominus Marsilius, Montemsilicem non posse viribus superare, magna fovea intrinsecos jussit includi. Fiunt etiam Bastiæ quatuor, sive Castra, in Sancto Jacobo, Sancto Salvario, Sancto Michaële; quartum verò juxta Montem. His munitis militibus & peditibus, Rolandus Rubeus cum exercitu equitavit Veronam, & inter Vicentiam, & omnia traxit in prædam mense Februarii. Die verò XIII. Martii Theutonici transiverunt Aticem, qui, combustis omnibus Villis usque ad Portas Veronæ, redierunt divites Montagnanam.

CAP. VIII.

Eodem Anno.

De filio Domini Mastini obside, & aliis.

MEnse Decembris cum Domino Duce Venetiis congregantur Nobiles & Potentes Obizo Estensis Marchio, Marsilius Major, Guidus de Gonzaga, Guecilus Advocatus de Tarvisio, Legati Florentiæ, Legati Domini Azonis Vicecomitis de Mediolano, Legati Thadei de Pepolis de Bononia, Nuntii Domini Mastini de la Scala, multi alii Nobiles, & potentes. Tunc multa fuerunt de pace tractata; sed pacem Dominus Mastinus recusavit, à Venetis pactis, & conditionibus postulatis. Qui pro auxilio contra Venetos Ludovico Imperatori Legatis, & promissionibus supplicavit. Imperator obtulit auxilia postulata, facta fide de solutionibus suæ militiæ, & promissis. Pro quibus omnibus observandis Dominus Mastinus Castrum Pischeriæ, & Dominum Franciscum Canem, unicum filium & infantem, & alios Nobiles obsides pro pignore Imperatoris Nuntio consignavit. Dominus verò Mastinus decipitur promissionibus Ludovici, contra quem revellaverunt Theutonici in Pischeria. Timens verò, ne filius unicus inimicis cum obsidibus traderetur, equitavit contra Pischeriam cum exercitu mense Madii. Post multos menses Theutonici, receptâ pecuniâ, Domino Mastino dederunt suos obsides, & Pischeriam.

A Revoluto tamen Anno MCCCXXXVIII. mense Januarii, Comes de Sping cum Theutonicis in Tarvisio revellavit, qui recipere potuit à Venetis magnam pecuniam pro Tarvisio, quod dare Venetis recusavit. Facta verò per Dominum Mastinum eidem plenaria satisfactione de stipendio Boneto de Malavicina de Verona, Tarvisium liberè consignavit. Post hoc dictus Comes fuit cum Venetis.

Die XXV. Januarii Henricus de Lucio filiam Rolandi de Rubeis duxit in uxorem. Eodem mense Ludovicus Imperator misit Venetias suos Legatos, volens intraponere inter partes. Die Dominico, primo Martii, Dominus Marinus Falerius incœpit Potestariam Paduæ, & fuit per B annum.

CAP. IX.

MCCCXXXVIII.

Quo ordine Dominus Ubertinus de Carraria recepit dominium Paduæ.

PRovidentia tractat eventus. Ideo Dominus Marsilius Major de Carraria infirmus, asserens velle civibus Paduæ providere, successorem à Populo postulavit consobrinum suum Dominum Ubertinum de Carraria, semper de be-C neplacito Domini Ducis Venetiarum, & Communis Florentiæ, quem universus Populus in Consilio acceptavit alacriter. Qui publica concione recepit vexillum Populi, promittens justitiam universis. His Venetiis nunciatis per Legatos Florentiæ, Domini Marsilii providentia judicio omnium comprobatur. Fuit hoc die Martis X. Martii, sexta Indictione.

Ex præcedentibus Civitatis Paduæ diversa regimina colliguntur. Expulso perfido Tyranno Hezerino de Romano per Ecclesiam, & Venetos, Padua annis LV. fuit in maxima libertate. Anno verò Domini MCCCXI. die XV. Aprilis, Dominus Canis de la Scala Vincentiam abstulit Paduanis cum nuntiis Imperatoris, mediantibus D proditoribus Vicentinis. Unde fuit Padua in obedientia Imperatoris Henrici. In brevi verò tempore facta rebellis Imperii, regebatur Civitas non per justitiam; sed per partem, expulsis Civibus coactis per Provincias mendicare. Capto Montesilice furtivè per D. Canem MCCCXII. Mensis Decembris, extrinseci Paduani (26) redierunt: & anno sequenti Mense Julii Paduani elegerunt sibi Dominum singularem, & Civem, primò Dominum Jacobum de Carraria. Propter infestationem Domini Canis à Domino Jacobo, & cuncto Populo Paduano datur Civitas Federico Duci Austriæ, qui se appellabat Romanorum Regem. Cùm verò Federicus cum Ludovico Duce Bavariæ contenderet pro Impe-E rio Romanorum, qui in bello campestri cepit Federicum, datur Padua per Federicum Henrico Duci Karintiæ, qui cum XX. millibus equis frustra obsedit Montemsilicem, & in Padua Conradum de Ovenstagno constituit suum Vicarium. Sub hoc dominio Padua in tribulationibus laboravit. Expulsis Theutonicis de consensu Populi, Dominus Marsilius Major acceptavit dominium. Dominus Marsilius dubitans diu posse defendere Civitatem, se cum tota Civitate posuit liberè sub dominio Domini Canis Majoris de la Scala. Mortuo Domino Cane in Tar-

(25) *Cod. Collalt.* machinæ, & alia instrumenta ad impugnandum aptissima: nondum enim fuerat adinventus usus Bombardarum.

(26) *Cod. Est. & Collalt.* Paduam.

Tarvisio post dominium, die III. Dominis Mastino, & Alberto dantur dominia Paduæ, & Tarvisii. (A) His itaque fugatis cum Theutonicis, Domino tamen Alberto carcerato, Dominus Marsilius Major cum auxilio Venetorum, & Florentiæ constituitur Paduæ Dominus Generalis. Mortuo verò Domino Marsilio, in dominio, & in omnibus successit Dominus Ubertinus de Carraria. Omnia verò prædicta seriatim à principio Operis colliguntur.

CAP. X.

Eodem Anno. Die XXI. Martii.

De Morte Domini Marsilii. (B)

Nobilis Miles Dominus Marsilius Major de Carraria, probus, & audax, videns se in mortis articulo constitutum, sibi hæredem, & dominii Paduæ, Consobrinum suum habere voluit successorem. Pro suis malè ablatis restituendis consignavit florenos centum millia, quos deposuerat Venetiis. Altaria fieri, & Ecclesias ordinavit, & specialiter Sanctam Mariam Novam de Zuecha, quam dotavit. Executores sui testamenti elegit Procuratores Sancti Marci. Qui, omnibus Sacramentis Ecclesiæ sumptis devotissimè, ex ventris profluvio expiravit die XXI. Martii. Obitu nunciato omnes convenerunt. Exequiæ fuerunt solemniter ordinatæ. (C) Ibi erant omnes Clerici cum singulis dupleriis incedentes. In lectulo purpureo ornatus more Regali auro, vestibus, & argento, præcedentibus octo equis coopertis, à Nobilioribus Civitatis fuit portatus. Expensæ funerariæ fuerunt tria millia florenorum. Corpus ejus requiescit juxta Ecclesiam Sancti Antonii, in eodem loco, ubi Domini Marsilius, & Petrus de Rubeis requiescunt. Ultimò ejus corpus translatum fuit Carrariam. Fuit miles toto corpore pulcher, omnia adimplere studens, quæ optabat: amicis fidelissimus, durissimus inimicis. Inimicos in Montesilice quatuor bastiis, sive castris conclusit. Omnia suburbia Civitatis à porta, quæ dicitur Trinitatis, usque ad portam Pontis Curvi; (D) à porta Prati vallis usque ad Sanctum Michaëlem, maximo muro cœpit includere, morte præventus adimplere non potuit, quæ omnia Dominus Ubertinus maximis sumptibus adimplere curavit. Obiit autem ætatis suæ anno XLIV. (27) Pro cujus morte, Nobiles Legati Venetiarum, Bertutius Gradenicus, & Andreas Moresinus: De Florentia Cirocius (28) de Bardis, & Alexius Judex, in Consilio Paduæ de morte Domini Marsilii conquerentes, retulerunt, Communia Venetiarum, & Florentiæ maximum gaudium recepisse de providentia Domini Marsilii, qui de persona Domini Ubertini Communi Paduæ in dominio voluit providere. Quibus honorificè receptis, (E) Dominus Ubertinus retulit magnas grates, offerens se in eadem fraternitate, in qua fuit Dominus Marsilius Communibus antedictis. Statim die II. Aprilis, Domina Beatrix, filia Guidonis de Corrigia, uxor quondam Domini Marsilii, multis Nobilibus sociata, ivit Clugiam, quæ transiens per Ferrariam ivit Veronam.

(27) [illegible] Post cujus mortem.

CAP. XI.

Eodem Anno.

De liberatione Gerardi de Camino, & aliis crudelitatibus factis in exercitu Montissilicis.

In oppugnatione Opitergii captus Gerardus de Camino, erat Veronæ carceratus, ubi etiam erant obsides, filius & filia Rizardi ejus fratris. Paduæ verò erat carceratus D. Guidus Riccius de Fojano cum sua familia, captus tempore expulsionis illorum de Verona per Dominum Ubertinum. Dominus Guidus cum suis mittitur Vicentiam à Domino Mastino, Gerardus cum nepotibus Domino Ubertino Paduæ præsentatur die XXV. Martii.

Eodem mense per Dominum Petrum del Verme Hyvanus frater Giberti carceratur in Rocha Montissilicis, qui postea pauper Venetiis mendicavit cum filio. Die verò primo Aprilis sex suspenduntur, jussu D. Ubertini, in exercitu Montissilicis. In opposito, jussu Petri del Verme, suspenduntur decem in Montesilice de iis, quos habebat carceratos.

Eodem mense die XXI. quidam audaces intrinseci præsumpserunt inducere Paduanos, tractatu secretissimo habito cum Domino Ubertino. Dum verò horâ noctis Paduani parati essent introire furtivè, casu in una bastita exercitus, sive Castro maximum cœpit incendium. Hac causa Custodes Montissilicis excitantur. Viderunt extra muros Paduanos cum scalis, & aliis necessariis ad intrandum. Sic tali casu Dominus Ubertinus suo proposito defraudatur. In nocte sequenti introitum ordinavit; tamen contra intrinsecos pugnabatur. Unde quidam captivi Domino Petro del Verme proditionis seriem retulerunt. Hi tamen laqueo suspenduntur. Statim Petrus del Verme conscios carceravit, qui postea lacerantur per frusta: aliqui fugientes à Domino Ubertino honorificè sunt recepti. Post hæc capiuntur octo, volentes in subsidium Domini Mastini intrare Montemsilicem, qui jussu Domini Ubertini suspenduntur. Propterea Petrus del Verme jussit suspendi septem, Dominus Ubertinus tredecim. Ultimò in tantum crevit severitas, quòd omnes volentes intrare, vel exire Montemsilicem occidebantur laqueo, vel cœcabantur oculo. Fœminæ exeuntes propter famem naribus truncabantur. Sic inclusi in Montesilice stabant tristes, de salute propria desperantes.

Eodem mense Aprilis Princeps Joannes, Comes Tyrol, filius Regis Boëmiæ, introivit Civie, qui cepit Endreghetum de Mongai, & eum tenuit in Alemannia carceratum. Fuerat enim auctor auferendi Civie de manu Dominorum de la Scala, & submittendi dominio dicti Principis. Tunc Martinus de Castello intravit Civie, qui tempore dominii de la Scala curialiter tenebatur in Verona.

CAP. XII.

Eodem Anno.

De Monteclo, & aliis Capitulis.

Rolandus de Rubeis, Guecilus Advocatus Tarvisii, Tartarus de Lendenaria, Marcus

(28) Zirolus *in aliis*.

cus Ruzinus de Venetiis, duxerunt exercitum juxta Villam Montisfortis, modò contra Veronam, aliquando contra Vicentiam discurrentes. Die verò XIII (29) Aprilis cursum fuit ad bravium ante portas Veronæ. Dominus verò Mastinus latuit intra muros. Die sequenti transierunt flumen Aticis, & ibi maximam prædam abstulerunt.

A

Eodem mense Jacobus de Arzignano cum illis de Monteclo Majore dedit Monteclum Dominis Venetis, quo munito ducitur exercitus in Pojanam die VIII. Madii. Eodem mense exercitus in Insula de Longare congregatur, & capitur Covalum de Custoza, quod multis deliciis spoliatur. Trecentum Theutonici Alemanniæ inferioris se transtulerunt ad hostes. De Theutonicis verò Domini Mastini bene quadringenti venerunt ad exercitum Venetorum. Dum hæc geruntur, D. Mastinus exercitum duxit contra Monteclum, quod inclusit foveis, & bastiis. Monteclo sic incluso, Rolandus Rubeus die XV. Junii cum exercitu transivit Montem de Peraga (30), & se posuit inter Vicentiam, & Monteclum. D. Mastinus, qui cum fortissimo exercitu illos de Monteclo habebat inclusos, videns inimicorum audaciam, qui, propter maximas promissiones Venetorum, post victoriam ad bellum celeriter festinabant, in Vicentia se locavit. Sic absque bello Bastiæ seu Castra Montecli per Venetorum, & Florentiæ exercitum destruuntur: tentoria Domini Mastini plena victualibus, & aliis spoliantur. Post destructionem Villarum inter Vicentiam & Veronam, invito Domino Mastino fugato cum exercitu, Gentes Venetorum redierunt in Longare. Manente tamen exercitu Venetorum in Monteclo, (31) Dominus Mastinus (32) equitavit contra Paduanos, & Theutonicos, qui castrametati erant in Insula de Longare: per terram, & aquam pugnavit contra eos duobus diebus successivè. Tandem pars Domini Mastini vituperosè recessit, multis de suis mortuis, & submersis cum suis navibus, sive castris. Propter victoriam de Monteclo Theutonici postulabant pagas duplicatas, & solutionem totius mensis esse finitam, & tali velamine guerram facere recusabant; aliter, nisi prædicta fierent, Paduanum districtum spoliarent in totum, cum Domino Mastino contra Venetos pugnaturi. Contradicentes Veneti, asserebant Dominum Mastinum absque prœlio fugisse Vicentiam. Ultimò de prædictis fuit in Ludovicum Ducem Bavariæ, qui se appellabat Augustum, liberè compromissum. Eodem mense, jussu Domini Mastini, domus Advocati, & aliorum rebellium, destruuntur in Tarvisio. Inclusi in Montesilice tres audaces viros mittebant Veronam, auxilium implorantes, qui capti juxta Turrim de Cignano, quæ eis insciis ad mandata erat Domini Ubertini retulerunt inclusos omnibus indigere. Hi laqueo suspenduntur. Dominus Ubertinus eos includere fortiùs procuravit. Qui de omni auxilio desperantes, cœperunt quærere pacem, & die XIX. Julii fuerunt in colloquio cum extrinsecis. Ad gaudium, & memoriam liberationis Civitatis Paduæ de Dominio Veronensium, mandato Domini Ubertini de Carraria, Paduæ statuitur annuatim cursus bravii, cujus solemnitas die III. Augusti celebratur.

(29) *Cod. Amb. II. & Collalt.* XXIII.
(30) *Cod. Collalt.* Berga.
(31) *Cod. Est.* in Longare.
(32) *Cod. Collalt.* Mastinus in Cerrum equitaverat.

CAP. XIII.

Eodem Anno MCCCXXXVIII. Die XIX. Augusti in die S. Ludovici.

De liberatione Montissilicis, & aliis.

MEnse Julii in Venetiis convenerunt Ambassatores Paduæ, Veronæ, & totius Lombardiæ, propter pacem. Tamdem pax Domino Mastino displicuit, quam obtulerunt Domini de Venetiis. Interim inclusi in Montesilice, de omni auxilio desperantes, quasi omnibus victualibus indigentes, post varia colloquia in hanc concordiam convenerunt, quòd inclusi in Montesilice Domino Ubertino debeant dare Burgum liberum; ipse verò solvere debeat stipendiariis Theutonicis, & Latinis inclusis florenos octo millia. Item, quòd inclusi volentes ire Veronam, vel alibi, habere debeant securam licentiam recedendi. Item, quòd pro prædictis observandis Commune Venetiarum recipere debeat obsides à partibus antedictis. Prædicta omnia promissa fuerunt, nisi infra dies duodecim Dominus Mastinus dederit auxilium inclusis de centum somis victualium. His gestis, Florenus de Luca cum aliis Legatis Montisfilicis, accedens Veronam, Domino Mastino retulit facti seriem. Domino verò Duci, & Communi Venetiarum, Dominus Ubertinus de Carraria misit pro securitate omnium prædictorum suos obsides, Albertinum. pupillum de Carraria, Nicolaum de Lucio, Jacobinum de Peraga, Bonum Franciscum de Nigris, Paradisum de Capite Vaccæ, Marsilium Bibi, Bonum Franciscum Judicem de Campanatis. Ex parte Domini Francisci (33) del Verme, & illorum de Montesilice, Baldus de Pojana cum nepote, duo Theutonici, duo pedites Banderarii, & aliqui habitatores Montissilicis. Hos omnes Dominus Dux jussit in Sancto Georgio honorificè custodiri. Florenus verò retulit, Dominum Mastinum non posse in aliquo subvenire propter inimicorum potentiam. Sic nutu Dei terra Montissilicis in Festo Beati Ludovici, XIX Augusti Domino Ubertino de Carraria, & Communi Paduæ datur. Ex hoc dono Dei Civitas tota canit, & spes omnium sublevatur. Dominus verò Petrus del Verme armatus in sonipede phalerato, præmissis peditibus, postea militibus Theutonicis, levatis signis Dominorum de la Scala, exivit (34) de Montesilice, & liberam habuit licentiam recedendi: eum tamen Dominus Tartarus de Lendenaria appellavit proditorem, asserens contra pacta Castrum munitum infra treguas reddidisse. Dominus Petrus noluit dare responsum; immo sapienter suis gentibus congregatis in unum, cum omni astutia, qua potuit, equitavit Veronam. Promissionibus adimpletis obsides redierunt. Propter gaudium, & reverentiam Beati Ludovici in Ecclesia Sancti Antonii Clerici cum populo universo cum oblationibus, & ciriis solemniter convenerunt. Jussu verò Domini Ubertini de Carraria LXX. de Montesilice carcerantur. Hos tamdem dimisit impunes. Bona, & possessiones illorum de Pojana, & quorundam aliorum, qui favebant Domino Mastino, fue-

(33) *Cod. Est. & Collalt.* Petri, *& ita ambo Ambr.*
(34) *Cod. Est. & Collalt.* ordinatè, qui à Domino Ubertino de Carraria habuit securam, *& ita ambo Ambr.*

fuerunt confiscata. Ille rusticus, qui lancea Dominum Petrum vulneravit, captus in Montesilice, ducitur Paduam, de quo vindicta sumitur inaudita.

Eodem mense Augusti Dominus Mastinus, asserens Episcopum Veronensem cum Venetis conspirasse, irruens in eum gladio jugulavit. Erant autem germani ex duobus fratribus procreati.

CAP. XIV.

Eodem Anno.

De Castro Montissilicis.

Post liberationem terræ Montissilicis, Florenus de Luca, qui mandato Domini Mastini de la Scala erat in Castro, continuò cum machinis. & balistis infestabat existentes in Burgo. Hos Dominus Ubertinus jussit includi, & machinam maximam de Venetis erigi contra castrum. Medium Comitem, Judicem de Est constituit Potestatem, Palaminum de Rubeis Capitaneum. Florenus, precibus & pretio requisitus, Castrum reddere recusavit. Unde nepos ejus suspenditur coram castro. Volens amodo Dominus Ubertinus inclusos non tantùm viribus sed etiam ingenio superare; (35) per Joannem Franciscum Gallinarellam Gamarellam ingeniosè tractavit, quòd custodes Arcis Florenum cum Arce dederunt vinculatum, qui Paduæ sequenti die, scilicet XXVIII. Novembris, suspenditur de mandato Domini Ubertini. Ceteri Custodes, receptis tunc florenis sexcentis à Domino juxta pacta, liberè recesserunt. De liberatione terræ Montissilicis fuit Paduæ maximum gaudium; sed de Rocha multiplicatur in triplum. Fuerunt hæc MCCCXXXVIII.

CAP. XV.

Eodem Anno.

De captione Nobilium de Fojano.

Mense Augusti, die ultimo, exercitus (36) congregatus in Longare ducitur contra partes Bassani. Jam enim secretum erat colloquium habere Marosticam. Unde die primo Septembris datur (37) Xico de Caldenatio, qui societatem fecerat contra Veronenses cum Paduanis, & Venetis. Post hæc totus exercitus circa Bassanum congregatur, fit destructio vinearum, & omnium.

Eodem mense Eques (38) Vicentiæ secretè se conjunxit cum Venetis, qui in castro suo de Brendole revellavit. Eodem mense Ziliolus Advocatus Tarvisii, qui erat carceratus in Tarvisio per Dominos de la Scala, quia Dominus Guecilus ejus frater revellaverat in Castro de

A Noale, fuit relaxatus pro quibusdam Veronensibus, quos Dominus Ubertinus habebat Paduæ carceratos. Dominus Mastinus, consilio Marchionis Spinetæ, & Azonis de Corrigia, secretè tractavit habere Montagnanam; sed hujus proditionis artifex Domino Ubertino omnia revelavit, qui cum Domino Duce Venetiarum ordinatè tractavit, quòd quingenti Theutonici de exercitu Bassani subitò equitaverunt in Est: & transeuntes per passum Turris se posuerunt in occulto. Dominus Marchio Spineta, & Dominus Guidus Riccius de Fojano, cum Theutonicis de Verona equitaverunt circa Montagnanam. Quo viso Gentes Domini Ducis, & Domini Ubertini equitaverunt alacriter; inimici verò se direxerunt ad pugnam. Tandem

B succubuit pars Veronæ. Marchio fugam cepit. Guidus Riccius, & Gibertus fratres, milites audaces, de Fojano cum aliis quatuor de Fojano, Zilinetus quondam Domini Zilberti, viginti Theutonici banderarii, & ducenti milites capiuntur. Fuit hoc MCCCXXXVIII. Die verò penultimo Septembris more Theutonicorum, omnes Theutonici fuerunt à Theutonicis relaxati, sola promissione tamen habita redeundi, armis tantùm, & equis spoliati. Domino Duci, & Communi Venetiarum præsentantur Domini Guidus Riccius cum aliis de Fojano, excepto Domino Giberto, & Zilineto Domini Zilberti. Dominus verò Gibertus, captus à

C militia Domini Ubertini, præsentatur eidem, qui in quadam camera Palatii fieri jussit caveam unam ligneam, Dominum verò Gibertum carceravit ibidem. Propter hanc victoriam in Campis Montagnanæ Andræas Zucha Moresinus, Capitaneus exercitus nomine Venetorum recepit honorem militiæ à Domino Arnaldo Theutonico de Verich.

Eodem mense Septembris, die VIII. incipiunt Nundinæ de Noale, quæ fieri consueverant in Tribasilige, quas ordinavit D. Guecilus Advocatus. Tempore dominii illorum de la Scala. Officium in Padua Summus Pontifex interdixit. Hac de causa Dominus Ubertinus suos Legatos misit Avinionem. Eorum precibus Benedictus

D Papa Episcopo Venetorum injunxit, ut Paduam accederet festinanter. Qui, receptis literis Papalibus, die XVII. Septembris Paduam vênit: qui inveniens Paduanos insontes, & interdicto propter inobedientiam illorum de la Scala, ab interdicto Paduam liberavit.

CAP. XVI.

Eodem Anno.

De turribus Quartesoli, & Burgis Vicentiæ.

Dominus Ubertinus putans includere Vicentinos, tractavit habere turres de Quartesolo

E

(35) *Cod. Collalt.* Et ad se vocatum Johannem Franciscum Galmarellam jussit arte & ingenio laborare. Qui clàm nocte accedens custodes alloquebatur, cum quibus tamdem pecunia pactus est, quod Castrum atque Castellanum Florenum prædictum in manibus Ubertini Carrigeri dederent. Et juxta promissionem eumdem Castellanum in compedibus deprehensum, atque Castrum Ubertino Carrigero dederunt. Qui dictum Florenum cruci suffigi mandavit die sequenti, atque custodibus illis proditoribus juxta pactionem factam numerari jussit Ducatos DC. auri pro pretio proditionis prædictæ. Et quum recepissent, illis mandavit, quod per diem illam Paduam & districtum evacuassent, & quod nullo tempore illuc auderent accedere sub pœna crucis. Ex quo ventum extitit, quod Roca sive Castrum Montis Silicis per retroacta tempora inexpugnabile creditum, expugnabile compertum fuit, juxta antiquissimum illud vulgare proverbium, nullum existere forte Castrum, ad quod asellus auro onustus non possit ascendere. Proinde qui Rocas vel Castra Dominorum, vel Comitatuum custoditis, advertite, & apertis semper oculis dormitate, quia

„ *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

(36) *Cod. Collalt.* exercitus Venetorum.

(37) *Cod. Collalt. & Amb. I.* datur pecunia.

(38) *Cod. Collalt.* Episcopus.

folo quas captis custodibus habuit die XIV. mensis Octobris. Quidam Nobiles Vicentini rebelles Dominorum de la Scala, scilicet Dominus Vivarius de Vivario (39), Jacobus de Arzegnano, & alii, auxilio Venetorum, & Domini Ubertini inierunt consilium habere Vicentiam, & eam eripere de manibus illorum de la Scala. Et sic Rolandus Rubeus cum exercitu Theutonicorum, qui erat circa Bassanum, equitavit usque ad Pontem Brentæ de Vigontia, & inde transiens per Liminam equitavit insciis inimicis die noctuque usque Vicentiam, & cum auxilio Vicentinorum intravit Suburbia Civitatis, scilicet Pusterlæ Portæ Novæ, & Sancti Felicis. Quidam etiam intraverunt Civitatem, sed propter portam (40) Civitatis, quæ erat levatura, non fuerunt ausi intrare successivè. Sic ab hac die stant inclusi in Vicentia dolorosi, quoniam Cives à Theutonicis de propriis domibus expelluntur, & coguntur, relictis filiis & uxoribus, mendicare. Theutonici verò extrinseci, qui erant in Burgis, simili modo omnia traxerunt in prædam. Dominus verò Mastinus, sciens Vicentiam sic inclusam cœpit de victoria, & de omni auxilio desperare. Erat etiam strata, quæ erat inter Vicentiam & Veronam, occupata in tantum, quòd nullus ire poterat, vel redire, quia Castrum de Brendole, & Montelum revellaverunt Vicentinis, & Dominis de la Scala. Fuit hoc MCCCXXXVIII. die Lunæ XIX. Octobris.

Statim mense sequenti Henricus de Lucio cum Theutonicis Domini Ubertini equitavit contra Lonicum, & abstulit magnam prædam victualium, & bonorum, & plaustrorum. Voluit enim Dominus Mastinus per viam de Longare munire Vicentiam victualibus.

CAP. XVII.

Eodem Anno.

De morte Advocati, & aliorum Nobilium inimicorum illorum de la Scala.

Licèt Domini Albertus, & Mastinus cœperunt declinare, tamen illis fortuna clam favebat. Post mortem enim Dominorum Petri & Marsilii de Rubeis, Marsilii de Carraria, & Antonii de Lucio, qui obiit die primo Madii Dominus Guecilus Advocatus Tarvisii infirmatur, qui die XXIII. Novembris Paduæ expiravit. qui omnibus occurrentibus cum Domino Paduæ D. Ubertino juxta cadavera prædictorum honorificè sepelitur. Fuit vir largus, & audax, amicis fidelissimus, qui omnes expulsos de Tarvisio in Anoale propriis expensis sustinebat.

Statim die II. Decembris moritur Dominus Tartarus de Lendinaria, miles fortis, & pulcher, qui juxta alios sepelitur. Erant omnes prædicti Nobiles principales inimici Dominorum de la Scala, qui sapientia, & fortitudine omnes superabant. Bene enim de eorum morte gaudere poterant inimici. Mors enim eorum nos inducit diem exitus cogitare. Cotidie dietam facimus. Vidimus enim prædictos Nobiles regere Lombardiam, & Marchiam, & aliquando Imperium, vel Ecclesiam: modò sunt fœtidi in sepulturis, &, quod illi sunt, erimus omnes. Propterea non debemus in hac vita miserrima confidere, sumus enim sicut flos pulcher, qui fœtet in sero. Unusquisque ergo faciat bonum, & declinet à malo, & veram agat pœnitentiam de peccatis, ut ad vitam æternam valeat pervenire.

CAP. XVIII.

MCCCXXXIX. Die Dominico XXIII. Januarii.

De pace Venetorum.

Ad honorem, & reverentiam Trinitatis mense Octobris pro pace convenerunt in Venetiis Rolandus Rubeus, Levorus Theutonicus de Karintia, Legati Domini Ubertini, & Communis Florentiæ. Ex parte Veronæ Marchio Spineta, Azo de Corrigia, & alii Dominorum de la Scala, qui post varia parlamenta concordes in MCCCXXXIX. XXIII. (41) Januarii in Ecclesia Sancti Marci publicaverunt pacem, & juraverunt conventam, & tractatam inter Dominum Ducem, & Communia Venetiarum, & Florentiæ ex una parte, & Dominos Mastinum & Albertum de la Scala ex altera. Forma pacis hæc est.

I. Nam liberè ipsi de la Scala dederunt Communi Venetiarum, & Domino Duci Tarvisium cum toto suo districtu, Castrum Franchum, Bassanum, & etiam Castrum Baldum. Et sic ipsum Commune Venetiarum remanet, & est verus dominator ipsius Civitatis Tarvisii, & totius districtus, & Comitatus. Sed dictum Castrum Bassani, & Castrumbaldum dictum Commune dedit, & consignavit Domino Ubertino de Carraria, dominanti Paduæ, ut tenebatur per pacta, cum conditione tamen, quòd fortilitia dicti Castribaldi ex parte & latere versùs Veronam debeant dirui, & nullo umquam tempore debeat exigi aliquid ad dictum Castrum, vel alibi occasione dicti Castri ab aliquibus transeuntibus cum rebus mercantilibus, sive per Dominum Ubertinum, vel alios ullo modo.

II. Item teneantur dicti Domini de la Scala satisfacere Communi Venetiarum pro extorsionibus per eos factis contra pacta per præsentem guerram usque ad summam decem millium florenorum, credendo in hoc Domino Duci.

III. Præterea dicti Domini de la Scala dant, & consignant in fortiam Communis Florentiæ quatuor Castra infrascripta posita in districtu Lucano, videlicet Busanum, Pessam, Altopassum, & Colle.

IV. Item extrinseci de Luca omnes gaudere debeant suis bonis stantes in Comitatu, ut voluerunt, & non in Civitate. Sed triginta ex ipsis, quos elegerunt Domini de la Scala, stare debeant extra Comitatum, & Civitatem gaudentes tamen suis bonis.

V. Cæterùm Domini prædicti de la Scala nullo unquam tempore debeant, vel possint, vel alii pro ipsis aliquid accipere apud Hostiliam, nec in Pado, in dicto loco, vel alibi, occasione ipsius Hostiliæ, nec aliquod impedimentum mercatoribus, vel mercationibus transeuntibus per partem prædictam Padi ullo modo, vel ingenio.

VI.

(39) *Cod. I. Amb.* Dominus Innocentius de Vivario.
(40) *Cod. Collalt.* Sarafinescas portas Turribus inhærentes, non &c.

(41) *Cod. Collalt.* die Dominico ultimo Januarii, *& ita Cod. I. Amb.*

VI. Dictus Dominus Ubertinus de Carraria cum Civitate, & districtu Paduæ toto, cum omni eo, quod tenet hodie plenè, & districtè, includatur in dicta pace.

VII. Dominus Rolandus de Rubeis, & illi de domo sua debeant pacificè gaudere omnibus suis bonis, positis in districtu Parmæ, & esse immunes perpetuò ab omni datio, & colta, (42) &c. & ipse Dominus Rolandus, & Dominus Andreasius de Rubeis debeant in quolibet mense, in sua vita, habere à D. Mastino centum quinquaginta florenos, videlicet ipse Dominus Rolandus centum, & Andreasius quinquaginta: sed non possint stare in Civitate, nec in districtu Parmæ. Episcopus verò Parmensis, frater dicti Domini Rolandi, similiter debeat gaudere bonis omnibus ad eum spectantibus ratione Episcopatus, & ratione personæ suæ: sed non possit stare in Civitate, vel districtu Parmæ.

VIII. Dominus de Vivario qui fuit causa, quòd exercitus Venetus, & Florentiæ habuerunt suburbia Civitatis Vicentiæ, debeat gaudere omnibus suis bonis positis in Vicentia, districtu, & Veronensi districtu, & esse ipse cum omnibus suis immunis ab omnibus datiis, & coltis, stando tamen extra dictos districtus, & debeat habere quolibet mense à Domino Mastino, donec vixerit, florenos centum.

IX. Reliqui autem amici sui debeant tractari benignè, sicuti ceteri Cives.

X. Omnes de Monteclo majori Vicentini districtus, qui tempore guerræ adhæserunt dictis Communibus, debeant esse immunes per decennium ab omni datio, & collecta, per quinquennium exempti ab omni petitione debitorum, in quibus specialibus personis, vel Communibus essent quodammodo obligati, & castrum ipsum debeat dirui.

XI. D. Episcopus Vicentinus, qui similiter adhæsit, debet gaudere omnibus suis bonis Episcopatus, & stare ubi voluerit.

XII. Prædictis Rubeis, & suis amicis: D. Vivario, & suis amicis cum omnibus de Monteclo, remissa est per Dominos de la Scala omnis injuria, offensa, & condemnatio occasione præsentis guerræ.

XIII. Dominus Carolus, & Dominus Joannes filius Regis Boëmiæ, & alii adhærentes in facto guerræ dictis Communibus Florentiæ, & Venetorum, includantur in pace, si volunt, & habeant terminum trium mensium respondere, si esse voluerint in pace, (43) an ne.

XIV. Et similiter Xicus de Caldenatio, si esse voluerit in pace, & restituere ipsis Dominis Marosticam Vicentini districtus, quam acquisivit tempore guerræ; sin autem, dicta Communia non debeant se intromittere in facto dictæ Marosticæ, nisi procurando concordiam inter partes.

XV. Dicti Domini de la Scala remaneant domini Civitatum Veronæ, Vicentiæ, Parmæ, Lucæ.

XVI. Dominus Albertus, & alii carcerati hinc inde relaxentur.

XVII. Præterea Dominus Dux, debet esse auditor, vel, cui commiserit, omnium querelarum, & terminator, quæ fierent per prædictos de Rubeis, de Vivario, de Monteclo, & reliquos supra nominatos contra dictos de la Scala, & è converso de omnibus (44) servatis præmissorum: & quod summariè debeant præmissa executioni mandari. Fuerunt & alia Capitula, quæ brevitatis causâ non scribo. Hæc omnia sunt stipulatione firmata, & pœna centum millia florenorum prædictis in MCCCXXXIX. mense Januarii, die XXIV. Indictione septima.

Hujus pacis, quæ videbatur rationabiliter declinanda, propter Vicentiam quasi victam, fuit causa Theutonicorum timor, & tædium, qui multoties, & indebitè postulabant pagas duplicatas, & continuò minabantur se conjungere Domino Mastino contra Communia antedicta, & Commune Paduæ.

CAP. XIX.

Eodem Anno.

De executione pacis promulgatæ Venetiis.

Legatis Dominorum de la Scala, supplicantibus pro pace Venetiis, à Domino Duce denegabatur auditus. Unde pro observatione omnium, quæ fierent inter partes, die II. Decembris, Bonetus de Malavicina, Capitaneus in Tarvisio pro dominis de la Scala ipsum Tarvisium Domino Duci, & Communi Venetiarum consignavit. Qui veniens Paduam, à Domino Ubertino honorificè receptus, ivit Veronam. Simili modo datur Venetis Castrum franchum. Die XIV. Januarii quidam intravit Bassanum nomine Domini Ubertini, & Communis Paduæ. Statim die sequenti datum fuit Castrumbaldum. Eodem die Sacchetus à Campagnola constituitur Syndicus pro ratificanda pace pro Communi Paduæ, & Dominus Aldrevandinus Episcopus Paduæ vênit de Avinione. Die XV. Januarii Dominus Albertus de la Scala cum Domino Guidone Riccio, & Domino Giberto de Fojano, & omnibus aliis carceratis de Verona, fuit à carceribus liberatus; qui tamen stabat Venetiis, à Nobilibus Venetiarum custoditus curialiter. Mense verò Februarii quatuor Castra Lucæ dantur per Dominum Mastinum Communi Florentiæ, videlicet Busanum, Pessa, Altopassum, & Colle. Adimpletis promissis per partes, Dominus Albertus die XIII. Februarii cœpit navigare versùs Veronam. Sic divina favente clementia die XIV. exivit edictum à Domino Ubertino publicè proclamatum, quòd omnes debeant observare pacem, & quòd viæ, sive stratæ, versùs Vicentiam, & Veronam sint liberæ ab omnibus, & apertæ.

Die primo Martii Dominus Zaninus Contarenus incœpit regimen Civitatis Paduæ, qui successit Domino Marino Falerio, qui per Commune (45) Venetiarum fuit primus Potestas in Tarvisio. Eodem mense datur Castrum Sancti Petri Domino Duci, & Communi Venetiarum, qui de omnibus quæstionibus, & controversiis, vertentibus inter Dominum Ubertinum, & Gulielmum de Campo Sancti Petri, debet suo arbitrio judicare. Licèt Dominus Ubertinus Paduam cum Comitatu pacificè possideret; tamen contra ejus voluntatem, & Communis Paduæ Azo Estensis Marchio Castrum Vigozoli Paduani districtus tenet indebitè.

CAP.

(42) *Cod. Amb. I.* collecta.
(43) *Mel.* nec ne.

(44) *Legunt alii*, in observatis.
(45) *Cod. Est. & Collalt.* pro Communi.

CAP. XX.

Eodem Anno.

De captione Domini Loderisii, & vindicta Theutonicorum.

POst pacem prædictam Dominus Mastinus tractavit, Theutonicos, qui erant contra ipsum in obsidione Vicentiæ, mittere contra Mediolanum, & fuerunt duo millia galeati; peditum verò maxima comitiva; Mareschalcus verò erat Dominus Raynaldus de Giver: Caporalis verò, & ductor eorum erat Dominus Loderisius Vicecomes, expulsus de Mediolano à D. Azone Vicecomite. Eorum exercitus appellabatur *Societas Sancti Georgii*. (46) Dominus verò Mastinus, simulans se innocentem, Mediolanum misit auxilium. Die verò V. Februarii Societas transivit flumen Adduæ, quo die accesserunt ad Villam. Luchinus Vicecomes Capitaneus Generalis exercitus ivit Legnanum Terram magnam totius Seprii. Ibi stans Loderisius, qui se appellabat dominum Seprii, barbam deposuit, quam diu tulerat. Exercitus Mediolani dividitur. Dominus verò Raynaldus de Lonrich, Mareschalcus Mediolanensis militiæ cum octingentis militibus, & peditibus duobus millibus equitavit Parabiagum. D. Luchinus cum reliqua militia, videlicet equitibus duobus millibus, & peditibus sinè numero, equitavit Nervianum: per loca extrinseca, & tamen circumstantia, milites, & pedites sunt dispersi.

A Die verò Dominico, XX. (47) Februarii Loderisius cum Theutonicis, & octingentis peditibus insultavit in illos, qui erant in Parabiago, ibi nullâ repertâ custodiâ pugnaverunt. Tunc capitur Mareschalcus Mediolani, & filius Domini Vercellini Vicecomitis, qui cum sexaginta Barbutis optimè pugnaverunt. Pervenerunt enim in fortiam Domini Loderisii. Luchinus verò sentiens hæc, sic subitò se traxit ad Campum, quòd suas acies non potuit ordinare, nec gentes, quæ dispersæ erant, congregare. Traxit tamen viriliter cum gentibus, quas habebat. Illi de societate se posuerunt acriter contra eum. Pugnatum est ab hora tertia usque ad vesperas. In hoc prœlio Dominus Luchinus B fit captivus ad fidem, & multi alii milites Mediolani. Joannes de Flesco fuit occisus: Mareschalcus Societatis cum multis Theutonicis fuit captus ad fidem. Ultimò Mediolani gens (48) obtinuit campum, sic captivi Mediolani sunt liberè relaxati, inimici sunt fugati, & omnes Theutonici, qui erant in Legnano, cum Mareschalco Domini Azonis, & qui erant in Parabiago, Hectori de Panico nomine Mediolani se misericorditer reddiderunt. Fuerunt omnes mortui, vel captivi ex utraque parte: ultra quatuor millia reperta sunt corpora mortuorum. Dominus Loderisius secum ducto filio Domini Vercellini, per tensa fugit Somam. Ibi capitur, & filius Domini Vercellini liberatur, qui cum C duobus filiis naturalibus, & Nepote uno præsentatus Domino Mediolani, carceratur in Turri, quæ dicitur Comitis Philipponis.

(46) *Cod. Collalt.* Et hæc fuit prima Societas in Italia. Proh Italiæ dolor & infamia! Sanctum autem nomen Societatis à proditoribus, raptoribus, adulteris, & furibus hodie occupatur. Non erubescunt tam sacrum nomen antiquis venerabile prostituere.

(47) *Codd. Amb. ambo* XXI.

(48) *Cod. Collalt.* gens Mediolani de hora in horam accrescens.

Explicit Liber Septimus.

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De Campo Sancti Petri, & Nobilibus dictæ Domus.

VIr Nobilis, & potens miles Tiso de Campo Sancti Petri Conizam de Carraria, fororem Magni Marsilii, duxit uxorem, de qua genuit Tisonem Novellum. Habebat enim Gulielmum nepotem ex filio jam præmortuo, nato ex nobili Domina de Camino. Post mortem Magni Tisonis, Coniza Emum (1) militem de Borgondia inhonestè dilexit. Ambo à filio Conizæ jussu Domini Marsilii strangulantur. Tiso Novellus Magnum Marsilium, suum Avunculum, voluit successorem, cui successit nobilis miles Dominus Ubertinus. Hac de causa cœpit discordia inter Dominum Ubertinum, & Dominum Gulielmum nepotem dicti Tisonis, asserentem hæreditatem avitam ex vigore testamenti Magni Tisonis in se totaliter devolutam. Sic pro bono pacis Castrum Sancti Petri datur à Gulielmo custodiendum Venetis, donec fuerit per Dominum Ducem, & Commune Venetiarum de juribus partium determinatum. Fuit hoc mense Martii anno Domini MCCCXXXIX.

Pro bono pacis in Anno sequenti mense Martii Illustris Franciscus Dandulus, Dux Venetiarum, sententialiter definivit, quòd Castrum Sancti Petri cum sua Curia habeat Dominus Ubertinus, reliquam hæreditatem Tisonis sibi retineat Gulielmus; qui privatus Castro, & suo nomine antiquissimo, obiit in Treville, relictâ unicâ filiâ Sarâ, cum qua nobilis progenies de Campo S. Petri tunc defecit (*). Unica ejus filia Sara, sponsa Meliaduxii Advocati Tarvisii, Patre non (2) sepulto, cum eo matrimonium consumavit carnaliter, licèt Pater cum sacramento voluisset, quòd eam nunquam haberet uxorem. Obiit MCCCXLII. mense Februarii. Eodem anno, mense Septembris die VI. obiit Meliaduxius Paduæ, cujus uxor, receptis literis simulatis ab eo, vênit Paduam. Illam invitis oculis aspiciens Meliaduxius, jam loquela privatus, de ejus digito traxit anulum, quem repositum abstulit iteratò. Statim sequenti die coram Domino Paduæ, & aliis Nobilibus Beltrandus filius Rolandi de Rubeis de Parma dictam Dominam desponsavit, Dominam aliquarum Villarum, & Castri de Treville. Castellanus verò Libertus, & Gastaldio Advocati de Trivixio citò equitavit Noale, & Castrum tenuit, & munivit nomine duorum infantum, fratrum Miladuxii ex nobili Domina, sorore Henrici de Lucio, & Guicelione Tempesta Advocato Tarvisii. His gestis Veneti sunt turbati, repetentes Dominam Saram per suos Legatos, quæ sociata nobilibus dominabus, & militibus ivit Venetias, quæ asserens, se Matrimonio non consensisse, per Judicem Ecclesiasticum, noluit comparere, licèt requisita. Ultimò tamen videns, se non posse contra Justitiam calcitrare, & multis persuasionibus inducta MCCCXLIII. die VII. (3) Julii sociata Magno Ubertino, & Joanne Gradenico Paduæ Potestate cum aliis Nobilibus Paduanis ducitur ad maritum. Statim, post descensum Dominæ de palafreno, quidam volens intrare ad nuptias rusticanè, ab ostiario leviter percussus, cum baculo ostiarium gladio vulneravit, cui manus statim jussu Domini amputatur.

Veneti timentes non fore tutum Castrum de Treville esse in potestate Rolandi Rubei, Soceri Dominæ Saræ, promissis libris sex millibus illud funditus destruxerunt. Ut supradictum est, Castellanus se receptavit in Castro de Noale, quod dare Communi Venetiarum, nisi priùs habitâ licentiâ ab Henrico de Lucio, recusabat. Omnino crescebat indignatio Venetorum. Unde habitâ licentiâ Castellanus Militi Potestatis Tarvisii se dedit, & Castrum, qui cum multis ductus Venetias vinculatus obiit in carceribus (4).

CAP. II.

Summula quorundam Gestorum.

POtestate Domino Zanino Contareno (5) de Venetiis, qui regimen inchoavit MCCCXL. die primo Martii, Xicus, qui tenebat Marosticam contra Dominos de la Scala, oppressus ab exercitu de Verona, Domino Alberto eam restituit mense Junii.

Eodem mense Coneglianum revellavit Venetis, operâ Patriarchæ; tamen timore potentiæ Venetorum Cives sponte se reposuerunt sub dominio Venetorum.

Eodem Anno die XXXVIII. Julii, mandato Magni Ubertini incœptum fuit Castrum Estensis Rochæ, & facti fuerunt fulli Omnium Sanctorum, & laboreria pannorum lanæ, & cartarum pa-

(1) *Cod. Collalt.* Heraum.

(*) Narrant Historici mortem Guilielmi de Campo S. Petri, *cum quo*, subdunt, *nobilis Familia de Campo S. Petri tunc defecit*. Ne puta prorsus tunc exaruisse illustrem progeniem, quæ adhuc Patavina in urbe omnia servat antiquæ nobilitatis ornamenta, ac floret in præclarissimo Comite Francisco de Campo Sancti Petri, ejusque fratre, ac filiis; verùm altera superstes nobilem Familiam ad nostra usque tempora propagavit. Testes habeo Cortusios ipsos Libro XI. ad annum 1355. scribentes: *Domini de Carraria pro honore Imperii fecerunt magnum festum. Unde Dominus Jacobus Milites fecit in Ecclesia Cathedrali Jacobum de Capitevaccæ plus annosum, Branchinum de Prata sororis maritum, Guilielmum de Campo Sancti Petri &c.* Unde iste Guilielmus? Fuit ei pater *Johannes Miles* memoratus à Corio ad annum 1339. è linea Gerardi descendens, qui circiter annum 1160. frater Tisonis filios & ipse genuit. Quum olim Patavii essem, illustris hujus Familiæ Chartas ac monumenta scrutatus sum, è quibus lineæ istius propagatio usque ad tempora nostra mihi visa est ritè deducta. *Muratorius*.

(2) *Cod. I. Amb. pro* non, *legit* verò.

(3) *Codd. Est., Collalt., & Ambrosiani duo* XVII.

(4) *Cod. Collalt.* ad quæ exequenda auctores fuisse narrantur Azzoni, & Calzoni, inimici capitales Nobilium de Tempesta Advocatorum Tarvisii.

(5) *Cod. Collalt.* Cornario.

paperum (*) cœperunt Paduæ. Mense verò Augusti obiit D. Azo Vicecomes Dominus Mediolani, & multarum Civitatum Lombardiæ, cui successit D. Luchinus ejus patruus. Eodem mense decapitatur Pregadius de Caradesio, Judex (6), & socius Potestatis, propter frabutationes, quas commiserat in officio.

Die primo Septembris successit in regimine Domino Zanino Petrus Baduarius de Venetiis. Eodem verò anno, die ultimo Octobris obiit D. Joannes Dandulus Dux Venetiarum, cui successit Bartholomæus Gradenicus, quem Dominus Ubertinus per suam nobilem legationem magnificè visitavit. Domino Petro Baduario successit Joannes Sanù in MCCCXL. die primo Martii.

CAP. III.

De Nuptiis Domini Ubertini, Mundiano (7), & aliis.

Consilio Magni Marsilii, Dominus Ubertinus desponsavit Dominam Jacobinam, filiam Simonis de Corrigia, Avunculi Domini Mastini de la Scala, expulsis Veronensibus de dominio, asserens se timore potentiæ illorum de la Scala dictam Dominam desponsasse. Carnali copula non secuta, fuit à dicto vinculo judiciali sententia liberatus. Statim die XXIV. Aprilis Dominam Annam de Malatesta, expulsam de Arimino propter ejus sapientiam, non curans de divitiis, duxit in uxorem. Mense verò Julii Dominus Malatesta de Arimino, auxilio Perusii, Forlivii, & Ravennæ, Ferrantinum de Malatestinis, Patruum dictæ Dominæ inclusit in Castro Mundiani: in cujus auxilium, mandato Domini Ubertini, cum auro Joannes de Sancta Cruce festinavit Urbinum. Ibi cum stipendio congregavit gentes Theutonicas, & Latinas, qui cum Comite Urbini, & populo universo, contra Dominum Malatestam duxit exercitum: ejus gentes pugnando fugavit: Theutonicos occidit, vel cepit circa centum. Sic liberavit Mundianum, Vericulum, & alia Castra impugnavit, & cepit pecia Sancti Martini (8). Domino Ubertino tunc subjicitur Joannes. Post hæc, levatis Communis Paduæ, & Domini Ubertini signis, equitavit cum exercitu contra Ariminum. Dominus Malatesta intra muros turpiter latitavit. Ultimò fuit per Dominum Malatestam, & Ferrantinum de eorum controversis in Magnum Ubertinum, & Obizonem Marchionem Estensem liberè compromissum: Vericulum verò fuit sub dominio Domini Ubertini. Fuit hoc MCCCXL. mense Julii.

Post annum, & sex menses Dominus Malatesta cepit Vericulum: Ferrantinus verò fugit in arcem, quam dedit salvis personis, & rebus Domino Malatestæ.

Eodem anno fuit sterilitas (9), & Dominus Ubertinus frumentum habuit de Suavia, quod dedit civibus pro pretio, quo recepit.

A

CAP. IV.

Eodem Anno.

De conjuratione facta contra Dominum Ubertinum, & aliis.

Vitalianus Dente, filius Gulielmi, procuravit veneno interficere Dominum Ubertinum. Sciens verò Medicum unum de Venetiis, amicum Domini Ubertini, cum ejus famulo procuravit exenia ex parte inscii Medici præsentare. Vênit ergo (10) Nuntius falsus Paduam cum magnis exeniis, & confectionibus venenatis,
B quæ præsentare non potuit, cùm Dominus Ubertinus esset infirmus. Nuntius verò post aliquos dies cœpit timere, & mutare propositum, & omnia propalavit. Nuntius mittitur Domino Duci, qui cognita veritate, Vitalianum de Venetiis forbannivit: rebellis Paduæ judicatur, ejus bona fuerunt confiscata. Fuit hoc eodem anno mense Julii.

Eodem anno & mense Dominus Ubertinus Jacobum, & Jacobinum, filios Domini Nicolai de Carraria, reduxit Paduam, qui tempore expulsionis Domini Nicolai per Conradum de Ovenstagno ducti fuerant in Alemanniam vinculati, ut supra scribitur satis plenè.

Mense Octobris Dominus Carolus, filius Re-
C gis Joannis, qui dominabatur in Civie (11), & Feltre, obsedit Cumule, & cepit.

Tempore quo exercitus Paduæ, Venetorum, & Florentinorum Vicentiam opprimebat, Vivarius miles de Vivario de Vicentia, Domini Mastini fuit rebellis, qui stans in Curia Magni Ubertini, ejus jussu ad Imperatorem Ludovicum in Alemanniam equitavit, qui operâ Domini Mastini in reditu infelici, in Valdeagro jugulatur. Ejus occisor, qui sororem ejus spuriam habebat uxorem, fugiendo cum equo in Atice est submersus. Fuit hoc prædicto anno, & mense Novembris. Frater spurius Vivarii, auxilio Domini Ubertini, in Castro Belvisini dicti Vivarii Communi Vicentiæ revellavit. In anno sequenti
D mense Aprilis Dominus Mastinus dictum Castrum obsedit, & cepit. Petrus Zenus de Venetiis MCCCXLI. die primo Septembris suum regimen inchoavit, & mensibus XVIII. fuit Potestàs.

CAP. V.

Eodem mense.

De societate facta contra Dominum Mastinum, & aliis.

Magnus Ubertinus cupiens adimplere quod optabat, scilicet de Vicentia expellere
E Veronenses, fuit in die Olivarum IX. Aprilis, in secreto colloquio Lendenariæ, ubi fuerunt Obizo Estensis Marchio, Dominus Bononiæ,

(*) *Cod. Collalt.* & chartarum de papyro. Cujus laborerii chartarum de papyro primus inventor apud Paduam & Tarvisium fuit Pax quidam de Fabiano, qui propter aquarum amœnitatem in Tarvisio sæpiùs ac longiùs versatus vitam exegit, dicens, se nimis tardè perpendisse, illuc venisse habitatum propter guerrarum discrimina. Ajebat equidem ille jocosè imaginari Tarvisium post Paradisi & Inferni constructionem ex cœmento & lapidibus superstitibus fuisse constructum, persuadente Diti Deo ita: *illud pulcherrimum faciamus, ut singuli aveant illi dominari*. Nec suum augurium fefellisse dicebat, & quod expertus loquebatur.

(6) *Cod. I. Amb. legit* miles, *pro* Judex.

(7) *Codd. Amb., Estens., & Collalt.* Mudiano *semper*.

(8) *Cod. Collalt.* Pennam Sancti Marini.

(9) *Cod. Collalt.* sterilitas in Marchia Tarvisina, & propterea &c.

(10) *Cod. Collalt.* ergo famulus Medici, inscio Medico, tamquam falsus nuntius.

(11) *Cod. Collalt.* in Bolluno & Feltro, obsedit Zumelas,

niæ, Ambaſſatores Florentiæ. Firmata fuit Societas, & juramenta contra Dominos de Verona.

Dum hæc geruntur, Dominus Luchinus Vicecomes de Mediolano, Maſtinus de la Scala, Ludovicus de Gonzaga contra Bononiam ſe parabant. Qui omnes convenerunt in Parma, ubi pro Domino Maſtino regebant Domini de Corrigia. Hengelmarius verò de Villandres, per Dominum Ubertinum requiſitus, cum ſeptingentis Theutonicis galeatis vênit Paduam, & tranſitum faciens per Ferrariam, ivit Bononiam XIII. die Auguſti. Cùm verò ab utraque parte conveniſſent fortiſſimæ Nationes, interventu Domini Luchini fuit concordium, de quo videns Dominus Ubertinus ſe fraudatum, ſimulavit in totum. Sic Hengelmarius die XXI. Septembris rediit Paduam, & receptis muneribus à Domino Ubertino in Alemanniam equitavit.

Menſe Octobris fit ſtrata S. Petri, & multa alia laboreria inchoantur. Circa enim munitionem, & reſtaurationem Civitatis, & Villarum Dominus Ubertinus inſtabat.

Die primo Novembris expelluntur de Florentia Bardi, Freſcobaldi, & Rubei; ſed non omnes. Hac de cauſa Florentia ducitur in Dominium, ſecundùm quod dicetur inferiùs.

Revoluto anno Domini, ſcilicet MCCCXLI. die VIII. (12) Jannarii, Dominus Ubertinus ob amorem, & reverentiam Azonis Marchionis Eſtenſis, cujus optabat amicitiam ſuper omnia, ad gratiam ſuam, & Communis Paduæ gratiosè recepit Nicolaum, & Marſilium de Macharuffis, Tranſelgardum de Malitiis, olim propter mortem Macharuffi Communis Paduæ rebelles, & capitales inimicos Magni Marſilii de Carraria.

Eodem menſe Conradinus de Buchis, olim Poteſtas Paduæ, qui fuit auctor dandi Brixiam Domino Maſtino de la Scala, & poſtea auferendi, & eam reduxit in dominio Domini Luchini Vicecomitis, ejus juſſu decapitatur in Brixia, convictus, quòd tertiò vellet pro Domino Maſtino prodere Civitatem.

Die XXII. Februarii in Rhodigio in magna familiaritate fuerunt in colloquio Dominus Ubertinus, Eſtenſis Marchio, Joannes de Pepulis de Bononia. Quid fuerit actum ignoratur, eo (13) quia nullus ſequebatur effectus.

CAP. VI.

De facto Parmæ, & Mantuæ, & aliis Capitulis.

DE Avunculis ſuis de Corrigia circa regimen Parmæ, & cuſtodiam, Dominus Maſtinus plurimùm confidebat, qui contra Nepotes cum Mantuanis conſpirantes pugnaverunt contra militiam Domini Maſtini, & obtinuerunt Civitatem violenter. De hoc Dominus Ubertinus recepit Epiſtolam. *Magnifico Domino, Domino Ubertino, Civitatis Paduæ Domino Generali. Vobis ad gaudium nuntiamus, quòd die Lunæ XXI. Madii in primo ſomno Dominus Bonetus de Malavicina nobis inſultam fecit cum omnibus armigeris Civitatis Parmæ. Nos verò ad noſtram defenſionem pugnantes, eos finaliter devicimus, & conati ſumus*

A *(14) Civitatem exire. Fugam arripuerunt. Dominus verò Bonetus ſub fide detentus eſt. Guidus, Simon, Azo, Joannes fratres de Corrigia. Data Parmæ die XXII. Madii.* Hoc tempore Guidus de Gonzaga erat cum ſua militia extra Mantuam. Sic D. Maſtinus cogitavit de facto Parmæ facere ultionem. Unde D. Albertus cum ſignis D. Ludovici de Gonzaga ſubitò versùs Mantuam equitavit, quem Mantuani putantes eſſe Guidonem, filium Ludovici, permiſerunt accedere uſque ad portam. Nutu Dei cognitis inimicis fuit Civitas à tali periculo liberata. Tunc D. Albertus ſpe fraudatus extra Mantuam diſcurrendo, igne ac ferro omnia traxit in prædam. Fuit hoc MCCCXLI.
B die III. Junii.

Menſe verò Septembris Mantuani auxilio Magni Ubertini, & D. Luchini Vicecomitis equitaverunt contra Veronam hoſtiliter, & quaſi omnia combuſſerunt extra portas. Ex hoc facto Dominus Paduæ gaudia magna ſumit. Putabat juxta pacta ducere exercitum contra Vicentiam, quam D. Canis de la Scala traxit de dominio Civitatis Paduæ tempore adventus Henrici de Lucemborg Imperatoris. In Montagnana Paduani diſtrictus erant parata victualia, & cetera neceſſaria pro exercitu (15). Mantuani, ficta cauſa proditionis exercitus, Mantuam ſunt reverſi. Doluit D. Ubertinus, tamen indignationem ſuam celavit in totum.
C Menſe Auguſti, Jacobus filius Domini Nicolai de Carraria, Conſtantiam de Polenta, ſororem Socrus Domini Ubertini, duxit Uxorem. Eodem menſe ſoror Magni Ubertini, Sororum minorum Abbatiſſa, de ſtupro accuſata, ejus juſſu ſtrangulatur. Poſtea verò ſtuprator, ſcilicet quidam Frater. Menſe verò Septembris Rizardus à Ponte eius juſſu gladio occiditur. Menſe Novembris Aldrighetus de Caſtrobarco Catherinam de Scrovegnis, neptem Domini Ubertini, duxit uxorem.

CAP. VII.

Eodem Anno.

D

De captione Principis Joannis, & obſidione Lucæ.

EXpulſis Veronenſibus de Parma, deſperans Dominus Maſtinus tenere Lucam, convênit eam dare Florentinis pro ducentis millibus florenis. Mediator Obizo Eſtenſis Marchio, pro ſecuritate prædictorum habuit obſidem Ferrariæ filium Domini Maſtini, cum multis Civibus de Verona: de Florentia multos milites, & potentes. Piſani auxilio Dominorum Ubertini, Luchini Vicecomitis, Januæ, & filiorum Caſtrutii, qui de Verona fugierant, magnificè ſe poſuerunt cum exercitu juxta Lucam, ne
E ſummitteretur Florentiæ ſuis viribus reſiſtentes. Florentini cum Veronenſibus, & Ferrarienſibus ex adverſo magnificè convenerunt. Interim Piſani fortificaverant ſuum exercitum foveis, & belfredis. Ab utraque parte convenerunt fortiſſimæ nationes. Menſe verò Octobris convenerunt ſimul ad bellum. Fuit cædes magna, & ab utraque parte capiuntur Optimates. Fortuna belli fuit æqualis. Piſani plus fortificantur in campis, in tantum, quòd Florentini nullo modo

(12) *Codd. ambo Amb.* VII.
(13) *Al.* ex quo.
(14) *Melius* coegimus.

(15) *Cod. Collalt.* fingens illa comparaviſſe exercitui Mantuano.

do potuerunt ſuum exercitum ſuperare. Cùm jam Luca fame valida premeretur, anno ſequenti, & menſe Julii, datur in manibus Piſanorum.

Eodem anno MCCCXLII. Menſe Januarii, Petrus Zenus Poteſtas Paduæ, cepit adulterum cum uxore, qui ſtatim occiditur: adultera prægnans reſervatur: quæ poſt partum, & ejus regimen, Paduæ ſtrangulatur. Petro Zeno die IV. Martii ſucceſſit Joannes Gradenicus, qui ideo diſtulit, quia VII. diebus ningere non ceſſavit. Anno uno, & ſex menſibus fuit Poteſtas.

Princeps Joannes, filius Regis Boemiæ habebat uxorem Margaritam Tirolis Comitiſſam, qui juſſu dictæ Dominæ à ſuis militibus captus fuit in Tirole. Aſſerebant enim, quòd carnaliter eam non habebat uxorem. Princeps ergo voluit (16) palàm probare contrarium. Hoc factum eſt operâ Ludovici Ducis Bavariæ, qui ſe dicit Romanorum Regem. Princeps liberatus ivit Boemiam. Fuit hoc menſe Octobris anni MCCCXLII. (17).

Anno verò ſequenti menſe Februarii, Marchio Brandeburgenſis, filius Ludovici, in Tirole dictam Dominam de facto accepit uxorem. Ludovicus in Tridento cum filio juſſit feſtum maximum celebrari, ubi ſecum multi Principes Alemanniæ convenerunt, qui eodem menſe, tanquam Imperator, dictum matrimonium confirmavit; filium verò, & Dominam de comitatu Tirolis, & Ducatu Karintiæ inveſtivit.

CAP. VIII.

De morte quorumdam, & aliis Capitulis.

SUmmus Pontifex Benedictus obiit in Avinione MCCCXLII. die XXIX. Aprilis, & die VII. Madii eligitur Clemens VI. Joannes de Vigoncia, Juſtus Judex, & Miles pro communi Paduæ rexit Vicentiam; Item Cremonam, Florentiam, Peruſium, & alias Civitates, & loca. Sæpe fuit Legatus coram Papa, Imperatore, Regibus, Civitatibus, Ducibus, Epiſcopis, & Prælatis. Omni honore dignus habebatur à Civibus Paduæ, qui in ſumma egeſtate ſenuit. Huic compatiens Dominus Ubertinus neceſſaria miniſtravit.

De Parma Veronenſibus jam fugatis, infraſcripti rebelles Paduæ Mantuam fugierunt, qui juſſu Domini Mantuæ carcerantur, ſcilicet, Henricus, & Guilielmus filii Proſdocimi Caliginis, Tempo, & Gulielmus fratres de Tempo, Federicus de Capiteliſtæ, Jacobinus de Hengelfredis, Novellus de Rubeis. Hos Dominus Ubertinus habere ſuis nuntiis procuravit, qui à Domino Mantuæ gratiam habuit poſtulatam. Hi die XII. Junii Paduæ præſentati in cavea Domini Giberti carcerantur. Omnes fame in carceribus perierunt, viri tamen juvenes, & robuſti. Filii verò Proſdocimi, juſſu Domini honorificè dantur ſepulturæ, quorum unus primò obiit omnium die VII. Decembris; ultimus verò omnium prædictorum obiit die XXV. Januarii.

Eodem anno, menſe Julii, Maſtinus miles de Caſtello (*) Civie cum ſuis ſequacibus occiditur in Civie. Eodem anno quidam Cretenſes Communi Venetiarum fiunt rebelles. Unde menſe Septembris, conſentiente Magno Ubertino, Stipendiarii de Padua iverunt in Candiam cum Venetis. Ultimò quidam de rebellibus, corrupti pecunia, Venetorum ſocios occiderunt, & Inſula Cretæ placata reducitur ſub Dominio Venetorum. Eodem anno, menſe Novembris juſſu Domini ſinè cauſa Thomas de Capite-Nigro cum filio carceratur, ac ſqualore carceris jam conſumptus, relaxatus poſt triduum expiravit.

CAP. IX.

Eodem Anno.

De Domino Florentiæ, & ejus expulſione.

EXpulſis Bardis, Freſcobaldis, & Rubeis de Florentia, propter Lucam à Piſanis noviter acquiſitam, crevit diſcordia inter Nobiles, & Minores (18). Accuſabantur aliqui, quòd tractaſſent, ne Luca eſſet ſub Dominis Florentinis. Accidit verò, quòd eo tempore, menſe Julii, Dux Athenienſis erat Florentiæ in auxilium, qui menſe Septembri operâ Nobilium, qui per populares opprimebantur in tantum, quòd in Communi vivere deſperabant, efficitur Dominus Civitatis.

De facto Lucæ pacem fecit, quòd extrinſeci de Luca reſtituantur in integrum. Item quòd Luca recipere debeat Poteſtatem de Florentia. Item Luca eſſe debeat in Dominio Piſæ. Item quòd Piſani uſque ad XV. annos annuatim dare debeant Florentinis florenos decem millia. Item, quòd Florentini habere debeant quatuor Ca-

(16) *Cod. Collalt.* Aſſerebat equidem Comitiſſa, quòd illam numquam carnaliter cognoverat, & ſic illius ſe uxorem eſſe improbabat. Princeps contrarium probare recuſavit.

(17) *In Cod. Amb. I.* MCCCXLI.

(*) *Cod. Collalt.* Eodem Anno Martinus Miles de Caſtello de Coneglano cum ſequacibus ſuis occiditur in Coneglano. Quo tempore quidam Cretenſes Communi Venetiarum rebelles conſtiterunt tractatu & factione illorum Nobilium antiquiſſimorum de Calergis, qui apud Cretenſes habentur de progenie antiquiſſimorum Regum dictæ Inſulæ Cretæ, quæ apud Senecam *Regina Maris* nuncupatur, nec non & aliquorum Nobilium Venetorum à tempore captæ Inſulæ per Venetos ibidem feudis maximis inveſtitorum, quæ ſuo more Cavalarias appellant, non minùs rebellium, quam prædictorum. Ex qua rebellatione Commune Venetiarum navalem exercitum grandem ordinavit ad recuperationem dictæ Inſulæ. In quo numeratus eſt vir ſtrenuus Pileus de Vonico Miles Tarviſinus, cujus auſpiciis, viribus, atque ingenio ipſa Inſula capta creditur atque defenſa. Nam poſt dictæ Inſulæ deditionem in manus Venetorum improbus Miles Martinus Armilinus miſſus cum gentibus armigeris à Vicecomitibus Dominis Mediolani in ſubſidium Venetorum poſt recuperatam Inſulam magnis cum bellis atque expenſis illam ſuis pro Dominis aggredi auſus eſt. De quo quum percepiſſet fortis Miles Pileus de Vonico, intrepidè illi obviam pergit, quem quum lancea eques equitem impetiiſſet, transfixum equo proſtravit. Quo mortuo ſui ceſſerunt, & ſedatus eſt rumor, & exinde Inſula pacata remanſit ſub dominio Venetorum uſque in præſentem temporis mei diem, qui hæc iſta ſcribo MCCCCXXVIII. Tertio Aprilis in Caſtro Majori Brixiæ Caſtellanus. In quo namque exercitu Venetorum contra Cretenſem Inſulam, quæ à noſtris temporibus Candia nuncupatur, à Civitate in ea modo conſtructa Ubertini de Carraria milites pro auxilio convenerunt.

Et ita paucis mutatis legitur in Cod. I. Ambroſ. uſque ad illa verba remanſit ſub dominio Communis Venetorum, ſicut fuerat ab antiquo, *ſic deſinendo.*

(18) *Cod. Collalt.* & Populares.

A Castra, quæ eis data fuerunt tempore pacis factæ inter Venetos, Florentinos, & Dominos de la Scala. Post hæc Bardos, Frescobaldos, Rubeos, & alios Nobiles expulsos reduxit Florentiam, aliquos divites Populares punivit ad mortem, accusatos, quòd tempore, quo regebant Florentiam, spoliassent ærarium. Cùm verò opprimeret Populares, nec Civitatem regeret in communi, & instaret sollicitè circa pecuniam congregandam, conjuratum est contra eum. In anno sequenti, & mense Julii ab universo populo Florentiæ obsessus, cum sua militia in palatio Priorum Florentiæ obtinuit optatam licentiam recedendi: qui spoliatus thesauris, & equis, & armis, per Venetias rediit Athenas. B Aretium verò, & Pistorium, antea sub dominio Florentiæ constituta, esse voluerunt in Communi. Sicut enim Dux miraculosè & subitò volavit ad astra, sic subitò cecidit in ruinam.

CAP. X.

MCCCXLII.

De societate quorumdam Theutonicorum, & Duce Venetiarum.

IN MCCCXLII. junguntur insimul quatuor millia galeati Theutonici, qui discurrentes contra Forlivium, Ravennam, Parmam, Bononiam, & ubique, omnia trahebant in prædam. C Domini Luchinus Vicecomes, & Dominus Ubertinus de Carraria auctores se curialiter excusabant. Asserebant enim dictam societatem à rebellibus Bononiæ, Parmæ, & aliarum Civitatum inchoatam. Tamen Bononienses, & Veronenses Societatem corruperunt, & contra Mantuam eam miserunt. Dominus Paduæ aliquantulum trepidavit, ne contra Paduam duceretur. Hæc Societas, propter prædicta, facta omnibus odiosa dissolvitur: & per partes Veronæ anno sequenti, mense Januarii, Theutonici in Alemanniam sunt reversi.

Prædicto anno fuit quasi diluvium, & Turris Savonarolæ cum parte muri ruit, quæ jussu Domini meliùs reaptatur.

D Revoluto anno Domini, scilicet MCCCXLIII. XXVIII. Octobris (19) obiit Bartholomæus Gradenicus Dux Venetiarum. Cùm verò Veneti de aliquo annoso eligendo non possent convenire, post certamen elegerunt in Ducem Dominum Andream Dandulum annorum XXXVIII. (20) legali scientia decoratum, die III. Januarii. Hac electione Paduæ nuntiata, Dominus Ubertinus nobilem legationem misit Venetias, quam Dux summo honore recepit gratiosè, & Domino Paduæ, & Communi de honore ei facto retulit gratias immortales (21), deferendo semper Commune Venetiarum, & se perpetuò serviturum.

CAP. XI.

MCCCXLIII.

Qualiter Domini Ubertinus, & Mastinus amicabiliter convenere.

POst secreta colloquia Joannes Gamarella ivit Veronam, qui retulit Magno Ubertino de Carraria: *Dominus Mastinus de Verona, ut asserit, optat vobiscum habere pacem, & vos personaliter visitare*. Sic die XXV. (22) Madii in Montagnana cum Domino Ubertino fuerunt in prandio Legati Domini Mastini, Guidus Ricius, & Gibertus fratres de Fojano, Bonetus de Malavicina cum aliis militibus, & nobilibus sociati. Ii ea die revertuntur Colognam cum legatione nobili Paduana, scilicet Rolando de Rubeis, Jacobo de Carraria, Jacobino de Peraga, & aliis nobilibus Paduanis, quos Dominus Mastinus honorificè recepit. Et facto mane sinè armis equitavit Montagnanam versùs, cui per duo milliaria extra terminos sui districtus, occurrit obviam Dominus Ubertinus multis Nobilibus sociatus. Ambo uniti simul in amplexu se mutuò susceperunt, qui cum magno gaudio venerunt Montagnanam, ubi in conviviis, & solatiis sunt gavisi. Die verò II. Septembris Dominus Ubertinus ivit cum multis Nobilibus Paduæ Colognam (23). De honore eidem, sociisque facto, omnes Dominum Mastinum magnificè laudabant. Secreta fuerunt eorum colloquia, & incognita, tamen quidam miles vice filii naturalis Domini Mastini Gentilem (24) pupillam, & filiam naturalem Domini Ubertini Paduæ desponsavit. Veneti hanc amicitiam suspectantes, Paduanos, Vicentinos, Parmenses in Tarvisio stipendiarios cassaverunt.

Hoc anno expletum fuit Palatium claustrale mirificum Domini Ubertini, & aliud inchoatum. Item muri spaldorum pulcherrimè reparantur. Item fiunt aggeres Brentæ, Tergulæ, & navigium Montagnanæ, per quod itur Est, & stratæ omnes Civitatis, & publicæ (25) Villarum reficiuntur. Circa reparationem Civitatis, & districtus Dominus Ubertinus sollicitè procurabat.

Eodem anno mense Madii obiit Zambonetus de Curte, & ejus amplæ divitiæ indebitè confiscantur. Item duo Pastores excœcantur in carcere sinè causa. Item quædam nobilis Domina maritatur violenter jussu Domini Ubertini.

E Hoc tempore fuit maxima discordia inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, qui nepos Philippi quondam Regis Franciæ ex filia, deficientibus tribus Regibus successivè filiis dicti Regis Franciæ se jactabat Regem: Philippus verò filius Caroli fratris dicti Regis Philippi, descendens ex linea masculina, se magnificè defendebat. Interventu verò Summi Pontificis fiunt treguæ. Hoc tempore fuit Pax in universo Populo Christiano; tamen parvo tempore duratura. Hoc dicetur infra.

CAP.

(19) *Codd. Amb. I. & Collalt.* Decembris.
(20) *Codd. Amb. I. & Collalt.* XXXIII.
(21) *Codd. Est. & Collalt.* magnas, offerendo.
(22) *Alibi* XV.
(23) *Cod. Collalt.* Paduam, & ille Colognam perrexere.
(24) *Cod. Collalt.* quamdam filiam &c.
(25) *Cod. Amb. I.* omnes Comitatus, & Villarum publicè reficiuntur.

CAP. XII.

Eodem Anno.

De morte illorum de Flumicello.

MArsilius Grande de Carraria Dyanesium de Flumicello habuit socium, quem ditavit. Tamen conjurationi factæ contra eum, tempore dominii Veronensis, annuit, & Magni Marsilii secretissima revelavit. Expulsis Veronensibus de Padua, Domino Marsilio jam defuncto, ivit Veronam, quem Dominus Mastinus in contemtum Magni Ubertini recepit, & ei necessaria ministravit. Qui prodito Domino Mastino, adulationibus Domini Ubertini jam seductus, Paduam venit, & habuit in integrum bona sua: qui blando sermone cives in eo, quod poterat, provocabat contra Dominum Ubertinum. Hac de causa Domini Dyanesius, & Bonifacius ejus germanus, juvenis, & innocens die XXVI. Novembris, bonis omnibus publicatis, severissimè judicantur. Tracti verò ad caudam Asini per lutum, fuerunt in furca suspensi. Marsilius ejus filius, Pax ejus frater, Antonius ejus nepos, qui cum eo fuerunt Veronæ, de Padua fugerunt: qui, bonis publicatis, cum eorum successoribus de Padua sunt banniti.

MCCCXLIII. die primo Septembris, incœpit Potestaria Domini Petri Zeno, qui Capitaneus eligitur contra Turcos.

CAP. XIII.

MCCCXLIV.

De Comite Analdo.

FAma Magni Ubertini pervenit ad aures, quòd Gulielmus, dictus Analdus, Comes Annoniæ, qui Regibus Franciæ, Angliæ, Siciliæ, & Imperatori jungebatur vinculo parentelæ, rediens à visitatione Sepulcri, expectabatur Venetiis (26). Qui ejus non expectans adventum, nobiles suos Legatos, Marsilium de Carraria, Rolandum de Rubeis, Henricum de Lucio magnificè misit Venetias, ubi fuerunt cum Comite honorificè. Hi Nobiles expensis Nobilis Ubertini sociaverunt dictum Principem versùs Paduam. Ad ejus adventum omnes Nobiles occurrerunt. Quia hora erat Galli cantus, ceræ sine numero per aliqua milliaria undique collucebant, quòd nox videbatur omnibus clara dies. Princeps intrans Urbem, mirabatur de magnitudine, & pulchritudine Palatii Domini Ubertini. Qui cogitans honorem sibi factum, & sumtus, Dominum Ubertinum visitavit infirmum, & ei grates retulit de honore sibi facto, & suis militibus, & servitium, & amorem obtulit perpetuum. Magna dona in equis, armis, & auro renuit, præter duos pulcherrimos Palafrenos, asserens Sonipedes magnos sibi oblatos non posse longum iter sustinere. Sociatus dictis Nobilibus ivit Vicentiam, qui reversus Bassanum versùs Alemanniam equitavit. Galeam suam munitam magistro navis donavit in Venetiis. Fuit hoc die ultimo Novembris.

Revoluto anno MCCCXLIV. primo Januarii, Ubertinus carceravit Odoricum de Sancto Lazaro, qui libris decem millibus se redemit, facta causa contra ipsum, quòd cum Dyanesio de Flumicello fuisset locutus in ejus præjudicium. Verior tamen causa fuit, quia habebat eum odio propter quoddam litigium, actum inter eos in tempore retroacto: & sic Odoricus expensarum dicti Comitis fuit solutor. Eâdem causâ fictâ Dyanesii, Franciscus de Vigontia à suis dicitur venenatus, ne publicè mortem vituperosam sustineret, quam Dominus Ubertinus eum facere minabatur. Eodem anno, mense Martii, dictus Dominus comburi jussit mulierem unam cum filia, solâ causâ, quia unus homicida in earum domuncula latitavit horâ parvâ. Eodem mense Horologium XXIV. horarum, jussu Domini, ponitur in summo turris Palatii.

CAP. XIV.

Eodem Anno.

De Falsariis, & facto Xichi, & morte Lemici, & aliis.

ACcusantium falsò crevit multitudo; sed accidit semel casus, quòd tres accusaverunt Nicolaum de Gardellis, quòd verba injuriosa blasphemiæ dixisset contra Dominum Ubertinum. Qui veritate subtiliter exquisita, quatuor coronati corona falsorum ducti sunt per plateas in Burgos cum tibiis (27) vociferantibus. Omnes ad tale spectaculum accurrebant de tali justitia Deum, & Dominum benedicentes in secula. Ultimò linguis sunt privati omnibus in exemplum.

Eodem anno mense Martii, Xichus in suis castris in Caldenatio, & alibi, multùm infestabatur ab Episcopo Tridenti. Nam eodem anno, mense Junii, exercitus Theutonicorum ducitur contra eum per Conradum de Sinan (28), & Hengelmarium de Villandres. Qui veniens Paduam, à Domino Ubertino auxilium obtinuit imploratum. Fiunt treguæ, In Imperatorem Ludovicum, Marchionem de Brandburg ejus filium, & Dominum Ubertinum, fuit de controversiis partium compromissum.

Hoc Paduæ Losmastro (29), & Hengelmarius personaliter retulerunt, qui in donis, & conviviis à Domino Ubertino magnificè sunt recepti. Qui statim in Alemanniam pro pace misit suos Legatos.

Dum Lemizius, frater Naturalis Gulielmi Dente, cujus Dominus Ubertinus fuit occisor, pro sui tutela staret Venetiis, dictus Dominus inimicorum severissimus persecutor, de Venetis parum curans, eum in via publica per Sicarios interfecit (30).

Eodem anno, mense Septembris, Dominus Ubertinus occurrit obviam sorori Regis juvenis Siciliæ, uxori futuræ nepotis Imperatoris Ludovici, usque Oriagum, quam Paduæ honoravit magnificè, & Bassianum sociata versùs Alemanniam equitavit. In talibus Dominus Ubertinus videbatur egregius, & in suis factis ab Imperatore

(26) *Cod. Collalt.* Sepulchri, proficiscens Venetias applicuit, ubi fuit Regio honore à Venetis exceptus. Cujus fama dum ad aures Ubertini Carrigeri tunc adversa valetudine laborantis pervenisset, statim nobili legatione parata Venetias ad illum misit &c.

(27) *Cod. Est. & Amb. ambo* tubis.

Cod. Collalt. nec desinente prcecone alta voce clamare: *Hi sunt falsi testes & accusatores, qui Nicolaum de Gardellis falsò accusaverant, atque non minùs falsè in eum testati fuerant.*

(28) *Codd. Ambr. I. & Collalt.* Sunahim.

(29) *Cod. Ambr. I.* Hoffmaister.

(30) *Codd. Ambr. ambo* mense Septembri.

tore ſperabat auxilium.

Eodem anno, & menſe, Dominus Ubertinus habuit ad ſalarium DC. florenorum Raynerium de Forlivio Doctorem Legum egregium, qui verè Studium fama, & opere decoravit.

Eodem anno menſe Octobri, Dominus Nicolaus obiit Venetiis, & in habitu Fratrum Minorum voluit ſepeliri. Cujus corpus per Jacobum ejus filium translatum in Eccleſiam Sancti Auguſtini, in precioſo monumento, Paduæ requieſcit in pace. Fuit Miles pulcher, & probus, quem Federicus Dux Auſtriæ, nunc (31) dictus Romanorum Rex, militem fecit.

CAP. XV.

Eodem Anno.

De fuga Marchionis, & facto Parmæ.

EXpulſis Veronenſibus, Azo, & Guido fratres de Corrigio dominabantur in Parma. Oritur diſcordia inter Fratres in tantum, quòd eodem anno, die X. Novembris, Azo Obizoni Marchioni Eſtenſi dedit Parmam.

Poſt hoc in Regio, ubi dominabatur Philippinus de Gonzaga, gentes Domini Luchini Vicecomitis, Domini Ubertini, & Philippini convenerunt, contra Marchionem in ejus reditu pugnaturi. Rebus diſpoſitis in Parma, Marchio cœpit equitare versùs Mantuam, qui duas acies ordinavit, in prima fuit Franciſcus Marchio & trecenti (32) milites meliores: in ſecunda ipſe Marchio cum quingentis. Philippinus cum ſexcentis juxta Regium militibus de facili primam aciem ſuperavit. Marchio Obizo requiſitus declinavit à bello, & Parmam equitavit velociter. Licèt non fuerit ſtrages occiſorum; multi tamen fuerunt captivi, & ſpecialiter Nobiles viri, Joannes frater Azonis de Corrigio, Gibertus de Fojano, Joannes de Malateſtinis (33), Marinus de Macharuſſis. Marchio Obizo, ductu Marchionis Malaſpinæ, per Luniſanam Mutinam equitavit incognitus. Fuit hoc die VII. Decembris. Poſt hoc Mantuani equitaverunt contra Ferrarienſes, & poſt combuſtionem Poleſini Bragentini ſalubriter redierunt.

CAP. XVI.

De morte Petri Zeni, & facto Turcorum.

PEtrus Zeno de Venetiis, Paduæ Poteſtas, à Venetis eligitur Capitaneus contra Turcos. Qui, retento nomine Poteſtatis, de beneplacito Domini Ubertini ivit Venetias (34) volens obedire mandatis. Poſt hoc Patriarcha Conſtantinopolis, Legatus Eccleſiæ, cum galêis quatuor, Petrus Zenus cum ſex, Magiſter Templi Sancti Joannis cum ſex galêis, & multis Cruceſignatis, tranſierunt mare, & obtinuerunt Smirnas, ſcilicet Caſtra Turcorum diſtantia à Troja fortè per milliaria quinquaginta. Die verò Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti pugnaverunt in mari contra Turcos, & habuerunt victoriam glorioſam, quinquaginta duobus Lignis combuſtis, & ſubmerſis. Fuit hoc in pelago Montis-Sancti, ubi eſt Monaſterium, (35) in quo ſunt Monachi MD. Caloceri nominati. (36)

Poſt hoc prædicatur paſſagium contra Turcos cum remiſſione omnium peccatorum. Turci verò contra Chriſtianos per mare, & per terram ſæviebant. Cùm Chriſtiani jam mare haberent placatum, & Smirnas obtinuiſſent violenter, undique diſcurrentes, cum maxima multitudine armatorum ſe poſuerunt juxta Smirnas, & cum trabuchis intrinſecos infeſtabant in opprobrium Sanctæ Crucis. Chriſtiani, vexillo Crucis præmiſſo, exierunt ſubitò pugnaturi, & de Turcis habuerunt victoriam (37), & eorum machinas (38) combuſſerunt. Dum verò Chriſtiani vagarentur, colligentes de inimicis ſuis ſpolia, & Dominus Legatus Miſſam ſolemniter celebraret; Morbaſſan, qui ſe ſcribit Dominum Achajæ, & Imperatoris (39) Organi collateralem, & pugilem, cum multitudine equitum ſupervênit. Contra quem Nobiles Caporales pugnaverunt egregiè, quaſi ab univerſo vagante Populo deſtituti, ſed quia plerumque fit, quòd major pars minorem vincit, contra Chriſtum obtinuit Mahumetus. Sic eo die capita Dominorum, Legati, Petri Zeni, Marini Zachariæ de Janua. Capitanei etiam Rhodi, & aliorum viginti Nobilium virorum, Morbaſſano, Turcorum Domino, præſentantur. Iſti nobiles Chriſti pugiles, & Martyres per gloriam vivunt in æternum. Fuit hoc MCCCXLV. die XVII. Januarii.

---

(31) *Codd. Amb. ambo* tunc.
(32) *Cod. Amb. I. pro* trecenti, *legit* Theotonici.
(33) *Cod. Eſt., Collalt., & Ambr. I. & II.* Malateſtis.
(34) *Cod. Ambr. I. addit* ſui Communis.
(35) *Cod. Eſt., Collalt., & Amb. ambo* S. Anaſtaſii.
(36) *Cod. Ambr. I.* De hoc vidi literam Domini Petri Zeno, miſſam Domino Ubertino, & datam apud Salonicum die XVI. Madii.
(37) *Cod. Ambr. I. addit* glorioſam.
(38) *Cod. idem addit*, & ſortilicias.
(39) *Al.* Orchani.

Explicit Liber Octavus,

INCIPIT LIBER NONUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De morte Magni Ubertini de Carraria, & ejus successoris Domini Marsilii Papafava.

MAgnanimus Ubertinus, amicis fidelissimus, hostibusque durissimus, qui à morte Domini Marsilii de Carraria dominium, populumque Paduæ, absque alicujus oneris impositione, in maxima ubertate, justitia, ac largitate annis septem, diebus octo, viriliter gubernavit, erat immensæ libidinis. Qui post stupratas virgines multa matrimonia violavit. Hujus tamen delicti severissimus ultor, sororem propriam Monialem stupratam cum Religioso stupratore jussit occidi (1) Deus percussit eum morbo virgæ usque ad mortem. Operam verò dante Petro à Campagnola, ejus Vicario Generali, cujus consilio in suis negotiis procedebat, (2) Dominum Marsilium de Carraria Papafava hæredem, & dominii Paduæ habere voluit successorem, licèt sibi non esset in gradu. Sic die XXVII. Martii recepit dominium Civitatis. Die XXV. (3) Martii Ubertinus solvit debitum naturale. Qui die sequenti in Ecclesia Sancti Augustini honorificè sepelitur (4). Ejus successor nihil memorabile fecit. (*) Statim enim Jacobus de Carraria, Nepos Domini Ubertini, qui, ut supra dictum est, ductus fuit in Alemanniam per Conradum de Ovenstagno, & ibi stetit aliquo tempore carceratus, donec Dominus Nicolaus ejus pater eum pecunia liberavit, sciens (5) se privatum injustè successione suorum Majorum, & specialiter de Carraria, & dominio Civitatis; timens etiam ejus insidias, ait sibimet: *Legi, quòd agendo, & audendo res Romana crevit, non sedendo, aut votis: non iis sensibus, & consiliis, quæ timidi cauta vocant.* Et deliberato Consilio cum quibusdam Nobilibus, de quibus plurimùm confidebat, contra Dominum Marsilium conspiravit. Qui tertiâ horâ noctis clam ejus intravit hospitium, & suorum Cubiculariorum auxilio per diversa & multa ostia jam aperta, dolosè ejus cubiculum introivit, ipsumque gladio cum audacia interfecit. Fuit hoc die VI. Madii, anno MCCCXLV. qui in nocte sequenti sine Presbyteris, & candelis traditur sepulturæ.

CAP. II.

De Gestis per Jacobum de Carraria, & ejus Dominio.

JAcobus de Carraria nil putans actum, cùm quid superesset agendum, Domino Marsilio sic occiso, eadem nocte subitò se munivit amicis. Dominum Jacobum, qui obiit in Pendisio cum Albertino (6) ejus filio, Nepote Domini Marsilii, per Nuncium simulatum D. Marsilii venire fecit curialiter coram se; quem jussit in pretioso thalamo aliquibus diebus honorificè custodiri. Hos postea misit Pendisium. Petrum de Sacheto, & Marcum à Campagnola, & Albertinum Gottolam, factores Dominorum Ubertini, & Marsilii de Carraria, maximis divitiis spoliavit. Sigillo Domini Marsilii in Montesilice, & aliis in locis imposuit, de quibus poterat confidere, & sic subitò, & cautè sibi omnia subjugavit. Stipendiarii, inspecto Domino Marsilio mortuo, sub quo juraverant, dicto Jacobo juraverunt. His sic dispositis, & jam orto Sole, Primates Civitatis Paduæ, & universum Consilium convenerunt, qui Jacobum prædictum in suum Dominum per gratiam Sancti Spiritus elegerunt. Hic ducentos carceratos injustè, Laicos, & Presbyteros de publicis carceribus, & privatis liberè relaxavit. Bonum Franciscum de Nigris expulsum injustè per Dominum Ubertinum cum multis aliis restituit, bona etiam restituit multis indebitè spoliatis, abolitiones accusationum constituit generales. Ea die Franciscus, filius Domini Jacobi, Finam filium Patari de Buzacharenis accepit in uxorem. Præfatus Dominus in auro, vestibus, equis, & armis, in domibus, villis, & agris donavit immensa. Cùm omnia sic prosperè processissent, statim die sequenti post cœnam occiditur Daniel de Torclis in domo Domini à Jacobo fratre dicti Patari, de quo doluit multùm Dominus, cùm esset juvenis curialis & probus. Licèt ex hoc fuerit tumultus in Urbe, statim ad præceptum Domini Civitas fuit placata. Stant amodo Paduani pacifici de sui Domini justitia confidentes.

CAP. III.

Eodem Millesimo.

De morte Regis Apuliæ, & aliis.

EOdem anno, die primo Octobris, Bernardus Justinianus regimen Paduæ inchoavit. In anno verò sequenti MCCCXLV. (7) Mense Julii contra Parmam exercitus Domini Luchini magnificè congregatur. Obizo Estensis Marchio, auxilio Domini Mastini, contra exercitum Domini Luchini se posuit in campis pugnaturus. Dominus Luchinus jussit non pugnari, sperans vincere sustinendo. Dum verò de pugna partes essent in dubio, multi nobiles pugnaturi honorem receperunt militiæ. De iis Beltrandus de Rubeis, qui nobilem Saram, Dominam de Campo Sancti Petri habebat uxorem, infirmatus obiit Cremonæ mense Octobris, posthumo relicto Beltrando (8).

Eodem Anno primo Octobris Petrus de Canale per suum Vicarium incœpit regimen Paduæ. Ipse enim electus à Venetis Capitaneus ivit contra Zadram. Ut supra scriptum est, anno

(1) *Cod. Ambr. I.* Morbo virgæ percussus, videns se in extremo constitutum opera D. Petri, &c.

(2) *In aliis apud Osium, & in Ambr. I.* D. Marsilium Papafava de Carraria, licèt sibi non esset in gradu, hæredem &c.

(3) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* XXIX. *Cod. Ambr. II.* XXVIII.

(4) *Cod. Ambr. I.* sumptuosèque traditur sepulturæ.

(*) *Cod. Collalt.* quadraginta diebus Dominus existens.

(5) *Cod. Ambr. I.* videns.

(6) *Cod. Est. & Collalt.* Alberto.

(7) *Cod. Est. & Collalt.* MCCCXLVI.

(8) *Cod. Amb. I. & Collalt.* Rolando de Rubeis.

no præterito, & mense Decembris, Estensis Marchio Parmam obtinuit, quam Dominus Luchinus continuò cum exercitu (9) opprimebat. Marchio, & Dominus Veronæ, qui tamen habebat quatuor millia galeatos, Castro Sancti Felicis jam privati, de victoria desperantes, Domino Luchino dederunt Parmam in anno sequenti, & mense Septembris. Nomina Civitatum, in quibus dominatur Dominus Luchinus, sunt hæc: Ast, Novaria, Vercellæ, Laudum, Pergamum, Comum, Cremona, Placentia, Brixia, Parma, Papia, & Mediolanum.

Robertus Rex Apuliæ ex nepote ex fratre Hungariæ Rege habuit pronepotem, ex filio præmortuo Joannam ejus neptem ejus matrimonio copulavit. Dum verò post mortem Regis Andreas esset in solio regali cum Joanna, Princeps Taranti, & Comes Duratii, nepotes ex fratre dicti Regis, suspendio interfecerunt Andream anno Domini MCCCXLV. mense Septembris. Ejus Consiliarii Hungari, recepti per Dominum Paduæ honorificè, nunciaverunt hoc horrendum facinus Regi Hungariæ, fratri Andreæ, qui vindictam minabatur egregiam.

Eodem mense Delphinus Viennæ per Venetias transivit ad Smirnas contra Turcos, pro Fide Catholica pugnaturus.

CAP. IV.

Eodem Anno.

De morte illorum de Lutio (10).

SEcundus Jacobus de Carraria, optans sapienter sibi, & posteris dominium Paduæ conservare, se humiliter inclinavit cum Nobilibus civibus Paduæ ire Vicentiam. Semper tamen de consilio Henrici de Lutio procedebat, de quo plurimùm confidebat. Ibi cum Domino Mastino de la Scala secreta habuit colloquia mense Octobris. Augustino testante, *Deus vult per sua signa ostendere futura, antequam fiant*. Unde die IV. Novembris ictu fulminis comburitur, & diruitur mirabile Campanile Sancti Antonii, ut futura tempestas supra filios hominum demonstraretur. Magnus enim Jacobus de Carraria, Paduæ Dominus Generalis, gaudens de nobili comitiva, nobiles viros Henricum, Nicolaum, & Franciscum de Lucio fratres dilexit in tantum, quòd eos in divitiis, & honoribus ceteris præferebat: immo quasi Domini putabantur. In hac prosperitate superbus Diabolus intravit in eos, ut ad dominium aspirarent. Sic per eos conjuratum est contra Dominum Civitatis. Conjuratione cognita Dominus credere recusabat; tamen assentiens consilio saniori, Henricum licèt invitum habuit in cœnis die VI. Decembris. Interim eo inscio capitur Franciscus ejus frater, Azo verò de Delesmaninis, Jacobus Grossus, Franciscus de Montesilice, eorum amici, examinantur in tormentis; qui conjurationem leviter sunt confessi. Henricus post cœnam dolorosus, & tristis, dubitans, quid in tanto periculo sit agendum, in domo Domini intravit thalamum, ut dormiret. Post hæc intravit vir nobilis, & astutus Andreas de Rubeis de Parma, & ait Henrico: *Dominus Paduæ de te confidebat in tantum, quòd secundus Dominus publicè dicebaris. Unde miratur, & justè, quo animo ejus, & suorum mortem, & aliorum Nobilium solummodo cogitares*. Henricus negabat instanter: qui statim per conjurationis conscios, & familiam suam convictus, negare non potuit, Franciscus ejus frater etiam omnia est confessus. Eo tempore Nicolaus, qui erat in Praja, fugit Lutium. Contra eum statim die octava Jacobinus de Carraria equitavit cum exercitu: qui die sequenti Lutium obtinuit cum suis fortiliciis. Nicolaus fugit cum paucis.

Ejusdem verò mensis die decimo nobilis Legatio Venetorum, salutatione præmissa, ex parte Domini Ducis in publica concione retulit: *Dominus Dux, & Commune Venetiarum de inobedientia* (11) *illorum de Lutio contristantur, quia Commune Venetiarum semper desiderat Civium Paduæ unitatem, & statum*. Et Domino Paduæ, & Communi contra inimicos Dominum Ducem, & Commune Venetiarum liberè obtulerunt. Jam manifesto crimine proditorum, Dominus Paduæ mirabatur; tamen non sinè gemitu eos Curiæ Potestatis tradidit puniendos. Sic duo fratres spontè confessi in publica Concione damnantur ad mortem. Latâ sententiâ contra eos clamavit Concio universa: *Verè proditores sunt isti, iter imitando paternum. Eorum avus Dominus Nicolaus se, & Lutium dedit Domino Cani de Verona contra Patriam proditoriè, qui domibus eversis cum eorum successoribus, ut proditor Paduæ, fuit forbannitus tempore Imperatoris Henrici*. Populi clamore sopito, Henricus, & Franciscus, induti tristi habitu, in Palatio de more Nobilium capitibus sunt privati (12). Eorum corpora in capsis scarlato involutis juxta Ecclesiam Fratrum Minorum in monumento suo, jussu Domini cum honore decenti die XIV. ejusdem mensis requiescunt. Eorum filii forbanniti fuerunt, & bona confiscata. Ab hac die omnes asserunt se de parte Magni Jacobi de Carraria. Die sequenti Azo de Delesmaninis, Jacobus Grossus, Franciscus de Montesilice, Nicolaus à Finale, & quinque alii proditores tracti ad caudas equorum in furca publica sunt suspensi. Die verò XX. undecim suspenduntur. Præfatus Dominus clementiæ mirabilis Guarnerium de Lacte suum armigerum, qui alam militum gubernabat, in conjuratione deprehensum armis privavit, & equo, & eum ire permisit impunè. De Paduanis consciis dissimulavit in tantum, quòd aliquos fugitivos de Venetiis data fide curialiter revocavit.

Anno Domini revoluto, scilicet MCCCXLVI. die VII. Januarii, Nicolaus de Lutio rebellis Paduæ, & proditor Magni Jacobi de Carraria, bonis publicatis per Curiam Potestatis publicè judicatur. Casus prædictorum nos instruit, esse subditos Potestatibus, quia non est potestas nisi à Deo. Ergo qui potestati resistit, Dei resistit ordinationi. Sed qui Deo resistit, damnationem acquirit. Si verò non vis timere potestatem, fac bonum. Si malè feceris, time. Non enim sinè causa gladium portat Dei minister ad vindictam malefactorum, & bonorum laudem: Sic est voluntas Dei.

Eodem die Bianchinus de Porcilia filiam Gulielmi Dentis duxit, quam recepit honorificè à Magno Jacobo de Carraria, cujus erat germana, per matrem, sororem domini Nicolai.

CAP.

(9) *In aliis* obtinebat.
(10) *Cod. Est.*, *Collalt.*, *& Amb. ambo* de Lucio *semper*.
(11) *Cod. Ambr. I. addit* & delicto.
(12) *Legunt alii* Eorum corpora scarlatis involuta in capsis juxta Ecclesiam, &c.

CAP. V.

MCCCXLVI.

Magnus Jacobus efficitur Venetiarum Civis.

ANdreas Dandulus Venetiarum Dux, propter obsequia gratis accepta à Magno Jacobo de Carraria, & specialiter de Militibus contra Zadram, proprio motu in publica concione decrevit præfatum Dominum Paduæ cum posteris esse Civem. Hoc beneficio nunciato, Dominus Paduæ cum nobili comitiva versùs Venetias navigavit, cui usque ad Oriagum multi Nobiles Veneti occurrerunt. In lacu verò juxta Venetias filii Ducis cum Consiliariis, & Nobilitas universa, eum visum statim Ducalem navem ascendere rogaverunt. Sic omnes cum tubis, & cantis, & omni gaudio in Ducali Palatio descenderunt. Cui Dux occurrens de beneplacito omnium civium ait: *Nobis placet, vos* (13) *cum vestris posteris esse Civem*. Qui Domino Duci, & Communi fidelitatem juravit, ut civis. In Venetiis aliquibus diebus tenuit Curiam generalem. Dux verò ipsum habuit honorificè in convivio. Per Commune fuit in vasis aureis, & argenteis, pannis variis magnificè præsentatus. Gaudet Padua de sui Domini providentia, & honore. Fuit hoc eodem mense Januarii.

Eodem mense, die XXIV. (14) ex magnanimitate & liberalitate Magni Jacobi de Carraria, servi illorum de Lutio confiscati, fiunt liberi in Consilio Civitatis Paduæ (15), in dicti Domini Jacobi voluntatis evidens testimonium, de quibus fuerunt præsentes circa centum. Anno secundo, & die primo Domini Jacobi Magni de Carraria, scilicet die VII. Madii, incœpit cursus bravii in honorem præfati Domini, & memoriam sempiternam.

CAP. VI.

Eodem Anno.

De facto Zadræ.

CIvitas Zadræ est juxta mare, fortis & dives viris, & armis, quæ in aliquo Venetis tributaria, sperans libertatem auxilio Regis Ungariæ, Venetis revellavit. Unde Veneti per terram, & aquam, auxilio Magni Jacobi, Zadram potentissimè obsederunt anno Domini MCCCXLV. (16) mense Augusti. Anno sequenti mense Martii Zaninus Dandulus regimen Paduæ inchoavit. Veneti multas pugnas fecerunt contra Zadram. Habebant enim galêas munitas castris magnis, & trabuchis, pontibus & omnibus necessariis ad bellandum (17). Fuit utriusque partis occisio; obtinuit tamen pars pro libertate pugnantium mense Madii. Mense verò Junii Rex Ungariæ fuit in auxilio Zadræ cum ducentis millibus equis. Castra Venetorum, & bastias impugnavit, & direxit machinas contra eos. Veneti fortissimè impugnati, desperantes de defensa, exeuntes castra contra Ungaros pugnaverunt, & combustis machinis, & multis occisis obtinuerunt victoriam gloriosam mense Julii. Eodem mense Nobiles Legati Regis Ungariæ fuerunt Venetiis recepti magnific. Post hæc Rex tantarum Gentium, relictâ Zadrâ, in tenebris (18) remeavit. Andrea Dandulo Duce, Andrea Moresino per mare, & Marco Justiniano per terram Capitaneis contra Zadram. Cives Zadræ, qui voverant Patriam defendere, vel per ipsam sepeliri, de auxilio Regis Ungariæ desperantes, & fame maxima laborantes, de defensa ulteriùs non sperantes, Venetiis Domino Duci, & Communi de misericordia supplicantes, obtulerunt dominium Civitatis, & habuerunt gratiam postulatam (19). Sic Veneti habuerunt Zadram pacificè. Sic bellum perfectum longo tempore, & expensis mille millibus florenis, fuit pacis lenitate sopitum.

Revoluto Anno MCCCXLVII. ultimo Decembris, Jacobus de Carraria, magnificè sociatus, ivit Venetias, ostendens magnum gaudium de dominio Zadræ Venetis acquisito. Dominus Dux ob hanc causam sociatus Magno Jacobo de Carraria suo concive, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis, cum universo Clero, & Venetiarum Nobilitas universa cum Reliquiis Sanctorum, & thesauris, benedicentes Dominum de tanto dono, Letanias cum canticis angelicis cantantes, Civitatem cum gaudio circuibant.

CAP. VII.

Eodem Anno Mense Augusti.

De captione Xichi de Caldenatio.

LUdovicus Romanorum Rex, ut dicebat, Hengelmarium de Villandres in Fekre, & Civie (20) constituit suum Vicarium. Xichus de Caldenatio pro florenis XII millibus dictum officium habere procuravit. Hengelmarius Xichum cepit in Bolzano, cui mortem rigidam minabatur: castra Xichi multoties impugnavit. Etiam Episcopus Tridentinus equitavit contra Xichum cum exercitu. Pax fit inter eos, operâ Domini Jacobi de Carraria, hoc pacto, quòd Hengelmarius habeat Clusam Xichi, & sex millia florenorum; Covalum (21) verò habere debeat Magnus Jacobus antedictus Sic Xichus in suo proposito fraudatus, & suo thesauro spoliatus, fuit à carceribus liberatus. Eodem anno MCCCXLVI. mense Augusti.

CAP.

(13) *Cod. Est. & Collalt.* & Communi.
(14) *Cod. Amb. I.* XXIII.
(15) *Cod. Collalt.* omnes, ex quibus præsentes affuerunt circa centum. Quod factum est ad æmulationem Civitatis Tarvisii, quæ post excidium illorum de Romano omnes illorum Masnatas & Servos liberè mancipavit, & libertati & ingenuitati condonavit. De quibus in Archivo publico Cancellariæ Communis Tarvisii instrumenta publica documento sunt. Die VII. Madii &c.
(16) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* MCCCXLVI.
(17) *Cod. Collalt.* bellandum: nondum enim usus bombardarum compertus fuerat.
(18) *Cod. Collalt.* Budam remeavit.
(19) *Cod. Ambr. I.* Unde die XXI. Decembris Capitanei exercitus Jadram pacificè intraverunt.
(20) *Cod. Collalt.* Civitate Belluni.
(21) *Cod. Collalt.* Cubalum verò de Brenta habere debeat dictus Carriger Bassano dominans.

CAP. VIII.

Eodem Anno.

De morte Regis Joannis, & aliis.

A Duardus Rex Angliæ strenuus, & magnanimus, qui per matrem se Franciæ jactabat in Regem, Francorum universo navilio superato, cum validissimo exercitu intravit Regnum, quasi usque Parisius. Philippus Rex Franciæ ivit magnificè contra eum. Ambo Reges ordinato bello bellaverunt. Fuit ex utraque parte immensa nobilitas bellatorum. Ambo Reges de personis fecerunt magnalia. Ultimò Rex Franciæ debellatur. Rex Angliæ stetit duobus diebus in campis, postea cum suo exercitu ivit Mostriolum juxta mare. In hoc bello cecidit Serenissimus Princeps Joannes Rex Boëmiæ ex parte Regis Franciæ, Comes Salviæ (22), Dux Lotharingiæ, Comes de Lansone frater Regis Franciæ (23), & ex utraque parte alii Nobiles (24) circa mille: alii verò circa XX. millia ceciderunt. Ipse verò Rex Philippus cum paucis Principibus sub Pernone (25) Delphini de Alvernia fugit Ambionis. Rex Angliæ, requisitus à Rege Franciæ, & gloriosissimo Principe Domino Carolo, filio Regis Boëmiæ, corpus Regis mittere recusavit; sed dictum corpus ornatum habitu Regio, & multis Principibus sociatum, cum omni reverentia jussu Regis Angliæ in Lucemborg Regis oppido est sepultum. Fuit enim Henrici Imperatoris filius, qui à Comitatu de Lucemborg (26) duxit originem. Fuit hoc MCCCXLVI. mense Augusti inter Crassim, & Albam-villam. Post hoc bellum Rex Angliæ obsedit, & cepit Calex (27). Ultimò operâ Summi Pontificis fiunt treguæ.

Eodem anno (28) Franconus de Comitibus convictus, & confessus de conjuratione illorum de Lutio contra Dominos de Carraria, publicè decollatur.

Quidam nobilis Vicentinus, qui propter fracturam cruris claudicabat, & dolores sæpissimè sustinebat, nec poterat liberari, in somnio admonitus Corpus Beati Antonii Paduæ solemniter visitavit, qui pristinam statim obtinuit sanitatem. Eodem anno, mense Junii fuit Capitulum Generale Fratrum Minorum Venetiis. Per Beatum Antonium Paduæ fiunt multa miracula, quibus visis multæ peccatrices ad pœnitentiam sunt conversæ.

CAP. XI.

MCCCXLVII.

De facto Ravennæ.

H Ostatius de Polenta, patrui interfector, Ravennæ & Argentæ dominator, post annos XX. sui dominii obiit, tribus relictis filiis. Duo minores, scilicet Pandulfus, & (29) Rambertus ceperunt Baylardinum in Argenta, qui subitò equitaverunt Ravennam, & affirmantes fratrem occisum gladio, obtinuerunt dominium. Post hæc discordes fratres pacificantur, & simul honorem militiæ susceperunt, & inter eos fraternus videbatur affectus. Baylardinus verò, suæ captionis memor, fratres cepit, & eos in turri fortissima tenuit carceratos, eorum sequaces privavit divitiis, & aliquos carceravit, multos dira morte consumsit. Sic duo juvenes in suo proposito defecerunt. Non enim, qui incœperit; sed qui perseveraverit, salvus est. Fuit hoc Mense Martii MCCCXLVII.

CAP. X.

De Domina Isabella.

I Sabella Genuensis (30) de Flesco, Uxor (31) D. Luchini Vicecomitis, carens prole, uno partu gemellos filios peperit. Unde visitare voluit limina Sancti Marci, quæ transiens per Veronam, die V. Martii intravit Paduam: quam à confinibus Vicentiæ Dominus Jacobinus frater Domini sociavit: Major verò Jacobus ei obvius juxta Paduam cum ea equitavit. Ipsa sedens in sonipede phalerato, capite non velato, videbatur Regina. Erat enim sociata Dominabus (32), & filios multis Nobilibus Lombardiæ cum sexcentis equis. Ante ejus equum procedebant Milites (33) & Nobiles Domicelli. In Palatio eminenti sedem habuit, ubi nobilis Constantia de Polenta, uxor Domini habitabat, & ibi fuit continuò Curia generalis Dominarum, & Nobilium Civitatis cum expensis decem millium florenorum. Versùs Venetias usque ad sanctum Hilarium eam Magnus Jacobus sociavit; abinde usque Venetias Franciscus ejus filius, qui in Venetiis tenuit Curiam generalem. Veneti ei obviam magnificè occurrerunt, quam Dux, & Nobiles in conviviis habuerunt magnificè, ostendentes ei mare in Festo Ascensionis. Revertitur Paduam sociata magno Jacobo de Carraria, & sociata D. Jacobino ivit Vicentiam die XIV. ejusdem mensis. Super his Civitatibus dominabatur magnus Luchinus, quarum Magnates dictæ Dominæ fuerunt comites, scilicet Mediolanum, Ast, Bobium, Tortona, Vercellæ, Novaria, Comum, Pergamum, Laudum, Placentia, Cremona, Brixia (34) Parma, & Alexandria.

MCCCXLVII. Andreas Moresinus incœpit regimen Paduæ die primo Martii. Eodem anno, mense Aprilis, primò Ambassatores Regis Hungariæ, ituri Aquilam, intraverunt Paduam. Mense Julii Delphinus Viennæ rediens à Smirnis, propter impugnationem Turcorum, fuit Paduæ. Hos Magnus Jacobus in conviviis, & donis magnificè honoravit.

CAP. XI.

De morte Regis Ludovici, qui se dicebat Imperatorem.

C Ontra Ludovicum Ducem Bavariæ senem, & rebellem Ecclesiæ, qui per XXX. annos

(22) *Cod. Collalt.* Salinæ.
(23) *Codd. Est.*, *Collalt.*, *& Ambrosf. ambo* Comes Flandriæ.
(24) *Alii addunt* Milites.
(25) *Codd. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr. ambo* Pennone.
(26) *Cod. Collalt.* Lucemburgo, lingua illa sic vocato, quod nostra sonat *pauper Castrum*.
(27) *Alii* Cales.

(28) *Cod. Ambr. I.* die XVI. Septembris.
(29) *Codd. Est.*, *Collalt.*, *& Ambr. ambo* Rambaldus.
(30) De Flisco *aliis*.
(31) *Cod. Ambr. I.* Magni.
(32) *Cod. Collalt.* quinquaginta Dominabus nobilibus, cum centum Nobilibus.
(33) *Cod. Collalt.* milites X.
(34) *Cod. Collalt.* Papia.

nos se appellabat Imperatorem, mandata Summi Pontificis contemnendo, Carolus de Lucemborg, filius Joannis Regis Bohemiæ, filii quondam Imperatoris Henrici, eligitur Imperator. Hic Carolus de Lucemborg, sperans de Comitissa Tyrolis ultionem, quam indebitè Marchio Brandeburgensis tenebat in suam (de hoc scriptum est supra) Tridentum cum tribus in habitu Mercatoris equitavit incognitus. Qui collectis copiis armatorum à Magno Jacobo de Carraria, Lombardisque equitavit Maranum, destruxit Bolzanum, & circuivit illas partes. Mense Maji Feltre, Civie, Rocha S. Victoris, Valdestagnum cum Carlubrio fuerunt ad sua mandata, captis Theutonicis, qui dicta loca custodiebant pro Hengelmario de Villandres. Mense verò Junii (35) Xichus de Caldenatio fuit obediens. Cùm Rex Carolus esset in Feltre, Magnus Jacobus de Carraria, à Rege invitatus, honorificè equitavit ad eum. Ambo simul equitaverunt Civie, cui Rex grates retulit de auxiliis, & oblationibus factis in denariis, armis, & equis, eumque rogavit habere sub sua protectione Civitates, & loca nuper acquisita, & ait, se redire Bohemiam, recepturum regnum paternum; sic Rex Carolus equitavit versùs Hungariam visitare Regem, qui ejus filiam habebat uxorem. Crevit odium, & incendium inter Marchionem Brandeburgensem, & Dominum Carolum, qui non poterat commodè remanere destitutus à Lombardis, & penuria victualium stimulatus.

Ludovicus prædictus dum equitaret, venandi causâ, subito morbo captus cecidit de equo, & Divino judicio senex, & rebellis Ecclesiæ subitò exspiravit. Post cujus mortem Principes Alemanniæ, exceptis Bavaris, Domino Carolo Romanorum Regi fidelitatem debitam juraverunt. Fuit hoc MCCCXLVII. mense Octobris.

CAP. XII.

Eodem Anno.

De Tribuno Romæ.

ROma à Summo Pontifice destituta, qui tunc residebat in Avinione, oppressa multis cladibus, & civili bello, Nicolaum Notarium scientia, & moribus informatum, gratia Sancti Spiritus illustravit libertatem Reipublicæ procurare: qui cum plebe contra Nobiles Urbis obtinuit principatum. Qui XX. die Madii fuit Tribunus, qui secundum locum à Regibus obtinebat, ut antiquitus Tribunus. Nam post Reges exactos Populus secessit à Patribus, qui sibi Tribunos creavit, quasi Judices, & proprios defensores. Die XXI. Augusti fit miles per Syndicum Urbis, & die Assumtionis Virginis coronatur. Ad hæc (36) spectacula occurrerunt magnificè Nuntii Pontificis (37), vicinæ Civitates, & breviter tota Tuscia. Coram se citavit Ludovicum, & Magnum Carolum, volens de juribus Imperii disputare, asserens electionem Romani Regis esse Reipublicæ ab antiquo. Hic tribunus sibi creavit Consules, & Præfectos. Contra Tribunum Colonnenses, & quidam de Ursinis, & multi Nobiles Romani equitaverunt usque ad Portam Sancti Laurentii, volentes intrare Romam violenter. Tribunus effusa oratione inter suos, omnes animavit ad bellum, & viriliter pugnando cum Populo, & Romana militia victoriam habuit gloriosam. Multi nobiles Colonnenses, & alii fuerunt interfecti, in quibus ceciderunt Stephanus de Columna cum filio. Post hoc crescunt vires Nobilium. Unde Tribunus se locavit in Castro Sancti Angeli. Ultimò fugit in Apuliam, ubi tunc residebat Rex Hungariæ, qui eum habuit aliquo tempore honorificè. Hic Tribunus, persecutus ab Ecclesia, sive Papa, fugit ad Dominum Carolum Imperatorem, qui ejus interventu ad Ecclesiæ gratiam fuit receptus: de Avinione rediit Romam, & contra Colonnenses fecit egregia. Fratrem Morialem ductorem societatis, sive latronum, recepit Romæ, & decapitavit, & eum spoliavit de florenis centum millibus. Ultimò tumultu Populi in MCCCXLVII. (38) fuit interfectus.

CAP. XIII.

De Rege Hungariæ.

CArolus Princeps Provinciæ, frater Ludovici Regis Franciæ, per Ecclesiam fit Rex Siciliæ, & Apuliæ, contra Manfredum, filium quondam Federici Imperatoris, qui jam decem annis contra Ecclesiam occupaverat dictum Regnum. Hic Carolus pugnavit contra Manfredum (39) & eum regno, vitaque privavit. Nobilis Conradinus, nepos Federici, volens vendicare necem Patrui, & Regnum avitum de manu dicti Regis Caroli extirpare in MCCCLVI. (40) transiens per Veronam, ivit Pisas, & deinde Romam, ultimò juxta Aquilam posuit castra sua. Cum eo interfuerunt Romani magnificè cum fratre Regis Castellæ (41), qui tunc erat Senator Urbis. Mense verò Augusti in Campo Palatino sunt ab utraque parte tres acies ordinatæ. In primo congressu belli duæ acies Regis Caroli sunt prostratæ, occiso Mareschalco Regis, quem propter strenuitatem personæ, & armorum ornatum, Regem Carolum extimabant. Sic milites Conradini, quasi securi de victoria, circa occisorum spolia insistebant. Dum hæc geruntur, Rex Carolus visa suorum strage, qui tamen Missam non cessavit audire, effusa oratione clarissima inter suos, eos animavit ad bellum. Et Christi auxilio invocato Regali acie ordinata, more Leonis irruit in hostes, de quibus victoriam habuit gloriosam. Cum Senatore Romæ multi Nobiles capiuntur. Transfugas, proditores, & rebelles, qui adhæserant Conradino, Regia severitas subire fecit sententiam capitalem. Conradinus de bello fugiens, captus à quibusdam Romanis pro immensa pecunia Regi potentissimo præsentatur, quem nobilissimum, & pulcherrimum juvenem jussit cum Duce Austriæ Neapoli publicè decollari.

Defuncto Rege Carolo, Galli expelluntur de Sicilia in MCCCLV. cui successit (42) Carolus. Hic decessit relictis tribus filiis, & Carolo nepote ex filio primogenito, cui Regnum rationabiliter debebatur. Hic Carolus tertius operâ Summi Pontificis de Regno Hungariæ co-

(35) *Cod. Ambr. I.* Julii XI.
(36) *Al.* spectanda.
(37) *Cod. Ambr. I.* Potentes.
(38) *Codd. Est., Collalt., & Ambr. ambo* MCCCLIV.
(39) *Cod. Ambr. I. addit* in campis Beneventi.
(40) *Cod. Ambr. I.* MCCLVI. *sed rectius* MCCLXVII.
(41) Henricus Senator Urbis, *ut alii tradunt*.
(42) *Nempe* Secundus.

A coronatur in MCCCIII. Robertus ejus patruus secundò genitus de regno Apuliæ coronatur, omni scientia eruditus, qui multa bella fecit contra Siculos. Hic Rex Robertus, putans ex debito Regnum deberi nepoti Regis Hungariæ, Joannam neptem primogenitam ex filio præmortuo, Andreasio secundò genito Regis Hungariæ dedit uxorem: secundò genitam habuit uxorem Dux Duratii, filius fratris Regis Roberti dispensatione Papali. Ludovicus primogenitus Regis Hungariæ coronatur. Mortuo Rege Roberto, dum Andreasius esset in solio cum Joanna, non tamen à Summo Pontifice coronatus, suspendio occiditur proditoriè. Auctores hujus sceleris dicuntur omnes de stirpe B Regia cum Joanna in MCCCXLV. Ludovicus Rex Hungariæ, scelere nunciato, vindictam fratris instantissimè procurabat. Qui primò procuravit habere Aquilam, quam munivit suis militibus; postea per suos Legatos obtinuit à cunctis Civitatibus pacificam licentiam transeundi in Apuliam. Ejus mirandum adventum Italici formidabant. Tunc Magnus Jacobus de Carraria ait: *Attila Rex Hungariæ voluit de Romano Imperio coronari etiam contra Christum, contra quem Rex Paduæ Christianissimus pugnavit, & obtinuit multas pugnas, sed debellatus fugit. Comburitur Marchia Tarvisina usque Pergamum jussu Attilæ. Volentes ergo nobis, & nostris procurare salutem, tanto Regi* C *familiariter occurremus*. Statim pervênit ad actum, mittens exploratores de ejus adventu in Hungariam. Sic de Regis motu admonitus equitavit Cittadellam. Jam enim Rex intraverat Sclavoniam. Ad eum misit suos Legatos, orantes Regem intrare Paduam pacificè. Cùm Rex intravit hortum Paduæ, Magnus Jacobus cum suis militibus sinè armis occurrit, & receptus honorificè à Rege intraverunt pariter Cittadellam, ubi fuit tanta copia victualium, quòd Rex propriè mirabatur. Tunc non habebat mille equos; sed quasi pacificus procedebat. Dominus Rex tamquam privatus habuit in colloquio Dominum Paduæ, quem rogavit videre Paduam regiam pacificam. Rex recusavit festinans in D Apuliam ad vindictam fratris sui dilecti. Rex transiens per Veronam ivit Forlivium, & ibi fecit milites Franciscum de Ordelaffis, & filios. In MCCCXLVII. die tertio Decembris intravit Cittadellam. Carolus Dux Duracii, asserens se inscium mortis Andreasii cognati sui, Regis Hungariæ procuravit adventum, qui eum anno sequenti die XX. Januarii pacificè Neapolim introduxit. Ludovicus verò frater Roberti Principis Taranti cum Regina Joanna, quam habebat uxorem, fùgit Avinionem, ubi tunc sedebat Clemens Papa. Rex cupidus ultionis necis fratris, ait Duci Duratii: *Ubi fuit frater noster interfectus?* Qui ostenso loco, Ducem Duratii gladio interfecit, & alios Nobiles E sceleris tractatores de stirpe Regia Magni Caroli: Ludovicum, & Robertum fratres Ducis interfecti, & Robertum Principem Taranti, & Philippum fratrem Ludovici, qui fùgit cum Regina Joanna, misit captos in Hungariam. Posthumum etiam Andreasii misit in Hungariam, cujus matrem asserebat meretricem, & consciam mortis viri. Post hæc Rex Hungariæ rexit Apuliam, & Neapolim tanquam Rex; ista verò Summus Pontifex non curabat. Qui Regno Apuliæ ordinato juxta velle, navem cum paucis intravit, & subitò in Hungariam transfretavit. Eodem Anno mense Junii, postquam patuit Regem recessisse, Ludovicus & Regina Joanna in Neapolim sunt reversi. Castrum tamen de Neapoli per Regem Hungariæ regebatur. MCCCLI. (43) Rex Hungariæ reversus in Apuliam multa fecit in armis. Summus verò Pontifex onus concordii in se traxit. Rex Hungariæ Mense Octobris intravit Romam, ubi erat venia omnium peccatorum. Dominium oblatum à Romanis refutavit, asserens Romam esse Imperii. Qui per Cittadellam transiens cum mille galeatis equitavit Sacile, iturus in Hungariam. Clemens Papa tam immensa Dei auxilio terminavit. Unde in anno sequenti, & die Sancti Spiritus, Ludovicus cum ejus uxore Joanna, per Legatos Domini Papæ de Regno Apuliæ coronatur. Omnes de sanguine Regio in Hungaria carcerati liberè restituti fuerunt Paduæ, ubi per Dominos de Carraria fuerunt in donis, & solatiis habiti honorificè. Sic in MCCCLIII. mense Januarii cum magno gaudio per Paduam Neapolim redierunt, qui omnes liberè fuerunt per Regem Ludovicum in suis dignitatibus restituti.

CAP. XIV.

De clade inaudita.

Deus omnipotens, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, primò minatur, secundò verò percutit ad correctionem humani generis, non interitum. Volens affligere humanum genus plagis maximis, inauditis, primò in extremis partibus Mundi, in Orientis plaga cœpit suum judicium horrendum. Cùm verò jam percussisset Tartaros, Turcos, & genus Infidelium universum in MCCCXLVIII. die XXV. Januarii hora XXIII. fuit maximus terræmotus per horam mediam ad terrorem Christianorum. Post quem pestis inaudita transivit mare, scilicet in partes Venetiarum, Lombardiæ, Marchiæ, Tusciæ, Alemanniæ, Franciæ, & ferè per Mundum universum. Hanc, quidam infecti, venientes de partibus Orientis, detulerunt. Hi solo visu, vel tactu, vel flatu omnes occidebant. Erat hæc infectio incurabilis, non poterat evitari. Uxor fugiebat amplexum cari viri, pater filii, frater fratris: & è converso talium domus, & vestes occidebant. Sepelientes, portantes, videntes, vel tangentes subitò multoties expirabant. Sicut ovis infecta inficit totum gregem, sic unius domus decedentem unum semper moriendo ceteri sequebantur usque ad canes. Corpora etiam nobilium manebant insepulta. Multi pretio à vilibus sepeliebantur sinè Presbyteris, & candelis. Veneti verò, ubi centum millia perierunt, navibus redemptis magno pretio corpora ad Insulas portabant. Civitas erat quasi desolata. Unus solus incognitus vênit Paduam, qui Civitatem infecit in tantum, quòd forsan in toto Comitatu tertia pars defecit. Civitates, cupientes evitare talem pestem, omnibus extraneis prohibebant ingressum. Sic Mercatores de Civitate ad Civitatem non poterant ambulare. Hac clade fuerunt destitutæ Civitates, & Castra. Non audiebantur voces, nisi heu, dolores, & planctus. Tunc cessavit vox Sponsi, & Sponsæ, sonus cytharæ, cantus juvenum, & lætitia. Pestes verò imminentes tempore Pharaonis, David, Ezechiæ, Gregorii Papæ respectivè pos-

(43) Cod. Amb. I. MCCCL.

possunt nunc pro nihilo reputari. Hæc enim pestis circuit totum Orbem. Deus enim tempore Noë tantas animas vix consumsit, cui possibile est humanum genus etiam de lapidibus restaurare. Hujus pestis erant pessimè alii infecti, ut supra; quidam evomendo sanguinem exspirabant subitò, alii morbo cancri, vel vermis. In signum verò mortis, quasi omnibus nascebantur glandulæ incurabiles circa genitalia, vel sub brachiis, vel (44) aliis partibus, venenosis febribus sociatæ. Hi prima, vel secunda die exspirabant. Post tertiam, licèt raro esset aliqua spes salutis, aliqui somno capti, numquam excitati, transibant. Contra hoc Medici palàm profitebantur se nescire remedium, quorum hac peste potissima pars defecit. Tempore hujus pestis D. Guerra Comes S. Bonifacii, Potestas in Senis, obiit quasi cum tota sua familia, ubi etiam, Florentiæ, & Pisis & per totam Tusciam fuit mortalitas abhorrenda. Hæc pestis durabat sex mensibus communiter à sui principio in qualibet regione. Nobilis Vir Andreas Moresinus, Potestas Paduæ, in tertio suo regimine exspiravit, mense Julii (45). Huic in regimine filius substitutus, statim obiit. Audi tamen mirabile, quòd tempore hujus cladis non obiit Rex, Princeps, nec Dominus Civitatis. Hoc tempore Christianitas in quinque locis furebat in armis. Primò contra Turcos juxta Smirnas: & Rex Angliæ contra Franciam: Rex Hungariæ in Apuliam: Rex verò Boëmiæ, electus Imperator, contra Baveriam: Tribunus Romæ oppressus à Patribus fugit in Apuliam. Humanum genus sic afflictum, sciens se non posse addere, vel auferre iis, quæ Deus faciat, ut timeant, Sanctorum limina visitabat, orationibus, eleemosynis, & jejuniis se juvabant, unde Poëta clamat:

Gens ingrata Deo, per cunctaque crimina præceps (46),
Quam sibi terribilem temeraria provocat iram.
Namque Deus cupiens nostris ignoscere culpis,
Dissimulat primum si quid (47) sapientia prosit;
Dumque nihil prodesse videt, dat signa, minasque,
Datque famem, & motum terræ, portenta furoris.
Postquam mens hominum, nullis exterrita signis,
Obstinata manet, longas tunc detegit iras.
Ignotamque luem spargit per climata Mundi.
Heu miseri miseram nullo medicamine mortem
Incurrunt homines, percussi vulnere certo,
Attonitique omnes promiscua funera cernunt!
Coguntur non sponte Deum tentare precando.
Sed, qui jam fuerat cunctis ignoscere promtus,
Nunc durus nullos gemitus placabilis audit.
Hanc quicumque cupis communem evadere pestem,
Christo funde preces, veniant quæ cordis ab imo.
Tunc ait erranti: Sum Christus crimina purgans
Nec nisi purgatis placabitur ira superna.
Vis igitur fieri securus tempore cladis,
Pœniteat sceleris, nec plus delinquere velis.
Tunc ait Omnipotens. Quia Plebs mea justè rogavit,
Et peccasse piget, precibus, lachrymisque coactus,
Non pœnas æquabo malis, miserebor eorum.
Auditis, Michaël tunc clamat voce benigna,
Jesus noster ait, deponat quisque timorem,
Undique concurrant turbæ jam peste fugata,
Ædibus (48) & sacris orent, pia votaque solvant.

CAP. XV.

De morte Hengelmarii de Villandres, & aliis.

HEngelmarius de Villandres, qui in (49) Padua magnas divitias congregavit, qui etiam auctor fuit captionis Principis Joannis, filii Regis Boëmiæ, mariti Tyrolis Comitissæ, quam indebitè Marchio Brandeburgensis duxit uxorem: qui etiam tractavit adventum Regis Caroli (de iis scribitur supra) licèt fuerit affidatus, à Marchione prædicto fuit carceratus, inculpatus, quòd vellet prodere Marchionem in manibus Regis Caroli. Item, quòd spoliasset Cives in Feltre, & Civie (50), qua de causa Domino Carolo se dederunt: nec ejus fratres voluerunt se, & Castra sua liberè dare in manibus Marchionis, qui propter hoc, & alia multa delicta sibi apposita, fuit publicè decollatus in MCCCXLIII. (51) mense Februarii.

Mense Junii cœpit reædificatio Castri de Trabach (52). Mense eodem supradictus Dominus Mastinus, auxilio Mediolani, equitavit magnificè, & hostiliter contra Mantuam. Eodem mense Junii Tridentum revellavit Domino Carolo, occiso Nicolao de Arso, & expulsa gente Imperii. Joannes verò de Gardellis in Castro Perzene occiditur per Nepotem. Asserebat enim eum proditorem Imperii. Tridentum datur Marchioni Brandeburgensi; Perzene verò Domino Jacobo de Carraria, & custoditur pro Imperio. Mense Aprili Jacobus de Guaignio, obscurissimè natus, Dominum Hendreghetum de Mongai, qui Civie regebat, Imperatoris mandato, expugnavit ad domum, & interfecit, & invasit dominium Civitatis. Capitaneus Imperatoris, qui erat in Castro, Paduæ conqueritur. Unde, jussu Magni Jacobi de Carraria, Joannes Canis de Hengelfredis cum armis equitavit ad Castrum, & cum auxilio gentis Regis intravit Civie, & Jacobum cepit, & misit Paduam. Quem Dominus Paduæ esse in propria libertate statim jussit: Dominus verò Paduæ, Civie quod poterat retinere, restituit Imperatori. Hic Jacobus, qui filiam Domini Guerræ Comitis Sancti Bonifacii habebat uxorem, per gentem regiam de suis Castris expulsus, pauperrimè vixit.

CAP. XVI.

De Istria, & morte D. Luchini de Vicecomitibus.

PEtrus Badoarius Potestas Paduæ MCCCXLVIII. die primo Septembris. In eodem Mense Istria, inductis Theutonicis, Venetis fuit rebellis. Marcus Justinianus fuit Potestas, & fugit in Castrum. Veneti certiorati auxilia militum, & peditum postulata à Padua recipiunt, & Istriam per mare hostiliter obsederunt. Cives Istriæ, ab omnibus destituti, Venetis se dederunt.

Revoluto anno, die primo Februarii, Dominus

(44) *Al.* alibi.
(45) *Cod. Ambr. I.* Junii.
(46) *Cod. Collalt.* peccans.
(47) *Al.* patientia.
(48) *Mel.* in.

(49) *Cod. Collalt.* in Marchia Tarvisina, & præcipuè in Padua.
(50) *Cod. Collalt.* Belluno.
(51) *Cod. Ambr. ambo* MCCCXLVIII.
(52) *Cod. Collalt.* Trabuch.

nus Jacobus de Carraria ivit Venetias, & ibi tenuit Curiam copiosam, faciens de victoria Istriæ magnum festum. Veneti verò, memores beneficii, eum habuerunt honorificè, & in signum dilectionis eidem donaverunt in confinio Sancti Pauli magnificum Palatium pretii quinque millium florenornm.

Eodem anno, & mense Januarii obiit Dominus Luchinus Vicecomes, Dominus quasi totius Lombardiæ, relicto unico filio, & infante. Post ejus mortem habuit dominium ejus frater, Archiepiscopus Mediolani, qui duos filios naturales Domini Luchini carceravit, tertius fugit. Dominos Galeatium, & Bernabovem, suos nepotes ex fratre, per magnum Luchinum expulsos, redire permisit Mediolanum. Dominum Lotherisium Vicecomitem, captum in campestri bello, & cum filio carceratum XII. annis jam elapsis, & carceribus liberavit. De duobus nepotibus suprascriptis, & Domino Maphæo eorum fratre, qui post Archiepiscopum (53) obtinuerunt dominia Civitatis, inferiùs dicetur suo loco, & tempore.

(53) *Cod. Ambr. I.* mortem Archiepiscopi.

Explicit Liber Nonus.

IN-

INCIPIT LIBER DECIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De Domino Legato.

GUidus Comes Bononiæ de fupra mare, Tituli S. Luciæ Presbyter Cardinalis, Romanæ Ecclefiæ Legatus, occurrentibus Dominis Paduæ, & Laicis cum toto Clero, intravit Paduam, & fedem pofuit in Palatio Dominorum, cum CCC. equis, expenfis Dominorum Anno MCCCXLIX. die IX. Martii. Poftea ivit Venetias, & per Tarvifium ivit in Hungariam, & treguas fecit inter Regem Hungariæ, & Ludovicum maritum Joannæ Apuliæ Reginæ. Reverfus Paduam in anno fequenti, & menfe Februarii, voluit de pace componere inter Patriarcham, & Duces (1) Goritiæ, fed nequiit. Unde poftea occiditur D. Patriarcha.

Corpus Beati Antonii Confefforis translatum fuit (2) die XIV. Februarii. Tunc fupra Arcam ejus Dominus Legatus Miffam celebravit, præfentibus Domino Patriarcha Aquilejenfi, Archiepifcopo Jadræ, Aldrovandino Epifcopo Paduæ, Epifcopo Veronæ, & multis aliis Epifcopis, & Prælatis. Sequenti die Clugienfibus occurrentibus ufque Paduam, & à Dominis fociatus ufque ad mare, afcendens naves Clugiæ ornatas magnificè, ivit Clugiam, deinde Romam, propter Indulgentiam generalem. Menfe Madii reverfus Paduam de Prælatis fuæ legationis celebravit Concilium generale. Poft hoc per Vicentiam ivit Avinionem.

Eodem menfe Madii anno prædicto MCCCXLIX. die primo Septembris, Zaninus Contarenus incœpit regimen Poteftariæ Paduæ. Item die XVIII. Novembris Jacobus de Arzignano cepit uxorem, filiam Domini Guerræ Comitis Veronenfis. Item eodem anno, menfe Decembris, Marchio Monti ferrati folatii causâ fuit Paduæ. Hunc in domo propria in donis, & folatiis Domini de Carraria habuerunt honorificè.

CAP. II.

De B. Antonio, & Valfe, & aliis.

ANno Domini MCCCL. die primo Martii Maphæus Contarenus de Venetiis fuum regimen inchoavit: & eodem menfe Nobilis vir Ulricus de Valfe, filius Magni Ulrici, qui tempore obfidionis Domini Canis de la Scala Paduam liberavit, Capitaneus Stiriæ, rediens Roma, ubi fuerat (3) Indulgentia Generalis, intravit Paduam, ubi cum Dominis Paduæ fefta Pafchalia celebravit. Multa invicem contulerunt de obfidione Paduæ, & liberatione, & beneficiis receptis à Duce Auftriæ, & Dominis de Valfe, & de militia Domini Nicolai de Carraria, patris Dominorum, quem Federicus Dux Auftriæ, Romanorum Rex, militavit (4) in Auftria. Poft multa collata infimul, & donis hinc inde receptis, dictus Dominus versùs Sti- A riam equitavit. De probitate Ducis Auftriæ, & Nobilium de Valfe, & beneficiis eorum fcribitur fatis fupra.

Cùm Dux Poloniæ effet Paduæ, Romam iturus, ante voluit Beatorum Profdocimi, & Juftinæ limina vifitare. Hic miratus pulchritudinem templi Beati Antonii Confefforis, poftulans, didicit effe templum Patris Urbis. Quidam verò focius Ducis deridendo Sanctum, ait, (5) *Eft verè Antonius, cujus nomine Porci portant campanellas?* Qui ftatim Dei Judicio judicatur. Nam manus cum brachio debilitatur in totum, quam in prolatione verbi oftendit contra Templum, cujus os extenditur ufque ad aurem. Dux miratur. Tunc (6) Prodigii quæ- B rit caufam. Filius Ducis refert facti feriem. Dum Dux mente agitat, quid agat, cœlefti lumine illuftratus ait: *Ille cum precibus imploretur, qui percuffit.* Qui ftatim peccatorem coram fepulchro Beati Antonii Confefforis perfonaliter præfentavit. Qui effufis lachrymis oravit devotiffimè, & in tantum, quòd oratio Beati Antonii tranfivit in Cœlum, cujus precibus, & amore prædictus Nobilis à Deo priftinam rehabuit fanitatem. Dux miratur, & gaudet. Cum eo tota Civitas exultavit. Fit concurfus Civium. Sanctus in orationibus, & oblationibus conlaudatur, cui honor in fecula feculorum. Fuit hoc eodem anno, die X. Aprilis.

Eodem anno Gulielmus de Caftro Barcho ex- C pellitur de fuis caftris per filios, qui fugit Veronam. Sic duxit exercitum de Verona contra filios. Marchio Brandeburgenfis, filius Ludovici Ducis Bavariæ, vocatus in auxilium, fugavit exercitum, recipiens in protectione fua filios contra Patrem.

CAP. III.

De morte Domini Patriarchæ, & Nuptiis Dominæ Ziliolæ.

BEltrandus Guafconus Aquilejenfis Patriarcha, vir probus & fapiens, & Comes Goritiæ, inter quos erat magna difcordia, coram D Domino Legato, & Domino Paduæ menfe Madii convenerunt, & multum fuit de juribus partium difputatum, fed nihil potuit expediri. Tunc multi Caftellani de Foro Julii erant rebelles Domini Patriarchæ: Dominus verò Patriarcha equitavit Sacilum, iturus Utinum cum ducentis galeatis. Contra eum pugnaverunt ejus rebelles cum gentibus de Goritia, & debellatus fuit Dominus Patriarcha. Capti fuerunt multi divites, & Nobiles Caftellani, in quorum numero fuerunt Gherardus de Cucagna, & Federicus de Savorgnano. Ipfe verò Patriarcha captus, foffus gladio à quodam de Villalta (7) obiit ftatim. Fuit hoc MCCCL. die VII. menfis Junii (8).

E Morte cognita Domini Patriarchæ, Dux Auftriæ cum uxore & filio, & magna militia Forum-Julii introivit. Statim ad ejus obedientiam fue-

(1) *Cod. Collalt.* Comites.
(2) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* fuit de terra in arcam die XXIV.
(3) *Cod. Collalt.* tunc erat.
Cod. Ambr. I. ubi tunc erat.

(4) *Cod. Collalt.* militia decoraverat.
(5) *Cod. Collalt.* Eftne ille.
(6) *Alibi* Tanti.
(7) *Idem Cod.* Villata.
(8) *Idem Cod. addit* Indictione III.

fuerunt omnes Castellani, ipsa Aquileja, & Utinum; solum Sacilum noluit obedire, novi Patriarchæ expectans adventum. Rebus bene dispositis Patriarchatus, Dominus Dux reversus est in Austriam. Hoc delictum enorme Romanam Ecclesiam contristavit. Unde anno sequenti XV. (9) Madii Reverendus Pater Dominus Nicolaus, frater naturalis Domini Caroli Imperatoris Serenissimi, Aquilejensis Patriarcha, Utinum introivit, & Missam celebravit solemnem die primo Novembris. Hic tempore congruo de morte Domini Patriarchæ fecit magnam, & debitam ultionem.

Eodem MCCCL. die XX. Junii Dominus Bernabos Vicecomes, Mediolani Dominus, Reginam (10), filiam Domini Mastini de Verona, cepit uxorem. Prædicto anno, mense Madii, existente Legato Paduæ, Henricus Comes Goritiæ desponsavit Dominam Ziliolam, filiam magni Jacobi de Carraria, cujus nuptias distulit mors Domini Patriarchæ, Die VIII. Junii honorificè ivit Cittadellam, & transiens per Calubrium ducitur Leonicum, quæ post parum tempus obiit sinè filio.

Eodem anno, die primo Septembris, Dominus Marinus Falerius incœpit potestariam Paduæ. Eodem mense, die XII. frater Gulielmus Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Novariæ, Sacræ Theologiæ Magister, de mandato Domini Clementis Summi Pontificis, religiosum virum Fratrem Matthæum Ordinis Eremitarum Paduanum, in Padua cathedravit in Magisterio Theologiæ.

CAP. IV.

De morte Domini Jacobi de Carraria, & Nuptiis Domini Bernabovis.

MAter virtutum discretio jussit scribere in futuram memoriam, & doctrinam quæ oculus videre recusat, & manus scribere detestans fatiscit. Cupiens discretionis jussa servare, & opus scribendi in omni fortuna tam prospera, quàm adversa omnibus declarare, scribo, quòd Major (11) Jacobus de Carraria, vir fortis, & justus, & in tantum amator Pacis, quòd inclinavit ire Ferrariam, & pacem habuit cum Obizone Marchione: postea equitavit Veronam, & cùm gaudio reversus duxit secum Canem Majorem (12) della Scala, filium Domini Mastini, qui sociatus Francisco de Carraria rediit Veronam. Fuit hoc MCCCL. Mense Julii.

Mense Septembris Dominus Bernabos Vicecomes duxit uxorem Reginam, filiam Domini Mastini de la Scala. Dominus Galeatius, ejus frater, duxit nobilem Dominam de Comitibus Sabaudiæ. Mense verò Novembris Canis Major duxit uxorem filiam Ludovici Ducis Baveriæ, qui se dicebat Romanorum Regem, & obiit contumax, & rebellis Ecclesiæ. In iis interfuit Magnus Jacobus magnificè ultra omnes in donis, conviviis, & expensis. Hæc omnia sapientissimè faciebat, ut Paduam regiam in pace, & justitia conservaret, & sic pax omnibus habebatur.

Tantæ paci obviavit Gulielmus spurius, invidens ejus gloriæ. Cùm fuisset secum in prandio, simulans cum Majore Jacobo secretum habere consilium, præsentibus multis Nobilibus, eum mortiferè vulneravit; in tantum enim instabat vulnerando, spernendo mortem, quam videbatur optare, quòd vivus à corpore non potuit ab instantibus Nobilibus separari (13). O pietas! Quantus dolor, fletus, & metus invasit subitò Civitatem. Fuit hoc eodem anno, mense Decembri (14), hora XX. Et die XXII. sepultus fuit honorificè juxta Ecclesiam Sancti Augustini cum planctu, & querelis totius Civitatis. Legationes veniunt undique, de casu tanti viri conquerentes. In scripturis non est talis casus. Juda Christum prodidit; non tamen interfecit: pretio Juda prodidit; sed hinc fuit proditor odio, & invidia sinè causa. Si Judæi Christum cognovissent, non cruci dedissent Regem Gloriæ; sed hic proditor, familiaris inimicus, sciebat se interficere Patrem, & Dominum totius Civitatis. Sic tali corona privavit regiam Civitatem proditor desperatus. Ejus anima absque dubio in inferno à Dæmonibus continuò cruciatur.

CAP. V.

De dominio Dominorum Jacobini, & Francisci de Carraria.

TEmpore hujus infortunii, Dominus Jacobus, frater Magni Jacobi, & Franciscus ejus filius, erant absentes causâ solatii, & venandi propter festum gloriosum Christi Domini nostri. Sed extrema gaudia sæpe luctus occupat. Hoc scelere manifesto, fit concursus Civium, & Infans, filius Majoris Jacobi, Marsilius ponitur super equum, & ab omnibus Nobilibus, & Plebejis Carrariensibus reservatur dominium Civitatis. Nuntiis destinatis ad Villam Sancti Petri, fratris, & filii celer optatur adventus. Sic statim sequenti nocte cum dolore summo cordis venerunt Paduam. Hi cum Nobilibus, & Plebejis planxerunt suum damnum planctu magno. Die verò XXII. Decembris Marinus Falerius Potestas Paduæ, post hoc Venetiarum Dux, Consilio Civium convocato, quærit, quid habeat de statu, & dominio Paduæ providere. Tunc surgit unus, & loquitur cum lachrymis casus seriem. Ex hoc lachrymantur universi, qui virtutes recitat tanti viri, & inter cætera sic alloquitur: *O Padua, sancta Civitas, privata jaces sinè causa tuo Pastore. Consurge, & indue te fortitudine tua, & vestimentis gloriæ tuæ. Nobiles successores Magni Jacobi recipe defensores, qui ratione sanguinis, & exempli bonos dies, & pacificos faciant te videre.* Placuit hoc omnibus, nec aliquis contradixit. Unde statim in publica concione vexillum Populi, in signum dominii Civitatis, datur Magnificis Dominis Jacobino, & Francisco de Carraria, qui de Civitate eis tam fideliter conservata Populo retulerunt gratias immortales; offerentes cum Dei auxilio pacem, & justitiam universis. Populus, quasi surgens de tenebris, acclamavit: *Dominus ait. Montes movebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te: Fœdus pacis meæ non movebitur, cui honor, & gloria in secula seculorum. Amen.*

CAP.

(9) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* XXV.
(10) *Cod. Ambr. I.* Raynam.
(11) *Cod. Ambr. I.* Magnus.
(12) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* Grandem, *ita & infra.*
(13) *Cod. Ambr. I.* O putas!
(14) *Idem Cod. addit* die XIX.

CAP. VI.

MCCCLI.

De Bononia, & ejus Dominio.

EOdem anno Faventia erat rebellis Ecclesiæ. Unde Summus Pontifex Comitem Romandiolæ (15) cum exercitu misit Imolam. Tunc Joannes de Pepulis, & Jacobus, Domini Bononiæ, jusserunt amputari caput Bonincontri Doctoris legum, filii famosi Doctoris Jo: Andreæ, & Nobilis viri Raynerii de Castro Sancti Petri, eis imponentes, quòd essent proditores. Post hoc (16) simulans se amicum, trecentos equites misit contra Faventiam, & postea ipse Dominus Joannes equitavit ad exercitum, quasi volens interponere inter partes. Comes eum cepit, imponens ei, quòd equitasset pro sua proditione, & prædictos nobiles interfectos in opprobrium Ecclesiæ, & infamiam. Ejus equites armis, & equis spoliavit: Castrum Sancti Petri, & alia cepit, destruxit Bononiam usque ad portas. Fuit hoc mense Julii. Sequenti mense datis obsidibus, & LXX. millibus ducatorum rediit Bononiam. Audi maximam vilitatem, quòd Bononienses, de sua defensa nimiùm properè desperantes, se sub dominio Mediolani liberè posuerunt. Unde Dominus Galeatius Vicecomes cum sua militia, die XXIII. Octobris intravit Bononiam. Post hoc dictus Jacobus de Pepulis accusatur de proditione Bononiæ, conspiratione habita cum Florentia, qui in perpetuum carcerem damnatur, bonis omnibus in camera Vicecomitum confiscatis. Dominus verò Joannes erat Mediolani curialiter confinatus. Sic Dei potentiâ eorum dominium terminavit. Ex hac causa exercitus Mediolani ducitur contra Florentiam juxta Scarpariam. Unde inter Vicecomites, & Florentiam magnum incendium suscitatur. In Praga Boëmiæ Regi Carolo, Imperatori futuro, & venturo in Italiam, nobilibus legationibus supplicatur; sed tunc venire recusat, volens, ante ejus adventum in Italiam, discordias Alemanniæ terminare: de cujus adventu serenissimo dicetur inferiùs: ac etiam de statu Bononiæ inferiùs dicam.

CAP. VII.

De discordia Venetorum, & Januæ.

ANno Domini MCCXCVI. (17) Mense Septembris in mari, ubi dicitur (18) Grucula. Veneti à Januensibus debellantur, occiduntur: Sex millia carcerantur, naves comburuntur: tamen aliquæ fugerunt. Interventu Communis Paduæ, & Maphæi Vicecomitis Mediolani, fiunt treguæ annorum centum. Nova inter eos cœpit discordia MCCCL. negantibus Januensibus, Venetos debere navigare per Mare Magnum, rationibus, & causis, de quibus coram Papa fuit disputatum: sed propter eorum superbiam nihil potuit expediri. Mense Septembris XXXX. galêæ Venetorum contra XIV. Januensium pugnaverunt. Decem capiuntur, quatuor fugiunt: multi Nobiles, & Plebeji carcerantur in Ponte-nigro. Post hoc exercitus Venetorum ducitur contra Peram Januensium.

A Post hanc victoriam Januenses armaverunt quatuor galêas probis vasis (19). Hi cum signis Venetorum incogniti Nigropontem intraverunt furtivè, qui fractis carceribus liberarunt suos captivos, & post magnam prædam omnia combusserunt mense Novembris. Post hoc fit societas Regis Aragonum, & Venetorum contra Januam. Armantur per hos XC. galêæ. Vix unquam in mari tales, & tantæ copiæ convenerunt. Anno verò Domini MCCCLII. mense Februarii, parùm longè à Civitate Veteris Constantini, validissimi exercitus pugnaverunt. Fuit ex utraque parte occisorum tanta clades, quòd nullus victoriam reportavit. Hoc puto Dei judicium, qui humanum genus visitavit mortalitatibus

B inauditis parvo tempore jam elapso; videns verò eos sævire, nec flagellis recipere disciplinam, iratus justè, gladio voluit partium superbiam castigare. *Beatus homo, qui citò recipit disciplinam, dilectus Dei est, & flagella Justitiæ non timebit.* Scriptum est enim: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Unde conversio ad Deum quærat Pacem, & Justitiam, ut sic bravium virtutum accipiat, & coronam. Coram Papa Legati partium litigant insimul, conqueruntur se pariter accusantes: sed nihil potuit terminari, quia contradicebat Rex Aragonum, qui tunc pugnabat pro Venetis. Papa verò consideravit Partium superbiam, & ait eorum

C Legatis: *Deposuit Deus potentes de sede, & exaltavit humiles. Ite nunc, & renuntiate quæ vidistis, & audistis, & secundùm quod scitis facite. Jam enim opus laudat artificem. Forsan creditis, & speratis in vanum, contra Dei justitiam, & stimulum calcitrare. Scriptum est enim: Qui se humiliat exaltabitur.* Sic ammoniti Legati de Curia redierunt.

Post hæc, ductu Januensium, Rex Hungariæ erigitur contra Venetos. Hac causa Legati Venetorum, missi Pragam Boëmiæ, ubi tunc Imperator cum suâ Curia residebat, fuerunt benignè recepti, & in tantum, quòd Imperator militavit Marinum Falerium, postea Ducem Venetorum, & præterea Nobilem Virum Marcum

D Cornelium (20), etiam Legatum Venetorum anno Domini MCCCLIV. mense Martii, & coram Imperatore fuit de juribus partium litigatum. Asserebat Rex Hungariæ Jadram, & Istriam esse sui juris, & hac de causa Tarvisium invadere minabatur. Pius Imperator, post colloquia multa, mense Julii litigio finem dari jussit, datâ pecuniâ Regi, ut putatur. Sic Rex cessavit, & Veneti dimiserunt suam militiam congregatam contra Regem.

Eodem anno, mense Augusti, Rex Aragonum cum L. galêis, & XX. Venetorum contra L. Januensium pugnavit magnificè, campum obtinuit, cepit XXX. galêas, vel submersit: ceteræ fugerunt. Multos occidit, ferit gladio,

E ultra III. millia carcerantur. Fuit hoc in Festo Sancti Joannis Baptistæ in mari Sardiniæ. Ex hoc triumpho non solùm Veneti, sed Padua etiam exultavit, congaudens prosperis Venetorum. O inscia futurorum series, quid gloriaris in prosperis? hæc decipiunt, adversa instituunt. Summa infimis, & infima summis æqua lance disponit Dei judicium, quod non fallit. Janua turbata, & tanto turbine inscia veri, jugo Mediolani colla dedit. Sic putans vincere, libertate

(15) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. I.* Romagnæ.
(16) *Cod. Est.* Dominus Johannes. *Cod. Collalt.* Comes.
(17) *Cod. Amb. I. & II.* MCCLXXXVIII.
(18) *Cod. Amb. I.* Gruzula. *Cod. Collalt.* Curzula. *Al.* Gurzula.
(19) *Codd. Est., Collalt., & Ambrosiani ambo* viris.
(20) *Cod. Amb. I.* Cornerium.

tate propria se privavit. Joannes Vicecomes, Archiepiscopus Mediolani, quasi Dominus totius Lombardiæ, acquisito dominio Januæ, per nobiles Legatos rogavit pacem à Venetis denegatam. Hac de causa Legati partium iverunt Avinionem coram Papa in MCCCLIV. mense Februarii.

A

Et eodem Anno die VII. Septembris obiit Dominus Andreas Dandulus, Dux Venetiarum. Die verò XI. Dominus Marinus Falerius, Legatus in Avinione, fit Dux. Hic rediens de Avinione, die III. Octobris intravit Paduam honorificè, Venetis occurrentibus magnificè usque Paduam. Die V. ivit Venetias: & ea die obiit Archiepiscopus Mediolani.

B

Post hoc (21) Capitaneus maritimus Januensium, inflammatus contra Venetos, ne bellum diutiùs protrahatur, quærens inimicos, navigavit. Tunc juxta Modranum in Porto longo (22), Venetorum exercitus cum galêis XL manebat in otio. Cùm invênit eos negligentes, sinè mora processit ad bellum, & cum parva cæde totum navilium superavit. Capitur Nicolaus Pisanus Capitaneus Venetorum, & cum eo multitudo captivorum.

Eodem Anno, mense Augusti, Januenses venerunt usque Polam. Post hoc combusserunt Parentium. Ex hoc magnus timor invasit Venetos, cum armis currunt ad litus, timentes inimicorum potentiam, & adventum.

C

Post hæc omnia Marinus Falerius, prædictus Dux, cum quibusdam viris audacibus, & plebejis conspiravit habere Dominium. Offerebat enim populo pacem cum Januensibus à Nobilibus degnatam. Unus socius facti seriem propalavit. Dux capitur à Nobilibus, qui erat miles Imperatoris, & compater, & Comes Vallis de Mareno, & decapitatur in Ducali Palatio. Socii suspenduntur, carcerantur, relegantur, bona confiscantur. Fuit hoc MCCCLV. (23) post cujus mortem (24) fit Dux Dominus Joannes Gradenicus de Venetiis. Gravis discordia & longa, quæ erat inter Januenses, & Venetos, nunquam potuit in concordiam humiliter declinari per Summum Pontificem, vel Carolum Imperatorem, qui tunc cum Curia sua in Mantua residebat, quoniam partium odium (25) durissimè resistebat; tamen Veneti prædictis adversantibus conturbati, incœperunt declinare ad pacem (26) cum Dominis Mediolani, & Januæ, quam habuerunt (27). Carcerati partium relaxantur, Nobiles, & Plebejis Estensis Marchio Aldrevandinus, Dominus Mutinæ, & Dominus Guidus de Gonzaga, Dominus Mantuæ, & Regii, socii ligæ infrascriptæ Marchiæ Tarvisinæ, de hac pace cum Venetis conqueruntur, quasi Veneti non observaverint pacta ligæ; sed pacem fecerint (28). Credo verè, quòd Dei benignitate, qui cuncta rectè disponit, bellum, per annos quinque peractum, in MCCCLV. requievit in pace, cui honor, & gloria per secula seculorum. Amen.

D

E

CAP. VIII.

MCCCLVII.

De morte, & discordia Marchionum, & aliis.

OBizo Estensis Marchio, Dominus in Ferraria, cùm prolem legitimam non haberet, concubinam nobilem Dominam desponsavit, ut possent succedere filii Naturales. Ante mortem propalavit suum secretum. Viginti Milites fecit, qui juraverunt filiis esse fideles. Obiit in MCCCLVII. mense Martii. Successit in dominio Aldrevandinus ejus filius. Domini Franciscus Marchio, & Raynaldus, quibus videbatur dominium dignius convenire, à suis confidelibus destituti, fugerunt de Ferraria. Post eos expelluntur multi Nobiles, & Plebeji. Hos omnes Nobiles Domini de Carraria honorificè receperunt. Dominus Franciscus habitavit in Arena Ugolini di Scrovegnis, qui per matrem, sororem Domini Bertoldi, patris Domini Francisci, duxit originem. Post tempus Dominus Franciscus ivit Ariminum, ad avum suum maternum, virum nobilem, & potentem. Raynaldus ivit Mantuam ad avunculos suos Nobiles de Gonzaga. Sperabant eorum potentiâ Ferrariæ obtinere dominium. Post hæc Marchio Franciscus ivit Mediolanum, confidens de potentia Vicecomitum: ante tamen equitavit de Arimino cum exercitu versùs Argentam, putans tunc habere Ferrariam. Caruit optatis. Unde tunc de Ferraria fugerunt Medici, Pagani, & alii inculpati de adventu Domini Marchionis.

Eodem anno, die III. Junii Zaninus de Peraga duxit uxorem Bonam fœminam, sororem Dominæ Finæ uxoris Domini Francisci de Carraria. De hoc fuit Paduæ magnum festum. In eo tempore in suis nuptiis non fuit aliquis Civis uberiùs, & grassiùs (29) præsentatus.

Eodem anno die II. Novembris, obiit Reverendus Pater Ildebrandinus, Romanus Comes, Episcopus Paduæ, annorum nonaginta, anno XXXIII. sui Episcopatus, Paduanis Præsul sufficiens, & dilectus. Eodem anno, die V. Decembris, obiit Papa Clemens; die verò XVIII. eligitur in Papam Stephanus de Claramonte, Ostiensis Cardinalis, postea nominatus Innocentius Sextus, qui in anno sequenti, die XIV. Januarii in Episcopum Paduæ elegit Dominum Joannem de Ursinis, nobilem Romanum.

CAP. IX.

MCCCLIII. Die XIX. Januarii.

De nuptiis Domini Jacobini de Carraria.

ANno MCCCLIII. die XIX. Januarii, Dominus Jacobinus de Carraria uxorem duxit Dominam Margaritam, filiam Nobilis Viri Domini Guidonis de Gonzaga, Domini Mantuæ, sociatam Marchione Raynaldo Estensi, & Nobilibus militibus de Corrigio, & Gonzaga, & aliis Nobilibus Lombardiæ. In ejus adventum cum gaudio occurrit Paduana nobilitas, & so-

(21) *Codd. Ambrosiani ambo*: voluit Deus dare exemplum superbis, diligere Deum pacem, & justitiam, & cor Capitanei maritimi exercitus Januensium inflammavit contra Venetos, qui ne bellum &c.

(22) *Cod. Amb. I.* Pontelongo.

(23) *Cod. Amb. I. addit* die XVII. Aprilis.

(24) *Cod. idem*: statim XXI. Aprilis.

(25) *Cod. idem*: superbia.

(26) *Cod. Amb. I.* pacem petere à Dominis &c.

(27) *Cod. idem*: sed rogatam.

(28) *Idem etiam Cod.* fecerunt fraudulenter.

(29) *Cod. Amb. I. & II.* gratiosiùs.

forensium universa. Fuit Curia generalis, & pulchra in hastiludiis, & gioftris, ubi fuit Dominarum universa nobilitas. Domino Jacobino quasi invito, fuerunt in vasis aureis, listis, & aliis pulcherrimis rebus egregia præsentata à Nobilibus, & Plebejis, & etiam quælibet Universitas præsentavit. Multa non retinuit, sed donavit.

Eodem anno incœpit suum regimen Petrus Baduarius de Venetiis, qui fuit Potestas anno uno, & mensibus sex, qui in suo regimine recepit militiam in Mantua ab Imperatore Serenissimo.

Eodem anno, Mense Decembris Aldrevandinus Marchio dedit Vigozolum Dominis de Carraria, & Communi Paduæ: (30) Domini verò Paduæ dederunt Cani de la Scala Castrum Brendole districtus Vicentini (31). In anno sequenti (32) Domina Margarita de Gonzaga peperit filium de Domino Jacobino de Carraria, qui ei nomen imposuit Domini Jacobi, fratris sui dilecti.

CAP. X.

Eodem Anno.

De facto Veronæ.

CAnis Major de la Scala equitavit in Alemanniam pro militia congreganda, in Verona relictis Rectoribus, Azone de Corrigio, & Frignano ejus fratre. Frignanus bastardus cum Dominis Mantuanis conjuravit, & Veronæ invasit dominium. Dominus Azo asserebat se inscium, & fûgit Ferrariam. In auxilium Frignani fuit Aldrevandinus Marchio, & Nobiles de Gonzaga. Dominus Bernabos, qui sororem Domini Canis habebat uxorem, cum exercitu impugnabat Civitatem. Frignanus carens auxilio, & desperans se defendere, pacem petit à Domino Bernabove, & ei obsides dedit. Iis sic pendentibus, Canis Major equitavit Vicentiam, qui cum gentibus Dominorum de Carraria equitavit Veronam. Aperta quadam porta, clausa muro, per intrinsecos, timidus Civitatem introivit; tamen hortatu Manni de Donatis de Florentia, & aliorum militum, sociorum Dominorum de Carraria, in suo proposito properavit. Frignanus munivit plateas, & cum paucis occurrit. Tunc etiam Dominus Bernabos impugnabat Civitatem. Tandem fûgit Frignanus, qui præventus per pontem, non potuit redire plateas. Tunc descendit equum, qui volens ascendere parvam navem, prohibetur à nauta: pendens verò à navi, armorum pressus pondere in Atice suffocatur Anno Domini MCCCLIV. in die Carnisprivii ab invasione dominii die IX. Sic Canis Major auxilio Domini de Carraria contra fratrem spurium triumphavit. Canis Major cepit Dominum Feltrinum cum filio, & aliis de Gonzaga. Quingentos Mantuanos carceravit, qui omnes fame fuissent interfecti, nisi Domini de Carraria suis precibus obviassent. Equites Marchionis Estensis stipendiarios, spoliatos equis, & armis permisit ire Ferrariam. Dominus Bernabos pacificè intravit Veronam. Die una suspenduntur XXV. scilicet Frignanus, Albuinus filius naturalis an-

A tiqui Canis de la Scala, duo filii Aloysii de Rovalone, tertius carceratur, pater fûgit. Antonius filius Thebaldi de Cancelleriis ipse fûgit, sed proditus ducitur Veronam, & suspenditur Petrus del Verme, qui usque ad canos in deliciis duxerat vitam, pro Dominis de la Scala occiditur gladiis (33) Filius Luchinus fûgit. Multi suspenduntur, carcerantur, expelluntur. Joannes de la Scala postea fûgit de Verona. Homo sæpe ponit statum in periculo sine causa, &, quod non est sibi debitum, & conveniens, usurpare festinat. Unde ruit meritò, qui sic improvidè festinat ad alta. Corrigamus nos eorum occasu, ne per nos alii corrigantur, juxta illud:

B *Casus dementis, correptio est sapientis.*

Unde versus:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Ex prædictis odium, & incendium oritur inter Dominum Canem Majorem, & Aldrevandinum Marchionem, & Dominos de Gonzaga; tamen interventu D. Ducis Venetiarum, & Dominorum de Carraria, Domini de Gonzaga, & ceteri Mantuani à carceribus liberantur. Die verò primo Martii fuerunt in Montagnana Aldrevandinus Marchio, & Canis Major, & operâ Francisci de Carraria pax facta est de eo, quòd Marchio fuit in auxilium Frignani. Societas facta aliàs, firmata est. (34) Duodecim Veronenses, tanquam conscii conjurationis Frignani, in

C Castro Hostiliæ carcerantur; qui tamen audaces interfecerunt Capitaneum, & ostenderunt Veronæ se rebelles. De hoc Canis Major plenus ira contra Hostiliam equitavit hostiliter. Rebelles fiunt insimul, proditores cum Castro affidati redierunt. Hos omnes receptos ad fidem mors laquei, vel gladii trucidavit. Istis fuit sepulchrum magnus Atex. Propter hoc Canis Major non cessabat ab ira, inquirens conjurationis conscios. Unde Joannes de la Scala, tunc Vicentiæ Potestas, qui se asserebat penitus innocentem, timens minas fûgit Paduam, ubi obiit. In anno verò sequenti, mense Septembris, jussu Domini Canis suspenditur Joannes de Marola, nobilis Vicentinus, quem appellabat proditorem

D Cùm verò contra superstites amicos, & inimicos sæviret, dum cum uno famulo rediret à stupro, fuit in via publica interfectus per Franciscum Segnorem ejus fratrem, qui fûgit Paduam, à Domino Paduæ receptus honorificè. Fuit hoc in MCCCLIX. die XIV. Decembris. Interfector fratris cum tertio fratre (35) Albuino à populo Dominus est factus Veronæ. Cum militia Domini Francisci de Carraria per Montagnanam die XVI. dicti mensis equitavit Veronam.

CAP. XI.

MCCCLIV.

E

De Conjuratione facta contra Vicecomites.

CUm jam Janua esset in dominio Vicecomitum, propter eorum potentiam cœperunt formidare Paduani, Veneti, Veronenses, Vicentini, Mantuani, Tarvisini, Regium, Mutina, Ferraria, & aliæ Civitates, & loca. Unde ab omnibus conjuratum est contra Archiepiscopum

(30) *Cod. Collalt.* Paduæ propter Raynaldum Marchionem æmulum suum Paduæ commorantem.

(31) *Cod. Collalt.* Vicentini propter timorem Vicecomitum, quibus Scaligeri affinitate conjungebantur.

(32) *Cod. Amb. I. & II.* & die XVIII. Junii.

(33) *Cod. Collalt.* cujus filius.

(34) *Addunt aliqui MS.* contra D. Mediolani.

(35) *Cod. Amb. I.* Paulo Aldoino.

A pum Mediolani, ferè Dominum totius Lombardiæ.

Revoluto anno Domini MCCCLIX. Domini Mediolani fecerunt exercitum contra Mutinam, (36) Castra ceperunt, & etiam incluserunt cum foveis, & bastiis: Campanea Regii destruitur: Insula Suzariæ Mantuani districtus comburitur. Sic in partibus illis dolores antiquissimi suscitantur. Ex causa prædicta omnes insimul convenerunt in Montagnana mense Junii. In suum Capitaneum elegerunt Franciscum de Carraria, juvenem strenuum, & audacem, ligæ totius defensorem, qui intimidus, & honoris cupidus in bellando; tamen de consensu sui dilecti Patrui Domini Jacobini annuit in prædictis. Le-

B gati nobiles pergunt in Boëmiam, adventum Serenissimi Principis implorantes, qui tunc venire recusavit, & ait: *Italiam sumus* (37), *& Mundi universa scandala contemplati: sed dignior res efficitur dignata consiliis, & plerumque consiliorum prolixitas largitur operibus brevitatem. Ait enim Octavianus primus Augustus, futuros Principes instruendo, satis celeriter fieri, quicquid commodè* (38) *gereretur*.

Hoc tempore Comes Landus de Suevia cum quatuor millibus galeatis, & peditum multitudine, sicut latro Romandiolam vastavit, & se postea transtulit in Thusciam. Hunc procuravit habere magno stipendio totius Ligæ Capitaneus (39) Generalis. De iis timuit Joannes de

C Valezio (40) Capitaneus in Bononia, & imposità causà proditionis, Bononiæ jussu Archiepiscopi decapitantur XXX. de melioribus Civitatis. Quidam spoliati bonis fugerunt. Unde Bononia rebellis Ecclesiæ sub jugo servitutis fit tranquilla.

Rebus dispositis sapienter, Dominus Capitaneus Franciscus de Carraria cum infrascriptis Nobilibus Paduanis, scilicet Guidone de Maltraversis, Ludovico Forzatè, Pataro de Buzacharenis, Zanino de Peraga, Ugolino de Scrovegnis, & aliis civibus electis. die XVI. Augusti exivit Paduam cum exercitu, & ivit Ferrariam. Post hoc conveniunt insimul Capitaneus, & Comes Landus, qui suum exercitum triumphalem juxta Bononiam posuerunt, extra Civitatem omnia destruxerunt, & fuerunt in casu habendi Bononiam. Sed Comes Landus cum suis latronibus equitare distulit differendo. Post destructionem prædictam impugnaverunt bastias, quæ Mutinenses tenebant inclusos, & obsederunt Guastallam. Tunc Capitaneus exercitus in suo alloquitur consilio: *Non sinè causa cogor Comitis Landi insidias formidare, qui dolosè prohibuit habere Bononiam, contra bastias recusavit pugnare, & breviter recusat dolosè nostris obedire mandatis*. Sic deliberatè cum Paduanis Mantuam equitavit, & Rectorem exercitus loco sui constituit Dominum Feltrinum de Gonzaga, qui post hoc Paduam est reversus penultimo Septembris. Die verò V. Octobris obiit Archiepiscopus Mediolani, relictis in dominio Dominis Maphæo, Galeatio, & Bernabove, Nepotibus ex fratre. De iis futuris fuit signum Ecclipsis Solis, & terræmotus. Vult Deus per signa ante ostendere futura, quàm veniant, ut humanum genus valeat præcavere.

Revoluto anno Domini, mense Aprilis dictus Dominus Joannes Vicecomes de Valezio, Vicesgerens in Bononia pro Dominis Mediolani, sibi dominium usurpavit, & Dominis Mediolani fit rebellis. Post hoc fit pax, quæ in anno sequenti in MCCCLVI. mense Februarii detegitur simulata, quia contra Dominum Bononiæ detegitur conjuratio, ex qua morti capitis condemnantur Nobiles infrascripti, quorum nomina sunt hæc: Gulielmus de Arimundis de Parma, Doctor & Bononiæ Potestas, Nobilis vir Henricus Duca (41), F. quondam nobilis viri D Castrucii de Luca, quondam Domini de Luca, Pisis, & Pistorio. Domini Bernardus, & Galeotus nobiles viri de Panico. Bonus de Vargnana. Hilarius de Zamorellis de Parma, Contestabilis pro Domino Bernabove Vicecomite. Fuit hoc die XI. Januarii (42) MCCCLVI. quia dicebantur voluisse Bononiam submittere Domino Bernabovi prædicto. Amodo Dominus Joannes de Vicecomitibus in omnibus fit rebellis, qui ultimò Bononiam dedit Ecclesiæ, ut infra.

D (36) *Cod. Collalt.* cujus Castra.
(37) *Cod. Est., Collalt., & Ambr. ambo* Italica scimus.
(38) *Cod. Amb. I.* quicquid sapienter geritur.
(39) *Cod. Collalt.* tota Liga Capitaneum generalem.
(40) *Cod. Collalt.* de Olegio.
Cod. Amb. I. de Aulexio *semper*.
(41) *Cod. Collalt.* Henricus Ducæ filius, filius quondam Castrucii de Castracanis de Luca Domini Lucæ, ad quem quum quondam Canis Grandis de la Scala inter ceteras minas, quibus illi fuisset comminatus per proprium nuntium oretenus dici fecit, quod se caveret, quod *Canis officium esset, inimicos mordere*; ad quem ille respondens ait: *dicito Domino tuo, quod si Canis dicitur, & ego utique Castrucius, & quod novit genus meum canibus genitalia ab antiquo præcidere*. Fuerat siquidem ipse Castrucius quondam Dominus Lucæ, Pisarum E atque Pistorii. Bernardus item & Galeottus Comites de Panico, Bonus de Vargnana, Hilarius de Zamarellis de Parma, Comestabilis pro Domino Barnabove Vicecomite Mediolani. Qui dum Johanni de Olegio per proprium nuntium nuntiari fecisset, quod *proditor fuisset, nec debere, amplius tali agnomine nominari*, quum ex illa prosapia numquam inventum fuisset fuisse proditorem, ad illum respondit, dicens: *refertote Domino tuo, illum insanum esse, & quod ipse centies in diem proditor esset, modo totidem Bononias reperiret, quibus per fas vel nefas dominari posset, & quod non minùs legalis esset, quam ceteri Vicecomites, qui fidem dominiis permutant*. Fuitque de cetero dictus Johannes de Olegio Vicecomes, & Dominus Bononiæ, omnibus contrarius & rebellis: & tamdem Bononiam pecunia cessit Ecclesiæ, & deinceps apud Tarvisium ad stipendium Venetorum cum una Banderia armigerorum convixit. Nam tunc Veneti ad custodiam Tarvisii XXV. Banderias stipendiariorum equestrium detinebant, & XL. Banderias peditum, & in unaquaque Banderia tam equestrium, quàm pedestrium XXV. supputabantur in numero.
(42) *Codd. Ambr. ambo* Februarii.

Explicit Liber Decimus.

IN-

INCIPIT LIBER UNDECIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

MCCCLIV. Indictione VII. die VII. Octobris.

De Adventu Imperatoris Caroli in Lombardiam.

IMperator Sereniſſimus Comes Henricus de Lucemborg genuit Joannem Regem Boëmiæ : Joannes genuit Carolum. Quia de primo, & ſecundo dixi ſupra, reſtant geſta Caroli, qui de conſenſu Eccleſiæ contra Ducem Bavariæ, qui ſe dicebat Romanorum Regem, de voluntate omnium eligentium eligitur Imperator. Tunc Ludovicus dicebatur rebellis Eccleſiæ. Propter infeſtationem Vicecomitum Mediolani, Tuſci, Lombardi, Veneti, Paduani, & Marchia Tarviſina Imperatoris procuravit adventum, ſuis Legatis, donis, promiſſionibus, precibus, & amore, qui omnino deſcendere recuſabat. Viſo tempore ſui adventus, quod ſibi eſſe proſperum confidebat, priùs tamen de ejus adventu certiorato Franciſco de Carraria, in Padua pro ſacro Imperio Vicario Generali, ſubitò de Boëmia equitavit in Utinum. Fuit hoc in MCCCLIV. Indictione ſeptima die XIV. Octobris. (1) Qui tranſiens per Sacile, Civie, Feltrum, die primo Novembris intravit Baſſanum. In ejus comitiva erant Aquilejenſis Patriarcha, ejus frater, Jacobinus de Carraria, Feltrinus de Gonzaga. Ejus adventu præſcito, Franciſcus de Carraria ivit Baſſanum, quem Imperator non tantùm ut ſuum Vicarium Paduæ recepit, imò ut filium. Jam abſente à Padua Vicario Paduæ pro Imperio, Aldrevandinus Eſtenſis Marchio intravit Paduam, ubi ſtetit honorificè, donec equitavit ubi erat Sereniſſimus Imperator. Tertio Novembris Imperator tranſiens per Cittadellam, poſt prandium factum in Villa Roduli (2), Paduam intravit pacificus per Portam Sanctæ Trinitatis. In ejus adventu tota Civitas exultabat. Imperator primò viſitavit, & oravit in Eccleſia Cathedrali. Poſt hæc ſedem ſuam poſuit in Palatio Dominorum de Carraria, quorum ſumtibus habuit Curiam generalem. Limina Sanctorum Proſdocimi, & Juſtinæ, & Beati Antonii cum oblationibus ſolemni gaudio viſitavit. In menſa ſecum habuit familiariter Nobiles de Carraria, Marchionem Eſtenſem, quoſdam Theutonicos, & Dominum Patriarcham. Die VI. (3) Novembris Dominus Imperator in Eccleſia Cathedrali Paduæ militem fecit Dominum Jacobinum de Carraria. De hoc fuit feſtum Paduæ: & Dominus Jacobinus, & Dominus Franciſcus in ejus militia plurima dona contulerunt.

A

C A P. II.

Eodem Anno.

De prima Corona Imperatoris, & de Militia Franciſci de Carraria.

REx Carolus die VII. Novembris equitavit Monteſilicem. In ſequenti die Lignacum. Canis Major, præſcius ejus adventus, occurrit, & ſe obtulit. Quem Imperator gratioſè recepit. Die ſequenti equitavit versùs Mantuam. Dum Imperator cum ſua Curia in Mantua reſideret, Domini Maphæus, Bernabos, & Galeatius Vicecomites, Domini totius ferè Lombardiæ,
B miſerunt Mantuam nobiles Legatos. Hi coram Principe retulerunt, ab antiquo fuiſſe Vicecomites fideles Imperii, & etiam, quòd Maphæus, avus Paternus prædictorum, fuerat auctor expellendi de Mediolano nobiles de la Turre rebelles Imperii, ob quam cauſam Henricus de Lucemborg Sereniſſimus Imperator præfatum avum ſuum paternum Maphæum fecit ſuum Vicarium, & quòd in honorem Imperii, quaſi totam tenuit Lombardiam. Juxta hoc obtulerunt munera, auxilia, & Coronam Ferream ſuis expenſis, dum tamen ſecum non duceret ſuos rebelles. Eorum poſtulationibus annuit Imperator. Menſe Novembris Imperator fecit militem Petrum Baduarium de Venetiis
C tunc Paduæ Poteſtatem.

Anno Domini revoluto, ſcilicet in MCCCLV. die ultimo Decembris, cùm Imperator per Marchiam iter faceret, & jam tranſiſſet flumen Olei, ſtans juxta confinia Cremonenſium, ſuum in Campum ſuper nivem, probum Virum, & Nobilem Dominum Franciſcum de Carraria, qui continuò fuit cum Imperatore cum maxima comitiva, ſedens in equo fecit militem; & cum palma eum percutiens ſuper collum, ait: *Eſto bonus miles, & fidelis imperii*. Statim Nobiles Comites Theutonici deſcenderunt de equis, & eidem ſtatim equitis impoſuerunt calcaria. His Dominus Franciſcus donavit dextrerios, & equos alios de pulchrioribus, quos habebat.
D Poſt hæc Dominus Franciſcus coram Principe milites fecit hos Cives ſuos, Patarum de Buzacharenis ejus ſocerum, Ludovicum Forzatè ejus avunculum, Zaninum de Peraga propinquum ſuum, & etiam generum Patari, Guidonem de Caſtronovo, Ugolinum Scrovegnum, Gerardum de Nigris, Zambonum Doctum. Sic cum honore & gaudio, habitâ licentiâ Imperatoris, redire Paduam feſtinavit. Imperator ſtatim poſt prædicta intravit territorium Cremonenſe : ei occurrerunt Nobiles Mediolani, & ferè totius Lombardiæ. Qui per Cremonam, & alias Civitates, & loca Mediolani tranſiens, ſummo honore receptus, die IV. Januarii intravit Mediolanum. Eodem menſe, & die Epiphaniæ in
E Eccleſia Beati Ambroſii, de licentia Summi Pontificis, per Archiepiſcopum Mediolani Corona Ferrea honorificè coronatur. In ſua corona-

(1) *Cod. Collalt.* Qui tranſiens per Sacilum venit ad Plavim, & illic paratis navigiis, ac vadis patefactis juſſu Ducalis Dominii Plavis flumen tranſivit, cui etiam ibi, & per multa loca diſtrictus Tarviſii parata erant victualia ad ſatietatem. Quæ ille, nec Societas ejus quicquam attingere voluit. Et die primo Novembris &c.

(2) *Cod. Collalt.* Curtaroduli.

(3) *Codd. Ambroſ. ambo*: Die verò Jovis VI.

natione multos Nobiles militavit. Tunc fuit lætitia publica Mediolani, & Curia generalis. His gestis Imperator ivit Pisas.

CAP. III.

Eodem Anno.

De Adventu Imperatricis.

Serenissima Imperatrix, filia Ducis Poloniæ, hoc ordine Paduam vênit. Ejus adventus nuntius prævênit Patruus. Post quem Imperatoris Mareschalcus cum quadringentis galeatis die XXI. Januarii intravit Paduam: die verò sequenti Archiepiscopus Boëmiæ cum ducentis. Statim in die sequenti præfatus Archiepiscopus, & Nobiles de Carraria, & omnis Ecclesia cum militia universa, Sanctorum Reliquiis, & omni genere symphoniæ, gavisi gaudio magno valde, Dominæ Reginæ occurrerunt. Quæ per Portam omnium Sanctorum vênit Paduam. Ipsa regali more in cultu honestæ Reginæ cum quatuor nobilibus Dominabus sedebat in curru. Eam sequebantur juvenes nobiles Civitatis cum pallio aureo, variis suffulto, & Nobilitas universa. Reliquæ verò Dominæ, Reginæ comites, sequebantur in curribus. Talis ordo placuit universis. Imperatrix sedem posuit suam in Palatio principali Dominorum de Carraria, ubi Dominarum, & Militum fuit continuò Curia generalis. Omnia erant Paduæ expensis magnis Dominorum. Regina juvenis annorum XVI. in moribus videbatur annosa. Die verò XXV. dicti mensis iter suum cepit versùs Pisas, ubi tunc erat Dominus Imperator. Eam Dominus Franciscus de Carraria per suum territorium honorificè sociavit. Aldrevandinus Marchio eam duxit per suum districtum versùs Mantuam: deinde honore debito ivit Pisas. Statim post hoc Nobiles Alemanni cum armis in maxima quantitate per Paduam transeuntes, subsequenter de die in diem equitabant (4) post Imperium. Sic Imperator in adventu suo pacificus, vires multiplicabat sapienter. Unde Cato:

Quod flumen placidum est, forsan latet altior unda.

CAP. IV.

Eodem Anno.

De secunda Coronatione Imperatoris.

Imperator mense Martii de Pisis ivit Senas. Ibi constituit suum Vicarium. Florentia eum recipere recusavit; tamen multa donavit. His gestis ivit Romam, ubi habebat quinque millia galeatos. De consensu Domini Papæ in Ecclesia Sancti Petri debito ordine cum Domina Imperatrice Imperator Corona aurea coronatur, V. die Aprilis, in festo Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. In sua coronatione Imperator milites fecit mille & quingentos, cum iis Rizardum (5), nobilem Comitem Veronensem. Hic expulsus de Verona stetit Paduæ magnificè sumtibus Dominorum de Carraria. Imperator redire Pisas per Senas festinavit. Eodem mense, die XIX. Domini de Carraria pro honore Imperii fecerunt magnum festum. Unde Dominus Jacobinus fecit Milites in Ecclesia Cathedrali Jacobum de Capite-Vaccæ, plus annosum Bianchinum de Parata sororis maritum, Gulielmum de Campo Sancti Petri, Vinciguerram dictum Pulce de Conigliano (6), Albertum de Peraga. ultimò alium senem, scilicet Jordanum de Forzatè. Hac causa fuit Paduæ magnum festum.

CAP. V.

MCCCLV.

De Conjuratione facta contra Imperatorem.

Cum Imperator in sua Curia sederet in Pisis, licentiam redeundi dedit suæ militiæ. Ex hoc suis amicis defecit spes salutis, quia Imperator expulsos de Pisis reduxerat, ac etiam dicebatur, quòd procurabat Lucam liberare de dominio Pisanorum. Per illos de Gambatortis, (7) & alios Cives Pisarum, de scientia Florentinorum, fuit contra Principem conjuratum. Media nocte clamor factus est contra Principem, ejus Palatio imponitur ignis. Imperator, & Imperatrix surgunt nudi: Theutonicorum, & Pisanorum, quos reduxerat, fit concursus, & clamor. Imperator arma cepit, & contra rebelles pugnavit. Ultimò fuit victoria Imperii; tamen bene centum Boëmi fuerunt interfecti. Imperator illos de Gambatortis (8), & alios crimine læsæ majestatis arguit, quibus ait: *Quisquis cum militibus, vel privatis contra nos sceleratam inierit factionem: imò solummodo cogitaverit, voluntate sceleris legis Juliæ majestatis reus est.* Regis severa sententia, quos invênit in crimine manifesto, punivit gladio: eorum latas divitias confiscavit: comburuntur celsa palatia proditorum. Inter ceteros fuerunt præcipui Bartholomæus Lotus, & Cechus frater de Gambatortis, contra quos, & eorum sequaces lata fuit sententia, & executioni mandata per Dominum Melinum de Tolentino, Capitaneum, & Commissarium Serenissimi Imperatoris, D. Caroli Quarti, anno Domini MCCCLV. die XXVI. Madii.

CAP. VI.

Eodem Anno.

De recessu Imperatoris, & D. Patriarchæ.

Negotiis dispositis in Pisis, forsan Italiæ formidans insidias, omissis Lombardorum infestationibus, & querelis, Dominus Imperator cogitavit redire Boëmiam. Sic eodem anno, mense Junii, transitum faciens per Lombardiam, intravit Vallem Valcamonicæ; qui per Alemanniam Pragam est reversus. Quid Deus sit facturus per ipsum, ipse novit, cui honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Prædicto mense Aquilejensis Patriarcha intravit Paduam, Frater naturalis Imperatoris, & honorificè habitus ivit Aquilejam, cui Dominus Imperator Feltre, & Civie (9) commisit in custodiam. Statim inter Patriarcham, & Comitem Goritiæ immensum odium suscitatur, &

(4) *Fortè meliùs*, post Imperatorem, *ut legitur in Cod. Collalt.*
(5) *Cod. Collalt.* Rizardum de Sancto Bonifacio.
(6) *Cod. Collat.* Pulicem de Colbrusado de Coneglano.

(7) *Cod. Collalt. & Amb. I.* Gambacurtis.
(8) *Iidem Codd.* Gambacurtis, *ita & infra.*
(9) *Cod. Collalt.* & Civitatem Belluni. *Cod. Amb. I.* Ceneglanum commiserat.

& bellum. Ambo depositis armis venerunt Paduam coram Magno Francisco de Carraria, qui electus arbiter tunc non potuit eorum litigium mitigare. Sic partes discordes recesserunt. Dominus Franciscus, Vicarius Paduæ pro Imperio, instantissimè procurabat pacem interponere inter partes, quam per suos Legatos obtinuit postulatam. Eodem anno, & mense Septembris, absente ab Utino Domino Patriarcha, Cives de Utino occiderunt suos factores, & ei denegabant introitum. Eodem anno mense Martii tandem Dominus Paduæ concordium procuravit. Sic Patriarcha post annum Utinum pacificè introivit.

CAP. VII.

De captione Domini Jacobini, & vindicta Zamboni.

HOmo de jure cadit in foveam, quam proximo præparavit. De hoc unum exemplum ostendam. Dum Magnus Franciscus de Carraria, Dux exercitus totius Ligæ, cum suo apparatu armorum copioso contra Bononiam equitasset (de hoc supra scriptum est) eum sequebatur amicus simulatus, & perfidus hostis, qui blandis verbis eum veneno nequissimo extinguere cogitavit. Scivit Dominus Franciscus: nutu Dei hoc celavit in tantum quòd tempore suæ militiæ, de qua scribitur supra, Zambonum de Doctis cum aliis Nobilibus Paduæ sociavit in militia. Reversus domum cepit Dominum Jacobinum patruum suum, quem tenuit in Trabache in carceribus, & in Castro Baldo, & in Turre Montisfilicis. Eum cepit in cœna, & ab eo scivit proditionis seriem, quam nemini propalavit. Dominam Margaritam de Gonzaga cum filio anniculo honorificè misit Mantuam. Dominus Guidus filiam suam, & nepotem recepit, filium dicti Domini Jacobini. Fuit hoc MCCCLV. die XVIII. mensis Julii.

Dominus Marcus Cornelius (10) incœpit regimen Paduæ die primo Septembris; die verò primo Decembris Zambonus Doctus ex jussu comparuit coram Domino, qui ait: *O proditor, omnibus divitibus te ditiorem feci, in honoribus te Nobilibus Paduanis præferebam, & in tantam audaciam incurristi, velle Nos, & Nostros prodere, & Paduam suo privare Pastore?* Qui negavit firmiter; sed statim à Paulo Docto, qui hanc proditionem detexit, fuit convictus. Negare non potuit. Datur Curiæ Potestatis, qui fuit sponte confessus, quòd de scientia Domini Jacobini prædicti, Nepotem interficere procurabat gladio, vel veneno. Publicè datur (11) in perpetuum carceri, bonis omnibus publicatis, die XVII. Decembris. Venenum publicè exhibitum, fuit combustum. Mense verò Junii à suis agnatis occiditur. Post hoc, decreto Populi soli Nobili viro Domino Francisco committitur dominium Civitatis. Hæc sunt omnibus speculum, & lucerna, pessima consilia evitare, quia nullum est secretum, quod non reveletur: &

Sæpe sagittantem didicit referire sagitta.

Meritò etiam Zambonus incidit in foveam, quam suo Proximo præparaverat.

CAP. VIII.

De adventu Regis Hungariæ.

LUdovicus Rex Hungariæ odio magno Venetos odiebat propter Zadram, quæ est caput Regni sui. Primò contra Tarvisium, quod tenebatur à Venetis, misit duo mille galeatos in MCCCLVI. mense Junii. Fugiunt coloni, fiunt cædes & prædæ; latent Veneti in Tarvisio. Nobilis miles Franciscus de Carraria munivit omnes passus, & Civitatem, timens forsan Regis adventum, & etiam nobilem misit legationem cum muneribus in Regis occursum. Hos Rex secum habuit honorificè, & benignè. Gualdana sæpe transibat Musonum, auferens prædam in Paduano districtu: tamen ab homicidio, & incendio abstinebat. Erat hoc omnibus timor magnus. Dominus Paduæ, cupiens in omnibus Civibus suis providere, quærit consilium à Civibus, quid sit in tanto periculo faciendum. Consilio (12) in triduo jam peracto, consensu omnium, Regis amicitiam elegit habere. Hoc fuit Venetis odiosum, quoniam semper virtus parit invidiam. Comites Tarvisii, illi de Vonico, & alii Castellani, Venetorum fiunt rebelles. Coniglianum datur Regi obsidenti mense Julii. Rex verò potentissimus cum exercitu transivit Plavim, & obsedit Tarvisium. Erat enim Regis exercitus Hungaris, Germanis, (13) Theutonicis, Tartaris, & aliis infidelibus copiosus. Traditur in exercitu fuisse equites centum millia. Propter ista non cessabat exercitus contra Zadram (14), Nonam, Istriam, & alias Civitates, quas Veneti possidebant in Crovatia, & Dalmatia.

Mense Julii per Potestatem Venetum Castrum Asoli datur Regi (15). Eodem die penultimo Julii, Dominus Paduæ misit ad Regem nobilem legationem cum muneribus, & concordium firmum fit cum Rege. Ipse Rex, propter multitudinem suæ gentis, non poterat ordinare, ne auferrent prædam de Paduano districtu. Unde Hungaros misit Miranum, & alios passus munivit, ne quis damnificaret Paduanos, & de hoc fecit edictum, & contrafacientibus pœnam statuit capitalem. Dedit etiam Paduanis licentiam, ut gladio se defendant. De iis misit Paduam suas literas patentes. De cetero Dominus Paduæ munivit omnibus necessariis exercitum. Die V. mensis Augusti fuerunt Paduæ Legati Regis, Comes Palatinus, Archiepiscopus Patrasii, & Cancellarius Regis, Legati Venetiarum. Pro pace mediator fuit Dominus Paduæ, quæ non potuit expediri. Die XXVIII. obiit

Dux

(10) *Amb. I.* Cornerius.
(11) *Alibi* damnatur.
(12) *Cod. Amb. I. & II.* in triduum jam parato.
(13) *Cod. Est. Collalt. & Amb. I.* Cumanis.
(14) *Cod. Amb. I.* Contra Zadram Novam, Istriam.
(15) *Codices Collalt. & Ambros. I. aliquibus verbis deficientibus, aliisque immutatis.* Et similiter Clusa Queri per Capitaneum Venetorum ad illius custodiam positum; nondum enim constructum erat Castrum Novum Queri. Clusa autem Queri prædicta ammissa est tum vilitate Capitanei prædicti, tum etiam factione cujusdam Christophori de Asilo Mundiarii in Quero. Cujus persuasione capitur Reduxius de Quero Avus meus primus ab Hungaris, & carceribus mancipatur, ut se pecuniis redimeret, objicientibus sibi, quod amicissimus esset Venetorum. Nec ante illum dimiserunt, quam se DCC. Libris Denariorum Venetorum redemisset, postquam etiam ab illis acriter vapulasset. Ex qua quidem injuria patri illata Thadæus pater meus post recessum Hungarorum dictum Christophorum de Asilo occidere conatus est. Ob cujus timorem dictus Christophorus aufugit, & Marosticam commigravit, apud quam pro prædictis debitam pœnam luit, & ferro jacuit interemtus.

Dux Venetiarum, & eligitur Dux Joannes Delphinus, qui tunc erat clausus in Tarvisio. Rex eum liberè cum honore ire permisit Venetias.

Additamentum ex Codd. Collaltin. & Ambrosiano I. desumtum.

QUi dum castra mensibus & diebus apud Tarvisium tenuisset, quidam Nobilis Tarvisinus, vocatus Julianus Baldichino, homo extra patriam pluribus versatus annis per Mundi varias partes, etiam notitiam habens multarum Linguarum, utpote Hungaræ, Sclavæ, Theotonicæ, & aliarum, ausus est inire pulcherrimum facinus, cautè pridem explorans omnia, quæ ad rem pertinere videbantur; mo dumque habebat ille compertum, quo quotiescumque volebat, clam ingrediebatur, & egrediebatur Civitate. Quòd quum sæpe & sæpius fecisset, comperit quid Rex die vel nocte faciebat, & inter cetera comperuit, Regem singulo die observare, quòd adactis gentibus ad bellandum Civitatem machinis, & aliis pluribus bellicis instrumentis, recedebat cum paucis, & equitabat versùs Villam Quinti, & ibi super Silerem fluvium in quadam clausura subsellia ponere jubebat ad ripam fluminis prædicti, ut se ventre mundaret, & à longe manentibus cunctis inter gerendum quascumque literas secum portaverat, legebat; ubi non minùs quàm per horam manere consueverat. Hic Julianus hoc non semel, sed pluries videns per Regem observari singulo die, modum animo concepit, quo Regem mortuum, vel vivum comprehendere posset, & secum Tarvisium conducere, Ducali Dominio Venetiarum præsentandum, sive Rectoribus suis in Tarvisio. Modus hic erat. Noverat ille naviculam naviter gubernare, cum qua duobus additis sibi expertissimis in navigando, per aquam nocte navigare conceperat, & juxta locum illi propinquum intra cannellas, quibus Siler illo in loco plurimum adumbratur, delitescere, & in excubiis Regis adventum exspectare, & illum, postquam sedisset ad locum prædictum, cunctis à longe more solito retroactis, impetere. Nam terga ad aquas habebat Rex; & in uno ictu naviculam spingendo, antequam se movere posset, capere vivum, vel saltem mortuum, illi laqueum collo injiciendo, per aquas Tarvisium usque protrahere. Contra quem Regis gens, nec eques, nec aquis, quicquam facere poterat, propter aquarum profunditatem.

Loco & modo exploratis, tacitus venit ad præsentiam Rectorum Tarvisii, cum quibus versari solitus erat: dumque intra se de multis loquerentur ex ingruentibus guerræ & obsidionis præsentis, ipse Julianus opportunitate loquendi consequuta, ad illos ait: *Domini, video guerram istam & obsidionem præsentem vobis nec minùs Tarvisinis molestam esse. Et ego tamquam bonus & fidelis Civis & servitor vester, jam pluribus diebus modum percepi, quo vivum vel mortuum Ducali Dominio vestro Regem Hungariæ præsentialiter hic obsidentem inimicum vestrum dare in manibus vestris possim, si mihi, ut requiro, dare vultis duodecim mille Ducatos, & Castrum Francum cum sua Potestaria, ita ut meum proprium sit. Et aliter facere nolo, nec quicquam peto, nisi pridem faciam, quod promisero.* Ad quem illi: *Hoc facere tibi non possemus absque scientia Ducalis Dominii. Sed dic nobis modum, quia illis impossibile videretur tantum Regem à privato homine, licèt astuto & provido, posse deprehendi.* At ille recusavit, & ad Ducale Dominium missus illammet promissionem obtulit, si illi, quod exposcerat, tribueretur. Veneti modum quærunt: ille negavit. Tunc quasi truffati illum Tarvisium remiserunt.

Rex Hungariæ post multa, quæ sequuntur inferiùs, ac etiam post pacem celebratam, audiens, quod fuerat quidam Civis Tarvisinus, qui illum vel mortuum, vel vivum in manibus Venetorum dare promiserat, si illi, quod postulabat, concessissent, Ducale Dominium rogavit, ut talem virum ad se mitterent, quem ex nunc de adventu & reditu supra caput suum fidum & securum reddebat omnino. Ex tunc Ducale Dominium Venetorum, accito Juliano prædicto, illi mandaverunt, quòd supra caput suum iret Budam ad Regem Hungariæ, qui illum affidabat, & optabat audire pariter & videre. Et pro itinere de equis & denariis illi providerunt. Julianus acceptis literis Ducalibus Budam equitavit, & ad Regem se præsentans, illi literas Ducales præsentavit. Quibus lectis Rex ipse subrisit, & ait: *Es ne tu ille, qui nos Venetis vivum vel mortuum dare voluisti, si petita per te non negassent?* At ille genibus flexis ait: *Serenissime Rex sum*: *Te rogo*, dixit Rex, *ut mihi modum pandas*. Tunc Julianus magna cum reverentia veniam petens, rem aperit. Quo audito Rex factum approbavit, & hominis audaciam miratus est, illumque equis & avibus honoratum remisit ad propria.

Hic explicit Additamentum.

Eodem mense Rex equitavit Coniglianum, relicta parte sui exercitus, qui Tarvisium graviter infestabat, postea ivit in Hungariam.

Dominus Paduæ custodes revocavit, quos habebat ad passus Brentæ pro custodia. Benedictus sit Deus, qui tantam gratiam dedit Duci Paduæ, quòd sciret tanto periculo obviare. Omnes enim timebant mortem, fugam, & pauperiem, & quasi capillus non cecidit nutu Dei.

Marinus (16) Moresinus incœpit suum regimen Potestariæ Paduæ die primo Septembris. Veneti indignati, asserentes Dominum Paduæ favere Regi, revocaverunt eum ante tempus, & denegaverunt sal secundùm pacta, & fecerunt etiam alias novitates. Unde eligitur Potestas Paduæ Dominus Joannes de Manfredis de Regio, qui suum officium in anno sequenti, primo Februarii inchoavit. Veneti omnino contra stimulum calcitrare volentes, & se erigere contra Regem & Paduam, procuraverunt habere societatem (17) magnam Theutonicorum, quam duxerunt Caldognum, Vicentini districtus, & ibi stabat in otio exspectans Brentam tumefactam labi. Gens verò Regis ferox, & audax, quasi volatu natando per passum Fontaninæ, transierunt Brentam, & contra hostes pugnaverunt viriliter. Pauci occiduntur, multitudo capitur, vel fugatur. Eodem anno, mense Octobris suspenduntur multi in Tarvisio, & Castrofrancho, quos Veneti dicebant proditores. Domus Comitum prædictorum destruuntur.

CAP.

(16) *Alibi* Marcus.

(17) *In aliquibus* quantitatem.

CAP. IX.

De captione Domini Jacobini de Carraria. (*)

Dominus Franciscus de Carraria die Sabbati XVIII. mensis Julii horâ XX. cum multis armatis insultum fecit D. Jacobino de Carraria ejus patruo, tunc secum insimul dominanti, eo cœnante in quodam ejus Broilo. Et tunc D. Jacobinus surrexit à cœna volens aufugere, dicens. *Quid est hoc?* Et D. Franciscus ei dixit: *De persona nolite timere: sed ego tanto tempore fui sub vestra custodia, volo quòd amodo sitis sub mea.* Et eum captum misit in Castro de Trabache, deinde in Castrobaldo, demum in Rocha superiore Montissilicis, ubi post multos annos diem suum clausit extremum. Prædictus autem D. Jacobinus dominaverat cum præfato ejus Nepote annis quinque, mensibus sex, diebus viginti sex.

CAP. X.

De Gestis post Treguas.

Mense Octobris inter Regem, & Venetos treguæ statuuntur per quinque menses. His finitis de pace magna fuerunt colloquia absque fructu. Post hæc Comes Palatinus, mense Junii, cum exercitu vênit Coneglianum. Mense Junii (18) Seravallum fame superatum datur Regi. In adventum Comitis occurrit nobilis legatio Paduana. Eos Comes secum habuit reverenter; & ex parte Regis Domino Paduæ obtulit auxilia contra omnes. Hic Comes die XX. Junii (19) obsedit magnificè Castrumfranchum. Trabucha undique circuibant. Erant etiam de Padua gentium auxilia, & subsidia victualium. Tempore hujus pestis Cives quasi omnes sponte fugiebant de Tarvisio. Nobilibus verò erat Civitas à Venetis interdicta. Agricolæ ad Deum clamabant: *Recordare Domine, quid accidit nobis, & respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alios, & absque Civitate exulamus. Iniquitates parentum nostrorum portamus in Civitate. Senes, & Juvenes defecerunt à nobis. Omne gaudium est fugatum. Iratus es contra nos vehementer. Convertere Domine, & innova dies nostros, sicut ante, & miserere nobis.* Hungari auxilio bannitorum Tarvisii in palatis Venetorum multoties ceperunt navigantes. Unde palatæ clauduntur (20) à Venetis. Magnus Comes, & Veneti iterum habuerunt de Pace colloquia, qui fuit Paduæ. & in omnibus de consilio Magnifici Domini de Carraria procedebat. Hic Comes recessit ab obsidione Castrifranchi die XXI. Septembris. Die primo Decembris Legati Venetorum incœperunt iter suum ad Regem, & tunc Dominus Paduæ Vicarium suum Dominum Bartholomæum Legum Doctorem de Placentinis de Parma cum aliis Nobilibus misit similiter causâ imperrandæ pacis cum Venetis. Interim Abbas S. Michaëlis de Zadra cum scalis induxit per muros gentem Regis in Zadram, sed primò intraverunt viri fortissimi, & milites socii Domini Paduæ. In platea de nocte partes pugnaverunt viriliter, & ultimò obtinuit Gens Regis Hungariæ Civitatem, excepto Castro (21) die XVII. Septembris datur horâ nonâ Regi fame consumta usque ad comestionem equorum. Rex verò cum gaudio de Buda descendit in Zadram, qui Castrum jussit multoties impugnari. Veneti volentes adhuc contra stimulum calcitrare, ad partes Nervesæ miserunt milites sexcentos, & pedites circa mille. Ii prædam maximam deferebant. Hungari Dei auxilio incœperunt pugnam. Interim Hungari Conigliani equitaverunt versùs Tarvisium, ut hostibus obviarent, vel fugerent in Tarvisium. Ducentos Hungari occiderunt, vel ceperunt, quasi omnes fugerunt. Forsan quinquaginta plaustra armorum miserunt Paduam, inimicis omnibus spoliatis. Fuit hoc MCCCLVIII. die XIV. Januarii.

CAP. XI.

De Pace facta inter Regem, & Venetos.

Deus Omnipotens visitavit Venetos tempore primæ guerræ Zadræ, & Januæ. Ipsi verò non cognoverunt disciplinam. Unde potentiam Regis contra eos provocavit, qui manifestè videntes, se non posse resistere tanto Regi, inclinati coram Rege rogaverunt pacem. Rex ad preces Domini Francisci de Carraria obtulit pacem istam, quòd Dominus Dux, & Commune Venetiarum omnes Civitates, & Castra sita in Crovatia, & Dalmatia liberè debeant relaxare, & quòd in suis literis de cetero Dominos Dalmatiæ, & Crovatiæ se non debeant nominare. Ipse verò Rex contra obtulit quod tenebat in Episcopatu Tarvisii (22). Hanc pacem magis necessariam, quàm utilem, Dominus Dux, (23) & omnes Cives laudaverunt. Alia pacta non scribo, quæ multa sunt. Fuit hoc MCCCLVIII. Indictione XI. in Civitate Zadræ, quæ est caput Regni Hungariæ. Habuit in totum Rex quod optabat, ab utraque parte omnia sunt fideliter confirmata, & adimpleta.

Post hæc omnia Dominus Dux, & Commune Venetiarum videntes providentiam Domini Fran-

(*) *Integrum hoc caput desideratur in ambobus Codd. Ambrosianis, atque in Estensi, & Collaltino.*

(18) *Codd. Est., Collalt., & Ambrof.* Julii.

(19) *Iidem Codices* Julii.

(20) *Legunt alii*, Unde palatæ diruuntur.

(21) *Cod. Collalt.* Castro, quod tamdem die XVII. Septembris hora nona post mediam, Regi datur; nam usque ad equos omnia fame consumserant, quæ ad defensionem Castri reperiebantur.

(22) *Codex Collalt.* Tarvisii & Cenetæ, quod quondam fuerit prædictorum. Et quod adhærentes partibus hujus pacis intelligantur inclusi; nec per ullam partium aliquibus eorum, vel heredibus suis offendi debeat, sed uti ante guerram istam tenebant & possidebant, ita de cetero pacificè & quietè teneant, atque possideant. Alia etiam pacta fuerunt, quæ scribere longum foret. Et hanc pacem laudaverunt Rex & Veneti ac omnes Colligati & adhærentes partibus; & ab utraque parte sunt omnia fideliter adimpleta in MCCCLVIII. Quumque Rambaldus de Collalto Comes Tarvisii Regem associasset usque Budam, de mandato patris sui Comitis Schinellæ, & facta pace prædicta, in qua etiam ipsi Comites inclusi fuerant, ac petita à Rege licentia recedendi, & ad propria remeandi, & ipse Rex eum diligeret tunc juvenem, ac scientia, & moribus rutilantem, ad illum ait inter cetera: *Tibi consulo, quod pro futuro tempore numquam tuis convicinis te potentioribus adverseris, spe alicujus potentis de longe venientis. Quum periculosissimum compertum habeamus, ignem domi ardere, & aquam à longè distare.* Quo quidem consilio fretus est Comes prædictus, & in finem posteris mandavit observari.

(23) *Alibi additur*, & Commune.

Francisci de Carraria, qui occultè se fecit amicum Regis, & se & suos indemnes conservavit, inclinaverunt mittere nobiles Legatos Paduam, duos Procuratores S. Marci, qui habiti honorificè fuerunt in colloquiis. Et sic Dominus Paduæ die IV. Junii cum magna militum comitiva, & Baronum versùs Venetias navigavit. In ejus occursum Nobiles Venetiarum venerunt usque Stratam, & continuò veniebant, & in tantum, quòd in lacu juxta Venetias erat tanta multitudo navium, quòd aqua lacus vix patebat. Deinde descendit in Plateam S. Marci. Ibi erant omnes annosi Nobiles de Venetiis expectantes, qui eum cum omni reverentia, & honore conduxerunt in Ducale palatium: & eum reduxerunt ad suum palatium juxta Ecclesiam S. Pauli. Dominus Dux vênit obviam usque ad scalas, & ei honorem contulit, tamquam Duci. Mane facto fuerunt simul in colloquio, & unanimiter & benignè per suos Syndicos approbarunt conventiones factas, & pacta. Syndici ex parte Communis Venetiarum fuerunt D. Petrus Trivisanus, & Andreas Contarenus, Procuratores S. Marci. Pro Communi Paduæ D. Zilius de Casali, Legum Doctor. Inter alia convênit per publicum Instrumentum, quòd Dominus Paduæ habere debeat sal à Venetis, quantum velit, & de eo facere suum velle. Eoque tempore Dominus Paduæ in conviviis omnes Majores Civitatis pavit, & tenuit Curiam generalem, ubi fuit tanta copia victualium, quòd tota Civitas potuit satiari. Dominus Dux tantum honorem contulit Domino Paduæ in convivio, & in omnibus, & similiter Cives omnes, quòd fertur publicè, unquam nullum Nobilem in Venetiis honorem similem recepisse. Cum gaudio fuerunt hæc Paduæ publicata die XVI. (24) Junii.

CAP. XII.

Tenor Privilegii concessi Domino Paduæ per Regem Hungariæ.

NOs Ludovicus, Dei gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Crovatiæ, Romæ (25), Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Chomaniæ, Bulgariæque Rex: Princeps Salernitanus, & honoris Montis Sancti Angeli Dominus, notum facimus præsentes literas inspecturis, quòd, quia Magnificus Dominus Franciscus de Carraria, pro Sacro Romano Imperio Civitatis Paduæ, & districtus Vicarius Generalis, amicus noster carissimus in guerris, & discordiis, quas cum Domino Duce, & Communitate Venetiarum habuimus, nobis adhæsit contra eos. Volentes igitur de periculis, & damnis, quæ ex hoc occurrere possent libenter, & liberaliter providere, (26) ipsum cum terris, locis, & subditis suis in pace, & concordia, ad quam cum ipsis devenimus, Sancti Spiritus gratiâ perpetuò duratura (27), inseri fecimus, & includi, sicut patet in privilegiis ex hoc confectis, & latiùs emanatis. Id circo promittimus eidem absque omni dolo, & fraude, ac tactis Sacrosanctis Evangeliis, & præstito corporali Sacramento, quòd si dicti Dux, & Communitas Venetiarum præfatum Dominum Franciscum, occasione prædictæ adhæsionis, aut aliàs modo, causa, vel colore aliquo quæsito, vel invento, in suorum dispendium promissorum, & juramentorum, invadere ipsum, vel suas terras, loca, & subditos ultra pacta, inter eos olim habita, offendere conarentur, ipsi Domino Francisco personaliter, vel subsidiis gentis nostræ, ac aliis auxiliis, vel juvaminibus (28) astabimus opportunis suasque terras, & loca, & subditos defensare curabimus, Duce Deo, contra ipsos: & generaliter contra quoslibet alios, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, & status existant, nemine penitus excluso, vel excepto, qui eumdem Dominum Franciscum invadere, & (ut præmittitur) suas terras, & subditos aliqualiter offendere niterentur. Ita tamen, & taliter, quòd præfatus Dominus Franciscus, nulla sub fiducia præsentium, discordias, vel guerras moveat, nobis irrequisitis, harum sub nostræ Majestatis, & Dominæ Reginæ genitricis nostræ carissimæ, ac Prælatorum, & Baronum nostrorum subscriptorum sigillis, & testimoniis literarum. Nomina autem eorumdem Prælatorum, & Baronum nostrorum, qui præmissæ nostræ provisioni (29), & dispositioni interfuerunt, sunt hæc. Venerabiles Patres, Domini Nicolaus Fregonensis (30), locique ejusdem Comes perpetuus: alter Nicola Colbotensis, (31) aulæ nostræ Cancellarius, Archiepiscopi Ecclesiarum. Petrus Posnonensis (32) Ecclesiæ Episcopus. Ladislaus Præpositus Calmensis, Comes Capellæ nostræ. Magnifici Viri, Nicolaus Congh (33), Regni nostri Palatinus, & Judex Comanorum (34) Tyto Magister Chavernicorum nostrorum Regalium. Leustachius Regni Sclavoniæ Vicarius Generalis. Joannes Chus Dalmatiæ, & Crovatiæ Bannus. Leudius (35) Magister Dapiferorum, & pincernarum nostrorum. Magister Simon, filius Mauricii, Comes Bosoniensis (36). Joannes filius quondam Palatini, Comes Siculorum de Ursan. Nicolaus filius Lachy. Comes Celimen. (37) Thomas frater Archiepiscopi Strigoniensis, & Petrus Dominus Judar (38), Comes de Saariis, & Castellanus de Siosceru, dilecti, nobiles, & fideles.

Data Budæ Mense Madii die V. anno Incarnationis MCCCLVIII. Regni autem nostri XVII. Amen. Deo gratias. (39)

(24) *Cod. Ambr. ambo*: XI.
(25) *Cod. Amb. I.* Ramæ.
(26) *Codd. Collalt., Est., & Amb. ambo*: illi præcavere, & ipsum conservare.
(27) *Cod. Collalt.* duratura, illum & illa.
(28) *Cod. Collalt.* jugiter adstabimus.
(29) *Cod. Collalt.* promissioni.
(30) *Cod. Collalt. & Ambr. I.* Frogineus.
(31) *Alibi* Colotensis. *Cod. Collalt.* Coloceus, *& ita Amb. I.*
(32) *Cod. Collalt. & Amb. I.* Bosnous.
(33) *Cod. Amb. I.* Honch.
(34) *Al.* Chomarchorum.
(35) *Cod. Est. & Collalt.* Lerichus.
(36) *Iidem Codd.* Posoniæ.
(37) *Iidem Codd.* Celime.
(38) *Iidem Codd.* Zudar.
(39) *Cod. Amb. I. hæc claudit hoc modo:* Explicit Chronica Domini Guilielmi de Cortuxiis *Finito libro sit laus, & gloria Christo.*

F I N I S.

ADDITAMENTA
DUO
AD CHRONICON CORTUSIORUM

UNUM

Ab Anno MCCCLIX. usque ad Annum circiter MCCCLXV.

ALTERUM

Ab Anno MCCCLIV. usque ad MCCCXCI.

PATAVINA DIALECTO SCRIPTA

AB AUCTORIBUS ANONYMIS,

Et nunc primùm evulgata

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN ADDITAMENTA
AD HISTORIAM CORTUSIORUM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SUppeditavit mihi Bibliotheca Estensis vetustum membranaceum Codicem, in quo brevia duo Chronica legebantur, Patavina Dialecto conscripta. Prioris narratio deducebatur ab Anno 1350. usque ad Annum circiter 1365. Alterius ab Anno 1267. usque ad 1391. Non indigna haec arbitratus sum, quae Cortusiorum Historiae subnecterentur, laciniae quippe non contemnendae. Praecisa tamen volui, quae Annum 1359. praecedunt, ne Lectori molestum foret paucis accipere, quae Cortusii, aliique praecedentes Historici Patavini jam fusius retulere. Ad primum ex hisce Chronicis quod attinet, nata mihi, ac nondum erepta dubitatio est, an eosdem Cortusios Auctores habuerit, qui Latine scripserint quidquid heic Patavina Dialecto consignatum legitur. Fieri enim potuit, ut ii ultra Annum 1358. Historiam produxerint, atque interpres Patavinus Codicem offendens editis uberiorem, plura Italice dederit, quam Latine habeamus. Profecto quaecumque ego resecavi, desumta videntur e Cortusiorum Historia, ac desinunt in Epistolam Ludovici Hungariae Regis, quae illorum narrationem claudit, atque in ipso Estensi Codice integra exhibetur. Continuato deinde ordine ac stilo succedunt ibi, quae nunc Lector accipiet. Neque haec a Scriptore synchrono abhorrent. Ut ut pauca, alicui erunt usui ad supplendam nobilis illius Urbis Historiam. Nullo autem negotio Patavinitatem, hoc est Patavinam Dialectum, hinc removere potuissem; sed primigenium colorem erunt fortasse, qui habere malint, quam emendatiorem Linguam. Ceterum ne id quidem praetereundum censeo, praeter haec duo Chronica, contineri in eodem Estensi Codice *Magistri Thomae Anglici Doctoris Sacrae Theologiae Ordinis Praedicatorum expositionem in Libros Sancti Augustini de Civitate Dei*. Deinde Dialogum sub *Asclepii* nomine Mercurio Trismegisto olim tributum. Denique *Practicam dictaminis editam per Magistrum Laurentium de Aquilegia*. Postremum hoc Opusculum etiam inscribitur *Liber titulorum ad personas*. Nimirum complectitur Formularium epistolarum, seu Titularium pro more Seculi, quo Auctor vixit. Exempli caussâ: *Salutationes ad Papam. Sanctissimo in Christo Patri. Beatissimo. Clementissimo. Domino suo meritisque beato. In Christo Patri & Domino Domino B. Divina providentia Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Pontifici, F. eadem providentia Romanorum Imperator semper Augustus.*

ADDITAMENTUM
PRIMUM
AD CHRONICON CORTUSIORUM
PATAVINA DIALECTO CONSCRIPTUM.

A Item in mille tresento cinquanta nove del mese di Lujo. El Conte di Lando con la soa compagnia cavalcò contra Fiorenza, & sì s'allozò con la soa brigada in le confine di Perusa, contra el quale con l'altrujo de' Visconti, & del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara fo mandado lo esercito de' Fiorentini, la possanza del qual' esercito fu di tal maniera, che el ditto Conte Lando no osò combatter con lui.

In mille tresento cinquanta nove adì vintinove di Mazo circa il mezo delle ventiquattro ore nascè Francesco fiolo del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara Signor di Pava.

In mille tresento sessanta. Lodovigo Re di Hungaria scrisse lettere al Magnifico Signore Messer Francesco da Carrara, secretamente pregandolo, che volesse dar salvo condutto alle so genti, zoè a quattro millia Hungari, i quali ello mandava a Bologna in subsidio della Ghiesa, la qual Terra Messer Bernabò havea assedià, & inclusa con fosse & con bastie. I quali tutti Hungari el preditto Signor Messer Francesco recevè in la soa Città di Pava graziosamente, dagandoghe vittuaria per loro, & per l'uso de' cavalli, & si recevè in lo so proprio Palazo a so spese i Capitanj & Prepositi delle ditte genti.

In questo tempo la Terra di Montagnana, che è sulle Confine del Distretto di Pava, & di Verona, comenzò esser murada dal Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara di piera cotta, & so compida in mesi vintisei, & dì nove, siando sovrastante Franceschin de' Schici. Item incontenente la Porta di Santa Crose fo po fatta; subsequentemente Castelcarro, el bel Castel di Bovolenta, & la Forteza po di Oriago; & po si reparò le strade publiche, i argeri, i ponti in Pava, & in lo Contà: circa le quali cose ello era meravejosamente studioso.

In quell' anno istesso adì cinque di Mazo. Messer Piero Conte di Prata Cusin german del Magnifico Signore Messer Francesco da Carrara Vescovo di Triviso con grandissimo honore cantò la soa Missa in Pava, & poco da po morto Messer Zuanne de i Orsini Vescovo di Pava, per interposizion & cercamento del ditto Magnifico Signor Messer Francesco per Messer lo Papa fo ordinà al Vescovà di Pava.

Item anno stesso del mese di Agosto. Vacando el General de i Frati Heremitani a Pava fo celebrado Capitolo generale, in lo qual Capitolo fo ventitrè Maistri Cathedradi, & fo eletto General dell' Ordine Fra Mathio d'Ascoli homo ornado di scienzia & di costumi, al qual & a tutto 'l Capitolo el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara fe' molto honor in convivj, & doni, & eziandio accompagnado da i so Nobili & Cavalieri volse esser ai so sermoni & disputazion.

In mille tresento sessanta del mese di Ottobre. El Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara magnificamente, & con presenti di gran valore mandò a Pavia so Ambassaori, i quali fosse alle nozze del Conte di Vertù fiolo di Messer Galeazzo per cason di honorar le nozze preditte.

Lodovigo inclito Re di Hungaria mandò so solemni Ambassaori a Pava, i quali per soa parte donasse al Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara le Terre Feltre, & Cividà, le quali Terre Karlo Imperador havea donà al ditto Re. Per la qual cosa el Magnifico Messer Francesco mandò Frizerin Cavodevacca so primo Poestà in Feltre, & Messer Ugolin Scrovigno in Cividal. Et la Inclita Reina de Hongaria mandò alla Magnifica Madonna Fina bellissimi doni, intra i quali fo un maravejoso Carro Riale.

Item Messer Bartholamio de' Plasentini da Parma egregio Dottor di legge, Vicario del preditto Signor Messer Francesco da Carrara, domandollo il Re in Hungaria; el qual per honor & contemplazion del so Signor, e 'l ditto Messer lo Re volse haver in li so consei, & alla so mensa Riale; & appresso el vestì con elló in habito Hungaresco. Et questo fo in mille tresento sessanta del mese di Novembre.

Lodovigo della Torre Patriarca di Aquileja habbiando di necessità parlar col Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara per algune cose, che Messer lo . . . . domandava da ello, di Friuli passando per lo Trivisan venne a Cittadella, al qual Luogo el preditto Magnifico Messer Francesco acompagnado da molti Nobili, & altra gente era za vegnudo, mandade prima tutte le cose necessarie, & habbiando habù parlamento, eziandio disnado in sembre, i preditti si partì dal ditto luogo, & tornò zascun a Casa. Et fo le preditte cose del Mese di Marzo.

El spettabil Cavaliero Messer Tolberto da Prata german cusin del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara per ovviar all' insidie, le quali ello havea sentì che i so Parenti je apparechiava, requirì genti dal preditto Magnifico Signor Messer Francesco, le quali genti habude, ello le condusse a Prata. Ma i Cittadini de la Terra di Sacile, sentendo questo, & dubitando che 'l preditto Magnifico Signor Messer Francesco sotto questo colore no cercasse di far novità in la so Terra, & spezialmente perchè i savea, che Messer Fedrigin dalla Torre Capitanio del ditto Luogo era amicissimo del ditto Signor Messer Francesco, sì eziandio perchè tra 'l ditto Capitanio & i Homini della Terra era alguna discordia, & tanta che una parte non si fidava dell' altra, anzi per quelli della Terra cercado di alturio con quelli da Venezia, & habudo el ditto alturio, elli tolse la Terra in se senza più obedir al Capitanio. Et posto

posto l'assedio al Luogo, onde del Castello se pò intrar in la Terra, vegghiava molto d'ingannar la intenzion del ditto Magnifico Signor Messer Francesco, se ello ne havesse habudo alguna della ditta Terra: la qual cosa no era stada & no era. Era ben perzò in lo Castello alguni Soldadi del ditto Magnifico Signor, & appresso temendo el Capitanio di quelli da Sacile, requirì Messer Tolberto come subdito del Patriarca di subsidio. El qual Messer Tolberto con quella gente stessa, che ello havea domandà per alturio di se al Magnifico Signore Messer Francesco da Carrara, così da pè, come da cavallo, andò in alturio al ditto Capitanio, el qual pochi dì drio come homo vile habbiando paura de' nemisi, si fuggì a Prata, lassade tutte le genti in lo Castello. Per la qual cosa suspizion non poca entrò ne gli animi di quelli del Friuli, & per quello sinistramente straparlava del ditto Magnifico Signor Messer Francesco: la qual cosa sentendo el ditto Signor, volendo palesemente mostrar quel che non era, el mandò Messer Bartholin de' Ruini da Rezo Dottor di legge per Ambassaore alla Comunità di Udene, a Messer Carlevar dalla Torre Vicedomino del Patriarcha, al Consejo di Sacile, & alle so genti, che era in lo Castello. Habbiando el ditto Messer Bartholin parlà alla ditta Comunità di Udene, & al Vicedomino, fo cognossudo al bon proposito & l'innocenzia del ditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, & abbominando el mal parlar de' cattivi. Et così el ditto Vicedomino accompagnado da gente da pè & da cavallo, insembre col ditto Messer Bartholin Ruino venne a Sacile, dove era le genti di quelli da Venezia, & entrando in lo Castello della ditta Terra Messer Bartholin, consignò el ditto Castello al ditto Vicedomino, recevendo quello per nome di Messer lo Patriarcha, & tratte fuora le genti del ditto Magnifico Signor Messer Francesco, fo mettudo dentro quelle del ditto Vicedomino; & così la sospezion habuda del ditto Magnifico Signor Messer Francesco no solamente da i Furlani, ma da tutte le Comunità, & Signori fo approvada per non vera.

In quel tempo siando fatta la Pase intra la Ghiesa, & Messer Barnabò, siando la ditta Pase quasi ad ogn' omo sospetta, per trattà di comuni Amisi si venne a questo, che mettù zoso i odii, i quali per liggiera cason era stà tra il Marchese Aldrovandin da una parte, e'l Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara dall' altra, fo fatto l'accordo tra el Marchese Nicolò, el qual' havea succedù al Marchese Aldrovandin, e il ditto Magnifico Messer Francesco. Per fermeza della quale si convenne in Montagnana el ditto Marchese Nicolò, e'l Magnifico Signor Messer Francesco con bella compagnia dell' uno & dell'altro; & lì stadi insembre in convivii, & secreti parlari, amicadi poi si partì l'un da l'altro. Et le predítte cose fo del Mese ...

In questo tempo el Magnifico Messer Bernabò havea guerra con la Ghiesa di Roma, & con ogni soa forza intendea alla presa di Bologna, & era fin' a quel tempo tutti altri Signori di Lombardia stà più favorevoli a Messer Bernabò, che alla Ghiesa. Ma considerando mo, che se Bologna venisse in le forze di Messer Bernabò preditto, la possanza di zaschun di quelli descreserave assai, drio molti parlamenti fatti di quà, & di là, alla fin questi Signori, Messer Francesco Tecchio da Carrara, il Signor di Verona, & Nicolò Marchese d'Este si ligò in sembre con Messer lo Legato, & con la Ghiesa di Roma, con questi patti, che di tre millia cavalli, che si dovea fare, la metà della spesa sia della Ghiesa, & l'altra metà sia partì per rata tra j. Colligà, & questo a difendere, & a ricourar' i Castelli occupadi del Terren di Bologna, & i altri Castelli, che è della Ghiesa, & dove che 'l fosse pur bisogno; & procedesse la maor parte de' Colligadi ad inimigar & offender Messer Bernabò, & so seguaci, & adherenti; & durasse la ditta Liga fin' a cinque anni. Ma nanzi che per alguno de' ditti Colligà si procedesse ad algun' atto di guerra di so honor, per Messi di tutti trè Signori far saver al ditto Messer Bernabò, che elli è Colligà con la Ghiesa, no ad offesa del ditto Messer Bernabò, ma a soa difesa, & che elli vuole esser so amisi & fradelli, dove che ello farà liberamente restituir le Forteze occupade per ello in lo Contà di Bologna & di Romagna alla ditta Ghiesa, non tenendo in parole la Ghiesa; nè i ditti Colligà: altramente elli no porrave abbandonar la Ghiesa. I quali Messi fur mandadi a Milan con la ditta ambassada per parte di tutti tre i Colligadi; & fatta a Messer Bernabò saver la soa vegnuda, ello comandò, che dovesse andar a lui nè comportò perzò, che a lui elli fesse la soa ambassada, ma ordinò che elli la esponesse ad un so Nodaro, al qual Nodaro i ditti Ambassaori per la riverenzia de la ambasceria vegnando senza paura, & el ditto Nodaro mostrando, che ello no je cognoscesse; vezudo perchè elli era andadi là, & audite le soe ambassarie, che zascun di elli havea in scriptis, disse che ello je havea audì, & che quello che ello havea audì, ello redirave al so Signore. Et tornadi i ditti Ambassaori alla Hosteria, el fo comandà, che elli no se dovesse partir di là. Le quali cose po per lo ditto Nodaro recittade a Messer Bernabò, incontenente pieno d'ira & come lion andando smaniando per la Camera, & digando pur parole a i danni de i ditti Ambassaori, come si seppe po per i so famii, ello fe' comandar, che i no si dovesse partir della Camera dell' albergo, dove elli era arrivadi, per algun modo. El qual comandamento audido, i ditti Ambassaori non fo poco smarridi, sì considerando el furor di Messer Bernabò, sì eziandio perchè colui, che je andò a far la ditta Ambassada, era accompagnado da molti homini armadi. Stette adonca in Camera tanto i ditti Ambassaori, che 'l fo fatto tre para di vestimenti bianchi, & po appresentade a zaschun una per un. I ditti Ambassaori fo stretti a zurare, che elli no se trarave le ditte vestimenta, fin chè durasse el Terren del ditto Messer Bernabò, & che elli si appresentarave nanzi ai soi Signori con le ditte vestimenta. Po je fo comandà, che elli montasse a cavallo, & vignisse a tuor la risposta di Messer Bernabò, i quali vègnendo in vestimenta bianche, fe' trar tutta la Terra a guardarli, come era ordinado. Et così con le ditte vestimenta stettero nanzi la Corte per spazio quasi di due hore, nanzi che Messer Bernabò uscisse fuora, perchè elli fosse più guardadi; e po alla fine uscido fuora Messer Bernabò, & no ditto alguna parola ai sovraditti Ambassaori, el li menò per tutto Milan, & po i fe chiamar' a tuor la risposta, straparlando molto de' Signori di Ferrara, & di Verona, ma poco del Signor Messer Francesco da Carrara, concludendo, che ello havea troppo moleste le ambassade sovraditte da i so Parenti, ma no così

dal

dal Signor di Pava. Et così tolta licenzia, i ditti Ambassaori per tutto il Terren di Messer Bernabò, i cavalcò vestidi pur di bianco, fin chè elli zonse a casa. Et subito el ditto Messer Bernabò in modo d'una correria fe cavalcar la so gente fin' a Peschiera Terren del distretto Veronese. Della qual cosa smarrido troppo el Signor di Verona, come quello, che no era provisto de le cose, incontenente requirì el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara di gente, el qual subito je mandò gente da pe & da cavallo, quanta ello più possè, no retegnudo alguni nisi per guarda della Terra, confortandolo, che ello no si dubitasse, & che ello no ritraesse la gente, che ello havea a Modena, azò che 'l ditto Messer Bernabò no possesse fornir delle cose necessarie i Luoghi, che ello havea occupà sul Terren di Bologna. La qual cosa non obstando, pur' el ditto Signor di Verona rivocò alguni de' soi. Le quali cose fatte, Messer Bernabò ritrasse la gente soa dal Terren di Verona; & pensando di correr altrove condusse a so soldo Anechin di Mongardo con altri homini d'arme. El qual Anechin in atto di compagnia havea inanzi molto molestado le parti d'Italia, & sì mandò questa gente sul Modanese, dove sel fosse stado le genti debite de' Colligadi, ello no serave vegnudo, dove che ello venne ad afferrar la via del Canale, per lo qual si va da Ferrara a Modena; nè haverave dado alturio a i Castelli, che ello havea preso in Bolognese. Al qual' Anechin leggiermente haverave contrastà le genti, che dovea tener la Liga, che ello non si fosse fatto forte, dove che ello venne; perchè el ditto Anechin si pose in luogo, onde ello no si possea partir senza battaia, alla qual benchè tardi si sforzò po di vegnir la gente de' Colligadi; ma no la vojando el ditto Anechin, niente seguì per la salvadegheza del Bosco. Il nome del Luogo si chiama Solara. La qual cosa veggendo lo esercito della Liga esser procedù per non saver di quelli, che reggea el ditto esercito, dispersi per disperazion, parte andò a Modena, & parte a Bologna: per la qual cosa i nemisi prese più animo. In questo mezo, drio molti di quà & di là, el Magnifico Messer Feltrin da Gonzaga Segnor di Rezo requirido da Messer Bernabò, & da i Colligadi di entrar in Liga, alla fin pur si accostò con i Colligadi.

In questo tempo siando el Patriarca d'Aquileja dettegnudo in Vienna per lo Duse di Osterichо, & con lui Messer Francesco da Savorgnan, & molti altri della Patria, i quali tolto tempo acconzo scampò di prison, & tornadi a Casa referì alla Comunità di Friuli, el ditto Duse di Vienna domandar al ditto Patriarca molte & gran cose, che era di disonore al stado & honor della Patria di Friuli: le ditte Comunitadi have tanto animo, che per forza d'arme elli ricovrò molti Castelli, che era rebellà alla Patria, & constrinse gli habitanti de' ditti luoghi prometterghe quella fe', che elli havea prima dada al ditto Duse. Da pò l'Illustre Re di Hungaria, el qual di puro zelo havea grande affezion al ditto Patriarca preso, scrisse e raccomandollo al ditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara; & si mandò a lui el Cavaliero Egregio Messer Fedrigo di Mattelor, pregandolo che'l mandasse un de' soi con ello a trattar & componer intro i Sudditi della Ghiesa d'Aquileja, & i Sudditi del ditto Duse, e il Conte di Gorizia per cason delle novità, che era tra l'una e l'altra parte. Et così el Magnifico Signor Messer Francesco mandò col ditto Messer Ferigo el Cavaliero Egregio Messer Simon de' Lupi da Parma, i quali Messer Ferigo & Simon cercà & trattà molte cose di quà & di là, alla fin compose in questa forma, che i Servidori della Ghiesa di Aquileja fo contenti di far treuga fin' alla Festa di Santa Maria Vergine del Mese d'Agosto, & in questo mezo far compromesso della discordia, che era tra elli, e'l Duse di Vienna, e'l Conte di Goriza in lo Illustre Re di Hungaria, al qual Messer lo Re, allora fasendo so stanzia ad Isagabria, i ditti della Patria di Friuli mandò so Ambassaori con pieno mandato insembre con Messer Simon Lupo. Et la Contessa di Gorizia per la absenza del Mario, che non era nel paese, absolutamente non consentì alla treuga, ma rispose, che di questo ella scriverave al so Mario, al quale se piaserà la treuga, vada innanzi, & se je no piaserà, per quindesi dì nanzi ella lo farà saver a quelli della Patria di Friuli.

I fatti de la Liga, come io ho scritto di sovra, stava assai in dubbio, & spezialmente perche la gente di Messer Bernabò havea fatto una Bastia in lo Luogo sovradditto chiamà Solaria; & si se murmurava di farne una altra, se a ello no fosse uscida la novella della rebellion delle Valle de' Savii, & di Trompia del distretto di Bressa fatta per alguni Nobili del Paese. I quali Nobili fatta la ditta rebellion scrisse al Signor di Verona, che je secorresse di gente, al qual Signor di Verona, come la fortuna concede, quando la cosa dè haver effetto, allora era sovravegnù, come se ello le havesse propriamente tolto a soldo, mille Barbute della Contrà di Suavia, genti usade alle arme, & che no temea la fadiga. La qual gente el ditto Signor di Verona per difesa de' Luoghi & de' ditti Nobili comandò, che dovesse cavalcar là. Ma come la ditta gente zonse nelle contrade, & siando za concorso ad elli molti de' ditti Nobili, & spezialmente i Guelfi, i Castelli Gavardo, & Pendagolo si ribellò a Messer Bernabò. Le quali cose po che venne alle so orecchie, subito el cavalcò a Bressa, & la gente di Suavia per la soa vignuda, che era allozada appresso a Bressa, si ritrasse in drio per due miglia, & fo questo un dì Sabbato. Po la Domenega partendosi di lì, azò che elli si azonzesse alle genti de' Signori Messer Francesco da Carrara, & di quello dalla Scala, & siando za tra Lova, & Montechiaro, dove che era le genti di Messer Bernabò, fatte avvezude del so vegnir, & habbiando dal ditto Messer Bernabò comandamento di combatter con elli, essa gente di Messer Bernabò siando za smontada dal monte, subito fe' assalto in questi di Suavia, i quali virilmente volti ad elli, subito i pose in sconfitta, in la qual sconfitta fo preso Masetto Rusca Capitanio delle ditte genti con venticinque Contestabili, & con quasi altri cento Nobili homini, & molti & molti ne fo morti.

Po del Mese di Lujo nascè romore tra quelli del Burgo di Rubera, & quelli, che stava dentro della Rocca, del qual luogo era Signore lo Egregio homo Salvadego de' Bojardi, el qual benchè favorezasse la parte di Messer Bernabò, havea in animo di partirsi da lui. Mandò adonca el ditto Messer Salvadego per cason del ditto romore per alturio a Modena non molto lonzi dal ditto Luogo, al qual subito soccorse Messer Nicolò de' Roberti Capitanio delle genti del Marchese d'Este; & così poi adì sedese drio el ditto romore el Castello de Rubera, & la

a Rocca no dè più favore alla gente di Messer Bernabò, el qual luogo era molto acconzo, alla gente del ditto Messer Bernabò a vegnir da Parma per la via dritta in lo Contà di Bologna.

Item in quelli dì la Terra di Ghedi del Distretto di Bressa si dè alle genti de' Magnifici Signori Messer Francesco da Carrara, & quel dalla Scala, che havea cavalcà là. Et l'acqua in tutto fo tolta a Bressa, appresso la qual per due balestrade era a campo la gente della Ghiesa, & de i ditti Signori in lo Luogo di Santo Eustachio, & per caristia di vittuarie fo costretta a mudar campo.

Del mese di Novembre habbudo trattado alcuni de maggiori della Riviera di Bressa con i Signori dalla Scala, i quali havea molti Navilii in lo Lago, zoè cinquanta Ganziere, due Castelli della ditta Riviera ribellò a Messer Bernabò, & desse ai ditti Signori. El Castello pò di Salodio, el qual elli sperava haver per battaja, combattudo con le genti de' ditti Signori, & con quelle del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, alla fin non se possè havere, anzi più che poco drio fo sconfitta la gente de' Signori dalla Scala per tradimento d'alguni Bressani, come fo ditto.

Di quel Mese istesso Innocenzio Papa Sexto per la grande importunità di Messer Bernabò, el qual per so Ambassaori el richiedeva pur di pase, mandò alle parti d'Italia, con consentimento ben de' Colligadi, un Legato, che con certo ordine procedesse in la ditta pase; & si mandò con lo ditto Legato un'altro Homo perito di Legge, chiamado Nicolò di Spinello da Napoli, con piena soa intenzion, che dovesse prima vegnir' alla presenzia de' Colligà, & eziandio parlar con elli, sotto forma che i Ambassaori di Messer Bernabò non si dovesse audir, se nò prima sapuda la intenzion del ditto Messer Bernabò. Ma in questo fo procedudo per altro modo, che Messer Bernabò scrisse a Messer lo Legato requirendolo, che ello scrivesse a tutti i Colligadi, che sovra el proceder della pase, zascun mandasse i so Ambassaori al ditto Messer Bernabò, al qual pervegnudi tutti benchè con Lettere di fida per trattar della ditta pase, di là, & di quà fo scritte molte & molte cose, benchè alle fine i Ambassaori di zascun fo rimandà senza pase. Et ancora era vegnuda a Cesena i Ambassaori del Marchese del Monferrà, & del Duse di Zenoa per ligarse con la Ghiesa, & con i so Colligà: la qual cosa eziandio no havè effetto.

In questo tempo el Comun di Venezia rinovò al Magnifico Signor Messer Francesco una querela altra volta mossa, ma per longheza di tempo adormezada. Zoè un Comandaore di Venezia menada via la mojer di un'altro Veneziano, & pensandose esser venuto al luogo seguro, venne fin' a quel Luogo, che si chiama Santo Illario del Distretto di Pava, & il quale i Pavani tegnia & havea sempre tegnù come di sua Jurisdizion: la qual cosa come fo nota a quelli da Venezia, zoè el Comandaore con la femina esser al ditto Luogo, i mandò a piar per forza. Condannò allora el Podestà di Pava a tajar la Testa a quelli, che havea preso i ditti Comandaore & Femina, come persone, che havea per forza tratti del Pavan Distretto quelli, che ad elli no spettava per algun modo piar in sì fatto Luogo. Ma incontenente da Venezia venne un Messo, el qual protestò di questa sentenzia nanzi al Magnifico Signor Messer

A Francesco da Carrara, nè per quello allora fo fatta altra novità, se nò che zascun difese la sua rason con parole.

In questo tempo, zoè in mille tresento sessanta tre, lo Illustre Piero Re di Cipro con molti altri Navilii de Veneziani accompagnado da molti & molti Cavalieri, & altri Nobili di Cipro, venne a Venezia: la qual cosa po che fo nunciada al Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, el qual per la pestilenzia, che allora era grande a Pava, stava a Bassan Castello del Pavan Distretto, subito mandò a lui per Ambassaori sei suoi Cavalieri accompagnadi da molti altri, i quali el visitasse per parte sua, & si je offerisse lui, & tutte le so cose a so piaser.

B La qual cosa, come mostrò poi la esperienzia, havè effetto, che come el ditto Re si partì da Venezia per vegnir verso Pava, el sovradditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara con bella compagnia i andò incontra fina ad Oriago, & po fo honorado a Pava in Casa propria del ditto Signor, & a so spese, al costume Riale, alguni dì che 'l stette in la ditta Città. Nel so partir po per lo ditto Signore je fo appresentà quattro belli Cavalli, & da lui acompagnà, quanto je fo possibile, verso Vizenza.

Stagando le cose, como è ditto, intro la Ghiesa, & i so Colligadi da una parte, e 'l Signor Messer Bernabò dall' altra, & habbiando el Magnifico Messer Feltrin da Gonzaga Signor

C di Rezzo & Capitanio di tutta la Liga con le sue genti assedià la Bastia di Solara, & tegnendola con tutte le forze della Liga sì stretta, che a quelli dentro no fosse alguna speranza, per disagio di vittoaria di posser tegnir la ditta Bastia; & no siando quello eziandio occulto al Signor Messer Bernabò, el qual considerando quanto la ditta Bastia fasea per lo so Stà, si pose in animo di fornir la ditta Bastia o per forza, o per inganno, delle cose necessarie, & ancora dove fosse pur di bisogno, voler in persona cavalcar fin' alla ditta Bastia, & rimover da quella in tutto l'assedio, o per battaia, o per scampar di quelli, che la assediava. Et habbiando za congregà le so genti in numero

D assai maggiore che quelli, che era all' assedio, el Capitanio della Liga Messer Feltrin da Gonzaga, sentendo queste cose, come homo, che era molto esperto in fatto d'arme, & altramente savio & scaltrido, no credendo, che i nemisi possesse vegnir' alla ditta Bastia per altro passo, che per la via della Mirandola, solamente fasea tegnir mente per quella via. Et perchè el so Campo era cinto di fossa, & di spaldo, forse stava con minor guarda, che no richedea el bisogno, & sì che forse al ditto Capitanio, & alle gente di Colligadi serave sovravegnudo gran sciagura & danno senza la vergogna perpetua, che je serave seguida, se non fosse un

E Cavallaro, che era partido dal campo, & era andado a sovraveder verso Crevalcore Castello del Bolognese, el qual si tegnia per Messer Bernabò, el qual Cavallaro vide partire dal ditto Castello a schiera fatta la gente del ditto Messer Bernabò, che si havea congregada lì, & onde che no pensava Messer Feltrin Capitanio, che elli dovesse vegnire, & si tirava dritto verso il Campo. La qual cosa per lo ditto Cavallaro fatta saver al ditto Messer Feltrino, appena ello fece far trar' i so all' arme, che Messer Barnabò comparse lì con la soa gente, el qual' haverave subito assaltado el Campo, & trovado la gente desarmada, se no fosse che ghe trovò la fossa, el spaldo, di che elli

elli era cinti. Eziandio per quelli della Bastia, che era assedià, fo combatù un passo molto forte, alla guarda del quale era quatordese pedoni; e dove no se credea, che algun dovesse mai passare, per lo qual passo Messer Bernabò con tutta la so gente entrò in la Bastia, & sì confortò i so, & che elli sia homini, & no habbia paura, che così elli porrà haver la sua grazia. Et po uscendo della ditta Bastia, & lassando in lo Campo pian le schiere ordenade delle so genti, che in numero era assai più che la gente de' Collegadi, ello ghe dè ordene, che elli non si dovesse partir di lì, s'el no vegnisse prima i carri carigadi da Crevalcore, che'l mandarave ad esso caregadi di vittoaria, & eziandio finchè i detti Carri no tornasse indrio. Et così el detto Messer Bernabò con poca gente sen venne al detto Castello di Crevalcore, & mandò dentro la Bastia senza algun' impazo carri trenta quattro caregadi di vittoaria, & di ligname, i quali carri ritornando indrio, & desiderando troppo la gente di Messer Bernabò di partirsi di lì, no habbiando paura alguna de' nemisi, i quali elli vedea a occhio esser' armadi, elli si comenzò a volzere. La qual cosa veggendo el Capitanio della Liga Messer Feltrin da Gonzaga, & a chi eziandio toccava el fatto senza far più indusia, confortado prima la sua gente, & fattoghe promessa di paga doppia, chiamado il nome di Dio, con grande animosità assaltò la ditta gente, che elli no fè alguna difesa; & se pur' alguna, fo assai pizola; & così subito i sconfisse, perseguendoli fina la Muzza lungi dal Luogo, dove era il campo tre miglia, e dove da quella parte, che ella intra in lo Canal di Modena Messer Bernabò era disposto di far' una Bastia, azò che'l no possesse esser portade vittuarie al Campo, in la qual sconfitta gl'infrascripti Nobili Italiani fo presi, & appresso po molti Contestabili, & Corporali de' Todeschi, & delle altre più basse persone in numero stragrande con le arme, & con i cavalli, con due bandiere di Messer Bernabò, & col pennon di Messer' Ambruoso so fiolo naturale, el qual lì era sta addobbà dell' ordine di Cavalleria. I Todeschi, come è di so costume, fo lassadi alla fè. Ma gl' Italiani segondo la sorte di quelli, che i prese, fo dadi ai so Signori, intro i quali questi quì sottoscritti fo del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, cioè

Cavalieri.

Giberto da Correzzo,
Andrea de' Pepoli,
Nicolò Palavesin,
Zuanne della Mirandola.

Scudieri.

Luchin da Casal Milanese,
Piero da Correzzo fiolo del sovrascritto Giberto,
Guido Savina da Fojan,
Montello de Lampognana Milanese,
Alessandro da Verona.
Zuane di Sipion.

De i altri presi poi, che venne in sorte della Ghiesa, & degli altri Signori, io ho mettù in nota i Nomi di quelli, che ho trovà descritti.

Cavalieri.

Messer Ambruoso Visconte fiolo natural di Messer Bernabò,
Lodovigo della Rocca,
Giberto de Pii.
Sinibaldo degli Ordelassi,
Guielmo de' Cavalcabò,
Item un' altro chiamado per simil nome.

Scudieri.

Zuanne Ponzon,
Anthoniolo da San Vitale,
Bertrame de' Rossi,
Guielmo degli Aldighieri, &
Antonio da Anghiera.

Veggendo i Collegadi circa i fatti della union, che era assai stretti, & troppo lungi a far per lettere, Messer lo Legato per dar' ordine ad algune cose, statuì, che a Ferrara si dovesse far' un Parlamento, al qual' ello volea esser' in persona, al qual Parlamento ello fè specialmente convocar' el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, & il Signor di Verona, azò che si savesse la sua intenzion, perchè el parea in tutto esser partì dalla Liga. El qual tolta scusa della Moier, che 'l dovea menar, non venne al ditto Parlamento, benchè la scusa non fosse legitima, perchè assai drio el menò la Moier di Puja. Ma in so luogo el mandò un so Consejero Messer Francesco Bivilacqua, el qual no fo introdutto ad alguno de' Parlamenti, in li quali fo provezù di molte utili cose, & fè Messer lo Marchese spese a tutti abondevolmente.

In questo che 'l Parlamento si fasea a Ferrara quelli da Vinezia, i quali per le cose, che 'l Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara havea fatte in so difesa al tempo della vegnuda del Re di Hungaria in Trivisana, sempre lo havea habudo in odio, mandò una lettera al ditto Signor, la quale, tornando lui da Ferrara, ello si trovò à Pava sovra le parole mosse de' confini di Santo Illario, sforzandosi di rimover di possession del ditto luogo el Comun di Pava, el qual per tanto tempo lo havea possedù, che 'l no era memoria, aggravando el fatto, & azonzendo algune querele sovra el fatto de' Confini di Chioza dal so là, domandando la Pase, che in mille tresento quattro fo fatta tra i Comuni di Venezia, & di Pava, con le Comunità di Vicenza, & di Verona, la qual fa menzion delle novità fatte in li Luoghi delle differenzie, che debbia rimoversi per le parti. Sovra le quali cose fatte molte risposte di quà & di là, quelle, che fo fatte per quelli da Venezia, a tutti parse fuor di rason, perchè i recusava di voler star' alla rason, (alla qual sempre si offeriva el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara) anzi domandava pur, che 'l fosse fatto quel, che i volea, vojando soli elli esser Zudesi: la qual cosa el preditto Magnifico Signor Messer Francesco scrisse a Ferrara a Messer lo Legato, & al Marchese, pregandoli, che sovra questo i provedesse di remedio acconzo. Perchè se ello dovesse haver guerra con quelli da Venezia, al ghe serave necessario, che 'l se partisse della difesa della Ghiesa. Messer lo Legato, e 'l Marchese mandò a Venezia una solenne ambassada, della qual turbadi quelli da Venezia, & mostrando poco curar della Ghiesa, pure perzò promettè l'indusie di quindese dì in sovraseder dalle novità, & che in questo mezo elli ritornasse, che 'l ghe serave ben resposto. Nanzi el fin de' quali quindese dì i preditti da Venezia scrisse al Marchese, che turbadi si maravejava molto, perchè notada la sinceritade, la qual per gli tempi passadi era stà tra il Comun di Venezia, & i so Progenitori, in giusto modo i posseva creder, che le parole ditte per lo Cancelliero del Legato, & per lo so Ambassore procedesse di sua coscienzia, cioè che se quelli da Venezia

zia no fesse quello, che domandava el Legato, e 'l Marchese, di rimoversi da voler far novità al Magnifico Signor di Pava, & star' alla determinazion di ciascun bon' homo, che fosse confidente delle parti, (perchè el voler far altramente, era un palese ligarse con lo Heretico Messer Bernabò) elli no porave mancar al preditto Magnifico Signor Messer Francesco, che elli no ghe sovegnisse spiritual & temporalmente. Et che quelli da Venezia havea determinà de volergho più tosto far saver questo, che tasendo nutrigar dentro dal so cuore algun rancore; & che cordialmente el debbia saver, che se quello è processo di sua volontà, elli no sel tenea pizola inzuria, & che de leziero no porà esser cancellà della sua memoria; & che elli hanno poco pensiero di sì fatte menaze. Sovra le quali cose el Marchese scrisse al Signore per soa lettera, come ello dovea respondere a quelli da Venezia. Per lo qual Magnifico Signor fo resposto al ditto Marchese, che a lui pareravе, che ello ghe respondesse reverentemente, no perzò partendosi dalla substanzia di quel che prima era stà ditto. Havea perzò el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, nanzi che per quelli da Venezia fosse scritto al Marchese, scritto lui al Re di Hungaria quello, che per i Veneziani gli era stado innovado, e qual risposta gli parea che 'l dovesse fare; & che sovra questo ello aspettava soa risposta. El qual Messer lo Re, prima che 'l ricevesse le lettere del Magnifico Signore, audida la materia della novità per Zuanne de' Sordi Vescovo di Vacia, el qual vignìa dalla Corte Romana, & arrivado a Pava havea sentido ogni cosa, per lo ditto Re sovra questo fo remandado a Venezia con ambassada assai leziera, & venne sì tosto, che quelli da Venezia el pensò no esser vignudo da Hungaria, ma mandado da altro luogo, perchè dall' una & dall' altra parte el comenzò a trattar d'accordo, persuadendo al ditto Magnifico Signor, che fin' alla Festa prossima di San Michele volesse star così, perchè a quel tempo el Re farave gran cose contra quelli da Venezia. Per la qual ambassaria del Re così subito mandada i animi de' Cittadini, che prima poco non dubitava, si levò in tanto ardir, che elli comenzò a dire, che elli no volea algune cose delle Jurisdizion del Comun di Pava esser dade a quelli da Venezia. El Magnifico Signor Messer Francesco, al qual nessuna cosa era occulta, similmente li confortava; & così significado al Marchese per lo ditto Signor, che Messer lo Re gli havea proferto di dar subsidio a certo tempo, sì el pregò strettamente, che dove el Comun di Venezia gli volesse far guerra, che ello el volesse sovegnir di soccorso. Al qual Signor rispose el ditto Marchese, no posser far quello, che ello gli dimandava, per li patti za longamente fatti tra la Ghiesa, & quelli di Venezia. Domandado eziandio similmente di alturio el Signor dalla Scala, similmente ello si escusò dalla domanda, digando, che ello no possea per la forma de' patti della Pase, che era stà tra quelli da Venezia, & so Pare Messer Mastin dalla Scala. Ma azò che brevemente io concluda, cercado per lo Magnifico Signor Messer Francesco tutti i so amisi, ello no trovò algun, da chi ello havesse fermo alturio, fuora che d'alguni Furlani. La qual cosa consejadamente appensando, el ditto Signor Messer Francesco, ello condiscese a far quel che volse quelli da Venezia. El Papa Urban Quinto, el qual havea grande affezion al ditto Signor, perchè per lui era difesa la Ghiesa, & le altre Terre, che la Ghiesa tegnìa in Italia, sovra questo scrisse due volte a quelli da Venezia, menazandoli, che 'l procederia gravemente contra elli, & che 'l cognoscea ben, che per indiretto elli favorezava el nemigo della Fè Messer Bernabò. Ma questo niente zovò, che 'l Magnifico Signor Messer Francesco zovene fu costretto dar' a quelli da Venezia l'Isola di Santo Illario, sempre per inanzi posseduda per lo Comun di Pava, benchè altra fià ne fosse stà mossa question. Et si ghe la dè con questi patti, che della question de' Confini tra Pava & Chioza fin' a cento anni no fosse fatta alguna menzion; & di questo ne fo tratti publichi Instrumenti.

In questi dì el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara maridò due so Sorore solamente da parte di Pare, ma di Messer Marsilio, Nicolò, & Ubertin Sorore da parte di Pare & di Mare, l'una delle quali zoè Madonna Lieta fo dada a Zuanne fiolo di Luca Savello Principo Roman, homo possente & Duse; l'altra minore, zoè Madonna Zuanna, fo dada ad Ulrigo Todesco Conte di Monteforte. Le quali fatte quì le solennità delle Nozze con balli, zostre, & altre Feste de' Mesi di Mazo & di Zugno per i so Marì fo menà a i so proprj luoghi con bella & honorevole compagnia di Nobili Cittadini Pavani.

Driedo la sconfitta per Messer Feltrin da Gonzaga con le genti de' Colligadi dada alle genti di Messer Bernabò presso la Bastia di Solara, e 'l ditto Messer Feltrin con tanta guarda & solicitudine stette all' assedio della ditta Bastia, che ello tolse ogni speranza a quelli dentro, & così d'alturio, come di Vittoarie. Per la qual cosa el Capitanio costretto pattezò con quelli di fuora, che se fin' a cotanti dì ello no ha soccorso, ello renderà la ditta Bastia. Per la qual cosa Nicolò Marchese di Est, a chi toccava molto el fatto, cavalcò là con una bella compagnia di pedoni & di Cavalieri. El quale, il dì che fo renduta la ditta Bastia, armado fe' l'intrada insembre con Messer Feltrin, & con la gente della Liga. Ma il Signor Messer Bernabò, puo che 'l vede no posser soccorrer alla ditta Bastia, mostrando pur di attender' a quello, si trasse in un luogo appresso Modena, che si chiama Cesa; & in quel che 'l Marchese, & Messer Feltrin instava a fornir delle cose necessarie la Bastia di Solara, ello prese per forza la Bastia di Cesa, & quella riparò di fossa & di spaldo, che no era men nosevole a Modena, che la Bastia di Solara: per la qual cosa la gente della Liga si trasse in Bolognese intendendo solamente a l'assedio di Crevalcore.

Appena era passada la Festa delle Noze, che io ho scritto di sovra, delle Sorelle del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, che 'l Magnifico Messer Karlo Ubertin so Fradello da parte di Pare, & di Messer Marsilio, & Nicolò da parte di Mare, & di Pare, si ammalò, al qual benchè fosse reparà con ogni medesina & studio, pur vinto dalla malatia passò di questa vita. Et fo el ditto zovene sì costumado, sì provetto in scienzia, & era sì grande la fama della so vertù, che Urban Quinto Summo Pontifice se lo havea adottado in fiolo. Della morte del qual no solamente i parenti, ma tutta la Città quasi come di comun fiolo ne fe' grandissimo pianto.

In quel che la gente del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, & de i altri Colligà,

ligà, si era tratti in Bolognese, tanta fo la sollicitudine del Capitanio Messer Feltrin, che alguni Castelli del Bolognese in Montagna, che se havea dà a Messer Bernabò, ritornò alla Signoria de i ditti Bolognesi.

In questo tempo la Città di Ascoli per crudeltà del so Rettor, che era Spagnolo, rebellò alla Ghiesa: della qual cosa dubitando molto el Legato, credendo, che questo fosse proceeù per ovra di Messer Bernabò, subito el requirì alturio della gente del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, & de i altri Colligà, & con le altre so genti i fe' cavalcar là. Quelli d'Ascoli sentido, che la gente de' Colligadi i vegnìa adosso, subito abbandonà la Città, & la roba, scampò alle Montagne, sì che ad intrar dentro da Ascoli non fo algun contrario alla gente de' Colligati. El Legato, sapudo ben la verità della cosa, tolse via di lì quel Rettore, & i Asculani fe' tornar a casa senza alcuna pena.

Di questo anno istesso del Mese di Settembre siando la morìa in Pava, el Magnifico Messer Francesco da Carrara con tutta la soa Fameja andò al bel Castello di Bovolenta, che ello havea fatto; dove stagando per fatti della Liga venne a lui fina al ditto luogo Nicolò, & Ugo Marchesi di Est, & po di brigada con lui se ne venne a Pava, dove solamente disnadi & stadi in consejo, si tornò a Ferrara. In questo mezo che 'l Magnifico Signor Messer Francisco stava a Buvolenta, el Canceliero del Re di Cipro, & un Fra Piero dell' Ordine de' Carmini, & po Vescovo di Crede di Corte di Roma venne al Legato per trattar di Pase, la qual per un so Procuradore per intuito del Re di Franza, & per soa intercession Messer Bernabò mostrava di volere; & così sovra la ditta Pase i comenzò a trattar con Messer lo Legato, & ello con i so Collegadi quelle cose, che ghe parea bisognar al fatto. Et pur alla fine stagando a Cesena appresso el Legato i Ambassaori de' Signori Messer Francesco da Carrara, & del Marchese, consentendo i ditti Ambassaori, & eziandio i Ambassaori, e il Procurador di Messer Bernabò, dall'una & l'altra parte fo fatta tregua, nel qual tempo in quel mezo si dovesse trattar di Pase in la Corte di Roma. Alla qual Corte adì otto di Novembre tutte le parti dovesse haver mandà i so Messi. Per la qual cosa tutti i Colligadi rivocò le so genti, & subito Messer Bernabò fornì le so Città, Castelli, & Bastie, le quali ello no havea posù fornire di tutte le cose necessarie; & alle genti, che ello havea in campo, azonse altre genti, per modo che Modena convenne esser fornida per forza d'arme, la qual per disagio di vittoaria stava a gran perigolo. Et per questo sentendosi esser' ingannadi i Magnifici Signori Messer Francesco da Carrara, & Nicolò Marchese di Est, per Messer lo Legato, & so proprii Ambassaori di questo ne fe far querela nanzi a Messer Bernabò, & niente zovò. Per la qual cosa i preditti Magnifici Signori no curò per allora mandar' i so Ambassaori alla Corte Romana, dove che za Messer lo Legato, e'l Signor Messer Bernabò, e'l Signor dalla Scala havea mandadi i soi per cercamento della Pase, che ello havea zà. Ma pur' alla fine veggendo i ditti Magnifici Signori Messer Francesco da Carrara, & Nicolò Marchese di Est, questo posserghe più tornar' a danno, che a utile, mandò i ditti so Messi a Corte aspettadi per lo Papa, come ghe era sta scritto. Et così in Corte di quà & di là agità molte cose, alla fin fo concluso, che per lo Cardinal di Cologni, el qual dovea vegnir Legato con pieno mandato in le parti di Romagna, di Bologna, di Lombardia, di Istria, & di Friuli, fosse concluso in la Pase con consentimento de' Colligadi; ma che prima consignada certa quantità di pecunia al Signor Messer Bernabò, i Castelli occupadi, & le Bastie fatte fosse consignade al Messo di Messer lo Legato.

Nanzi a queste novelle Rodulfo Duse di Osterico sotto simulado colore, ch'ello vegnisse a vedere so Cusina gravida, come si disea; la qual'era sta Mojer di Maizardo Marchese di Brandemburgo, venne con molta gente per occupar el Contà di Tirole, & la Città di Trento, a i quali Contado & Cittade sovra era la ditta so Cusina. Al qual Luogo po ch'el fo azonto, ello usò tanta astuzia, & seppe sì dolcemente portarsi con i Baroni della ditta so Cusina, che signorezava, che ello la prese, & have a so posta el Castello del Tirol con tutte le so forteze, & fe', che tutti i Abitatori i zurò fedeltà. Po cavalcò a Trento, & con promesse di darghe Vescovo de la Casa di Ottemborgo, & con molte altre so promesse ello soggiogò la Città di Trento presso alle altre. Et allora po comenzò a straparlar contra el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, digando, che ello occupava Feltre, e Cividale Luoghi di so rason. Per la qual cason el ditto Magnifico Signor ghe mandò so Ambassaori per humiliar l'animo so; nè per questo el stasea di straparlar contra el ditto Signor Messer Francesco, azonzendo menaze alle parole, & sforzandosi a tutta so possa, che i Signori di Valle Sugana i zurasse fedeltà, i quali la havea prima zurada al ditto Signore. Et sì havea eziandio mandà nanzi gente in Friuli a i danni del Patriarca, & de i altri Furlani, digando, che elli no ghe havea servà le promesse; & così lì el fo' molti danni di Robarie, & d'Animali con l'alturio di alguni Castellani, che se ghe havea accostà. Et ancora Messer Tolberto da Prata german Cusin del Signor Messer Francesco, & el qual el ditto Signor havea allevà dalla cuna, & fatto possente, & tenù nella Patria, si accostò al ditto Duse, benchè allora per fatto di Donne el fosse un poco in indignazion col ditto Magnifico Signor, sappiando perzò, che ella fasea contra la Ghiesa di Aquileja, a chi ello era astretto per sagramento, & ancora sappiando, che 'l ditto Duse no era amigo del sovraditto Signor Messer Francesco. Nè ghe valse le preghiere del Pare a volerlo rimover da questo, anzi più, che ello licenziò i pedoni, che 'l ditto Magnifico Signor havea tanto tempo tegnudi in so subsidio, senza far dizò notizia alguna al ditto Signore. Della qual cosa el ditto Magnifico Signor fo perzò assai contento, azò che el no se possesse dir, che lui, che havea sempre difesa la Ghiesa d'Aquileja, mo la dannezasse con la so gente. Ancora pensò algune cose disoneste el ditto Messer Tolberto contra la Città di Cividal, che tegnia el Magnifico Signore, & sì andò là per trarla delle mani del ditto Magnifico Signore. Era in la ditta Terra per Potestà el Cavalier Egregio Messer Girardo de' Nigri, Socero del ditto Messer Tolberto, dove andado, & sapudo per lo ditto Signor Messer Francesco da Carrara, come ello cercava di darla al Duse di Osterico, per lo ditto so Socero preso di comandamento al ditto Magnifico Signor, fo mandado a Pa-

Pava, & da Pava po mandado in prison a Castelbaldo.

In questo tempo si andò la Pestilenzia a Pisa sì grande, che nè di dentro nè di fuora nissun si tegnìa seguro. I Fiorentini, come i disea, non si habbiando smentegà le inzurie, che elli havea ricevù da i ditti Pisani, assoldada da ogni parte gente, assaltò el Terren de i ditti Pisani; & prima brusà & mettù a preda tutto el ditto Terren, elli pose campo alla Terra. Alle preghiere de' quali el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara mandò per so Capitanio el Cavaliero Egregio Messer Bonifacio Lupo, benchè domandado da loro, con bella compagnia di gente, nanzi al quale era stà Capitanio de i ditti Fiorentini el Cavaliero Egregio Messer Piero dal Farveto homo d'assai nel fatto delle arme, el qual' oltra i altri danni fe' molte vergogne a' Pisani. Prima nanzi le Porte fe' correr' al Pallio, fe' scolpir moneda, & altre più cose. Ma pur la fortuna no sa star ferma, che poco drio la Pestilenzia assaltò i Fiorentini dentro & di fuora con tanta forza, che elli no savea, che si fare. La qual cosa veggendo i Pisani, elli tolse a so soldo la Compagna de gl' Inghilegi, & con elli el Conte Lando, el qual' allora era con Messer Galeazzo; & con queste brigade corse tutto el Terren Fiorentin; poi pose campo intorno la Terra. Et per simile nanzi le porte di Fiorenza fe' correr' al Pallio, fe' batter moneda, & molti de' soi ornò di Ordine di Cavalleria, & appresso i tegnìa sì stretti, che nissun' osava uscir della Città. Per la qual cosa costretti i Fiorentini mandò so Ambassaori al Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, per consejo del quale elli condusse genti dalle parti di Alemagna. El ditto Magnifico Messer Francesco je fe' sigurtà di Fiorini cento millia.

Durando ancora la Guerra tra i Fiorentini, & Pisani, come è ditto di sovra, i Fiorentini con la gente, che elli havea condutto d'Alemagna a vendetta de' danni ricevudi cavalcò sul Terren Pisan, & pose Campo in lo Borgo di Castene lungi miara sei da Pisa, & ogni cosa su quel Terren pose a fuogo & a fiamma; alle quali genti vojando i Pisani contrariar, brevemente furono sconfitti. Costretti adunque i Pisani domanda la Pase, la quale i Fiorentini je niegà. Ma non possendo i Pisani altro far, si ridusse al subsidio de' Visconti. La qual cosa sentendo el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, el qual trattava i fatti de' Fiorentini come i so proprii, subito pensò di proveder' a questo, & fe' saver a quelli da Fiorenza questo fatto, che fu cagion che la Pase tra i Fiorentini & Pisani seguisse. Et così per trattà dell' Arcivescovo di Ravenna, del General de' Fra Minori, & de i Ambassaori de' Genoesi fu conchiusa con certi patti la ditta Pase. La qual se non fosse seguida, i Fiorentini haverave habudo in Toscana di mali visini. Prestò eziandio el ditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara a i ditti Fiorentini in le so necessità in quella Guerra miara molte di Fiorini.

Drio la morte di Messer Ugolin de Gonzaga, el qual prima havea menà i Colligà per parole, & pur si era accostà a Messer Bernabò, benche 'l mostrasse di non favoregiar' alguna delle parti, i Fradelli del ditto Messer Ugolin, zoè Lodovigo, & Francesco, algun tempo stette in pendente, se elli si dovea unir con i Colligadi, o con Messer Bernabò, benchè più volte i fosse pregadi per li Magnifici Signori Francesco da Carrara, & Nicolò Marchese d'Est so parenti, di unirsi con la Liga preditta. Ma pur alla fin sentendo i Colligadi preditti esser convegnù tra i ditti Messer Bernabò, e il Signor di Verona, che in caso che el ditto Signor di Verona si volesse ritrar di dar subsidio ai Colligadi, & che la Pase seguisse, la qual si trattava tra i ditti Colligadi, & Messer Bernabò, lui si offeriva di dar' ovra, che 'l ditto Signor di Verona haverave la Signoria di Mantoa; perchè seguendo la Pase, el non serave fatta alguna menzion de' Signori di Mantoa, come di non Colligadi; & per questo i Colligadi no je porìa dar soccorso. Et questo per quelli Magnifici Signori Messer Francesco da Carrara, & Nicolò di Est fatto sentio ai ditti Signori di Mantoa, subito elli si pose in animo di volersi ligar con i Colligadi; & così secretamente fatti i so trattadi in Ferrara, alla fin con certi patti & condizion elli si ligò con i Colligadi.

In questo tempo per lo sovraditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara in la Contrada dal Santo in le Case, che era stade di alguni Pellizari, fo fatto un Collegio, in lo quale stava Scolari dodese, che studiava in Legge; & fo el ditto Collegio abondevolmente dotado delle possessioni proprie del ditto Magnifico Messer Francesco da Carrara.

Intendendo, como è scritto, Messer Bernabò alla Pase, la qual' je era più necessaria, che utile, sì per le solicitudini habude per la Ghiesa, & per i Colligadi, in perseguir la Guerra, sì eziandio per i Signori di Mantoa, che era ligadi con i Colligadi: di che Messer Bernabò molto si dubitava del so stado. Et fiando mandado per la Ghiesa, & per i Colligadi, & eziandio per Messer Bernabò so Ambassaori al Papa sovra el trattà della Pase, dove drio molte & varie finzion per parte del ditto Messer Bernabò con instanza grandissima di alguni Cardinali, che favorezava el sovraditto Messer Bernabò, fu habudo trattà di Pase in Lombardia, la qual perzò si dovesse concluder con consentimento de' Colligadi, & con questa condizion, che nanzi che si vegnisse al trattà della Pase, che Messer Bernabò fesse deposito de' Castelli, & de' Luoghi, che ello tegnìa occupadi, in le mani del Cardinal di Cologni, di chi el mostrava di fidarsi. Et così Androin Cardinal di Cologni andò a Milan, & lì assolvè Messer Bernabò dalla condannason della Eresia, zurando el ditto Messer Bernabò la libertà della Ghiesa. Et dopo questo venne a Ferrara el ditto Cardinal con ordine di tuor le forteze occupade per lo sovraditto Messer Bernabò, & lì con lui fu a parlamento el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, i Signori di Mantoa, & Messer Feltrin da Gonzaga, & lì non fu perzò ditto alguna cosa della Pase. Ma po sì a Bologna (ricevudi prima in deposito i Luoghi, & Castelli occupadi per Messer Bernabò) per Messer lo Cardinal con i Colligadi fu comenzado el trattado della Pase, el qual durò un Mese. Ma pò a dì trè di Marzo per industria & solicitudine del Cardinal Legato la Pase da ogni parte fo pronunciada, fatto prima compromesso in lo ditto Cardinal per tutte le parti, perchè per i Signori di Milan, & dalla Scala vegnìa opponù, che i Signori di Mantoa non si dovea includer per Colligà in la Pase, i quali Signori di Mantoa fatto el compromesso subito i furono inclusi, benchè per i Ambassaori de i ditti Signori di Milan & Verona fu fatti molti pretesti, i quali in tutto & ogni cosa fo d'ac-

d'accordo. Et in questo si può veder, quanta fe servasse el Signor di Verona alla Ghiesa, & a i so Colligadi. Anzi fazando scusa, che per la Pestilenzia ello non havea possudo attender quello, che ello havea promesso alla Ghiesa, & ai Colligadi, s'accordò con l'inimigo, vojando que mostrar, ch' ello non lo havesse fatto. Po drio la declarazion de i Capituli Messer lo Legato pronunciò la Pase, mettuda la pena di dusento millia Fiorini a chi contrafesse; & così fo scritto. La qual Pase fu con honor de' Colligadi, & vergogna di Messer Bernabò, perchè nanzi, che 'l fosse assoluto della condannason della Eresia, ello zurò la libertà della Ghiesa, & rinunciò alla rason della Vicarìa di Bologna, sel ghe pretendea alguna cosa.

El Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, el qual' havea a mente le inzurie riceevude dal Duse di Ostorico per la donason, che l'Imperador gli havea fatta delle Terre Feltre, & Cividal, & che'l ditto Duse straparlava di lui, eziandio non si habbiando smentegà di quelli da Spilimbergo, i quali i era tegnudi in una gran quantità di moneda, la qual quantità più volte domandada, elli havea ricusà di pagare, & sì si havea ligà col ditto Duse di Ostorico contra la Ghiesa di Aquileja, della qual' elli era Feudatarii. I quali eziandio da Spilimbergo al tempo, come è scritto, che quelli da Venezia menazava di far guerra al ditto Signor Messer Francesco, si havea offerti a i ditti Veneziani contra el ditto Signor: fiando solicità dal Patriarca, el qual benchè fosse in tregua col ditto Duse, pur' havea gran paura di lui, inclinò l'animo so a far' union col ditto Patriarca contra el ditto Duse, in caso che 'l discendesse in Italia per volerlo inimigar. Et così mandadi sei de' Consejeri del ditto Patriarca, i quali dal parlamento general della Patria di Friuli havea potestà a questo, el ditto Signor Messer Francesco da Carrara si ligò col ditto Patriarca fin' a anni tre contra i Dusi di Osterico, & i soi aderenti, no vojando i ditti Dusi in algun modo per visini. Della qual Liga appena gl' instrumenti, che era stà fatti, era ben secchi, che i Furlani, i quali era inanimadi contra quelli da Spilimbergo, perchè per la soa possanza elli trattava, che'l Duse vegnisse in Friuli, azò che ello suvertisse quella Patria, & eziandio per vedere, se'l ditto Duse vegnisse in Italia, che ello no havesse ricetto in la Patria: per zò elli desirava molto la ruina di ditti da Spilimbergo. Alla qual vegendo el Patriarca esser luogo, perchè fuora da San Daniele Castel infino a Spilimbergo si fasea una Festa, a la qual suole concorrer tutti quelli da Spilimbergo, ordinò a i so homini di piar chi andasse, o si trovasse alla ditta Festa, & che poi con ogni forza elli corresse alla Terra, la qual' elli dovesse piar, se elli possesse. Ma alla ditta Festa non andò quel dì quella moltitudine, che era usada. O che elli savesse di questo ordine, o fosse come si volesse pure, in quelli, che ghe venne, fu fatto assalto, & furono molti presi: & così fu comenzada la guerra a quelli da Spilimbergo. La qual cosa dispiasè molto al Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, perchè in questo fatto no fu procedù segondo l'ordine, che era dà. Havea el ditto Signor Messer Francesco di questa union scritto al Illustre Re di Hongaria, se ella gli piasea, o no; & inanzi la risposta del ditto Re no si dovea proceder ad alguna novità. Ma pò che la cosa era pur' andada tanto inanzi, & instagando el Patriarca, che 'l ditto Signor je desse subsidio, el ditto Signor spettando la risposta del Re, in questo mezo el Signor Messer Francesco mandò Ducati mille al ditto Patriarca, con i quali ello tolse gente da Cavallo pur' a so nome. Ma alla fin scaldandosi più le cose, al Magnifico Signor Messer Francesco convenne mandar gente al ditto Patriarca, delle quali genti fu Capitanio el Cavaliero egregio Messer Manuo Donato; & con queste genti i Furlani pose campo ad Umsbergo Castello di quelli da Spilimbergo, el qual Castello con mangani & altre cose bisognose elli combattè tanto, che quelli, che 'l guardava, el convenne rendere; el qual subito fu gettado in ruina. Nanzi alla perdita del qual Castello Bertoldo uno de' Signori da Spilimbergo, el qual' era dentro, poche notti nanzi fuzando per luoghi aspri venne al Castel di Cuchagna, & di lì si partì, & andò a domandar alturio al Duse. Fatto questo, tutta la gente di quelli da Spilimbergo venne presso al Castel di Zuchola, el qual' era assediado, el qual Castello era in monte poco lungi, & sovra Cividale, & da i Cittadini di quella Terra molto odiado; & lì stette tanto, che 'l Capitanio del Luogo, no ghe fiando dado el subsidio al termene assignado, come ello aspettava, diè el ditto Castello al Patriarca, & ai Furlani. El qual Castello, instando molto quelli di Cividal, subito fu brusado. In quello che queste cose si fasea, Bertoldo, el qual'era andà al Duse a domandar subsidio, con Cavalli ottocento zonze a Goriza per entrar con la ditta gente dentro da Spilimbergo: la qual cosa sì per fama, sì per Messi fiando vegnuda a notizia della gente della Union, subito i cavalcò al passo tra Strasoldo, & Valvason, per esser' alle mani con le ditte genti, perchè verisimilmente elli no dovea per altra via entrar dentro da Spilimbergo. Ma altramente succedè, che Bertoldo da Spilimbergo con le genti del Duse, azòche ello schivasse la gente della sovraditta union, per Monti, & Luoghi silvestri venne al piano, per via che nissun si pensava, presso a Spilimbergo miara otto senza battaja; & così serave in lo ditto Luogo di Spilimbergo entradi, se 'l fumo no le havesse accusado di algune Case, che elli brusò per far segno ai compagni, i quali i seguia. Al qual Luogo subito corse la gente della union, & lì in piana terra fatte le schiere da una parte & dall'altra, la gente del Duse due volte fu cacciate di schiera, & pur rifatti, al fin fu sconfitti, sì virilmente si portò la gente della union, & fu presi lì cento della gente del ditto Duse, & altrettanti morti, in li quali fu venti Nobili, & fu preso Cavalli dusento con valise & some. Fu allora Capitanio della gente del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara Messer Berthuzo da Monte Melon Cavaliero in arme egregio, perchè el ditto Signor havea rivocà Messer Manno Donato.

In questo tempo el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara partì tutti i beni patrimoniali in tre parti con so fradelli Messer Marsilio, & Nicolò, de' quali beni i ditti Messer Marsilio, & Nicolò have le due parti, & la Casa grande da Santa Lucia, con molte altre case contigue tornida di ogni Massaria, con due parti delle frue dell'anno presente. La qual Casa elli andò ad abitar con la Magnifica Donna Madonna Costanza da Polenta sua Madre in la Festa del Nadale. Et si ghe fu mandà per lo sovraditto Magnifico Signor Messer Francesco

co da Carrara lire ventiquattro mila per bene entrada & governo di Casa.

El ditto Magnifico Signor Messer Francesco habbiando sempre in animo el crescimento della Città di Pava, azochè ella fosse ornada del fiore di tutte le Scienze, con grande instanza ottenne da Papa Urban Quinto la grazia della Scienza Theologica; & che lo Abbà di San Stefano da Carrara, vacando in Pava la Sede Episcopale, possesse dottorare in le altre Scienze.

Crescendo di dì in dì la guerra intro el Duse di Osterico, & i Signori Messer Francesco da Carrara, e 'l Patriarca d'Aquileja, alla Comunità di Venezia parse trattar di Pase, e si mandò al ditto Magnifico Signore una solenne ambassada, & più benigna di nissuna, che elli je havesse mai prima mandada, anzi fu dubbio, se elli havea fatto questo per zelo, o per metterlo in odio all' inclito Re di Hungaria, se ello havesse componù con loro di Pase, el qual' havea tutta la soa speranza in lo ditto Re. Fu per lo ditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara saviamente risposto alla ditta ambassada, non si posser compromettere lui in altra persona, che in lo inclito Re di Hungaria arbitro eletto di concordia delle parti. Ma o che si elegesse altro arbitro, o possessessi eleggere veramente, la Comunità di Venezia seria preponua a tutti i altri homini & Signori.

Instagando quelli da Venezia con sue ambassarie, eziandio appresso el Patriarca al trattà di Pase tra lui, e 'l sovraditto Duse di Osterico, Bertoldo di Spilimbergo, del qual' havemo di sovra fatto menzion, instava appresso el ditto Duse, ricordandose el danno, che ello havea ricevudo, & cupido molto alla vendetta, che 'l ditto Duse je mandasse genti, le quali con quelle poche, che i era rimase in la sconfittà, che havea ricevù da Messer Bertuzo da Monte Melon, intendesse a i danni della Patria di Friuli. Ma in questo la Divina grazia, el fatto della qual per rispetto della Ghiesa d'Aquileja si trattava, meravejosamente favorezò alla gente de' Colligà, che vojando partirsi da Laibaco ottanta homini notabili del Duse di Osterico per vegnir' in la Patria di Friuli, & habbiando zà la gente della union sentida del vegnir di costoro, azochè elli no possesse passar senza battaja, la ditta gente si partì in due parti, zoè el Capitanio del Magnifico Signor Messer Francesco verso Spilimbergo, & la gente di Friuli cavalcò verso San Daniele, onde i pensava dover cavalcar' i nimisi, & li presso el Luogo di San Pellegrin non lonzi da San Daniele si scoverse le ditte genti, & subito fu alle mani, & fu tra elli la battaja sì fiera, che benchè la gente del Duse fosse più in numero, & mettudi due fiade in rotta, ancora si ridusse insieme; ma pur' alla fin no possando contra la gente dalla union, fu posti in rotta, de' quali venti fu presi, homini notabili, nè de' vivi ne scampò se non sette.

Ancora no era finida la tregua, la qual' era tra quelli del Tirole, & quelli di Val Sugana Sudditi del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, che Messer Bernabò a petizion del Duse di Osterico, el qual signorezava el ditto Tirole, je mandò tresento pedoni, i quali per quelli, che rezeva lì, non furono dipoi ricevudi, digando che elli no havea mandato a quello. Ma no molto drio elli so po ricevudi. Per la qual cosa el Magnifico Signor Messer Francesco, azochè i so Sudditi no fosse dannezadi, subito mandò gente in Val Sugana, benchè per trattà di Messer Ferigo di Mathlor Soldà del ditto Magnifico Signor, el qual fu mandà lì con le genti del ditto Signor, la ditta treuga da una parte & dall' altra fu fermada fin' alla meza Quaresema, che dovea vegnire.

Siando la fortuna contraria, come è scritto a quelli da Spilimbergo, & non habbiando speranza in li remedii del Duse di Osterico, el Castel di Truso antiga possession di Casa sua, el sito del quale era molto acconzo a quelli di Spilimbergo, & alla gente de' Colligadi el contrario, per trattà di quelli, che lo habitava, del mese di Avrile venne alle mani del Patriarca, el qual subito el dè in feudo ad un' altro, azocchè ogni speranza i fosse tolta di posserlo più rihavere. Po el dì seguente Gerardo da Rubiera Capitanio del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara con le genti del ditto Signor, & con quelle di Friuli entrò in la gran Villa di Cordenon eziandio fatta forte, usada di abondar molto di vittuarie, benchè allora vacua per paura de' Colligadi; & sì vinse el Castel, che era lì; po si brusò la ditta Villa, robando ogni cosa, che elli trovò, & brusando fina alle porte di Porcenon Castel proprio del ditto Duse di Osterico.

Rodolfo Duse di Osterico, no cognoscendo el senno degl' Italiani, del quale, & di scienza i passa tutti quelli del Mondo, con grande istanza per soa ambassaria pregò l'inclito Re di Hungaria, che volesse mandar uno de' suoi al Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, & al Patriarca d'Aquileja, che trattasse di tregua tra i ditti Signori, e 'l Duse preditto, che durasse fin' alla Festa di San Martin. Alla domanda del qual vojando satisfar Messer lo Re, mandò el Conte Zuanne da Vegla so parente a i ditti Signori, & questo fu de Marzo, el qual trattasse di tregua tra le parti, la qual tregua domandava el Duse, solamente azochè ello possesse soccorrer' a i Luoghi, i quali lui & quelli di sua parte tegnìa in la Patria di Friuli, i quali Luoghi era per vegnir subito in le forze dei Colligà, se no si provedea di vittuarie. Ma el so pensiero ingannò più lui, che i Colligà, che 'l venne il Conte Zuanne, & fu prima al Patriarca, al qual' esposta la soa ambassada, per lo ditto Patriarca gli fu risposto, lui no posser sovra questo far cosa alguna senza conscienza del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, con lo qual' ello era unido. La simile risposta have el ditto Conte dal Signor Messer Francesco; ma che ello tornasse da Messer lo Patriarca, che ello ghe mandarave eziandio so Messi informadi di soa intenzion, & che per quelli je serave allora risposto, che fosse da far per utile di questo fatto, benchè 'l ditto Signor Messer Francesco, e 'l Patriarca se havea disposti di commun' accordo, che la tregua no havesse effetto; & questo volea, sì notada l'astuzia del Duse Rodolfo, sì la mala condizion dei so Luoghi in Friuli, i quali tutti era vacui di vittuarie, & de le altre cose necessarie. Ma il Conte Zuanne partido dal Magnifico Signor Messer Francesco andò a Venezia per veder quella Terra, digando che 'l tornerave poi al Patriarca a tuorre risposta. In questo mezo che questo si fa, i Castelli di Cossan, & di Zopola della Signoria del ditto Duse si diè al Patriarca, perchè Girardo da Rubiera Capitanio delle genti del Signor Messer Francesco da Carrara cavalcò a i ditti Luoghi con le genti del ditto Signor, & del Patriarca, promet-

mettendo di volerli combatter, i quali non spettada alguna battaja, spontanamente si rendè; & così el ditto Conte Zuanne si partì senza tregua, la qual se vegnuda fosse ad effetto, promettea el ditto Conte, che durando la ditta tregua, l'inclito Re di Hungaria vegnarave a Zagabria, al qual luogo mandadi i Messi del Duse, & quelli de i Colligadi, ello componerave di Pase.

El termine della tregua, la qual' era tra quelli del Tirol Sudditi del Duse di Ostorico, & quelli di Valle Sugana sudditi del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, el qual finia a meza Quaresima, di comun voler delle parti, fu prolongado fin' a dì quindese drio la Pentecoste, el qual dì so el primo di Zugno, & da quel dì poi fin' a quindese di Agosto con le prime condizion, in lo qual tempo, zoè del mese di Avrile fu union tra el Patriarca d'Aquileja, e il Conte di Goriza Mainardo, fu fermà contra el Duse Rodolfo di Ostorico.

Rodolfo Duse di Ostorico impaziente delle inzurie, che ello havea ricevude in le parti di Friuli sovra el combatter de i soi, & de i so Castelli, & questo più a suggestion di altrui, che di soa volontà, non veggendo per la union fatta intra el Patriarca d'Aquileja, & el Conte di Gorizia, onde ello possesse haver via in le parti di Friuli, se non per lo Terren del ditto Conte di Gorizia, si pensò di passar' in forma di Scudiero per ditto Terren del Tirol, & andar' a Verona, & po da Verona andar' a Milan. Et così vegnendo a piedi per le Montagne, & Luoghi Silvestri, accompagnado solamente da cinque compagni, venne in Tirol, & ivi s'infermò del corpo, & di piè, che'l convenne giacer lì molti zorni, che ello non si possè partire. Ma pur'alla fin solicitando el so andare Messer Bernabò, & Can Signore, nemisi del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, come parse per ovra, men che mezo sano, venne a Trento; & lì Blasio da Grigno fiolo in quà in drio di Antonio da Castelnovo, per amezamento di alguni comenzò el trattà della ribellion, la qual per la tregua, che era allora, ello no fu ardido di discovrir, per di fesa del qual Blasio el Magnifico Signor Messer Francesco havea preso la guerra con Messer Xicho vecchio, & non solamente el lo difese, ma ello azonze alla soa Signoria Tasin Luogo acconcio a pascoli di animali, el qual Luogo prima tegnìa el ditto Messer Xicho vecchio; & fu questo al tempo, che l'inclito Re de Hungaria venne sul Trivisan; per interposizion del quale Messer lo Re, el sovraditto Signor Messer Francesco diede al Marchese di Brandemburgo con certi patti i Luoghi, che ello tegnìa sul Terren di Trento. Da Trento poi andò el ditto Duse Rodolfo a Verona, dove el'o fu ricevudo con grande honore; & da Verona poi andò a Milano, & lì eziandio fu recevudo con grandi apparecchiamenti, con lo qual Messer Bernabò, l'animo del qual & ogni so pensiero vegghiava sempre più ai danni del ditto Magnifico Signor Messer Franccesco, ello si ligò a doverlo inimigar ad ogni soa requisizion. Ma el Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, accorzendosi el ditto Duse Rodolfo di dì in dì più cercar contra lui così appresso el Signor da la Scala, come appresso Messer Bernabò, per so Messo volse tentar' el Signor preditto da la Scala, el qual ello savea ben favorezar el ditto Duse, cioè che'l ghe piasesse di voler dar passo alle so genti di posser' andar a Trento per lo so Terren, & che eziandio ello el volesse subvenir di gente, & appresso vedar' i so passi al ditto Duse, se ello vegnisse ai so danni; & questo scrisse el ditto Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, pendendo el trattà di prolongar la tregua tra quelli del Tirol Sudditi del ditto Duse, & quelli di Valle Sugana Sudditi del ditto Magnifico Signor, azò che ello possesse satisfar' alle preghiere del inclito Re di Hungaria, el qual per lo Egregio Cavaliero Messer Ferigo da Mathlor lo havea confortà, e'l confortava alla prolongazion della ditta tregua. Can Signore non possendo covrir' el concetto del so animo, rispose al Messo del ditto Signor Messer Francesco in questa forma, no possersi serrar' i so passi a tanto Principe, come è il Duse Rodolfo, che ello no vada e vegna per so piaser, perchè di costume di Casa soa no era mai stà fatto cotal cosa, nè per le novità, che ello aspetta, possergli dar sussidio pur d'una bandiera, & ancora no ghe serave honesto dar' ad algun sussidio algun contra el ditto Duse, el qual'andando in Lombardia passò per Verona, & per Verona dee ripatriare.

Ma stando la cosa così, & habbiandosi speranza della tregua, che si dovesse prolongar, come si sperava, i Trattadori del Duse Rodolfo, sotto speranza di prolongazion della ditta tregua, menò per lunga i Messi del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara in fin' alla notte del dì, che passò la tregua; po incontenente quel Biaso da Castelnovo falsador di soa fè, smentegandose i beneficii per Messer Francesco fatti a lui, & a so Padre, fatta la rebellion' al ditto Magnifico Signor, & accostandosi col Duse, cercò, che quelli da Tasin, i quali era zà stà sotto soa Signoria, i desse la fè, la qual molto nanzi elli havea promessa al Magnifico Signor Messer Francesco; la qual cosa quelli da Tasin ricusò di far: onde ello si pose a robar quelli, & le so cose, anzi più molti, che si tegnìa seguri in le so mani, & che ghe havea posto le so cose in guarda, che finida la tregua ello ghe tolse le ditte so cose, & redomandolle, ello si fe' besse di loro.

Fatte queste cose per Biasio, come è scritto, per lo Capitanio del Magnifico Signor Messer Francesco da Carrara, el qual' era stà mandà là nanzi el fin della tregua, & per i altri, che si era ridutti in la Bastia, lì con le genti del preditto Magnifico Signor Messer Francesco fu fatta resistenzia, quanto si potè, a Federigo Cavaliero di Greiffenstain Capitanio delle genti del Duse Rodolfo, el qual vegnìa a confermar el tradimento di Biasio, che era zà fatto, per modo che 'l ditto Federigo fu ferido d'un colpo di balestro. Po per le ditte genti del ditto Magnifico Signor Messer Francesco, fattoghe saver queste cose, subito el mandò là tutte le genti d'arme, che era a Pava, & anche molti Cittadini balestrieri; po je mandò eziandio molte genti, che'l Marchese d'Est je mandò in alturio. I quali zonti lì, subito elli si pose a combatter' el Castello di Grigno, el qual' è posto su una alta Montagna, & per via aspra, che appena si può cavalcar; & combatello con tanta forza, & con tanta instanzia, che'l terzo dì quelli del Castello renderono el Castello, el qual Luogo rendudo, & posto in guarda, subito la gente del ditto Magnifico Signor Messer Francesco andò a metter campo ad un' altro Castel del ditto Biaso chiamado Ivan, & lì subito vinta una Bastia di legno mettuda a presso el ditto Castello, dove Biasio havea fat-

to

to ſtalle da animali, elli ſi poſe in animo di aſſediar' el ditto Caſtello per la careſtia, che era dentro di vittuarie, come elli havea ſaputo da alguni della Baſtia; & era in lo ditto Caſtello Biaſio, la Madre, la Mojere, el Fradello, & i fioli, pur' aſpettando l'alturio del ditto Duſe di Oſterico.

In queſto mezo el Duſe Rodolfo giacea infermo a Milan, & sì che i Medici penſava più di ſoa morte, che di ſoa vita: della qual coſa Meſſer Bernabò, come ello moſtrava per i ſegni di fuora, era molto dolente; & pur Biaſio aſpettava l'alturio, che ello havea mandà a domandar' al ditto Duſe, facendogli ſaver, in che caſo ello era, al qual' el Duſe promettea, & così havea nanzi più volte promeſſo, che ello vegnirave a quelle parti con genti, & così quella ſperanza di dì in dì l'ingannava. Ma pur' alla fin Meſſer Bernabò ai prieghi del ditto Duſe mandò a Trento cinquecento homini armadi, che doveſſero aidar' el ditto Biaſio aſſediado, e paſsò le ditte genti per i Luoghi de Can Signore ſpontanamente ad elli conceſſi. La qual coſa ſentida per lo Magnifico Signor Meſſer Franceſco da Carrara, ſubito ello mandò al campo pedoni, che ello havea nanzi fatto aſſoldar, & così come elli vegnìa di dì in dì, je mandava appreſſo per i Capitanii, che era lì, che in diverſe fiade fu per numero ſettecento. Era sì ben guardado, & sì ben fornido el ditto Campo, che elli temea poco d'aſſalto de' nemiſi. Nondimen perzò dì & notte andavan facendo diligente guarda.

Coſtringendo l'aſſedio delle genti del ditto Magnifico Signor Meſſer Franceſco da Carrara, mettudo al Caſtel d'Ivan, di dì in dì più el ditto Biaſio, & tutti quelli dentro, per gran neceſſità di vittuarie & d'acqua, el ditto Biaſio coſtretto pattezò con quelli, che reggea el Campo, del qual' allora era Capitanio Meſſer Zuanne degli Obizi, che ſe in fin' a otto dì el no je vien datto ſoccorſo, levando via el ditto Campo, & ſia queſto ſoccorſo con le Bandiere levade, ello renderà el Caſtello. Et per queſto ello mandò tre ſuoi Meſſi a Trento al Capitanio, che era lì per lo Duſe, ſperando di eſſer ſoccorſo, come al Capitanio del Duſe je havea promeſſo. Del qual Capitanio comparſe ben' alguna gente, deſmontando zoſo per luoghi ſalvadeghi & alpeſtri, moſtrando di voler vegnir' a ſoccorrer' el ditto Biaſio, ma no ardida perzò di farſi inanzi, perchè la gente del ditto Magnifico Signor Meſſer Franceſco da Carrara era lì appariada per tuor ſubito battaja. Per la qual coſa Biaſio tegnendoſi beffado, & per l'inſtanzia del termine brieve, ancora rimandò Meſſi al ditto Capitanio, i quali no tornò mai, temendo allora Biaſio di pezo, perchè l'era paſſadi i ditti otto dì, & no havea habù ſoccorſo, el dè el Caſtello un dì Mercori vinti quattro del Meſe di Settembre, uſſendo di fuora lui, & le ſo Donne, & tutti i ſoi con le ſo coſe, come era ſtà di patto, & si conſignò el ditto Caſtello al Nobil Homo Checco da Lion, ricevendo quello per nome del ditto Magnifico Signor Meſſer Franceſco da Carrara. Le quali tutte coſe recitade del ditto Biaſio durò un Meſe & mezo.

Siando le coſe diſpoſte, come è ditto, & tutto 'l dì creſcendo la nominanza del tornar del Duſe con genti d'arme, di ſubito fu ditto el ditto Duſe eſſer morto a Milan.

Reliqua deſiderantur.

ADDI-

ADDITAMENTUM SECUNDUM

AD CHRONICON CORTUSIORUM

PATAVINA DIALECTO CONSCRIPTUM.

MCCCLIX. Adì XXIX. de Mazo circa le XXIV. hore nasè Messer Francesco fiolo del preditto Magnifico Messer Francesco da Carrara.

MCCCLX. El Magnifico Messer Francesco da Carrara Segnor di Pava fè Castelcarro, e Portonuovo, zoè Oriago, di che Veneziani el comenzò havere in odio; per la qual cosa i volse far un Castello a Santo Elero; ma alla fin i s'accordò, che in fina a cento anni quella ysola de Sant Elero remagna al Comun di Pava, e di Venezia per indivisa.

MCCCLXII. El Magnifico Segnore Messer Francesco da Carrara fè fare Molini al Ponte di Porciglia, con i quali la via del Naviglio fo tolta da Pava a Venezia a i Veneziani. Ancora fe fare una Villa di sotto da Oryago; per le quali cose el ne seguì molti mali tra Pavani, e Veneziani.

MCCCLXVI. Dì ultimo di Decembre. Madonna Ziliola da Carrara andò a marìo in Sansogna, e fo mogliere del Illustre Venceslao Duse di Sansogna.

MCCCLXXI. Misser Marsilio fradello del ditto Misser Francesco da Carrara si partì di Pava, e fo fatto Conte di Campagna di Roma, lo che i Veneziani lo indusse a dover traire el ditto so fradello.

MCCCLXXII. Dì IV. di Ottobre. I Veneziani comenzò la guerra contra el Segnore Messer Francesco da Carrara.

MCCCLXXII. Dì Marti XXII. di Zugno. Madonna Catherina figliola del Segnore Messer Francesco da Carrara, la qual fo mojere del Conte Stephano di Segna, andò a marìo; e subito come la passò le palle de' Veneziani, elle ge fo serrè drio per la guerra, che comenzava.

MCCCLXXIII. Dì VIII. di Mazo. El fo sconfitta la zente di Messer Bernabò, e di Messer Galeazzo da la zente de la Chiesia, e de' soi Colligadi al Ponte di Nuovo; in la qual rotta el fo presi MD. boni homeni. El Conte di Vertù vergognosamante sen fuzì.

MCCCLXXIII. Dì XIV. di Mazo. Messer Francesco figliolo del prefato Messer Francesco Segnor di Pava fo fatto Cavaliere per le man del ditto so Pare in la sconfitta che fo dà a' Veneziani a la bastia da Serraporci.

MCCCLXXIII. del Mese di Settembre. Fo fatta la pase tra i Veneziani, e Messer Francesco Segnore di Pava.

MCCCLXXIII. Dì XXIII. di Zenaro. Messer Nicolò da Carrara fo mettù in preson in la Rocha di Moncelese, e lì a la fin el morì.

MCCCLXXIV. Dì primo di Zenaro. El Segnor Messer Francesco fè fare un Torniero in su la piazza soa, e una parte fo vestìa di rosso, e l'altra di bianco. El Capitanio de' Rossi fo Messer Zoanne di Rodi; el Capitanio de' bianchi fo Messer Arnoldo. El prezio fo dà per una nobile Donzella Neza del ditto Segnore. El prezio fo du Capelletti con belle penne di sovra, zoè un d'oro, l'altro d'ariento lavorà. E Messer Archoan per lo mejore de' rossi havè el capelleto d'oro; e Messer Zoanne di Rodi havè l'altro.

MCCCLXXIV. Dì IX. di Mazo. Fo comenzà el Castello di Pava appresso la Torre di Messer Ecelin, el qual fo fatto in men di quattro anni.

MCCCLXXIV. Dì Marti XVIII. di Luyo. El Serenissimo Poeta Misser Francesco Petrarcha morì in la Villa di Arquà.

MCCCLXXIV. El fo una grande fame per tutto.

MCCCLXXV. Del Mese di Ottobre. Messer Can Segnore da la Scala morì, el qual innanzi che'l morisse, fe ammazare Polo Albuino so fradello, el qual'era in preson a Pischera; azo che Messer Bartholomio, e Messer Antonio soi figlioli remagnisse Segnori. E così i fo fatti dì XV. di Ottobre preditto.

MCCCLXXVI. Dì XV. di Mazo. El Duse di Osterica venne in sul Trivisano con molta zente, e fè gran danno robando, e brusando ogni cosa. E a dì XXV. di Luyo el tornò in Ostericha. E Messer Jacomo da i Cavagli Capitanio de' Veneziani cavalcò a la Clusa di Quero con tutto el so esercito; e lì subito el fè una bastìa; e brancò la clusa, e una bastìa, le qual el ditto Duse haveva fatto, e tegniva.

MCCCLXXVI. del Mese di Ottobre. El Duse di Osterica, e i Veneziani fe' treuga, benchè innanzi che se fè la triegua, i Veneziani have una gran rotta a Feltre.

MCCCLXXVI. Dì III. de Luyo. El Cardinale di Zeneva venne in Italia con XII. mila Bertoni Soldadi del Papa Gregorio XI. E mettè campo a Bologna.

MCCCLXXVI. Dì XIII. di Settembre. El Papa Gregorio preditto si partì da Vignone con XII. Cardinali, e molti altri Prelati.

MCCCLXXVII. Dì XVII. di Zugno. El ditto Papa Gregoro entrò in Roma.

MCCCLXXVII. Dì ultimo di Mazo. El Magnifico Messer Francesco Zovene da Carrara sposò la Illustre Donna Madonna Tadea figliola del Magnifico Messer Nicolò Marchese da Este in la Città di Ferrara. E a dì VII. di Zugno la ditta Donna entrò con grande honore in Pava.

MCCCLXXVII. Dì VII. del Mese di Zugno. El Serenissimo Principe Lodovigo Re di Hungaria combattè con Rodano Principe de' Bulgari Infedele; in la qual pugna fo quaranta milia combattenti per parte; e a la fin el ditto Re have vittoria de' ditti Infedeli. E de la ditta vittoria el scrisse una lettera al Magnifico Messer Francesco Segnore di Pava, come a so carissimo amigo.

MCCC-

MCCCLXXVIII. Dì XXVII. di Marzo. El Papa Gregoro morì in Roma.

MCCCLXXVIII. Dì VIII. di Avrile. Messer Bartholomio da Napoli Arcivescovo di Barri fo fatto Papa; e fo chiamà Urban Sesto.

MCCCLXXVIII. del Mese di Avrile. El Re di Hungaria, el Patriarcha Marchoardo di Aquilea Zenoesi, el Segnore Messer Francesco Vecchio da Carrara Segnor di Pava fè liga contra Veneziani, e Messer Bernabò.

MCCCLXXVIII. Dì XII. del Mese di Zugno. El Re d'Hungaria, el Patriarcha, e Messer Francesco da Carrara disfidò i Veneziani.

MCCCLXXVIII. Dì V. del Mese di Luyo. Messer Francesco Vecchio da Carrara mettè Campo a Mestre, in lo qual Campo fo Messer Francesco zovene so figliolo.

MCCCLXXVIII. Drio la Creazion del Papa Urban Sesto el comenzò el Scisma; e i Cardinali Oltramontani creò Antipapa Messer Uberto Cardinale di Zeneva, e comenzò la guerra contra el Papa.

MCCCLXXVIII. Dì X. del Mese di Settembre. El gran Conte Maistro de la Corte del Re di Hungaria venne a Pava con V. cento homeni d'arme, e menò con se tre carrette cargade di piastre d'Arzento, le quali el appresentò al prefato Messer Francesco Vecchio da Carrara per parte del so Re, azò che 'l possesse far bona guerra a i Veneziani.

MCCCLXXVIII. Dì IV. di Ottobre. La Magnifica Donna Madonna Fina Mogliere del Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara morì.

MCCCLXXIX. Dì V. di Mazo. I Zenoesi sconfisse XXII. galìe de' Veneziani appresso Pola.

MCCCLXXIX. Di Mazo. I Berton fo sconfitti appresso Roma per la zente del Papa Urban.

MCCCLXXIX. Dì XVI. di Agosto. I Zenoesi, e 'l Magnifico Messer Francesco da Carrara prese Chiosa.

MCCCLXXIX. Dì III. di Settembre. Messer Karlo da la Pase figliolo del Duca di Durazo, e Nevò del Re Luyse di Hungaria, di so comandamento venne a Triviso con ottomilia Cavagli, e lì in cerca mettè Campo.

MCCCLXXIX. Incontenente po che fo presa Chioza; I Veneziani vezandose a mal partio, scrisse una Lettera al Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara; e dove in prima el Duse de Venezia se scriveva de sovra, el se sottoscrisse; e dove che soleva appellare el ditto Messer Francesco Nobile, el lo appellò Magnifico. Digando al Magnifico, e Possente Segnore Messer Francesco da Carrara, di Pava, e del destretto Imperial Vicario Generale. Preghemo la Magnificenzia vostra, che 'l ve piasa di mandare le vostre Lettere di salvo condutto a Mestre di posser vegnire a la presenzia de la Magnitudine vostra, di stare, e di tornare liberamente a gli infrascripti Ambassaori nostri di nostra intenzione pienamente informà.

Andrea Contarino Duse di Venezia &c.

Nome degli Ambassaori fo questi.

Ser Piero Justinian Procurador,
Ser Nicoletto Moresini Procurador,
Ser Jacomo de' Prioli.

Data in lo nostro Ducal Palazo dì XVII. di Avosto.

A questa Lettera el Segnor no ghe volse respondere.

A MCCCLXXIX. del Mese di Avosto. El Segnor di Pava, e i Zenoesi prese Cavarzere, e Loreo, e le Bebbe.

MCCCLXXIX. Dì XXIV. di Septembre. I Zenoesi sconfisse la brigà da la Rosa in la Villa di Besagna, de la quale era Capitanio Hestor.

MCCCLXXIX. Dì XXIII. di Decembre. El Duse di Venezia con XXIV. galìe rivò a Chioza, e assedìolla intorno intorno.

MCCCLXXX. Dì XIX. I Veneziani sconfisse i Zenoesi a Brondolo, dove fo trovà più di mille morti, senza quelli, che se annegò, e e circa III. mila fo presoni.

MCCCLXXX. Dì XXII. di Zugno. I Veneziani rihave Chioza.

B MCCCLXXX. Di Zugno. Trieste rebellò a' Veneziani, e desse al Patriarcha di Aquilea.

MCCCLXXX. Dì Zuobia XX. di Decembre. Castelfranco rebellò a' Veneziani, e desse al Segnor di Pava.

MCCCLXXXI. Dì VIII. de Mazo. El Duse di Osterico entrò dentro da Triviso con MCCCC. Lance di voluntà de i Veneziani, durando la guerra tra loro, e 'l Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara.

MCCCLXXXI. Dì XXI. del Mese di Mazo. El Nobil Homo Lorenzo Basso da Venezia, el qual' era Capitanio de la Rocca di Asolo, dè la ditta Rocha al Nobil' Homo Messer Zuan Ban da la Serena, el qual subito la dè al Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara.

C MCC LXXXI. Del Mese di Luyo. Messer Francesco da Carrara have Porto Busoleo.

MCCCLXXXI. Del Mese di Luyo. I Zenoesi have Cavo d'Istria.

MCCCLXXXI. Dì XII. di Luyo. Di notte Messer Bartholomio da la Scala figliolo bastardo di Can Segnore fo trovà morto e impiagà in XXVI. luoghi, e un so compagno in XXXVI. in una strada vegnando da una soa Donna.

MCCCLXXXI. Di Luyo. Messer Filippo da Lanzon Cardinale di Franza venne per Patriarcha di Aquilea.

MCCCLXXXI. Dì XXVI. di Luyo. Karlo da la Pase have Napoli.

D MCCCLXXXI. Dì Domenega primo di Settembre. Fo crià la Pase in Pava tra el Re di Hungaria, el Patriarcha di Aquilea, Messer Francesco da Carrara, e i Zenoesi da una parte, e Veneziani dall'altra.

MCCCLXXXII. Dì XVIII. di Luyo. El Duca d'Anzò venne in Italia.

MCCCLXXXII. Leopoldo Duse di Osterico movè guerra al Magnifico Francesco Vecchio da Carrara.

MCCCLXXXIII. Dì XXVIII. di Zugno. Fo cridada la tregua tra el Duse Lipoldo, e Messer Francesco Vecchio da Carrara. Et in quel dì nasè un putto a Messer Francesco Zovene da Carrara de la Illustre Donna Madonna Thadea figliola del Illustre Marchese Nicolò da

E Este; el qual putto have nome Francesco; e in successo di tempo el fo ditto Francesco Terzo.

MCCCLXXXIII. del Mese di Luyo. El Magnifico Messer Francesco Zovene fo a parlamento con el Duse Lipoldo di Osterica in sul Trivisan, in le campagne di Settimo per trattar pase tra lui, e so Pare.

MCCCLXXXIII. Dì VII. di Agosto. El Segnor Messer Francesco Vecchio have el Castello di Cordignan. E il dì primo di Settembre have Ovederzo.

MCCCLXXXIII. Del Mese di Settembre. El Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara

rara

rara have la Motta, la qual' era di que da Camin.

MCCCLXXXIII. di Ottobre. El Magnifico Segnor Vecchio da Carrara mettè campo a Conigliano, ma el nol potè havere.

MCCCLXXXIII. . . . . Madonna Lieta figliola di Messer Francesco Vecchio da Carrara andò a marìo, e Messer Ferigo Conte di Otin fo so marìo.

MCCCLXXXIV. Dì quattro di Fevraro. El fo fatta la Pase dal Duse Lipoldo al Segnor Vecchio da Carrara; e have Triviso, e Trivisan per Ducati cento deseotto milia.

MCCCLXXXV. Di Mazo. Comenzò la guerra da Messer Filippo di Alenzonio Cardinale, e Patriarcha di Aquilea a quei da Udine, e a' soi Colligà, perchè i nol volse accettare per Patriarcha.

B

MCCCLXXXV. Dì V. di Mazo. El Conte di Vertù pigliò Messer Bernabò so Barba, e Messer Rodolfo, e Messer Karlo soi figlioli, e messeli in preson, e tolseghe el so Stà.

MCCCLXXXV. Dì VI. di Mazo. El Povolo di Ferrara tagliò in pezzi Messer Tomaso da Tortona Vicario di Messer lo Marchese Nicolò da Este.

MCCCLXXXV. Del ditto Mese Messer Antonio da la Scala fè liga con i Veneziani, e con quelli da Udene.

MCCCLXXXV. Dì XXI. di Decembre. Messer Filippo di Alenzonio Patriarcha preditto disfiò Messer Antonio da la Scala. E con le zenti di Messer Francesco Vecchio da Carrara el fè descorrere el so terren, de le qual zente era Capitanio Messer Zuanne d'Azzo.

C

MCCCLXXXVI. Del Mese di Fevraro. La zente di Messer Francesco Vecchio da Carrara passò la riviera di Barbaran, e roppe li nimisi, e fè una gran preda.

MCCCLXXXVI. Del Mese di Fevraro. Messer Antonio da la Scala tolse l'acqua del Bachion, alle botte de la Torre di Longara, sì che'l no vegniva miga a Pava.

MCCCLXXXVI. Del Mese di Avrile. Messer' Antonio da la Scala con le zenti de' Veneziani, e con le sue mettè campo a Montagnana, e havene poco honore.

D

MCCCLXXXVI. Del Mese di Mazo. Messer' Antonio da la Scala fè fare la bastia di Rovolon.

MCCCLXXXVI. El dì XXV. di Zugno. La zente del Magnifico Segnore Messer Francesco Vecchio da Carrara sconfisse la zente di Messer' Antonio da la Scala appresso la Brentella.

MCCCLXXXVI. Del Mese di Avosto. Messer Zuanne d'Azzo con la zente del prefato Messer Francesco da Carrara tolse la bastia di Rovolon.

MCCCLXXXVII. Del Mese di Zenaro. Messer Francesco zovene da Carrara con la zente soa passò la Fossa Imperiale, e descorse tutto el Veronese, dove che el so esercito have de' gran desasii.

E

MCCCLXXXVII. Dì X. di Marzo. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara con la soa zente sconfisse la zente di Messer' Antonio da la Scala al Castegnaro.

MCCCLXXXVII. Ultimo di Marzo. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara con la soa zente, seando Capitanii Messer Zuanne Agù e Messer Zuanne d'Azzo, passò la Fossa da San Bonifacio, e lì fè gran robaria.

A

MCCCLXXXVII. Dì XVIII di Ottobre. La zente del Conte di Vertù per traimento have la Città di Verona.

MCCCLXXXVII. Dì ultimo di Ottobre. El Conte di Vertù, di voluntà de' Cittadini have Vicenza, la qual doveva essere del Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara, secondo i patti de la liga, che l'avea con ello.

MCCCLXXXVIII. Dì XXVI. di Marzo. Lo Illustre Segnore Messer Nicolò Marchese da Este figliolo di Messer Obizo, morì. E succedè in la Segnoria di Ferrara el Marchese Alberto so fradello.

MCCCLXXXVIII Dì Luni XXIX. di Zugno. El Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara renunciò la Segnoria di Pava a Messer Francesco zovene so figliolo; el quale di voluntà di tutto el Povolo fo eletto Segnore.

MCCCLXXXVIII. Dì Marti ultimo de Zugno. El Magnifico Messer Francesco Vecchio da Carrara si partì da Pava, e andè a stare a Triviso.

MCCCLXXXVIII. Dì Marti preditto ultimo de Zugno. El Conte di Vertù desfiò el Segnore Messer Francesco Vecchio da Carrara.

MCCCLXXXVIII. Dì Marti XIV. di Luyo. La zente del Conte di Vertù passò la Fossa di Santa Sofia per defetto del Capitanio del passo; e dapò passò la Brentella, e prese Limina, e tolse l'acqua del Bachion, e de la Brentella a Pava; e vense la bastia da Peraga.

MCCCLXXXVIII Dì XXIV. di Novembre. El Segnore Messer Francesco zovene da Carrara con la soa fameya uscì di Pava, e andò al Conte di Vertù.

MCCCLXXXX. Dì XXV. di Zenaro nacque Ubertin da Carrara figliolo di Messer Francesco.

MCCCLXXXX. Dì XVI. di Zugno. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara desfidò el Conte di Vertù.

MCCCLXXXX. Dì XIX. del Mese di Zugno. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara armata manu intrò in la Cità di Pava, la qual' era in le forze del Conte di Vertù; e prima el prese i Borghi; e du dì drio el prese la Citaella, e possa a dì XXVII. di Avosto prossimo che venne, el have el Castello di Pava.

MCCCLXXXX. Dì XIX. di Septembre. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara intrò in lo Polesene di Roigo; e have per forza d'arme tre Fortezze de l'Abaya, e diese dì dapò el have Lendenara: per la qual cosa el Marchese Alberto, el qual era Colligà del Conte di Vertù, si accordò con la liga, e have i ditti soi Castelli dì XI. del Mese di Novembre del ditto Millesimo.

MCCCLXXXXI. Dì XIII. de Zenaro. El Magnifico Messer Francesco zovene da Carrara, Messer Zuanne Agù, e Estor de' Manfredi Capitanii de la zente de' Fiorentini, che era II. mila Lance, e V. cento Arceri, e II. mila Peoni, andenno in campo in sul terreno Visintino, e Veronese, e vinse el Castello di Lasi, e passò l'Adese, e serave le cose prospere andà più innanzi, sel non fosse stà el traitor Estor preditto, el qual saseva savere agl' inimisi zò, che se faseva.

F I N I S.

GUALVANEI DE LA FLAMMA

ORDINIS PRÆDICATORUM

OPUSCULUM

DE REBUS GESTIS

AB AZONE, LUCHINO, ET JOHANNE

VICECOMITIBUS

Ab Anno MCCCXXVIII. usque ad Annum MCCCXLII.

Nunc primùm in lucem editum

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ;

ADJECTIS ALIQUOT ADNOTATIONIBUS

CLARISSIMI VIRI

JOSEPH ANTONII SAXII

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

IN OPUSCULUM
GUALVANEI FLAMMAE
DE GESTIS
AZONIS VICECOMITIS
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

IN praecedente Tomo XI. *Manipulum Florum* evulgavi, Opus *Fratris Gualvanei de la Flamma* Mediolanensis, Ordinis Praedicatorum; simulque indicavi superstites ejus Libros, quos manu exaratos Ambrosiana Bibliotheca adservat. *Majori* illius *Chronico* Commentarius subnectebatur *de rebus gestis Azonis Vicecomitis*, Mediolanensium Principis, cui ipsum *Chronicon Majus* dicaverat Auctor. Opusculum profecto magni faciendum, utpote complectens per aliquot annos Mediolanensem Historiam, ab oculato Scriptore literis ita traditam, ut illic habeas tum egregii Principis, tum insignis Urbis, etsi non elegantem, delectabilem tamen picturam. Principatum suae gentis, curâ ac solertiâ Ottonis Archiepiscopi patrui sui, inchoaverat Matthaeus Vicecomes, Magnus non injuriâ appellatus. Eumdem splendorem Galeatius ejus filius per difficillima tempora, quamdiu potuit, retinuit. Verùm sub Ludovico Bavaro, in cujus corde grati animi virtus hospes erat, universa Vicecomitum fortuna collapsa est; quum Azo Galeatii patris & Beatricis Estensis matris suae virtutem secum gerens, tantâ animi constantiâ ac prudentiâ egit, ut non solùm vires redintegrarit, sed imperium Mediolanensis Urbis longe lateque propagarit. Haec Gualvaneus, tunc Johannis Vicecomitis Archiepiscopi Cappellanus, sibi describenda sumsit; ejusque narratio, alioqui brevis, gratiam Lectoris eo potissimum titulo inibit, quod ipse in Manipulo Florum antiqua tempora describens, fabulas innumeras nobis propinarit: heic autem vera tantum ac certa persequatur. Nihil enim moror, si is ultra quam par est, extollere videatur aedificia ac magnificentiam Azonis. Ejus enim judicium nobis nostrum minime eripuit. Atque utinam plura hujusmodi Mediolanensis Historiae monumenta superessent, quae vel ipsi Corio scribenti sub finem Seculi XV. ad manus erant, nunc autem aut prorsus sublata, aut aliquo carcere inclusa, frustra dolemus. Sed jam Lector accipiat, quae de hoc Opusculo ad me scripsit *Clarissimus Saxius* Ambrosianae Bibliothecae Praefectus.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO
LUDOVICO ANTONIO MURATORIO
JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
COLLEGIO, AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS
S. P. D.

„ INter cætera historica monumenta, quæ Galvaneus Flamma, celebris apud „ Mediolanenses nominis, posteritati reliquit, & adhuc inedita in scriniis ja„ cent, illud potissimùm memoratur, quod *Politia novella*, & *Chronicon Majus* in„ scriptum, urbis nostræ primordia, amplitudinem, fortunasque pro varia tem„ porum conditione luculentè describit, ejusque exemplar pergamenum, ut opti„ mè nosti, in vastæ molis volumen assurgens Ambrosiana Bibliotheca custodit.

„ Opus

„ Opus hoc immanis licèt laboris, & non nisi pertinacibus plurium annorum vigiliis compactum, pro summo eo, quo, Vir Doctissime, in expendendis ad æquam lancem literariis mercibus judicio polles, minimè dignum censuisti, quod in Rerum Italicarum Collectionem, emporium dixerim selectæ eruditionis, inferres; cùm revera tot quisquiliis, ineptiis, ac commentis insperstum undique sit, ut illius editio nullum, aut modicum admodum plausum cieret, & libidini potiùs augendorum voluminum, quàm accurata ditandæ literariæ Reipublicæ studio adscribenda judicaretur. Attamen ex prævia admonitione ad alteram hujus Scriptoris lucubrationem, *Manipulum* nempe *Florum*, à te superiùs primò evulgatum intellexi, in votis tuis fore, ut quispiam benignam manum apponens, è cæno tot fabularum latens aurum erueret, & resecatis anilibus nugis quidquid in eo pretiosæ antiquitatis nitet in lucem proferret. Lubens ego hanc spartam adornandam suscepissem, si ab importunis munerum meorum curis immunes aliquot dies decerpere licuisset. Ne tamen desideriis tuis de amplificando studiorum censu gloriosè solicitis, omnino deessem, eorumdem Chronicorum fragmentum, postremam videlicet partem, ad te mittere statui, ratus me tibi rem non ingratam facturum, si quæ purgatiora videbantur in hoc opere, atque Auctore, alioqui de urbe Mediolanensi benemerito, oculis tuis lustranda subjicerem; præcipuè cùm in edito à te *Manipulo Florum*, ad hæc ipsa tempora procurrente, vix ullum de rebus abundè hîc descriptis verbum occurrat; immo nec ea invenias in Corio, Morigia, Ripamontio, ac ne quidem in Petro Azario, licèt idem argumentum pertractante in Historia sua de Vicecomitum imperio, quam evulgare collatam cum Archetypo Ambrosiano propediem meditaris. Complectitur pars ista quæ usque ad annum MCCCXLII. gesta sunt sub Azone, Luchino, & Johanne Metropolis hujus Principibus tam sedula enarratione, ut exactius nihil desiderandum remaneat. Ex illa jucundè discimus, aspero quamvis stylo depictum, quæ facies tunc foret urbi nostræ, è squallida macie tot civilium externorumque bellorum renatæ ad elegantiam & splendorem formæ cultissimæ, palatiis pluribi, turribus, mœniis, templis, à Vicecomitum magnificentia excitatis; quæ Leges datæ ad instituendum præclarum justitiæ regimen, & publicæ quietis inducendam securitatem, eliminatâ, quæ invaluerat, pravâ magnatum, & populorum licentiâ, qui denique mores civium, in intemperantiam usque & luxum, veteri violata sobrietate, degentes. Nec desiderari fides securior potest, cùm rebus, quæ agebantur, non præsens tantummodo Auctor foret, sed in Aula quoque principe versaretur *Venerabilis Domini Johannis Archiepiscopi Capellanus*, & *Scriba*, ut ipsemet profitetur in calce, eidem Antistiti Ordinem Prædicatorum, ac se ipsum commendans.

„ Hinc emendari etiam possunt nonnulla, quæ in celebrioribus quoque Metropolis hujus annalibus aut anachronismis, aut mendacio laborant; quemadmodum est insignis ea ad Parabiagum victoria ab Azone Vicecomite contra Lodusium relata, sublimè conspecto, ut ferunt, Sancto Ambrosio minax flagrum in hostes quatiente; ex quo deinde inductum morem Bossius testatur, ut tutelaris iste Patriæ nostræ Præsul scutica armatus depingeretur. Hujus autem facti tam celebris epocham vix ullus Mediolanensium Scriptorum citra errorem designat, Morigia verò longiùs aberrans triennio prævertit; cùm tamen dubitari nequeat victoriam hanc referendam ad annum MCCCXXXIX. id suadente non tam Galvanei tunc Mediolani degentis testimonio, quàm experimento tabularum Paschalium, quas collato certaminis die, eidem prorsus anno respondere dignoscimus. Graviùs in historica veritate peccavere Corius, ac idem Morigia, & Ripamontius, qui Aycardum Antimianum de Camodea Mediolani Archiepiscopum, odio Matthæi Vicecomitis ab Urbe hac expulsum, pactionem postmodum iniisse tradunt cum Johanne Vicecomite Novariæ Episcopo, ut iste in Mediolanensem Sedem, ille in Novariensem concederet; approbante Summo Pontifice Johanne XXII., & mille florenorum pensionem Aycardo quot annis solvendam statuente. Vulgatam hanc Episcopatuum permutationem coævus & præsens testis Galvaneus refellit, qui Aycardo exulante, non alio titulo accitum à Johanne Pontifice ad hanc Metropolim Vicecomitem scribit, nisi ut redituum Archiepiscopalis Mensæ Administrator foret; quinimmo refert, pacatis tamdem rebus, Mediolanensi Ecclesiæ restitutum Aycardum solemni pompa in hac urbe exceptum fuisse, nec nisi eodem, brevi temporis intervallo, è vivis erepto, electum in Mediolanensem Antistitem Johannem Vicecomitem, ac in ea dignitate à Clemente VI. (malè à Galvaneo VII. appellato) triennio post

„ con-

„ confirmatum. Corrigendos pariter ex hac ipsa Historia vides tum Bossium, tum „ Ughellum, quorum primus in Chronicis depositum à Mediolanensis Infulæ solio „ Aycardum, alter in Italia Sacra exulem decessisse anno MCCCXLI. tradidere: „ utrumque siquidem veritati reluctatur; nec annus assignati obitus congruit, „ cùm mortuum illum decimo mensis Augusti, non anno quadragesimo primo, „ sed trigesimo nono illius Seculi, atque in Ecclesia Fratrum Minorum sepultum „ Galvaneus testetur, id insuper adnotans, à centesimo fermè anno neminem ex „ Mediolanensibus Archiepiscopis, hoc excepto, extremum Mediolani diem obiisse. „ Quod idem confirmat in *Catalogo Archiepiscoporum Mediolanensium*, cujus exemplar „ autographum, ut creditur, custodit Bibliotheca Metropolitani Capituli, ubi „ Galvaneus Flamma in Aycardo, quem postremum nominat, his verbis librum „ suum claudit: *obiit anno Domini MCCCXXXIX. de mense Augusti jacet ad Sanctum* „ *Franciscum*.

„ Non inficiaverim tamen suas quoque huic scripto fabulas intermixtas. Assue„ tus siquidem hic auctor insulsos omnes vulgi rumores, veluti indubiæ fidei ora„ cula, excipere; narrat ad annum superiùs memoratum, in Monasterio de Tor„ beth Castri Seprii sub evulsæ à vento magnæ arboris radicibus reperta esse in „ marmoreo sepulchro, cadaver cujusdam Galdani Regis Langobardorum, ensem „ Tristantis interfectoris Yrlandi, gallicos versus id testantes, & his similia, quæ „ quàm inania sint ludentium ingeniorum somnia, adornata ad contexendos Ro„ manenses libros, nemo non videt; mirorque admodum felices adeò fuisse has „ Galvanei nugas, ut postremis hisce temporibus Johannes Petrus Crescentius in „ Amphitheatro Romano hoc ipsum ridiculum monumentum, veluti basim sta„ tuerit summæ comprobandæ antiquitati Vicecomitum familiæ, ac si à Regibus „ Angleriæ prorsus commentitiis, & Orlando Caroli M. nepote supposito, num„ quam interrupta illustrium Avorum serie, deduceretur. Facilè tamen condo„ nari hæc possunt Scriptori pro ruditate temporum illorum, ac genio credulæ „ indolis suæ, nihil solertiæ omittenti, ut fæces omnes lutulento è trivio collectas „ in horreum suum ingereret. Quod ferri in illo patiénter nequit, est intempe„ rans licentia, qua in summos quosdam Pontifices acerrimè invehitur, extremi „ in Ordinem Prædicatorum livoris eos insimulans, Benedictum præcipuè XII. „ cujus memoriam penè execratur, denigrato turpissimè ejus nomine criminatio„ nibus, quas nec religiosi calami modestia, nec ipsa Historiæ veritas patitur. „ Qua in re facilem nimis fuisse Galvaneum Flammam dolet quoque Petrus Ma„ ria Campi, illum maledicentiæ contra Gregorium X. reprehendens in Apologia „ pro eodem Sancto Pontifice, ad Ecclesiasticam suam Placentiæ Historiam adje„ cta Propterea mei etiam muneris esse censui, opportunis adnotationibus ea ca„ stigare, quæ non simultate, ut arbitror., pervicacis animi, sed aut mendaci „ vulgi rumore deceptus, aut præpostero erga Ordinem suum amore abreptus hic „ Auctor, mordaci nimis atramento chartis inscripsit.

„ Cur verò ab Azone Vicecomite tantummodo exordium sumat hæc Historio„ la, vix assequi me posse divinando profiteor. Non longè à vero aberraturum „ me reor, si affirmaverim elaborata fuisse à Galvaneo, sed in præsens deperdi„ ta, quæ superiora Azonis ætati tempora attingunt; in Ambrosiano siquidem Co„ dice vasta centum & duodecim annorum hiat lacuna; ægrè autem crediderim „ ab hoc Scriptore, qui repetitam ab ipsis Mundi incunabulis rerum seriem ad „ extremos usque vitæ suæ annos perduxit, neglectam fuisse ævi illius Historiam, „ cui describendæ planior uberiorque campus patebat, cùm ab anno MCCXVI. „ quo *Chronicon* ab ipso *Majus* appellatum abrumpitur, ad MCCCXXVIII. qui „ huic fragmento initium facit, ea enarranda forent, quibus nec materiæ ampli„ tudo, ferventibus undique per Italiam bellis, nec commodè habenda eventuum „ notitia deerat, vivo tunc ipso, ac sub finem seculi illius jam in Prædicatorum „ Ordinem cooptato. Accedit, in hoc eodem scripto sæpiùs ad Libros, & Ca„ pita jam exarata Lectorem remitti, quorum nullum in superioribus paginis „ verbum legitur, nec opus istud peculiarem aliquam Historiam videri, cùm „ nullo aut procemii, aut inscriptionis vestigio moneamur de Auctoris mente, quin „ immo prorsus nudam eam annorum computationem prima frons gerat, qua uni„ versa superstitis historiæ series decurrit. Proinde non levi conjectura ducti con„ queri possumus aut ab invida manu nobis ereptos, aut ab edaci tempore ab„ sumptos esse labores illos, qui pretiosiores posteris fuissent, cùm jacta Viceco„ mitum principatus fundamenta, pugnax odium factionum, & truculentas ævi „ illius vices non à fallaci persæpe temporum remotiorum fama, ut antea præ-

„ sti-

„ stiterat, sed à fideli aurium, atque oculorum suorum testimonio discerè potuisset. Non dispar jacturæ infortunium dolere cogimur in fine hujusmet libri, „ qui adeò mancus est, ut sub ipsum initium capitis *De adventu Mediolanum Legati Apostolici anno MCCCXLII.* nec absolutam videas inchoatam periodum; id „ autem conjectaverim tribui posse vitio fugientium oculos characterum in exeso „ codice, à quo descriptum sit Ambrosianum exemplar, quemadmodum satìs dilucidè indicare videntur omissa frequentiùs in postremis lineis verba; neque „ enim incusari mors valet, quòd è manu scribentis Auctoris calamum excusserit, cùm eumdem biennio saltem post superstitem adhuc, atque studiis intentum colligat Puricellus Dissertatione Nazariana cap. CIX. ex Historia Ordinis „ Prædicatorum ad annum usque MCCCXLIV. à Galvaneo producta, quam à „ se inspectam in Conventu Mantuano S. Lucæ, satìs laceram & dissipatam, testatur ibidem Ambrosius Taëgius. Fatendum quidem est extare alia mutila „ Opuscula MSta ejusdem Galvanei apud nobilissimum, & literarum amantissimum Equitem Carolum Littam, nempe *parva Chronica Mediolanensia*, quæ à „ Nativitate Christi deducta, ad coronationem Henrici VII. Mediolani peractam „ anno MCCCXI. tantummodo pertingunt, & tractatum *de mirabilibus Ecclesiæ Mediolanensis* Johanni Vicecomiti electo in Archiepiscopum Mediolanensem anno „ MCCCXXXIX. dicatum, cujus meminit Petrus Maria Campi in Apologia superiùs relata, necnon Puricellus in Vita S. Arialdi lib. 1. cap. 1. n. 7. quique „ nonnisi primorum ejusdem Pontificum usque ad S. Ambrosium gesta complectitur. Ex his autem patet familiare huic Auctori fuisse fœtus suos informes „ relinquere; quo circa ancipiti adhuc lance suspendimur, an ea, quæ in hoc volumine desiderantur, casu aliquo exciderint, an consultò intermissa fuerint, „ manum è tabula removente Auctore, ut in absolvendis fortasse Ordinis sui „ Chronicis proximè enunciatis calamum occuparet. Quæcumque tamen caussa „ fuerit interruptæ hujus Historiæ, non modicam apud eruditos Viros gratiam te „ initurum existimo, si pauca hæc à temporum injuriis intacta, & à coævo Auctore digesta, duraturis typis committas; neque enim in historiis moles pensatur, sed veritas, suumque cuilibet sinceræ eruditionis laciniæ, non secus ac „ gemmarum aurique fragmentis pretium inest minimè negligendum.

„ Postremò te monitum velim adjecta hîc sparsim fuisse à Galvaneo carmina „ non aliud referentia, nisi metro adstrictum quod jam soluta fuerat oratione narratum. Fortasse enim experimento hoc prodere voluit florens ingenium suum, „ oratoriæ simul, ac metricæ artis ornamentis excultum; sed sive rudi nimìùm „ Minerva concepta ea sint, sive ab amanuensibus miserrimè exscripta, adeò depravatis numeris, turbatoque Poëseos ordine claudicant, ut excitandæ potiùs „ iræ legentium, quàm plausui apta esse videantur, atque ideo abscindi meritò „ posse absque MSti injuria censuissem: Genethliacam item figuram, quam ineuntibus, ut opinor, principatum Luchino, & Johanne Vicecomitibus Auctor erexit, ceu rem fallacem, alienamque omnino ab historico hoc instituto consepultam in paginis suis facilè reliquissem, sed ut obsequium erga te meum, fidemque in omnibus sincerè depromendis apud exteros probarem, religiosè cuncta „ transcribenda curavi. Tuum erit decernere, an hæc in publicum quoque sint „ evulganda. Interim accipe qualecumque hoc, quod tibi inscribo, amicis omnibus summæ benevolentiæ officiis cumulatum munusculum, meque tibi fausta „ omnia adprecantem, ac sospitem in primis diu vitam ad literarum incrementum „ & gloriam, benigno complexu foveas. Vale.

GUAL-



GUALVANEI
DE LA FLAMMA
OPUSCULUM
DE REBUS GESTIS
AZONIS VICECOMITIS.

De Coronatione Ludovici Bavariæ in Mediolano.



CHristi anno MCCCXXVIII., Vicariatus Imperii Roberti Regis Siciliæ, anno XV. electionis Ludovici Bavariæ anno XVI. Pontificatus Johannis XXII. anno XIII. Archiepiscopatus Fratris Aycardi anno XII. Coronationis Ludovici Bavariæ in Mediolano anno primo. Ipse Ludovicus Bavariæ instituit suum Vicarium Generalem Gulielmum de Monte-Forti Theutonicum, & tunc factus fuit Potestas Mediolani Gozius Theutonicus; & sic Civitas Mediolani habuit tres Theutonicos, scilicet Ludovicum, & Gulielmum, & Gozium. Tunc temporis thesaurus Ecclesiæ fuit exspoliatus. Isto tempore in Civitate Placentina residebat Beltrandus Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Legatus, qui contra hostes Ecclesiæ sæpiùs dimicabat, sententias durissimas fulminabat, & processus graves faciebat. Cui cùm Papa suos thesauros mitteret pro negotiis Ecclesiæ peragendis, & illi, qui portabant juxta Sesterzium castrum territorii Papiensis attigissent, militia de Mediolano, pluresque alii supervenerunt, omnes thesauros subripuerunt, & ibi fuit captus Johannes Andreæ, armarium Juris, & in Castro de Silvano carceri mancipatus in territorio Papiensi.

De dominio primo Azi Vicecomitis.

CHristi anno MCCCXXIX. Vicariatus Imperii Roberti Regis Siciliæ anno XVI. electionis Ludovici Bavariæ anno XVIII. Pontificatus Johannis XXII. anno XIV. Coronationis Ludovici Bavariæ in Mediolano anno secundo emergente, Ludovicus intravit Romam, & se ipsum coronavit in Imperatorem, & quemdam Petrum de Corbaria instituit Papam, sive Antipapam; & veniens Pisas Azum Vicecomitem instituit suum Vicarium Generalem in Mediolano anno ætatis suæ XXVI. die VI. Februarii. Hic præveniendà sunt aliqua statim, & conditionem ipsius Azi declarantia. Ejus pater dictus fuit Galeatius, filius primogenitus magni Matthæi Vicecomitis. Ejus mater dicta est Beatrix filia Obizi Marchionis Estensis. Natus autem fuit in Ferraria anno Domini MCCCII. in festo Sancti Ambrosii, vocatumque est nomen Ambrosius, seu Azo, nomine Azonis Marchionis Estensis Avunculi sui. Et fuit ex parte utriusque parentis soror dicta Rizarda, quæ tradita in uxorem Thomæ Marchioni Salutiarum. Ex sola matre habuit sororem Johannam nomine Comitissam Galluræ, quæ est tertia pars Insulæ Sardiniæ, quæ decedens Azum fratrem suum instituit hæredem ipsius Comitatus, sive Judica-

tus Gallura. Hic Azo adhuc sub puerilibus annis constitutus obtinuit Castrum Sancti Domnini in territorio Parmensi, quem Beltrandus Cardinalis & Legatus ibidem obsedit ac recedere coëgit. Tunc perrexit in Thusciam ad Castruccium amicum patris sui, qui erat Capitaneus partis Gibellinæ in Tuscia. Et congregatis diversis exercitibus, ipse Azo, qui habuit magnum exercitum militum de Mediolano, contra Raymundum de Cardono Vicarium Roberti Regis Siciliæ, & contra Florentinos durè dimicavit, & maximam stragem Florentinis intulit. Super portam Civitatis Florentiæ pallium curri equestri certamine jussit. Deinde vênit Mutinam, cui adjuncti fuerunt Mantuani, & ad Montem Vegium hostiliter progressus, contra Populum de Bononia pugnavit, & gloriosè de ipsis triumphavit, & Civitatem Bononiam usque ad fossas invasit, pallium super portas ipsius Civitatis curri equestri certamine fecit; & fugientibus cunctis, scholares, & mulieres cum Clero Civitatem gubernaverunt. Nec umquam Civitas Bononiensis tantum obbrobrium pertulit, quantum Azo Vicecomes intulit. Et sic de Florentinis, & Bononiensibus gloriosam vindictam fecit, qui parvo ante tempore contra Civitatem Mediolanensem arma moverant, tempore guerræ de Modoëtia, sicut supra dictum est Libro tertio decimo proximo præcedente. His itaque gloriosis peractis victoriis ad patrem suum ad Civitatem Mediolanensem cum gloria remeavit. In processu temporis Ludovicus Dux Bavariæ, qui se Regem Romanorum intitulabat, ipsum balteo militari accinxit in Civitate Mediolani in Ecclesia Sancti Ambrosii in festo Pentecostes. Mortuo autem patre suo nobili milite Galeatio Vicecomite, hic Azo associatis duobus patruis suis, scilicet Johanne Ecclesiæ Mediolanensis Ordinario, & Marco milite inclyto, in Tusciam ivit, & ab ipso Ludovico dominium Civitatis Mediolanensis suscepit. Et Johannes Ecclesiæ Mediolanensis Ordinarius per Nicolaum Antipapam supradictum factus fuit Ecclesiæ Romanæ Cardinalis tituli Sancti Eustatii, & super Italiam factus est Legatus generalis. Et sic hic Ludovicus Dux Bavariæ, consilium Sapientis non servavit, qui dicit *non confidas de inimico tuo in æternum*. Nam hic Ludovicus pridem hunc Azum in Castro de Modoëtia incarceraverat cum patre, & patruis, & dominio Civitatis privaverat, & per Mundum exules ire faciebat, & postea eis dominium restituit: quod summa dementia fuit, quia per effectum ipse probavit. Iste annus fuit insignis in morte multorum Dominorum Italiæ. Mortuus est enim Galeatius Vicecomes in Tuscia, sicut supra dictum est. Item Canis della Scala Dominus Civitatis Veronensis. Item Castruccius Dominus Civitatis Lucanæ. Item Passarinus de Bonacossis Dominus Civitatis Mantuanæ. Item Zutius de Vestarinis Dominus Civitatis Laudensis, & Sciarra de Columna major Urbis Romæ, & Episcopus de Aretio. Omnes isti fuerant hostes Ecclesiæ in favorem Ludovici Bavariæ. Eodem tempore Johannes Papa in Avinione constitutus, audiens, quòd contra Ecclesiam faceret Ludovicus Bavariæ, contra ipsum pertulit sententiam excommunicationis, depositionis, privationis Regni Romanorum, si quod jus habuisset, & Ducatus Bavariæ, & Comitatus Rheni. Et absolvit omnes homines ab ejus fidelitate, juramento, & liga. Et ipsum Ludovicum promulgavit esse hæreticum super articulo de paupertate Christi, pro eo quod diceret, videlicet crederet, quòd Christo, & Apostolis in rebus, quas habuerunt, nullum jus competeret, sed tantummodo usus facti. Est autem hic articulus erroneus, & condemnatur per Ecclesiam; & quicumque hoc credit, vel asserit, est excommunicatus, & hæreticus per Ecclesiam igni tradendus. Et quia iste Ludovicus contra Ecclesiam, & contra Civitatem Mediolanensem erexit, antequam ulteriùs procedatur, videamus si contra Civitatem Mediolanensem habuit justum bellum, vel injustum. Quæritur, utrum Ludovicus fuerit verus Imperator? Ubi est sciendum, quòd Electores Imperatoris secundùm Statutum Ecclesiæ in unum fuerunt congregati Anno Domini MCCCXIV. Vivente Clemente Papa, & Electores fuerunt divisi in duas partes, quia aliqui elegerunt Federicum Ducem Austriæ, quem coronavit in Colonia Archiepiscopus Coloniensis. Aliqui elegerunt Ludovicum Bavariæ, quem coronavit Archiepiscopus Maguntinus in Aquisgrani. Et altercantibus utrisque, finaliter Ludovicus Bavariæ prævaluit. Et cùm non esset per Ecclesiam confirmatus Imperator, jura Imperialia ministravit auctoritate propria, quia filium suum instituit Marchionem de Brandeburg. Insuper jam creato Johanne Summo Pontifice, in contemtum Ecclesiæ, misit Vicarium in Italiam, ut hostes Ecclesiæ foveret. Tunc Papa Johannes ipsum omni honore Regali, si quod habuisset, privavit: omnes ejus fideles à fidelitate absolvit; omnem Civitatem ipsum recipientem tamquam Regem, Ecclesiastico interdicto supposuit; Omnes ejus fautores excommunicavit. Quod audiens Ludovicus, Mediolanum intravit, Coronam Regni Italici de manu trium Episcoporum Schismaticorum suscepit; & vadens Romam, se ipsum coronavit; & Papam, imò Antipapam, propria auctoritate instituit, & verum Papam, ut potuit, deposuit: (1) propter quos excessus iterum excommunicatur, & deponitur. Et ideo extunc nulli licuit ei obedire, vel ipsum in domo recipere.

De introitu primo Azi Vicecomitis in dominium.

AZo Vicecomes factus Dominus Civitatis Mediolanensis, exiens de Pisis, ubi Ludovicum supradictum cum Nicolao Antipapa dimiserat, ad Civitatem Mediolanensem concito gradu pervolavit, dominium Civitatis obtinuit, & paulatim de Theutonicis se expedivit, & contra Ecclesiam Romanam in favorem Ludovici, & Nicolai Antipapæ publicè stetit. Tunc multæ hæreses in hac Civitate insurrexerunt multi falsi & maledicti Religiosi contra Johannem Summum Pontificem linguas suas relaxaverunt in publicis prædicationibus, asserentes, quòd ipse non erat Papa, imò erat unus hæreticus excommunicatus, depositus, & homicida pessimus. Illum autem Nicolaum Antipapam magnis laudibus extollebant. Et sic tunc Apostaticus dictus est Apostolicus, & omnis Catholicus dictus est hæreticus; & sic veritas corruit in plateis, & Civitas quondam plena judiciorum, nunc facta est nutrix omnium scelerum, & nidus hæreticorum.

(1) Pontificias literas, & reliqua Johannis XXII. acta, quibus utraque hæc Coronatio irrita nullaque declaratur Ludovico Bavaro tamquam hæretico ab Imperio dejecto, ac sacro anathemate perculso, edidit Edmundus Martene volumine II. Thesauri novi Anecdotorum.


rum. Unde bene dicit Bernardus in quadam epistola, *non inveni in Mundo Populum adeò facilem ad conversionem, & subversionem sicut Populum Mediolanensem*. Isto tempore in Civitate Placentina residebat Beltrandus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis & Legatus, qui contra hostes Ecclesiæ sæpiùs dimicabat, sententias durissimas fulminabat, & processus graves faciebat.

Ludovicus Bavariæ non Imperator obsedit Mediolanum.

CHristi anno MCCCXXIX. Eminente in Avinione in Sede Apostolica Johanne XXII. sedente Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolani, anno secundo dominii Azi Vicecomitis, factus est Potestas Guiscardinus Lanza de Pergamo. Isto tempore, cùm Civitas Mediolanensis Ecclesiæ Dei totis viribus infesta foret, Azo Vicecomes sano usus consilio contra Ludovicum quondam Bavariæ Ducem, & Imperii usurpatorem, insurgere cœpit, & expeditis aut evulsis à se Theutonicis, duo capita guerræ instituit, scilicet Cazinum de Torniellis Novariensem, & . . . . Civitatis mœnia communivit, & inter alia Burgum Portæ Ticinensis propter molendinorum copiam armare & fortificare studuit. Unde super ripam Ticinelli fecit construi stomdegardas magnas, & bathefreda XL. & plus, & aquam sic ingurgitavit, quòd usque ad summitatem pontis Sancti Eustorgii conscendit; nec fuit ille locus tunc temporis in Civitate minùs fortis. Quo audito Ludovicus supradictus in furiam conversus, eo quòd totam suam spem in Civitate Mediolani posuerat; & videns, quòd Azo Vicecomes contra ipsum calce rebellionis recalcitrabat, totis furiis debacchatus, de Pisis exiens, intravit Lombardiam, desiderans Vicecomitum genus exstirpare. Unde pervênit ad Civitatem Laudensem, ubi inventis portis Civitatis sibi clausis, transiens pervênit ad Lambrum, & juxta Meregnanum flumen transivit die quinto Madii. Et finaliter cum uxore sua Regina Margareta ivit Modoëtiam, & Castrum illud fortissimum intravit, sed Burgum non obtinuit. Et inde recedens, ad pontem de Archeto, ubi nihil aliud erat, nisi una famosa taberna, pervênit, & ibi Castra sua fixit die XXI. Madii. Deinde Monasterium Sancti Victoris ad corpus intravit die XI. Junii, & ex illa parte Civitatem obsedit. Et fuit cum eo Spineta Marchio Malaspinæ cum CCCC. militibus, quos miserat Canis della Scala. Insuper fuerunt cum eo nobiliores parentelæ de Mediolano, & potentiores. Multa prœlia particularia commissa sunt. Plures de Mediolano in diversis prœliis facti sunt milites accincti. Instante obsidione, positi sunt Custodes super Turrim portæ Sancti Ambrosii, qui die & nocte clamabant in vituperium Bavari: *O Gabrione ebriose bibe bibe bò bò. babii babò*. Ipse autem Ludovicus Bavariæ Burgum Portæ Ticinensis super omnia habere studuit, ut sublatis molendinis terram fame faciliùs opprimere posset. Et licèt ibi plures factæ fuerint hostiles congressiones, nihil tamen actum est. Tamdem deficiente Dei auxilio & consilio, & hominum auxilio, à bellis abstinuit; & multa facta sunt colloquia pacis & concordiæ. Azo sicut vir prudens, eum quasi patrem diversis cibariis & vinis pretiosissimis omni ferè die præsentavit manè & serò. Finaliter concordatum est, ut ipse Ludovicus accepta certa quantitate pecuniæ Castrum de Modoëtia redderet, & de obsidione recederet. Qui transito Ticinello juxta Sanctum Christophorum, Papiam perrexit die XIX. Junii in festo Sanctorum Gervasii & Protasii; deinde in Alamanniam perrexit, ubi miro modo prosperè in factis suis se habuit. Tunc temporis Marcus Vicecomes in Castro de Rosâte habitabat, qui vênit Mediolanum die XV. Augusti, & V. die Septembris diem clausit extremum, & sepultus fuit in Ecclesia majori in capella Sanctæ Agnetis.

De pace inter Ecclesiam, & Mediolanum.

CHristi anno MCCCXXX. Eminente in Apostolica Sede Johanne XXII. Sedente Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolani, factus fuit Potestas Autolinus de Secundis Placentinus, qui rexit diebus XIV., & post eum factus fuit Potestas Ugolinus de Lucino Cumanus. Isto tempore videns Papa Johannes, quòd Ludovicus Bavariæ gravissimum Schisma fecerat, & contra Ecclesiam Romanam totis furiis debaccharetur, plus eum, quàm hominem viventem timuit, & odivit. Unde considerans, quòd Azo Vicecomes eum de Italia fugere coëgisset, fervorem suum, quem contra Vicecomites exagitare consueverat, temperavit, & eos in aliqualem gratiam recepit. Ex tunc Azo Vicecomes cogitavit Ambaxiatores ad Papam mittere, & de suis excessibus veniam petere, ut ex hoc Civitas Mediolanensis, quæ fuerat sub interdicto annis XV., absolveretur. Et sano usus consilio instituit tres Syndicos & Procuratores, quorum nomina, pro ut habetur in registro illorum de Paganoris sunt hæc, scilicet: Johannes de Pontirolo, & Guidolus de Calice, die XXVI. Martii ad comparendum coram Summo Pontifice in Avinione, quia Cives de Mediolano observarent Domino Papæ debitam fidelitatem, obedientiam, & reverentiam, & ad excusandum Cives de Mediolano de contumacia & rebellione contra Ecclesiam, & de coronatione quondam Ludovici Ducis Bavariæ damnati, & de his, quæ fecerant in favorem Petri de Corbario apostatici, Schismatici, & damnati, & de excusatione multorum similium. Johannes Papa recepta hac ambaxiata gavisus est valde, considerans, quòd sola Civitas Mediolanensis posset, sive poterat Ludovici Bavariæ impetum refrenare, ne iterum intraret Italiam. Et de consilio Fratrum suorum clementer, quasi mater filios, recepit de longinquo, & interdictum ad tempus suspendit. Clerum revocavit, & facta est lætitia magna in populo. Redierunt filii obedientiæ die XIV. Februarii in Civitatem Mediolanensem. Eodem tempore Cives de Bononia Civitatis suæ dominium plenum, & merum, & perpetuum, per publica Instrumenta, & speciales Nuntios tradiderunt in manus Papæ. Ubi Legatus Ecclesiæ in plena potestate fuit, & Castrum miræ pulchritudinis erexit. Eodem tempore Frater Petrus de Corbario, qui aliquo tempore fuerat apostaticus, timore, vel conscientia ductus, ivit Avinionem ad Summum Pontificem, petens misericordiam de suis excessibus; & juravit, quòd nunquam credidit se fuisse Papam, nec unquam credidit, Ludovicum Bavariæ fuisse Imperatorem; & totum, quidquid contra Ecclesiam fecerat, processerat ex sola malitia & fatuitate. Et hunc Papa clementer recepit, quem perpetuo carceri mancipavit, ubi miserabilem vitam finivit.



De muro Civitatis interiori.

TEmpore destructionis istius Civitatis factæ per Federicum Barbam-rubeam Anno Domini MCLXII. usque ad ista tempora Civitas Mediolanensis murum non habuit: ex quo multi invaserunt Civitatem, sperantes posse violenter intrare, & damna innumerabilia intulerunt. Quod advertens Azo Vicecomes dominus Civitatis, magno corde munitus, muro Civitatem cinxit à fundamentis in fossato super aquam vivam proj ctis. Et fuit ambitus muri per circuitum brachia . . . . . Et habuit turres, computatis turribus portarum . . . . . Merli fuerunt numero . . Altitudo muri habuit brachia . . . . Fossatum habet in latitudine brachia XXX. Murus exterior, qui cingit fossatum, habuit brachia X. mille & XLI. Incœptus etiam fuit alius murus supra Ticinellum pro munitione burgi Sancti Eustorgii ad tutelam molendinorum. Eodem tempore Azo Vicecomes supradictus duxit in uxorem filiam nobilis Principis Ludovici Sabaudiæ, nomine Caterinam, cujus prudentia & sancta devotio per totam redolet Lombardiam.

Glossa.

Murus interior habet brachia secundùm modum . . . . . & unum tertium.

Diameter habet brachia MMMMCCCLXVIII. & . . . plus.

Semidiameter habet brachia MMCLXXXXV. & aliquid plus.

Murus exterior habet brachia XIV. mille CCLXI. & sex tertias.

Murus includens burgum Sancti Eustorgii habet brachia MMMV. & turres.

Civitas computato fossato habet perticas MMMMVI. & VII. tabulas & quatuor pedes.

De Dominio Johannis Regis Boëmiæ in Italia.

IIsdem temporibus Johannes Rex Boëmiæ filius Henrici Imperatoris Ducatum Carinthiæ, & Comitatum de Tyrol intravit; & ibi existens per Brixienses, quos Mastinus de la Scala præoccupatos arcebat, vocatus est ad dominium Civitatis Brixiensis. Qui ingressus Brixiam, terram illam pacificavit; deinde obtinuit Pergamum, Cumas, Papiam, Novariam, Vercellas, Cremonam, Parmam, Regium, Mutinam, & Lucam. Et ut habetur ex registro illorum de Paganoris, die VIII. Februarii in Palatio Communitatis Civitatis nostræ factus fuit dominus Civitatis Mediolanensis sub certis pactis. Qui instituit suum Vicarium Generalem in Mediolano Azum Vicecomitem jam dudum Dominum. Carolum autem filium suum primogenitum instituit suum Vicarium Generalem super totam Provinciam, dans ei in Magistrum & Gubernatorem Ludovicum Sabaudiæ Socerum Azi Vicecomitis. Ipse verò in Franciam rediit. Ubi est sciendum, quòd Johannes Rex Boëmiæ filius Henrici Imperatoris erat Comes de Lucimborg, ratione sui patrimonii, & ducens uxorem filiam Regis Boëmiæ illius Regni heredem, ratione dotis uxoris factus est Rex Boëmiæ, & genuit tres filios. Primus dictus est Carolus, qui duxit uxorem sororem Philippi Regis Francorum. Alter dictus est Johannes, & iste duxit uxorem filiam Henrici Ducis Carinthiæ, & ratione uxoris hereditavit Ducatum Carinthiæ, & Comitatum de Tyrol, & Civitatem de Tridento. Tertius fuit Comes de Lucimborg. Item Johannes Rex Boëmiæ genuit filiam, quam tradidit Ludovico primogenito Regis Francorum. Postea mortua uxore duxit aliam, quæ fuit filia Comitis Claremontensis. Item aliam sororem tradidit Carolo Regi Francorum; aliam sororem tradidit Carolo Regi Ungarorum.

De pace inter Mediolanum, & Papam, & pactis.

CHristi Anno MCCCXXXII. Eminente in Sede Apostolica Johanne Papa in Avinione, sedente Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolani, factus fuit Potestas Lanfrancus de Cabalaziis Novariensis.

Isto tempore Azo Vicecomes cupiens cum Ecclesia pacem habere, iterum, misit ad Curiam ambaxiatam nobilem nimis & magnam, inter quos fuerunt principaliores, nobilis miles Vercellinus Vicecomes, & Johannes de Burris, & Prælati, & Capellani plures, inter quos fuit unus Doctor Juris dictus Martinus de Aliprandis, ex familia magna nimis. Hos Papa honorificè suscepit; & facta est pax inter Papam, & Cives de Mediolano, sub istis pactis. Videlicet quòd Communitas Mediolanensis numquam iret, nec aliquid faceret in favorem alicujus hæretici, vel schismastici; & quòd recognosceret Johannem Summum Pontificem esse verum Ecclesiæ Pastorem, cujus contrarium longo tempore in Civitate Mediolani dogmatizatum fuerat. Et quòd Turriani cum familiis minutis ipsis existentibus extra Civitatem ponerentur super possessiones & bona sua. Et quòd in Clero nulla fieret exactio, & quòd non invaderet aliquam Civitatem, vel Castrum, quod teneretur nomine Ecclesiæ. Et plura alia juraverunt supradicti Ambaxiatores, & Syndici. Tunc Papa promulgavit quamdam generalem absolutionem, ubi absolvit Rectores, & Clerum, Communitatem, & populum Civitatis Mediolanensis, & districtus; & reddidit eos habiles ad statum pristinum, famam, privilegia, honores, venditiones, & jura quæcumque perdita propter excessus factos contra Ecclesiam. Absolvit etiam Clerum, & omnes personas Ecclesiasticas ab omni inregularitate, quam incurrerant celebrando, vel divinis se immiscendo, dum tamen hoc non fuerit factum in contemtum clavium. Et tunc suspendit interdictum usque ad certum tempus. Quòd si pacta non fuissent servata, absolutio sit nulla. Et hæc omnia supradicti Ambaxiatores cum gratiarum actione multiplici acceptaverunt. Et ut Vicecomites haberent causam standi in pace cum Ecclesia, Johannes Papa dedit Episcopatum Novariensem Johanni Vicecomiti Ordinario Ecclesiæ majoris, Vercellinum supradictum recepit ad Robas Papales, & plures ex Vicecomitibus fecit Ordinarios Ecclesiæ majoris. De uno graviter Johannes Papa conquerebatur de Mediolanensibus, quia recipiebant Johannem Regem Boëmiæ, quia gubernatio Regni Italiæ, vacante Imperio, pertinet ad Ecclesiam. Et de hoc habetur una quæstio disputata superiùs Libro septimo, Capitulo CCCLI.

Liga facta inter Azum Vicecomitem, & Mastinum de la Scala.

ISto tempore facta fuit quædam conjuratio fortis, sive liga inter Azum Vicecomitem, & Mastinum de la Scala dominum Civitatis Ve-

Veronensis. Et diviserunt provinciam inter se in duas partes; videlicet quòd Mastinus de la Scala intra Lollium, & Paduam haberet, & Azo citra Lollium, & ultra Padum praeoccuparet. Et infra modicum tempus ambo terras Regis Boëmiae obtinuerunt, quia Mastinus habuit Brixiam, & Azo Vicecomes hostiliter Pergamum superavit die XXVII. Septembris. Deinde totum obtinuerunt, ut infra dicetur in locis suis. Tunc Azó Vicecomes Civitatem Pergamensem pacificavit, illos de Rivola contrariae factionis in domum reduxit; diversas munitiones erexit, Ecclesias in suo jure posuit, & omnia bene disposuit. Fuit autem vir totius virtutis. Tunc temporis incoepit terras,& Civitates reintegrare, justitiam tam Guelfis, quàm Gibellinis facere: quod numquam aliquo tempore à memoria fecerat. Immo totum oppositum factum fuerat. Johannes autem Rex Boëmiae his auditis vehementer infremuit. Deinde Civitas Vercellensis Azum Vicecomitem in suum dominum vocavit; & contra suam consuetudinem isti Civitati pacem non dedit. Sic ergo tres Civitates sibi subjecit, scilicet Mediolanum, Pergamum, & Vercellas.

De magnificentiis Johannis Vicecomitis Episcopi Novariensis.

Christi Anno MCCCXXXIII. Eminente in Sede Apostolica Johanne XXII. Sedente Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolani, factus fuit Potestas Mediolanensis Lanfrancus Mussus de Novaria per dimidium annum; deinceps fuit Potestas Zanotus de Flisco Januensis. Isto tempore Johannes Vicecomes factus Episcopus Novariensis, ingressui Civitatem Novariensem, Cazinum de Torniellis dominum illius Civitatis personaliter cepit, atque in carcere inclusit, & dominium Civitatis tam in temporalibus, quàm in spiritualibus obtinuit; Ubi fortissimum Castrum erexit, Castra, & jura Ecclesiae diù conculcata instauravit. Johannes Papa audito, quòd Cazinus de Torniellis hostis Ecclesiae publicus, esset captus, & quòd Civitas inciperet obedire Ecclesiae, multùm exultavit, & Johannem Episcopum Novariensem supradictum, instituit Conservatorem Archiepiscopatus Mediolanensis, ut in temporalibus esset dominus Archiepiscopatus, datis MD. florenis omni anno Fratri Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi. Ipse enim Ottonis Vicecomitis Archiepiscopi patrui sui vestigia imitatus, jura Ecclesiae Mediolanensis totis viribus instauravit, perditos re-

A ditus recuperavit, palatia, & domos, & salas Archiepiscopatus refecit de novo. Duo Palatia in Curia Archiepiscopali fundavit, ex opposito se respicientia in modum claustri quadrati. In Comitatu per omnes terras Archiepiscopi salas, domos, & palatia fabricavit. Hic Johannes Episcopus Novariensis fuit, & est ultra modum, quàm credi possit magnificus in domicellis, Capellanis, equitaturis, servitoribus, falconibus, asturibus, accipitribus in maxima quantitate, & aliis diversis apparatibus ciborum, & vestimentorum. Nec est in Italia Praelatus, nec fortè in Curia Cardinalis adeò gloriosus. Ad divina bene se habet, Religiosas personas honorat, Justitiam diligit & aequitatem. Multos haereticos in servitium Fidei captivavit. Elemosynarius exstitit.

B

Error de visione beatifica Johannis Papae.

Isto tempore Johannes Papa incidit in errorem de Visione beatifica, quia dixit, quòd Sancti non vident divinam essentiam clarè & apertè, & absque medio. Contra istum errorem totus Ordo Praedicatorum insurrexit, & peractis multis disceptationibus, & persecutionibus contra Fratres Praedicatores, finaliter subcubuit Papa, & errorem suum recognovit, & per publica instrumenta retractavit. Unde ejus

C successor determinavit, quòd anima separata videt divinam essentiam clarè & apertè, sicut videbunt post diem Judicii, & quòd Virtutes Theologicae, scilicet Fides, & Spes remanent in anima separata quantum ad habitum: & quicumque dixerit contra aliquod praedictorum, tamquam haereticus comburatur. Ubi est notandum, quòd Johannes Papa fuit major amicus Fratrum Praedicatorum, quàm aliquis Papa, qui umquam fuerit, licèt de ipso Ordine fuerint plures Summi Pontifices. Ipse enim de Ordine Praedicatorum fecit CCXXII. Episcopos, vel Archiepiscopos; omnem gratiam eis fecit. Tamen quando a vera Fide divertere visus est, totus Ordo Praedicatorum contra ipsum insurrexit. Unde illos Fratres Papa privavit, ne pos-

D sent in Avinione praedicare; plures ex ipsis incarceravit; eos super omnes homines Mundi in odio habuit (1). Nec propter hoc ille Ordo à veritate recessit. Imò Papa per ipsos superatus retractavit. Eodem modo Ordo Predicatorum, de quaestione, de paupertate Christi contra multos praevaluit, quia ambae opiniones, scilicet de paupertate Christi, & de visione beatifica sunt articuli condemnati, & erronei, ut dictum est.

(1) Notissimum reor cuique erudito viro errorem hunc de visione beatifica in Johanne XXII. privatam tantummodo opinionem fuisse nondum eo tempore ab Ecclesia damnatam, eamque nec obstinatè ab ipso retentam, nec aliis de fide propositam, ut ex ejusdem professione tum in publico Consistorio apud Raynaldum anno 1334. num. 29. tum prope mortem apud Johannem Villanium coaevum lib. 11. cap. 19. dilucidè patet. Quod autem hic Auctor exaggerat; odium nempe adeò intestinum ferumque Johannis in Ordinem Praedicatorum, vix ulli persuasum crediderim, cùm nec soli essent hujus inclyti Ordinis Viri, qui hac in re Johanni refragarentur, testante Spondano multos in illum concitatos adversarios, tam ex iisdem Cardinalibus & Praelatis, quam ex aliis ubique Sacrae Theologiae Doctoribus, omniumque Ordinum Religiosis viris ad annum 1333. num 1. solus verò ipse sit ex Scriptoribus hactenus à me perlectis, qui hujus vindictae invidiam in eum Pontificem congerat. Verum quidem est in hujusmodi impugnatione prae-

E cipuos fuisse Dominicanae familiae alumnos, *è quibus nonnullorum etiam usque ad poenas zelus enituit*, ut idem Spondanus prosequitur; sed Bzovius Ordinis sui gloriae addictissimus duos tantummodo enumerat Fr. Thomam VValentem Anglum, & Fr. Durandum de S. Portiano, quorum primus à Quaestore Fidei Franciscano in carcerem conjectus est, eo quòd in amplissimo Episcoporum & Patrum consessu Avenionis differens, in assertores contrariae opinionis divinam maledictionem imprecatus, non obscurè Johannem Pontificem perstrinxisset; alter minas quidem persensit, sed carcerem non adiit, concluditque: *Uterque non minùs doctè, quàm constanter & verbo & scriptis pro catholico dogmate egit, calamitatemque nonnullam, & sustinuit, & Religioni Praedicatorum à Franciscanis accersivit*. Ab his itaque Pontificiae opinionis fautoribus, non ab odio Pontificis, (si Bzovio fides) profectam credere possumus, & quidem modicam Dominicani Ordinis vexationem.

est. Eodem tempore Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis in Monasterio Sancti Ambrosii post majorem capellam ædificavit Palatia, & salas, & cameras, & viridaria, & diversis figuris decoravit, ubi æstivo tempore habitare consuevit.

Johannes Rex Boëmiæ iterum intravit Italiam.

CHristi Anno MCCCXXXIV. Eminente in Avinione Papa Johanne, Johanne Episcopo Novariensi gubernante Ecclesiam Mediolanensem loco Fratris Aychardi Archiepiscopi Mediolanensis, sub dominio Azi Vicecomitis, factus est Potestas Mediolanensis Anrichus de Rivola Pergamensis per dimidium annum. Deinde fuit Potestas Milanus de Beccharia Papiensis. Isto tempore Johannes Rex Boëmiæ audito, quòd Civitates sibi subjectæ divellerentur, congregatâ nobili militiâ Gallicorum & Theutonicorum, intravit Italiam sua jura recuperaturus. Quo audito Azo Vicecomes exercitum undique parari jussit. Et Mastinus de la Scala Dominus Civitatis Veronæ, misit Mediolanum octingentos milites; & Florentini miserunt CCCC. milites, qui omnes venerunt Mediolanum. Tunc Azo misit Ludovicum Vicecomitem cum mille militibus Papiam, & contradicentibus Papiensibus, ipse Ludovicus violenter intravit Papiam, circa Festum Sancti Martini, & Civitatem Papiensem obtinuit; sed Castrum, quod Rex Boëmiæ communiverat, obtinere non potuit. Et sequenti anno de mense Martii die XIV. Rex Boëmiæ cum magno Exercitu militum Francorum & Theutonicorum intrans Italiam, Civitatem Papiensem obsedit: quam cùm capere non posset, Castrum, quod erat in Civitate intravit, & suum vexillum super murum Castri erexit, quod Mediolanenses cum machinis de muro præcipitaverunt, & magno fossato ostium Castri vallaverunt, ita ut nullus de gente Regis egredi posset. Tunc Rex videns se undique à potentia Mediolanensium coartari, de Castro exivit, & ingressus territorium Civitatis Mediolanensis, transito Lambro, Landrianum igne ferroque vastavit, & discurrens per Comitatum Mediolani omnia destruxit. Nullus obstitit; sed deficientibus victualibus recessit. Territorium Pergamensium perlustravit, & transiens per Cremonam pervênit Parmam, ubi assumto secum Carolo filio suo in Franciam rediit. Isto tempore Beltrandus Episcopus Ostiensis nuper factus Legatus Ecclesiæ sæpiùs supra memoratus, erat in Bononia; & congregans mirabilem exercitum, Civitatem Ferrariensem, ubi erant Domini Marchiones Estenses, consanguinei germani Azi Vicecomitis, potenter obsedit, atque ferè fame consumsit. Azo autem Vicecomes suorum consanguineorum non sustinens jacturam tam fortem, misit Pinallam de Aliprandis virum fortem cum sexcentis militibus in auxilium Marchionum Estensium. Qui veniens Ferrariam, in obsidentes irruit, & multos exterminavit, hostes fugavit, & Civitatem Ferrariensem de mirabili miseria eripuit. Et interfecti sunt, & in Pado submersi ferè innumerabiles die XIII. Aprilis. Deinde supradictus Pinalla de Aliprandis obtentâ victoriâ de hostibus, Mediolanum rediit.

Legatus Ecclesiæ fuit expulsus de Italia.

BEltrandus Ostiensis Episcopus Italiæ Legatus, qui tunc erat in Bononia, audita suorum strage ingemuit, & totum imputans Mediolanensibus, suis literis animum Summi Pontificis contra Azum Vicecomitem concitavit. Nec multo post die XVII. Septembris, Cives de Bononia contra ipsum Legatum Dominum suum insurrexerunt, Raynaldo Marchione Estensi dante auxilium. Tunc conclamatum est: *moriatur Legatus, qui Populum Bononiensem tot periculis exposuit*. Et obsederunt Legatum in Castro suo diebus X. mittentes sagittas & ignem. Tamdem fame perurgente Legatus Castrum dereliquit. Tunc Bonomienses quemdam de familia Legati eviſceraverunt; ejus membra canibus projecerunt; Capellanos & Prælatos exspoliaverunt, & diversis tormentis affecerunt; Legatum vituperabiliter ejecerunt: propter quod incurrerunt crimen læsæ Majestatis Sedis Apostolicæ. Propter quod Summus Pontifex Civitatem Bononiensem supposuit Ecclesiastico interdicto, personas culpabiles nominatim excommunicavit, Studium abstulit; omnia privilegia Papalia, sive Imperialia cassavit; omnes Judices, Notarios, & alios Officiales ab omni actu legitimo suspendit, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis concessis Cisterciensibus, Prædicatoribus, vel Minoribus. Innodatus autem fuit in istis sententiis Raynaldus Marchio Estensis cum omnibus suis complicibus. Isto anno die 23. Novembris, Johannes Grassus exiens de Canturio Civitatem Cumanam in meridie hostiliter ingressus est, ubi multis peractis prœliis, Ravizza Ruscha occubuit: attamen Civitas superari non potuit.

Civitas Cremonensis subjicitur dominio Azi Vicecomitis.

CHristi Anno MCCCXXXV. supradictis exstantibus concurrentiis. Plures loco potestatis rexerunt Civitatem; & die XXVIII. Julii factus est Potestas Mediolanensis Ursus Kavistianus de Venetiis, & rexit annis quatuor. Isto tempore cùm Pontius de Pontiis Civitatem Cremonensem nomine Johannis Regis Boëmiæ gubernaret, Azo Vicecomes hostiliter Civitatem Cremonensem invasit de mense Aprilis; & post longam obsidionem ipsam potenter obtinuit die XV. Julii, quam Avus ejus, & pater diversis temporibus armis subjugaverant, &, ut habetur in Chronica, quæ dicitur Lectiflorum, quam composuit Gaschapinus Cremonensis, Azo Vicecomes ipsam Civitatem Cremonensem reintegravit, & de serva liberam fecit, quæ LXXXIX. annis in magna miseria fuerat, primò sub dominio Uberti Marchionis Pelavisini annis XVIII. qui omnia mala fecit; postea sub dominio Bossii de Dovaria minùs uno anno, postea rexit pars Capelletorum annis XLVI. Postea Henrichus Imperator; deinde Matthæus Vicecomes. Postea Galeatius filius ejus. Deinde Johannes Rex Boëmiæ. Postea Azo Vicecomes, qui ipsam superavit anno Domini MCCCXXXV. die XV. Julii. Tunc etiam temporis nobilis miles Luchinus Vicecomes cum magno exercitu, adjuncto sibi Mastino de la Scala, Civitatem Parmensem invasit, omnia devastavit; similiter Civitatem Regium, & Civitatem Mutinensem ferè consumsit. Isto tempore Nobilis Domina Beatrix Marchionissa Estensis, Mater Azi Vice-

co-

comitis moritur primò die Septembris, & cum mirabili honore in tumulo marmoreo in domo Fratrum Minorum tumulatur in Capella, nobili & ornatissima, quam adhuc vivens fabricari fecerat, & maximum thesaurum filio suo dereliquit usque ad quantitatem quadraginta millia florenorum auro, & multa alia. Tunc temporis Cives de Papia sui idoli Regisolis absentiam non sustinentes, quod Mediolanenses de alta pila dejecerant, cùm Civitatem superassent, in Civitate Mediolani per domos & familias frusta & petias comparaverunt, & ipsum deintegrantes deauraverunt, & in pulsa alta erexerunt, & tenet manum extensam versùs Mediolanum, quasi velit jurare fidelitatem Civibus de Mediolano, qui ipsum tamquam servum Papiensibus vendiderant. Isto tempore stupendum monstrum apparuit, quia in partibus circa Monasterium de Morimundo in nivibus apparuit vestigium pedum unius Gygantis, qui habuit pedes magnos ad staturam hominis communis staturæ, & fuit distantia inter passum, & passum ferè quatuor brachiorum. Et cùm multi ipsius vestigium fuissent insecuti, in fluvio Ticino disparverunt vestigia; & creditur, quòd contra Ticini fluenta petierit montes Alamaniæ; vel fortè fuit Diaboli illusio.

Benedictus hujus nominis XII. fit Papa.

EOdem Anno MCCCXXXV. Johannes Papa moritur in Avinione die XII. Decembris, qui dimisit in Ecclesia XXII. milliones florenorum, exceptis aliis thesauris indicibilibus; nec habuit Mundus Christianum ditiorem. (3) Opinionem de visione beatifica retractavit, ut supra dictum est. Tunc Cardinales congregati elegerunt in Papam Benedictum XII. Ordinis Cisterciensis die XVI. Decembris. Hunc Benedictum Papam, ejusque conditiones qui cognoscere cupit, è contrario proprietates Johannis sui prædecessoris aspiciat. Quia ille Papa Johannes fuit corpore parvus, & siccus; iste fuit magnus, & collo, & omnibus membri arumatus, ita quòd horribilis fuit ejus aspectus. Ille fuit cibo & potu ad punctum mensuratus; iste fuit comestor maximus, & potator egregius. Ille fuit in concedendis gratiis ultra modum benevolus; iste fuit crudelissimus; retinuit enim CCCXXX Beneficia mitrata cum baculis pastoralibus, & sic Ecclesiarum non Pastor, sed destructor fuit. Ille fuit omnino negotiorum expeditor citissimus; iste ferè numquam expedivit, de quo dici potest quòd numquam aliquid rectius egit, quàm mori (4). Sedit autem annis VI. mensibus IV. & diebus IV. Obiit autem Anno Domini MCCCXLII in die Sancti Marci, & vacavit Sedes diebus XIII. Tunc Azo Vicecomes volens se ostendere esse filium Ecclesiæ, nobilem ambaxiatam ad Curiam misit, inter quos fuit Frater Lanfrancus Ordinis Eremitarum, Magister licentiatus Parisius ex illis de Setara. Quos honorificè Papa suscepit. Tunc Guidolus de Calice Syndicus, & Procurator Communitatis Mediolanensis juravit in præsentia Papæ ex parte Azi Vicecomitis Domini Civitatis Mediolani, & ex parte Communitatis servare pacta facta inter Papam, & Civitatem Mediolanensem, de quibus supra dictum est. Et sub isto tenore absolutionem impetravit in hunc modum: Si pacta servata fuerint usque ad Festum omnium Sanctorum, Papa Benedictus absolvit Vicecomites, Clerum, Commune, & Populum Civitatis, & districtus ab omnibus processibus, pœnis, sententiis, juris, vel hominis, & interdicti. Aliter si pacta non fuerint servata, omnia sunt cassa, irrita, & nulla, & habeantur penitus pro infectis. Eodem anno circa Festum omnium Sanctorum Syndicus Communitatis ad Curiam ivit, & omnia supradicta, & pacta, gesta, promissa, jurata ratificavit solemniter, & approbavit, & tunc interdictum amotum fuit.

De magnificentia ædificiorum.

AZo Vicecomes considerans se cum Ecclesia fore pacificatum, & ab universis hostibus esse liberatum, disposuit cor suum, ut domum sibi faceret gloriosam, nam dicit Philosophus in quarto Ethicorum, quòd opus magnifici est præparare domum decentem; nam populus videns habitationes mirabiles, stat mente suspensus propter vehementem admirationem, sicut habetur in sexto Politicorum. Ex hoc opinatur, Principem esse tantæ potentiæ, quòd sit impossibile posse ipsum invadere: sit etiam habitatio magnifica, conveniens habitatio pro multitudine Ministrorum: Insuper requiritur ad Magnificum Principem construere templa magnifica honorabilia, unde dicit Philosophus in quarto Ethicorum, quòd honorabiles sumtus, quos debet facere Princeps magnificus, sunt circa Deum. Ex hoc incipit Azo Vicecomes supradictus duo opera magnifica construere; primum id, quod respicit cultum divinum, scilicet Capellam mirabilem in honorem Beatæ Virginis, (5) & Palatia magnifica suæ habitationi convenientia. Et primò dicendum est de Capella, postea de aliis.

De

(3) Spondanus ad annum 1334 num. 3. ægrè adduci se patitur, ut credat tantam auri copiam à Johanne relictam. Hujusmodi tamen famæ pondus facit ea ætate viventium, & Auctoris nostri, & Villanii testimonium, qui lib. 11. cap. 20. valorem pecuniæ, gemmarum & supellectilis ultra 25. millionum Florenorum auri æstimatum scribit. Quæ fuerit pia mens illius Pontificis in comparando tam divite censu, cùm circa se ipsum frugis, ac modestus admodum foret, apud eundem Spondanum lege.

(4) Iniquè nimis ac immeritò sanctam hujus Pontificis vitam carpit Galvaneus. Præclarissima illius gesta, quæ ex manuscriptis Vaticano, Fuxensi, & Parisiensi Raynaldus, & Bosquetius prodidere, reum enormis mendacii auctorem hunc faciunt. Id unum sufficiat, quod Raynaldus & Baluzius in ejusdem vita Ptolomeo Lucensi adscripta typis prodidere, videlicet inter prædecessores sui nominis non reperiri, qui ipsum meritis excesserint, aut etiam attigerint, *& si fas sit scribere, post martyres & alios, quos Ecclesia veneratur & colit ut Sanctos, inter meliores ipsum unum fuisse, & esse meritò reputandum.*
Porrò Chrysostomus Henriquez tomo II. Fasciculi Sanctorum Ordinis Cisterciensis ejusdem vitam titulo *Beati* adjecto fusè recitat, quod idem præstitere Menardus, & Buccelinus in Menologio Benedictino ad XXV Aprilis. A Saussajo, & Chalemontio inter *Pios* recensetur, ut ad eum diem adnotant Bollandiani.

(5) Sancto etiam Gotardo, cujus nomen in præsens retinet, dicatam tradunt Corius, Morigia, aliique passim Scriptores, asserentes ea ductum religione fuisse Azonem, quod levandis articulorum doloribus, quibus ipse vehementer laborabat, Patronus ille peculiaris haberetur.

De Capella, & Campanili, & Sacristia, & horilogio.

CApella Beatæ Virginis est intra alta mœnia, & est super tribus voltis testudinata. Ibi sunt picturæ mirabiles ex auro & azurro opere mirifico. In principali Capella, ubi est altare majus, sunt factæ cortinæ ex metallis, & gemmis. Historiæ de Beata Virginæ; fenestræ mirabiles, nec est tale opus, nec tam admirabile in universis Regnis. Chorus est tabulatus ex ebore opere mirabili. Sunt duo pulpita in medio Chori ex ebore, grandia valde & alta, quod videre est omnino stupendum. Sunt Altaria multa cum ornamentis ex auro serico, & plura talia, quæ bene nec scribi, nec lingua narrari possent. Ibi sunt Calices magni ponderis, vasa pro deferenda aqua benedicta ex porfyritico lapide cum ornamentis argenteis. Sunt ibi Reliquiæ Sanctorum multorum. Inter alia est una parva Crux ornata pretiosis margaritis, ubi est lignum Sanctæ Crucis, quod injectum igni intactum resilivit, & ostensum imbribus, & tempestatibus omnem pestem fugat. Quid plura? Fertur quòd illa ornamenta, quæ sunt in Sacristia valent plus, quàm viginti millia florenorum, exceptis ædificiis. In latere Capellæ est constructum Campanile rotundum ex coctis lateribus, ornatum à summitate deorsum columnellis marmoreis, quod videre est quædam magna delectatio. In summitate est unus Angelus ex metallo habens in manu Vexillum cum Vipera. Et licèt in summitate Campanilis sint plures campanæ, est ibi unum Horilogium admirabile, quia est unum tintinabulum grossum valde, quod percutit unam campanam XXIV. vicibus, secundùm numerum XXIV. horarum diei, & noctis, ita quòd in prima hora noctis dat unum tonum, in secunda duos ictus, in tertia tres, & in quarta quatuor, & sic distinguit horas ab horis (6): quod est summè necessarium pro omni statu hominum.

De Turri, & Aviaria, & Sala.

ÆDificia ejus, sive Palatia nullus posset sufficienter exprimere. Inter alia est una Turris magna, distinctis solariis habens cameras, salas, deambulatoria, lavatoria, hortos, & plura alia diversis picturis ornata. In pede Turris, & circumquaque sunt cameræ multæ, & ornatæ cum tam mirabili picturarum decore, quòd vix Mundus habeat pulcriora ædificia, ubi sunt cubicula cum ornatu nobili nimis, sunt ostia ante ostia cum portariis instructis, ne sit ad eum facilis ingressus sinè speciali licentia. Ante ostium cameræ est una cavea magna, sicut unum Palatium, undique retibus æreis conclusa. Ibi sunt omnia genera avicularum dantes sonoras melodias, quod videre est non solùm pulchrum, imò admirabile nimis. Habet etiam in diversis caveis diversa genera animalium, scilicet Leonem, Ursos, Symias, Baboynos, & multa talia. De avibus habuit strutionem, in cujus ventre inventa sunt plusquam CC. ova. In latere illius magnæ caveæ, ubi sunt aviculæ, ex opposito est una magna Sala gloriosa nimis, ubi est depicta Vanagloria, & depicti sunt illustres Principes Mundi Gentiles, ut Æneas, Atyla, Hector, Hercules, & alii plures. Inter quos est unus solus Christianus, scilicet Carolus Magnus, & Azo Vicecomes; suntque hæ figuræ ex auro azuro, & smaltis distinctè in tanta pulcritudine, & tam subtili artificio, sicut in toto Orbe terrarum non contingeret reperiri.

De duobus Fontibus.

INtroducti sunt insuper per cuniculos duo vivi Fontes impetuosè fluentes, qui in quodam Claustro per diversos meatus se diffundunt intra muros quadratos. In medio est una columna erecta obtua, in cujus summitate est unus Angelus habens in manu Vexillum cum Vipera, sub cujus pedibus sunt quatuor ora Leonum, unde Fons subrepens ad ima demergitur. In Fonte sunt diversa genera Piscium. Ex uno latere Fontis prominet claustrum pulcherrimum, ubi sunt naves, & aliæ figuræ Punicum bellum designantes. Ex altera parte Fontis est Viridarium amœnum nimis cum floribus, & frondibus, ubi sunt aves lacuales, & marinæ, numquam apud nos priùs visæ. Isti Viridario supereminet quoddam Palatium altum valde, in cujus fundo est Cellarium. Superiùs sunt habitacula pro familiis. Sunt insuper circa istum Fontem mirabiles picturæ, & ornatæ mansiones, ubi est quoddam horilogium, & plura talia, quæ enumerare esset nimis longum.

De Claustro Religiosorum.

IN fine istius Fontis est Capella supradicta. Ultra Capellam est constructum Claustrum. Ibi est Claustrum quadratum ornatum cum lavatorio æneo, Refectorio, ceterisque Officinis opere ornato, & quodam modo mirabili. Ibi sunt cellæ superiùs, & deambulatoria cum picturis & figuris decentibus. (7) Quid plura? Si quis consideret ejus Palatia, & domos, omnia sunt plena Fabris, Scriptoribus, Sculptoribus, Vitriariis, Lignariis, & diversis Artificibus. Actor omnia supra dicta brevibus versibus comprehendens sic ait.

Versus continentes omnia magna opera Azi Vicecomitis.

Tribus pro muris, cincta est Metropolis altis.
Lapideis Castris lymphis fortissima nimis.
Arx munita muris centro subrigitur Urbis.
Soldano carris laurus tutissima bellis,
Broletis binis vetus novatur ab imis,
Excedit mœniis faustis in coclea fanis
Distinctis horis; onager miratur in illis
Caupo fabrilis flamen acus gloria cinis
Prodit cherubalis umbras, aut climata lucis
Hydra cuniculis reptat ditata litellis.
Versatis fistulis salit turgentibus undis.
Illion, Birsa paris Dido lymata carinis.

An

(6) Conjectare hinc licet sub Azone tantummodo Principe in Urbem nostram primò inductam artem, ut sonoris hujusmodi instrumentis de horarum decursu populus moneretur, cùm Galvaneus id veluti rem admirabilem adeò minutim describat. Extat adhuc elegans hæc turris vix aliquo exterius ornamento edacis temporis injuria decusso, & horologium Hispanico, non ut ea ætate, Italico more horas designat.

(7) Ab Azonis Vicecomitis tempore usque ad Ludovicum Mariam Sfortiam Mediolani Ducem perduravere in hoc Cœnobiolo Fratres Ordinis S. Francisci, Conventuales appellati, qui divina ibidem officia & sacra ad Principis Aulæque commodum peragebant.

An sit quid pluris, latet subacta ruinis.
Babel altissimis turris subvehitur alis
Eques Bisantis vexilla propria valvis
Orpheus lyris nitida thamure saxis
Virgilius, Canis, Azo spectabilis illis.

Civitas Cumana subjicitur, & Castrum de Crena subvertitur.

CHristi Anno MCCCXXXVI. Eminente in Sede Apostolica Benedicto XII. Johanne Vicecomite Episcopo Novariensi gubernante Archiepiscopatum vice Fratris Aycardi Archiepiscopi Mediolanensis, sub dominio Azi Vicecomitis, supradictus Ursus Kavistinianus Venetus est in regimine refirmatus. Isto tempore nobilis miles Ludovicus Vicecomes, suborta quadam turbatione cum suis, de Civitate Mediolani abiit. Cujus Castrum fortissimum, quod dicebatur Castrum de Crena in Seprio, sub longa obsidione funditus fuit eversum die XXVIII. Julii. Eodem anno Frater Benedictus Episcopus Cumanus congregans exercitum per aquam & terram totum Episcopatum Cumanum subjugavit, Castra fortissima obtinuit, & hostiliter usque Cernobium vênit. Videns Francischinus Rusca dominus Civitatis Cumanæ non posse resistere Episcopo Cumano, Civitatem Cumanam dominio Azi Vicecomitis tradidit die ...... Augusti in festo Sancti Christophori. Quam cùm ingressus fuisset Azo supradictus Episcopum Cumanum in sua Sede reposuit; omnes exules ad suas proprias domos revocavit; cuncta pacificavit; & ad tutelam Civitatis murum altissimum & fortissimum per dimidium Civitatis produxit, dividens Civitatem in duas partes. Intra murum inclusit Ecclesiam majorem, domum Potestatis, Forum commune, & duo fortia Castra; & istam partem, exclusis Civibus de Cumis, implevit ex Civibus de Mediolano, & stipendiatis, & potentissimè armavit. Versùs Mediolanum super portam Civitatis aliud fortissimum & inexpugnabile castrum erexit; totum Episcopatum Cumanum, & omnia Castra custodiis Mediolanensium commendavit. Insuper Leucum cum tota riperia, quod fuerat Communitati Mediolani, ferè per XL. annos rebelle, immediatè subjecit Civitati Mediolanensi. Et volens super Leucum liberum habere introitum, super Lacum pontem ex sectis saxis fundavit super octo arcus altissimos, constructis in utroque cornu pontis duabus fortissimis Turribus: nec invenitur ferè pons pulchrior in partibus nostris. In burgo etiam de Leuco super riperia lacus aliud extruxit forte Castrum, quod optimè custodiri præcepit. Sicque Azo Vicecomes Comitatum Mediolani quàm plurimum ampliavit, & magnificè sublimavit. Item burgum de Canturio muro & turribus circumdatum, diu Communitati Mediolanensi inobedientem obtinuit, & communivit: & sic cum gloria Mediolanum remeavit.

Laude, Crema, Caravazium subjiciuntur.

VIdens autem Azo Vicecomes sibi astra militare, & aërem fortunis perflare, nil cunctatus, congregans exercitum, & navigium, Civitatem Laudensem per aquam & per terram potenter invasit, quam igne, & ferro, & diversis prœliis violenter obtinuit die ultimo Augusti, quam numquam aliquis ex suis majoribus superare potuit. Et statim Episcopum Laudensem in sua Sede collocavit; plusquam MMM. virorum exulum ad propria reduxit; & Castrum fortissimum fundavit super portam Civitatis versùs Mediolanum, & diligenter communivit. Sicque cunctis in pace dispositis, attendens quòd Castrum Cremense per XIV. ferè annos, quasi quædam vorago hostes omnes, & omnes guerras super territorium de Mediolano evomuerat, cogitavit eos domare. Ex hoc perterriti Cremenses ad eum venerunt portantes claves terræ suæ, quos clementer Azo Vicecomes suscepit, & Castrum fortissimum ibi erexit, & contra suam consuetudinem extraneos in propriam domum non reduxit, licèt pacem eis dederit. Exinde progressus Castrum de Caravazio, hostium nidum & receptaculum, in deditionem accepit. Similiter in Burgo de Romano, qui quondam invictus exstiterat, obtinuit, & duo fortia Castra erigi præcepit.

De Festo Corporis Christi.

JOhannes Episcopus Novariensis, ac Ecclesiæ Mediolanensis conservator, Azi Vicecomitis patruus, attendens Dei beneficia facta Vicecomitibus, Festum de Corpore Christi celebrari ordinavit (8). Ibi fuit universus Clerus, & quædam mirabilis processio Religiosorum, qualem Roma sibi ipsi relicta facere non potuisset. Et unus Episcopus in Pontificalibus Corpus Christi in Ecclesia majori portavit cum cantibus & solemnitatibus mirabilibus. Per viam erat tanta cereorum numerositas, quòd nullus nisi vidisset credere posset. Cùm Corpus Christi appropinquaret Monasterio Sancti Ambrosii, tunc Episcopus Novariensis in Pontificalibus cum mitra Episcopali Corpus Christi de manu alterius Episcopi sustulit, & usque ad Altare Sancti Ambrosii portavit. Fuerunt in ista processione Azo Vicecomes dominus Civitatis cum aliis nobilibus; & fuit computatum, quòd promiscui sexus personæ festivitati interfuerunt ultra centum mille. Postea per alium Episcopum Corpus Christi ad aliam Ecclesiam majorem fuit reportatum. Fecitque Episcopus Novariensis supradictus grande convivium in domo sua juxta Sanctum Ambrosium, nobilibus dominabus, & aliis quampluribus, statutumque fuit, quòd perpetuis temporibus hæc solemnitas celebraretur.

De Campanili Ecclesiæ majoris & Imagine quadam.

QUoniam magnificum Principem decet facere magnos sumtus circa totam Communitatem, dicente Philosopho in ethicis, quòd bona communia habent aliquid simile bonis Deo sacratis. Bonum enim divinum in una persona singulari, vel in uno privato, sive particulari, debiliter repræsentatur; sed in tota Communitate pulchriùs lucessit cultus, sive bonum divinum: Ideo Azo Vicecomes dominus Civitatis, ad quem spectat cura totius universitatis, post particularia sua mœnia, ad communia ædificia procuranda magnificus accessit. Et omisso muro Civitatis, de quo supra di-

(8) Quod serò admodum, post institutum anno 1264. ab Urbano IV. solemne Corporis Christi Festum, hæc celebritas apud nos invaluerit, tribuendum putaverim frequentibus Principum Vicecomitum, Gibellinas partes foventium, cum Ecclesia dissidiis. Fortasse etiam interruptam Johannes Vicecomes tantummodo renovavit.

dictum est, ad turrim Ecclesiæ majoris, quæ destructa jacuerat annis ferè CLXXX. summum studium in reædificando adhibuit, cœpitque ipsam erigere magnis sumtibus; & posuit in circuitu in scutis marmoreis vexilla sex portarum. Item vexilla Ecclesiæ, & Imperii, & Vicecomitum. Et quia spondilia istius turris & Ecclesiæ majoris erant tabernis conjuncta, fecit omnia dirui; & sic unam magnam plateam jussit explanari pro venditionibus satis utilem. Et, ut fertur, ibidem debet poni in latere turris, quæ respicit Ecclesiam Sanctæ Teclæ, una Imago in equo deaurato, quæ repræsentat personam ipsius Azi Vicecomitis. Quanta autem sit futura altitudo istius turris, ignoratur; sed quondam habuit in altitudine CCL. brachia vel CCXLV. in cujus summitate fuit unus baculus pastoralis. Insuper in porta Ticinensi aliam turrim elevavit, & statuit similiter fieri super omnes portas Civitatis. Eodem modo fecit elevari turrim Credentiæ, & turrim, quæ est in latere Palatii duodecim, quæ fuit antiquitus Campanile Ecclesiæ majoris. Et in Broleto novo juxta lobiam marmoream, lobiam sub diversis arcubus complevit, ubi subtus sunt plura campsorum habitacula.

De Stratis, & Cloacis.

ET quod spectat ad magnum decorem Civitatis, & consolationem itinerantium, statuit, quòd strata super murum exteriorem adæquaretur, & haberet latitudinem XII. brachiorum. Hoc ipsum jussit fieri circa murum interiorem, ut haberet strata XXX. brachiorum spatium. Statuit etiam, quòd per Civitatem fierent Cloacæ subterraneæ, ubi colarentur domorum stillicidia, & non fieret lutum per stratas Civitatis. Isto tempore Ludovicus Bavariæ Imperii usurpator solemnes Ambaxiatores misit Avinionem ad Papam Benedictum, ut ipsum confirmaret, & coronaret in Imperatorem. Cui Papa respondit in hæc verba. *Ludovicus Bavariæ aut est Imperator, aut non. Si est Imperator, non indiget nostra confirmatione aut Coronatione. Si non est Imperator, quare utitur insigniis Imperialibus, ut corona pyramidali aurea, & sigillat literas suas aurea bulla, & intitulat, sive nominat se Imperatorem, addito numero nomini suo? Ergo primò deponat omnia insignia Imperialia, & renuntiet hæresi de paupertate Christi; deinde veniat ad nostros pedes, & suscipiat pœnitentiam de excessibus factis contra Ecclesiam; & postea providebimus de Imperio, prout nobis videbitur expedire, quia ad nos pleno jure pertinet electio Imperatoris, & confirmatio, & coronatio.* Quære supra. Isto tempore cùm Johannes Rex Boëmiæ bellum facere vellet cum Alberto, & Ottone Ducibus Austriæ propter quamdam successionem Ducatus Karinthiæ, Bruzius Vicecomes cum CC. militibus illuc perrexit in auxilium Ducum Austriæ. Cùm autem ad campum procederet utraque acies, per Ludovicum Bavariæ Imperii usurpatorem statutum fuit, ut nullus Princeps, aut Prælatus vexillum erectum ad bellum deferret, excepto supradicto Ludovico, & Ducibus Austriæ. Quòd cùm omnes Principes vexilla deposuissent, solus Bruzius Vicecomes ad bellum processit cum suo vexillo erecto. Ludovicus autem Bavariæ auctoritate Imperiali ei præcepit, quòd vexillum deponeret; qui magno usus animo respondit: *In Lombardia cùm ipse Ludovicus contra illos de domo mea sæpius dimicaverit, numquam vexillum Vicecomitum depositum fuit, nec per ipsum superari potuit. Nec etiam modò ego, qui non ut ejus hostis huc veni, vexillum deponam. Quòd si contra me gladium erexerit, cum gladio evaginato vexilli mei jura defendam.* Et sic cum vexillo erecto ad bellum processit. Et licèt nihil de belli fine actum fuerit, supradictus Albertus Dux Austriæ ipsum Bruzium militem accinctum fecit. Cùm autem ei Castra, aut magnas pecunias elargiri voluisset, ipse Bruzius omnia respuit; sed posse coronam auream super caput Bidriæ sive Briviæ deferre ex maxima gratia postulavit: quod ipsi Duces Austriæ cum magna difficultate concesserunt, quia hoc solis Ducibus Austriæ quondam pro magno munere concessum fuit. Tenor privilegii talis est, *Nos Albertus, & Otto Duces Austriæ* &c. *& infra.* „ Bruzio Vicecomiti, „ viro strenuo militi concedimus, totique parentelæ Vicecomitum, videlicet illis, qui „ de Matthæo, & Uberto nati descenderunt, „ quòd coronam auream possint portare super „ caput Biveræ in galea, & bandereis, & „ clypeis titulo feudali &c. *& infra.* Data „ Viennæ Anno Domini MCCCXXXVI. in „ vigilia XI. mille Virginum. Fuit autem istud privilegium duobus sigillis pendentibus communitum. Hic Bruzius fuit nobilis militis Luchini Vicecomitis Domini Civitatis Mediolanensis primogenitus, qui de Alamannia exiens, Mediolanum cum gloria ad patrem suum rediit; & ex devotione Christi sepulchrum, & Corpus Beatæ Catharinæ in monte Synai visitare disposuit. Unde ad insulam Cypri perveniens, multas Provincias visitavit, scilicet Terram sanctam, Syriam, Damascum, Arabiam; & inde rediens multas pretiosas Reliquias detulit. Qui postea factus Potestas Civitatis Laudensis cum pleno dominio, & mero Imperio illam Civitatem cum magna justitia, & multa prudentia rexit multis annis.

Placentia subjugatur.

CHristi Anno MCCCXXXVI. stantibus supradictis concurrentiis Ursus Kavistianus fuit in regimine refermatus. Isto tempore Azo Vicecomes considerans, quòd Civitas Placentina haberet pontem super Padum, & inde per multos annos, scilicet XIV. hostes super territorium nostrum irruerent, & damna multa inferrent, cogitavit de illa Civitate se expedire. Et misit Cazagum de Cazagis militem suum cum multa militia, qui Placentiam intravit vexillo erecto: quo viso hostes absque pugna fugerunt, & Franciscus Scorbus factus Dominus Civitatis. Azo Vicecomes hoc molestè pertulit unde misit Pinallam de Aliprandis, de quo supra habita fuit mentio, cum exercitu militum super terras Placentinorum, qui continuis incursibus fatigaret illam Civitatem. Deinde congregavit exercitum validum, & usque ad fossas Civitatis accessit; in circuitu Civitatis quinque exercitus ordinavit; fossata fodi jussit; stondegardas, & battifreda erexit; & per VIII. menses continuos illam Civitatem dura obsidione pressit. Tamdem die XV. Decembris Civitatem obtinuit, quam ingressus, amicos & inimicos pacificavit; Ecclesiis sua jura restituit; de nullo hoste vindictam sumsit; Castrum fortissimum ibidem erigi ordinavit; & sic cum gloria, & triumpho domum rediit. Isto tempore Rex de Moroch Saracenus in Provincia Afri-

ca

tea superavit Regem de Tremessa, & obtinuit ejus Regnum, & Regnum Tunisii, & Regnum Buzeæ. Et post duos annos filius ejus cum XIV. millibus militum transivit mare, & vênit in terram Regis de Granata in Provinciam Hispaniæ. Contra quem Rex Hispaniæ, & Rex Aragonum, & ceteri Reges Christianorum multum timorem habuerunt.

Festum Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ.

ISto anno fecit incipi Azo Vicecomes dominus Civitatis ad honorem Virginis almæ Festum Nativitatis ejus (9) de mense Septembris; & misit edictum, ut omnes Civitates, & burgi, vel terræ nobiles, seu Castra insignia, portarent pannos de serico cum vexillis Communitatum suarum, & in Civitate Mediolani in Ecclesia offerrent. Et obtulit ipse Azo dominus Civitatis primò unum pannum de serico multis respersum vipereis scutulis. Secundo loco obtulit Communitas Pergami, postea Communitas Cumarum, & sic de aliis, scilicet Laude, Novaria, Vercelle, Cremona, Crema, Modoëtia, Caravazio. Et fuerunt panni serici oblati CXXII. Deinceps in aliis annis additi sunt panni pro Communitate Brixiensi, & Placentina, & pluribus aliis. Nec umquam in Italia facta fuit tam grandis solemnitas, nec tam nobile homagium.

De Festo Trium Regum.

CHristi Anno MCCCXXXVI. eminente in Sede Apostolica in Civitate Avinionensi Benedicto Papa, Johanne Vicecomite Episcopo Novariensi gubernante Archiepiscopatum loco Fratris Aycardi Archiepiscopi Mediolanensis, supradictus Ursus Kavistinianus fuit in regimine refermatus. Isto tempore fuit incoeptum festum trium Regum in die Epifaniæ in Conventu Fratrum Prædicatorum. Et fuerunt coronati tres Reges in equis magnis, vallati domicellis, vestiti variis cum somariis multis, & familia magna nimis. Et fuit stella aurea discurrens per aëra, quæ præcedebat istos tres Reges; & pervenerunt ad columnas Sancti Laurentii, ubi erat Rex Herodes effigiatus cum scribis & sapientibus. Et visi sunt interrogare Regem Herodem, ubi Christus nasceretur; & revolutis multis libris responderunt, quòd deberet nasci in Civitate Bethleem in distantia quinque milliariorum à Hierusalem. Quo audito, isti tres Reges coronati aureis coronis, tenentes in manibus scyphos aureos cum auro, thure, & myrrha, præcedente stella per aëra, cum somariis, & mirabili famulatu, clangentibus tubis, & bucinis præeuntibus, simiis, babuynis, & diversis generibus animalium cum mirabili

A populorum tumultu pervenerunt ad Ecclesiam Sancti Eustorgii. Ubi in latere Altaris majoris erat Præsepium cum bove, & asino, & in Præsepio erat Christus parvulus in brachiis Virginis Matris. Et isti Reges obtulerunt Christo munera; deinde visi sunt dormire, & Angelus alatus eis dixit, quòd non redirent per contratam Sancti Laurentii, sed per portam Romanam: quod & factum fuit. Et fuit tantus concursus Populi, & militum, & dominarum, & Clericorum, quòd numquam similis ferè visus fuit. Et fuit ordinatum, quòd omni anno istud festum fieret. Isto tempore exorta est maxima discordia inter Regem Franciæ & Regem Angliæ propter quasdam terras feudales. Cum Re-

B ge Angliæ fuit Ludovicus Bavariæ supradictus; & cum Rege Francorum fuit Rex Boëmiæ. Et misit Papa duos Legatos Cardinales pro concordia, & facta est tregua usque ad alium annum.

Civitas fuit adæquata.

EOdem mense, scilicet de mense Januarii, ex statuto Azi Vicecomitis terragium, quod erat supra fossatum Civitatis, cœpit explanari, & omnia luti culmina per Civitatem adæquari, & pavimentum stratarum denudari: quod cessit ad magnum decorem Civitatis. Tunc adimpleta fuit Merlini prophetia, qui di-

C xit, quòd in MCCCXXXVII. Civitas Mediolanensis deberet explanari. Fuit etiam facta quædam magna platea juxta palatium XII. Ubi priùs domus ferè palatio conjungebantur, ubi fiunt nundinæ singulis septimanis.

De guerra Mastini de la Scala, & Venetorum.

IStis temporibus erat in Civitate Veronensi quidam dictus Mastinus de la Scala dominus Civitatum Veronensis, Brixiensis, Parmensis, Vicentinæ, Trivisinæ, Paduanæ, Feltri, & Belluni, & Lucanensis. Hic in odium & detrimentum Venetorum construxit terram Salina-

D rum. Quo viso Veneti, sibi adjunctis Florentinis, Bononiensibus, & Tuscis, congregantes exercitum terram Salinarum invadentes ipsam destruxerunt, & ad destructionem ipsius Mastini totis viribus aspiraverunt. Quod ut meliùs posset compleri, miserunt Mediolanum Obizonem Marchionem Estensem; & Guidonem de Gonzaga dominum Civitatis Mantuanæ, qui omnibus modis solicitarent Azum Vicecomitem, ut à Mastini liga & amicitia discederet: quod & factum est. Tunc factus est dominus Ligæ Mediolanensium, Venetorum, Florentinorum, Bononiensium nobilis miles Luchinus Vicecomes, patruus Azi Vicecomitis, & statutum fuit ei salarium à tota Liga omni die C. Florenos.

E Hic

(9) De hoc Festo, an à tempore S. Ambrosii in hac nostra Ecclesia celebratum fuerit, ut indicare videntur antiquæ rubricæ Breviariis Ambrosianis appositæ, satis disserui in Apologia pro Mediolanensi possessione Corporum SS. Gervasii, & Protasii num. 15. & 16. Certè ante Azonem Mediolani colebatur hic dies; Calendarium siquidem Sitonianum à septingentis annis exaratum, & in secunda parte volum. II. hujus Collectionis excusum ad VI. Idus Septembris hæc habet *Nativitas S. Mariæ Fulcurini*, quod clariùs exprimit aliud in privata mea domo Calendarium præfixum æquè vetusto Missali Ambrosiano his verbis ad eundem diem *Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ ad Ecclesiam Fulcurini*. Non itaque in hanc Urbem eo solùm anno 1336. inducta hæc Festivitas de mense Septembris; nisi velis in illa tantum Ecclesia S. Mariæ Falcorinæ, quæ adhuc extat, viguisse hunc cultum; Azonem verò obtinuisse ut celebris apud universam Urbem fieret, adjecto solemni eo, quod narratur, Urbium Locorumque insignium subditorum obsequio. Perdurat adhuc hæc consuetudo, ut circumjecta Mediolano Oppida vexillum mittant eorundem nomine inscriptum; antequam verò Templum maximum missi ingrediantur, unà cum Artium Ordinibus, Palatii Ducalis interiorem aream circumeunt, rectaque postmodum via ad majorem Aram Principis Templi procedunt, annuæ oblationis obsequium præstituri.

Hic congregans exercitum validum, Civitatem Veronensem, ubi erat Mastinus de la Scala, usque ad portas ferè invasit; & cùm esset ordinata dies conflictus, Theutonici proditores pecunia corrupti, nostrum exercitum derelinquentes Veronam perrexerunt. Quo comperto, Luchinus Vicecomes sano usus consilio Mantuam rediit sanus & incolumis cum toto suo exercitu, deinde Mediolanum remeavit. Hic Luchinus Vicecomes in Contrata Sancti Georgii in Palazzo mirabile construxit Palatium altissimum, & longum, cameris & salis distinctum, miris picturis decoratum, cum aquarum conductu. Ei familia est sumtuosa in equitaturis, falconibus, asturibus, accipitribus, & canibus terribilibus. Habet multa dominia in Comitatu Mediolani, secundus à nepote.

Azo Vicecomes hostiliter superavit Brixiam.

EOdem anno Azo Vicecomes, congregato forti exercitu, Civitatem Brixiensem, quæ erat sub dominio Mastini de la Scala, hostiliter invasit, quam igne ferroque superávit die . . . Octobris. Quam cùm ingrederetur, duos nobiles viros de Mediolano balteo militari accinxit, scilicet Johannem de Bizozero Rectorem Civitatis Cremonensis, & Bronzinum de Caymis Rectorem Civitatis Pergamensis. Totam Civitatem Brixiensem reintegravit, pacem universalem eis dedit, & cum gloria domum remeavit. De ista captione Civitatis Brixiensis per annos LXX. prædixerat *Michaël Propheta* de Saxonia sic:

Brixia prava nimis, Urbs destinata ruinis,
Scinditur in partes, solitas non deserit artes.
Regis vexilla fugient, times vallamina Brixæ.
Serpens & oblito vimida percutiet illam,
Et suos non poterit filios proprios tueri.

Eodem tempore Senescalcus Roberti Regis Siciliæ super totum Pedemontem, Castrum de Breno Diœcesis Papiensis communivit, & super Padum pontem construxit. Sed facta forti obsidione Azo Vicecomes illius Castri dominium in festo Sancti Michaëlis . . . . . . jam per aliqua tempora & Castrum de Viglevano similiter obtinuerat.

Azo Vicecomes est factus Dominus naturalis, & Princeps in Sardinia.

EIsdem temporibus Nobilis Comitissa Galluræ, dicta Johanna, soror ex parte matris Azi Vicecomitis, moriens totam suam terram, quæ est tertia pars Insulæ Sardiniæ, testamento legavit ipsi fratri suo Ex hoc Azo Vicecomes factus fuit Princeps naturalis jure hereditario, qui statim solemnes Ambaxiatores, scilicet Lampugninum de Caymis Jurisperitum, & . . . . misit in Sardiniam, & Aragoniam, petens sibi reddi suum jus. Ex his omnibus concluditur, quòd Azo Vicecomes Dominus generalis Civitatis Mediolanensis factus est Princeps in tertia parte Regni Sardiniæ, cui subjectæ sunt Civitates in Provincia Liguriæ Mediolanum, Cumæ, Novaria, quæ est patrui sui, Vercellæ, Laude, Cremona, Crema, & quoddammodo Papia. In Provincia Venetiarum obtinet Bergamum, & Brixiam. In Provincia Æmiliæ Placentiam, *sicut in Prologo superiùs habitum fuit*, & Castrum Sancti Domnini. In Provincia Alpiscottiæ habet multas Civitates, & Castra sibi Ligâ confœderatâ.

De clavibus, & portubus, & pontis.

EX his, quæ dicta sunt, manifestè colligitur, quòd dominium istius temporis nostræ Civitatis, sit validum, atque fortissimum, nec umquam fortè fuit tam generale, nec tam magnum: quod probatur ex clavibus, & pontibus. Hic enim Azo Vicecomes recuperavit Leucum cum riperia, quod fuerat rebelle ferè annis XL. Item Canturium terram fortissimam, quæ à dominio Communitatis Mediolanensis jamdudum se subtraxerat. Item Caravazium, quod Communitati Mediolanensi multas jamdudum guerras peregerat. Similiter Trivilium, & Insulam Fulcheriam cum pleno dominio subjecit. Item Castrum de Viglevano, & plura alia Castra, quæ sunt affinia, & quasi claves nostri Comitatus, in quibus consistit salus & guerra. Item ratione pontium, quia super *Abduam* habet pontem de Leuco, pontem de Vaprio, pontem de Laude, pontem de Piziguitono. Super *Ticinum* habet omnes pontes, & portus, excepto ponte de Papia. Super *Padum* habet pontem de Brono, pontem de Placentia, pontem de Cremona. Super *Ollium* habet pontem de Parazolo. Et sic undique Comitatum Mediolanensem diversis præsidiis communivit. Sed etiam Civitatem Legibus, sive Statutis ornavit. Ipse enim CL. Leges justissimas condidit edictales. Judices extraneos super causas & litigia advocavit, summam justitiam servari jussit; orphanis & pauperibus puellis summum præsidium fuit. Ipse insuper fuit ultra modum magnificus. Nam CXLIX. domicellos habuit; milites multos in Mediolano, & per Lombardiam vestivit. In sola Alamannia X. miliares de robis & variis induit, & hoc bis in anno. Fueruntque donativæ ejus provisiones singulis annis ad valorem XXX. millium florenorum auri, & plus. In mensis & vasis aureis & argenteis, & cibis omnes homines excessit: propter quæ merita ab hominibus, licèt priores essent ætate, quasi pater in summa reverentia habebatur, & ultra quàm credi posset ab omnibus diligebatur.

De militibus accinctis factis in Sancto Ambrosio.

CHristi anno MCCCXXXVIII. eminente in Sede Apostolica Benedicto XII. Johanne Vicecomite Episcopo Novariensi gubernante Archiepiscopatum loco Fratris Aycardi Archiepiscopi, sub dominio Azi Vicecomitis Comitis Galluræ, Ursus Kavistinianus supradictus fuit in regimine Potestatis refermatus usque ad dimidium mensem Madii. Et tunc, scilicet primo die Junii, factus fuit Potestas Ysnardus de Colionibus Pergamensis. Hic Potestas intravit in Mediolanum cum majori gloria, quàm numquam intraverit aliquis alius Potestas. Eodem anno in festo Paschatis, die XII. Aprilis, magnificus Azo Vicecomes in Ecclesia Sancti Ambrosii duos balteo militari accinxit milites, scilicet Francescolum de Pusterla, & Pinallam de Aliprandis. Quilibet ipsorum tenuit Curiam solemnem; hastiludia facta sunt multa nimis. Isto tempore Veneti post longam obsidionem obtinuerunt montem Scilicis de manu Mastini de la Scala, & Trivisium. Qui jamdudum obtinuerant similiter & Paduam; & fratrem ejus Albertum ceperunt, & in Venetiis in quadam cavea incluserunt. Johannes filius Johannis Regis Boëmiæ Dux Charinthiæ substulerat Feltrum, &

Bel-

Bellunum, quæ erant duæ Civitates quondam ipsius Mastini. Azo Vicecomes hostiliter debellavit Brixiam. Et sic undique deplumatus fuit, qui aliorum plumis alatus volare consuevit. Et remanserunt ipsi Mastino tantùm istæ Civitates, scilicet Verona, & Vicentia, Parma, & Luca.

De triumphis Vicecomitum super hostes suos.

FInem scribendi pariter faciamus. Si enim præterita ad memoriam revocemus, reperitur Domus Vicecomitum semper in bellis gloriam reportasse. Mortuo enim Henrico Sexto, omni ferè anno Civitas Mediolanensis per annos XXII. per majores Principes Mundi concussa exstitit, & de omnibus triumphatum fuit. Primus, qui invasit hanc Civitatem, fuit Robertus Rex Siciliæ sub titulo, quòd esset Vicarius Imperii in toto Imperio datus per Ecclesiam. Ipse misit Ugonem de Balso Senescalcum suum, & Comitem de Squinazio, & Turrianos cum magno exercitu usque Legnanum anno Domini MCCCXIV. & de his triumphatum est; & de ista victoria habetur supra Libro XIV. Capitulo..... Deinde Dalfinus vênit, qui turpiter fugam iniit. Philipponus Comes de Langusco contra Galeatium Vicecomitem equitans captus fuit, & in carceribus de Mediolano inclusus, ubi exspirans vitam finivit; & de ista victoria habetur supra Libro XIII. Capitulo.... Et anno Domini MCCCXV. apud Castrum Gibellinum, ubi Turriani advenerant, miserabilem vitam sustinuerunt. Papia subjicitur, homagium conficitur, Regisolium dejicitur; de hoc habetur supra Libro XIII. Capitulo....... Et anno Domini MCCCXVIII. Matthæus Vicecomes Civitatem Cremonensem debellavit, & Regem Robertum in Civitate Januensi per dimidium annum obsedit; & de hoc habetur supra Libro XIII. Capitulo....... Et in MCCCXIX. Ugo de Balso in conflictu, sibi occurrente Luchino Vicecomite, prosternitur, & moritur; & de hoc habetur supra Libro XIII. Capitulo...... Et in MCCCXX. Philippus tunc Comes Valesii, postea Rex Francorum, contra Vicecomites usque Vercellas vênit: ibi accurrentibus Vicecomitibus in Franciam redire coactus est; & de hoc habetur supra Lib. XIII Cap...... Finaliter exercitus Ecclesiæ mirabilis & terribilis hanc Civitatem pluribus annis concussit, Civitatem usque ad muros invasit: & tamen finaliter triumphatum est. Nam Raymundus de Cardono caput exercitus captus fuit, & omnes hostes fugerunt; semper in omni loco, in omni conflictu superati sunt; & de hoc habetur supra Libro XIII. Capitulo..... Vênit Ludovicus Bavariæ, non Imperator, & Civitatem usque ad muros invasit; & de hoc triumphatum fuit, ut supra eodem Libro Capitulo....... Vênit Johannes Rex Boëmiæ, territorium nostrum invasit, & inglorius abscessit: supra eodem Libro Capitulo........ Quid plura? Vicecomites superaverunt Reges & obsederunt; Imperium humiliaverunt, Ecclesiam gladio fatigaverunt

Azo Vicecomes muri Metropolis auctor
Urbes & Ligures subjicit potentia lictor.

Murus Civitatis interior fuit completus.

ISto tempore murus Civitatis interior fuit completus, cujus ambitus, computatis pusterlis & portis, mensuratus est secundùm brachia terræ, & continet in circuitu C. turres, & brachia X. millia CCC. Murus autem exterior habet brachia XIII millia DCCXXXIII. & unum tertium. Diameter habet brachia IV. millia CCC. LXIX., & aliquid plus. Semidiameter habet brachia II. millia CLXXXV. & aliquid plus. Continet autem murus exterior, computato fossato, & tota Civitate, perticas III. millia CC. LIV. Habet ergo murus exterior Civitatis milliaria quatuor, & brachia MDCCXXXIV.

De adventu Lodrisii Vicecomitis in Legnanum.

CHristi anno MCCCXXXIX. eminente in Sede Apostolica Benedicto Papa, Johanne Vicecomiti Episcopo Novariensi auctoritate Summi Pontificis gubernante Ecclesiam Mediolanensem, vacante Imperio, anno XI. dominii Azi Vicecomitis Comitis Galluræ, supradictus Ysnardus Potestas Mediolanensis fuit in regimine refermatus. Isto anno fuit tantum frigus, tamque aspera hyems, qualem nullius viventis meminit ætas. In præcedente Æstate mirabilis stella comata flammeis crinita radiis ab Aquilone surgere, & versùs Mediolanum radios vibiare visa fuit. Ignes terribiles sub diversis figuris per aëra discurrere apparuerunt. Et ecce subitò tantorum prodigiorum effectus proportionatus enituit.

Sydus, idest stella comata signa dedit caudam fundens ad Austrum.

Effudit Neptunus opum sinè lege suarum,
Thesauros Euro laxas dimisit habenas
Eurus ac Austro Zephyroque Notoque reclusis,
Carcere cuncta natant cœno jacuere jumenta,
Imbris diluvium totusque resolvitur aër
Prodigium mœroris erat stragisque futuræ:
Eventus solet iste sequi, sic fatus ut horror
Invadit gelidos artus cùm fata perurgent.

Nam nobilis miles Lodrisius Vicecomes Civis jamdudum proscriptus de subaquilonari plaga, ubi Marchia Trivisina situata dignoscitur, surgens, stipatus militibus MMD. & plus, & cum ipso pedites DCCC. & Balistarii CC. contra Azum Vicecomitem nepotem suum dominum Civitatis Mediolanensis suas direxit acies militares. Hic se esse dominum Seprii, & caput Societatis Sancti Georgii in suis literis intitulavit. Ipse primò terras Brixiensium terribiliter concussit, & transvadato fluvio Lollio, nullo contradicente, territorium Pergamensium gladio propulsavit. Exinde transiens, ad fluvium Abduam pervênit, & inventis fluvii passibus communitis, juxta Ripaltam nostris exercitibus terga vertentibus, impunè transivit die IX. Februarii quodam die Martis; & erat tunc carnisprivium novum, sive Romanum. Et pervênit ad terram de Sexto, procul ab Urbe sexto milliario. Exinde quasi Aquila grandis absque ullo obstaculo, nullo contradicente, ad burgum de Legnano concito gradu convolavit, ubi sua castra fixit. Et pro jamdudum sibi denegato tributo pro Domino Seprii multas pecunias exegit, quas suis militibus condonavit. Fueruntque ejus milites nostris Civibus quàm plurimùm terribiles, Viri siquidem magnâ staturâ, ætate juvenes, armis edocti, & animo feroces. Hi cuncta destruxerunt, omnia diripuerunt, terras igne ferroque consumserunt

Hic furens, arma potens Lodrisius nomine, claræ
Ortus progenie, cuneo vallatus & ense,
Exule Dux equitis natalis limine pulsi
Robore magnanimo, Legnano sedit Oronæ.

De

De duobus signis dilectionis Populi Mediolanensis ad Azum Vicecomitem.

EX his omnibus tam arduis & terribilibus bellis timor in Civitate factus est permaximus, & fuga erubescibilis nimis. Cunctis habitatoribus suburbiorum, & circumstantium Villarum cum universa substantia ad mœnia Urbis se transferentibus. Et quia molendina habitatoribus fuerunt destituta, infra tres dies facta est in Civitate caristia, non dico grani, sed farinæ, quòd modius farinæ mixturæ venderetur decem libris; nec inveniebatur panis, nec ad vendendum, vel comedendum. Etiam in Civitate ipsa terribilis timor personas invasit; attamen omnes ad defensionem se præparaverunt, & exceptis militibus ordinariis inventi sunt in hac Civitate ferè . . . . . . juvenes nobiles, qui nullo compellente, imò sponte, & ad proprias expensas, totidem magnos dextrarios exposuerunt phaleris nobilibus coopertos. Ipsi quoque à planta pedis usque ad verticem submicantibus armis coruscantes, pro honore & statu Domini sui mortis pericula subire parati fuerunt. Propter quod ipse Azo Populo Mediolanensi est effectus debitor in multis. Ex hoc enim se esse dominum non solùm corporum, sed animorum, non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, infallibili signo amoris comprobavit. Item aliud signum amoris Populus Mediolani domino suo demonstravit, quia cùm Lodrixius Vicecomes in Comitatu nostro perstiterit in robore suo, & in magna fortitudine diebus XII. nullus Civis de Mediolano, nec frater, nec nepos, nec Gibellinus, aut Guelfus, nec parvus aut magnus ad ipsum ivit, nec auxilium præstitit, aut favorem, aut consilium; sed omnes uno corde contra ipsum arma sumserunt, & pro statu Domini sui viriliter pugnaverunt. Nec umquam à seculis fuit auditum, si aliquis hostis in nostro Comitatu tribus diebus perseveraverit, quin multi ad ipsum confluxerint de nostris Civibus. Et hoc similiter signo amoris Azo Vicecomes dominum animarum se esse comprobare potuit.

De apparatu mirabili contra Lodrisium.

INter tot bellorum discrimina, & hostium perstrepentium crepitudines, Azo Vicecomes imperterritus stetit; & arma clamitans, equosque bellicosos præparans, cunctas Civitates suo dominio subjectas advenire præcepit, scilicet Brixiam, Bergamum, Cremonam, Placentiam, Laude, Cumas, Novariam, Vercellas, & Cremam.

Nobilis Urbs (idest Mediolanum) *quanto subitò præventa Quirite*
Arma movet, & amica vocat suffragia præses (idest Azo.)
Hinc Cremona venit; succurrit Lauda repentè.
Cumaque tyrones mittit; vagulosque per arva
Ad prædam doctos equites dat Crema Quirites.
Assistit mucro Germani Civibus audax
Conductus pretio. Papia miles ab urbe
Metropolis phalerata acies non defuit istis.
Horrida mutata est jam serica vestis in arma.

Et non solùm subjectas Civitates advocavit, sed & nobiles Principes, & Barones consanguineos suos, & propinquos ad hoc ipsum invitavit, scilicet Marchiones de Este, qui dominantur in Ferraria, qui erant ejus consanguinei germani, & Thomam Marchionem Salutiarum, qui erat A ejus sororius, & Ludovicum Sabaudiæ socerum suum, & Comitem Sabaudiæ, & Jacobum Pedemontis. Hi personaliter advenissent, nisi nivium altitudo nimia impedivisset; sed eorum milites advenerunt. Non solùm à suis subjectis, aut suis consanguineis Azo Vicecomes præsidia recepit, sed ab amicis, qui sola liga, aut speciali amicitia ei obligabantur, maximum auxilium habuit. Quia Marchio Montisferrati personaliter advênit usque Trinum volens Mediolanum venire, sed tardè fuit. Item Mastinus de la Scala dominus Civitatis Veronensis misit milites D. Tadæus de Pepulis dominus Civitatis Bononiensis misit milites CC. Ludovicus de Gonzaga dominus Civitatis Mantuanæ misit tres B banderias militum. Civitas Januensis misit multos balestarios. Civitas Papiensis militiam & populum. Item Patriarcha Aquilegiensis misit CC. milites, licèt tardè venerint. Insuper omnes indifferenter recipiebantur ad stipendia. Et congregatus est exercitus fortis nimis, qui præ multitudine numerari non potuit; sed, ut communiter fertur, si milites, qui erant dispersi per Civitates, & qui in via erant veniendi, simul in uno campo fuissent congregati, ascendisset numerus usque ad V. millia militum, licèt aliqui dicant satis plus. Sed dimissis DCC. electis militibus pro custodia Civitatis, similiter in aliis Civitatibus, & Castris, multisque impeditis in itinere propter nives, fuerunt mi- C lites, qui ad bellum processerunt MMMD. licèt aliqui dicant, quòd fuerunt IV. millia. Numerus autem peditum tenentium gladios fuit ferè XIV. millium, vel secundùm quosdam, satis plures. Balistarii fuerunt ferè II. millia. De numero bellatorum diversi diversa dixerunt: teneat unusquisque, quod sibi videtur esse magis propinquum veritati.

De conflictu terribili habito juxta Parabiagum, & quòd Lodrisius fuit captus.

HIs itaque dispositis bellicis apparatibus, Azo Vicecomes duos patruos suos pro consilio convocavit, scilicet Episcopum Nova- D riensem, & nobilem militem Luchinum Vicecomitem. Et determinatum fuit, quòd Johannes Episcopus Novariensis pro custodia Civitatis instanter vigilaret, & die & nocte Civitatis mœnia, & Burgos peragraret, deputatis sibi circa mille DCC. electis militibus. Luchinus supradictus factus est princeps exercitus, & fuerunt cum ipso multi electi juvenes de domo Vicecomitum cum magnifico apparatu armorum, & equorum nobilium.

At Præses (idest Luchinus) *acies ut novit esse paratas.*
Fulgentesque armis celeri succurrere cursu,
Rodum arma petunt; egressi bella minantur.

E Et præcedens cum universo exercitu militum, & peditum & balistariorum, pervênit Raude. Inde transivit usque Nervianum in distantia quatuor milliariorum ab hostibus. Et quia præ multitudine terra totum exercitum capere non poterat, divisus fuit exercitus in VI. vel VII. partes per diversas Villas circumstantes, exercitu principali in Nerviano constituto. In Parabiago fuit positus unus exercitus, ubi erant milites DCCC. & peditum II. millia: hi erant medii inter duos hostiles exercitus. Lodrixius autem Vicecomes, qui erat in Legnano cum hostibus, tamquam vir astutus, & armis edoctus, considerans, quòd penuria costas suorum invaserat, & hostium exercitus semper invale-

sce-

scebat, volens bellorum fortunam experiri, & finem imponere guerris, quadam Dominica, quæ tunc erat Dominica secunda Quadragesimæ, die XXI. Februarii, occultè, & ante diem de Legnano egressus, illos, qui erant in Parabiago, à tribus partibus subitò, nivibus descendentibus de cœlo occultantibus iter suum, percussit, quos in lectis dormientes, prout hora noctis requirebat, invênit, & multos interfecit. Tunc Mareſcalchus exercitus nostri, arma clamitans contra Lodrixium durissimè dimicavit, & factum est prœlium forte nimis, & duravit ab aurora diei usque ad sextam. Ex tunc ex nostro exercitu facti sunt tres milites accincti, videlicet Protaxius de Caymis, Lutius de Vestarinis Laudensis, & . . . . . . de Invitiatis Alexandrinus. Et circa Sextam ex DCCC. militibus non fuerunt inventi in platea de Parabiago ultra CCC. milites; & interfecti sunt ex balistariis, & peditibus, aut fugati ferè II. millia, & facta est strages magna in nostro exercitu. Ibi fuit captus Johanninus Vicecomes nobilis militis Vercellini Vicecomitis filius, quem Lodrixius, eo quòd nepos suus esset, diligenter conservavit.

Gutture gladigeri maduerunt flumine campi
Sanguineo Parabiage tui, sed in horrea mœstæ
Luxuriant fruges replentes aëra fletu.
Cæditur hinc miles, cadit alter & inde supinus.
Conseruere manus, lethalia spicula miscent.
Sanguinis oblitus naturæ, fœdera nescit
Civis, & in fratrem convertit vulnera frater.

Hac tam dura & forti pugna perdurante in Parabiago, multi nobiles Cives Italiæ videntes se mortis periculis circumdatos, nolentes absque militiæ nobilitate perire, per nobilem militem Luchinum Vicecomitem facti sunt milites accincti. Quorum nomina sunt hæc: Zanzarotus Angosola Placentinus, Johannes de Flisco Januensis, & Dondatius Malvicinus de Fontana Placentinus.

De processu acierum ad pugnam campestrem.

LUchinus autem Princeps totius exercitus ad campum se contulit inter Parabiagum, & Canegrate. Cui ex adverso Lodrixius se obtulit. Et quia amborum vexilla erant viperea cum Aquilis, & ut miles discerneretur à milite, nostri milites clamabant; *miles S. Ambrosii*, alii milites clamabant: *Rithband Henrich*, & commissâ pugnâ diu certatum est; & prævaluerunt hostes, ut putabatur; & facta est strages magna in utroque exercitu, & auditus fuit fragor armorum, & strepitus lancearum longè per multa milliaria, quasi in ipsorum auribus factus fuisset. Ibi Johannes de Flisco nuper factus miles sub cadente equo collisus exspiravit.

Advenit proscriptus miles (idest Lodrixius)
suffragia poscit.
Expansæ fulgent Aquilæ, sonipesque furorem
Efflat, belligeroque tubæ spiramine clangunt
Prœlia, desævit mucro, dimittitur hasta,
Excipiunt ictus galeæ, configitur umbo,
Spicula miscentur, saxum hinc volat, inde sagitta;
Turbine rapta truci balistæ, morte relicta,
Lancea belligeris illinc excussa lacertis,
Hinc sonipes sessore carens, hinc inde vagatur;
Stratus eques rapidis pedibus calcatur equorum.

Sed rota fortunæ suas vires instauravit, quæ ima extulit ad summum, & summa ad ima dejecit. Nam Luchinus Vicecomes quasi leæna fremens A raptis catulis, vibratis gladiis in hostes prorupit, belli pondera sustinuit, vulnera pertulit. Equi plures sub ipso interfecti sunt, & gladio suo suum exercitum gloriosè protexit.

Lux, (i. Luchinus) *excita novis rumoribus exilit, ira*
Infremit, catulis ut sæva leæna furore
Evehitur raptis; micuerunt signa potentis
Metropolis; properat sonipes phaleratus, & armis
Contectus miles; pariter vexilla Quiritis
Germani pretio conducti ad bella feruntur.

Et tam diu dimicatum est, donec vires deficerent; & substiterunt paulisper, & qui jam non poterant ulteriùs pugnare, nutibus, & vocibus B stridentibus mutuò se invicem ab bella provocabant. Iterum renovatur pugna, diu certatur, corruunt innumerabiles, & campi cadaveribus referti apparuerunt; sanguis discurrit per agros & vias, & miserabilis strages peragitur. Tunc Luchinus Vicecomes princeps exercitus captus fuit; & tamdem deficientibus corporis viribus iterum paulisper respiraverunt. Et post pauca reiteratò pugnatur; nec miles cedit militi, nec acies aciei. Et ecce subitò, & ex insperato de Civitate Mediolani milites recentissimi advenerunt. Tunc Cives de Mediolano confortati respiraverunt, & irruentes in hostes eos facili pugna superaverunt. Vexillum Lodrisii prosternitur; ipse quoque se ipsum in manibus Johanni- C ni Vicecomitis captivi sui captivum se exhibuit. Omnis ejus exercitus fugatur, multi sunt capti, & multi trucidati; & finis belli peractus est, & circa vesperas jam circa sero.

Dum multo geritur bellum discrimine cursu
Militiæ cuneus celeris redit, atque repente
Currit in auxilium; resonat tuba; signa coruscant,
Captivi gaudent, hostilia corda pavescunt
Vim belli non passa trucis, pars denique cessit
Oppressis adversa viris, patriæque rebellis.
(i. Lodrisius)
Phœbus & occiduas cùm jam contingeret undas,
Lucis adhuc terris splendore superstite parvo.

D Ipse quoque Lodrisius Mediolanum captus ductus fuit, de quo dici potest, quòd numquam fuit aliquis Civis in Lombardia tantæ audaciæ, nec tantæ fortitudinis, qui ad militum numquam expavit occursum, nihilq; quod libuit, perpetrare pertimuit. In hujusmodi pugna factus fuit miles accinctus Matthæus Vicecomes junior magni Matthæi abiaticus, & Johannes Scachabarozius, Regynaldus de Assandris Mantuanus, & tres Theutonici, & Sfoscus de Melich Theutonicus.

De belli magnitudine, & terribili pugna.

CAroli magni retroactis temporibus in plano Lombardiæ fortè non fuit pugna campe- E stris tam fortis, tam crudelis, tam varia, nec tam lachrymabilis. Quod manifestè apparet, si quæ acta sunt ad memoriam revocentur. Ibi duo principes amborum exercituum alternatim captivati fuerunt; omnes Merescalchi, omnes Conteſtabiles aut interfecti, aut vulnerati, aut capti sunt. Ex tribus millibus militibus hostibus nec unus ferè evasit. Plusquam III. millia Virorum armatorum uno die interfecta sunt; equi sunt occisi ferè DCC. & plusquam II. millia & centum equi sunt consignati, exceptis furatis, & occultatis. Omnes milites, etiam victores, aut sunt vulnerati, aut membris mutilati, aut oculis orbati, aut naso privati. Stratæ publi-

blicæ sunt plenæ horrore cadaverum; Villæ sunt habitatoribus viduatæ; opes hostibus patuerunt, omnia confusa jacuerunt. Nec à seculo fuit auditum, quòd apud nos fuerit perpetrata, tam ferox, aut tam terribilis pugna.

De benignitate Azi Vicecomitis ad hostes subactos.

MAgnificus autem Azo Vicecomes totum belli triumphum à Deo recognoscens, ultra quod credi posset, suis hostibus sibi prolatis, misericorditer & dulciter se habuit. Nam cùm filii essent mortis, ratione homicidiorum, incendiorum, & rapinarum, exhibitis his hostibus, ad ipsos tantam misericordiam & dulcedinem ostendit quòd eos liberos abire permisit: nec umquam tanta pietas in Principe apparuit.

De miraculo Beati Ambrosii, quando Civitatem liberavit.

POstquam Lodrixius Vicecomes Olonnam transivit, & Legnanum pervênit Theutonici ipsi subesse, aut obedire contempserunt. Determinaverunt inter se, si Civitatem obtinere potuissent, interfectis Civibus de Mediolano, rusticos pro agricultura conservare, & Theutonicos innumerabiles de Alamannia convocare, & Lombardiam sub jugo Theutonicorum supponere, & Civitatem Mediolanensem in Coloniam redigere. Sed Deus tantorum malorum refrenator existens, misit Beatum Ambrosium, qui in albis cum scutica in manu visibiliter hostes victoria potitos percussit: ex quo perdiderunt vires, & superati sunt; ex hoc facta est in Civitate processio Cleri & Religiosorum, & progressi sunt ad Sanctum Ambrosium. Insuper juxta Parabiagum in loco conflictus constructa fuit Ecclesia in honorem Beati Ambrosii, & primum lapidem posuit Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis supradictus. Et post pauca Lodrisius Vicecomes in Castro Sancti Columbani inclusus est in quadam cavea.

O fallax fallax, quoties fortuna revolvis!
Imis summa gradu, nam sydera splendida tangens (idest Lodrisius)
Volvitur ecce luto, flos est tua gloria vanus.

De Johanne Brusato Potestate Mediolani.

ANno supradicto scilicet in MCCCXXXIX., stantibus supradictis concurrentiis Johannes Brusatus de Brixia factus est Potestas Mediolanensis, & cœpit regere die penultimo Madii. Isto tempore venerunt nova, quòd Soldanus Babiloniæ, qui est Imperator Sarracenorum, mortuus erat. Ubi est sciendum, quòd consuetudo est apud Sarracenos, quòd numquam apud eos fit aliquis Soldanus, vel Admiratus, nisi fit sclavus, sive servus pro pecunia emtus. *Quære supra Libro XIII. Capitulo* .... Eodem anno sub Castro Seprii in Monasterio de Torbeth flante quodam vento terribili, quædam magna arbor divinitus est evulsa radicitus, subque inventa fuit sepultura ex marmore multæ pulchritudinis: in hoc sepulcro jacebat Rex Galdanus de Turbet Rex Longobardorum, in cujus capite erat corona ex auro in qua erant tres lapides pretiosi, scilicet Carbunculus pretii mille florenorum, & unus adamans pretii II. millium florenorum, & unus achates pretii D. florenorum. In manu sinistra habebat unum pomum aureum, à latere erat unus ensis habens dentem in acie satis magnum, qui fuerat Tristantis de Lyonos, cum quo interfecerat Lamorath Durlanth. Unde in pomo ensis sic erat scriptum:

Cel est l'espèe de Meser Tristant, un il ocist l'Amoroyt de Yrlant.

In manu sinistra habeat scripturam continentem hos Versiculos:

Zesu. Saldi de Turbigez
Roy de Lombars incoronez
Soles altres Barons aprexiès
Zo che vos vèez emportès,
Per Deo vos pri no me robez.

Isto tempore in Civitate Pisanà cum mirabili gaudio, & hastiludiis nobilis miles Azo Vicecomes factus est Civis in Civitate Pisana, & restitutus est sibi Comitatus Galluræ, qui est tertia pars Insulæ Sardiniæ. Et ex tunc sicut de jure, ita & de facto est factus Comes, & fuit vexillum per quatuor angulos quadripartitum: in duobus angulis est Vipera, & in aliis duobus angulis est arma ipsius Comitatus, quæ sunt duæ listæ una rubea, altera blanca. In parte superiori erat Castrum habens in summitate Gallum nigrum. Eodem tempore utraque pars Civitatis Januensis, & universaliter omnes concorditer instituerunt dominum Civitatis Januensis ipsum Azum Vicecomitem; sed morte præventus, ab ipsis fidelitatis sacramentum recipere non potuit. Item factus erat Vicarius Papæ in omnibus Civitatibus sibi subjectis; sed audita ejus morte nihil actum est.

De introitu Archiepiscopi Mediolanensis, & de quæstione equi.

EOdem anno die quarto Julii Frater Aycardus Archiepiscopns Mediolanensis, transactis sui Archiepiscopatus annis XXI. primò suam sedem visitavit, & cum mirabili honore receptus fuit. Et facta est controversia inter Advocatos, & Confanonerios, quis equum Archiepiscopi habere debuerit, & quia jura antiqua super hoc clara non inveniebantur; Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis, Ecclesiæ Mediolanensis Conservator ordinavit, quòd Advocati ipsum conducerent per frenum peditando usque ad Ecclesiam majorem. Inde usque ad Sanctum Ambrosium conducerent Confanonerii, & equus Archiepiscopi pendente quæstione in deposito positus fuit, & finaliter determinatum fuit, quòd equus erat de jure.....

De morte Archiepiscopi, & Azi Vicecomitis.

DIe septimo ejusdem mensis facta est eclipsis Solis circa meridiem, quæ secundùm suam dispositionem prænuntia fuit virorum sublimium mortis aut prostrationis: quod rei probavit eventus. Nam infra paucos dies, videlicet die X. Augusti. Frater Aycardus Archiepiscopus Mediolanensis migravit è corpore, & sepultus fuit in domo Fratrum Minorum. Et nota, quòd à XCIX. annis citra aliquis Archiepiscopus Mediolanensis non obiit in Civitate Mediolani, nisi iste Frater Aycardus. Et statim electus fuit in Archiepiscopatum venerabilis Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis. Tunc temporis Azo Vicecomes factus est dominus Civitatis Januensis. Eodem mense scilicet Augusti die XVI. mensis, illustris miles Azo Vicecomes, Comes Galluræ, & dominus Civitatis Mediolanensis, & multarum Civitatum Lombardiæ migravit ad Christum. Et fuit sepul-

pultus in Capella sua, quam construxerat in domo sua. Iste fuit vir fide plenus, & omni devotione, de cujus obitu dici possunt plura. A

Primò quòd condidit testamentum majus, & plures statuit eleemosynas, & ad pias causas, quàm homo, qui mortuus fuerat in Lombardia.

Secundò quòd mortuus fuit cum tanta devotione, & lachrymis, & receptis omnibus Sacramentis Ecclesiasticis, quòd superavit etiam Religiosos in mirabili Sanctorum invocatione.

Tertiò quòd apparatus funeralium excessit modum Regum sublimium, & Imperatorum; Fuerunt in Civitate Mediolani plusquam III. millia personarum vestitarum de nigro.

Quartò quòd omnis Clerus, omnis Populus ingemuit de morte ejus; etiam tota Lombardia. B Nec mirum, quia ipse licèt esset adhuc juvenis XXXVII. annorum, erat tamen pater omnium Religiosorum, amator pacis, & concordiarum, affatu dulcissimus, vultu & voce supra modum clementissimus, animo prudentissimus, in expensis liberalissimus, justus, castus, & omni virtute conspicuus. Nemo in ædificando fuit solicitior, nemo inimicis remissior, nemo in concedendis gratiis gloriosior, de quo potest dici illud Sapientis; *Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est*. *Amen, amen*. Et nota, quòd sunt jam ferè anni elapsi LXXXVIII. quòd nullus dominus temporalis mortuus est in Civitate Mediolani, isto excepto, C sicut de Archiepiscopis dictum est. Et quia sine hærede decessit, in dominio successerunt duo ejus patrui, scilicet venerabilis Johannes Episcopus Novariensis nuper electus in Archiepiscopatum Mediolanensem, & nobilis miles Luchinus frater ejus, qui ambo fuerunt filii magni Matthæi Vicecomitis.

Hoc loco in MSto posita erat Genetliaca quædam figura, quam, utpote nihil ad Historiam pertinentem, supervacaneum ponere censuimus.

In medio Cœli est Venus dominus ascendentis; Planeta siquidem fortunatus in gaudio, & lætitia, & significat prolungationem dominii. D Sed quia ibat ad conjunctionem cum cauda Draconis, quæ significat impedimentum Magnatum, & Potentium, & in primo anno contingent vobis multa impedimenta; sed dominus ascendentis quia est in domo XI. quæ est domus Regia, fortiter contradicit infortuniis caudæ Draconis; & quotiescunque dominus ascendentis fuerit in combustione cum Sole, vel alitercumque impeditus, aut ex conjunctione, aut ex aspectu, semper illud tempus fit vobis suspectum. Unde die IX. Decembris erit in combustione cum Sole Jupiter est in XI. Domo, ubi est in sua triplicitate, est in suo termino, & habet triplicitatem in ascendente, & significat gaudia, & E amicos facit gloriosos; & dat nomen gloriosum, & dignitates maximas; & præcipuè quia est orientalis & directus. Sed quia erat adhuc sub Radiis Solis, ejus virtus minuitur. Sol est in domo XI. & est satis bene dispositus, & significat gloriam & gaudia super potentes, & sublimes. Et isti tres Planetæ, scilicet Venus, Jupiter, & Sol stant pro bono statu, sed cauda Draconis dat intelligere, quòd est vobis cavendum ab hominibus habentibus magnum corpus, & parvum caput, quia sunt de natura caudæ Draconis vobis insidiantis. Luna est in domo quarta, & significat circa principia anxietatem, & bonum finem. Item nota, quòd die VI. Madii erit oppositio Martis & Saturni cum periculo similiter. Die VI. Augusti erit conjunctio Martis cum Sole; & die XV. Madii Venus erit in aspectu opposito cum Saturno; & die VIII. Octubris erit conventio Martis & Jovis in Libra.

Quòd facti sunt in Mediolano duo Domini generales.

CHristi Anno MCCCXXXIX. anno Pontificatus Papæ Benedicti . . . . ., vacante Imperio, vacante Archiepiscopatu Mediolanensi, mortuo illustri Principe Azone Vicecomite, totus Populus, & universi Officiales, & nobiles Civitatis Mediolanensis concorditer & unanimiter elegerunt in Dominos generales Mediolani, & Comitatus, duos filios magni Mathæi Vicecomitis, scilicet venerabilem Johannem Episcopum Novariensem, qui postea fuit Archiepiscopus Mediolanensis, & nobilem militem Dominum Luchinum fratrem ejus carnalem, *habetur infra eodem Libro Capitulo XXXV.* Nunc communiter dicendum venit de moribus, & conditionibus, & vita Domini Luchini fratris ejus.

Mores, & conditiones Domini Luchini.

ISte nobilis miles Dominus Luchinus Vicecomes fuit, & est vir corpore, & vultu valde pulcher, & bene formatus, & omnibus membris corporis sui incolumis, & sanus. Ipse duxit uxorem nobilem dictam Dominam Violantam filiam Marchionis Salutiarum, de qua unam filiam genuit. Mortua prima uxore, aliam duxit dictam Dominam Ysabel ex illis de Flisco, de qua usque hodie prolem non habuit. Hic Dominus Luchinus duo prœlia feliciter peregit: Unum versùs Alexandriam contra Merescalcum Roberti Regis Siciliæ, *de quo supra dictum est*. Alterum in Parabiago contra Lodrisium Vicecomitem, *de quo supra dictum est*. Ipse à puerili sua ætate militarem cingulum obtinuit, & Civitatis Papiensis Dominus factus fuit; ubi Castrum fortissimum erexit, & Civitatis Dominium multo tempore feliciter gubernavit. Deinde factus Dominus Civitatis Mediolani, Brixiæ, Cumarum, Pergami, Laudæ, Placentiæ, Novariæ, Vercellarum, Cremonæ, addidit suo dominio Civitatem Astensem, ubi Castrum fortissimum construi jussit. Et Civitatem Bobiensem, Civitatem Lucanam armis perdomuit, cujus obtinere potuit dominium, si contra pacta facta cum Pisanis facere voluisset. Exercitum militum, & peditum, & balistariorum congregavit; Italiæ partes concussit armis; numquam à bellis cessavit, & fortunatus in guerris fuit, hostibus ultra modum terribilis exstitit. Ludum taxillorum pro magna parte abstulit; Violatores thori maritalis durissimè punivit. Vias Civitatis adæquari fecit. Tempore caristiæ plusquam XL. millia pauperum de publicis ærariis pasci procuravit. Civitatem Papiensem sibi obedire coëgit, & murum Civitatis propriis manibus ipsos ad terram prosternere coartavit. Mores habuit claros, quasi dedignantis naturæ. Nemo justitiam & pacem unquam meliùs servavit. Cor ejus constans, & verbum firmum fuit, quia quicquid promisit, totum servavit. Introitus, & bona Communitatis optimè servavit; à tributis abstinuit, & totam suam familiam abstinere voluit. Pauperculorum mulierum causas

causas omni die diligenter audivit; omni die XXX. pauperes ad mensam in suo Palatio optimis cibariis pavit. Missam, & Officium Beatæ Virginis omni die cum devotione audivit, seu dixit. In diebus prohibitis, & Sabbato nisi cibaria quadragesimalia comedit. Fuit insuper magnificus in equitaturis, & equorum faleris, in asturibus, falconibus, accipitribus, & magnis canibus, in militibus, domicellis, cytharistis, histrionibus, & familia multa nimis. Multa Castra, & Palatia in Civitate, & Comitatu, & per Lombardiam erexit.

Proprietates Domus Vicecomitum.

GEneraliter Domus Vicecomitum plures habuit laudabiles conditiones. *Prima* est, quòd non fuerunt viri sanguinum immo etiam inimicis suis mortalibus vitam condonaverunt. Et ideò justo Dei judicio & ipsi à gladiis hostium præservati sunt, quia ferè numquam aliquis in bello periit. *Secunda* eorum proprietas fuit, quòd fuerunt viri bellicosi, & ultra quod credi posset, semper in suis bellis fuerunt victoriosi, sicut habetur *supra eodem Libro Capitulo XXXV. Tertia* conditio fuit, quòd fuerunt magnifici in familiis, equis, phaleris equorum aureis, in falconibus, canibus venaticis, in conviviis maximis quasi Regum, in servitoribus, & familia multa nimis. De eodem habetur supra *eodem Libro Capitulo IX.* ubi agitur de Episcopo Novariensi, & *Capitulo XXX.* ubi agitur de Luchino Vicecomite, & per totum istum Librum, ubi agitur de Azone Vicecomite. *Quarta* conditio fuit, quòd non fuerunt in personis crudeles, quia vix umquam fuit auditum, quòd alicui personæ intulerint violentiam, & præcipuè à violentiis mulierum abstinuerunt. *Quinta* conditio fuit, quia fuerunt maximi muratores; erexerunt Castra per totum Comitatum Mediolani; similiter pontes, & salas; in Civitate magna Palatia, muraverunt Civitatem; Ecclesias, & Campanilia fabricaverunt; in omnibus Civitatibus Castra construxerunt. *Sexta* conditio fuit, quòd omnes fuerunt bene formati in corpore & membris, fortes viribus, magni comestores, & in potu temperati. *Septima* conditio est, quòd ad divina bene se habuerunt, quia omni die in suis atriis per speciales suos Capellanos Missam integram audire voluerunt; & virtuosas personas, & Religiosas honoraverunt. Et si isti duo Domini nostræ Civitatis quinque alias conditiones haberent, non jam Capitanei, sed Reges meritò nominarentur, quæ sunt hæ secundùm sententiam Philosophorum videlicet affatus dulcis, structura viarum, & pontis, vindicta sceleris, tributum juris, & hostium connexio amicabilis. Hæc sunt fascia Regis, excluso Tyrannidis, Populi cultus, & præclaræ memoria laudis.

Isto tempore in Italia congregati sunt viri scelerati & pestiferi ex partibus Alamanniæ, Italiæ, Tusciæ, qui dicti sunt Societas; & fuerunt homines absque jugo, absque Rege, absque lege, viventes de rapinis, nulli parcentes ætati; & inventi sunt ferè mille milites absque peditibus. Hi fuerunt viri instabiles, docti ad omne scelus, Civitates & Castra obsidentes.

De cursu Pallii.

ISto tempore cursus Pallii jam dudum interpolatus renovatus est. Et fuit pallium quidam pannus de serico rubeus, vellere lanutus, pretii XL. florenorum auri. Et cùm currerent equi multi missi de diversis Civitatibus Lombardiæ, Bruzius Vicecomes Potestas Civitatis Laudensis bravium obtinuit. Et ipso tempore obtinuit similiter pallium Civitatis Bononiæ, & Civitatis Cremonæ, & Civitatis Papiæ, & Civitatis Parmæ, & Civitatis Laudæ duabus vicibus, & Civitatis Januæ, & Civitatis Regii, & Civitatis Placentinæ duabus vicibus. Iterum Mediolani in MCCCXLI. iterum Mediolani, & Cremonæ.

Incidentia istius temporis.

EOdem anno Mastinus della Scala Dominus Civitatis Veronensis, & Parmensis, & Vicentinæ, & Lucanæ, qui semper contra Ecclesiam pugnaverat, sicut & sui majores, nuper Sanctam Ecclesiam, ejusque Summum Pontificem in suum Dominum in temporalibus & spiritualibus esse recognovit, & instituit pro lygio homagio ipsi Ecclesiæ singulis annis V. millia florenorum, & CC. milites. & CCC. pedites in Italia dare. Isto anno Johannes Marchio Montisferrati, expulso Roberto Rege Siciliæ Vicario sacri Imperii, de Civitate Astensi, ipsius Civitatis dominium obtinuit; & fuerunt in ejus auxilium viri scelerati dicti Societas, qui Castra illorum de Solario expugnaverunt, exspoliaverunt, terras igne ferroque consumserunt. Tunc temporis Cives de Janua, demto dominio Capitaneorum, introduxerunt dominium Ducum, more Civitatis Venetiarum; & factus fuit Dux quidam dictus Symon Becchanigra, cujus Abavus fuit primus Capitaneus Civitatis Januensis, & Atavus similiter, qui miro modo Civitatem Januensem magnificaverunt, & populum nutriverunt. Et sic patet, quòd de eadem Domo fuit primus Capitaneus Civitatis Januensis, & primus Dux. Istis temporibus Edoardus Rex Angliæ puer cordatissimus anno ætatis suæ XXVII. vel circa, audiens, quòd Philippus Rex Francorum ipsum Provincia Vasconiæ terra feudali privare conaretur, congregato exercitu XX. millium militum Regnum Francorum hostiliter invasit, omnia igne ferroque vastavit. Usque prope Parisius ad unam dietam cum dimidia appropinquavit, bellum campestre petiit; nec Franci comparere ausi fuerunt, nullus obstitit, nullus obviavit; nec umquam tantum obprobrium corona Francorum pertulit. Tamdem hyeme superveniente ipse Rex Angliæ à bellis abstinuit, & per coronam suam tempore Veris reparare bellum juravit. Comitatum Flandriæ, Ducatum Brabantiæ, multosque Barones Regni Francorum, totam Alamanniam aut affinitate, aut liga sibi copulavit. Iste Edoardus Rex Angliæ fuit filius Reginæ Isabellæ, quam genuit Philippus Rex Francorum, qui apri ictu corruit, & fuerunt ei tres filii omnes Reges in Francia, qui fuerunt Avunculi ipsius Regis Angliæ; & in istis tribus Regibus Franciæ linea Regalis interrupta fuit, & transivit ad Philippum Comitem Valesii, qui nunc regnat in Francia, qui est consanguineus germanus ipsius Reginæ Isabellæ matris supradicti Regis Angliæ. Sequenti anno ipse Rex Angliæ, secundùm quod promiserat, Regnum Francorum invasit, omnia sub pedibus conculcavit; nullus obviavit; & tamdem pax facta fuit cum honore Regis Angliæ, & cum magno vituperio Regis Francorum.

Quòd

Quòd mores sunt mutati.

CHristi anno MCCCXL. Pontificatus Benedicti XII. Anno V. Vicariatus Imperii Roberti Regis Siciliæ Anno XXVII. à condita Urbe Mediolano MMXLV. anno, vacante Imperio, & Sede Archiepiscopali, sub dominio duorum Vicecomitum, scilicet Johannis Episcopi Novariensis, & Luchini fratrum, supradictus Johannes Brusatus Potestas Mediolanensis fuit in Regimine refermatus. Isto tempore juvenes de Mediolano relinquentes suorum vestigia patrum se ipsos in alienas figuras, & species transformaverunt. Ipsi enim cœperunt strictis & mucatis vestibus uti more Hispanico, tondere caput more Gallico; barbam nutrire more barbarico; furiosis calcaribus equitare, more Theutonico; variis linguis loqui more Tartarico. Mulieres similiter in pejus suas consuetudines inmutaverunt; ipsæ namque stragulatis vestibus, scopato gutture, & collo, redimitæ fibulis aureis gyrovagantur, sericis, & interdum aureis indumentis vestiuntur. Crinibus crispantibus more alienarum capite perstringuntur. Zonis aureis supercinctæ Amazones esse videntur; calceis rostratis progrediuntur; alearum, & tesseræ ludis occupantur; & ut breviter me expediam, equi militares, arma fulgentia, & quod pejus est corda virilia, amorum libertas in mulierum ornamenta, & universa juvenum studia, & antiquorum sudores consumuntur.

De moribus Antiquorum.

QUomodo autem res in deterius data sit, Antiquorum mores ad memoriam revocemus. Inquit enim Ricobaldus Ferrariensis in Chronicis. Rudes erant tempore Federici Secundi in Lombardia ritus, & mores: Nam homines portabant in capite infulas de squammis ferreis insutas birretis, quas mayatas appellabant; vestis erat clamydes pelliceæ sine aliquo operimento pannorum, vel vestis erat de lana rudi absque omni pelle, sive fodro; interdum utebantur infulis de pignolato. Quilibet habens etiam modicam pecuniæ summam, divitem se esse reputabat. Virorum gloria erat esse armis, & equis locupletes. Si quis erat nobilis, & dives, ejus gloria erat habere turres altas, ex quibus posset Civitates circumstantes videre, & montes, & flumina. Dominæ, & Matronæ vittis seu bindis latis tempora & mentum operiebant. Virgines, antequam nuptui traderentur, vestiebantur tunica de pignolato, quæ dicebatur sotanum, & desuper portabant paludamentum, idest soccam de lino albissimo; in capite nullus erat ornatus pretiosus. Dos nubentium erant libræ X. usualis monetæ, & ad plus, & plus C. libræ, quia tunc vestis mulierum erat parcissima nimis. Non erant per domos camini ad ignes, aut ulla caminata.

De Cibis antiquorum.

EXpensæ antiquorum erant ferè nullæ, sive nullius ponderis, quia homines etiam in ætate vix vino utebantur; non erant cellaria, sive canapæ de vino, sed erant contenti solis promptuariis. Usus incisorum in mensis non erat, immo vir & uxor in una paropside comedebant, & in tota familia unus erat in mensa scyphus, vel duo ad plus. Non erant candelæ de sepo vel cera, sed nocte cœnabant cum una face accensa. In prandio comedebant rapas, vel olera cocta cum carnibus, sed in cœna carnes reservabantur; & tribus vicibus in septimana carnibus utebantur. Horrea erant parva, & vestis tam virorum, quàm mulierum erat parcissima. Nunc verò in præsenti ætate priscis moribus superaddita sunt multa ad perniciem animarum irritamenta; nam vestis pretiosa, & artificio exquisito, & ornatu superfluo circumtecta per totum. In ipsis vestibus tam virorum, quàm mulierum aurum, argentum, perlæ inferuntur. Frixa latissima vestibus superinducuntur. Vina peregrina, & de partibus ultramarinis bibuntur. Cibaria omnia sunt sumtuosa. Magistri coquinæ in magno pretio habentur. Avaritia militat: hinc usuræ, hinc fraudes, hinc innocentium oppressiones exercentur. Unde Seneca in Libro exclamationum sic ait: *In deterius quotidie res data est. Omne certamen ad turpia est; torpent enim ingenia desidiosæ juventutis, nec in alicujus rei honesto labore vigilatur; cantandi, & saliendi obscœna studia effœminatos tenent, capillum frangere ad muliebres blanditias &c.*

De mutationibus Civitatum.

NOn solùm autem viri, & mulieres in pejus commutati sunt, verumetiam & Civitates & Castra degenerare videntur, quibus Lombardia quondam extitit gloriosa. Nam Mediolanum florentissimum Lombardiam reddidit florentissimam. Papia possedit delicias. Placentia sua placibilitate hanc provinciam illustravit. Brixia formosis & generosis viris illam inclytam reddidit, Cremona suâ potentiâ, & sapientiâ hanc magnificavit. Civitas Cumana quasi murus hanc inexpugnabilem reddidit. Sed heic quia hodie Papia suas delicias convertit in penuriam. Placentia suam placibilitatem in displicentiam. Brixia suam generositatem in perfidiam. Cremona suam famam in infamiam. Cumæ murum communitionis in hostilitatem. Et ideo justo Dei judicio omnes prædictæ Civitates factæ sunt Urbis Mediolani in tributariam servitutem & rapinam.

De guerra de Bilizona.

TUnc temporis, scilicet die primo Maji in festo Apostolorum Philippi & Jacobi Castrum de Bilizona superatum fuit. Ubi est sciendum, quòd illi de Rusconibus, apud quos dominium Civitatis Cumanæ longo tempore fuerat, mortuo Azone Vicecomite, Civitatem Cumacinam derelinquentes, & contra dominium Vicecomitum se erigentes, ad Castrum de Bilizona confugerunt, & invocantes Lodovici Bavariæ auxilium, crediderunt totam Lombardiam jugo Theutonicorum subponere. Quod attendentes duo Capitanei de Mediolano, videlicet Johannes Episcopus Novariensis, & Luchinus frater ejus, Castro de Bilizona obsidionem durissimam paraverunt, quatuor exercitus circumponentes, & cum XI. trabuchis, seu machinis die & nocte muros, & mœnia concutientes ferè mensibus . . . . . continuis. Tamdem obsidione fatigati, & Theutonicorum promissis defraudati, se reddiderunt, de commissis veniam postulantes; & facti sunt ceteris in exemplum, ne similia audeant attentare.

De translatione B. Petri Martyris.

EOdem anno, ſcilicet in MCCCXL. die quarto Junii in feſto Sanctæ Pentecoſtes congregatum fuit Mediolani Capitulum generale Fratrum Prædicatorum in domo Sancti Euſtorgii, & interfuerunt Epiſcopi Johannes Vicecomes Epiſcopus Novarienſis, electus in Archiepiſcopum Mediolani; Item Epiſcopus Lucanus, Epiſcopus Cremonenſis, Epiſcopus Papienſis, Epiſcopus Adriæ, & Epiſcopus de Beſtatio. Iſti enim ſex Epiſcopi cum Magiſtro Ordinis Prædicatorum, & Diffinitoribus Capituli generalis in vigilia Pentecoſtes, ordinante, & cuncta diſponente venerabili Johanne Vicecomite Epiſcopo Novarienſi, cui totius Capituli generalis, & translationis Corporis Beati Petri Martyris cura commiſſa fuerat, aperta fuit Archa marmorea antiqua, in qua jacuerat Beatus Petrus ferè annis LXXXVII. Et inventum fuit Corpus ejus integrum cum capillis, & barba, & omnibus membris, itaque rectus, ut in pedibus ſtare potuiſſet. Et ſequenti die, ſcilicet in feſto Pentecoſtes in alto aëre in platea coram innumera multitudine Populi oſtenſum fuit ferè uſque ad horam ſextam. Deinde translatum fuit in Archam novam marmoream mirabilis pulcritudinis, nec fuit in univerſis Regnis totius Chriſtianitatis tam nobile ſepulcrum de marmore. De morte autem B. Petri Martyris habetur *ſupra Libro* ...... Capitulo ..... Mortuus eſt autem anno Domini MCCLII.

De Mereſcalco Papæ.

ISto tempore Philippus Rex Francorum petiit à Summo Pontifice theſauros Eccleſiæ, ut poſſet Regi Angliæ obviare: quod cùm Papa facere nollet, Rex Francorum cum Mereſcalco Summi Pontificis ordinavit, quòd proditoriè Papa cum Cardinalibus, & univerſo theſauro vincti ducerentur Pariſius. Quod cùm Papa cognovit, Mereſcalcum ſuum de proditione convictum, & confeſſum ad caudas equorum pertrahi juſſit, & duras ſententias contra iſtius ſceleris conſcios promulgavit.

De novitate Franciſcoli de Puſterla.

ANno Domini MCCCXL. die XV. Junii Franciſcolus de Horamara Marchio Malaſpinæ factus eſt Poteſtas Mediolani. Eodem tempore, videlicet die XX. Julii Franciſcolus de Puſterla vir ditiſſimus ſuper omnes Cives Italiæ fugit cum filiis, & univerſo theſauro ſuo, quem habere potuit de Mediolano, & de Italia, pro eo quòd de proditione, & morte duorum Dominorum Civitatis fuerit convictus. Unde poſt annum cum dimidio cum quatuor filiis in portu Piſano captus, & in vinculis Mediolanum ductus, cum duobus ſuis filiis majoribus ſententiam ſubiit capitalem, & dominium Civitatis volens uſurpare, propter quod multi ejus complices capti ſunt tam de Civibus, quàm ſtipendiariis, & aliqui fuerunt decapitati, aliqui in equuleo torti, aliqui in pecuniam condemnati. Ipſius autem Franciſcoli de Puſterla bona fuerunt confiſcata, & aſcendebat valor eorum, quæ fugare non potuit, ferè CC. millia florenorum auri. Eodem tempore contra Cazinum Torniellum, qui prædictæ proditioni conſenſerat, exercitus paratus fuit: quo viſo ipſe Cazinus timuit, & reddens ſe, & ſua Caſtra, ad confinia

A miſſus eſt uſque ad beneplacitum Dominorum de Mediolano, & poſt pauca mortuus eſt in exilio.

De hoſtibus Crucis, qui à tribus partibus invaſerunt terras Chriſtianorum.

ISto tempore Chriſtianitas paſſa eſt à tribus plagis Mundi diverſa prœlia, & diſcrimina. Ab Oriente à Tartaris, qui invaſerunt Ungariam; ab Occidente à Sarracinis, qui invaſerunt Hiſpaniam; à Meridie à Turchis, qui invaſerunt Græciam, & de ſingulis dicemus Hi-

B ſtoriam. Nam Sarraceni audito quòd Chriſtiani vellent facere paſſagium, Rex de Moroch Summo Pontifici ſcripſit literam in hæc verba: *Hernedandans Rex Mauritaniæ ſuper LXXII. Reges habens Imperium, & Princeps magnus in lege Machometi, adoratori Crucifixi ſalutem. Nos non diligimus avaritiam, nec in potentia delectamur. Coërce tuos Subditos, ne terras noſtras conturbent. Alioquin ſenties nos cum LXXII. Regibus de Corona noſtris Subditis contra te in iram eſſe converſos.* Iſte dictus eſt Rex de Benamerim, & Arabiæ, & Sarracenorum nigrorum, & Parthorum, & Andalcenſium. Et habuit uxores duas, quarum una fuit filia Regis de Thumas, & habuit multas concubinas,

C & quatuor filias, & duos filios, quorum unus dictus eſt Aboymar, alter dictus eſt Pytazius. Hic Rex de Benamerim cum uxoribus & filiis, & filiabus, & concubinis, & exercitu innumerabili equitum LX. millium, & peditum CCC. millium, exceptis populo, & militibus de Granata, qui fuerunt ſinè numero, & camelis, & ronzinis in navigio magno valde tranſivit mare, quod dicitur Strictum Hiſpaniæ. Et adjuncto ſibi Rege Granatæ, caſtrametati ſunt iſti duo Reges juxta quemdam montem altum valde, juxta ripam maris. Et petiit Rex de Benamerim montis cacumina, & Rex Granatæ ad pedes montis ſe poſuit. Quo audito Alfonſus Rex Caſtellæ contra Regem Granatæ, & Rex Por-

D tugalliæ contra Regem de Benamerim pugnas inierunt; & levi prœlio ſuperati ſunt Sarraceni, & innumerabiles ſunt interfecti; nec unus evaſit, niſi qui in mare ſe ſubmerſerunt, aut cacumina montium petierunt. Et unus filius Regis Benamerim dictus Aboymar fuit captus, & alter dictus Pytazius fuit interfectus, & cum ipſo ſunt interfecti pluſquam C. millia, vel CCC. millia Sarracenorum. Et fuerunt captæ duæ uxores Regis, & quatuor filiæ, & univerſæ concubinæ, & ſomarii pleni auro, & ſpolia ſinè numero. Et pervenerunt Chriſtiani ad Caſtrum de Algeruza, omnia interficientes uſque ad Occaſum Solis; & niſi victualia defeciſſent illud Caſtrum captum fuiſſet. Acta ſunt hæc anno Do-

E mini MCCCXL. die XXX. Octubris. Et ſtatim cœperunt obſidere Caſtrum de Jopita, quod eſt clavis totius Regni de Granata. In MCCCXLII. iterum Sarraceni advenerunt, volentes prædictam obſidionem amovere, & commiſſa eſt pugna in mari, & perdiderunt Sarraceni XL. galêas, & Sarraceni ſunt capti, aut interfecti pluſquam LXXX. millia, & omnis eorum exercitus diſſipatus eſt.

Epiſtola Caliphi Babiloniæ.

HAc peracta mirabili victoria, Caliphus Babiloniæ Soldanus, & omnium Sarracenorum Princeps, ſcripſit Regi de Benamerim, quòd Pytazius filius ſuus, quem Chriſtiani interfe-

terfecerant, resurrexerat à mortuis tertia die, &
quod erat in Paradiso cum Macometo comedens
lagana, butyrum, lac, & caseum, habens
LXX. mulieres virgines. Et misit suam
auctoritatem iste Caliphus cunctis Sacerdotibus
Sarracenorum, quòd prædicarent passagium cum
Indulgentia omnium peccatorum, & aliorum XI.
de genere suo; & qui ire non poterat, pro se
alium mittere posset; & si quis interficeretur,
quòd tertia die resurgeret. & haberet septem
uxores virgines, & comederet lagana, butyrum,
lac, & mel in Paradiso Macometi. Item
misit prædicto Regi de Benamerim sub timore
ensis sui fortissimi, quòd congregatis Sarracenis
citra mare & ultra mare, iret ad Castrum de
Zabaltar, & pugnaret contra Regem Castellæ
sive Hispaniæ, & destrueret totam Christianitatem,
nulli parcens ætati vel sexui, & quòd de
Ecclesiis Christianorum faceret stabularia, &
de altaribus præsepia, & de Crucibus ligamenta
pro Animalibus.

Epistola, sive Indulgentia, quam misit Papa Romanus.

Dominus autem Pontifex Romanus volens
Sarracenorum incursibus obviare, Crucem
prædicari fecit cum plena Indulgentia omnium
peccatorum; & facta est armata per mare per
Robertum Regem Siciliæ, & Regem Portugalliæ,
& Regem Navariæ, & Regem Aragoniæ,
& Regem Majoricarum, & Regem Angliæ, &
Regem Hispaniæ, & Ducem Januensium, &
Ducem Venetiarum, & per Pisanos, & plures
alios Christianos. Item facta est alia armata
per terram per Summum Pontificem, per Regem
Angliæ, & Regem Hispaniæ, & Regem
Portugalliæ, & per Theutonicos, Gallicos, &
Italicos, & iverunt plures de Mediolano vestiti
de albo cum Cruce rubea.

De Turchis, qui invaserunt Christianos.

A Meridie Turchi, qui Sarracenorum perfidiam
sapiunt, naves innumerabiles in
Mari Majori posuerunt, mercatores Christianorum,
ipsorumque Insulas, & Civitates diripuerunt.
Sed Januenses in mari naves armaverunt,
& omne Turcorum robur confregerunt, & ipsorum
navigium pro majori parte obtinuerunt.

De Tartaris, qui invaserunt Christianos.

Ab Oriente Tartari, qui solo lacte & carnibus
vescuntur, quorum vita, & divitiæ
sunt in animalibus, & pecudibus, carrucis,
& brucis herbas, & frondes corrodentibus, ultima
penuria, & fame coartati, terras Christianorum
ultra Danubium incolere voluerunt,
& fuerunt XI. cohortes, & quælibet cohors habuit
LX. millia militum, qui omnes in equis
parvis, arcu & sagitta hostes superare consueverunt.
Hoc audito Rex Ungariæ, & Rex Boëmiæ,
& Rex Poloniæ, sibi adjunctis multis Theutonicis,
gravi bello dimicantes, illos Tartaros
partim interfecerunt, partim expulerunt. Et
ibi in obsidione cujusdam Castri ipsorum Tartarorum
Imperator sagitta perfossus occubuit.

Quòd Civitas Mediolanensis multis novitatibus floret.

Christi anno MCCCXLI. Pontificatus Benedicti
XII. anno VI. vacante Imperio, &
A Sede Archiepiscopali Mediolanensi, Vicariatus.
Roberti Regis Siciliæ Imperii anno XXVIII. A
condita Urbe Mediolano MMXLVI. sub dominio
duorum fratrum ex Vicecomitibus venerabilis
Johannis Episcopi Novariensis, & nobilis
militis Luchini Vicecomitis. Supradictus Franciscus
Marchio Horamara Malaspinæ fuit in regimine
refermatus. Isto tempore in Civitate
Mediolani per Dominos Civitatis duæ novitates
sunt inchoatæ. *Prima* est, quòd adinvenerunt
facere molendina, quæ non aqua aut vento circumferuntur,
sed per pondera contra pondera,
sicut fieri solet in horologiis. Et sunt ibi rotæ
multæ, & artificia subtilia multum, & non est
opus, nisi unius pueri, & moliunt continuè qua-
B tuor modios tritici, molitura optima nimis. Nec
umquam in Italia tale opus fuit adinventum,
licèt per multos exquisitum. Secunda novitas
fuit, quia adinvenerunt facere in Ticinello navigium;
& fuerunt illæ naves dictæ ganzerræ,
& portat una navis D. vel DC. homines armatos,
& sunt nimis utiles pro Communitate Mediolani,
quia possunt ire usque Venetias, & visitare
Civitates, & Castra posita super Ticinum,
& Padum, & in Lacu Majori. Possunt etiam
hostibus inferre damna plurima, & victualia
deferre amicis. Sunt istæ ganzeræ naves magnæ
habentes pro qualibet L. remos, vel circa, &
sunt communitæ asseribus in circuitu cum bathfredis
& machinis, cum maximis velis; nec po-
C tuit Ticinellus ipsas transducere, quantumcumque
ingurgitatus sed cum camelis, & aliis instrumentis
oportuit ipsas conduci usque in Lacum
Majorem.

De quibusdam aliis novitatibus.

Item alias nobiles & laudabiles consuetudines
adinvenerunt prædicti domini Civitatis,
& aliquas jam inchoatas per suos prædecessores
reperiverunt. Videlicet quia equos emissarios
equabus magnis commiscuerunt, & procreati
sunt in nostro territorio dextrarii nobiles, qui
in magno pretio habentur. Item canes Alanos
altæ staturæ, & mirabilis fortitudinis nutrire
studuerunt; & cuniculis Castra, & Civitatem
D repleverunt. Item racemi vernacini truncis inserti,
vinum vernacinum insertum producunt.
Panni de serico, & de auro, subtili artificio
texuntur, & plura alia mirabilia opera, & novitates
laudabiles introductæ esse dignoscuntur.

De Civitate Parmensi, & Lucana, quas perdidit Mastinus de la Scala.

Eodem anno Parmenses manu armata exercitum
Mastini de la Scala de Parma ejecerunt,
& fuerunt Mediolanenses in auxilium
Parmensibus. Principales in isto facto fuerunt
illi de Corrigio, quorum nepos erat Mastinus
E de la Scala. Cùm autem ipse Mastinus Parmam
perdidisset, Civitatem Lucanam, quam magno
pretio emerat. Civibus de Florentia magno pretio
vendidit; & sic qui quondam novem Civitatum
dominium habuerat, nunc sola Verona,
& Vicentia contentus habetur.

De Potestate.

Anno Domini supradicto stantibus concurrentiis
supradictis, factus fuit Potestas Albertus
Cumanus de Ruscoaibus die primo Julii.

De

De pace Ecclesiæ cum Mediolanensibus.

ISto tempore, videlicet die VI. Augusti, facta fuit pax completa & perfecta inter Ecclesiam Romanam, & Civitatem Mediolanensem, inter quos fuerat nunc dissensio, nunc guerra mortalis annis XXII. Nec umquam potuit inveniri pax, nisi nunc per Dominos Johannem Episcopum Novariensem, & Luchinum fratres. Et fuerunt pacta ex parte Mediolanensium ista: *Primò*, quòd Civitas Mediolanensis obediet Summo Pontifici tamquam Christi Vicario, & quòd stabunt mandatis Ecclesiæ super excessus factos contra Ecclesiam. *Secundò*, protestantur, quòd non credunt, quòd ad Imperatorem pertineat Summum Pontificem instituere, vel destituere, & quantum in ipsis est, anathematizant contrarium afferentes, vel facientes. *Tertiò*, quòd exterminabunt de suis finibus pro suo posse omnes hæreticos, & manifestos Schismaticos. *Quartò*, quòd non præstabunt consilium, auxilium, vel favorem Ludovico Bavariæ damnato, nec alicui Antipapæ directè vel indirectè. *Quintò*, quòd non recipient aliquem Imperatorem, nec ejus nuntios vel gentem, sinè speciali mandato Papæ, immo eis contradicent, & contra ipsos stabunt pro suo posse. *Sextò*, quòd recipient, & curialiter tractabunt nuntios Ecclesiæ & gentem, dummodo transeant pacificè; & protegent, & defendent eos in suis Civitatibus & Terris, quas tenent, aut tenebunt. *Septimò*, quòd permittent stare in suis Ecclesiis Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Clericos universos, & universas personas seculares. *Octavò*, quòd non imponent alicui Clerico, vel personæ Ecclesiasticæ, aliquam collectam, vel exigent, aut exigi facient datium aliquod, vel pedagium. *Nono*, quòd servabunt omnia alia pacta facta inter Summum Pontificem, & ipsos Dominos de Mediolano. Finaliter Domini Civitatis Mediolanensis petunt à Summo Pontifice, quòd ex sua solita clementia relaxet omnes sententias tam juris, quam hominis, latas quocumque tempore contra Communitatem Mediolanensem, & contra quascumque personas singulares tam vivas, quàm mortuas,

De gratiis factis per Summum Pontificem dominis, & Communitati de Mediolano.

DOminus autem Pontifex dictus Benedictus hujus nominis XII. de consensu Cardinalium, non solùm quod petebant duo Domini de Mediolano, imò multo majora eis concessit. *Primò* declaravit, quòd omnes processus facti contra Dominos Vicecomites tam vivos, quàm mortuos fuerunt injusti, iniqui, & omnes falsitate pleni. Unde promulgavit ipsos nullius ponderis vel valoris esse, vel fuisse, innuendo, quòd ipsi processus non fuerant processus Ecclesiæ, sed Archiepiscopi Mediolanensis (10), & Inquisitorum. *Secundò* Summus Pontifex absolvit duos Dominos de Mediolano ab omni sententia, & processu, vel suspensione quocumque tempore facta, similiter & Clerum, & Populum. *Tertiò* absolvit ab interdicto omnes Civitates Lombardiæ, quæ occasione favoris præstiti Vicecomitibus longo tempore fuerant interdicto Ecclesiastico suppositæ. *Quartò* instituit ipsos duos Dominos de Mediolano, eorumque hæredes sive successores Ecclesiæ Vicarios jure perpetuò, in Civitate Placentina, & Laudensi, & in Castris Crema, Caravazio, Martinengo, Castronovo in faucibus Abduæ. Et ipsi duo Domini tactis Sacrosanctis Evangeliis juraverunt Ecclesiæ perpetuam fidelitatem, statuentes pro homagio Ecclesiæ X. millia florenorum singulis annis ad terminum festivitatis Apostolorum Petri & Pauli. *Quintò* instituti sunt Vicarii generales Ecclesiæ non cum jure perpetuò, sed tantùm vacante Imperio in Civitatibus Mediolano, Brixia, Bergamo, Cumis, Vercellis, Cremona. Civitas autem Novariensis soli Episcopo Novariensi cessit, quia in illa Civitate dominium temporale est annexum spirituali; & per consequens dominium ipsorum est rectificatum, & factum legale, & justum, quia secundum omnia jura administratio Regni Italici pertinet ad Ecclesiam vacante Imperio, sicut modo vacat.

De laudabilibus consuetudinibus introductis per prædecessores.

ISti duo Domini de Mediolano, videlicet Johannes venerabilis Episcopus Novariensis, & nobilis miles Luchinus frater ejus, multas laudabiles leges, & statuta ordinaverunt inviolabiliter observari. *Prima* lex fuit, quòd omnes Civitates sibi subjectæ, absque omni personarum acceptione suis Civibus essent, habitatio tutissima, & omnes extrinseci reducerentur in suam patriam. Et istius justissimæ legis & sanctissimæ inceptor fuit illustris miles Azo Vicecomes, ob cujus meritum possidet Paradisum. Et nunc observatur cum omni diligentia per Dominos nostros de Mediolano. *Secunda* lex fuit, quòd viæ, & stratæ, & præcipuè Vallis Ticini numquam fuerunt ita securæ, sicut modò sunt. Unde institutus est quidam secundus Potestas, qui extra portas Civitatis per totum Comitatum habet jus sanguinis, dictus Luzius, vir mirabilis, & latronibus nimis terribilis, qui die & nocte circuit quærens latrones & fures; & miro modo totum nostrum territorium à prædonibus purificavit. *Tertia* lex fuit, quòd nullus homo aut aliqua parentela contra aliam parentelam insurgeret aut invitationem armorum, aut aliquam commotionem faceret; Quod hactenus malè servatum fuit, quia pro nihilo unus homo alium invitabat ad vulnera, & expensas in proprio negotio, imò in propria fatuitate & temeritate, & die & nocte pugnabat, qui pro sua Communitate nec ensem extrahere ausus fuisset. *Quarta* lex fuit, quòd nullus homo, quantumcumque potens aut nobilis, alicui populari aliquam violentiam inferre, imò nec dicere ausus fuisset. Quod hactenus malè servabatur, quia à priscis temporibus unus piscator cum piscibus, seu mercator cum fructibus, vel etiam aliis mercibus per villas nostri Comitatus, aut Castra, aut pontes transibat nisi exspoliatus; & omnia talia inconvenientia sublata sunt, & quilibet viator transit securus. *Quinta* lex est, quòd populus ad bella non procedat, sed domi vacet suis oneribus: quod hactenus malè fuit servatum, quia omni anno, & specialiter tempore messium, & vindemiarum, quo solent Reges ad bella procedere, populus relictis propriis artificiis cum multo discrimine, & multis expensis sta-

(10) Nempe Aycardi, cujus Acta & sententiam vulgavit Ughellus in Archiepiscopis Mediolanensibus, ubi de ipso agit.

stabat supra civitatum obsidiones; & innumerabilia damna incurrebant, & præcipuè quia multo tempore in talibus bellorum exercitiis occupantur. *Sexta* lex est, quòd domus exbannitorum, seu proditorum non destruuntur, imò pro communi utilitate observantur: quod hactenus non fiebat, imò quasi pro nihilo ad terram projiciebantur: quod miro modo Civitatem deturpabat, & manifestam infamiam inducebat. Et nota, quòd licèt parentes, & prædecessores istorum Dominorum istas sex laudabiles & utiles leges introduxerint, per istos tamen duos Dominos optimè observantur. Et plures alias leges multò laudabiliores introduxerunt, & malas consuetudines exstirpare studuerunt. *Sicut in sequenti* Capitulo per singula intendimus declarare.

Laudabilia opera, & leges, & justitia facta per istos duos Dominos.

PRima mala, & detestabilis consuetudo quondam servata fuit, quòd singulis annis absque aliqua evidenti causa vel necessitate imponebatur regulariter, & certis temporibus circa principium Quadragesimæ una talea, quæ dicebatur *florenum*, & interdum bis in anno, quæ populum, & nobiles gravabat ultra modum. Hæc mala consuetudo exstirpata est, quia isti duo Domini nullum gravamen, vel exactionem imposuerunt, nec imponere intendunt, nisi ab extrinseco hostes irruerent, vel propter debitum Communitatis persolvendum, vel propter aliquod privilegium impetratum ad communem utilitatem. *Secunda* mala consuetudo fuit, quia totus ferè noster Comitatus fuit sub diversis dominis distributus cum translatione dominii, aut fructuum. Et licèt Communitas istos gravaret enormiter, istud secundum dominium fuit magis grave, & majoris dispendii. Et ista pessima consuetudo totaliter est exstirpata, quia totus Comitatus soli Communitati subjicitur immediatè: quod est ad magnam pacem, quia nec à Communitate gravantur, nec à dominio singulari. *Tertia* mala consuetudo fuit, quòd introitus Communitatis indebito modo distrahebantur, quia dabantur magnæ provisiones histrionibus, & burdonibus, & mulieribus, & vilibus personis; & ascendebat valor expensarum ultra XXX. millia florenorum singulis annis. Et sic Cives exspoliabantur, & indigni sustentabantur. Et hanc malam consuetudinem isti duo Domini abstulerunt, & provident de suis introitibus suis Civibus, prout sibi videntur expedire. Nec umquam introitus Communitatis fuerunt ita bene conservati, nec prudentiùs dispensati, quàm modò dispensantur & conservantur. *Quarta* mala consuetudo fuit, quòd officia Communitatis, & Communitatum aliarum Civitatum ponebantur, & dabantur Papiensibus, Cremonensibus, Ferrariensibus, qui odio, naturali odiunt Civitatem Mediolanensem, quorum studium semper fuit Civitatem nostram suis malis consiliis exspoliare, exterminare, quantum potuerunt, & sciverunt, & ista pessima consuetudo exstirpata est. Quia hodie inveniuntur plusquam sex millia personarum de Mediolano, qui de publicis ærariis in diversis Officiis constituti vitam ducunt honestam. *Quinta* mala consuetudo fuit, quia Officiales Curiæ liberè tributis insistebant, in tantum quòd etiam viles & pauperes servi Curiæ in brevi ditabantur. Et ista mala consuetudo sublata est, quia Officiales Curiæ diversis tormentis, & subtilissimis examinationibus expositi sunt, & coacti sunt reddere universa lucra, & extorsiones illicitas. Ex hoc consecuta sunt plura bona. Primò, quia reddiderunt malè ablata: secundò quia salvaverunt animas suas; tertiò, quia facti sunt futuris Officialibus Curiæ in exemplum, ne extorqueant pecunias à Civibus, qui depauperati sunt propter malos Officiales. *Sexta* mala consuetudo fuit, quia homicidæ, fures, prædones, & rei multi passim pretio, aut prece condonabantur, & dimittebantur. Et ista mala consuetudo deleta est, quia quicumque reus vix, & ferè impossibile est ut evadat, nec propter partem, nec propter amicitiam, nec propter pretium, nec propter precem Et ut communiter dicitur, in ista Civitate numquam fuit servata tanta justitia, sicut modò servatur. *Septima* mala consuetudo fuit, quia si eos interdum collectam imponere oportuisset, sicut tertio anno dominii sui imponere oportuit propter facta debita carestiæ anni præteriti, & propter expensas factas in Curia, & aliquos apparatus militares, cum summo studio, & diligentia secundùm facultates æqualiter factæ sunt, & impositæ, & persolutæ; nec in hoc fuit personarum acceptio. Quod hactenus malè fuit observatum, quia nec æqualiter imponebantur, nec æqualiter exigebantur. *Octava*, quia sub magna pœna fuit Medicis impositum, ut ultra tres vices non visitarent, nisi infirmus priùs fuisset confessus. Et circa funeralia multa bona statuta, populum, & Clerum alleviantia, ordinaverunt. Et plura alia statuta bona observari mandaverunt.

De Civitate Astensi, & Bobiensi.

HIs laudabilibus meritis per Italiam divulgatis multæ Civitates ipsorum dominium multis precibus obtinuerunt. Unde Civitas Astensis, & Civitas Bobiensis ipsorum Regimini additæ sunt. Insuper terras, & Castra Marchionatus Salutiarum communierunt nomine Rizardæ Marchionissæ neptis suæ. Hic nota, quòd numquam fuit in Mediolano tam forte, nec tam gloriosum dominium. Cui subsunt XI. Civitates, scilicet Mediolanum, Placentia, Cremona, Cumæ, Vercellæ, Novaria, Brixia, Bergamum, Ast, Laude, Bobium. Item ista Castra, Crema, Castrum Sancti Domnini in territorio Parmensi.

De naturalibus dignitatibus Dominorum Vicecomitum.

HAbent insuper hii Domini Vicecomites de Mediolano plures alias quodammodo dignitates, seu nobilitates naturales. Quia sunt Comites Gulluræ, quæ est tertia pars Insulæ Sardiniæ. Quod sic probatur. Quidam nobilis miles ex Vicecomitibus de Pisis fuit Judex Gallluræ, qui ex quadam filia Obizi Marchionis Estensis genuit filiam nomine Johannam, quæ unica patris in Comitatu successit. Mater nobili militi Galeatio Vicecomiti in uxorem traditur, & Johanna filia ejus magnis pecuniis emta fuit cum suo Comitatu, ut terra illa esset perpetuo jure Vicecomitum. Interim puella moritur, & terram suam nobili militi Azoni Vicecomiti fratri suo ex parte matris testamento legavit; similiter & omnia bona paterna, quæ fuerant patris sui in territorio Pisano. Tunc Palatia illius Judicis, quæ erant Pisis cum aliis suis possessionibus Azoni Vicecomiti præparantur, & mirabili festo, & hastiludiis Civis Pisanus

nus advocatur; qui vexillum illius Comitatus vexillo Vicecomitum commiscuit; & terram illam recuperasset, nisi morte præventus fuisset. Qui moriens omnes suas divitias, terras, nobilitates duobus patruis suis testamento legavit. Qui illius Comitatus Comites existunt duplici jure, scilicet emtionis, & jure successionis. Insuper ipsi nati sunt ex nobili prosapia Comitum Engleriæ, quæ quondam domus Regalis fuit, *ut supra probatum est*. Insuper ex parte Ecclesiæ facti sunt Domini naturales plurium Civitatum Italiæ, *sicut supra dictum est*.

De obsidione Civitatis Lucanæ.

EOdem tempore duo Domini de Mediolano supradicti cum Pisanis Civitatem Lucanam contra potentiam Florentinorum, & Veronensium, & ferè omnium Civitatum Tusciæ dura obsidione per circuitum vallaverunt. Nec umquam fuit auditum, quòd in Italia aliqua Civitas fuerit per circuitum vallata, nisi ista; & commissa fuit pugna à mane usque ad sero, & fugati sunt Florentini, & Veronenses, & omnis ipsorum fortitudo dissipata est. Et post obsidionem XI. mensium finaliter superata fuit, ut infra dicetur. Insuper Civitatem Veronensem usque ad flumen Athesim exercitus Mediolanensis igne ferroque vastavit. Similiter Marchionatum Salutiarum, quantum ad Castra, & Villas, multâ militiâ armaverunt, *sicut supradictum est*.

De obsidione Terræ de Locarno.

EIsdem temporibus illi de Locarno viri nobiles & potentes super Lacum Majorem terras nostras rapinis & diversis violentiis molestaverunt. Ex quo indignati Domini de Mediolano navale bellum paraverunt, & habuerunt de suis navibus, navigium Cremonensium, & navigium Placentinorum, & navigium de Piziguitono, & Ganzeras suas numero VI. & alias naves multas, multas nimis. Et ex amicitia habuerunt navigium de Mantua, & navigium de Papia. Et facto congressu per terram, & per aquam facili prœlio superati sunt hostes, & majores ex eis ducti sunt Mediolanum; & terra de Locarno per forenses communita est, & Castrum fortissimum constructum fuit. Isto anno Civitas Venetiarum sub aquis submersa fuit per duas horas; multæ naves, & personæ innumerabiles perierunt; mercatores damna multa sustinuerunt. Isto tempore Duchissa Charintiæ viro suo filio Regis Boëmiæ frigiditatis titulum opposuit, cujus sponsa vel uxor fuerat annis ferè XV. & ipsum de terra sua expulit; & filium Lodovici Bavariæ in virum accepit, sperans Imperatricis nomen obtinere. Et tunc Lodovicus Bavariæ Civitatem Tridentinam, eo quòd sit ad Italiam ostium & ingressus, diligenter communivit.

De morte Benedicti XII. Papæ.

EOdem anno die XXV. Aprilis in vigilia Sancti Marci Benedictus hujus nominis XII. viam universæ carnis ingressus est: quòd toti Christianitati maximum gaudium intulit (11). Et vacavit Sedes diebus XIII. Iste fuit suo prædecessori multùm dissimilis, ut *supra dictum est Capitulo. IX. ejusdem Libri*. Ipse enim Ordines seu status Religiosorum omnium multa examinatione concussit. Et primò Monachos nigros, postea Monachos albos, tertiò Fratres Minores. Et isti tres Ordines posuerunt se totaliter in manibus ejus, videlicet professionem, Regulam, & constitutiones. Et ipsos novam professionem facere in manibus suis coëgit; & postea diversis præceptis, & novis constitutionibus turpiter defœdavit (12). Deinde Ordinem Prædicatorum citavit, & quærebat, quòd Ordinem suum, & constitutiones, & professionem in manibus suis ponerent, sicut ceteri Religiosi fecerant. Ipsi autem responderunt, quòd ab Apostolis citra non fuit Ordo meliùs ordinatus, quàm sit Ordo Prædicatorum, & ideo nolebant, nec indigebant suis reformationibus. Ex hoc turbatus, in festo Sancti Valentini per tres annos Ordinem Prædicatorum in Curia impeditum detinuit. At illi Fratres viriliter & fortiter restiterunt in faciem ejus, & finaliter prævaluerunt, quia contra illum Ordinem nullam novitatem facere potuit, quæ ascenderet ad quartam partem unius fabæ (13). Et sic adimpleta est prophetia Abbatis Johacim, qui istum Papam depinxit in habitu albo prementem sub pedibus unum maximum Canem, depictum albo & nigro colore ad rosellas; Et Canis pedem Papæ forti morsu confringebat. Inventi sunt isti Papæ MD. cophini pleni florenorum. Et habuit quilibet cophinus circa XXX. millia florenorum auri. Ejus autem annuli fuerunt pretii CC. millium florenorum auri. *Quære supra eodem Libro Capitulo IX.* Et nota, quòd multi Summi Pontifices fuerunt nostris temporibus de hæresi diffamati, sicut patet de Papa Bonifacio, & Papa Johanne XXII. & de isto Benedicto, contra quem Liber conscriptus est, quin multis rationibus, quòd esset hæreticus (14), & pater ejus fuit hæreticus, & filius fratris ejus.

De

(11) Ex præconcepto contra Benedictum XII. livore hæc effutiit Galvaneus. Cæterum in manuscripto Vaticano apud Raynaldum ad annum 1342. num. 5. & apud Bosquetium, ac Baluzium in VI. hujus Benedicti Vita, oppositum legitur his verbis: *Anno Domini MCCCXLII. in die S. Marci Evangelistæ in Avenione in Palatio, quod construi fecerat, ad Christum migravit, de cujus morte tota Curia, ac Christianitas condoluit.*

(12) Pudori ac probro in hunc Sanctum Pontificem vertit hic Auctor, quòd Scriptores omnes summæ in ipso laudis argumentum faciunt: Neque enim defœdavit, sed potiùs abstersit Benedictus à Religiosis Ordinibus sordes, quas in illos invexerat degener à primævæ disciplinæ splendore, & turbulentas ejurati sæculi fæces revolvens amor vitæ liberioris.

(13) Mitiùs ac reverentiùs hæc referunt Joh. Michael Pio lib. 2. partis 2. Virorum Illustrium Ord. Prædicat. ubi agit de Ugone Campano tunc Generali Ordinis Ministro, & Bzovius ad annum 1337. num. 10. Instigatum siquidem à malevolis, qui Pontifici adstabant, Benedictum hic postremus scribit, & zelo non odio commotum ista intentasse.

(14) Injustam hæresis labem Bonifacio VIII. & Johanni XXII. à maledicis, hostibusque Apostolicæ Sedis impactam, invictis jam argumentis depulere Gretserus, Coquæus, Bzovius, aliique annalium Ecclesiasticorum Scriptores. In Benedicto XII. infamem hanc notam ne ipse quidem somniavit Philippus Mornæus, qui excitando graviori contra Summos Pontifices odio putida omnia commenta, & calumnias è pulvere ac cæno superiorum ætatum in lucem produxit. Si quis autem liber hisce figmentis conspurcatus emersit, ut innuit Galvaneus, is à mendaci quopiam detractore confectus esse credendus est, non secus ac bina injuriosa carmina eo tempore vulgata, quæ profert Mornæus, quibusque objicit Leonardus Coquæus in suo Antimornæo auctoritatem magni Chronici Belgici, testantis ab invidia perditorum hominum, veritate in contrarium clamante, ea fuisse contexta.

De Creatione Papæ Clementis Septimi (15).

CLemens hujus nominis Septimus Anno Domini MCCCXLII. sedit annis . . . . . ., & vacavit Sedes . . . . Eodem anno die VII. Madii concordaverunt Cardinales, & elegerunt in Summum Pontificem quemdam Monachum nigrum, qui dictus est Petrus Rogerii, qui fuit primò Episcopus Atrabatensis, postea Episcopus Romensis (16), postea Archiepiscopus Rothomagensis, postea Cardinalis, finaliter Papa fuit. Hic est vir sanæ vitæ, & claræ famæ; Magister licentiatus in Theologia, ætatis annorum LII. vel circa. Hunc Abbas Johacim designavit, quòd in brachiis teneret canem, albo & nigro B depictum ad rosellas, quem dulciter osculabatur. Hic suorum prædecessorum avaritias & crudelitates sua magna liberalitate obmutescere fecit. (17) Venerabilem Dominum Johannem Vicecomitem Episcopum Novariensem in Archiepiscopum Mediolanensem dedit. Omnes Ecclesias ferè innumerabiles jam dudum viduatas debitis Prælatis replevit.

De Gothfredo de Sessio Potestate Mediolani.

ANno Domini MCCCXLII. Clementis Septimi Anno primo, vacante Imperio, & Sede Archiepiscopali Mediolani, à condita Urbe C Mediolano Anno MMXLVII. factus est Potestas Mediolanensis Gothfredus de Sessio Reginus die primo Julii. Et isto tempore Civitas Lucana, quam obsederunt Domini de Mediolano cum Pisanis mensibus ferè XI. contra potentiam Florentinorum, & Veronensium, igne, ferroque, & fame fatigata superata est. Et primò intravit vexillum Dominorum de Mediolano, postea vexillum Pisanorum.

De proditione Papiensium.

EOdem tempore Cives de Papia, antiquæ amicitiæ, & servitiorum, & homagii præstiti Domui Vicecomitum, similiter obliti novæ ligæ factæ inter Dominos de Mediolano, & D ipsos, miserunt in Alamanniam pro Theutonicis contra Statum Dominorum de Mediolano. Quod cùm compertum fuit, duo Domini de Mediolano paraverunt exercitum per aquam, sicut de guerra de Locarno dictum est, & similiter bellum campestre, ut obsideretur Civitas in circuitu. Quo audito, Papienses timore concussi sunt, miserunt Ambaxiatores Mediolanum, quærentes pacta pacis, & indulgentiam de proditione. Et facta est liga amicabilis & fortis sub istis pactis: quòd Papienses dejicerent ad terram propriis manibus Castrum, quod erat in Civitate fortissimum, & quòd exercitus Mediolanensium quantumcumque fortis & magnus reciperetur in Civitate Papiensi, & staret, quan- E tum vellet; & reciperent regimen de Civitate Mediolanensi; & quòd irent ad exercitum cum Mediolanensibus contra quemcumque ipsorum hostem. Et juraverunt CCC. meliores de Civitate Papiensi. Et V. Castra citra Padum, & V. ultra Padum stare contra illos de Becharia, A si quo tempore aliquod vellent tractare contra statum Dominorum de Mediolano. Et anno MCCCXLIII. molendina ferè trecenta per plateas Civitatis infixa sunt. Et Abduæ alveus, qui sæpiùs hostibus patulum præbuit transitum, communitus est, ne ulteriùs pericula nobis inde ferantur.

Quòd Dominus Johannes Vicecomes factus est Archiepiscopus Mediolanensis.

ANno Domini MCCCXLII. Pontificatus Clementis Septimi Anno primo, Vicariatus Imperii in persona Roberti Regis Siciliæ Anno XXIX. à condita Urbe Mediolano Anno MMXLVII. Venerabilis Antistes Dominus Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis factus est Archiepiscopus Mediolanensis die . . . . mensis Julii. De cujus prosperitate mirabili in statu Pontificali, antequam nasceretur, prophetatum fuit: quod rei probavit, & probabit eventus.

Eja tolle moras, te Cœli oracula poscunt
Ad inclytam, te fata vocant felicia Sedem.

Natus est autem Anno Domini MCCXC. & post XVI. menses natus est frater ejus Dominus Luchinus. Hic enim Venerabilis Archiepiscopus à pueritia sua in studio generali literis sufficienter eruditus, ultra montes, & citra montes plurima Beneficia obtinuit. Deinde factus Ordinarius in multis Ecclesiis, nunc in Episcopum Tertonensem, nunc in Episcopum Novariensem, nunc in Archiepiscopum Mediolanensem, sæpiùs electus fuit. Finaliter Episcopus Novariensis factus, illam Ecclesiam, quam destructam invênit, suis viribus & divitiis magnificè instauravit. Et cùm esset per Summum Pontificem Ecclesiæ Mediolanensis institutus Conservator, istius Ecclesiæ reditus in M. libris Imperialium singulis annis amplificavit. Hæreticos per planiciem & montes durissimè fugavit, ac vinculis & morti justè condemnari procuravit. Quibus laudabilibus meritis per Curiam Romanam divulgatis, Summus Pontifex ad nullius preces vel inductionem, sed proprio motu, & proprio instinctu de consensu Cardinalium in Archiepiscopum Mediolanensem designavit die VI. mensis Augusti. Ipse enim cunctos Italiæ Prælatos, & ferè Prælatos Mundi excedit in vultus venustate, & corporis pulchritudine, in generis & sanguinis claritate, in affatus clementia & dulcedine, in elemosynarum ad pauperes & miserabiles personas indicibili elargitione. Insuper pascit LX. pauperes mendicos singulis diebus de cibis. In Officio divino magna & assidua devotione, in reparandis Ecclesiis, & Castris Ecclesiæ, & juribus & reditibus recuperandis mirabili insudatione. Excedit insuper Principes & Prælatos in equitaturis, & equorum phaleris mirabilibus, in Asturibus, falconibus, accipitribus, & canibus venaticis multis nimis; in conviviis regalibus, & continuis, in Domicellis, Capellanis, Cantoribus, Citharistis, militibus, & alia familia seu familiis, ultra quàm credi posset. Et communiter dicitur, quòd habuit in familia DC. viros, & XXXVII. inter Capellanos, milites, Domicellos, lictores, Cancellarios, Vicarios, & subscrivatores. Nec sunt hodie in Curia Romana quatuor Cardinales

(15) Sextum historici omnes hunc Clementem appellant, cur septimum ubique scribat Galvaneus divinare non ausim.

(16) Legendum arbitror *Remensis*; sed in hoc etiam erraret Auctor, cùm huic Ecclesiæ Petrus Rogerii nunquam præfuerit, ab Atrebatensi Sede, ad Senonensem, ac postmodum ad Rotomagensem Metropolim promotus, ut constat ex Galliæ Christianæ Scriptoribus.

(17) Ex refutatis superiùs Galvanei mendaciis conjicies attendenda minimè fore contumeliosa hæc verba, quæ non amor veritatis, sed altè infixum menti præjudicium contra illorum Pontificum famam expressit.

les simul, qui tantas expensas faciant, sicut facit hic magnificus Archiepiscopus.

De collatione Pallii, & prima processione, quam facit Archiepiscopus.

QUanta autem in Pallii, & Crucis collatione facta fuerit festivitas, & mirabilis Curia celebrata, faciliter exprimi aut scribi non potest. Et ut clariùs cuncta elucescant, quod sit juris aut consuetudinis in medium adducamus. Consuetudo fuit antiquitus, quòd Archiepiscopus de novo creatus, cùm insignia Archiepiscopalia incipit assumere, equum ascendit nobilem & solemnem valde, & de Palatio suo vadit ad Ecclesiam majorem, ubi secundùm morem Ecclesiæ sibi confertur Pallium, & jus portandi Crucem in omnibus viis suis; & unus de Advocatis peditando, ipsum per frænum conducit usque ad Ecclesiam majorem. Inde procedit usque ad Sanctum Ambrosium, & præcedit ipsum unus de Confaloneriis. Et quia privilegia Ecclesiastica pro majori parte sunt deleta, quis, utrum Advocati, vel Confalonerii ipsum debeant toto isto die per frænum conducere, vel debeat equum Archiepiscopi habere, clarum non est. Unde oporteret ista declarare, vel nova jura introducere. Item utrum equus debeat esse albus, vel Archiepiscopus debeat in Pontificalibus per Civitatem equitare, nulla meminit scriptura vel Chronica. Ego autem credo, quòd equus debeat esse albus, quia in aliis processionibus Archiepiscopi hoc observatur. Item credo, quòd in Pontificalibus debeat de Ecclesia majori ad Ecclesiam Sancti Ambrosii, & inde usque ad suum Palatium equitare. Quod sic probatur: omnes solemnitates & magnificentiæ Pontificales Ecclesiarum Lombardiæ traxerunt originem ab Ecclesia matrice Mediolanensi, tamquam filiæ à matre sua; sed multæ Ecclesiæ hoc observant, quòd in primo introitu Episcopus intrat in equo, & in Pontificalibus, ut Ecclesia Papiensis, & plures aliæ; ergo & Archiepiscopus hoc facere potest. Item invenitur, quòd in aliis processionibus Archiepiscopus in Pontificalibus in equo procedit: ergo multò fortiùs in ista; præcipuè quia in hoc apparet jus ejus in re de novo acquisita. Et nota, quòd in ista processione non invenitur, quòd equus debeat donari Stratori.

De processione Archiepiscopi in die Ramorum.

ITem Archiepiscopus aliam facit processionem in die Ramorum olivarum. Tunc enim ipso die de Ecclesia majori exiens ascendebat equum, & dicit *B. B.* (18) quòd equus debet esse albus coopertus naco in panno aureo; & ipsum præcedit unus ex Capitaneis de Raude, indutus vario nobili pilis extra positis, cum cyrothecis, qui Archiepiscopum per frænum equi debet conducere. Et præcedere debent quatuor viri de Litis elevantes lapides de terra, ne pes equi Archiepiscopi offendat ad lapidem pedem suum. Et subsequitur universus Clerus usque ad Ecclesiam Sancti Laurentii. Et dicit *B. B.* quòd Archiepiscopus ibi debet facere sermones ad Clerum & Populum. Postea debet benedicere palmas, & dare universis Clericis. Postea porrigitur Domino Archiepiscopo Crux cryſtallina ornata palmis, & foleis olivæ; & debet exire Ecclesiam, & venire exteriùs, ubi sunt columnæ; & conscendens equum cum omnibus aliis circumstantiis supradictis, debet versùs Ecclesiam Sancti Ambrosii properare, signando Populum cum Cruce crystallina, donec perveniat ad locum, ubi consuevit lavare pedes leproso &c. Ibi etiam offerebatur ei una torentina; & multa alia ibi fiebant, quæ propter Scriptorum negligentiam memoriam non ascendunt. Et dicit *B. B.* quòd equus debet esse aurigæ, idest illius, qui ipsum adestravit tota die.

De aliis sex processionibus Domini Archiepiscopi.

ITem Archiepiscopus plures singulis annis debet facere processiones. Dicit enim *B. B.*, quòd in festo Nativitatis Christi, Diacones Cardinales parati vadunt obviam Archiepiscopo, & ipse dat pacem eis; & postea suo Vicecomiti dat ferulam, & cyrothecas. Et alibi in *B. B.* sic habetur, quòd Archiepiscopus facit processionem in tribus festivitatibus, scilicet in Nativitate Christi, & in festo Sancti Stephani, & in festo Sancti Johannis Evangelistæ, & in istis tribus processionibus Vicecomes cum suis servitoribus cum flagellis ligneis scissis præcedit Archiepiscopum, præparando sibi viam. Item Archiepiscopus tres alias facit processiones, videlicet in festo Paschatis, & duobus diebus sequentibus per omnia, sicut dictum est de tribus aliis festivitatibus.

De tribus Scrutiniis, & de Mitra Archiepiscopi, & calcaribus valde notabile.

ITem dicit *B. B.* quòd in primo scrutinio Sabbati Sancti sunt duo Levitæ Cardinales cum sex Presbyteris centeni numero. In secundo scrutinio sunt Ordinarii cum XII. Presbyteris centeni numero. In tertio scrutinio est Dominus Archiepiscopus, qui portat Mitram, & juxta Calcaneum facit nexum de Sandalibus in modum calcariorum, in signum quòd est Rex & Pontifex.

Quædam alia notabilia de Ordinariolis, & Cardinalibus.

ITem dicit *B. B.* quòd in Dominica prima post Ascensionem Domini, Ordinarioli vicissim portant anulum, & albam rubeam, quæ sunt Archiepiscopi. Et quòd Archipresbyter est primus super Episcopos Cardinales, & Archidiaconus est primus super septem Diaconos Cardinales. Cùm autem venissent nova, quòd Venerabilis Johannes Vicecomes factus esset Archiepiscopus, facta est lætitia magna in populo. Et in festo Nativitatis Beatæ Virginis, die videlicet VIII. Septembris, congregato universo Clero, & Populo, & Ambaxiatoribus Civitatum Lombardiæ cum maxima solemnitate, positus est in possessione Ecclesiæ Mediolanensis, & tunc fecit sermonem gratiosum ad Clerum, sedendo super Sedem, sive Cathedram Archiepiscopalem. Et sequenti mense Clemens Papa misit pallium, quod de manu Episcoporum Cumani & Cremonensis in Ecclesia majori recepit. Et tunc primò Populum signavit XVI. Octubris in die Mercurii, & de hoc habentur isti versus, sive dictatura.

Tau.

(18) Beroldum intellige, Auctorem seculi XII. qui Cæremoniale Ambrosianum conscripsit circa annum MCXX. Asservatur adhuc ineditum in Bibliotheca Capituli Metropolitani, eoque frequenter usus est Puricellus in Nazariana Dissertatione.

Tau. Clemens pallium, sceptrum Johannes, pyleum.
Arcos esto Flaminum; æmuleris Ambrosium.
Jovis stravit Latium apex Sacrorum Numinum.
Te Sanctum reddat inclytum laureatum Angelum.

Sequenti Dominica, quæ fuit die XX. Octubris in festo Dedicationis Ecclesiæ, dum ipse Venerabilis Archiepiscopus voluisset cum debita, & consueta Coëpiscoporum processione ad Ecclesiam Sancti Ambrosii signando populum procedere, confluxit tota Civitas, & ex multis Civitatibus Lombardiæ Nobiles, & Rectores, & congregati sunt universus Clerus, & omnes Religiosi in Ecclesia Sanctæ Teglæ, & processerunt Religiosi mendicantes, sive paupertatis, ad mandatum Roberti Vicecomitis Archiepresbyteri Ecclesiæ majoris, hoc ordine. Primò Minores, postea Fratres Herminii, tertiò Fratres Cœlestini, quartò Servi Sanctæ Mariæ, quintò Carmelitæ, sextò Heremitæ, septimò Fratres Prædicatores. Ex Religiosis divitiarum processerunt Humiliati, postea Monachi albi, postea Monachi nigri, deinde Clerus secularis; ultimò Ordinarii Ecclesiæ majoris. Ex hinc sequebatur Venerabilis Archiepiscopus mitratus in Pontificalibus, & albis ornamentis; insidens equo magno albis coopercturis phalerato. Et fuit ejus Strator unus de Confaloneriis vestitus zendato, & calziatus scarlato, & fuerunt de genere de Confaloneriis XII. omnes vestiti, & calziati similiter, & cum Cruce parva crystallina, & baculo pastorali elevato. Subsequente processio facta est de Ecclesia majori usque ad Sanctum Ambrosium; & sequebantur ipsum tres Episcopi, videlicet Cumanus, Cremonensis, & Parmensis. Insuper & Dominus Luchinus frater ejus. Et fuerunt homines in equis plusquam M. & alii lictores armati, pedites, & mulieres multæ nimis, unde isti habentur versus:

Interdum Divi veniunt encænia templi.
Felix illa dies ingenti læta triumpho
Tyara resplenduit purpuratus ecce Johannes
Candidus equestris aulam dum Virginis almæ
Egreditur, Ambrosii primò quærit numinis aram
Ante Patrem delata micant insignia Regis
Æterni, Crux alma nitens, pastoralis ab alto,
Plebis apex, Flamines, procerum immensa caterva.
Insonuere tubæ, voces tolluntur in altum.
Relligiosa Cohors; Series distincta per almas,
Obvia concentu, modulaminis æthera læti
Psallit. Et adveniens illustris Præsul in aula
Suscipitur Ambrosii, fuditque preces ad aram.
Grata dedit genibus flexis donaria Præsul.

A Finita processione usque ad Ecclesiam Sancti Ambrosii cum consimili solemnitate, & processionibus universis Dominus Archiepiscopus rediit ad Ecclesiam majorem, & in introitu ipsius Ecclesiæ donavit equum suum pretii C. florenorum illi de Confaloneriis; & factum est convivium maximum, & omni volenti interesse generale.

Ad proprios remeat lares; comitatur herile
Vexillum; jussit prope mœnia stare cohortes,
Vexillifer equum feudali munere tulit.
Encæniis addit Scenopegia Festa Johannes,
Cujus adhuc vivit probitas, nec desinet umquam.

Ultimò Scriptor hujus Chronicæ Venerabilis Domini Johannis Archiepiscopi Capellanus, & Scriba, recommendat ipsi Domino Archiepiscopo Ordinem Prædicatorum, & se ipsum, unde B versus:

Cantica dant Fratres, & vocibus æthera pulsant,
Ordo grandis bycolor, Capellæ Chronicus almæ;
Dive carus erit, superis hic sedulus offert.
Ut Pater his aderis, jugique fovebis amore. Amen.

Venerabilis Dominus Archiepiscopus Johannes Vicecomes, venerabilis Domini Ottonis Vicecomitis Archiepiscopi patrui sui vestigia imitari cupiens, jura & bona Ecclesiæ per quosdam pestilentes Archiepiscopos dilapidata, & per nefandas investituras nomine feudi, imò fraudis, alienata fuisse videns, ipse totis viribus hoc excessus corripere cupiens, omnes feudatarios Ecclesiæ Mediolanensis ante suum conspectum citari fecit; feuda in suo robore statuit; vendita, C vel alienata prædia ad se revocavit; dignos honore & feudo in bonis stabilivit: immeritos & indignos omni feudo privavit; Novos Feudatarios instituit. Et sic Ecclesiam Mediolanensem plus ceteris in bonis & privilegiis amplificavit. Unde versus:

Quæ mihi stravit apex, veniant: mea jussa sequantur.
Feudali si jure cupit gaudere, persolvat.
Vos huic subjecti dignos reddetis honores.
Johannes jubet: hoc fas, & jus, & alta potestas.
Fascibus antiquis privant mea jussa rebellem.

De introitu Legati Ecclesiæ in Mediolanum.

D Eodem anno, scilicet in MCCCXLII. die... Novembris intravit Civitatem Mediolanensem Dominus .... Ecclesiæ Romanæ Legatus Cardinalis Titulo ...... Et fuit hospitatus in Monasterio Sancti Ambrosii, & communi vocabulo dictus est Cardinalis Albus, & cum summo honore receptus fuit. Nam Dominus Archiepiscopus cum maximo comitatu ivit sibi obviam usque .....

Reliqua desiderantur.

CHRONICON MODOETIENSE

AB ORIGINE MODOETIÆ USQUE AD ANNUM MCCCXLIX.

Ubi potiſſimùm agitur de geſtis

PRIORUM VICECOMITUM PRINCIPUM,

AUCTORE

BONINCONTRO MORIGIA

SYNCHRONO,

Nunc primùm prodit

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

IN BONINCONTRI MORIGIAE CHRONICON

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SI Gaspari Bugato ex Ordine Praedicatorum, & Paulo Morigiae e Jesuatorum, non vero Jesuitarum, ut Morerius tradit, Ordine, Historicis Mediolanensibus fides, Familia *Morigia*, vel ipsius Sancti Ambrosii temporibus e Roma Mediolanum translata est. Sed nemo nunc tam infans in antiqua eruditione est, ut verbis meis indigeat ad deprehendendam levitatem, ne dicam vanitatem, ejusmodi opinionum, quibus Genealogiarum artifices olim nimis credulam gentem ludificabant. Quod certum est, eadem a multis Seculis Mediolani floret, omnibusque praerogativis nobilium virorum fruitur, deditque etiam temporibus nostris virum piissimum Antonium Episcopum Papiensem, Anno 1698. in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptatum. A vero fortasse longe non abeat, qui eam e *Modoëtia*, nobilissimo ac celeberrimo apud Insubres Oppido, Mediolanum migrasse opinetur. *Bonincontro* sane hujus Historiae Auctori Modoëtia patria fuit; atque is praeter alios Lib. III. Cap. IV. commemorat *Johannem Morigiam*, *intimum quondam Matthaei Vicecomitis* Mediolanensium Principis, *in dicta Terra Gibellinae factionis excelsiorem*, seu *primum*: ad quem etiam profert literas a Galeatio Vicecomite Principe scriptas Anno 1322. Infra verò non uno in loco inter *multas nationum stirpes de Terra Modoëtiae antiquas & nobiles* idem enumerat *Morigios*; non ejus quidem Oppidi dominos (uti supra memoratus Paulus Morigia Lib III. Cap. II. Histor. Mediolan. perperam tradidit, qui imperite quoque Acerbum Morenam Historicum Laudensem invitum in Familiam Morigiam pertraxit) sed ibi auctoritate & opibus spectatissimos, & Gibellinae factioni potissimum addictos. Bonincontri pater ea de caussa a Guelphis exulare coactus fuit. Ipse vero Bonincontrus Gibellinis se dedisse nomen suum satis prodit, & ubique Vicecomitibus favet.

Patriam *Bonincontri Morigiae* habemus. Tempus, quo ipse floruit, ex ejus Historia passim elucet. Nam quaecumque post Annum MCCC. ille gesta enarrat, sub oculis suis, aut aetate sua contigisse non semel prodit. Et quamquam ejus stilus hominem redoleat Ecclesiasticae militiae adscriptum, & Monasticis studiis deditum, attamen is Secularem vitam egisse dignoscitur, quum eodem Lib. III. se uti militarem virum describat, inquiens ad Annum MCCCXXII. *Die primo mensis Novembris dicti Anni ego Bonincontrus una cum Artuxio Liprando iveramus cum ducentis hominibus peditibus armatis, & nos pro eorum capite, ad Civitatem Mediolani, ibi per Commune nostrum Modoëtiae transmissi in subsidiis Galeaz*. Quae igitur per multos annos se vivente bella, & perturbationes animorum ac rerum, praecipue in Cisalpina Gallia, acciderunt, *Bonincontrus Morigia* literis consignavit, memoria sua usus in hac re, usus etiam Commentariis Historicorum, qui iisdem annis floruere, & praesertim *Johannis de Cermenate*, cujus Historiam editam heic Tom. IX. is ante oculos habuit, atque interdum expilavit. Corio autem, dum Historiam Mediolanensem per ea tempora contexeret, ad manus fuit haec ipsa Historia, cujus Auctorem idem appellat *virum accuratissimum in describendis rebus*, *quae sua aetate contingebant*. Neque immerito: nam etsi delicatulos Lectores rudis ejus stilus, immo barbarus, offendere possit, nihilo tamen serius eo candore ac diligentia sui temporis acta, atque in primis Vicecomitum gesta ad Annum fere 1345. & si mavis 1349. depingit, ut ei habendae sint gratiae, quod multa, eaque arcana, servarit nobis, quae aliunde frustra sperare liceret. Proinde videas, non Corium tantummodo,

modo sed & Tristanum Chalcum, & Georgium Merulam, & Gasparem Bugatum, ex illius scriptis profecisse non raro.

Profeci & ego, quum Anno 1698. Mediolani Anecdotorum Latinorum Tomo Secundo edito, adjunxi *Commentarium de Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores in Insubribus coronari solent*, postea rursus Lipsiae, & Lugduni Batavorum typis traditum. Plura illic ad idem argumentum spectantia ex ipso Bonicontro decerpsi. Nonnulla etiam apud eum emendanda ostendi. Sed in primis Cap. X. & XIII. coronationem Henrici VII. Regis illius verbis illustrandam curavi, disertissime etiam monens, thesaurum Modoëtiensis Basilicae, & prae ceteris Coronam Ferream, multos ante annos a Turrianis ablatum, per Matthaeum Vicecomitem sacro tamdem loco fuisse restitutum. *Per ea tempora*, scribebam ego, *Turrianis rerum potitis religio non fuerat, Modoëtiensis Basilicae totam fere gazam, illiusque pretiosiorem supellectilem auferre, ut eam pignori darent, pretioque uterentur:* Tum Bonincontri auctoritate reliqua descripsi atque firmavi. Quid mea haec verba significent, nemo non intelligit; difficile verò quisque intelliget, cur Illustrissimus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus, evulgata Romae Anno 1717. *Dissertatione de Corona Ferrea*, Cap. V. carpendam sibi duxerit *indiligentiam meam in consulendis Mediolanensium Historicis, qui Turrianorum facinus apertissime improbant, & a Deo manifeste punitum testantur*. Mentionem autem non semel *Coronae Ferreae* in Modoëtiensi Templo adservatae Bonincontrus fecit, sed numquam Clavum Dominicae Crucis eidem insertum tradidit. Immo quaerens, cur Ferrea adhibeatur in coronando Italiae Rege, id factum scribit *in signum justitiae, & maxime quia victae fuerunt a Carolo M. Provinciae Italiae & Saxoniae Ferro; & quia sicut Ferrum est durius & fortius super omnia metalla* &c. Quae quisquis attente considerat, hominem plane sentit, cui ignota erat longe serius nata Modoëtiae opinio, ideo aureae Coronae illi, *Ferreae* appellationem accessisse, quod sacrum Clavum, quo Christus Cruci confixus fuit, introrsus habeat circumductum. Atque ita ego praeter tot alia afferebam, ut ostenderem, Modoëtiensium opinionem nulla antiquitate niti, immo adversùs illam silentium veterum, ceteroquin eloquentissimum, pugnare. Cautissime haec transilit sapientissimus Fontaninius, eique sat est Argumenti Negativi vim, sibi hoc in loco, atque in aliis bene multis molestam, specie contemnentis explodere; tum canere ac recinere, a Matthaeo Villanio *Sanctam* appellatam fuisse Modoëtiensem Coronam. Sed quam inani clypeo & heic suam ille caussam tueatur, tum me demonstraturum confido, quum ejusdem Matthaei Historiam recusam Lectori in hac ipsa Collectione Rerum Italicarum sistam.

Quod est ad MStum membranaceum Codicem Ambrosianae Bibliothecae, unicum nempe, unde *Clarissimus Saxius*, insigni loco illi Praefectus, consueta sua humanitate descriptam ad me misit Bonincontri Historiam, multa illic menda ac vitia occurrunt, culpâ, ut reor, amanuensis indocti. Sustuli ego, quae sine audacia detergi posse putavi. Reliqua intacta pro suo ingenio emendabit Lector, cui sit plus acuminis, simulque otii. Interea & Bonincontro, & Codici Ambrosiano uberior lux affulgebit, si Epistolam ab eodem doctissimo *Saxio* ad me datam subjecero.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

COLLEGIO, AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS

S. P. D.

„ NEmini ignotum reor, quanta priscis temporibus fuerit Modoëtiæ fortuna,
„ Modiciæ primùm, ac Moguntiæ appellatæ, cùm omnium manibus terantur, quæ de Oppido illo à Theodelinda Langobardorum Regina magnificè condito, excitata ibidem insigni Æde, Sancto Johanni Baptistæ totius Langobardæ Gentis Patrono præcipuo Sacra, votivis donariis, & pretiosa supellectile adhuc superstite ad religiosi cultus majestatem eidem dicatis, Palatiis demum ad Regias delicias ibidem exstructis, Langobardicæ Historiæ Scriptor Paulus enarrat. Deleto etiam Langobardico Regno, non imminutus modò Loco honos fuit, sed in eum quoque splendorem crevit, ut constituta veluti altera

„ Ita-

„ Italici Regni ſedes, in hujuſmodi Regum inauguratione, cum Metropoli ſua „ gloriam quodammodo partiri videretur. Quamplures ſiquidem ad Occidentis „ Imperium delecti Cæſares, cùm ad capeſſenda Italici Regni inſignia Alpes traji- „ cerent, utrobique Regio diademate inſigniri voluerunt. Hinc receptum in pe- „ culiarem Imperii clientelam Oppidum; auctus infula primarius Eccleſiæ illius „ Sacerdos; expeditæ ab oneribus exemtiones; ſubducti incolæ à Mediolanenſis „ regiminis jure; factumque, ut apud Inſubres non minùs, quàm apud exteras „ Nationes celebre foret Modoëtiæ nomen. Nec defuere ſubſequentibus ſeculis „ varii eventus, qui ſeneſcentem (communi rerum omnium fato) Oppidi hujus „ memoriam in priſtinam famam revocarent. Vigentibus quippe intra Mediola- „ nenſis ditionis confinia Guelphicæ, ac Gibellinæ factionis diſſidiis, pluries de „ Modoëtia, tamquam de validiſſimo partis utriuſque præſidio, diſceptatum eſt, „ hinc invadentibus Vicecomitum copiis, illinc repellentibus Pontificiis. Quin „ immo, cùm ardens irâ Galeatius I. Mediolani Princeps extremam inimicis iis „ mœnibus ruinam intentaret, obverſante eidem per ſomnium, minantis in ſpe- „ ciem, S. Johanne Baptiſta Loci Patrono, à meditato excidio depulſum ferunt. „ Denique translatus Avenionem uſque ad Summum Pontificem pinguis Eccleſiæ „ illius Theſaurus, ac inde furto ſacrilego ereptus, poſtmodum verò non ſine „ cœleſti prodigio receptus, atque in antiquam ſedem relatus, non modicam Ba- „ ſilicæ Modoëtienſi reverentiam conciliavit, Johanne ipſo Vicecomite Urbis no- „ ſtræ Archiepiſcopo, ac Principe reſtituendi Theſauri gloriam ſibi donante, no- „ voque inſigni oblato munere avitum pretium augente. Hæc præfari libuit, „ non ut Tibi rerum noſtrarum, ſicuti & univerſæ Italicæ Hiſtoriæ peritiſſimo „ novi quidpiam proferrem, ſed ne apud exteros Lectores meritò minùs commen- „ data videri poſſet MSti hujus Codicis editio, quem in celeberrima Rerum Ita- „ licarum collectione nunc primùm evulgandum ad Te remitto; cuncta ſiquidem, „ quæ ad tanti Oppidi amplificandum decus pertinent, *Bonincontri Morigiæ* Anna- „ les complectuntur, à prima ejuſdem origine ad provectam uſque Auctoris æta- „ tem perducti. Verum quidem eſt, minimè ab omni labe defæcatum opus hoc „ eſſe; in his enim, quæ ſuperiora tempora attingunt, nonnulla Scriptor interſe- „ rit, jamdiu ab Eruditis ad fabulas ammandata, quæ è lutulentis fontibus Mar- „ tini Poloni, ac Galvanei Flammæ (credulo nimis calamo) ſe ebibiſſe ipſemet „ profitetur; plura ad patriæ ſuæ gloriam plus æquo augendam exaggerat, quæ „ nullo antiquo teſte, aut producto documento firmata, ægrè apud cordatos viros „ fidem invenient. Puta, quod in Ottone III. ſcribit de conceſſo Terræ Modoë- „ tiæ per Summum Pontificem, ac Imperatorem vexillo, referente Lunæ rubræ „ imaginem in campo albo, ad deſignandum ſupremum utriuſque dominium, „ ſuſceptoſque Loci incolas ab eiſdem in peculiarem tutelam, & his ſimilia. „ Non pauca etiam contra veritatem pugnant, quemadmodum ea ſunt, quæ de „ non interrupta ferè umquam coronatione illo in Oppido Regum, ac Cæſarum, „ quos uſque ad Henricum VII. regnare in Italia contigit; qua in re paucula „ quædam à me delibata ſunt in adnotationibus ad juniorem Landulphum, ubi „ de Lothario II., Tu verò integris Capitibus in Commentario *de Corona Ferrea*, „ ſecundo Anecdotorum volumini inſerto, Morigiam, ejuſque exſcriptorem (ali- „ cubi etiam infidum) Zucchium eruditè pro more jam confutaſti. Sed hæc arbi- „ trabitur quiſquis, condonari facilè poſſe homini rudibus Seculis nato, atque ex „ nimia amoris erga patriam indulgentia, eò adducto, ut abſque delectu quaſ- „ cumque vulgi traditiones ad illius decus confictas paginis ſuis ingereret. Quod „ in re noſtra plurimi faciendum eſt, ſecuri ſumus de Auctoris fide in iis, quæ „ ad ejuſdem ætatem ſpectant, quæque præcipuam hujus Hiſtoriæ partem conſti- „ tuunt; cùm ipſemet paſſim teſtetur, ſe nonniſi ea, quæ propriis conſpexerat „ oculis, aut ab integerrimis viris exceperat, in Annales ſuos contuliſſe. Certè „ Bernardinus Corius hujus potiſſimùm Scriptoris auctoritate uſus eſt, cùm Se- „ culi XIV. geſta deſcriberet, eumque ad annum MCCCXXII. diligentiæ com- „ mendat.

„ Quis fuerit hic Bonincontrus Morigia, ex Hiſtoricis noſtris parcè admodum „ diſcimus; Paulus enim Morigia, cui nulla potior cura fuit, quàm ut Familiam „ ſuam, & cognomines ſibi viros extolleret, ab hoc Scriptore paucis ſe expedit. „ Nec plura habet Picinellus in Athenæò Mediolanenſium Literatorum. Quin „ immo uterque errare videtur, cùm ajunt referri à Corio, ſumma illum aucto- „ ritate præcelluiſſe apud Galeatium Vicecomitem, eximiiſque ab ipſo donatum „ muneribus; nuſquam ſiquidem in Corio id legi, quæque Bonincontro illi tri- „ buunt, potiùs Johanni Morigiæ pariter Modoëtienſi, ſanguine & opibus claro,


„ adſcribenda intelliget, quiſquis non tam Corium, quàm hoſce ipſos Annales evolvet. „ Ceterùm ex hac eadem, quæ præ manibus eſt, Hiſtoria nonnulla colligi poſſunt, „ quibus non ſinè præclaræ famæ ſplendore Auctoris nomen in publicum prodeat. „ Quamvis enim cum ſuperiùs relato Johanne Morigia, primario inter Modoë„ tienſes viro, nuſpiam ſe aliquo ſanguinis nexu junctum memoret Bonincontrus; „ ex ejuſdem tamen, cognata ſaltem, nobili ſtirpe progenitum, abundè docet „ munerum amplitudo, ad quæ ſe pluries ab loci illius incolis deſtinatum auctor „ enarrat. Ad militares namque expeditiones adhibitus, ſcribit ſe miſſum anno „ MCCCXXII. unà cum Artuſio Liprando ducentorum peditum ducem, ut Ga„ leatio Vicecomiti Mediolani militum inopia laboranti, Modoëtienſium nomine „ ſuppetias ferret. Anno MCCCXXIX. Modoëtiam gubernante juſſu Ludovici „ Bavari Ludovico Duce Techenſi, ipſe unum ſe affirmat è duodecim à Com„ muni Oppidi illius delectis, qui difficillimis iis temporibus publico in Conſilio „ ardua negotia pertractarent. Denique Orator pro patria ſimul cum Johanne „ Boxono deſignatus ad Archipræſulem Mediolanenſem Anno MCCCXLIII. de „ peracta à ſe feliciter legatione gloriatur. Hæc autem omnia dilucidè oſten„ dunt, non tam generis nobilitate, quàm virtutis opinione præſtantem illum & „ calamo, & enſe, & prudentia conſpicuum apud ſuos floruiſſe.

„ Reliquum eſt, ut aliqua de illius ætate diſſeram, quæ quidem extra con„ troverſiam eſt, ſi tempus ſpectemus, quo ab hujuſmodi Auctore primùm condi „ hæc Hiſtoria cœpit. Ipſe ſiquidem in ejuſdem exordio adnotat *præſens tempus*, „ *ſcilicet annum Domini MCCCXL. in quo imperat Lodovicus vocatus Bavarus*. Diffi„ cilius arbitror ſtatuere, quandonam Bonincontrus manum è pluteo ſuſtulerit; „ licèt enim non ultra annum MCCCXLIX. progredi videatur; poſtrema ta„ men narratio non obſcurè indicat longè ſeriùs illum ſcribere deſiiſſe. Refert „ ſiquidem ad prædictum annum ſecretam Fratris Petrini hæreſim, cujus ve„ neno infectus quidam eidem familiaris in ſummo Fidei Catholicæ ejurandæ „ periculo verſabatur, niſi eum opportuno ſubſidio Patronus Oppidi S Johan„ nes Baptiſta ab improbo lapſu jam præcipitem ſubmoviſſet; ac poſtmodum „ ſubjungit ſacrilegum eum Fratrem ſceleris ſui pœnas dediſſe. Abjecto nam„ que Monaſtico amictu vagus erravit, turpemque vitam infelici exitu clauſit, „ ut *qui hodie vivit dignus fide uni venerabili, & religioſo Presbytero, qui hodie adeſt*, „ *retulit*. At quis non videt compleri hæc omnia minimè potuiſſe illomet anno, „ atque hujuſmodi ſcribendi formulis longioris temporis ſeriem deſignari, ſi fa„ cti fides petenda erat ab iis, quos vegeta ſalus in provectius ævum ſervave„ rat, ut erepto jam è vivis profugo Fratre, teſtimonium ſuum de tanti even„ tus veritate interponerent? Quouſque itaque certiora emergant indicia, refe„ rendam crediderim ad annum ſaltem ſexageſimum ſeculi XIV. Scriptoris hu„ jus ætatem.

„ Unum addere liceat, eò gratiorem eruditis viris futuram hanc editionem, „ quòd eidem pretium non modicum faciat raritas ipſa MSti, quæ tanta eſt, „ ut hoc unicum ab invidia temporis, injuriiſque bellorum, quibus varia ob„ ludente fortuna agitatum fuit inſigne illud Oppidum, vindicatum exemplar „ ſupereſſe exiſtimaverim; quod enim Picinellus in Athenæo memorato aſſer„ vari Modoëtiæ manu Auctoris exaratum tradiderat, jamdiu evanuiſſe (niſi „ hoc ipſum ſit, quod ex pergamena compactum Ambroſiana Bibliotheca cu„ ſtodit) ſolicitati à me per epiſtolas viri eo in Loco Eccleſiaſtica dignitate, „ & veterum patriæ ſuæ monumentorum peritia conſpicui conſtanter retulere. „ Optandum quidem fuiſſet, ut alter Codex ſuppeteret, cum quo conferri no„ ſter poſſet; plurimum ſiquidem profuturum ſperaſſem emaculando huic „ ſcripto, grammaticis ubique mendis ſcatenti, atque ita alicubi verborum ſe„ riem implicanti, ut eidem redigendo ad juſtæ periodi leges vix ulla valeat „ diligentia opitulari. At hæc literatis viris nil negotii faceſſent, cùm minimè „ ipſis peregrina videri poſſit in ſuperiorum temporum Codicibus vel amanuen„ ſium inſcitia, vel ipſorummet Auctorum rudis, ac pæne barbara Latini ſer„ monis cultura. Porrò gaudio non modico perfuſus me erexeram, cùm ab „ amico, in Metropolis noſtræ antiquis rebus verſatiſſimo, hæc per fortuitum „ occurſum legente, intellexiſſem, alterum hujus Hiſtoriæ Codicem, Blanchi„ niano Legato, in Monaſticam S. Ambroſii Bibliothecam fuiſſe translatum. „ At citò concepta ſpe decidi; illuc namque profectus ad explorandum, con„ ferendumque hujuſmodi exemplar, inſcium prorſus invêni Præfectum litera„ riæ illi ſupellectili Monachum, nec quidquam in pervoluto diligentiſſimè „ MSStorum Indice offendi, niſi alterius Bonincontri Hiſtoriam Regum Nea-

„ po-

„ politanorum ad medium fermè feculi XV. exeurrentem. Id verò præmonen-
„ dum neceffariò putavi; ne, ut fieri folet, facilè promanans falfus rumor,
„ eruditi præcipuè viri auctoritatem prætexens, culpandæ immeritò huic edi-
„ tioni locum relinqueret, quòd videlicet cultior emendatiorque ex obvia col-
„ latione inftitui potuiffet. Tu interim fruere hoc qualicumque munere, certè
„ profuturo ad augendum nominis tui decus, & proventum literarum, me-
„ que tibi jam devinctiffimum, teneriori femper amicæ benevolentiæ nexu ob-
„ ftringe. Vale.



CHRONICON MODOETIENSE BONINCONTRI MORIGIÆ.

Historia Bonincontri Morigiæ de Modoëtia, Sedis & capitis Regni Lombardiæ nuncupatæ ab Imperatoribus; de nominibus & temporibus plurimorum Imperatorum; de genere & de adventu Gothorum & Longobardorum in Italia, & de eorum Regibus pluribus; & de terminatione Regni ipsorum; & de ædificatione Sancti Templi in dicta Terra; & de nomine miraculosè dato ad dictam Terram; & de ortu partium in Lombardia; & de pluribus successivè per diversa tempora gestis ab Anno Domini 1300. *in Italia à duobus Imperatoribus, & ab Ecclesia, & à Magnatibus Lombardiæ, & aliis, & præcipuè à Mediolanensibus, & à Modoëtiensibus, usque ad primatum, & Consulatum Johannis Archiepiscopi Mediolani, & Luchini fratrum Vicecomitum.*

Qui legis, o Lector, quod scripsi, omnia vera
Sunt, & ab his numquam est detrahenda fides:
Quæ vidi nam scripsi cunctaque verè notavi
Non hominem virtus, sed dedit ea Deus.
Plura mirè vidi, quam si bos citius iret
Æthera per Cœlum, quam avis ulla volat.
Judicioque Dei nemo valet esse securus
Inque Deo omne est quoque possibile.

INCIPIT LIBER PRIMUS.



Um homines viventes res in antiquissimis gestas cupiant scire, & ea, quæ in Sacris Scripturis, & Chronicis antiquis leguntur, sed quia per experimentum non noverunt, veraciter esse diffidant: ego *Bonincontrus* ad laudem Dei volens certa scribere miracula meis temporibus (*) facta sicut

A Religiosi & alii fideles, qui præsentes fuere testati sunt, pro his me oporteat aliquam inserere Chronicam de magnis & diversis novitatibus tunc temporis, & maximè in Mediolano, & in Modoëtia gestis, & de ædificatione Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ sita in Modoëtia, & de exspoliatione, & restitutione pretiosi ac magni Thesauri illius Ecclesiæ à Religioso viro Presbytero Gratiano de Arona Canonico, & Vicario prædictæ Ecclesiæ, aliisque Religiosis ac fidelibus viris narrantibus agnovi ea, quæ indicare audientibus de Sancto Johanne Baptista, etiam de Beatissimo Gerardo natione Modoëtiensi, in mea Chronica curavi. Et ut in posterum venientes, quæ nobis viventibus per ex-

B

(*) Miracula, videlicet per intercessionem Beati Gerardi Modoetiensis, & Sancti Johannis Baptistæ Modoetiæ à Deo peracta. Vitam Beati hujus viri infra nobis dabit Bonincontrus. Maturè tamen monendus est Lector, eamdem ex hac ipsa Historia decerptam à Bartholomæo Zucchio Modoetiense fuisse olim editam, atque dicatam Cardinali Baronio. Tum ipsam Cl. P. Papebrochius adjunxit Actis Sanct. ad diem VI. Junii, una cum aliis monumentis ad Beati Gerardi sanctitatem probandam, collectis Anno 1582. per Carolum à BasilicaPetri jussu Sancti Caroli Borromæi.

experimentum nota fuerunt; credant, narrabo prout ait Beatus Gregorius Lib. IV. dialogorum, ubi dat exemplum, quòd debemus credere Sacris Scripturis & miraculis Sanctorum à fidelibus scriptis, petitione sibi facta, in hoc Mundo animam post carnem non vivere: ait: *Si mulier prægnans poneretur in carcerem, ibique puerum pariat; qui natus puer in carcere nutriatur, & crescat. Cui si fortassè mater, quæ hunc genuit, Solem, Lunam, Stellas, montes, equos, campos, volantes aves, currentes equos nominet: ille verò, qui est in carcere natus, & nutritus, nihil aliud quàm tenebras carceris sciat: ea quidem esse audiat; sed quia per experimentum non noverit veraciter esse diffidat*. Ibi post subjungit: *Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet procul dubio majorum dictis præbere fidem, eisque jam per Sanctum Spiritum habentibus credere, quia & stultus est puer, si matrem ideo existimet dulce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris agnovit*. In primis veritatem quidem de multis Auctoribus concedendo, pro demonstratione antiquorum honorum dictæ Terræ de Modoëtia, & ex devotione ædificationis supradictæ Terræ decursus aliquorum in numero Romanorum Imperatorum, qui fuerunt usque ad præsens tempus, scilicet Annum Domini MCCCXL. in quo imperat Ludovicus vocatus Bavarus, & de nomine ipsorum Imperatorum, qui coronati fuerunt, prout debuerunt de jure Regni, in Modoëtia, & Longobardorum origine atque fine ipsorum, & de eorum Regibus, qui fuerunt successivè per diversa tempora, & qui ex eis in Modoëtia coronati sunt, & sepulti, Historiam incipio, ea, qua valeo quanta brevitate perstringo. De pluribus autem gestis à Principibus Lombardiæ nostris temporibus, etiam ab aliis Principibus certarum aliarum Italiæ, & extra Italiam, Provinciarum describere conatus sum. Et cum minori prolixitate quàm potui meos diffudisse tractatus procuravi. Quia testante Scriptura Sacra *in multiloquio peccatum non deest*; & ubi multa sunt verba, ibi frequenter veritatis egestas. Si qua minùs vera, vel fortè dubia, sive superflua videbuntur legentibus veniam peto.

De Julio Cæsare & Octaviano.

CAjus Julius Cæsar primum Romanorum singularem obtinuit principatum; ab hinc sequuntur Imperatores, à quo etiam Cæsares appellati sunt. Romanorum Imperatorum Secundus fuit Octavianus Cæsar Augustus, natione Romanus ex patre Octavio Senatore natus, maternum genus ab Æenea ducens Julii Cæsaris nepos: imperavit annis LVI. XLIV. solus imperavit, aliis XII. cum Antonio. Hic cùm esset adolescens Romam vênit, & juventutem suam civilibus armis & bellis exercuit; quinque civilia bella gloriosè gessit, & alia magna fecit. Cœpit autem imperare Anno ab Urbe condita DCCX. Virgo suum peperit filium unigenitum medio noctis tempore in Dominica die, Anno imperii Octaviani XLII. Herodis Regis Judææ XXXII. Anno Mundi MMMMMDCCCCXCIX. unde versus unum tolle datis annis ad millia quinque nongentis nascenti Domino tot Beda dat protoplatisto Anno à Diluvio MMMCCCVI. Anno nativitatis Abraæ MMXV. Anno egressionis de Ægypto, in datione Legis Moysi MDCCCCXXXIX. De simplici Historia, de genere & nobilitate hujus Octaviani, & gestis ejus in Martiniana satìs bene inveniuntur relata: Urbis, & Orbis primus Pontifex, præsentium, ac futurorum bonorum, fuit Christus prælibatæ Virginis Gloriosæ filius, cujus nativitas pleniùs habetur in legendis Sanctorum.

De duobus de Mediolano Imperatoribus.

VAlerianus natione Mediolanensis ex illis de Sorexina, ut in multis Chronicis habetur, Imperator XXXI. Anno Domini CCLXI. imperavit annis X. Hic Galienum filium suum Cæsarem fecit. Octavam in Christianos persecutionem intulit. Hic de Græcis, Macedonis, Asia, Hispania, Gothia, Mesopotamia gloriosè triumphavit. Tandem à Rege *Persarum* in exercitu conflictus capitur, & carceratur, ibique servitute miserabili consenescit, quo audito Galienus Christianis pacem fecit. Mortuus est Valerianus Anno Domini CCLXXI.

Galienus Valeriani filius natione Mediolanensis Imperator XXXII. Anno Domini CCLXXI. ex Cæsare fit Augustus, & imperavit annis V. hic sextus ad Mediolanum Imperialem transtulit sedem. Hic Christianis benignus fuit. Cujus filiam Beatus Zeno Veronensis à Diabolo obsessam curavit, cui Imperator Dyadema suum donavit. Hic Rempublicam à principio laudabiliter rexit. Postea in omnem lasciviam dissolutus ab Aurelio duce suo in Mediolano occiditur Anno Domini CCLXXVI.

De tempore quo Longobardi exierunt de patria sua.

VAlens Imperator XLVIII. Anno Domini CCCLXXVIII. imperavit annis IV. Gothi, Ypogothi, Gepides, Wandali, nationes ejusdem linguæ bipartito agmine Danubium transierunt. Romanos in bello Thraciæ usque ad internecionem cædunt. Valens Imperator sagitta perfoditur, qui ad cujusdam Villulæ casam delatus, ibidem cum casa igne concrematur Anno Domini CCCLXXXII. Isto tempore Longobardi egrediuntur Insulam, scilicet de patria sua. Et quia multi eorum Historiam ignorare probantur; ideo hìc breviter inserendam decrevi, prout in Historia Lombardorum, quam Paulus Lombardorum Historiographus compilavit, & in diversis Chronicis explanata habetur.

De partibus Germaniæ.

GErmania provincia est in Occidentali parte per Septentrionalem plagam versùs Orientem protensa, à Septentrione habens Oceanum, à Meridie mare Ponticum, atque Danubium; ab Oriente fluvium Tanai, qui de Ripheis montibus ascendens paludes Mæotidas facit. Ab Occidente verò Rheno fluvio terminatur. Continet autem in se multas & magnas Provincias tam in terra firma, quàm in Insulis in se contentis. In terra firma est Saxonia, Frixia, Suevia, Franchonia, Bavaria, Austria, Boëmia, Polonia, Gothia, atque Pannonia. Insulæ verò sunt Datia, Norvegia, atque Scatavia, à scaturiendo populos sic dicta. Hæc Insula à Septentrionali plaga in Oceano posita, etiam plures dies sub una luce, pluresque noctes sub una tenebra claudit, eo quòd polo Arthico supponatur vicina. Hæc maris Oceani circumdatur fluctibus, quia vertigo maris qualis est in Britannia, & Sicilia, quam Virgilius Caribdim vo-

A vocat, singulis diebus suas undas mittit, & recipit; quæ etiam naves transeuntes submergit. Ex Insula Scatavia prædicta quædam gens, quæ Winuli sive Longobardi dicti fuere, egressi sunt. Hi enim populi, cùm in tanta quantitate pullulassent, quòd simul habitare non possent; qua de causa filios suos Meredionalibus sæpiùs vendiderunt, & catervatim ad alias gentes exiverunt, sicut fuerunt Allobroges, sive Brungi: totam Insulam in tres partes diviserunt; & quæ pars ex illis patriam relinquere, externosque campos excolere deberet, forte perquiritur. Illa autem tertia pars Insulæ, cui sors dedit cum uxoribus, servis, & filiis solum paternum deserere, sub duobus Ducibus Ybor & Agyon gemellis fratribus juvenibus vigorosis cum B eorum matre Gambara Domina prudentissima extra Insulam gentem Scribovitarum ratione bestiis non disparem, cervinis pellibus vestitam, crudorum animalium carnibus pastam, venationibus intentam, Insulæ Scataviæ vicinam, aggrediuntur, & ipsos in servitutem redactos suo exercitui adjungunt. Scoringarum populos subjugant. Ambrii & Assii Wandalorum Duces prœliis invitant. Cùm se viderent in arcto positos ab eis, & transire, nec redire de eorum districtibus eos permitterent: utraque pars Godoan Regem in suum auxilium invitat. Hic tantæ famæ erat, ut sive magica arte, sive spiritu prophetiæ futura prædicere diceretur; & C cui benediceret, benedictum; & cui malediceret, maledictum se reputaret. Illos juvare Godoan Rex promittit, quos summo mane primò conspexisset. Tunc Ferrea Regina Godoan Regis uxor Gambaræ supradictæ industriâ edocta, Winulos alloquitur, ut ipsorum uxores solutis crinibus capillos ad barbam componere facerent. Mares verò juvenes, qui erant sine barba, caudas vaccarum, & vellera ovium pro barbis sibi appenderent, ut sic omnes viderentur barbati homines ab exploratoribus Wandalorum; etiam quia Godoan odiebat videre imberbes, & ante fenestram Palatii Regis Godoan, quæ Orientem aspicit, ad quam Rex ipse omni die in Aurora accedere solitus erat, secum uxoribus collocarent. Quod ut factum fuit, D Rex uxori dixit: *qui sunt isti Longobardi?* cui Regina, *Winuli sunt, quibus quia ipsis nomen novum dedisti, certè auxilium præbes*. Ex tunc Longobardi dicti sunt. Nam juxta illorum linguam *Lang Longambard* barbam significat. Duces Longobardorum cum Ducibus Wandalorum congressi superant; sicque Wandalis spoliatis, ac in servitutem redactis, tota Provincia Wandalorum & Scoringarum à Longobardis inhabitatur. Tamdem Longobardorum Ducibus Ybor & Agyon mortuis ad instar certarum nationum Agelmundum Agyonis Ducis filium primum sibi Regem instituunt, qui regnavit annis XXXIII. Isto tempore VII. pueros in piscina à meretrice ad negandum projectos invenit, quos uno partu dicta meretrix ediderat, E quos dum Rex casu repertos cum hasta admirans revolveret, unus eorum hastam Regis manu tenuit: quod Rex videns & stupens, nutriri fecit, & Lamissionem vocavit, magnum & futurum esse pronuntiavit; qui tantæ probitatis extitit, quòd mortuo Rege, eum Longobardi Regem fecerunt. Rege Lamissione defuncto, qui multas exercuit victorias, ex quo Lombardi ad expetendos belli labores audaciores sunt effecti,

Lety Tertius Lombardorum Rex XL. annis regnavit.

Hildeoch Quartus Lombardorum Rex filius ejus.

Gedeoh Quintus Lombardorum Rex.

Clasus Sextus Lombardorum Rex.

Tatus Septimus Lombardorum Rex filius ejus.

Vvltari Octavus Lombardorum Rex, qui regnavit annis VII.

Audovyn Nonus Lombardorum Rex, qui postquam Regni gubernacula suscepit, Longobardos in Pannoniam duxit. Sed mortuo Rege Audovyn, filius ejus Alboyn Decimus in Regno Lombardorum regnare cœpit. Hic Thurismundum filium Thurismundi Regis Gepidorum in bello occidit; qui caput Thurismundi ad se portari fecit, & in ejus cranio scyphum fabricari fecit; totum auro purissimo interiùs exteriùsque ornari præcepit. Post aliqua tempora Rosimundam filiam Thurismundi, quem occiderat, uxorem duxit. Hic Alboyn duxit Longobardos in Italiam.

De Regibus Gothis.

Zenon Imperator LVI. Anno Domini CDLXXV. imperavit annis XVII. Leges multas condidit. Isto tempore Odoacer natione Ruthenus cum Rugis, idest Ruthenis Anno Domini CCCCLXXVII. Italiam intravit, Horestem quemdam Imperii Vicarium juxtà Papiam debellavit. Sed per eum captâ Papiâ, ubi Horestes fugerat, totam Civitatem ferro & igne consumsit. Tamdem Horestes capitur, & capite privatur; multasque alias Civitates Italiæ solo æquavit: Sicque Regiam Italiæ Coronam aquisivit Zenon Imperator apud Constantinopolim considerans Reipublicæ utilitatem, Italiam Regi per Regem ordinavit, eo quòd singulis annis sæva Barbarorum pestilentia Italiam opprimebat. Isto tempore erat ei obses filius quidam Regis Gothorum Theodericus junior, admodum in oculis Imperatoris gratiosus. Huic tradidit Regnum Italiæ Anno Domini CCCCLXXXV. & propria manu in Civitate Constantinopolitana coronavit. Hic cum Gothorum exercitu innumerabili, primò intravit Italiam apud Aquilegiam, ubi invênit Regem Odoacrum, quem inde fugavit. Tamdem Ravennam fugiens, ubi per tres annos per Regem Theodericum obsidetur in fine capitur, & capite privatur. Hic Theodericus pacificè totam Italiam habuit. Papiam, quam Odoacer destruxerat, reædificari mandavit, ubi Palatia construxit. Veronæ & Ravennæ multa ædificia fabricavit. Et similiter in Modoëtia, quæ Alpibus est vicina, & æstivo tempore aër ibi fit omni serenitate & amœnitate conspicuus, etiam quia locus ille temperatus ac salubris existit, Palatium magnum & alia pulchra ædificia erexit. Hic Theodericus Johannem Papam apud Ravennam carcerali custodia afflictum interfecit. Symmachum Papam in discordia electum confirmavit. Hic ordinavit, quòd Italia Ghotia diceretur, quia ipse Gothus erat. Unde usque hodie Alpes, in quibus est Tertona, Bobium, Janua, Sagona, Albigana, Aquis, Gothiæ Alpes nominantur. Hic Boëthium in Papia exilio deputavit, quem tamdem decapitari fecit. Hic Arrianus fuit; quo mortuo quidam Eremita vidit, quòd Johannes Papa, quem occiderat, ejus animam in Vulcani ollam projiciebat. Iste Rex Theodericus sine prole discessit. Cui Athalaricus nepos ejus in Regno successit.

Deodatus Athalarici Regis supradicti filius Lombardiæ Rex tertius.

Guitidis Deodati Regis supradicti filius, Lombardiæ Rex quartus. Hel-

Heldebaldus Guitidi Regis supradicti filius Lombardiæ Rex quintus.

Hircirius Heldebaldi Regis supradicti filius Lombardiæ Rex sextus.

Totila seu Balduilla Hyrciri Regis supradicti filius Lombardiæ Rex septimus. Per istos enim septem Reges origine Gothos regnatum fuit in Lombardia ferè centum annis, quorum tempore Provincia Lombardiæ Gothia dicebatur à septem Regibus supradictis ibidem regnantibus, sicut postea Lombardia à Longobardis Regibus est dicta. Hic Totila, postquam decem annis in Italia regnavit, à Narsete Eunucho, imperante Justiniano, occiditur circa Annum Domini DLXVII. Hic finis Regni Gothorum super Italiam.

Justinianus hujus nominis primus Imperator LIX. Anno Domini DXXVII. imperavit annis XXXVIII. Vir Christianissimus, mirificum templum Sophiæ idest Christi in Constantinopoli construxit. Festum Purificationis instituit, quod Hipopante, idest obviare dicitur, ut Mater Dei mortalitati Constantinopolitanæ obviaret. Hic contra Totilam misit Narsetem Eunuchum uxoris Cubicularium, qui propter virtutes ejus factus est Patricius Italiæ. Hic Narses Patricius Italiam ingressus ad Alboyn Regem Pannoniæ, ut sibi succurreret, misit contra Totilam. Et cùm jam Longobardi XLII. annis in Pannonia regnassent, in omni bello victores felicissimi, ad Narsetem Patricium auxilium mittunt. Totila occiditur circa Annum Domini DLXVII. ut supra in Gothorum fine jam diximus.

De introitu Lombardorum in Italiam.

JUstinus junior hujus nominis II. Imperator LX. Anno Domini DLXV. imperavit annis XII. Vir Christianissimus & pacificus fuit. Sed ejus uxor Sophia quamplurimum ejus pacem turbavit. Nam dedignata, quòd Narses Eunuchus supradictus principaret, undique ei unà cum Romanis insidias parabat. Imperator contra Narsem quàm plurimùm commotus Longinum fecit Patricium Italiæ, & Narsem amovit. Cui Sophia Imperatrix scripsit: *cùm Longinus sit factus Italiæ Patricius, & tu sis amotus, tibi nihil restat, nisi ut cum puellis ingenio Lanarum facias pensam, cùm sis Eunuchus*. Cui Narses respondit: *talem tibi, & viro tuo sum telam orditurus, quam numquam deponetis*. Profectò complevit; quia statim in Pannoniam ad Alboyn Regem Longobardorum, cum quo jam maximam fecerat amicitiam, epistolam misit: *Quia contra Totilam pugnasti; & Italiam de jugo Gothorum eripuisti, mihi præstans auxilium, quàm rudissima rura Pannoniæ deseras, & Italiam cunctis divitiis refertam possessurus ingrediaris*. His auditis Rex Alboyn Principum suorum consilio cum XX. millibus Saxonum pugnatorum, cum parvulis, uxoribus, & omni suppellectile, adjunctis Gepidis, Sarmatis, Burgaris, Pannoniis, & Suevis, Noricis, multisque aliis populis per Forum-Julii faciens iter, totam Marchiam Trivisanam, exceptâ Paduâ, & Montesilicis Anno Domini DLXVIII. in die Sancto Paschæ subjugavit. Sed priùs in itinere veniendo in Italiam Turriscindum Regem Gepidorum, qui cum magno exercitu contra eum venerat, occidit. Filium quoque Turismundum, qui voluit cum sua potentia vindicare patrem, eadem vice in bello interfecit, & caput ejus Alboyn ad se portari jussit, & in ejus cranio scyphum fabricari fe-

A cit, totum auro purissimo interiùs exteriùsque ornari præcepit. Post aliqua tempora Rosimundam filiam Turrismundi duxit uxorem. Sequenti Anno proximo Mediolanum nondum reparatum perfectè, ingressus est manu violenta: quæ fuit sexta Mediolanensis Civitatis subjugatio. Papiam tribus annis obsedit, & juravit per coronam suam quòd omnem Civitatem rebellantem everteret. Unde Papiam Anno Domini DLXXI. ingressus, cùm ipsam destruere disposuisset, ejus equus super portam Civitatis genua flectens, licèt à Rege diutiùs calcaribus urgeretur, surgere non valuit, quo ad usque ad monitionem cujusdam Christiani Rex juramentum mutavit. Brevi autem tempore Re-

B gnum ampliatum est, ita ut totam ferè Italiam possideret, à Papia usque ad Beneventum, præter Ravennam Romam, & Romagnolam, quæ sic appellata est, quasi altera Roma, eo quòd sic fideliter Romano adhæserit Imperio, ut ab eo nequiverit separari. Rex autem Alboyn victoria elatus Principes per Lombardiam instituit, Veronæque Regalem Curiam convocans celebre convivium ordinavit, in quo scyphum, quem de capite Turismundi Regis Soceri sui, quem occiderat, & quum scyphum auro circumcludi fecerat, apportari jussit, bibitque cum eo, & Rosimundam uxorem suam bibere cum eo fecit, dicens: *bibe cum patre tuo*. At illa factum sapienter dissimulans, altum

C contra eum in corde odium concepit. Erat tunc Curia Dux Regi valde dilectus nomine Sperendeus, viribus fortis, & animo audax. Hic amabat quamdam Reginæ pedisequam, & non ignorante Regina dormiebat cum ea. Absente Rege, Regina quadam nocte suæ ancillæ cubiculum intrans, prædicto Duci ex persona ipsius ancillæ mandavit, ut ad se illa nocte deberet accedere. Qui cùm venisset, Regina prædicto Duci vice ancillæ se supposuit, & postmodum dixit ei: *Scis, quæ sum?* Cui cùm ille se esse talem amicam suam diceret, illa ait: *Nequaquam scis: sum Rosimunda. Certè talem rem hodie perpetrasti, aut Alboyn occides, aut Alboyni gladio interibis*. At ille in arcto positus consensit sce-

D leri.

Illa autem die observans aptum negotium, ensem, quem Alboyn tenebat ad lectum, ne evaginari possit, cum capulo colligavit fortiter. Dum ergo in strato dormiret Rex, homicida intravit. Sed Rex sentiens ad spatam manum convertit; sed cùm evaginare non posset, ad scabellum subpedaneum se convertit, & cum eo aliquantulum diu se defendit. Sed prævalens, qui armatus erat, eum occidit, accipiensque omnes thesauros Regis, qui ibi erant, cum Rosimunda Ravennam fugit, quia Longobardis subjecta non erat. Ubi cùm Rosimunda juvenem pulcherrimum Urbis Præfectum vidisset, injecit in eum oculos, & desiderans nubere ei, Speran-

E deo quadam vice in calice venenum propinat. Quo non ad plenum bibito, præsentiens veneni malitiam, jubet ad Rosimundam, ut residuum bibat. Quæ cùm recusaret, ille evaginato gladio eam bibere coëgit. Et sic ambo ibidem homicidæ perierunt. Alboyn ergo fuit decimus Rex, prout ante diximus, qui regnavit super Lombardos in Pannonia pluribus annis; & fuit primus Rex, qui regnavit in Italiæ finibus super Lombardos, cùm duxisset eos de Pannonia, ubi putabant se perpetuam sedem collocasse, in Italia regnavit annis IV. erat enim tunc temporis in Regno Lombardorum nulla violentia, nullæ struebantur insidiæ, nullus alium injustè angariabat,

bat, nemo spoliabat. Nemo furta, nemo homicidia faciebat; unusquisque quò volebat securus pergebat.

De duobus Regibus.

CLeph nobilis Lombardus Lombardiæ Rex secundus, regnavit anno uno & mensibus sex. Hic primus, & ultimus, qui in Papia coronatus, & à quodam suo domicello gladio jugulatur Anno Domini DLXXIV. Post cujus mortem Regnum Lombardiæ XXX. Ducibus per decem annos dilaniatum fuit. Authari Cleph Regis prædicti filius Lombardiæ Rex tertius Anno Domini DLXXXV. regnavit annis VI. Diadema Regni in Civitate Mediolani suscepit. Hic in sua coronatione dictus est Flavius Rex Authari, quo cognomine postea Reges Lombardiæ usi sunt. Anno Coronationis suæ primo Berfellum Civitatem in Padi margine sitam evertit; & Theodelindam Christianissimam Regis Bavariæ filiam duxit uxorem. Hic Romam obsedit, & columnam in Mari in Rhegio Civitate Calabriæ fixit dicens: *Huc usque Lombardorum fines erunt*; Quæ usque hodie ibidem conspicitur, & vocatur *Columna Authari*. Hic tamdem in Papia veneno perimitur Anno Domini DLXXXXI

Gregorius hujus nominis primus Gordiani filius, natione Romanus Papa LXIX Anno Domini DLXXXIX. sedit annis XIII. mensibus VI. Magnæ humilitatis vir, ac sanctitatis fuit. Hic *servus servorum Dei* primò se in literis suis scripsit. Hic ex quatuor Doctoribus unus exstitit. Isto tempore tot fuerunt pestilentiæ in Mundo, ut dies judicii instare crederetur; sed pro suis sanctis orationibus & ammonitionibus, populus misericordiam à Deo acquisivit.

De ædificatione Sancti Johannis de Modoïtia.

AGilulfus Lombardiæ Rex quartus Anno Domini DLXXXXI. regnavit annis XXV. Hunc existentem Ducem Taurinensem Regina Theodelinda supradicta duxit in maritum. Qui eodem anno de mense Novembris in Civitate Mediolani Regni diadema suscepit. Hæc Christianissima ac beatissima Theodelinda Lombardorum Regina ipsum Agilulfum virum suum Regem ab Idolorum cultura revocavit, & ad Fidem convertit, & cum Pontifice Romano & Ecclesia eum pacem habere fecit. Sicque in festo Sanctorum Gervasii & Protasii facta est pax inter Romanos & Lombardos. Ideo Sanctus Gregorius in eodem festo in officio Missæ cantari instituit: *Loquitur Dominus pacem terræ*. In Nativitate Sancti Johannis prædicta pax ampliùs fuit confirmata. Prædicta verò sanctissima Theodelinda Regina Oraculum unum ad honorem Dei, & Sancti Johannis Baptistæ in Regno suo ædificare vovit. Quadam nocte in somnis de Cœlo sibi dictum fuit: *In loco sancto, ubi Spiritus Sanctus in forma Columbæ tibi apparuerit, Oraculum, prout vovisti, ædificabis*. Sicque devotissima Theodelinda pergebat à Verona Civitate sua, ubi revelationem dicti somni habuerat; per apta loca Regni sui huc atque illuc per multum temporis ivit: Columba ei non apparuit. Tamdem inter Abduam & Ticinum, pulchri spatium Regni Lombardorum, equitabat. Una die circa sextam horam diei cùm esset multum fessa, vidit quamdam altam arborem, apud quam erat magna & grossa vitis. Gloriosissima Theodelinda Regina de equo descendit, & ibi quiescere voluit. Et cùm sta-

A ret in agonia contemplans, & qui secum erant paululum ab ea longè starent, subitò super dictam vitem Columba apparuit. Et vox de Cœlo desuper arborem, dixit *Modò*, quasi vox dicere vellet: *Manes in loco sancto*. Tunc Beata Theodelinda Regina in momento respondit: *Etiam*, quasi respondens voci: *etiam video, quia verè Dominus est in loco isto, & ego ignorabam*. Hic est locus sanctus, & Spiritus Sanctus, pavensque, *quàm sublimis*, inquit, *est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Sancti Johannis magni Principis Domini*. Surgens flexis genibus ad Cœlum manus extendit, gratias Deo, & Sancto Johanni Baptistæ egit. Mane facto arborem, & vitem extirpari fecit, Oraculum ibi designavit, quod in fine Anno Domini DXCV.

B construxit; Altare in loco, ubi erat arbor & vitis, in dicto Oraculo erexit. Et ex suprascriptis duobus vocabulis, scilicet *Modò & etiam* appellavit nomen loci *Modoëtiam*, qui prius locus Olmea vocabatur. Qui locus supra Mediolanum decem milliaribus adest. Etiam aliqui dicunt, quòd de prædicta vite facta fuit porta ad dictum Oraculum, quod usque hodie dicta porta est in dicto Oraculo, non in eodem loco, ut in primis, quia erat per portam majorem; sed amplificato dicto Oraculo facta fuit alia porta major; & ipsa porta de jure posita fuit ab una parte parietum dicti Oraculi per portas; & hodie vulgariter dicitur præ magna

C dignitate: *hæc porta est vitæ*.

Postea verò Beatissima Theodelinda Regina unà cum Rege unanimiter cum majoribus natu Lombardorum voverunt inter se, atque dixerunt: *Si Sanctus Johannes pro nobis interpellator sit ad Dominum nostrum Jesum Christum, nos omnes unanimiter pollicemur illi, omnique anno in die nativitatis suæ de nostris facultatibus transmissuros honorificè ad Oraculum ejus, ut per illius interpellationes habeamus juvamen Domini nostri Jesu Christi tam in bello, quàm in omnibus locis ubicumque ituri sumus*. Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cœperunt invocare Sanctum Johannem, ut illis præberet auxilium in virtute Domini nostri Jesu

D Christi; & illi omnes permanebant illæsi, victoresque exstiterunt super cunctos adversarios suos. Dedicavit autem Regina dictum Oraculum, multisque magnis & pulcherrimis ornamentis auri & argenti mirificè decoravit, prædiisque ditavit. Idolum aureum, margaritis & lapidibus pretiosis mirabili modo ornatum, quem adorabat Agilulfus Rex in vasis, & aliis ornamentis multis pulcherrimis & magnis auri purissimi fabricari, & de eisdem margaritis & lapidibus pretiosis mirabiliter ornari fecit. Et in prædicto Oraculo in ornatum Altaris cum aliis multis jocalia dimisit; familias, ac possessiones multas in eodem loco subjugavit in honorem Sancti Baptistæ Johannis: Dicamus offersionem

E scripturæ Theodelindæ Reginæ: *Offert gloriosissima Theodelinda Regina unà cum filio suo Adoaldo Rege ipsa die, in qua in præsentia patris coronatus est ibi, Sancto Johanni patrono suo de dono Dei, & de dotibus suis*. Chartula donationis, quam in suorum præsentia scribere fecit: *Si quis quolibet tempore hanc donationem voluntate sua corrumpit, in juditii die cum Juda traditore damnetur*. Ordinatio verò ejus talis fuit: *De rebus Sancti Johannis nullo modo debet se aliquis intromittere, nisi tantùm Sacerdotes, qui ibi deserviunt die ac nocte; tantùm famuli, & famulæ, qui ibi subjecti sunt, communiter debeant vivere*.

Post hæc humiliter ac devotissimè misit Beato Gregorio, quòd Basilicam in honorem Dei & Beati Johannis Baptistæ in Longobardorum finibus per revelationem Divinam construxerat, & eam de dono Dei facultatibus honorificis ornaverat; famuli, & famulæ, & reliqua sibi subjecta erant ibi, & Sacerdotes in ipso Oraculo Deo fideliter serviebant: & quòd erat locus sublimis & sanctus, in quo decebant esse munera sancta, sicut locus ille sanctus erat de dono Dei facultatibus honorificis ornatus, placeret Sanctitati suæ eumdem venerandissimum locum sanctissimis Indulgentiis, & Reliquiis venerari & ornare. Qui Beatus Gregorius nota habens infinita suprascripta bona, quæ prædicta devotissima Theodelinda Regina fecerat, devotissimè & libenter mandatum suum recepit, & gratias Deo, & Sancto Johanni egit, & dixit: *Verè scriptum est: Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem*, & per quemdam venerandissimum Clericum nomine Johannem multas sanctas infinitas Reliquias cum maximis Indulgentiis, & Libros quatuor Dialogorum, sive de vita Sanctorum, & Dialogum cum epistola gratiosa ad dictum Sanctum Oraculum in Modoëtia Sanctissimæ Reginæ Theodelindæ mandavit. Qui dictus Johannes præstando illa sancta munia dixit: *Hæc sunt Olea Sancta, quæ temporibus Domni Gregorii Papæ adduxit Johannes indignus & peccator Domnæ Reginæ Theodelindæ de Roma in Modoëtia*. Quæ Olea Sacra hodie in dicta Ecclesia sunt ibi per ordinem scripta, & in pulcherrima arca marmorea, quæ est post Altare majus dicti Templi reclusa. De quo Templo sunt infrascripti versus:

Condidit hoc Templum multa virtute verendum
Theodelinda potens, Regni diademate pollens.
Pro se, pro natis votum dulcedine matris.
Christi Baptistæ, cui sacratur locus iste.
Hìc nostræ gentis voluit caput esse decentis,
Et Lombardorum talemque parare patronum.

Construxit etiam in Modoëtia Palatium hæc sancta Regina, in quo filium suum Adoaldum nomine peperit, quem in dicta Ecclesia Sancti Johannis, quam ibi construxerat, baptizari fecit. Et ut imagines ibi depictæ testantur Longobardi Comam capitis radebant à vertice usque ad occipitium; Capillos usque ad os dimissos habebant, vestimenta erant longa, & larga; femoralia usque ad talos portabant. Calcei verò eis erant usque ad summum pollicem pedis aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti.

Agilulfus Rex Anno Domini DXCVI. unà cum matre Civitatem Mediolani egressus, Cremonam, & Mantuam destruxit. Obiit Agilulfus Anno Domini DCXV. & in Modoëtia in dicto oraculo Sancti Johannis honorificè in terra sepultus.

Adoaldus Lombardiæ Rex quintus Regis Agilulfi filius regnavit decem annis. Hic in præsentia patris in Modoëtia coronatus fuit. Qui postquam decem annis regnasset, mente captus cum matre sua Theodolenda Sanctissima de regno ejicitur Anno Domini DCXXVI.

De Ecclesia Sancti Johannis.

Legitur, quòd Templum Salomonis, primò per revelationem Dei miraculosè fuit ædificatum. Sic & Beata Theodelinda Regina prædictum sacrum Oraculum, de quo diximus, per revelationem Dei, & Sancti Johannis, construxit. Genesis Capitulo LI. Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Aran: egressa Theodolinda Regina de Verona pergebat ad terras suas ultra Abduam. Cùmque Jacob venisset ad quemdam locum, & vellet in eo quiescere, post Solis occasum dormivit in eodem loco, viditque scalam stantem super terram in cacumine illius tangens Cœlum, Angelosque Dei ascendentes & descendentes per eam, & dominum innixum scalæ, dicentem sibi. *Ego sum Dominus Deus Abraam* &c. Sancta Theodelinda Regina applicuit quadam die ad quemdam locum, ubi erat arbor alta, & magna vitis. Cùm ibi vellet quiescere circa sextam horam diei. Sicut fessa stetit in agonia contemplans. Subitò super dictam vitem apparuit Spiritus Sanctus in forma Columbæ, & vox de Cœlo desuper arborem dicens *modò* quasi vellet dicere *modò es in loco Sancto*. Cùmque evigilasset Jacob de somno, ait, *verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam*. Pavensque *quàm terribilis est locus iste! non est hìc aliud nisi domus Dei, & porta Cœli*. Theodelinda Regina cùm de agonia, & contemplatione se versa esset, subitò respondit voci *etiam*, quasi dicere vellet *etiam video, quia verè Dominus est in loco isto, & ego ignorabam: hic est Spiritus Sanctus, & locus sanctus*, pavensque, *quàm sublimis*, inquit, *est locus iste; non est hìc aliud, quàm domus Sancti Johannis magni principis Dei*. Surgens ergo manè Jacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, & appellavit nomen loci Bethel, quæ postea Luza vocata est. Surgens dicta Regina manè arborem & vitem extirparì fecit, & Oraculum ibi cum devotione designavit, quod ad tempus in fine construxit, & appellavit nomen loci Modoëtia, quæ priùs Olmea vocabatur. Jacob vovit etiam votum dicens: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, & dederit mihi panem, & vestimentum, & reversus fuero prosperè ad domum &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste vocabitur Domus Dei, & decimas offeram* &c. Similiter suprascripta Regina unà cum Rege unanimiter cum majoribus nata Lombardorum voverunt inter se, atque dixerunt: *Si Sanctus Johannes pro nobis interpellator sit ad Dominum nostrum Jesum Christum, nos omnes unanimiter pollicemur illi, omnique anno in die nativitatis suæ de nostris facultatibus* &c. ut supra. Jacob petitionem suam in voto factam habere meruit, quia pacificè plenus magna substantia ad domum patris rediit. Theodelinda Regina petitionem, quam ipsa unà cum Rege unanimiter cum majoribus natu Lombardorum Sancto Johanni ex voto postulaverunt, obtinere meruerunt, quia illi omnes permanebant illæsi, victoresque extiterunt super cunctos adversarios eorum &c. Ideo certè inter certa Oracula Italiæ, iste locus sanctissimus, & venerandissimus est à cunctis Italiensibus, saltem semel in anno cum devotione visitandus.

De tribus Regibus Lombardorum.

Arialdus Lombardiæ Rex Sextus Anno Domini DCXXV. in Modoëtia coronatur, qui cùm duodecim annis regnasset, diem clausit extremum Anno Domini DCXXXVIII. Isto tempore Beata Theodelinda Regina Deo patri spiritum reddidit. Cujus corpus in Ecclesia Sancti Johannis, quam Modoëtiæ construxerat, honorabiliter in terra juxta Agilulfum virum suum sepelitur. Rhotari Lombardiæ Rex Septimus Anno

Anno Domini DCXXXVIII. in Modoëtia coronatur. Fuit autem viribus fortis, & justitiæ tramitem sequens; sed tamen Fidei Christianæ non rectam lineam tenens, Arrianæ fidei maculatus est. Hic Romanis, & Thuscis maximas intulit strages. Qui postquam XVI. annis regnasset, in Ecclesia Sancti Johannis de Modoëtia sepelitur Anno Domini DCLIV. sed quidam cupiditate succensus ejus sepulchrum nocte aperuit, aliquot dies postquam fuit humatus, & quidquid in ornamento ejus corporis reperit, abstulit. Cui Beatus Johannes per visionem apparens vehementer exterruit, eique dixit: *Cur ausus es corpus istius hominis contingere? Licèt autem non fuit rectè credens, tamen mihi se commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, numquam in meam Basilicam deinceps ingressum habebis*: quod ita factum est. Quotiescumque enim voluisset in Beati Johannis oraculum ingredi, statim velut validissimo pugili guttur ejus feriretur, sic subitò retro ruebatur impulsu (*veritatem in Christo loquor: hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis factum vidit*) Paulus Historiographus Lombardorum hæc verba scribit in affirmatione miraculi hujus. Rodoaldus Lombardiæ Rex octavus Rotari Regis filius Anno Domini DCLIV. regnavit annis V. & mensibus VII in Modoëtia coronatur. Hic duxit uxorem Gundipergam filiam Theodelindæ Reginæ, & Agilulfi Regis supradicti. Hæc Gundiperga construxit in Papia Ecclesiam Sancti Johannis, sicut fecerat mater in Modoëtia. Hic Rex Rodoaldus cùm cujusdam Lombardi uxorem stuprasset, ab illo occiditur Anno Domini DCLIX.

Qualiter Imperator desistit destruere Lombardos.

CONstantinus hujus nominis quartus Imperator, qui & Constans est appellatus, imperavit annis XXVIII. Anno Domini DCLVII. Hic Italiam à Lombardorum manu eruere cupiens, Constantinopolim est egressus, & per littoralia iter faciens vênit Athenas, indeque mare ingressus ad Tarentum Civitatem applicuit. Qui tamen priùs Solitarium quemdam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, adiit, studiosè ab eo ac diligenter sciscitans, utrum gentem Lombardorum, qui in Italia habitant, superare, ac obtinere eos possit. A quo cùm servus Dei spatium unius noctis expetiisset, ut pro hoc ipso Dominum Deum supplicaret: promto corde orationes fundens ad Dominum dicebat: *Domine Jesu Christe Rex Regum, lumen verum, qui misisti Spiritum Sanctum in specie ignis in Apostolos tuos, transmitte Spiritum Sanctum consolationis tuæ in os meum, ut possim consilium rectum mittere hominibus istis, qui venerunt in tuo nomine ad me.* Eâdem horâ ei visæ sunt tres personæ spirituales, quarum una est Archangeli Michaëlis, secunda Johannis Baptistæ, tertia Petri Apostoli. Tunc unus ex illis dixit ad Solitarium: *Dic Imperatori Constantino talem rem habet in corde suo dispositam. Domini voluntas adhuc non est. Gens Lombardorum, qui in Italia habitant, superari aliquo modo non potest; quia Regina quædam ex alia provincia veniens, Basilicam in honorem Dei, & Sancti Johannis Baptistæ construxit in Lombardorum finibus, & ornavit eam facultatibus honorificis; famuli, & famulæ, & reliqua sibi subjecta stant ibi; quæ & Sacerdotes in ipso Oraculo Deo fideliter deserviunt. Et propter hoc ipse Sanctus Johannes pro Longobardorum gente continuè intercedit; ipsa verò gens suppliciter, ac devotissimè de suorum facultatibus in honorem Dei, & Sancti Johannis Baptistæ, omni anno in die Nativitatis suæ offert ad ipsum Oraculum. Locus ille in Modoëtia dicitur. Verè tamen sibi dicitur sumus in Deum: veniet tempus, & dies, in quo ipsum supra memoratum Oraculum omnes habitatores terræ hujus habebunt despectum, & omnes facultates ejus inde expellent; & famulos & famulas, qui ibi subjecti sunt, & facultates eorum affligent; & Sacerdotes, qui ibi deserviunt die ac nocte, inquieti erunt nimis; & auferent quæ illorum sunt. Propter hoc ducetur vita eorum in amaritudine, quoniam hæc inchoatur, & vos cernetis hæc fieri. Certè tunc ipsa gens peribit cum omnibus, qui ad illos pertinent, & stabunt improperium omnibus gentibus, quæ in circuitu illorum sunt.* Et dixit ad eos Solitarius: *Obsecro clementiam vestram. Sed si conversi sunt ad superiorem permissionem illorum, numquid invenient indulgentiam?* Et dixerunt ad illum: *Scis, quia veritas dixit: convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Eâdem horâ nusquam apparuerunt. Facto autem mane ita eidem Constantino Augusto, ut suprascriptum est, per ordinem diligenter in omnibus revelavit. Tunc Imperator libentissimè suscepit verba ejus: quod nos ita factum esse probavimus, scribit Paulus in Longobardorum Historia. Nam, inquit, *eamdem Beati Johannis Baptistæ Basilicam, quæ utique in loco, qui Modoëtia dicitur, est constituta, per viles personas ordinari conspeximus, ita ut indignis & adulteris, & non pro vitæ merito, sed præmiorum datione isdem venerabilis locus largiretur.*

De Grimoaldo Rege Decimo.

ARiperth Theodelindæ Reginæ nepos Gundualdi Ducis Astensis filius, qui fuit frater Theodelindæ, Lombardorum Rex nonus Anno Domini DCLX. in Modoëtia coronatur, & regnavit annis IX. Hic fabricavit in Papia Oraculum S. Salvatoris, obiit Annò Domini DCLXIX. Mortuo autem Ariperth, duo ejus filii regnum in duos Ducatus à patre divisum principari cœperunt. Primogenitus Pertharith nomine Dux Mediolani fit. Secundogenitus Godoeth nomine fit Dux in Papia. Junior invidens majori, eo quòd pinguiorem Ducatum hereditasset Grimoaldum Ducem Beneventanum invitat ad auxilium contra fratrem. Grimoaldus intelligens, quia regnaturus in Lombardia invitaretur, Papiam ingressus, Ducem Papiensem occidit. Dux Mediolani ignorans, quæ facta erant, audito fratris excidio, uxore Rodolinda cum parvulo derelicta in Mediolano, fugit in Franciam. Grimoaldus Rex X. in Mediolano coronatur, qui per IX. annos regnavit; qui à phlebotomia, dùm columbam sagittat, vena aperta est in Civitate Papiensi, ubi medicamentis venenosis medicatus moritur, & ibidem sepelitur. Isto tempore in Italia tot pluviæ & tonitrua audita sunt, quales nulla meminit ætas.

De IX. Regibus.

PErtharith Dux Mediolani Lombardiæ Rex XI. apud Mediolanum coronatus regnavit annis XVIII. Hic enim cùm exulasset apud Brita-

A tannos, vox eidem de Cœlo intonuit: *Jam tertia dies est sepulturæ Grimoaldi Regis*. Qui statim Mediolanum veniens, recuperata uxore cum filio, regnat. Sepelitur in Papia in Ecclesia Sancti Salvatoris, quam ejus pater construxerat, Anno Domini DCLXXXVII. Cunipertus Pertharith Regis filius Lombardiæ Rex Duodecimus, Anno Domini DCLXXXVII. regnavit annis XIII. Obiit Anno Domini DCC. in Papia sepelitur, & Liutpertum filium suum parvulum Regni heredem XIII. derelinquit, & Regni tutorem ei dans Asprandum virum prudentissimum, qui Regnum usurpavit, Liutpertum in quodam balneo vita privans. Tunc de Regno Lombardiæ magna fit controversia; plurimi interficiuntur; nonnulli excæcantur.
B Mulieres quoque, quæ se fore Reginas jactaverant, naso & auribus abscissis deturpantur. Ad extremum autem Ariperth Dux Taurinensis Regnum obtinuit, & Asprandus à facie ejus usque in Baveriam aufugit. Ariperth igitur Dux Taurinensis Lombardiæ Rex XIV. Anno Domini DCC. regnavit annis IX. Contra quem Asprandus supradictus de Baveria rediens vênit potenter. Quo audito Ariperth Rex odiosus factus Lombardis, cum immenso pondere auri ultra Ticinum fugere voluit, ubi submersus fuit, & in Papia in Ecclesia Sancti Salvatoris sepelitur Anno Domini DCCIX. & Asprandus à Lombardis Rex constituitur. Asprandus Lombardiæ
C Rex XV. Anno Domini DCCIX. & regnavit mensibus tribus. Obiit Anno Domini DCCX. Liutprandus Asprandi Regis filius Lombardiæ Rex XVI. Modoëtiæ coronatur, regnavit annis XXXI. vir omni virtute conspicuus. A Carolo Martello regnante Liutprando Rege, Sarraceni de Gallia expelluntur; qui alia vice in Hispania CCCLXXV. Sarracenos occidit. Obit Liutprandus Anno Domini DCCXLI. sepultus in Papia in Ecclesia Sancti Adriani. Eodem suprascripto anno Rathodus Dux Frixonum dum unum pedem in fonte baptizandus haberet, interrogavit, *utrum ex majoribus meis plures inveniam in Inferno, aut in Paradiso*. Dictum fuit *in Inferno*. Ille dixit: *Plures potiùs, quàm
D pauciores sequar*. Et ludificatur à Diabolo promittente sibi tertia die incomparabilia bona tribuere, & ipsa tertia die subita morte punitur. Hildebrandus Liutprandi Regis filius Lombardiæ Rex XVII. Anno Domini DCCXLI. regnavit mensibus VI. Obiit Anno Domini DCCXLII.

Rachius Hildebrandi Regis filius, Lombardiæ Rex XVIII. regnavit annis IV. mensibus IX. Hic dum rupto fœdere Romanos inquietare nititur, à Zacharia Papa, monitus, cum uxore, & filiis, relicto Mundo, habitum Monasticum induens, in Christo quievit Anno Domini DCCXLVI.

E Astulfus Lombardorum Rex XIX. Anno Domini DCCXLVI. regnavit annis VIII. Hic ad inductionem aliquorum Romanorum vallem Spoleti occupans usque Romam pervênit, Ecclesias Sanctorum, & alia loca sancta igne ferroque devastans, & uniuscujusque capitis censum requirens. Quod cernens Stephanus Papa, personaliter in Franciam ad Pipinum Grossum ivit, rogans, ut Lombardos reprimeret. Tunc Pipinus Grossus Romam vênit, & potentiam Astulfi repressit, & in Franciam rediit, & per Papam Rex Franciæ fit.

De Desiderio.

DEsiderius Lombardorum Rex XX. Anno Domini DCCLIV. regnavit annis XXVI. Hic fraudulenter Romam intravit, nobilium Romanorum oculos eruit. Monasterium de Clivate in Comitatu Mediolanensi, & Monasterium Sanctæ Juliæ in Civitate Brixiæ construxit, quia Brixiæ natus fuit, &, ut dicitur miles Curiæ fuit. Contra illum Carolus Magnus nondum Imperator, rogatu Papæ Adriani, ipsum Desiderium in Papia obsedit, violenter obtinuit, ipsum captum cum uxore & filiis, & Principibus ad Gallias in exilium misit; omnia jura Ecclesiæ, quæ Longobardi abstulerant, Papæ restituit. Erant tunc in exercitu Caroli Amicus & Amelius strenuissimi milites Christi, quorum miri actus leguntur. Qui apud Mortariam, ubi Longobardos Carolus superavit, ceciderunt. Et sic Regnum Longobardorum hîc finitum fuit Anno Domini DCCLXXVII. & sic per XX. Reges Longobardos regnatum est ferè per CCVI. annos. Ex tunc Carolus Magnus fit Imperator, & Regnum Lombardiæ Imperio adjungitur. Quorum Regum Longobardorum gesta. Qui ad plenum scire desiderat, Historiam Longobardorom legat, hîc autem breviter posuimus. Postea tamen in Italia Reges fuerunt, sed non nisi per Imperatores, & Papas, vel aliquando per tyrannidem violentam.

Michaël Imperator LXXXI. Anno Domini DCCCI. imperavit annis II. obiit Anno Domini DCCCII. hic finem .... de Imperatoribus, qui fuerunt in Græcia, per annos CCCCXL. nuncupatis Imperatoribus Romanis, à tempore, quo Constantinus Magnus se cum Occidentali Imperio, & Romam Papæ Silvestro & ejus successoribus contulit. His breviter, ut potuimus, positis, ad narrationem revertamur, quam specialiter prosequi nostra intentio fuit.

Cùm narrare decrevimus, quare Imperatores instituerunt terram de Modoëtia caput Lombardiæ, & eam sic affirmavarunt, & affirmant esse talem; & quare debent ibi in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ coronari: possumus ostendere pluribus rationibus & exemplis in scriptis redactis à scripturis olim Summorum Pontificum & Imperatorum. Et de hoc multa patent in Chronicis, quæ narrant, sicuti Imperium translatum fuit de Romanis in Græcos, & de Græcis in Francos, & de Francis in Alemannos. Ubi inter cetera sic legitur. Qui dicunt ad Imperatorem pertinere temporalia omnia, ad memoriam eorum duximus reducendum, quod Constantinus Imperiali suo decreto suis manibus roborato, & posito super venerandum corpus Beati Petri Principis Apostolorum, & intitulato in hac forma; *Sanctissimo, ac Beatissimo Patri patrum Silvestro Urbis Romæ Episcopo & Papæ, atque ejus successoribus, qui in Sede Beati Petri Apostoli usque in finem sæculi sessuri sunt, Pontificibus, &c.* Exhibito sibi priùs statutorio officio, ita concludit: *Perspeximus nostrum Imperium, & regni potestatem in Orientalibus transferri, & transmutari regionibus, & in Bisantiæ provincia in optimo loco nomini nostro Civitatem ædificari, & nostrum illuc constitui Imperium, quoniam ubi principatus Sacerdotum Christianæ Religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est illic Imperator terrenus habeat potestatem. Unde coram Deo vivo, qui regnare nos præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur per hoc nostrum imperiale* con-

Constitutum, omnes nostros successores Imperatores, ut cunctos Optimates, etiam amplissimum Senatum, & universum populum in toto Orbe terrarum, nunc & imposterum cunctis retroactis temporibus Imperio nostro subjacentes nulli eorum quoquomodo licere hæc refragare, aut confringere, vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subjaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes sibi in præsenti, & in futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concremetur cum diabolo, & omnibus deficiet impiis.

A Carolus Magnus hujus nominis Primus Pipini Grossi, Franconiæ Principis, ac Franciæ Regis filius Imperator LXXXII. Anno Domini DCCCII. B postquam XXXIII. annis super Francos regnaverat, imperavit annis XIII. De moribus hujus Caroli multa traduntur, fuit corpore decorus, vultu ferus videbatur; nam statura ejus pedum novem, facies ejus erat palmi & dimidii, nasus erat dimidii palmi, sed frons erat pedis, parum panis edebat, sed quartam partem arietis, aut duas gallinas, anserem, pavonem, vel gruem, aut leporem integrum comedebat, modicum vinum & aqua mixtum bibebat, tantùm in bibendo parcus erat; bis aut ter in cœna bibebat, in mensa lectorem, aut .... audiebat, militem armatum à capite usque ad sellam cum equo uno ictu scindebat, quatuor ferraturas equorum manibus facilè extendebat. C Militem armatum à terra super palmam suam, super caput suum velocissimè levabat, vir largissimus, facundissimus, & Christianissimus: sed cùm quatuor filias haberet, nullam conjugio in vita sua copulavit, dicens, se earum contubernio carere non posse. Sed ut Alcuinus ejus magister de eo scripsit, licèt in aliis felix, in hoc adversæ fortunæ malignitatem expertus est, satis declarans quid dicere voluerit, eo quia eas semper secum ducebat. Hic Desiderium Longobardorum Regem, qui Ecclesiam infestabat, rogatu Adriani Papæ, expugnavit, & ipsi, & Regno Longobardorum finem dedit, prout supra dictum est, & toti Occidenti pacem imposuit. D Tamdem Anno Domini suprascripto DCCCII. Leo Tertius Papa Imperium de Græcis in Francos transtulit in personam hujus dicti Caroli Magni. Quamvis enim Imperatores starent in Græcia, propter dignitatem Imperatores Romani nuncupati sunt usque ad illud tempus, quo Romanum Imperium translatum est ad Reges Francorum. Postea verò ordinatum fuit pacificè, ut Imperator Constantinopolitanus Orientem possideret: unde vocatur Imperator Constantinopolitanus; & Romanus Imperator super Occidentem imperaret. Et Regnum Lombardorum ipsi Romano Imperatori traditur. Sic Carolus Magnus Romanorum Imperium adeptus est, & imperavit annis XIII. quo tempore Terram Sanctam recuperavit, qui rediens per E Constantinopolim, omni thesauro spreto Coronæ, propter quæ tunc floruit, ac cepit Clavum unum Dominicæ passionis, partem Crucis, Sudarium Domini, Camisiam Virginis, brachium Simeonis, quæ omnia miracula consecuta sunt, in Aquisgrani posuit, ubi plenus bonis operibus in Monasterio Virginis, quod fundavit, sepultus est Anno Domini DCCCXV. Hic Carolus, suadente Papa Leone, pro Imperatore tres Coronas instituit, videlicet:

Prima Corona in Aquisgrani Civitate, ubi sedem posuit Imperialem, & hæc est super Alamanniam, quæ est argentea in signum puritatis & clementiæ; quia sicut argentum est nobilius, lucidius, & purius albedine super omnia metalla, & significat clementiam & puritatem; ita per hanc Coronam docetur, hunc Principem esse super omnes Principes purum, lucidum, clementem, & sinè macula, bonis moribus & virtutibus ornatum:

Secunda Corona in Modoëtia in nobiliori & sanctiori Oraculo totius Regni Lombardorum; maximè pro jure ipsius Regni dato ab Apostolica Sede Imperatori, qui Oraculus ædificatus fuit à Sanctissima Theodelinda Longobardorum Regina per revelationem Divinam in honorem Dei, & Beati Johannis Baptistæ, in quo etiam Oraculo plurimi Longobardorum Reges coronati, alii ad Fidem conversi baptizati sunt, & sepulti; & ipsa Regina unà cum Rege unanimiter cum majoribus natu Longobardorum, Sancto Johanni voverunt, & suum patronum, & defensorem, ipsum vocaverunt, prout de ipso diximus supra. Et hæc Corona super Italiam, Normandiam, & Saxoniam, quæ est ferrea in signum justitiæ. Et maximè quia victæ fuerunt à Carolo dictæ Provinciæ, ferro, ideo datur de ferro; & quia sicut ferrum est durius & fortius super omnia metalla, & cuncta metalla & omnia alia domantur à ferro, & ei supponuntur; sic omnia temporalia debent supponi & subjacere ad justitiam Imperatoris. Quapropter cùm Provincia Lombardiæ sit fortior & fertilior super ceteras Provincias Italiæ, in ipso nobiliori & sanctiori illius Provinciæ Lombardiæ Oraculo Sancti Johannis, Imperatori datur balia & fortitudo faciendi justitiam sanguinis:

Tertia Corona aurea in signum dominii in Roma, quæ est super universum Orbem, ubi Imperium in primis homini justo & virtuoso constitutum fuit. Quia sicut aurum valet, resplendet & lucet super omnia metalla, sic talis Princeps justus & virtuosus, qui recipit duas Coronas figurativas in ejus capite, ut supra dictum est, dignè debet incoronari in Roma, & super caput ejus poni Corona de auro; & ejus potentia & virtus debet dominari & lucere per universum Mundum, tamquam Imperator Romanus. Hic Carolus etiam tres Archicancellarios constituit, scilicet Archiepiscopum Treverensem super Regnum Gallicum; Archiepiscopum Coloniensem super Regnum Italiæ; Archiepiscopum Moguntinum super Regnum Alemanniæ, quos tres honoribus & divitiis ampliavit. Ne in præmissis, & in sequentibus confusio regnantium atque imperantium Lectori dubietatem inducat, de his, prout ipse Lector scire cupit, Martinianam Historiam legat, & hanc meam de Regibus, & Imperatoribus, de quibus narratum cum brevitate inveniet verum. Sciendum est autem, quòd Imperium in Francia per septem generationes duravit annis centum.

Arnulfus Caroli Calvi Imperatoris filius Imperator LXXXVIII. Septimus & ultimus Imperatorum, qui fuerunt de Francia, Anno Domini DCCCXCI. imperavit annis XII. Hic Arnulfus non legitimus Pergamum destruxit, & totam Italiam subjugavit. Hic Ecclesias, patruum suorum morem contemnens non fovebat, ideo filius ejus ad Imperii Coronam non pervênit, & posteritas Caroli Magni, primi quantum ad Imperium, in Ludovico Arnulfi filio finita fuit.

Ludovicus hujus nominis Tertius Arnulfi supradicti filius Imperator LXXXIX. imperavit annis VI. Hic ad Coronam Imperii non pervênit,

venit, ut diximus; immo Berengarius in Italia imperabat. Ex tunc Imperium ad Italicos rediit. Romanorum sententia fuit, quia Galli Romam contra Longobardorum incursus non tuebantur, quòd Imperio privarentur. Isto tempore Imperium divisum fuit usque ad prima tempora primi Ottonis, qui super Italiam & Alemanniam similiter imperavit. Hic Ludovicus Berengarium Imperatorem super Italiam fugat. Tamdem juxta Veronam Ludovicus à Berengario capitur, & exoculatur, & Berengario Imperium restituitur. Obiit Ludovicus Anno Domini DCCCCIX.

Berengarius hujus nominis primus Imperator XC. Anno DCCCCX. imperavit in Italia annis VI. Hic coronatur in Modoëtia, ubi concessit, quòd Civitas Pergami reædificaretur. Obiit Berengarius Anno Domini DCCCCXV.

Berengarius hujus nominis secundus Imperator XCI. Anno Domini DCCCCXV. imperavit in Italia annis VI. Isto tempore qui imperabat in Italia, erat Imperator. Nullus, nisi imperaret in Italia, Imperator reputabatur. Ideo Conradus Ludovici filius Alemannorum Rex inter Imperatores non connumeratur. Isto tempore Ungarorum gens barbara ruptis clusis, quibus priùs nec ad Meridiem, nec ad Occidentem exeundi habuerat potestatem, Italiam vastat de tertio anno in tertium annum: qua de causa Mediolanenses Castra erigere coacti sunt. Similiter Sarracini Siciliam, Apuliam, Calabriam capiunt. Obiit Berengarius Anno Domini DCCCCXXI.

Berengarius hujus nominis III. Imperator XCIV. coronatus in Modoëtia imperavit in Italia cum Alberto filio suo annis XII. Sed Otto Rex Alamanniæ ipsum de Imperio ademit. Cùm adhuc Berengarius in aliquibus Terris Lombardiæ tyramnizaret, ab Ottone capitur, & in Baveriam in exilium mittitur. Obiit Berengarius Anno Domini DCCCCLI.

Otto Henrici Alamannorum Regis filius, qui fuit filius Ottonis Ducis Saxoniæ, hujus nominis primus Imperator XCV. Anno Domini DCCCCLV. imperavit annis XII. Hic à Cardinalibus contra Papam Johannem infamis vitæ ad Curiam vocatur; quo deposito communiter Leo Papa efficitur. Hic ab Apostolica Sede Romæ in Imperatorem coronatur. Hic primus Theutonicus Imperator fuit. Sicque Imperium, suadente Apostolica Sede, ab Italicis ad Alemannos transivit. Hic ex uxore Lombarda filium sui nominis & Imperii heredem genuit. Obiit Anno Domini DCCCCLXVII.

Otto hujus nominis Secundus, Ottonis supradicti filius, Imperator XCVI. Anno Domini DCCCCLXVII. imperavit annis XX.

Otto hujus nominis Tertius filius prædicti Ottonis Imperator XCVII. Anno Domini DCCCCLXXXVII. imperavit annis XVI. Isti tres Ottones, finito Imperio Francorum in descendentibus à Carolo Magno, qui primus de Francia Imperator Romanus fuit, de genere Theutonicorum per generis successionem imperaverunt. Et quia Imperium non debetur sanguini, sed virtuti, ex tunc institutum est, ut per Officiales Imperii Imperatores eligantur de Alamannia.

Hi Electores sunt:

Archiepiscopus Maguntinus Cancellarius Germaniæ.
Archiepiscopus Treverensis Cancellarius Galliæ.
Archiepiscopus Coloniensis Cancellarius Italiæ.
Marchio Brandeburgensis Camerarius.
Landegravius Turingiæ Palatinus Dapifer.
Dux Saxoniæ ensem portans.
Pronuntiator electionis, & auditor Dux Boëmiæ Pincerna, qui nunc Rex dicitur.

Unde versus.

Maguntinus Treverensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis.
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Boëmus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Porrò hic Otto Tertius primò in Modoëtia, postea in Mediolano Italici regni Coronam accepit. In Roma à Quinto Gregorio Papa coronatus fuit. Hic ordinavit, & instituit, quòd Terra de Modoëtia esset Caput Lombardiæ, & Sedes Regni illius, sciens ubi cunctis Lombardis ad illorum protectionem ab Imperatore cœlesti, principale auditorium constitutum est. Propterea placuit ipsi Imperatori terræ constituere majorem & nobiliorem in Regno suo Lombardiæ Terram Modoëtiæ, & eum Caput & Sedem Regni illius esse, ad hoc ut locus auditorii Magni Principis Cœlestis Imperatoris, quod est in dicta Terra ædificatum, & in quo loco sancto de jure Regni Lombardorum Imperator debet coronari, propter reverentiam & devotionem à majoribus ipsius Regni Imperatoris æterni ibi custodiatur &c. salvâ reverentiâ illorum, qui dicunt, quòd Imperator debet coronari in Mediolano ab ejus Archiepiscopis, & non in Modoëtia. Sed Archiepiscopus Mediolani debet in Ecclesia Modoëtiensi coronare Imperatorem eo quòd sit maximus Prælatus Regni Lombardorum; licèt si deficeret, cùm Archipresbyter Ecclesiæ Modoëtiensis sit ab Apostolica Sede in Pontificalibus honoribus ampliatus, tamquam magnus Episcopus, de jure potest ibi Imperatorem coronare. Quòd Imperator debeat coronari in Modoëtia, & quòd illa sit Caput Lombardiæ, patet manifestè ex dictis, & scripturis Imperatorum, quia privilegiando dictam Terram, nominando aliarum terrarum Lombardiæ jura, dicunt sic inter cetera: *Modoëtiam specialem Sedem nostram, quæ caput Lombardiæ, & Sedes Regni illius esse dignoscitur. In qua etiam nostri antecessores de jure Regni coronari consueverant. Cum Burgo & prato, & omni districtu, & pensitationibus, & cum omnibus possessionibus, ac pertinentiis suis, insuper cum omni familia intus & foris ex legali Sententia Judicum Lombardiæ, cum omni integritate recuperavimus. Hunc itaque prædictum locum nostræ tantum jurisdictioni, & soli nostræ potestati specialiter, & propriè vendicavimus, quem in corde nostro inconvulsibiliter fixum tenemus; & præfatam Sedem nostram Regalem per feudum alicui quòd numquam velle inbeneficiare, neque nostris temporibus aliquo modo ab Imperio alienare, quia hoc esset Caput à membris separare &c.* prout in illis pleniùs continetur. Sola causa, quare Imperator in Mediolano coronatur Ferrea Corona, est, quia antequam Imperium translatum foret in Francos, plurimi Imperatores translataverunt Sedem suam à Roma in Mediolano, ex quibus fuerunt primi Valerianus Imperator XXX. & Gallienus ejus filius Imperator XXXI. quia Mediolanenses erant ex illis de Sorexina ut legitur, sicut refert in ejus Chronica, qui fuit Ordinis Prædicatorum, vir religiosus magnæ prudentiæ Frater Galvaneus. Inde propter honorem Civitatis subsecutum est, quoniam sic placuit Mediolanensibus, prout à nostris antiquis nobis intimatur, quòd postquam Im-

Imperator in Modoëtia secundùm juris ordinem primò coronatus est, quòd & postea secunda riò, & statim coronetur in Mediolano.

Unde cùm in Modoëtia sit potentia Papæ & Imperatoris, data sunt ab ipsis ad illam Terram Modoëtiæ nobiliora & figurativa insignia per ipsum Commune portanda, scilicet banderia cum campo albo, & intus in medio Luna rubea ad significationem, sicut in Mundo sunt duo luminaria, unum præest diei, aliud præest nocti, scilicet Sol, & Luna: & in Mundo debent esse duo Domini, unus in spiritualibus, alius in temporalibus: scilicet Papa in spiritualibus, & Imperator in temporalibus. Per Solem significatur Papa, & per Lunam Imperator. Sol, B idest Papa ordinavit & concessit, quòd in Modoëtia Imperator coronari debeat Corona Ferrea, quæ significat fortitudinem, & sanguinis justitiam: quare sicut in die judicii, prout legitur, Luna debet converti in sanguinem in signum justitiæ, sic ibi Luna efficitur rubea in signum justitiæ. Per potentiam Solis, idest per Papam, datur Imperatori ibi balia effundendi sanguinem, hoc est faciendi justitiam sanguinis per universum Mundum. Quamobrem cùm Papa, & Imperator in Modoëtia ostendant suam potentiam, data est ab ei Communi prædictæ Terræ insignia nobilis, scilicet vexillum cum campo albo, qui campus significat Solem, idest Papam, & intus Lunam rubeam ad Imperatoris figuram, ut supra dictum est.

C Quare cùm nobilitates, honores, & dignitates dentur à Deo. & à magnis Principibus Mundi, & in temporalibus major Princeps est Imperator, & ipse pro rationibus supradictis voluit & instituit Terram Modoëtiæ caput Lombardiæ, & sedem Regni illius constituere, & sic nuncupari: ideo omnes ejus subditi debent eam sic tenere, & nuncupare. Et maximè hoc debent omnes Lombardi, propter reverentiam & devotionem prædicti venerabilis Oraculi Sancti Johannis Baptistæ eorum patroni & defensoris, quem tenentur omni anno in festo nativitatis suæ secundùm eorum votum & promissionem cum devotione & munere visitare &c. Legitur quòd D Imperator instituit & ordinavit Communi Modoëtiæ infra designatum Sigillum (*). Verùm quia quòd Terra Modoëtiæ sit caput Lombardiæ, & sedes Regni illius constituta, & ibi Imperator Ferreo diademate debet coronari, satis patenter monstravimus, ad seriem Imperatorum, qui in dicta Terra Modoëtiæ coronati sunt, se vertat stilus. Hic Otto Tertius, de quo supra diximus, cognominabatur *mirabilia Mundi*, eo quòd multa mirabilia gessit. Cujus uxor cuidam Comiti se prosternere volens, ipsius non potuit habere consensum. Propter quod indignata, ipsum Imperatori inculpat, quòd eam voluerit violare. Imperator nimis credulus verbis uxoris, Comitem decapitari jussit. Antequam hoc E fieret, Comes uxorem rogavit, ut suam innocentiam judicio candentis ferri comprobaret. Advênit dies, in quo Imperator jus debebat viduis reddere, & pupillis rationem. Adest relicta Comitis, caput mariti portans in ulnis; quærit à Cesare qua pœna sit dignus, qui innocentem occidit. *Decapitatione*, respondit Imperator: *Tu es* inquit mulier, *qui maritum meum injustè uxoris tuæ falsa punisti accusatione: quod candentis ferri judicio in præsentia tua approbo*. Quod cùm fecisset, Imperator obstupuit, & manui fœminæ se puniendum tradit. Interventu autem Principum ac Episcopi Civitatis, X. dierum inducias primò, deinde septem, quartò VI. à vidua accepit. Tunc Cæsar, examinatâ causâ, & veritate comperta, uxorem suam concremavit, & pro redemtione sua quatuor Castra dedit viduæ, quæ Castra nomina acceperunt à numeris dierum quatuor induciarum à vidua sibi concessarum, ut à decem primum *Castrum Decimum* dicatur, ab octo *Octavum*, à septem *Septimum*, à sex *Sextum* dicantur. Hæc Castra fore in Episcopatu Lucensi traditur. Hic ordinatis rebus Imperii in Italia, aliquos Romanos nobiles Duces instituit, & in Saxoniam reversus est, obiit Anno Domini MIII.

Henricus hujus nominis Primus dictus Claudus, primò Dux Baveriæ fuit, postea XXIV. annis regnans fuit Imperator XCVIII. Anno Domini MIX. imperavit annis XII. Isto tempore Luna in sanguinem conversa est. fames & mortalitas totum Orbem invasit. Hic Henricus multa bella prospere gessit in Germania, Boëmia, & Italia, cujus uxor Gundegundis sanctissima virgo unà cum Imperatore permansit. Hic cum uxore sua in Ecclesia Babenbergensi miraculis coruscando sepelitur. Anno Domini MXXI. Si fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, ista Chronica non loquitur; sed credendum est in Modoëtia.

Conradus hujus nomini Primus, Imperator XCIX. Anno Domini MXXI imperavit annis XVI. Hic ab Henrico Archiepiscopo Mediolani, primò in Modoëtia, postea Mediolani in Sancto Ambrosio coronatur. Hic multas leges condidit pacem Orbi sub pœna capitis indixit. Cujus Comes Lippoldus primò pacem infringens vastam solitudinem cum uxore ingreditur. Casu Imperator in venatione deperditus, ad istum declinans, cùm in strato dormiret, & Comitis uxor parvulum pareret, vox bis insonuit: *Imperator, hic infantulus tuus gener erit, & in Imperium succedet*. De mane domum rediens, Secretariis imperat, ut parvuli cor ad ipsum deferatur. Sed corde leporis oblato, puer in nemore relinquitur, quem vagientem Dux Henricus ipsâ horâ reperit, & elegantem formam ipsius respiciens, Henricum nominavit suo nomine. Quem adultum Imperator, ut sibi astaret, jussit; & recordatus vocis auditæ, & vultus imaginem respiciens, ipsum in patriam misit cum epistola dicente: *Henricus moriatur isto die sub pœna nostræ gratiæ*. Puer ad Sacerdotis domum declinans, ibique dormiens, Sacerdos in bursa pueri literam aperiens, abraso *isto die moriatur*, scripsit: *isto die filia mea sibi tradatur*, quod & factum est. Obiit Anno Domini MXXXVII.

Henricus hujus nominis Secundus, ut prædictum est, gener Conradi, filius verò Lupoldi Comitis, post Conradum Imperium tenuit annis XVIII., Imperator Anno Domini MXLI. Ab Heriperto Mediolanensi Archiepiscopo primò in Modoëtia, postea in Mediolano coronatur.

Henricus hujus nominis Tertius Henrici filius, Imperator Anno Domini MLVIII. imperavit annis XLIX. Isto tempore tota Paschali hebdomada Cometes apparuit. Stella clarissima in circuitu primæ Lunæ in noctis initio ingressa est. Ecclesia intrinsecus pressuras patitur; universa terra premitur fame, mortalitate consumi-

(*) *Hoc loco inerat in MSto corona depicta, quam consultò omittimus, utpote quæ secundùm recentem, non antiquam figuram delineata videtur.*

mitur. Obiit Henricus Anno Domini MCVII. Quòd fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, in Scripturis Chronicarum non invenimus.

Henricus hujus nominis Quartus, prædicti Henrici filius, Imperator Anno Domini MCVIII. imperavit annis XV. Hic vivente adhuc patre Regni diadema accepit, & patrem in vinculis mori fecit. Qui ideo justo Dei judicio sine prole discessit. Isto tempore apud Ravennam in terra sanguis pluit; in Parochia Legionensi porca porcellum cum facie hominis enixa est. Hic Henricus à Grisolano Mediolanensi Archiepiscopo primò in Modoëtia, postea in Mediolano coronatus est.

Lotharius hujus nominis Quartus Saxoniæ Dux, Imperator Anno Domini MCXXVI. imperavit annis XI. Hic ab Anselmo ex Capitaneis de Pusterla Mediolanensi Archiepiscopo primò in Modoëtia, postea in Mediolano coronatus est.

Conradus hujus nominis Secundus, sororis Henrici filius, qui numquam à Papa coronam Imperii habuit, Anno Domini MCXLI. imperavit annis XV. Hic in Modoëtia, & in Mediolano coronatur. Isto tempore Dux Ugo inter Mediolanum & Papiam in Plebe de Locate honoris principatum, & opes magnas possidebat. Die quadam cum unico filio suo ad venationem iverat, cùmque ejus falco in quadam palude super anitram descendisset, filius cum equo ibi properavit, equus & ipse submersi sunt, taliter quòd numquam videri potuerunt. Sapiens Dux laudando Deum, & Sanctum Johannem Baptistam ejus devotum, domum festinavit, & Dominæ Abbæ uxori suæ dixit: *Domina de magna & inrecuperabili perdita quid debet esse nobis, & aliis personis?* Quæ in momento respondit: *Non dolere, sed gratias semper agere in Cœlis.* Et Dux ei nuntiata filii nece, *sic est facere nobis*, inquit. Qui S. Johannem suum heredem fecerunt. Cujus Sancti Johannis templum in Modoëtia situm de suis magnis possessionibus, quæ sunt in dicta Plebe, ditaverunt. Quæ Abba socrus fuit Lotharii Imperatoris, & supervixit viro pene duos annos, religiosissimam ducens vitam, & Anno Domini . . . . . Deo spiritum reddidit. Et in dicto Templo Sancti Johannis, iuxta chorum à Meridiei parte per medium altare Sanctæ Mariæ, quod est à recto latere altaris majoris dictæ Ecclesiæ, eorum corpora in duabus archis lapideis, una quarum marmorea, alia cerea in sola pulcherrima camera fossis humi sunt reclusa, ubi solebant esse infrascripti versus.

Dux jacet hìc Ugo, conjux simul Abba sepulchro.
Templum Baptistæ ditarunt uxor, & iste.

Federicus Barbarubea hujus nominis Primus, Sueviæ Dux, Conradi nepos, Imperator Anno Domini MCLIX. imperavit annis XXXVII. Isto tempore tres Lunæ cum cruce in medio, & tres Soles in Cœlo apparuerunt. Hoc anno Sol obscuratus est: fames valida fuit. Saladinus sepulchrum & crucem cepit, quam blasphemavit. Hic fuit vir largus, strenuus, facundus, nobilis, & omnibus gloriosus. Hic antequam Romam iret in MCLIV. Lombardiam ingreditur de mense Octubris, & in Modoëtia coronatur, qui modis omnibus cogitavit Lombardiam subjugare. Convocavit Concilium Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Marchionum, Comitum Civitatum totius Italiæ; & inter Civitatem Mediolanensem, & Papiensem apud Ronchaliam privatissimè cum aliquibus contulit, utrum tutius sibi esset Mediolanensem partem amplecti, aut Papiensem. Ab ipsis consiliariis didicit, totam Lombardiam à Mediolanensium potentia malleatam esse, & longa servitute attritam; auditisque Cremonensium, Papiensium, Pergamensium, Laudensium, Cumanorum delationibus durissimis, quorum Civitates aut oppida Cives Mediolanenses anihilaverant, utpote vir dolo, & insidiis plenus, intellexit, securius esse Papiensibus adhærere; quia Mediolanenses tamquam fortiores sibi facilius recalcitrarent Papiensibus subjugatis. Iterum Consilium convocat, quid sit faciendum circa Mediolanenses. Inter alios unus sagacior ceteris in consilio nihil protulit, sed in cœna coram se turtam maximam afferri jussit, cujus coronam cum cooperculo totaliter auferens dixit Imperatori: *Liberè potes de turta comedere de quacumque parte: hoc est meum consilium. Mediolanum corona est Italiæ, & cooperculum; quos vult protegit, & salvat; ipso destructo, tota Lombardia Imperialibus rapinis & tributis patebit.* His auditis præcepit pacem perpetuam fieri inter Mediolanenses & Papienses, & utriusque partis captivos in se recipiens, Papienses liberos abire permisit, Mediolanenses post se trahi fecit, quasi canes, & post paucos dies coronam & fortilitias Civitatis Mediolani destruxit.

Henricus hujus nominis Quintus Federici Barbærubeæ supradicti filius Imperator Anno Domini MCXCI. imperavit annis VII. Hic primò per successionem Rex Alemanniæ per dotem Rex Siciliæ, per Cœlestinum III. XV. Aprilis in Roma Imperii diadema suscepit. Quòd fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, non habemus.

Otto hujus nominis Quartus Saxoniæ Dux, Imperator, Anno Domini MCCVII. electus Imperator ad procurationem Innocentii Tertii Papæ, imperavit usque ad annum, quo contra juramentum per eum Apostolicæ Sedi factum, ivit, & contra Romanos pugnavit, & Regnum Apuliæ à Federico ultimo abstulit. Quapropter à Papa excommunicatur Federicus ultimus Rex Siciliæ, Imperatorem per Alamanniam prosequitur, & contra ipsum mirificè triumphavit. Fuit autem depositus Otto An. Domini MCCXI.

Federicus ultimus Henrici V. filius, Apuliæ Rex ex parte matris, & in Alemannia electus, coronatus, Imperator CVII. Anno Domini MCCXII. imperavit annis XXXIII. Hic in Modoëtia coronatur. Tamdem vestigia avi sui Federici Barbærubeæ sequens, cùm esset excommunicatus, Mediolani territorium invadit. Et tamdem Parmam obsidens, à Lombardis devictus, in Siciliam fugit, & in Capitaneatu Apuliæ gravi infirmitate correptus moritur Anno Domini MCCL. & vacavit Imperium post istum LX. ferè annis, scilicet usque ad Annum Domini MCCCVIII. quo Anno Henricus hujus nominis VI. Comes de Lucimborg electus fuit in Imperatorem. Nemo mirari debet, si decursus Imperatorum & Regni minùs ordinatè, minùsque distinctè tradatur à nobis; quia si quis scire plura desiderat, adeat Historiam Martinianam, & Chronicam Fratris Gualvanei de Flamma, ubi hæc ad plenum traduntur. Potiùs enim conati sumus scribere, quæ gesta sunt à magnis Principibus Italiæ nostris temporibus. Sed cùm plura de supradictis Principibus narraverim, repentè ad memoriam vênit, quòd temporibus supradicti Federici erga Beatum Girardum mini-

nistrum Hospitalis pauperum de Modoëtia, fundati ab eo in dicta Terra, Divina Misericordia fecerit: quod tamen hæc legentibus ut prodesse valeat, exopto, quatenus qui animam suam salvare desiderat, avertere faciem ab ullo paupere non præsumat.

Beatus Girardus magnæ abstinentiæ, humilitatis, & misericordiæ vir, de Terra Modoëtiæ ex illis de Tinctoribus fuit, qui defuncto patre, cùm puer esset, nam semper hospitalitatis studio intentus erat, jejuniis, orationibus, & eleemosynis vacabat. Qui postquam fuit ætate maturus, Hospitale in Modoëtia juxta flumen Lambri de bonis paternis fundavit. De custodia, regimine, cura, de electione ministri, & de receptione conversorum, & de visitatione infirmorum post suum decessum fienda in dicto suo Hospitali, per publicum Instrumentum, sicut hodie patet, cum Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Sancti Johannis, & cum Communi de Modoëtia, valde bene ordinavit. Maximè devotus Sancti Johannis Baptistæ fuit. Tantam compassionem, misericordiam, & humilitatem in se habebat, quòd in quacunque parte Terræ de Modoëtia, ubi noverat pauperes infirmos jacere, ibat, & in ulnis suis solus, & aliquando cum socio, eos ad Hospitale suum portabat, & super mundos lectos illos ponebat. Leprosos manu sua tergebat; omnes infirmos, quos hospitabat, eos cum osculo pacis recipiebat, illosque in omni hora debita personaliter ministrabat; & cujuslibet servitium necessitatis sinè indignatione eis faciebat; petentibus egenis eleemosynam numquam negabat. Eoque tempore, quo alimentorum inopia Lombardiam graviter affligebat, vir Dei diversis afflictis indigentibus Hospitalis sua cuncta tribuerat, & pæne nihil in cellario, nisi fortè modium grani, & in vegete starium vini remanserat. Tunc multi egeni ad se venerunt opem postulantes. Vir autem Domini, qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in cœlo omnia reservaret, hoc ipsum pariter, quòd in Hospitali remanserat, petentibus jussit dari. Conversus verò, qui Canevarius erat, audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit, dicens turbato animo increpando: *In cellario modium grani, in vegete starium vini, nec plus in Hospitali est: quomodo debent vivere Ministri, & Conversi?* Eâdem horâ cum humilitate vir Dei inquit: *Frater modicæ Fidei noli esse; Evangelium dixit: qui caritate Dei unum dabit, centuplum recipiet: Christus non derelinquit bona facientes, & in se spem habentes, Vade igitur, totum id, quod potes, pauperibus Christi ministra*. Tunc vir Christi tam præ fratris sui turbatione, quàm egenorum compassione cum lachrymis in oratione se dedit; & Canevarius causâ distribuendi quod remanserat, ivit, & reperit granarium ita bladi plenum, quòd ostium non poterat aperiri, & vegetem, quæ tenebat quatuor Carra, plenam boni vini. Qui statim Ministro suo hoc retulit cum lachrymis, veniam ei petens; qui eum, & alios Conversos admonuit, quatenus nemini miraculum dicerent, nec in fide deficerent, sed misericordiam semper consequerentur.

Quadam verò die vir Dei in mane tempestivè dum de Beati Johannis devoti sui Oratorio, quod circa duo ictus balistæ, mediante flumine Lambri, longè ab Hospitali suo situm est, reverteretur, in quo causâ audiendi matutinales orationes omni die ibat; in quo etiam Oratorio Divino auxilio multoties januis clausis intrabat,

A prout à custodibus illius Oratorii notum fuit, flumen Lambri per pluviam, sicut hodie facit, subitò creverat, & pontem ruvinaverat. Cùm suum Hospitale sit, mediante stricta strata, in ripa dicti fluminis situm, timuit ne ipsa aqua domui damnum, & maximè ad infirmos, intrando faceret. Subitò divinitus inspiratus sinè alio cogitatu, nisi cum magno fervore liberandi infirmos à periculo aquæ, Cappam suam projecit in ipsius magni & currentis fluminis aquam, & cum pedibus super ivit; semper recommendando infirmos suos Deo & Sancto Johanni, ne de aqua damnum reciperent. Sic ipsum Lambrum

B transivit, quòd nec ipsum, nec Cappam balneavit; & in nomine Christi, & Sancti Johannis devoti sui, ipso flumine intrante versùs cameras infirmorum, percepit, quòd per medium cubitum ad ipsas cameras stetit per plures horas, & ad limina ostiorum ipsarum camerarum, & in eis cameris non intravit. O quantum fervidum amorem, & sollicitam curam habebat vir Sanctus iste ad pauperes Christi, sicut Beatus Petrus Apostolus sinè aliquo cogitatu, nisi cum fervore essendi ad Christum, ambulavit super mare, sic venerabilis vir iste sinè alio cogitatu, nisi cum magno fervore ad pauperes infirmos, qui repræsentant personam Christi, ut eos à periculo aquæ liberaret, se posuit su-

C per Cappam suam in flumine, & meruit aquam transire miraculosè.

Vir venerabilis iste Beatus Girardus pro suis sanctis orationibus de multis languoribus multos sanabat bonæ fidei pauperes infirmos. Temporalem namque honorem fugiens egit, ut ab his, à quibus visus in tanta virtute fuerat, numquam in hac vita in vanum sui laudem aspicerent. Jam dum in bonis operibus vitam gerens, senex plenus dierum de hac luce transiens in Christo quievit Anno Domini MCCVII. die VI. Junii. Eodem verò dicto anno, quo de hac vita erat exiturus quibusdam bonis Conversis secum conversantibus multa prædixit, & sanctissimi sui obitus denuntiavit diem. Sed Christus

D servi sui bona opera, qui ea bona, quæ fecerat in vita, despiciendo vanitatem Mundi occultaverat, voluit post ejus mortem manifestare, quia XL. die post ejus obitum in quodam vico, qui locus de Ulzate dicitur, longè à Modoëtia per XX. milliaria in Episcopatu Cumano situm, cujus loci habitatores erant CCC. & plures masculi, & fœminæ, percussi omnes fuerunt de una infirmitate quæ syncoposis vocatur, sic quòd nec unus ejusdem loci poterat alteri servire. Sed admoniti à quodam sancto solitario juxta illum locum habitatore, qui à Deo per revelationem habuerat, quòd servus Dei, nomine Frater Girardus XL. diebus jam elapsis sepultus fuerat in terra juxta portam Ecclesiæ

E suæ in Modoëtia, cujus bona opera, quæ in sua sancta vita occultè, fugiendo vanitatem Mundi, fecerat, post ejus obitum manifestarentur; & ejus corpus in reverentia haberetur: voverunt unanimiter inter se atque dixerunt: *Si Sanctus iste pro nobis intercedit ad Dominum nostrum Jesum Christum, & de hac infirmitate liberati fuerimus, nos omnes ad visitandum corpus ejus cum reverentia & dono ibimus. Insuper & perpetualiter omni anno in ipso die à nobis, dum vixerimus, & à nostris descendentibus, scilicet ab uno pro qualibet familia, ex nostri voti promissione, & sic visitabitur*. Qui cùm hoc votum fecissent, subitò omnes liberati fuerunt, & votum adimpleverunt. Sed illi sanctum corpus de terra, ubi erat sepultum, omni odore ple-

eum abstulerunt, & in arca lapidea, in qua nunc est, cum magna reverentia illum in ipsa sua Ecclesia posuerunt, qui usque in præsentem diem votum non fregerunt. A prædicto verò Beato Girardo illis omnibus, & aliis undique multis eorum circumstantibus, & maximè Modoëtiensibus, magna & infinita miracula facta sunt, & quotidie in suis meritis spem habentibus, fiunt, prout oculata fide, aut discretorum relatione novimus, de quibus plura, prout tempus & ordo dictavit, in sequentibus nostræ Historiæ hujus à nobis scripta sunt. Sed quæ superiùs posui de ipso Beato Girardo & miraculis ejus pro magna parte audivi à senioribus terræ nostræ, scilicet Modoëtiæ, quibus Conversi, & alii religiosi bonæ famæ fide digni, amici familiarissimi, & noti ipsius Beati Girardi eis dixerunt, quæ oculata fide de ipso Beatò Girardo, & miraculis ejus viderunt: sed oportet jam, ut antiqua tempora taceamus, ad ea, quæ nostris temporibus sunt gesta, veniendum est.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Prologus.

IN Liguria nostro tempore magnæ & arduæ novitates eis, qui non viderunt, impossibiles ad credendum fuere, nam mens refugit credere quæ multi magna maturitate viri ad exemplum scripserunt. Cùm me noverim insufficientem ad scribendum de his, attamen infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminendo qualis, & quanta fuit pestis, quæ vênit super terram nostram de Modoëtia annis decursis MCCCXXII. XXIII. XXIV. ad multorum ædificationem scribere procuravit, licèt intellexerim quòd duo primi ex nostris temporibus, scilicet Benzius maximus Philosophus, & Frater Galvaneus de Flamma Ordinis Prædicatorum Mediolani Doctor egregius, Chronicorum Canonum multiplicem ediderunt Historiam, Regnis similiter ac temporibus ordinatam. Post hos alii atque alii, inter quos præcipuè discretus, intelligens, & eruditus vir Johannes de Cermenate, Civitatis Mediolani Notarius, qui valde bene veraciter curioso Regentibus stilo ea, quæ gesta sunt in Italia ab adventu Henrici Imperatoris usque ad primatum Galeatii Vicecomitis Regnantis in Mediolano explevit. Horum aliqua ab exordio dicti Henrici gesta, & usque ad Consulatum Johannis, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Mediolanensis, & Luchini fratrum Vicecomitum Mediolani, & decem aliarum Civitatum Lombardiæ Principum, quanta potui brevitate notavi, contexendo in Historia plura, quæ nostris temporibus magna apparuere in Modoëtia, Beati Gerardi natione Modoëtiensis, & Sancti Johannis Baptistæ patroni, & defensoris illius Terræ, ac omnium Lombardorum miracula, quorum apud Deum potentia in suam se dantibus custodiam cognoscatur. Si, Lector, referre quæ de perfectis probatisque viris attestantibus agnovi, videlicet per memetipsum oculata fide notavi, mensis esset, ut opinor, antequam sermo cessaret de personis omnibus. Ipsa specialiter verba tenere non volo, quia hæc rusticano usu prolata, & stilus scribentis non aptè susciperet. Tum non solùm ea, quæ mei viderunt oculi, sed ea. quæ mihi sunt virorum venerabilium narratione comperta, incunctanter narro legentibus, ac audientibus ad exemplum, cùm mihi luce clarius constet, quia præsentes, & præteriti Historiographi, qui descripserunt, non solummodo visu, sed auditu didicerunt.

CAP. II.

De Regibus & Principibus, qui assumti sunt divina ordinatione ad gubernationem populi Dei.

QUoniam humana generatio subjacet vitiorum contagionibus, cupiendo terrena, & non cœlestia, omnis universitas populorum non retinet liberum arbitrium à Deo sibi concessum, & se supponit creaturæ, & non Creatori; quare cùm cuncta lædit scilicet fortuna, nullum permittit describi à maximo usque ad infimum quietum statum. Retinere autem liberum arbitrium, est salvâ justitiâ conservare, adjuvare, & augere rempublicam; & hæc virtus est quædam Justitiæ, quæ omnia bona temporalia conservat, & quietat etiam corpus, & animam salvat; & illud bonum numquam potuit lædere fortuna. Quare ait Scipio. *omnibus, qui patriam conservaverint, adjuvaverint, auxerint, certum esse in cœlo diffinitum locum, ubi beati sempiterno ævo fruuntur*. Non retinere liberum arbitrium & se supponere creaturæ, est regi à superbia, ab avaritia, obedire pecuniæ, & non prætendere ad salutem reipublicæ, sed ad propriam utilitatem: & hæc est injustitia, quæ omnia turbat & dissipat; & tunc fortuna, quæ est contra Deum, cuncta lædit. Quare notandum quòd respublica est res populi; populus autem est cœtus juris consensu, & utilitatis conjunctione sociatus; respublica, res populi, res Communis, res Civitatis. Et sic patet, quòd omnis, qui intendit bonum Commune, & utilitatem populi, vel Patriæ, vel Civitatis, augere, conservare, protegere salvâ justitiâ, intendit etiam rempublicam augere & conservare, ad quam rempublicam habuerunt antiqui magnum effectum. Ideo ut salva fieret respublica mediante justitia ad gubernationem populi Dei, fuerunt Reges assumti divina ordinatione & præceptione, ut de David I. Regum Capitulo XVI. Unde & Moyses oravit, ut Deus provideret hominem super multitudinem populi, qui possit exire & intrare ante eos, Num. XXVIII. Item Principes assumuntur ad gubernationem populi Dei ab Ecclesia Divina auctoritate; unde Moyses vocavit Josuè & dixit, & ut introduceret populum XXXI. Deuter. In Ministerio Samuelis unxit Dominus David in Regem, ut dictum est in figura, quia Dei Vicariis Ecclesiæ Prælatus confert principatum & potestatem in Regnum populi Dei, prout justitia exigit, & Ecclesiæ utilitas. Item fuerunt Principes assumti gubernantes populum Dei paterna successione. Sic Salomon III. Regum II. *Sedit*, inquit, *Salomon super thronum David patris sui*. Permisit Dominus rectè gubernanti Regi populum suum, scilicet ut filius suus regnaret, Deuter. XVII. Item fuere Principes antiquitùs assumpti ad regimen populi, unanimi militum vel populi electione, ut fuit de Vespasiano, & de aliis Imperatoribus Romanis, & Consulibus, prout ait Valerius, licèt jus imperandi Mundo Julius Cæsar primus acceperit. Et quia unanimitas populi non potest prætendere pro sua debili misera conditione cum vera concordia & justitia ad salutem reipublicæ, quæ est conservatio animæ & corporis, nisi per justa præcepta, & ammonitiones Summi Pontificis, & per Sacras leges justi Romani Imperatoris, sub quibus tota universitas humani generi reconciliari oportet. Quis ergo negabit facere Sancta præcepta tanti Pontificis, idest Papæ maximi principis Sacerdotum, qui omnes Sacros Ordines Ecclesiasticos disponit? ipse enim quidquid unusquisque facere debeat, ostendit, & non fore subjectum Romano Imperio, cujus Sacris legibus Res-

Respublica, salvâ justitiâ ordinatur, amplificatur, & regitur. Hi duo luminaria scilicet Papa, & Imperator in Mundo sunt à Deo concessa per Sanctas de eis factas electiones à sapientioribus, & dignioribus Mundi, prout nobis manifestum est; ut humanum genus tam in spiritualibus, quàm in temporalibus gubernetur. Unus igitur qui cuncta cernit, & est omnium Creator, scilicet solus Deus, unus Papa, cui à filio Dei Christo data fuit immensa potestas solvendi, & ligandi animas; unus Imperator, cujus ordinatis legibus cuncta terrena justè disponuntur, qualis debet esse vita, & regimen Papæ, & Imperatoris, Augustinus loquitur libro de Civitate Dei cap. XXIV. etiam alii Doctores & Philosophi docent, quia legem habent sic & subditi populi. Rex qui non dispensat secundùm legem, multas nimirum adversitates tolerat Imperii quantum valet justitia Regis seculo. Sic pax populorum est tutamen patriæ, communitio plebis, monumentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, pauperum hæreditas, solatium filiorum, & sibi metipsis spes futuræ beatitudinis. Et sciat Rex, qui sicut in throno primus constitutus est; sic & pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est; injustitiæ verò Regis contrariæ sunt incommoditates, bene potentes enim potenter tormenta patiuntur.

CAP. III.

De Lombardis, quare exstiterint, sint sub diversis partibus, & de Gulielma hæretica.

INterea non observatis legibus latis à duobus majoribus Mundi Principibus, scilicet Papa & Imperatore, propter cupiditates honorum, & pecuniarum seculi, per plures vices, & infinitos annos defuncta efficitur sedes Imperii. Lombardi igitur Regem non habentes usque in præsentem diem, sub tyrannis & infinitis diversis temporibus, & diversis partibus fuere, quæ partes prætenderunt, & prætendunt ad duas unicas omnium Christianorum partes, videlicet ad partem Guelfam, quæ usurpavit sibi nomen Ecclesiæ partis; & ad partem Gibellinam, quæ est Imperialis pars. In Mediolano duæ partes fuere meo tempore, videlicet pars Vicecomitum, & cum ea Nobiles dictæ Civitatis, & est Gibellina pars; & Turriana pars, & cum ea vulgus, & Guelfica pars est. Et prædictæ partes primatum tenent super aliis partibus Lombardiæ. Matthæus Vicecomes princeps partis Gibellinæ in Mediolano clarebat Anno Domini MCCC. cujus principatus temporibus in Mediolano hæretica quædam occulta nomine Gulielma, quæ religiosissimam atque sanctam monstrabat ducere vitam, cum quodam Andrea nomine Seramita, sub spetie bonorum operum in eorum Synagoga subter terram sita hæretica utebantur, & suum faciebant ibi opus. Ibi in matutinis ante diem de eorum, quod ordinaverant, Consortio, ibant mulieres nuptæ, & viduæ, quæ occultè ipsius mulieris mandato erant clericatæ; etiam ibant & juvenes viri. Dum ipsa maledicta ad modum Presbyteri induta in ipsa Synagoga juxta Altare suas orationes consuetas fudisset, in fine ajebant: *adunamini, adunamini, & lumen sub sextario ponite, & quæ ordinaveritis, facite*. Et tali modo diebus ordinatis occultè stuprum committebant. Hæc Gulielma moritur, & à Monachis Clarevallensibus pro Sancta sepelitur. Post cujus obitum Andreas per sex annos ordinem sequitur, quousque quidam Civis magnus mercator Mediolanensis, nomine Curradus de Coppa, qui cùm frequentius uxor in matutinis surgeret, una vice de ipsius itinere cupiditate succensus, occultè surgens extra domum uxorem est secutus, & usque ad Consortium incognitus eam sequitur. Qui ibi etiam posito lumine sub sextario, facta obscuritate, uxorem suam secundùm aliorum morem cepit, & secum incognitus ab ea cubavit, & anulum aureum cum saphiro extra digitum uxoris cepit, & inde post alios occultè exivit. Qui post quatuor dies anulum uxori petiit, ut pro necessitate sua in depositum, prout promiserat, daret. Et illa cùm anulum quærere fingeret, in fine quia non inveniebat, timidè respondit. Tunc ille convivium consanguineis, amicis, & vicinis, quorum uxores in dicto Consortio cognovit, eis & uxoribus præparari fecit. Qui cùm omnes amore & precibus venissent ad convivium, & pransuri essent, ait: *Quilibet faciat uxori suæ solatium, quod meæ facturus sum, & postea causam rei pandam*. Qui omnes sic facturi promiserunt. Hic ligaturam de capite uxoris extraxit, & clericatam invenit: quod & ceteri sic fecerunt, & eas omnes cum clericata invenerunt. Quænam esset causa, viri exclamaverunt. Quo audito, per ordinem rei factum pandit, qui omnes habito consilio, ab eis Matthæo Mediolani Principi negotium stupri intimatur. Cujus mandato cum consilio Inquisitoris hæreticæ pravitatis Andreas Seramita cum suis famulis à lictoribus Potestatis capiuntur, & ad torturam positi, per undecim annos hoc peccatum ab eis, & à Gulielma commissum esse manifestaverunt. Qui Andreas cum pluribus, qui de dicto peccato causa mali erant, & ossa Gulielmæ tamquam hæreticæ cremantur; & quæ pro sancta venerabatur, nunc pro hæretica ab omnibus blasphematur. Nec non & mulieres, quæ ibant ad Consortium, non sinè punitione à viris suis dimittuntur. Sed antequam procedam de Historia sic senum valde venerabilium virorum, qui in Modoëtia hodie vivunt, relatione cognovi, referam quoddam memoriale Sancti Johannis Baptistæ miraculum.

CAP. IV.

De Miraculis factis in Ecclesia Sancti Johannis in Modoëtia.

MOdoëtiæ suprascripto Anno in Sancti Johannis Oraculo duæ mulieres, quarum una senex, & earum vestimenta erant candida sicut nix, in Festo Sanctæ Crucis circa horam Nonæ apparuerunt cuidam venerabili illius Ecclesiæ Presbytero nomine Franzio de Gluxiano. Illarum una ei dixit: *In isto Oraculo sancto magnalia Dei, & Sanctorum ejus veneranda, & indulgentiæ infinitæ sunt; & propter decessorum virorum ignorantiam per multum tempus usque hodie incognitæ remanserunt. Mementote quod scriptum est, quærite, & invenietis*. Ad hæc subitò disparuerunt. Creditur, quòd fuerunt Sancta Elisabeth, & Beata Theodelinda, quæ per divinam revelationem dictum sanctum Oraculum construi fecit. Qui Presbyter quasi alliteratus per stuporem tantæ visionis, sinè mora in Sagrestia intravit, & librum veterem Bibliæ aperuit, & in quodam secreto loco dicti libri, sicut Deo, & Sancto Johanni placuit, scrip-

scripturam unam reperit talis tenoris: *Hæc sunt Olea Sancta, quæ adduxit Johannes indignus & peccator tempore Domni Gregorii Papæ de Roma in Modoëtia Domnæ Reginæ Theodelindæ* &c. Eâdem horâ miraculosè populus de Modoëtia ad dictam Ecclesiam concurrit, in quo loco sunt magnalia Dei, & Sanctorum ejus veneranda, quæ dicuntur hìc esse reperta. Infiniti dicebant, Canonici ignorabant, audientes hæc admirabantur. Tunc Presbyter de Sagrestia cum devota facie exivit, & quæ viderat per ordinem Canonicis dixit. Tunc omnes Deo, & Sancto Johanni gratias egerunt, qui magnalia sua ab oculis eorum abscondita eis revelare voluerunt. Facto Capitulo ordinaverunt videre in arca marmorea, quæ est post altare majus dictæ Ecclesiæ, & populo dixerunt: *Ite domum, & laudate Deum, & Sanctum Johannem, quia reperiemus, & in Festo Ascensionis Domini proximè venturo coram oculis omnium videre volentium cum devotione monstrabimus*. Secretò de nocte aperuerunt arcam, & magnalia, quæ in una die non possent dici, nec in uno mense monstrari, viderunt, & obstupuerunt. Tunc apparatum magnum cum auxilio Communis Modoëtiæ fecerunt, & cum magna reverentia in dicto Festo Ascensionis per totam diem monstraverunt non omnia, quia non potuerunt. Ad videndum tam grande spectaculum, in illa die de populis terrarum Lombardiæ XL. millia, & plus fuere. Plura apparuerunt miracula, monstrando dicta Olea Sacra. Comes Otolinus de Curte-nova, qui erat juxta arcam cum Galeatio filio dicti Matthæi Vicecomitis Gibellinæ partis in Mediolano Principis, manum voluit ponere in quodam crystallino vase, ubi erat de amputati capitis Sancti Johannis amputatione; & ipso dicente: *Volo videre, si est sanguis hirci*: qui violenter expulsus, contremuit, & de pessima infirmitate percussus jacuit per annum. In fine de incredulitate confessus, mortuus est, prout hodie Oliverius de Monzia, dictæ Ecclesiæ Canonicus, & multi alii, qui unà secum in hac Terra vivunt, testantur. Uti & de Arigino de Monzia fratre dicti Oliverii, qui voluit furari aliquantulum de stupa lini, quæ erat circa quoddam vas, statim maximus dolor eum invasit, ita quòd obire videbatur. Admonitus à quodam, si aliquid accepisset de illis Sanctis rebus, quòd redderet; qui stupam, quam acceperat, cum devotione deposuit, veniam humiliter Sancto Johanni postulavit, & ibi evidenter liberatus fuit. In illa die ibi facta fuit magna oblatio. Tunc Domini Canonici unà cum Communi de Modoëtia, ordinaverunt dictum sanctum Oraculum debere amplificari, & mirabiliter ornari, & quòd reditus cujuslibet primi anni vacantis præbendæ illius Ecclesiæ, foret fabricæ ipsius Oraculi; & quod per populum Modoëtiæ in qualibet hebdomada omni die Lunæ, & in Festis principalibus unà cum Canonicis super sanctum Altare deberet oblatio fieri, & in Festo Nativitatis Sancti Johannis per quamlibet contratam Modoëtiæ deberet unum bravium offerri, & quilibet vicinus dictarum contratarum deberet unum cereum cum bravio offerre. Quæ oblationes, & omnes aliæ, quæ fierent in dicto Oraculo, perpetualiter expenderentur ad ornatum, & in fabrica dicti Oraculi: quæ omnia usque in præsentem observata sunt, & Deo dante, & meritis Sancti Johannis adjuvantibus, perpetualiter observabuntur: excepto quòd reditus vacantis præbendæ tempore Mayfredi, & Lombardi de la Turre, qui fuerunt Archipresbyteri dictæ Ecclesiæ, fuit extractum, & ita usque in hunc diem. Eodem anno cœperunt amplificare dictum Oraculum, & in dicto opere apparuerunt miracula. Infiniti, qui hodie vivunt, testantur, quòd quatuor pueri annorum octo, vel decem ætate pro quolibet, ibant cum uno plaustro de duobus rotis, quæ erant parvæ, per terram Modoëtiæ, & extra terram soli caregabant pilastratas, & alios lapides grossos, qui ponderabant unum plaustrum vini, & ultra, & soli ducebant ad Ecclesiam exclamando semper: *adjuva nos Sancte Johannes*. Unde quadam die iverant ad accipiendum unam pilam magnam de forti lapide cerreo ad domum Aliprandi filii Raynii dictæ Terræ burgensis, qui venerat illa die & hora ab indulgentia à Roma. Cùm sibi dictum foret, quòd pueri venerant ad accipiendum pilam, statim currit, & pueris irato animo minatus fuit. Sed subitò pila, quæ erat sana per se, sinè eo, quòd aliquis eam tetigisset; divinitus coram multis videntibus oculis in quatuor partes divisa fuit. Tunc pueri, & alii, qui aderant, exclamaverunt dicendo: *Sanctus Johannes hoc fecit*; & eam exportaverunt inde ad Oraculum sic fractam. Sed ille Aliprandus de vetito se pœnituit, viso fractioni pilæ miraculo, & ad fabricam plura donavit. Quare postmodum illo anno nemo ausus fuit vetare pueris aliquid: Alius, quem novi, Magister de muro, quasi omnibus de Modoëtia notus, à ponte XXIII. brachiorum altitudine cecidit; cujus persona cadendo lectorilem lapideum, qui erat supra pinnaculum Templi fregit, & usque ad terram descendit, exclamantibus aliis Magistris, & laboratoribus: *Sanctus Johannes te adjuvet*, absque læsionis periculo remansit. Et consimili modo multi alii laboratores, & Magistri in dicto opere à magnis periculis fuerunt evasi, meritis Sancti Johannis adjuvantibus. Prædicta Olea Sacra fuerunt iterum in eadem marmorea arca benè reclusa, & prout dignum est, habentur in maxima reverentia. Sufficiant de Sancto Johanne, quæ hìc miracula diximus, & ad Historiam se vertat stilus.

CAP. V.

De Matthæo Vicecomite, qui amisit Principatum Mediolani in campo de Melzio.

POrrò cùm Matthæus tenuisset Principatum XXVI. annis, tamdem Anno Domini MCCCI. magna pars Gibellinorum Mediolani æmuli fuere sibi cujus non noverunt bonitatem. Princeps horum Petrus Vicecomes patruus dicti Matthæi actor erat, qui Matthæus eum carceravit. At Annozia consors dicti Petri, nata de magna stirpe de Cribellis, in auxilio ipsius viri sui solicitavit Curradum Rusconum Principem Cumanum, qui & dictis de Mediolano nobilibus Gibellinis de proditione contra Matthæum procuravere. Dicto anno eorum opere ad Melzium campum, armatorum facta congregatione multorum, sub specie pacis tractandæ in manu Alberti Scoti de Placentia suæ partis principe, quem Comes Philipponus, & Antonius de Fixiraga contra eum incitaverant, Matthæo cum sua virtute magna contra eorum exercitum in dicto Melzio campo stante, de pace pro dolo loquitur. Ignoratur, an fuerit sui ignavia, vel virtute, nullo commisso Marte, & sinè ullo suorum

rum vulnere confusus, prout creditur, divino judicio dominationis maziam reddidit. Stipendiarii, & alii, qui pro sua defensione secum erant in agmine, his auditis, à se discesserunt; & Curradus cum aliis Mediolanum intraverunt, & exulem Matthæum fecerunt. Sed non fuit, prout Rusconus ille Gibellinus putavit. In sero vocatur Mediolani Capitaneus, & in mane regnare non potuit. Tunc Turriana domus illico fortuna adjuvante de exule facta civis, Principatum tenuit. Ii, qui contra suæ partis principem noxii fuere, de suis operibus mœsti, delusos se cognoverunt, & contra Turrianam domum tractare semper cautè cœperunt.

CAP. VI.

De Comite Henrico de Lucimburg electo & confirmato in Imperatorem, & de ejus adventu in Italiam.

DEfuncta itaque Sede Imperii Anno Domini MCCL. per obitum excellentissimæ memoriæ triumphantis Federici Imperatoris, vacavit dicta Sedes usque ad Annum Domini MCCCVIII. quo tempore Philippus Rex Francorum sollicitare cœpit, ut Imperialis dignitas ab Ecclesia in personam sui adhiberetur. Qua de causa septem Principes Alemanniæ, qui jus habent Imperatorem eligendi, videlicet Archiepiscopus Maguntinus & Coloniensis, & Treverensis, Comes Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, & Rex Boëmiæ, qui olim Ducis titulum habebat, & non habet locum ad dandas voces, nisi alii sex discordent, sollicitati magnis promissis & precibus amicorum dicti Regis Philippi fuere. Qui nolentes honorem tantæ dignitatis Imperii ab Alemannis transmutari, Henricum Comitem de Lucimburgo fratrem dicti Episcopi Treverensis, strenuitate morum, ac virtute animi dignum, Anno ipso Domini MCCCVIII. elegerunt in Regem; & in Civitate Aquisgrani solemniter coronatus est. Qui non post multum temporis misit solemnes Ambaxiatores ad Papam Clementem, qui ipsi præfato Regi veniendi ad recipiendum Coronas Imperatori in Italia constitutas, liberam à dicto Papa habuerunt licentiam, etiam præmissis ab eodem Summo Pontifice quatuor Cardinalibus, qui usque Romam cum ipso Rege forent. Tunc Rex solemnes Legatos ad annuntiandum suum pacificum adventum per Italiam mandavit. Cujus rei causâ Episcopus Constantiæ Mediolanum, & Modoëtiam vênit. Sed nuntiato per eum in Mediolano tanti Regis adventu, Guidoni de la Turre dictæ Civitatis Capitaneo non placuit. Quid fuerit responsum, ignoro. Tamen priores Lombardiæ suæ Guelficæ partis in Mediolano Guido vocavit. videlicet Comitem Philipponum de Langusco socerum suum Principem Papiensem, Antonium de Fixiraga in Laude aliorum excelsum, Gulielmum Cavalcabovem in Cremona potentiorem, Simonem Advocatum Vercellarum tenentem primatum; & habito cum eis consilio, cùm non vellent suum adimplere animum vetandi dicto Regi, in se quasi smaniavit, eo quòd receptionem Regis laudarent, & ait: *Non vos ad destructionem vestram, & amicorum vestrorum vocavi; sed ut firmum caperetur consilium vetandi. Vos ergo novitis Teutonicum, cui scio de nobis esse nuntiatum per suos Legatos, ad pedes montium fore ei hilarem occursum. Video veloci saltu nos, à Deo nobis ablato consilio, ad mortem properare.* Denique sui laboris ira fessus, per aulam ibat in se dicendo; *Quòd tenentur Lombardi Henrico de Lucimburgo? Nescio hunc Teutonicum vel Allobrogum, qui vult turbare Guidonis de la Turre, qui sibi nihil tenetur, statum.* Retro respiciens vidit post se collaterales suos eum per aulam sequentes, & ait: *Scitis obligationes, vel jura, pro quibus teneor Teutonico, Allobrogo, vel Franco?* Qui non taciti dicunt: *Nihil Domine.* Tum ille: *Ideo solicita sit cura ad defendendum nostra jura.* Postremò prædicti Principes Guelforum Lombardiæ, nullo, ut notum fuit, habito cum Guidone communi concordio, ad Civitates suas remeaverunt. Guido postquam post mortem Muschæ de la Turre germani sui secum paris in Civitate dominationis titulum dictæ Civitatis Mediolani accepisset, magnum assumsit odium cum Castone de la Turre Archiepiscopo Mediolani, & fratribus, immo quinque filiis dicti Muschæ, etiam cum plerisque aliorum proximorum domus suæ agnatorum; eo quòd principatum tenere non vellet cum Pagano primogenito dicti Muschæ, prout secum fecerat dictus eorum pater Muscha. Qui, prout refertur, cum magnatibus Gibellinæ partis contra statum Guidonis tractaverunt: ob quam causam ipse Guido tres dictorum fratrum in arce Angleriæ crudeliter incarceravit, scilicet Paganum, Adoardum, & Muschinum. Quamobrem Raynoldus, & Napinus junior cunctis fratribus, omnibus modis, quibus poterant, Regis adventum solicitabant, ut liberarent dictos fratres suos à carceribus Guidonis. Invidia dominandi, vetus error, prout dicitur, inter ipsos de la Turre fuit & sibi pestis. Sed hîc quæ inter ipsos de la Turre gesta fuere, sileamus.

Eo tempore Rex Boëmiæ vita decesserat, & solam filiam nomine Elisabeth dimiserat heredem, quam præfatus Henricus Rex illustri filio suo Johanni Matrimonio copulavit, & paternum ejus Regnum in dotem dedit. Coronato filio, & dimisso armatorum præsidio ad custodiendum Regnum, adventum suum in Italiam præparare firmiter cœpit. Illis diebus, quem supra jam memoravi, Matthæus Vicecomes cum paucis amicis exulabat à Civitate Mediolani; & in Veronensibus partibus, ubi Longarolo dicitur, pauperrimam vitam suo nomini ducebat. Qui examinavit amicos, & invênit unum solum tantùm juvenem non pigrum, sed velocem ad ferendam opem, in scholis Paduæ Lectorem, nomine Franciscum de Garbagnate. Promtus & audax hic erat præ ceteris exulum Mediolani, vetus Turrianæ Domus contrarius, & tanti operis Gibellinæ partis exstitit, qui in Liguria eodem tempore ipsam partem primus exaltavit. Relinquit studium literarum, vendit libros, emit arma & equos, & propriis stipendiis militans, in Germaniam ad Regem pergit, & in brevi illic de Ligurum Gibellinorum statu tractat, quem non solum obscurum sed perditum clarum facit & recuperat. Qui ita veraci colloquio Regi de magnatibus & factis Lombardiæ tam Gibellinæ quàm Gelficæ factionis sollicitando clarè ostendit. Qua cognita veritate Rex postmodum Franciscum habuit propitium, sicque in Curiam Regis maximum habebat introitum. Denique de mense Septembri Anni cursi in MCCCX in Ast vênit, & ibi pluribus diebus moram fecit, præstando Teutonicorum armatorum præparationem. Sed cùm de magna prudentia, & virtute dicti Matthæi per prædictum Franciscum Regi foret intimatum, illum videre cupit, & quod

quod mittatur, ut ad sui præsentiam veniat, jussit. Qui Matthæus per nuntium Francisci sciens Regis præceptum, insidias hostium timens, non cum clara virtute, sed plebejo amictu cum solo famulo occultè per secreta itinera & longos terrarum tractus timidum iter faciens, in Ast applicuit, & fidelissimi Francisci sui hospitium intravit. Jam ibi secundùm mandatum Regis multi magnates Lombardiæ, tam Gibellinæ, quàm Guelficæ partis, in occursum ipsi Regi venerant. Gibellini Matthæum non ut dominum, sed tamquam in terris Deum suum receperunt, & ad præsentiam Regis die sequenti eum sociaverunt in suo agmine, Ricardo Tizone cum centum equis Gibellinæ partis Vercellarum duce. Qui humiliter coram Rege genua flexit, & ejus pedes, dicendo esse pedes pacis, osculatus fuit. Ibi antequam genua levaret, brevem excellentissimum sermonem, Regi placibilem, de Italiæ suæ utilitate propter ejus sanctum adventum contexit. Factâ hac debitâ reverentiâ Regi, cùm in aula aliquantulum longè à latere Regis adessent Comes Philipponus de Langusco, Simon Advocatus, Antonius de Fixiraga magni principes Guelficæ partis Lombardiæ, humilia oscula & amplexus Matthæi respuerunt. Et Antonius ipsi Matthæo turbida voce ait; *Matthæe, Matthæe fuisti omnium Italiensium mali causa, communis pestis, & illorum hostis, dum regnasti, ubicumque opus tuum, semen belli, pacis discordia; turbasti Mundum in tua dominatione; neminem permisisti requiescere. Quis tam patiens non turbetur, videns talem perfidum adhuc velle turbare Mundum?* At ille humiliter inquit: *Est Domino Regi pacem rebus dare, & tempus malis nostris finem ponere.* Rex autem subrisit: *Jam dimidia pax inter vos facta est*, ait: Tunc Matthæus & ceteri exules Gibellini Principes propitii à Rege habentur, ac ad sua secreta vocantur. Porrò Comes Philipponus, Antonius, & Simon Advocatus Guelficæ partis Principes, in Vercellis novere, Regem spem positam habere in Principibus eorum partis adversæ, & ajunt inter se: *Antequam Matthæus intret Mediolanum cum Rege, possunt parari firmitates parti nostræ immutabiles, si mora ingredi Civitatem Mediolani Regi cum aliquo consilio paratur.* Tunc cum magno studio sollicitaverunt Regem priusquam Mediolanum, Papiam applicare debeat. At Matthæus, qui cuncta inimicorum rimari cœperat, affuit, Regi fideliter in aure locutus est, quòd viventi non credat, quin immo non faciat dilationem ingredi Urbem, in cujus Territorio diadema ferreum suscepturus est: A Gibellino itaque fortificatus ait: *Imperatoriæ Majestatis mens adimplebitur.* Tunc Rex solicitata veritate novit, omnium Nobilium Mediolani nationes ac claram popularium multitudinem, cum Matthæo fore, valentium Imperii honorem consequi; Guidoni autem paucos secum in velle occursuros. Sumsit ergo Rex iter suum, & transacto Ticino Mediolanensium rura calcavit hyemali tempore, nive grandi, & frigore magno existentibus. Ejus in occursum fuere infinita Nobilium læta signa, popularium Urbis turmæ, qui læto meatu pedes Regis osculavere. Itaque Rex consilia & promissa Matthæi vana non fore cognovit. Guido de la Turre, non claram faciem ostendens, sed superbiam, cum suis signis super caput post omnem plebis turmam obviam Regi super cunctis viventibus Guelficæ partis iratus venit. Appropinquato Regi signa sua coram Rege ferre facienti, indignati Theutonici ea de manu ferentis abstulerunt, & turpiter ad terram inclinaverunt. At tum Guido equo descendens, osculatus est pedes Regis, à quo benigniter receptus, superbiæ illius piè indulgens inquit: *Guido Dominum recognosce; humilis sis, quia durum est contra stimulum recalcitrare.* Rex itaque intravit Mediolani Urbem XXIII. mensis Decembris. Anni cursi post Nativitatem Domini MCCCX. penultima dies fuit. Tunc temporis Terra de Modoëtia tam venerabilium prudentia hominum, quàm divitiis, sicut ceteræ Terræ suæ factionis Italiæ polluit. Ubi Rex Archipresbytero, & Canonicis Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ duos ejus nobiles milites, & epistolam ita se habentem destinavit: *Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus honorabilibus viris Archipresbytero, & Capitulo in Modoëtia devotis suis dilectis gratiam suam, & omne bonum. Devotioni vestræ seriosè præcipimus & mandamus, quatenus Archipresbyter & tres vestrùm de Capitulo seniores & prudentiores, quibus de negotio Coronæ ferreæ magìs constet, sinè contradictione & dilatione qualibet ad nostram præsentiam accedatis; Privilegia vel instrumenta, si quæ sunt in Modoëtia, & habueritis, apportantes, & super his strenuis viris Alard de Robaës & Clecumpher de Genuille militibus nostris, exhibitoribus præsentium, fidem credulam apponentes. Data Mediolani VIII. Kalendarum Januarii, Regni nostri Anno secundo.* Convocatis igitur undique Italicis Principibus ad solemnem Coronationem fiendam Regi in Modoëtia, prout debet de jure, parabantur festinando necessaria ad Coronationem Regis in Templo Beati Johannis Baptistæ universis Italiæ sanctiori. Qui Rex die sexta Januarii anni proximi sequentis ad Modoëtiam Terram cepit iter, & magnificè à Modoëtiensibus receptus fuit. Cùmque ibi partem trium dierum stetisset, & cautissimè, quia Mediolani proditio à Guidone contexebatur, ei intimatum foret, ipsa die super populum Modoëtiæ in prato magno pulcherrimum sermonem locutus fuit, & multa bona tanquam hominibus solummodo ad Imperatoriam Majestatem pertinentibus promisit; & accipi jussit baculum Abbani; & libellum orationum ad ejus Coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Ecclesia Beati Johannis fuerant, sinè dilatione præparavit. In die Epiphaniæ in Ecclesia Beati Ambrosii Confessoris à Castone de la Turre Archiepiscopo Mediolani in Regem Italiæ unctus, ferreo diademate coronatus fuit, faciens coram Baronibus suis extendere chartam, quòd per illam suam Coronationem nolebat derogare, nec derogabat juri Terræ suæ de Modoëtia, in qua sui Antecessores de jure Regni coronari consueverant; quæ charta est hodie ad Cameram Communis dictæ Terræ. Et ultra homines dictæ Terræ, oblatis per eos quinque millibus Florenorum auri ad Cameram illius, de fortissimis privilegiis, prout sui Antecessores fecere, adoptavit.

Interea paucis diebus subsecutis ad obedientiam Regis, cujus bonus animus universis Christianis pacem adimplere laborabat, ferè omnes Civitates Lombardiæ Mediolanum magnates fuere; sed ultimus vênit Matthæus de Madiis in Civitate Brixiæ Dux Gibellinæ partis; qui pauco capto consilio tardavit, quòd decebat, Gibellinis esse in occursum tanti Regis ex primis, propter insidias exulis Tibaldi Bruxadi Guelficæ partis dictæ Civitatis primi, quem timebat, eo quòd esset cum Rege. At ergo Rex constituto

in

in dicta Civitate Mediolani Vicario Johanne de la Calcea Gallico licèt natione nobili, deficiente moribus & scientia, & tali honore indigno, non complevit mensem; & alium exulem à patria Urbis Senensis propter debita nomine Nicolaum de Bonsegnioribus in Vicarium erexit. Hic Tuscorum more insidiarum plenus contra Cives Mediolani Regi falsis suspectionibus erat accusator. Cui Rex ait: *Non per suspectionem vindicandum*, nec omni spiritui credendum est temerè. *Matthæus amicus noster, de quo nos verè confidere possumus, tollet à nobis in hac Civitate suspectionis judicium.* Illis diebus Galeatius Matthæi primogenitus, & Francischinus Guidonis filius, ambo juvenes, extra portam Ticinensem in quodam prato simul habuerant colloquium, de quo colloquio an fuerit de conscientia patrum, an non, ignoratur. Sed tantùm per Civitatem divulgatur, ipsos fore in concordia contra Germanicam gentem. Die XII. mensis Februarii tota Civitas ad arma concurrit. Per vicos & per plateas multi nuntii Guelficæ partis apparebant, & falsò jurantes, dicebant: *Principes nostri in unum facti sunt; amplius noluit sustinere Theutonicorum injurias.* Instructi movebant omnes currere cum armis ad Turriana vasta, & ibi dicebant Galeatium & Franciſchinum collectionem armatorum facere. Theutonici armati alii ad Curiam Imperatoris, & alii ad vasta Turriana occurrunt. Matthæus autem jusserat Galeatium, ne caperet arma. Qui minimè obediens, cum proximis sequacibus suis, & cum magna turba ad nobilium plateam de la Pessina armatus se contulit. Sed ibi properè ad Curiam Ducis Germanorum turbæ apparuerunt, timentes civium arma. Tunc Galeaz misit Boschinum Manthegatium de exule benefitio Regis factum civem; ut paventes animos Germanorum fortificaret de suorum agmine, contra quem iratus Theutonicus nudo ense affuit; Boschinus verò de vertice galeam tollens, alacri facie, benigno visu occurrens, suum se cognovit amicum. Deinde secum ad sociorum turbam pergit, quos omnes per præparatos interpretes illico securos & multùm lætos fecit, docens, Galeaz Matthæi filium, cunctos etiam, quos armatos vident, meritò fideles Regis fore: *Cujus beneficiis cuncti cum familiis nostris*, inquit, *dispersi, in dulcem patriam reducti sumus; finire vitam volumus; atque parati in armis sumus vobis, atque nobis, & nostris rebus subsidium dare.* Itaque Galeaz, & qui cum eo erant, juncti sunt in uno agmine cum Theutonicis, reddita eis mente, Galeaz unà cum Episcopo, illius turbæ Theutonicorum duce, per Civitatem equitant, & furorem Turrianæ partis conculcant. At Matthæus inito rumore, velox secretum iter arripiens ad hospitium Cancellarii Regis fuit, eique dixit: *Vobiscum tutus à furore Theutonum, qui animos amicorum Regis nesciunt, ad Dominum meum egrediar.* Qui ambo ad Curiam Regis iverunt. Rex autem cùm vidisset Matthæum lætatus ait: *Quare tanta fuit mora, & huc non accessisti, rumore in urbe jam pluribus horis incœpto? Audivimus Galeaz filium tuum nobis esse hostem unà cum his, quos causa tui fecimus rebelles.* At ille: *Rex Regum*, inquit, *Ego & filii mei, & qui me sequuntur, sunt, & erunt semper ad tuam clementiam; & quæcumque jusseris, non tardabimus, etiam usque ad mortem adimplere moram aliquam non feci audito rumore. Ad hospitium Cancellarii fui, ut tutus veniendo ad te cum eo, evitarem Theutonicorum furorem, qui nesciunt omnes in occursum sibi venientes.* Et Cancellarius ait: *ita est*. Itaque Galeaz, & qui cum eo erant, ad Turriana vasta ruunt, gladio percutiunt; qui Turrianæ partis aderant in fuga, præda, & occisione magna fuere. Franciſchinus, & Simoninus filii Guidonis salutem quærentes, per pusterlam Sancti Marci Civitatem exeunt; fessis equis ad Castrum Montis Orfani fugerunt. Guido à domo sua per vicina hospitia, muros, & hortalia transiens, amicorum subsidium habens, secretum iter extra Civitatem petiit. Spoliantur Guidonis & agnatorum, & vicinorum suorum domus. O pestiferæ neces animæ & corporis partes Diabolicæ, non alicujus boni memores, omne gestum malum ad vindictam inducitis! Itaque non solummodo qui in Mediolano contra Regem fuere, sed etiam extra Civitatem per Comitatum, & in Modoëtia, Turrianæ partis etiam innocentes spoliantur. Misericordia & Caritas non est; veterum malorum per memoriam partium novis offensionibus & injuriis homines subduntur. Porrò post paucos dies consilium Rex cepit, ceterorum agnatorum Gibellinæ partis, qui timebant Matthæi primatum, pavorem vel invidiam noscens, quia contra eum juxta Melzium fuere, prout ita dictum est. Matthæus in Ast, Galeaz ejus filius Tarvisium jussu Regis in exilium pergunt. Sed per solemnem curam velocis ac fidelissimi Francisci de Garbagnate parvo post tempore utrique per literas Regis ab exilio liberi facti in patriam redeuntes, Matthæus Papiam, ubi Regem senserat properasse, applicuit ibique benigno Regis vultu receptus, primùm sperare cœpit intentum, quem complevit, suum. Postremò divulgatâ per Italiam pulsi Guidonis famâ, quæ multos in magno pavore posuit, plurimi Magnates Lombardiæ prava intentione monstrant rebelles Regi velle fieri. Primi de Laude, de Cremona, & de Brixia. Antonius de Fixiraga, qui fugerat Laude de cœtu Regis, cum armis omnem victualiam per Laudem, ne in subsidio Regis foret, in dicta Civitate rapuerat, per literas Comitis de Sabaudia, qui in Italia Guelforum erat juvamen, illius spe Mediolanum vênit; coram Imperatore genuflexit, claves dictæ Laudensis urbis ad pedes Imperatoris deponens ait: *Miserere mei, summe Rex: peccavi: Urbis dominium cape.* Ibidem à tergo Baxianus ejus frater, Antonius de l'Aqua, & complures, quos majoris fidei causa secum à Laude duxerat, supplici voce veniam petunt. At Rex indignatus nullam faciem, aut miseris supplicantibus vocem dedit. Tamdem, favente opere dicti Comitis, qui pro eis deprecatus fuerat Reginam, prece victus Rex inquit: *Antoni, tota Ligurum in te conversa fallit opinio, partialibus studiis deditum, atque obstinatum. Civitas de facto detur nobis: non salvus modò, verùm etiam in aula nostra electus eris. Quòd si aliter, certè pro meritis dignam pœnam dabis.* Deinde Henricum de Flandria Marescalcum ad se vocari jussit, cui cuncta priùs docto negotium dat, commendans Antonium de l'Aqua, & Bassianum de Fixiraga, qui unà secum veniant, dum pateant Laudensis Urbis aditus, obsides sint. Itaque cum magno equitatu ad Urbem Laudensem properans, haud longè à portis Henricus sistit iter suum, unde portas clausas, & armatis viris muros plenos sentit. Tunc electa arbore, qua illico miseri pendeant vades exulis superioribus togæ vestibus: *Festinate*, inquit vadibus; *nuntium bonum, & fidum vobis, mittite, cui si qua vobis & Urbi fides*

detur,

detur, qui nuntiet, vos & alterum Antonium, & qui cum eo Mediolani in aula Regis sunt, ni vestræ urbis mœnia illico patefiant, passuros horridæ necis casum; nuntietque Laudensem agrum hodie incendio futurum. Cùmque nuntiasset lictor in Civitate, Antonium de l'Aqua, & Bassianum laqueum in collo habentes se vidisse, adversam responsionem referunt. Antonius de Fixiraga, qui magnis precibus & indiciis dixerat Regi: *Nullo præter me nuntio in hac parte opus est; profectò sinè me mittitur quilibet alius frustra*: Data ei fide dimissus prope Urbem vênit, cunctos Cives in occursum amplexans, populisque vultu simulans, & bonam Regis voluntatem nuntians, cunctosque generali sermone lætificans, etiam temeritatem expulsi Guidonis ab Urbe sua in Consilia eis exponens, periculum patibuli latronum, in quo cum aliis suis Civibus jacebat, cum lachrymis annuntiat. Quòd si ei fidem non adhiberent, mors illius & aliorum erat vaticinium Civitati Laudæ de memoriali perpetua peste. Tamdem ultimum verbum dixit: *Malitiis potiùs cum tanto discrimine vestro mortem nostram, quàm vos vestro commodo nobiscum salvos esse?* His lachrymis cives victi pandunt Theutonicis Urbis portas. Tunc omnes introducuntur extorres, antiquorum exulum natorum nati, quorum plerique nesciunt domus suas.

CAP. VII.

De ipso Imperatore, qui processit Laude.

POrrò Rex celebrato Paschate Mediolani, processit Laude cum equitatu magno, ubi civibus, temeritatem Civitatis suæ ei vetitæ veluti oblitus, clementem se ostendit. Verùm Valeranus frater Regis ibi rem patravit ignobilem, quæ Regis non parum detraxit honori. Hic fecit minas mortis, & carcere obscuro clausit, quingentos etiam florenos aureos rapuit bonæ famæ viro Jacobo de Ardence, ubi hospitium intraverat, quia carbone designata fuerat furca cum laqueo in collo supra in dicto hospitio, ubi depicta erat antiquiter Aquila Imperiali reverentia, ignorante dicto Jacobo, per quemdam indiscretum famulum Cremonensium Ambaxiatorum Guelficæ partis, qui paulò ante ibidem exstiterat; & plus de hoc facinore Valeranus credidit malè loquenti garrulo suo sibi nuntianti, quàm vicinis atque Civibus Regis amicis, honestatem dicti Jacobi testantibus.

CAP. VIII.

De eo quòd iverit Cremonam.

INterea versùs Cremonam Rex tendit, dimisso Laude subsidio, ut tuti sint advenæ qui exules exstiterant dictæ Civitatis Gibellini Laudenses. Jubet ire secum Antonium de Fixiraga, & plerosque suæ factionis magnates, ac si consilio suo uti vellet. Cremonenses eodem crimine, ut fuere Laudenses, noxii se monstraverunt. Ideo jussu Regis Mediolanum, & Urbes terræ, & oppida Regi dedita, cum magno apparatu, sed non uno itinere, ad Cremonensium rura conveniunt. In Cremona veteraverat Guelforum potentia, Gibellinis inde longo tempore expulsis. Nam multæ superbæ nationum stirpes in ipsa Guelfica parte cum magnis odiis erant, & inter Ligures opibus, atque gloria clarebant, nec non magnis seditionibus invicem laborabant. Quarum prin-

A cipes Gullielmus Cavalcabos, & Supramons de Amatis; & uterque inter nobiles clarus, ac amabilis, primus erat. Verùm qui commune bonum curabat summo studio, inter alios Supramons fuit Gullielmus, cui divitiarum copia erat, superbus justitiæ contemtor in maximo Reipublicæ damno regnabat in Urbe. Hic Gullielmus cum Guidone de la Turre tractaverat contra Regem, animi sui odium, & suam voluntatem sævam non constringens; ideo adventum Regis non expectavit, sed ab Urbe cum multis sociis suæ Sectæ rebellionis fugit. At Supramons cum plerisque Magnatibus, & magnis Popularibus, quorum mentibus licèt Guelfis iniquitas, & dolus satis minor inerat, tanti

B Principis clementiam æstimans suis prævalere delictis, per lutum miserando cultu, laqueis scilicet ad collum positis, pergentes, præsentiam Regis juxta Padernum X. millibus passuum ab Urbe sua distans, in agris quærunt, & ante pedes vectoris sui, perfusi lachrymis vitam petunt. Qui eorum verba non audit, sed jubet, quòd omnes carceribus claudantur. Itaque Rex iratus ad Urbem tendit, atque obvium pallium, quod honoris causa super verticem ejus Cives cum maxima reverentia ferre volunt, respuit; ac ceteris honoribus spretis Cremonam intrat cum exercitu Mediolanensi, nec non paucis exulibus, immo veriùs exilio natis, quorum Jacobus de Radanasco in exilio

C negotiando factus dives, princeps efficitur, & Gibellinæ partis caput, non nobilitate tamen, sed defectu tantùm hominum suæ factionis exilii antiqua vetustate consumtæ. Nondum advenerant ceteri Ligures, quos ibi expectare voluit, priusquam Brixiam moveat iter suum. Itaque per iram immemor factus est Rex, quid deceret clementiam suam; scilicet petentibus veniam, misericordiam non fecit. In Cremona spoliantur domus fugitivorum & innocentium; præda & lamentatio magna est undique parta Urbis, quæ vix mandato Regis, & multorum pœnâ, cessavit. O Rex cur oblitus es monitionem Domini, ad documentum tui, & aliorum Principatum tenentium, dictam Petro, qui non


D solummodo septies, sed septuagesies septies parcendum ait peccatori veniam petenti? Bonum intentum Supramontis, & aliorum Cremonensium ad tuam clementiam humillimè venientium spernens, minimè tribuisti misericordiam, sed ad te conversis, & criminis pœnitentibus carceris pœnam dedisti, & Civitatem præda & spoliatione damnasti. Hæc ab universis Italiæ populis considerantur, & majestati tuæ erit iter obscurum, fidelibus tuis obnoxium, quod non fecisti dignam petentibus humiliter Cremonensibus veniam; nec non qui in tuo adventu sperabant requiem, in afflictionibus laborabunt iterum. Et tibi soli imputes culpam, quod audieris non clementiam in rebus gestis in Cremona, sed Consilium, cujus auctorem nescio,

E ut soli luerent innocentes pœnam.

CAP. IX.

De eo quòd obsedit Brixiam.

REx itaque magna equitum atque peditum multitudine de cunctis partibus Lombardiæ subitò congregata, paucis diebus Cremonæ traxit moram; deinde versùs Brixiam tendit. Sed in itinere, prout respuit Cremonensibus, nullos Brixiensium obvios, cùm non veniant, repudiat honores. Procedens clausas Urbis portas



tas reperit, & Guelficis signis, armisque rebellibus plenos muros. Bone Rex indignam, quam Supramonti, & reliquis ad te conversis contulisti pœnam, rebellem facit tibi Brixiam, quæ altis muris, fossisque vallata, & inexpugnabilis est. Cremonensis Guelficus, nec non Brixiensis Tibaldus, qui beneficio Regis Domini sui de exule factus est princeps, uterque peccavit, spreto imperio Regis. Tebalde tamen num ignoras tuam perfidiam, qui tanto domino pro beneficio recepto portas Civitatis Brixiæ patefactas deberes habuisse, & fore in occursum cum pallio supra verticem ejus portando? Sed tu abjectâ debitâ reverentiâ, januis clausis arma rebellionis monstras, sagittas jactas pro salutatione minax. Profectò in tui personam redundabit, quam monstrasti, perfidia. Itaque cum maxima multitudine equitum atque peditum in Stationem juxta Brixiam stetit Rex à mense Aprilis usque ad mensem Octobris. Parum memorabiles pugnæ interim ibi fuere, sed tantum repentinis incursionibus, aliquorum ex primoribus periculo, pugnatum est. Nam circa initium Maji Tebaldus visitans montem Urbi vicinum à Theutonicis subitò circumventus unà cum plerisque, qui secum erant, modicâ primùm defensione peractâ pugnâ, pluribus receptis vulneribus humi prostratus est; ceteri fortuna juvante fugiunt. Qui spoliandi causa remanserant, inter cadavera vivum cognovere Tebaldum fingentem se mortuum. Qui illico ad Regem pertractus, antiqua crimina, quæ non minùs novis publica sibi allegabantur in causa objici sibi audivit. Itaque cognitis ad se novis antiquisque sceleribus, quæ tamen ore vulgi jam nota erant: *Satis est*, inquit Rex, *notum sibi factum scelus, quòd post fercula pro fructibus oblatis gladiis, generum, cui prandium fecerat, interficere fecit*. Deinde jubente Rege sententiâ in scriptis priùs latâ, turpiter post caudam equi tractus est per exercitum; postea corpus dividitur, data cuilibet manuum, aut pedum corporis sua parte. Caput quoque abscissum, & cetera membra viri spectaculo ante muros Brixiæ super quatuor rotas sita sunt. O Tebalde, qui Diabolico more, prout vicinis tuis pro bono malum contulisti, pro beneficiis receptis à Domino tuo, qui de Sene exule te fecit in Brixia Principem, spretis quos jurasti Deo, & Sanctis ejus, sacramentis, ut Judas proditor malum pro bono tribuisti: ideo dignam, prout ipse Judas, damnationem, & debitam pœnam tibi datam meruisti. At Brixienses, & qui erant Mediolani exules, in dicta Civitate Brixiæ fortiùs contra Regem & exercitum ejus dimicant. Valeranus frater Regis juvenis, in armis & bellis strenuus, dum quosdam, qui exierant de Civitate hostes in fugam versos temerè prope muros insequitur, Sagilda ab Urbe missa ipsum in periculoso gulæ loco ferit: quo vulnere post paucos dies nobilis Princeps à seculo discessit. Cujus morte per Proceres intimata Regi, humiliter respondit Principibus suis: *Propter hoc natus fuit*. At Principes & milites de voluntate Regis pro nece tanti Principis irati, omnem suam virtutem moverunt, ut Civitatem debellarent; & de utraque parte facta est strages hominum. Qui non valentes intrare Civitatem, exstruxerunt in circuitu ejus munitiones, & clausa est intollerabiliter Civitas, dantes signum, longam stationem ibi Regem velle facere, cùm per famem monstraret capere Civitatem. Jam declinata erat æstas, & spatium noctis diem superabat; in afflictione gladii, & morbo laboraverant, & laborabant obsidens, & obsessus: quare mediatorem non spreverunt. Tunc ad Regem fuere Cardinales Legati, Ostiensis, Albanensis, & Lucha de Flesco, quos Summus Pontifex destinabat Romam, ubi Franciscus de Campofloris Cardinalis, & ipse eos expectabat, imposituri aureum diadema Regi. Multis rationibus, & exemplis Regi pacem suadent; eorum intercessionibus donatur vita miseris; & salvis rebus omnium, in rebelles muros fertur pœna, coronâ urbis demtâ. Attamen Rex ibi summo opere laboravit, ad debellandam inimicorum potentiam ordinem ponens. Tunc etiam paulò ante Matthæus Vicecomes in Castris multâ Gibellinorum Principum operâ, cautè obstantibus, sed frustra, Comite Philippono, & Antonio de Fixiraga, & aliis Principibus partis suæ, à Rege loco Tuschi Nicolai Vicarius factus fuerat.

CAP. X.

De eo quòd processit Januam, & de obitu Imperatricis, & de itinere, quod fecit Romam, & de multis, quæ gessit cum Rege Roberto.

At Rex in Brixia dato quantum potuit ordine, amicorum subsidio illico Papiam tendit, sed clausis foribus Urbis intrare nequivit, Comite Philippono de Langusco ibi perfidiam suam, ac perfidam contra Regem monstrante fidem, suadente Comite Sabaudiæ, prout putatur, qui in Liguria urbes principibus Guelforum subditas, quas potuit, domino suo Regi rebelles fecit. Terdonæ ergo Rex cepit iter, deinde Januam tendit, ubi summo studio interponentibus favorem suum Bernabove de Auria, & Opizone de Spinolis, & ceteris agnatis suis, partis Gibellinæ principibus, à cunctis civibus honorificè susceptus est. Ibique superveniente Bavariæ Duce, & de pluribus Italiæ partibus, & aliunde in subsidium, comitivam consumtam, ac prope perditam militiam reparavit. Verùm ibi inrecuperabile damnum tulit sanctissimæ consortis morte, cujus transitum plorant pauperes, quibus sæpissimè suis manibus ministrabat immensa; lugent magnates & proceres, quibus honores, & dignitates, atque ipsum horum datorem conciliabat Regem; lugent qui clementi intercessione reconciliati sunt, & qui reconciliandos se sperabant ejus precibus, inimici: licèt Reginæ interitus non sui causâ lugendus erat, cùm ipsa terrestrem coronam linquens transierit ad cœlestem. Januæ itaque Rex moram trahit, bona fide pacem appetens cum Rege Roberto, quam totaliter Summus Pontifex fieri procurabat. Sed Robertus Rex videns, quòd in Lombardia contra factionem suæ Guelficæ partis adventus Henrici Regis nocivus erat, qui ei nihil profuerat, omne mandatum sibi de pace per Summum Pontificem occultè sprevit, quia Johannem fratrem suum, quem promiserat honoris causâ ad ejus coronationem Romæ ei fore hilarem in occursum, ad impediendum ipsum Regem cum CCCC. equitibus destinavit, & per potentes Romanos pecuniam spargere fecit. Primùm sibi devinxit Ursinos, & alios suæ factionis Guelficæ partis, in quorum potestate erat Ecclesia Sancti Petri, ubi ab antiquo coronantur Reges; tum nequiens per pecuniam, neque subdolis verbis, neque magnis factis promissionibus propositum Columnensium mutare, quin forent fide coronando Regi constantes, debel-

bellare eos cœpit suis viribus nitens pellere ipsos ab urbe. Hæc ubi sensit Rex, Regi Roberto statim scripsit, quòd plurimùm mirabatur de hujusmodi novitate fratris sui. Qui rescripsit, quòd non miserat fratrem suum in rebellionem, nec ut obstaret coronationi suæ; sed ut ad ipsius coronationis solemnia afforet honoris causâ, asserens nullam novitatem fieri Romæ causâ sui: *imò*, inquit, *suscitata sunt inter Romanos antiquarum seditionum semina more suo*. Rex itaque nihil mali suspicans, de Janua Pisas vênit, maris iter tenens, cunctis itineribus Guelforum operâ per terram clausis. Jamque erat Annus Domini MCCCXII. ibique a Pisano populo admodum honoratus, duorum mensium spatio moram traxit, nulla contra rebelles Tuscos novitate suscepta belli. Tamdem misit duos Episcopos, qui Romanis significent de adventu ejus, præcipuè dicto Johanni, & regratientur eidem, quòd Romam vênit ad solemnia coronationis suæ; verùm amicabiliter requirant ab eo, ut ob reverentiam, & amorem sui à Columnensium obsidione recedat saltem usque ad diem coronationis suæ, cùm ipse intendat, sumto Imperiali diademate, de consilio & beneplacito fratris sui ibidem operam paci dare. Interea Rex fideles Pisas linquens, multùmque Italico milite stipatus, continuo itinere die primo Maji Viterbium vênit, multos Guelforum passus incustoditos transiens. Deinde cùm exercitus Regis adeò processisset, ut non plus XII. millibus passuum distaret ab Urbe, retulerunt Episcopi supradicti, duri atque inexorabilis responsa Johannis, mandantis, quòd licèt à principio venisset avidus exhibere reverentiam & honorem Regi, tamen postmodum, mutato proposito fratris sui, cujus mandata sequitur, nititur & ipse publicè ac potenter offendere totis viribus ipsum, & gentem ejus. Hæc verò ubi præsentibus Cardinalibus, qui secum erant, nuntiata sunt Regi, illico in plano campo castra locari jussit; deinde proximâ aurorâ diei signis canentibus, in acies vocat atque instruit gentem suam, atque irato animo tendit versùs Urbem. Nam ante Regis transitum faciendum juxta Urbem quidam locus Columnensium erat, Trepizone nominatus juxta pontem Mollem, quem super flumen Tiberis tenebant Columnenses, atque unicum in urbe transitum servabant Regi, & hostes illis diebus occupaverant, & præsidio armatorum, præcipuè sagittantium, plenum dimiserant, ut saltem volatili ferro Regis transitum impedirent. At Rex inquit militibus suis: *Locus iste rebellis in momento capi nequit, neque hic est nobis libera mora: quocumque modo per hoc iter transeundum est*. Confestim præmisso agmine peditum, dum ante sagittantis muri nimium propinquam faciem necessarium iter faciunt, celeri cursu vitare nituntur vulnera volantis ferri, ipse ceteris à tergo tutum iter servans, ultimus omnium transiit pontem. Sed cùm ad modum grandinum pluerent sagittæ, multi homines vulnerati sunt, attamen sinè periculo cædis; verùm volatile ferrum equos multos peremit, aut inutiles fecit. Ipsa die Rex plures centum Theutonicæ gentis, & Italicæ, promovit ad ordinem militarem, & sequenti die Dominico ante festum Pentecostes solemniter & honorificè intravit Romam, magnis turmis populi cum toto Clero sibi venientibus in occursum ab ipsa parte Tiberis, quam Columnenses cum suis complicibus & amicis tenent. Existente ergo Rege in palatio Papali juxta Lateranensem Ecclesiam, de consilio Sapientium præmissis protestationibus requisivit Cardinales, ut venientem diem festum Pentecostes ipsum in Ecclesia ipsa Sancti Johannis Lateranensis solemniter coronarent, ubi nulli Imperatores Imperiale sumserant diadema. Cùm hoc non videretur Cardinalibus, nisi priùs hujus novitatis causam Summus Pontifex sciens suum mitteret mandatum. Tamdem quæ gesta erant intimata Summo Pontifici, per literam Cardinalium ipsius Sancti Patris speciali mandato coronatus est Rex à dictis Cardinalibus solemniter aurea corona hoc ipso Anno die . . . . mensis Julii in Ecclesia Sancti Johannis Laterani.

CAP. XI.

De Comite Guarnerio, qui constitutus fuit à Rege Capitaneus Ligæ factæ à Gibellina factione in Lombardia.

Interea de Janua Romam properato Rege, in Lombardia à Guelforum factione suborta est seditio magna, & præparaverunt se adversùs Serenissimi Imperatoris amicos. Sed cùm his diebus inter aliquas Civitates & Terras Lombardiæ ad honorem Regalis culminis confœderatio, & societas, & Liga contracta foret, etiam per Regem firmata, Comitem Guarnerium de Humbergh Capitaneum generalem dictæ Ligæ Rex constituit; qui Comes per omnes Civitates & Terras Lombardiæ Sacri Imperii fideles literas infrascripti tenoris destinavit, & quas Modoëtiæ vidi.

Guarnerius Comes de Humbergh Sacri Imperii fidelium per Lombardiam auctoritate Regia Capitaneus generalis. Nobilibus viris Vicario, Sapientibus, & Communi de Modoëtia salutem, & omne bonum.

„ Cum inter aliquas Civitates & Terras „ Lombardiæ sit ad honorem Regalis „ culminis confœderatio, societas, & Liga „ contracta, quæ etiam per Dominum Henri- „ cum Romanorum Regem firmata est, ejus- „ que Ligæ ac fidelium omnium Imperii nos „ fecerit Capitaneum generalem: intendens „ ipse Dominus, quòd omnes Imperii fideles „ debeant dictam Ligam intrare, dans nobis „ potestatem ac bailiam præcipiendi omnibus „ Imperii fidelibus in Lombardia constitutis, „ & eos compellendi, ut intrent, secundùm „ quòd patet per Regias literas quarum tenor „ talis est.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus universis Sacro Romano subjectis Imperio, & specialiter per Lombardiam constitutis, gratiam suam & omne bonum.

„ De nobilitate sanguinis, armorum strenui- „ tate, ac experientia, nec non fide, cir- „ cumspectione, ac industria nobilis viri War- „ nerii Comitis de Homberg fidelis dilecti no- „ stri concipientes fiduciam specialem, ipsum „ in Capitaneum generalem ordinavimus Ligæ, „ confœderationis, & colligationis factarum, „ & faciendarum inter Civitates, Castra, Vil- „ las, & Burgos, nobis, & Imperio fideles, ut „ eisdem tanquam Capitaneus assistat & sit po- „ situs

„ situs ad manutenendum, defendendum, & „ conservandum, & viriliter gubernandum nostros & Imperii fideles, ac jura & honores „ nostros & Imperii, ac nostrorum fidelium „ contra quoslibet nostros & Imperii rebelles „ tenore præsentium duximus statuendum, omnem potestatem ad hoc necessariam sibi plenariè concedentes ac committentes eidem, ut „ Civitates, Castra, Villas, & Burgos, & „ alios quoscumque, qui dictam non fecerint Ligam de consilio providi viri Johannis de Cast liono Procuratoris nostri, & aliorum majorum nostrorum fidelium sibi tunc „ præsentium, si eisdem tunc videbitur expedire, requirere & citare possit, ut dictas Ligas „ & ordinationes faciant cum prædictis, & „ ipsos ad hoc per pœnas, & banna, ac mul- „ tas, & aliis viis & modis legitimis, ac etiam „ opportunis valeat exercere. Quapropter fidelitati vestræ sub obtenta favoris nostri & gratiæ præcipimus firmiter & mandamus, quatenus præfato Comiti Capitaneo nostro in „ præmissis & aliis dependentibus ab eodem, „ fideliter intendatis, & parendo efficaciter assistatis: alioquin pœnas & banna, quas idem „ Capitaneus justè tulerit in rebelles, ratas, & „ firmas habentes, ipsas faciemus contra transgressores quoslibet irremissibiliter observari, „ præsentium testimonio literarum. Data Januæ XIII. Februarii Anno Domini MCCC- „ XII. Regni verò nostri Anno IV.

„ Quare intendentes ad executionem nobis „ injunctorum, vobis Vicario, & Communi „ mandamus, pœna, & banno nostro arbitrio „ auferenda, die VIII. intrante mense Martii in „ Civitate Brixiæ ad nostram præsentiam per- „ sonaliter accedere.

CAP. XII.

De Comite, qui fecit citare Rectores & Communia Civitatum, & Terrarum Lombardiæ Sacri Imperii fideles, ut essent in Brixia.

Citati itaque Rectores, & Communia Civitatum & Terrarum Lombardiæ, & Sacri Imperii fideles, dicto termino Rectores & Syndici earum, Civitati Brixiæ applicuerunt secundùm mandatum Comitis, & concorditer & sponte celebrato parlamento, inter ipsos factâ taleâ manutenendi milites & pedites, & faciendi omnes alias expensas secundùm tempus opportunum ad Guelforum Imperatoriæ Majestatis inimicorum confusionem, videntes animum strenuissimi ac robusti viri Comitis fideliter dispositum ad omnem Serenissimi Imperatoris defensionem, & ad inimicorum destructionem, unusquisque Communi suo bonam & placibilem mittit ambaxiatam. Non mihi omne, quod gessit Comes armorum strenuitate, patet. Sed sine remissione in multis partibus Lombardiæ effudit Guelforum sanguinem, semper contra eos obtinens victoriam.

CAP. XIII.

De Comite, qui debellatus fuit Civitatem Vercellarum, & in Episcopatu Laudensis Urbis inimicorum Castra, & Terras obtinuit.

Eodem anno de mense Julii cum auxilio sibi dato à prædicta amicorum Liga debellavit Civitatem Vercellarum, & obtinuit victoriam contra Advocatos, & eorum sequaces rebelles Sacri Imperii, & capta Civitate multos cepit & interfecit. Et ibi dimisso Ricardo Tizone in dicta Civitate Gibellinæ partis principe, datis ei militum & peditum ad custodiendum Civitatem turmis, velociter Ticinum transfretavit, & Laudensi urbi applicuit, ubi Antonius de Fixiraga omnes Terras, & Castra in Episcopatu Laudensi fecerat rebelles dictæ suæ Civitatis, ad expugnandum, qui intus erant fideles Sacri Imperii; & vocavit ibi præsidium Ligæ factæ, & debellatus est Comes Terras & Castra rebellium, & in paucis diebus cepit & obtinuit munitiones eorum. Infiniti sunt interfecti, & multos captos duci fecit in Laudensibus carceribus. Illis diebus Guilielmus Cavalcabos, qui ceperat Cremonam viribus veterum illius Civitatis exulum, qui beneficio Regis facti erant Cives, cum magno exercitu militum, & peditum intravit Sonzinum, & voluit debellare arcem, quæ custodiebatur pro Comite. Et innotuit Comiti, qui equitavit cum quadringentis equitibus effectis, & intrando per arcem ad plateam Sonzini se misit, & insiluit contra inimicos, & ceciderunt illa die vulnerati, qui venerant cum Guilielmo DCCC. viri, & ipse receptis pluribus vulneribus mortuus est, & in platea Sonzini duobus diebus corpus ejus jacuit. Nemo propter metum Comitis audebat tanti viri corpus tradere sepulturæ; & facta est tribulatio magna Guelficæ parti propter violentum obitum Guilielmi. Et debellatus est Comes Terras & Oppida illis diebus in Cremonensibus partibus, quas obtinuit, & fecit stragem magnam de inimicis, neminem eorum recipiens ad misericordiam. Illis temporibus Cremona pluribus vicibus propter magnas seditiones partium capta est, facta ibi strage magna; & remansit quasi destructa: quare dicebatur: *væ tibi Cremona conscia tanti mali.*

CAP. XIV.

De rupta pontis Sancti Petri.

Sed non post multum temporis Pergamenses extrinseci Cremonenses, & ex eorum complicibus Guelficæ partis mille equites videlicet, & IV. mille pedites bene muniti, quorum caput erat terribilis miles Cremonensium Ponzinus de Ponzonibus, ad pontem Sancti Petri volendo ire ad capiendum Pergamum inordinatè applicuerunt. Lodrisius Vicecomes vir in armis, & bellis strenuus & industrius, tunc dictæ Civitatis Potestas, cum quingentis militibus electis, à Matthæo Vicecomite pro Imperatore Mediolani Vicario, pro defensione sibi missis, extra Civitatem exivit, sequente eum mille satellitum Pergamensium Gibellinæ factionis turma, & occurrit eis, & prædictos inimicos victoriosè posuit viriliter in conflictum; & ceciderunt vulnerati ex eis DCCC. virorum, multi capti, & reliqui fugerunt tulitque spolia multa.

CAP.

CAP. XV.

De Præfectis Regis Roberti expugnatis à Liga Gibellinorum, & de captione Comitis Philipponi, & Antonii de Fixiraga, & de morte Guidonis de la Turre.

EA tempestate in Tuscia, & in Lombardia Robertus Rex mandavit Præfectos suos cum exercitu magno equitum & peditum in præsidio Guelforum ad expugnandum virtutem Imperatoris, & omnem factionem Gibellinorum; nam juxta quod ordinatum fuit illis diebus in Parlamento Mediolani celebrato à liga Gibellinorum Lombardiæ cum Comite Guarnerio, sic viriliter processum est contra Senescalcum, quem Robertus Rex miserat in Lombardiam, & contra alios suæ factionis rebelles Imperii, qui semper post obtentum prima die contra ipsos victoriam, & ruptam & fugam ipsorum cunctis sunt oppressionibus vallati, & sic eorum audaciæ contrita cornua. Capti sunt eo tempore juxta Placentiam, qui ibant cum quampluribus militibus ad contexendam proditionem dictæ Civitatis cum sua factione. Comes Philippo de Langusco, & Antonius de Fixiraga, in quibus tota Ligurum opinio erravit, contra Imperatorem, partialibus studiis dediti & obstinati, Mediolanum ducti, in viribus Matthæi carcerati sunt. Guido de la Turre infirmatus in Civitate Cremonæ moritur. Francischinus, Simoninus, & ceteri filii Guidonis cum Castono Archiepiscopo Mediolani, & quasi omnes potentes Turrianæ dominationis in Papia consistunt. Ibi cum sua Guelforum collectione contra Matthæum, & contra Gibellinam factionem crebrè ad pugnam vel ad proditionem se mittunt; sed semper in eorum damnum.

CAP. XVI.

De recessu Comitis Guarnerii.

DEnique jam curso Anno Domini MCCCXIII. facta per Comitem Guarnerium in Lombardia Guelforum magna ultione, in superbiam elatus, injustè magna Matthæo, pro Imperatore Mediolani Vicario, petens, à quo obtinere non valuit, iratus discorditer in Alamanniam ivit. Tunc Matthæus misit Galeatium, Marcum, & Luchinum, & alios suos Præfectos, inter quos præcipuè fidelem de Garbagnate Franciscum, quemlibet eorum pro Capitaneo sui & exercitus in omni tempore & loco opportuno ad expugnandam inimicorum virtutem.

CAP. XVII.

De adventu illorum de la Turre ad Burgum de Legnano.

POrrò Franceschinus de la Turre, & ceteri alii suæ partis amici petierunt auxilium de quingentis militibus Roberto Regi, & notificaverunt ei, quòd intrarent super Comitatum Mediolani, & ibi magna collectio amicorum Civitatis, & Comitatus cum eis fieret, & intrarent Civitatem. Qui misit eis unum de Præfectis suis & milites DCCC. qui habentes Ricardinum Comitem in Papia Guelforum Principem, & Papiensium militum, & peditum, comitivam secum in præsidio, super Comitatum

A ad Burgum de Legniano applicuerunt. At Matthæus contra eos ibi suum misit exercitum. De novo post recessum Comitis Guarnerii venerat ad stipendia Matthæi quidam Theutonicus, nomine Comes de Salibrum, habens in suo agmine quingentos equites electos. Hic contra mandatum Matthæi & Principum exercitus ejus, cum suis insiluit in inimicos; & captus est Comes, & ceteri sui capti, aut mortui. Sed Matthæus, cùm paucos haberet stipendiarios, proditionem hujus nominati viri timuit, & habito consilio minas mortis, & postea magna promissa Comiti Philippono, quem habebat incarceratum, fieri jussit; qui secundùm voluntatem Matthæi manu propria scripsit Comiti Ricardino filio suo in hunc modum: *Fili, non repu-*

B *diando mandatum patris, qui plura te novit, sinè mora visis præsentibus recede cum Papiensibus ab exercitu, & quæres salutem patri tuo, & tibi. Alioquin habebunt pater suum pessimum, & filii velocem indubitanter finem.* Qui per noctem in silentio recessit. Qui venerant ex parte Regis recessum Papiensium timuerunt, videntes non fore eis succursum, prout intimatum erat Regi, non violenter, sed ad modum osculi pacis à facie exercitus Matthæi recesserunt. Illi de la Turre mœsti in Papiam sunt reversi.

CAP. XVIII.

C *De obitu Imperatoris, & de Ludovico Duce Baveriæ, qui electus est Romanorum Rex.*

SEd quia mihi difficillimum est veritatem scire, quia raro refertur verum, & specialiter à longe, non scribo magna, quæ ab Imperatore post suam Coronationem in Roma, & in Tuscia parabantur agenda adversùs Regem Robertum. Sed hoc Anno Domini MCCCXIII. ipse Imperator noster in Tuscia ad Bonconventum infirmatur, prout refertur; alii dicunt per fluxum ventris, alii ex veneno à quodam Religioso cum Eucharistia sibi dato, die X. Kalendas Septembris, spiritum Deo reddidit; & mi-

D rabiliter factis magnis obsequiis, ibi summo studio suum posse interponentibus ac scire Pisanis, honorificè & mirabili modo cum digno honore in Civitate Pisana ejus corpus humatum est. Proceres & Barones cum suis gentibus post tantam solemnitatem honoris humati corporis domini sui Imperatoris, sinè dilatione ad patriam suam salvo itinere equitaverunt. Porrò eo ipso anno die XXV. mensis Octobris Ludovicus Rex Bavariæ electus est rectè & solemniter Rex Romanorum per Electores.

CAP. XIX.

E *De Marco Matthæi filio, qui cepit Tertonam, & aliis gestis.*

MArcus verò Matthæi filius, in armis & bellis vir industriæ, factus est Capitaneus. Hic manu armata intravit Terdonam Civitatem die Dominico primo Decembris dicti anni. Illis diebus fames magna facta est valde. Et factum est, ut Guelfi post obitum Imperatoris tunc ferè per totam Italiam, suum interponente favorem Rege Roberto, qui erat de parte Guelfica, bella moverint adversùs Imperatoriæ Majestatis amicos; qui viriliter se defendebant debellando contra illos, & eis res bene gestæ fuere. Illis temporibus Matthæus non modico

dico labore debellatus est Turrianam domum, quæ cum suis viribus in Papia erat. Cui magnum contulit damnum tam de morte, quàm de captione, & spoliatione in pluribus partibus juxta Papiam, & in Episcopatu, & ubicumque illic in Terris & Castris erat illa Guelfica factio, non modicum adjuvante industria, & in armis strenuitate velocissimi ac robusti viri, sui fidelissimi, Francisci de Garbagnate, quem constituerat principem militiæ. Qui juxta Mortariam conflictum dedit, & in ore gladii percussit Gonfredum de la Turre totius suæ domus Ducem, in armis & bellis industrium, & qui cum eo erant congregati multi in exercitu Guelficæ factionis. Et ille conflictus induxit prædictos de la Turre ad velocem ultimum finem suæ destructionis; quia Anno Domini MCCCXV. proximi sequentis die VI. mensis Octobris per silentium noctis à parte versùs Ticinum capta fuit Papia per Stephanum filium minorem Matthæi, habentem secum in agmine prædictum Franciscum cum quingentis militibus. Et ibi cecidit gladio Comes Ricardinus de Langusco filius Comitis Philipponi, qui viriliter se miserat ad defensionem Civitatis. Et capti fuere Amoratus, & Guidetus duo filii quondam Guidonis de la Turre, & abiatici Comitis Philipponi, & multi alii. Inde expulsa Gelfica factio, & Mussus de Becharia, & agnati cum certis Gibellinæ factionis, qui erant dictæ Civitatis exules, merito Matthæi facti sunt cives. Ibi Matthæus juxta portam dictæ Civitatis, per quam venitur Mediolanum, fecit ædificare mirabile, pulchrum, & forte Castrum suo nomine per multa tempora custoditum.

CAP. XX.

De Uguzzono Capitaneo populi Pisæ, qui dedit conflictum Guelfis Florentiæ seu Tusciæ.

PORrò dicto Anno die XXVI. dicti mensis Octobris, Uguzonus de la Faxola Capitaneus populi Pisæ dedit conflictum Guelfis Florentiæ seu Tusciæ juxta Montem Catinum. Ibi mortuus est Carolus, juvenis in armis, & bellis industrius, nepos Regis Roberti, & Petrus Tempesta frater dicti Regis, cujus corpus numquam inventum fuit: & hæc conflictio fuit maxima destructio Guelforum de Tuscia. At Matthæus habitis literis gaudii hujus victoriæ ab Uguzzono, mandavit quemdam suum domicellum Comiti Philippono, quem tenebat in turre juxta domum dominationis suæ incarceratum, qui ei dixit: *Quomodo est vobis, Comes de talibus novitatibus, quæ gesta sunt in Tuscia?* Et narravit ei per ordinem, quæ gesta erant. Et Comes respondit. *Hæc nova valde mihi placent, quia in primis Robertus Rex vix voluit esse fidejussor chartæ, nunc autem constitutus est in totum principalis debitor.* Cùmque Domicellus hæc retulisset coram, ubi plures erant, Matthæo, antequam ullus locutus fuisset ad hujus responsionem, Matthæus silentium posuit. Certè hæc responsio Comitis nota fuit Matthæo, & verum apparuit; quia dum vixit Rex, in Tuscia & in Lombardia contra omnem Gibellinam factionem tenuit gladium suum, & maximè contra Matthæum; Illis verò temporibus in Tuscia prœlia multa gesta fuere, quæ à mente mea aliena sunt.

A

CAP. XXI.

De Marco Vicecomite, & Gilberto de Corrigio, & Cane de la Scala.

EOdem verò Anno de mense Novembris Marcus Vicecomes vi armorum intravit Alexandriam. Anno Domini MCCCXVI. Gibertus de Corrigia expulsus fuit de Parma per potentes, & populum Parmæ: quod fuit honor & victoria Matthæi, & amicorum ejus, cùm multas gessisset malitias contra Matthæum in servitutem Guelficæ partis. Tunc temporis Galeaz Matthæi primogenitus erat Placentiæ Dominus, quam ante biennium ceperat. Johannes ejus tertius filius Ordinarius Ecclesiæ Mediolanensis, & Domini Papæ Capellanus. Anno Domini MCCCXVII. die XXII. Maji Paduani cum Vicentinis extrinsecis, & eorum complicibus equites videlicet MD. & pedites bene muniti, Burgum Biricæ Civitatis Vincentiæ hora matutinarum furtivè sub silentio intraverunt; & cùm viribus conarentur Civitatem intrare prædictam, Canis Grandis de la Scala portam Biricæ contra prædictos aperiri fecit, & prædictos inimicos victoriosè gentes dicti Canis posuere viriliter in conflictum, quorum major pars mortua exstitit, & in ejus carceribus mancipata.

B

C

CAP. XXII.

De litera missa à Matthæo, quòd non debeat vocari Vicarius Imperii.

AT Matthæus, prout fertur, ubi notum habuit electionem factam de Ludovico Duce Bavariæ, qui foret Romanorum Rex, non esse placibilem Synodo Sanctæ Matris Ecclesiæ: Ideo sub Imperiali titulo noluit tenere primatum, sed sub communi populi electione voluit vocari Mediolani, & districtus Princeps. Illis verò temporibus ipse Matthæus non modico labore sui, & amicorum ejus, factis magnis oppressionibus pecuniarum subditis suis, sicut sunt fodra, talea quatuor vicibus in anno solvenda, & magna onera hominum, qui mittebantur quasi per medietatem anni, ad exercitum, misit filios, & principes suos cum magna multitudine militum & peditum, & cum eis scalas, balistas, & machinas, ad expugnandum per Lombardiam Guelforum Civitates, Terras, & oppida. Qui ceperunt eas, & obtinuerunt monitiones earum, & captos tenuerunt, interfecerunt, & expulerunt inde inimicos, & in manibus amicorum eas tradiderunt. Et exaltati sunt amici Matthæi; qui autem fuerunt proditores, & accipere de principatu Mediolani nitebantur, & exulem eum fecere, captos in Mediolano duci fecit, & eos incarceravit. Hi fuere de Civitate Vercellarum Simonus Advocatus; de Novaria Gullotus Bruxatus; de Papia Comes Philipponus, de Laude Antonius de Fixiraga, de Placentia Albertus Scotus. Sic de Pergamo, & de Cumis, & multi alii, quorum nullus remansit, qui in fortia Matthæi non fuerit. Et exaltatum est nomen ejus, & amplificata ejus dominatio, cum magnis expensis, & laboribus suorum subditorum & amicorum, semper inimicos debellando, cùm sæpiùs Terras, & Castra discederent à potestate ipsius Matthæi, & rebellarent. Magnæ ordinatæ pulchræ comestiones & potationes magnatibus, & populis. In ejus Curia fuere de nobilibus Mediolani Civibus

D

E

vibus XX. collaterales ; & LXXX. domicelli ei erant ; bis in anno ab eo honorificè induebantur ; equi in magna multitudine ; & familiam pulchram possidebat. Quatuor filios masculos magnificè in matrimonio copulavit, & quilibet eorum Civitatum primatum tenuit: videlicet Galeaz primogenitus Placentiam & Cremonam ; Marcus Terdonam & Alexandriam ; Luchinus Papiam & Vogeriam ; Stephanus junior Vercellas & Novariam. Quintum verò filium scilicet Johannem, cum honore ad ordinem Clericalem promoveri fecit. Et dilatata est ejus gloria, sed labor certaminis numquam ei, nec subditis suis cessavit. Et quia jam senuerat, datæ sunt parvæ puellæ ad calefaciendum eum ; qui & aliquando quærebat magnas ætate causâ commiscendi, sed prout puto ægrè. Illo verò tempore Turrianæ domus potentes post laborem requiem accepere in Foro-Julii, ubi Paganus de la Turre, ipso existente Paduano Episcopo, factus fuerat ab Apostolica Sede Patriarcha per obitum Castoni de la Turre, qui cùm esset Archiepiscopus Mediolani, electus fuerat à Summo Pontifice in Patriarcham, ipso existente exule in Florentia, & ibi habitis literis Apostolicis tantæ dignitatis, volendo facere solemnia, equitando per Florentiam equus se erexit, & reversus cadendo eum soffocavit, & mortuus est. Tota Turriana domus ibi vitam petiit, ubi Raymundus de la Turre annis præ dictis primus Patriarcha fuit, & illico tam divitiis, quàm amicis totam suam domum decoravit illius prudentia.

CAP. XXIII.

De Ugone de Balzio Præfecto Regis Roberti victo à Luchino filio Matthæi in Alexandria.

EA tempestate Robertus Rex misit unum de Præfectis suis, nomine Ugonem de Balzio virum bellicosum & fortem cum quingentis de Provincia militibus in Lombardiam in præsidium Guelforum ad debellandum Matthæum & amicos ejus. Qui receptus fuit in tertia parte Alexandriæ, scilicet in Burgo de Bergolio, qui tenebatur à Guelfica factione; reliqua verò pars Terræ custodiebatur à Gibellinis. Et equitavit Luchinus Matthæi filius cum CCCC. militibus Teutonicis ibi. Erat autem inter eos flumen, quod Tanerus dicitur, supra quod erat pons. At Ugo cum suis audacter transivit pontem; Luchinus autem occurrit ei, & percussit eum, & multos quoque cum eo, & reliqui fugerunt. Luchinus verò corpus Ugonis à plerisque militibus de nigro indutis cum magnis honoribus jussit portari in Bergolium ; sed parvo post tempore totam integraliter Alexandriam unà cum Terdona Marcus obtinuit.

CAP. XXIV.

De Rege Roberto obsesso in Janua.

POrrò Anno Domini MCCCXIX. Robertus Rex audiens res adversas fore Præfectis suis, quos in Lombardiam miserat, contristatus est, & ita motus mare transfretans cum gladio suo ad Civitatem Januæ applicuit. Bernabos de Auria, & Obizo Spinola principes partis Gibellinæ dictæ Civitatis illis diebus, quia laboraverant invicem in magnis seditionibus, erant exules facti ; sed ad pacem reducti Mediolanum venerunt, & honores & dona magna Matthæo fecere cum humilibus precibus rogando, quòd suum ferret eis auxilium, pro quo eis non erat dubium, quòd non intrarent cum victoria in Januam. Quo habito à plerisque Mediolani civibus suis amicis consilio, & præcipuè à Francisco de Garbagnate, cui à Januensibus jam facta erat pecuniarum promissio, ut in eorum favorem Matthæo consuleret. In primis Stephanum minorem filium suum cum quingentis militibus eis in auxilium ad obsidendum Januam mandavit. Post quem elapsis pluribus mensibus, recesso Stephano, quem petierunt, alium filium Marcum, virum in armis & bellis industrium, cum mille quingentis militibus electis in eorum præsidio destinavit. Qui in paucis diebus burgum de Besagnio, quem tenebat Rex, viriliter pugnando cepit & obtinuit. Propterea facto Pisanorum & Savonensium Januensibus cum Marco navium armatarum auxilio, veloci apparatu per mare & per terram obsessus est Rex in Janua, & clausa est ita Civitas pluribus mensibus, & defecerunt victualia in Civitate, adeò ut qui intus erant perirent fame ; & timuit Rex. Illis diebus duæ naves grossæ, omnique victualia fornitæ, quæ veniebant de Apulia ituræ Januam, propter quod intellexerant obsidionem Civitatis, timebant navigare. Cùm starent, quæ cuncta lædit, scilicet fortuna cunctorum domina. Boreis imperavit, qui terribili judicio moverunt ab obsidione naves, velaque confregerunt, & constricta itinera sparsè infinitis millibus passuum in mare fecerunt, & contra navigantium posse ambæ naves fortuna volente eâdem horâ ad portum Januæ deductæ sunt. & delectatus est Rex in adventu earum, & dimisso armatorum præsidio, sinè mora per mare in Apuliam reversus est. Tunc Marcus, & qui cum eo erant, fornitam esse Civitatem cognoverunt, & ab assedio recesserunt. Sed gravè tulit Rex, quòd pro virtute Matthæi staret obsessus in Janua, sicut in brevi apparuit.

CAP. XXV.

De thesauro Ecclesiæ Sancti Johannis in Modoëtia, pignerato per longa tempora, qui favore Matthæi exactus est, & portatus ad locum suum.

INterea Matthæus summo studio, suo interponente favore, partem thesauri Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ de Modoëtia scilicet coronas aureas, calices aureos, & alia jocalia margaritis & lapidibus pretiosis ornata, quæ omnia per XLVI. annis proximis præteritis extiterant impegnata per illos de la Turre, dicto anno die XXII. mensis Decembris exigi fecit, quæ Matthæus ipse in vigilia Natalis Domini super Altare Sancti Johannis Baptistæ propriis manibus in Modoëtia prædicta jocalia genuflexo cum devotione deposuit, & præcepit Canonicis, prout animam diligenter custodirent thesaurum Sancti Johannis : quæ æstimata fuerunt esse valoris XXVI. millium florenorum auri.

CAP. XXVI.

De Philippo de Valois, qui de Francia venit in Lombardiam usque Vercellas.

POrrò Anno Domini MCCCXX. Philippus de Valoix habens secum mille ducentum milites, prout putatur, pro consilio & favore Re-

Regis Roberti, operantibus promissis ipso Philippo factis per Papam Johannem XXII. qui pro industria dicti Regis, favebat Guelficæ factioni, de Francia secedens volens facere sibi nomen magnum, in Lombardiam vênit, & die II. mensis Augusti dicti anni ad Civitatem Vercellarum applicuit. In diebus illis Advocati cum sua Guelfica factione expugnabant fortilitia in dicta Civitate; & qui intus erant Tizoni cum sua Gibellina parte amici Matthæi se viriliter defendebant. Tunc Matthæus vocavit undique partes de Lombardia amicas, & elegit duos filios suos, videlicet Galeatium Principem Placentiæ, & Marcum virum bellicosum, & cum eis XL. millia peditum, & quinque millia equitum, ut irent obviam Philippo; qui juxta Civitatem Vercellarum in glera Sargii se posuerunt. Videns autem Philippus magnitudinem & potentiam Matthæi, conferre voluit cum Galeatio verba pacifica, & facti sunt amici, & invicem dona magna largiti sunt. His itaque peractis die XXIII. dicti mensis Augusti inde recessit, & in Franciam iter cepit, & nuntiavit proceribus & Baronibus gloriam Matthæi & claritatem in auro & argento, & apparatum copiosum, & obstupuerunt. Et nuntiata sunt verba ista, & gloria Matthæi Roberto Regi, & iratus est ira magna.

A

CAP. XXVII.

De Raymundo de Cardona conflicto à Marco juxta Basignanam.

SEd post annum constituit Rex ipse Raymundum de Cardona ducem, & exercitum equitum & peditum dedit illi, & mandavit illi movere castra contra faciem Matthæi in Lombardia, & cœpit irritare plebem, & conculcare Terras Lombardiæ, & conculcare populum, & captivare, & interficere. Et vocavit Matthæus Marcum filium suum, virum in armis strenuum, & in bellis aggredi jussit pugnam pro gente nostra, & pro amicis nostris: *auxilium verò, inquit, de Cœlo tecum sit*. Et elegit de Mediolano & de ceteris suis Lombardiæ amicis X. mille virorum belligerorum & equites; & profecti sunt juxta Basignianam ultra Padum flumen magnum ad Raymundum. Et exclamaverunt tubis, & in fugam conversus est Raymundus, & exercitus ejus, & ceciderunt ex eis vulnerati multi; ceteri autem fugerunt, tuleruntque spolia multa, & reversus est Marcus, & exercitus ejus in Mediolano cum victoria, & præcurrens quidam nuntiavit Regi, quia contritus est Raymundus, & exercitus ejus à facie Marci, & doluit.

B

Explicit Liber Secundus.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Præfatio.

Deus autem, qui precibus & meritis Sanctorum ejus Johannis Baptistæ, & Ambrosii Confessoris, liberavit populum suum Lombardiæ, reddidit hereditatem omnibus, & Consulatum, & Sacerdotium, & significationem, sicut promisit, cùm conversus fuerit thesaurus Sancto Johanni patrono & defensori suo, speravimus citò, quòd nostri miserebitur, & congregabit nos in unum, & visitabimus secundùm promissionem locum suum sanctum in Modoëtia situm. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum à maledictis purgavit. De Galeatio verò Vicecomite, & fratribus ejus, & de Sancti Templi jocaliorum restitutione, & de murorum novorum & veterum restauratorum ornatu Ambrosianæ urbis, & nobilis Terræ Modoëtiæ; sed & de prœliis, quæ pertinent ad Papam Johannem XXII. ad Romanum Imperatorem, & ad Robertum Regem; & de miraculis, signis, & virtutibus, quæ de Cœlo facta sunt ad eos, qui pro defensione patriæ Lombardorum pugnaverunt, ita ut universam regionem Lombardiæ, cùm pauci essent, vindicarent; & diversam & extraneam barbarorum multitudinem fugarent, & famosissimum Italiæ Templum cum pretioso ejus thesauro recuperarent; & Civitatem Mediolanensem Sanctorum Corporum gubernatricem, & Terram de Modoëtia, in qua est ædificatum Sacrum Templum, liberarent; ut leges justitiæ, quæ abolitæ erant, restituerent, Domino cum omni tranquillitate, propitio facto illis: putavi breviter uno volumine Historiam compilare, non pingendo, prout posset responderi postulanti, in qua parte Beatus Georgius percussit Draconem scilicet ubi placuit pictori; sed illa, quæ oculata fide, aut discretorum virorum relatione didici, cum veritate scribendo. Et curavi quidem volentibus legere, ut esset animi oblectatio, studiosis verò, ut facilè possint memoriæ commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et interim quidem ipse, qui opus hoc instruendi causâ suscepi, non facilem laborem, immo magnum fesso animo negotium assumsi, sicut apothecarius, qui præparat diversas confectiones bonas, & quærit aliorum voluntati, non verò saluti parare, propter discretorum gratiam voluntariè laborem sustineo. Congruit Auctori brevitatem veræ dictionis sectari, & executiones rerum vitare brevitati consulendo. Hinc igitur narrationem incipiemus, & de præfatione Tertii Libri nostræ Historiæ hæc dixisse sufficiat.

CAP. II.

De Matthæo Vicecomite Principe Mediolani, qui citatus fuit à Summo Pontifice, & de ipsius morte, & de Galeatio ejus filio, qui cepit Principatum Mediolani post ejus obitum.

Igitur cùm nominata Civitas Mediolani, & nobilis fructifera Terra Modoëtiæ, & major pars Civitatum, & Terrarum Lombardiæ gubernarentur sub protectione Matthæi, & principatu, & filiorum præsidio, Robertus Rex, postquam de obsedio in Janua sibi facto evasit, contra Matthæum, magnis ejus precibus; & quorumlibet, quos habebat in Curia Romana, amicorum intercessionibus, Summum Pontificem sollicitare cœpit; quasi Matthæus à multis de Lombardia Guelficæ factionis, cum consilio & favore dicti Regis, dicto Summo Pontifici accusatus esset de pessimis criminibus, & de hæresi, licèt non foret noxius. Citatus ergo fuit, quòd comparere deberet personaliter in Curia coram Domino Papa, vel ejus Vicario; qui allegationes & defensiones suas per solemnes Procuratores & Ambaxiatores in Curia mandavit. Sed ipsis non intellectis in fine tamquam hæreticus, & S. Matri Ecclesiæ inobediens, excommunicatur, & in Civitate Mediolani, & in Comitatu interdictum Papa posuit. Jamque erat Annus Domini MCCCXXII. Porrò gentes finitimæ præ timore titubabant in verbis; & cùm sententia Pastoris sit timenda, quasi totus populus ajebat: *Princeps noster sinè dilatione accipiat cum Ecclesia concordiam*. Et nuntiata sunt Matthæo verba hæc; qui habito magnatum Civitatis consilio, duodecim nobiles Cives, inter quos fuere Franzinus Vicecomes Doctor Legum, Guilielmus de Pusterla, & Guilielmus de Casate milites, Lucha Crivellus, & Franciscus de Garbagnate, Ambaxiatores misit ad Summum Pontificem dicto anno per duas vices. Qui in secunda vice pacta pacis, & veniæ de conscientia Matthæi, prout dicitur, à Summo Pontifice accepere, promittendo quòd ipse Matthæus remitteret principatum Mediolani secundùm voluntatem Summi Pontificis. Qui Matthæus, antequam dicti Ambaxiatores reversi essent de Curia, ex devotione secundùm suam bonam consuetudinem dicto anno in festo Sancti Johannis Baptistæ ad visitandum Sanctum Oraculum ejus in Modoëtiam vênit. Appropinquaverunt autem dies ejus, ut moreretur. Sequenti die infirmato corpore de Modoëtia recessit, & ad Monasterium de Carsenzago, quod per tria milliaria longè à Mediolano adest, equitavit; & ibi filiis suis locutus de occulta pace Ecclesiæ, pulcherrimis mandatis eos admonuit. Et die tertia in senectute bona in dicto Monasterio diem clausit extremum. Quinque prudentes, magnanimos, & nobiles filios dimisit; videlicet Geleatium, Marcum, Luchinum, Stephanum, nobiliter uxoratos, & Johannem Clericum, qui per XIV. dies mortem patris occultavere, facientes secundùm consuetudinem per singulum diem intrare superadstantes familiares cum paratis escis ægri, & Medicos in cameram ad cubiculum defuncti. Eodem

dem verò tempore Vergiussius de Lando Civitatis Placentiæ Gibellinæ factionis primus, ex odio extra dictam Civitatem exul stabat, quia Galeaz Matthæi primogenitus dictæ Civitatis pro sua strenuitate Princeps factus multo tempore, ipso existente ad quamdam suam villulam, nomine Rivaltam, pro Bianchina miræ pulchritudinis uxore sua pluries miserat, quòd ad sui veniret præsentiam, prout dicitur, eam carnaliter cognoscere volens. Quæ multarum nobilium mulierum, & agnatorum juvenum choro sociata, coram Galeatio secundùm mandatum multoties festinavit. Cui Galeaz non celati amoris ardens inquit: *Non ita sociata quòd venires pro te misi*. Et illa roseo colore vultum habens perfusum, suis nitentibus oculis more mulierum amorosis indicans signis Galeatio inquit: *Intelligo vos, Domine mi: aliàs vestram videbo faciem*. Reversa domum paratis equis confestim ad villam equitavit, & viro verba Galeatii intimavit; ob quam causam Vergiusius cum Galeatio inimicitiam contrahens, sponte factus est exul, etiam quia superbum principatum Galeatii ægrè ferebat, cùm desideraret ipse in urbe regnare. At Galeaz illis diebus, quibus pater infirmabatur, cùm intellexisset eum infirmum, convocavit nobiles Placentiæ, & ait: *Me oportet ad Mediolanensem equitare Civitatem, ut colloquium habeam cum Sapientissimo illius Civitatis Principe genitore meo. Noscere potestis multa, quæ circa illum habentur. Dimitto vobis Civitatem Placentinam, pacatam, & nullam Terram, Oppidum, Fortilitiam Episcopatus ejus rebellem. Azo filius meus, & Civitas cum ejus districtu, Carissimi, in fortiâ, & in vestri custodia sunt. Sed cùm noveritis Vergiusium de Lando solummodo pro sua superbia exulem stare, & insidias ad Civitatem ponere, moneo & supplico, fiduciam & spem, quam habeo in personam quorumlibet vestrum, cùm non dimittam nisi centum milites ad custodiam istius nostræ Civitatis, ante totum dimittatis Episcopatum à quolibet adversario deprimi, quàm Civitatem à militum custodia derelinqui*. Tunc Manfredus de Lando Principi inquit: *Domine quòcumque vis perge cum Dei gratia: qui sunt hìc, tuum quod sumserunt consilium, fideliter observabunt, ad alia majora in quocumque loco tibi opportuno, parati tuum adimplere mandatum*. Et hoc dictum ceteri firmaverunt. Et Galeaz ad responsa suorum civium gratias cum præmissis bonis egit; & confestim ad Urbem Mediolani vênit, & maximè causâ avertendi cor patris, ne ad supradictâ pacta per Ambaxiatores cum summo Pontifice facta consentiret. Sed mortuo patre vocavit sinè dilatione amicos undique, & fortificatus est armatorum præsidio, qui congregato generali Consilio de populo Mediolani die XVI. post obitum patris Dominum perpetuum Urbis Ambrosianæ se fecit fieri. Porrò Ambaxiatores illis diebus revertebantur de Curia Romana cum pactis, & cùm de mandato Galeatii portum Ticini ablatum foret; transire nequierunt. Auditis quæ in Mediolano gesta erant, mœsti ipsa die ad Civitatem Novariæ sunt reversi. Et facta est indignatio magna in Magnatibus Mediolani civibus, & inter epulas & pocula maledicebant Galeatio, clamante Lodrisio Vicecomite, qui erat ei contra: *Quis est Galeaz, ut serviamus ei?* Et posuerunt insidias adversùs eum.

CAP. III.

De magno vaticinio cujusdam Modoëtiensis, & de signis cœlestibus super Terram Modoëtiæ.

SEd quia post obitum Matthæi formido, & laqueus Modoëtiensibus vaticinatus, & contritio facta est, dicam vaticinium unius hominis parvi, qui dicebatur Rubeus de Serginio, qui veteres subtillares aptabat, quasi omnibus de Modoëtia motus. Hic suprascriptus duobus annis proximis ferè omni die præconia voce dicebat: *Gens super gentem veniet. Rex Robertus, & Papa Johannes mittent de diversis partibus extraneam gentem, & conculcabunt Terram istam, & dicetis: Servi dominati sunt nostri; tuleruntque spolia multa. Non portabitis panem de Clibano, neque cacabum, nec lebetem cum escis de coquinis sinè lancea & clypeo vestro. Fiet ergo cædes juvenum, ac seniorum, mulierum, virginumque pollutio, & parvuli vestri in captivitate ducentur. Erunt autem illis diebus interfecti multi, & capti, & non erit qui redimat de manu eorum*; sed cùm multi dicerent: *O Rubee, quis tibi dixit hæc?* Respondebat: *Admirabilis homo, & illius imaginem figurare nescio*.

Eodem tempore Papa contra Mediolanum profectionem paravit in Avignione. Contigit autem per universam Terram de Modoëtia videri una die per aëra innumerabilia capita nigra, alba, & rubea hominum discurrentia, vela alba in frontibus eorum ligata habentia; & hastæ quasi cohortes armatæ audiebantur moveri, & congressiones, & livoramenta fieri cum scutorum motione, & galeatorum multitudine, gladiis constrictis, sonitus etiam telorum jactus, omnisque generis armorum. Quapropter omnes cum pavore dicebant, in malum monstra converti. Eâdem verò horâ sapiens, religiosus, & plenus dierum vir de Modoëtia Gaëmundus Burganus Magister Hospitalis Beati Girardi, & plures alii erant juxta portam sediminis dicti Hospitalis; qui Magister tunc, & me Scriptore præsente, ait: *Ista verè cœlestia signa indicant ex ore Rubei nostri propheticum sermonem exisse*: quod ita probatum fuit.

CAP. IV.

De Azone filio Galeatii expulso de Placentia.

POrrò cùm rumor exisset in Curia Romana, quòd Matthæus de vita exisset, & Galeaz Mediolani principatum cepisset, Papa ad Legatum Cardinalem nomine Beltrandum, virum ferocem, quem mandaverat pluribus mensibus jam elapsis in Lombardia causâ agendi contra Matthæum; & cum quo jam Ambaxiatores supradicti colloquium habuerant; & prout refertur, multi de ipsis sub dolo singulariter, nesciente uno de alio, dominandi Civitatem dederant intentum; quare contra Galeaz solliciti fuere: misit, ut collectionem militum & peditum faceret, & expugnaret Mediolani rebelles Ecclesiæ. Qui militum ac peditum magna congregata multitudine existentium ad Terram de Varentia, & assumtis Vergiusius de Lando à dicto Legato non minus IV. millibus equitum cùm proditionem contexuisset cum Manfredo de Lando, qui L. equites secum duxerat extra Civitatem Placentiæ, usque ad Castrum Sancti Johan-

Johannis, quod finxit contra Vergiusium custodire, taliter decipiendo Azonem, & faciendo contra promissa per eum Galeatio facta: Ipse Vergiusius repente per noctem, & quia præforata fuit à proditoribus Urbis Corona, ingressus est Placentiam Civitatem, & eâ potitus est. Tamen salvus factus est Azo equitando cum XII. militibus tantùm Florenzolam, quæ per X. milliaria longè à Civitate abest; quia proditores, & qui intraverant rixando moram fecerunt ad recolligendam infinitam pecuniam, quæ nobilis & prudens Beatrix ad liberationem filii sui Azonis cautissimè à palatio, ubi morabatur, per terram spargere fecerat, quæ nobilis Marchisa paucâ tractâ morâ, licèt in pluribus foret molestata, honorificè fuit sociata.

CAP. V.

De literis missis in Modoëtia & alio per Galeatium occasione amissionis Placentiæ, & de consilio dato in Modoëtia super dictis literis à Johanne Morigia in dicta Terra Gibellinæ partis primo; & de contentione facta in dicta Terra in ipsam Gibellinam factionem.

TUnc Galeaz per Lombardiam amicis suis literas exultationis irritas, quòd non formidarent de amissione Civitatis Placentiæ mandavit, & in Modoëtiam duas, videlicet unam Johanni Morigiæ intimo quondam bonæ memoriæ patris sui, & in dicta Terra Gibellinæ factionis excelsiori; cujus tenor talis erat: *Galeaz Vicecomes &c. carissime, conforta amicos nostros in bonis; omne odium ab eis abscissum sit; cum unitate maneant in dilectione, & non paveant pro Placentina Civitate, quam proditoriè amisimus, quia Deo dante cum unitate amicorum, citò eam recuperabimus, & majora.* Suprascriptio literæ hæc erat: *Dilecto Johanni Morigiæ Modoëtiæ.* Alia infrascripti tenoris erat: *Galeaz Vicecomes Dominus Mediolani &c. Hortamur vos ad dimittendum omne odium, & in vera dilectione, & concordia velitis permanere; non formident corda vestra pro Placentina Civitate, quam amisimus proditoriè, quia Deo dante per unitatem vestram, & aliorum amicorum citò eam, & alia majora recuperabimus. Bene valete.* Suprascriptio literæ hæc: *Potestati, Procuratoribus, Sapientibus, Consilio, & Communi Modoëtiæ, amicis carissimis.*

Porrò congregato in domo regiminis amicorum Gibellinæ partis Consilio, præsente me Scriptore, prædictæ literæ ibi lectæ fuerunt. Tunc in dicto Consilio surrexit vir prudens & famosus, dictus Johannes Morigia, & ait: *Ingratitudo, quæ est omnium bonorum exstirpatio, in nobis esse non debet. Cùm receperimus à Principe nostro Galeaz tales sanctas admonitiones, prout in mandato suarum literarum continetur, sic ut audivistis legere: ideo animus vester debet flecti ad humilitatem, dimittere odium, & manere in dilectione, ita quòd vera amicitia, & vera unitas in nobis existat. Si hoc fecerimus, auxilium nobis de Cœlo veniet; fortificabimus nos, & Principem nostrum; inimici subjacebunt unitati nostræ; dilectio Dei, & Principis nostri stabit super nos. Ego quidem in medio vestrum, & aliorum amicorum, non ut major, sed ut junior esse volo, ministrando à majori usque ad minorem. Sic hortor & vos facere, ut possimus simul in vera concordia manere, & sic augebimus res nostras, prout ait Salustius: Nam concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ verò maximæ dilabuntur. Nam si contra fecerimus, quod Deus non velit, nobis erit, prout Dominus in Evangelio, ait, omne Regnum in se divisum desolabitur, & res nostræ dissipabuntur, inimici nostri exultabunt super nos; maledictiones habebimus de Cœlo, à Populo, & à Principe nostro; consumentur personæ nostræ, & filii nostri erunt in obprobrium. Supplico Altissimo Deo, & Sancto Johanni patrono nostro, quòd in bonis rebus veram amicitiam, unitatem, & concordiam nobis confirmet.* Tunc Catrepora Boxonus vir contumeliosus & stultus, pecuniarum raptor, & patriæ suæ delator, omnium de Modoëtia discordia, hìc superbissimè in dicto Consilio malè loquebatur de dicto Johanne; & qui dignus erat pœna, reddebat malum pro bonis, dicendo dicto Johanni, quòd eum de multis pœnis liberaverat. *Cùm olim Matthæus Vicecomes Princeps Mediolani verbis vestris crediderit, in hac Terra depressistis amicos ejus, & exaltastis inimicos, cum tributo, quod egerunt in servitio ipsius partis, prout vos egistis; & qui deberent esse primi, defecerunt omni honore. Sed vos, prout Princeps in Terra Modoëtiæ exaltastis, quos voluistis; inveterastis odium, quod removeri non poterit, dum vindicta non fiet. Nunc Matthæus non vivit; intimabuntur Galeaz opera vestra.* Etiam cum Seratoni faverent Johanni, ut ei visum erat, pessima illius lingua recordavit ibi cædem factam per Liprandos ipsis de Seratonibus. In illis diebus certi de Modoëtia illorum de la Turre partis, mandato Matthæi positi erant in turre de Trizio quia stultè voluerunt agere in servitio illorum contra Matthæum, quem nequibant. Post dictum Catreporam surrexit Ricardus de Pollastra, qui ait: *Johannes, illique, qui positi sunt in turre voluerunt peccare quia exaltastis, ibant, & revertebantur quòcunque volebant, & non timebant, cùm cognoscerent amicos hujus nostræ factionis à te deprimi, & in verbis suis non exaudiri: propter quod abusi fuerunt agere malitiam. Sed si qui sunt amici, exstitissent in suo gradu, non ausi essent talia agere. Quare non minor si rancor inter nos est. Dico, quòd bonum est venire ad unitatem, quamvisque graviter talia portentur.* Tunc surrexit Jacobus Riboldi, qui ait: *Quidquid hinc retro egit Johannes Morigia, bene egit, & magna prudentia Matthæi Vicecomitis olim principis nostri bene novit in ipso Johanne ea bona, quæ per invidiam blasphemant illi, quorum facta gessit, faciendo eis, & reipublicæ Terræ de Modoëtia magnam salutem. Sed superbia, & discordia blasphemantium illum, ipsosmet deprimit. Nam ipsi, qui sunt in turre, cùm non molestarentur, sed essent æquales, & majores aliorum Terræ suæ, prout dicitis, minùs habebant causam iniquam agendi: quod fuit maximus horror prædicto quondam Principi nostro, & cuilibet hujus Terræ amico suo; & ipsi dignius potuerunt puniri; sed non interest nobis loqui nisi pacem.* Item surrexit Herechus Liprandi, qui affirmando dictum Ricardi ait: *Johannes non bene, prout dictum est, egit, cùm fecerit in hac Terra deprimere, qui debuissent esse in Communi primi, causâ exaltandi illos, qui à natura habent contrarietatem parti nostræ. At de hoc non habemus exemplum de illis, qui positi sunt in turre. Cùm fecerit eos æquales, ut dictum est, ingrati facti sunt volendo contra statum Principis nostri & nostrum agere malitiam. Tum dico, quòd non solus Johannes hoc fecit, sed qui sunt unà cum Johanne, qui secum*

cum se colligaverunt causâ deprimendi, qui in hac Terra deberent esse primi in honore, prout ipsi. Meliùs tamen, dimissis omnibus odiis, nobis est venire ad unitatem, & quae malè inde retro egerunt, amici se recognoscant. Eâdem verò horâ surrexit Franzius Baldironus, & ait: *Qui sunt unà cum Johanne Morigia, & ipse Johannes, nullum in hac Terra voluerunt deprimere, nec depresserunt amicum; sed bene ad honorem, & ad firmum statum Principis nostri, & ad communem utilitatem voluerunt obviare ad superbiam illorum de hac Terra, qui aliquando apud se nolunt in communi utilitate aliquem socium, nec amicum; sed soli voluerunt, & cupierunt regnare in Republica, non malos mores corrigendo, sed per pejores deviando. Et hi sunt, qui recesserunt ab unitate Principis nostri, & partis suae.* Iste loquebatur de Liprandis, qui fecerant dictum Catreporam loqui in dicto consilio contra dictum Johannem Morigiam. Item surrexit quidam alius vir blanditor, nomine Rugerius Bellenzonus, qui unà cum dicto Catrepora est communis pestis Communi, & hominibus de Modoëtia; & loquebatur in servitio Johannis Morigiae contra blasphemantes verba injuriosa. Sed cùm dictus Catrepora non cessaret & ipse loqui, & memorare antiquas lites secundùm suam malam consuetudinem, & sic de Stratonibus, & de Liprandis, animati ex verbis dicti Catreporae multi alii locuti sunt; & facta est contentio, nullo habito communi concordio, & non pacificè, sed cum superbia omnes à dicto Consilio recesserunt. O qui debetis esse amici, dimittite superbiam; grata & accepta est Deo nostro illa potentia, quae superbia caret, & conviciosae elationis vitia non cognovit. Notum enim est omnibus, quanta mala è superbiae elatione proveniant. Et ipse Deus mirabiliter resistit superbis. Superbi enim amicos non habent, & undecumque sibi aggregant amicos. Nam & si superbo quis efficiatur amicus, multis oportet quòd inimicus existat. Superbiae igitur vitium in nostris negotiis, & specialiter in praesenti, quantumcumque possimus, exerceamus, ut sola justitiae rectitudinis linea facta nostra praefulgeant, & contra nos aliquis de superbiae vitio non impinguetur.

CAP. VI.

De causa, qua dicti malitiosi de Terra Modoëtiae odium haberent dicto Johanni, & de insultu proditoriè facto in ejus personam.

Porrò tunc temporis proditoriè ordinatum fuit ab invidis & superbis, impetum fieri occultè in personam dicti Johannis. Non procedendo in Historia, ante dicam, ob quam causam iniqui & malitiosi oderant dictum Johannem. Biennio post dicti Henrici Imperatoris adventum, malitia dicti Catreporae, & ejus superbia crevit, quia venerat de longinquis partibus, exul ubi steterat gerendo nefanda officia, & coepit excitare rumorem in Modoëtia, volens cum certis praedam facere alicui Guelfo, & pro robaria facta certis Religiosis pretiari opere injusto. Et ibi Strepa Mangatellus cum gladio percussit Rubeum Liprandum, qui de praedicta praeda se monstrabat, prout dicunt, non pro amore, non pro justitia, sed pro pecunia, defensorem. Causâ praedicti rumoris in servitio dicti Strepae contra Catreporam Stratoni, prout stulti, memores de aliqua parva & antiqua discordia, se intromiserunt; & contra Liprandos facta pace cum dicto Rubeo, & dicto Strepa, qui & ipse Gibellinae factionis erat, inter Liprandos, & Stratonos remansit odium. Quae duae nationum superbae stirpes, licèt non sint ab antiquo nobilitate sanguinis, non moribus, non virtutibus nobiliores Peluchis, Vegiis, Morigiis, Riboldis, & pluribus aliis Gibellinae factionis Terrae Modoëtiae, tamen voluere regnare in dicta Terra in maximo damno reipublicae. Cùm invicem magnis seditionibus laboraverint, caedes facta est de utraque eorum parte; quasi omni die ponebant Terram Modoëtiae ad rumorem; tenebant malefactores, qui & alios offendebant; habebant odium vicinis, eo quia credebant, quòd auxilium praeberent divisim, & cautè. Ita ponebant Terram in destructionem reipublicae dictae Terrae, nec erat unitas tunc temporis propter praedictorum discordiam. Considerans dictus Johannes contentionis periculum, & multos insanire ad augendam superborum malitiam, non ut Modoëtiensium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universae multitudinis considerans . . . . videbat enim sinè dominantis Matthaei prudentia impossibile esse pacem dari, nec superbos posse cessare à malitia sua. Qui Matthaeus, supradictis ei intimatis, constantiam, virtutem, & prudentiam dicti Johannis cum veritate cognovit, & ad malitiam superborum finem dedit, & eos reduxit ad pacem; & ab eo exaltatus est dictus Johannes Morigia in Modoëtia. Et cùm cognovisset eum sani consilii virum, ac suum invenisset fidelissimum, die noctuque illum vocabat ad sua secreta consilia, de quibus consiliis Johannis, prout notum fuit, in suis arduis factis utebatur. Coram magnatibus Lombardiae prudentia & virtus Johannis nominata fuit, atque obviando malis, salutem dedit ad rempublicam Terrae de Modoëtia: quam ob rem non pro malitia, quòd alicui malum contulisset, sed pro invidia sibi dati honoris à superbis odebatur. Revertamur ad Historiam. Porrò dicto cursu MCCCXXII. penultimo Octobris in mane dictus Johannes veniebat de Oraculo Sancti Johannis Baptistae; ibi juxta portam dicti Oraculi erant duo positi in insidiis, unusquisque quorum post tergum personae Johannis cautè ad modum assassinatoris ivit, & cum uno culteilo à galono eum in collo percussit. Statim fugit, sed parum laesus. Magnus incoeptus est rumor; agnati & amici Johannis eum sociaverunt ad domum. His auditis Galeaz iratus est ira magna. Die sequenti destinavit Stephanum fratrem suum in Modoëtia, qui properatò ad domum Johannis vênit, & eo invento non cum periculoso vulnere laetatus est, & ait: *Confortare, & esto robustus, quia liberaberis citò. Ex parte Galeaz & fratrum dico, quòd de insultu veniet eis vindicta, & fiet.* Et verè non solummodo Galeaz Princeps Mediolani, & fratres ejus, sed & infiniti Modoëtienses, & alii aliarum Terrarum circumstantium Modoëtiae indignabantur, & molestè ferebant de insultu proditoriè facto in persona tanti viri injustè. Et verè dictus insultus factus, & supradicta contentio fuerunt prima causa exspoliationis & destructionis Terrae de Modoëtia. Quare iniqui & malitiosi memores mali, & praedictus Catrepora, deberent abscindi a corpore reipublicae, prout membra putrefacta a corpore hominis, quae aliquando totum corpus damnificant.

CAP.

CAP. VII.

De expulsione Galeaz extra Civitatem Mediolani.

JAm in Mediolano Ambaxiatores venerant de beneplacito Galeaz causâ conferendi secum de factis, qui Lodrixio Vicecomiti dederunt vana indicia dominandi: ob quam causam molierunt unanimiter contra Galeaz insidias, promittendo etiam stipendiariis Galeaz Theutonicis pecuniam, scilicet Rogerio de Oculo, & Aguinaldo comestabili centum equitum pro quolibet eorum; & de eis multum se confidebat Galeaz, qui exilterant per longa tempora ad stipendia Matthæi patris sui. Die primo mensis Novembris dicti Anni ego Bonincontrus unà cum Artuxio Liprando iveramus cum ducentis hominibus peditibus armatis, & nos pro eorum capite, ad Civitatem Mediolani, ibi per Commune nostrum Modoëtiæ transmissi in subsidiis Galeaz. Et ibi nobis existentibus die Lunæ octavo die dicti mensis Novembris prædictus Galeaz proditus à dictis Theutonicis ejus stipendiariis, à Lodrixio, & à supradictis Francisco de Garbagnate, & sociis Ambaxiatoribus, & à Simone Crivello, & à multis aliis ejus Gibellinæ partis, expulsus fuit de Mediolano, & fugit Laude; & ibi à socio & Jacobono Vestarino tunc dictæ Civitatis Gibellinæ partis principibus, libenter receptus stetit. Incontinenti qui eum expulerant fecerunt unum Bregonïonum nomine Johannem de la Turre Capitaneum Mediolani exclamari. Hoc facto, à majoribus Mediolani & Comitatus facta est magna motio: pro qua re in Martexana per Tegniacham & Straziam de Peravicino, & certos tenentes cum eis illorum de la Turre partem, facta fuit magna collectio peditum.

CAP. VIII.

De Johanne, qui voluit reducere ad unitatem in Modoëtia, qui erat Gibellinæ partis, ad salutem reipublicæ dictæ Terræ.

TUnc prædictus Johannes Morigia vidit, quia multiplicabantur amicis suis Gibellinæ partis mala, & vocavit Simonem Morigiam, quia propinqui agnati suæ domus ex generatione sanguinis consanguinitatem etiam veterem sinè divisione secum, & amicitiam habebant cum Seratoribus & Liprandis, & mandavit eum unà cum Pilato de Laude, qui & ipse in Terra de Modoëtia, licèt solus cognatione, tamen Gibellinæ parti fidelis erat, ad Herecum Liprandum, & ad Gravazium Stratonum, nuntiando mala & pericula, quæ poterant incurrere ad Terram de Modoëtia, & maximè amicis suis, ut dimitterent odium, & rogarent agnatos suos, quòd invicem se darent ad pacem, & reducerent omnes amicos Gibellinæ partis ad unitatem; quia licèt infirmus corpore, tamen sana mente parcendo unicuique paratus erat ad omnem firmitatem faciendam suæ Gibellinæ partis, cognoscendo quòd cùm essent in unum, nullum Guelforum genus in Modoëtia in suo damno & periculo præsumeret erigere caput, cùm interim in Mediolano qui sunt Gibellini, teneant dominium, quamvis expulsus sit Galeaz, quia citò noscetur ab eis, qui ipsum expulerunt, suum damnum esse futurum, si unioni ejus non sub-

A dantur Mediolanenses Gibellinæ partis. Cùmque hæc verba Johannis retulissent separatim dictis Herecho, & Gravazio, & quampluribus eorum agnatis, & propter obscuritatem superbiæ eorum mentis, & non velociter responderent veniendi ad unum: solicitati Stratoni cum falsis promissis à Lanteriis, & à plerisque aliis de Modoëtia Guelficæ factionis, ut inducerent in eorum adversarios vindictam, unitatem cum eis Guelfis fecere, oblivìscendo ipse Gravazius pessimas Guelforum injurias, quas contulerunt in dominatione illorum de la Turre, multis de Modoëtia etiam in parte Gibellinis deductis usque ad mortem. His auditis prædictus Johannes doluit valde, & ait: *Video destructionem hujus*
B *Terræ*. Et statim fugit extra Modoëtiam; fugerunt Liprandi; fugeruntque quasi omnes Gibellini; alii Mediolanum, alii Cumas, alii in alias parte timidum peragunt iter.

CAP. IX.

De plerisque viris diligentibus salutem Terræ suæ de Modoëtia, qui miserunt Ambaxiatores Mediolanum ad Lodrixium.

TUnc Nicola Bellonus, qui summo studio in Terra Modoëtiæ commune bonum procurabat, Rizardus Morigia, qui & ipse cùm fo-
C ret dives, & ex generatione sanguinis nobilis, & in serviendo unicuique gratus, in dicta Terra sinè odio partiali stabat, cum plerisque tam Guelficæ, quàm Gibellinæ factionis, qui prætendebant ad salutem Reipublicæ, considerantes vicinorum suorum contentiones, & periculum, sinè dilatione solemnes miserunt Ambaxiatores sequenti die IX. die dicti mensis Novembris summo mane ad Lodrixium, & alios de Mediolano, qui secum in factis erant, rogando, ut sinè mora mitterent stipendiarios, & aliorum custodiam in Modoëtia, notificando quæ gesta erant in amicis suis: propter quod contrariorum metus erat. Qui responderunt: *Jam commissum est Pagano de Casate, quòd*
D *cum certis stipendiariis veniat Modoëtiam*. Qui cùm hanc responsionem notificarent ipsi Pagano, & dulcibus precibus rogarent, quòd sinè mora præpararet iter, respondit: *Ite vos: pro certo ante ero pransurus lagana*: quòd non fecit, prout vir in armis & bellis industrius moram ferens.

CAP. X.

De Guzino Cavazia, qui tunc temporis Guelficæ partis primus erexit caput in Modoëtia.

AT Guzinus Cavaza, licèt nobili genere,
E eo quia natus esset de magna Mediolanensium stirpe de Burris, & super cunctis Modoëtiensibus divitiis paternis ab avo sub maledictarum rapinis usurarum acquisitis abundaret, tamen bonis moribus, scientia, & bonitate deficiebat: ipsa die in Modoëtia Guelficæ partis primus erexit caput. Non nobilium, non mercatorum, non bonorum hominum cœtus, sed Guelforum vulgus miserum eum sequitur. Et insicenter unusquisque eorum clamat *pax pax*. Ad hanc vocem, quasi tota villarum plebs indiscreta, & Modoëtiensis Guelfica gens uno agmine sub Monegino Zevæ, & sub Berusio Rabia, pariter Guelforum unica signa portantes, læto

læto meatu cum Guzino se sociaverunt. Et hoc ipso die horâ vesperarum, ipsorum consilio, & favore prædicti Tegnachæ & Straziæ, qui erant ad Burgum de Carate, cum prædicta collectione Modoëtiam intraverunt, qui rebelles se monstraverunt esse contra Mediolanum. O Guzine quod consilium adeptus es Monegini Zevæ, Beruxii Rabiæ, Belloni? Cavazi, indiscretus indiscretionem quæris. Cur antiquorum Morigenatorum virorum collectionem non facis ad salutem patriæ tuæ; Cur felicem tuum statum perfide miserorum consilio vis perdere? Quære salutem, scilicet Mediolani pacem: alioquin tibi & patriæ tuæ acquires inextimabile damnum in perpetuum memoriale. Eâdem verò horâ Paganus cum L. equitibus prope Modoëtiam applicuit: vetitâ ei Terrâ, intrare non valuit. O Pagane quâ horâ parasti iter tibi commissum? Dicas, *tardè*. Qualis fuit mora in prandio comedendi lagana? Dicas: *Multis inextimabile damnum*. Paganus itaque Mediolanum reversus notificavit, quòd in Modoëtia a Guelfica factione agebatur contra Mediolanum.

CAP. XI.

De obsidione Terræ de Modoëtia facta à Lodrixio, & ab aliis suæ factionis.

TUnc Lodrixius, & Franciscus, & ceteri suæ factionis unà cum Franchino Ruscha Principe Cumano, & Cazino Torniello de Novaria Capitaneo; vocatis aliis de Lombardia amicis, cum exercitu magno obsederunt Modoëtiam, & miserunt Ambaxiatores Guzino, quòd traderet Terram in custodia Communis & hominum Mediolani, & vellet esse prout bonus civis: quia quidquid erat Mediolanensium, erat Modoëtiensium, & quidquid erat Modoëtiensium, erat Mediolanensium; & hæc, quæ agebantur, non fiebant ad exaltationem partis, vel partium, sed ad pacificum statum Reipublicæ, & ad salutem Patriæ: etiam promittendo ei, cùm indigeret pecunia, pro sanando magna, quæ sua ignavia fecerat, debita Jam in Modoëtia venerant de Pergamensibus partibus, & de Crema infiniti mali homines, robatores & latrunculi, cum Gasparino de Serravalle, & cum Maxino de la Ecclesia; etiam multi Modoëtienses, qui pro suis malitiis extiterant exules Guelfi. Qui Guzinus, non habito bonorum mercatorum, nec discretorum Modoëtiensium virorum consilio, sed in Morigenatorum miserorum odium, Guelficæ partis iniquorum stultitiâ cum vanis indiciis exaltatus à prædictis Tegniacha, & Strazia, respondit: *Intendo servire amicis, & parti meæ, quia nunc possum. Si Lodrixius, & alii, qui secum sunt in factis, rectè agunt, bene quidem: si aliter, providebitur. Volo tenere Terram, donec videbo, quomodo res bene se habent*. Habita ista responsione, cum Theutonicis & aliis stipendiariis fecerunt pactum, quòd qualicumque modo haberent Terram Modoëtiæ, de hominibus tam parvis, quàm magnis, qui erant in Modoëtia, & de eorum rebus, per tres dies post captionem dictæ Terræ possent ad suam voluntatem capere, robare, & spoliare, excepto quòd in Ecclesiam Sancti Johannis Baptistæ non intrarent, nec ibi damnum facerent: & ita factum est.

CAP. XII.

De captione & exspoliatione dictæ Terræ.

SEd dato per eis prœlio die Martis sexto decimo dicti mensis Novembris prædicti anni, qui venerant in Modoëtia de Martexana, & de aliis partibus, viri comestores & bibitores inermes, nullam defensionem facientes, fugerunt. Qui de Mediolano per vim intraverunt, interficiebant, nec parcebant. Fiebat ergo cædes juvenum, ac seniorum, mulierum virginumque pollutio. Erat autem toto triduo juvenum, ac seniorum, atque parvulorum captio, & rerum spoliatio. Et captus fuit Tegniacha, qui mille ducentis florenis auri se redemit. Tali modo Modoëtienses interfecti & capti, per tres dies spoliati fuerunt; & splanatum fuit refossum magnum Terræ à porta Sancti Blasii usque ad flumen Lambri; & facta est tribulatio magna Modoëtiensibus, clamor, planctus, & ululatus. Illis diebus pater videbat filium laqueum in collo habentem; videbat eum nudum cum manibus post tergum ligatis præ timore & frigore flentem, & tremantem, dentibus stridentem. Non solùm pater videbat filium, sed filius eodem modo videbat patrem. Pater videbat percutere filium gladio, & filius patrem. Sic de eadem peste fratres, propinqui, vicini, & amici in domibus eorum capti & ligati tenebantur; & mulieres eorum per vim opprimebantur, & vinctæ ducebantur; & parvuli de gremio matrum captivi rapiebantur; Videbant spoliare domos Gibellinorum, & Guelforum, & innocentium, super plaustris & equis asportare illorum res, & bona Terræ de Modoëtia. Et cognovit Galeaz, qui extra Civitatem Mediolani expulsus fuerat, ut dictum est, & planctum fecit, & doluit valde, eo quia diligebat Terram de Modoëtia. Miraculum omnibus illis, qui talem bailiam dederunt stipendiariis, ut supra dictum est, & magnum occurrit judicium: credatur primò & principaliter propter illud peccatum. Quia in brevi tempore consummati sunt in havere & persona, prout patet. Quia cùm pauci de Modoëtia essent culpabiles, alio modo absque damno aliorum infinitorum, qui erant sinè culpa, poterant resistere malitiæ illorum de Martexana, qui ibi venerant in confusione magna. Hìc plura notanda sunt. Cùm diximus pauci de Modoëtia culpabiles, verum est, licet in primis narravimus literas venisse: quod fuit causa mali pro contentione multorum.

CAP. XIII.

De antiquis nationum stirpibus de Modoëtia.

IN Modoëtia multæ nationum stirpes sunt de dicta Terra, antiquæ & nobiles, qui cum veritate, secundum quod ex veteribus scripturis, & antiquorum relatione novimus, omnes per ordinem, sicut sunt in antiquitate priores, describemus. In primis in Gibellina factione nominentur *Peluci*, qui cum magna gloria & claritate, operibus, scientia, & militia hominum primi fuisse videntur super omnes de Modoëtia. Post hos *Regii*, *Stratoni*, *Morigii*, *Judices* cum *Liprandis*, qui secundùm relationem antiquorum à pauco tempore citra multiplicati sunt in personis & havere. Item *Boxoni*, *Montembreti*, *Belloni*, & *Buzelli*, qui una sola domus

mus fuere. In Guelfica verò factione primi sunt *Lanteru*, post hos *Tepoldi*, *Rabu*, *Cavazi*, *Cremoxani*, *Grassi*, *Zevi*, qui Zevi licèt uno tempore steterint divites, tamen, prout dicitur, pauperes gentes de Burgo Dexii fuere. Item *Pizeni*, & *Gualterii*; licet sicuti diximus in rebus gestis in plurali numero *Liprandi*, *Stratoni*, & sic de aliis, non credamus omnes de eorum stirpe culpabiles de malitiis. Et hoc, quia mali mores & superbia multorum regnat contra bonos mores & humilitatem justorum; & in re publica in opere partium laboraverunt & laborant inmorigerati, superbi, & malitiosi, quasi velint esse in Commune bonum primi. Quare Gisiuzinus Cavazia cum plerisque suæ factionis indiscretis, & aliqui de Stratonibus & Liprandis cum certis aliis suæ partis fuere causa mali supra memorati: tamen multi eorum agnati, & infiniti, & major pars tam Guelficæ, quàm Gibellinæ factionis de malo perpetrato mœsti, & sinè culpa fuere, & sic pauci culpabiles. Notandum est in veritate: si qui erant Gibellinæ partis, secundùm consilium Johannis stetissent in unitate, Guzinus cum suis non fuisset ausus recipere in Modoëtia prædictos de Martexana; & dicta Terra, prout fuit, non esset in tribulatione posita.

CAP. XIV.

De Galeazo, qui reversus fuit Mediolanum, & iterum factus Princeps.

PORrò post spoliationem incontinenti Lodrixius factus fuit Potestas Modoëtiæ. Sed cùm à prædictis Ambaxiatoribus & magnatibus non servarentur promissa dictis Lodrixio & stipendiariis facta, prædicto Anno die IX. mensis Decembris in pœnitentia reducti prædicti Lodrixius, & Theutonici, fecerunt venire Galeazum Mediolanum, & iterum firmatus fuit ab eis dictæ Civitatis Princeps, & expulsus de Mediolano Allobrogus, qui post pulsionem Galeazi factus fuerat Capitaneus.

CAP. XV.

De Legato, qui erat Placentiæ quod properavit mittere diversas gentes super Mediolanum cum Simone & Francisco.

HIs itaque gestis Simonus Crivellus, Franciscus de Garbagnate, & quamplures de aliis, qui exstiterant Ambaxiatores ad Summum Pontificem, indignati recesserunt de Civitate Mediolani, & nuntiaverunt in Civitate Placentiæ Legato, qui tunc temporis ibi iter fecerat, de reversione Galeazi facta in Mediolano, & de principatu Civitatis ei dato, & quòd pacta, quæ fecerant de voluntate quondam patris sui cum Domino Papa, faciebat irrita. Et iratus est Legatus ira magna; & elegit principes impios, & cum eis de gente de diversis partibus extraneis XII. millia virorum peditum, & IV. millia equitum electorum, ut cum dictis Simone, & Francisco venirent in Terram Mediolani, & destruerent Mediolanenses tamquam rebelles Sanctæ Matris Ecclesiæ secundùm voluntatem Summi Pontificis. Jam Manfredus de Lando, cùm post expulsionem Azonis teneret Castrum Sanctum Johannem, contra voluntatem Vergiusii, & civium Placentiæ, per eum X. millibus Florenorum auri receptis de conscientia Legati à Communi Placentiæ, dictum Castrum ipsi Legato reddiderat.

CAP. XVI.

De Thesauro Ecclesiæ Sancti Johannis à Canonicis abscondito.

TUnc temporis de mense Januarii Anni cursi MCCCXXIII Canonici Ecclesiæ Sancti Johannis de Modoëtia cautè fecerunt simul capitulum, videntes pericula, quæ poterant incurrere, & ibi ordinaverunt, quòd magnum & pretiosum Thesaurum prædictæ Ecclesiæ celaretur fossis, & humi absconderetur, ne spoliaretur. Sic ut ordinaverunt, per quatuor ex ipsis Canonicis absconsus fuit, qui juraverunt se recedere à Modoëtia, & ubi ibat unus, non debebat ire alius, & nunquam manifestare ipsum Thesaurum alicui personæ nisi quis eorum appropinquaretur morti, tunc manifestaret in pœnitentia alicui probæ & discretæ personæ, ad hoc ne Thesaurus amitteretur. Et recesserunt à Modoëtia prout ordinatum est.

CAP. XVII.

De Galeazo, qui misit duos fratres suos ad expugnandum gentes Legati ad ripam Abduæ, ubi interfecti fuerunt Simonus, & Franciscus de Garbagnate.

PRædicta verò gens dicto Anno de mense Februarii versùs partes Mediolani iter suum paraverunt. Et ut audivit Galeaz, quæ à Legato gesta erant, vocavit duos fratres suos, scilicet Marcum virum bellicosissimum & fortem, & Luchinum, & ait illis: *Pugnate pro gente, & pro patria nostra: auxilium verò de Cœlo vobiscum sit*; Et dedit illis VI. millia pugnatorum, & equites mille; & profecti sunt adversùs prædictam gentem. Erat autem fluvius, qui Abdua dicitur, inter eos. Et qui erant pro Ecclesia principes, propter metum aquæ timebant transire. Et transierunt die XXV. dicti mensis Februarii prædicti Simonus Crivellus, & Franciscus de Garbagnate, primi juxta vadum de Bagnia supra Burgum de Trizio, circa duo milliaria; & secuti sunt eos omnes, & insonuerunt tubis. Et Marcus, qui cum quingentis militibus erat ad illum passum, & ceteri sui erant ad alios passus, occurrit eis usque in flumine; & commissum est prœlium durum inter eos. Marcus invènit Franciscum, & Simonem à suis detineri captos; gladio suo eos peremit, exclamando: *Vivat Ecclesia; & moriantur proditores patriæ suæ*. Qui non valens sustinere, eo quia esset cum paucis, paucam suis habentibus læsionem, reversus est cum fratre in Civitatem Mediolani eo die.

CAP. XVIII.

De exercitu Legati, qui applicuit Modoëtiam.

SEd qui erant missi à Legato cum Castrono de Castronibus eorum duce, & Legati nepote, die sequenti applicuerunt Modoëtiam; & ibi corpus Francisci humatur in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ, & corpus Simonis ad Nervianum mandatur ad sepeliendum; & humati sunt. Quorum duorum mors multum obscuravit, quod ceperant, iter.

CAP.

CAP. XIX.

De multis gentibus, quæ venerunt Modoëtiam in servitio illorum, qui ibi erant pro Ecclesia; & de adventu illorum de la Turre in Modoëtia; & de prælio magno commisso in Prato magno inter Theutonicos ex una parte, & Allobroges & Provinciales ex altera.

POrrò illis diebus propter metum maledictionis & excommunicationis Summi Pontificis, de Civitate, & comitatu tam Gibellinæ, quàm Guelficæ factionis in Modoëtia infiniti venerunt in præsidio illorum, qui erant ibi pro Romana Ecclesia; sic & de pluribus aliis Civitatibus, & Terris Lombardiæ. Et hoc quia à Religiosis viris prædicabatur, quòd dantibus consilium & favorem Mediolanensibus, erat maledictio animæ & corporis; & præstantibus auxilium illis, qui missi erant à Summo Pontifice in Modoëtia, erat absolutio pœnæ & culpæ. Sed tamen Frater Aycardus Ordinis Minorum Archiepiscopus Mediolanensis tunc temporis prædicando in Modoëtia dixit: *Video, quòd quasi in omnibus operibus illorum, qui huc venerunt peragendo opera Ecclesiæ, deficit justitia; nullum fit opus secundùm intentionem fidelium Sanctæ Matris Ecclesiæ: ideo credo, quòd Deus nullam tribuet eis victoriam, sed ab adversariis eorum deprimentur.* Et verè ita fuit. Porrò de mense Martii Rex Robertus misit Raymundum de Cardona cum quingentis militibus Provincialibus in auxilium Ecclesiæ. Eoque tempore Henricus de Flandria cum plerisque militibus in præsidio ac consilio missus est à Summo Pontifice; & delectati sunt, qui erant in Modoëtia, in adventu eorum. Illis diebus quos elegit Legatus impios viros, & constituit Præfectos exercitus Ecclesiæ exquirebant qui exstiterant amici Galeaz, vel de ipsius parte Gibellina; & removebant eos à secretis consiliis eorum, & Guelforum consilio & favore utebantur de conscientia Legati. Paganus de la Turre Patriarcha Aquilegiensis, Franciscus, & Simonus fratres, & filii quondam Guidonis de la Turre, Muschinus, & multi alii de la Turre, gloriosè cum magno apparatu amicorum suorum partis Guelfæ de Lombardia, habentes secum trecentos milites, & multos pedites, die VII. mensis Aprilis applicuerunt; & gavisi sunt, qui erant de illorum parte, in adventu eorum. Sed facta est tribulatio multis civibus Mediolani, & aliarum Civitatum, & Terrarum Lombardiæ, qui venerant in Modoëtiam in auxilio Ecclesiæ, & maximè Guilielmo de Pusterla, Guilielmo de Casate, & ceteris, qui pacta gesserant cum Summo Pontifice, quòd non ad exaltandum partem, nec partes Mediolani, & Lombardiæ, habebant intentionem, quòd per Summum Pontificem bella moverentur contra Mediolanum, sed ad communem utilitatem: & indignati sunt. Tunc infiniti homines de Mediolano, & Comitatu, & aliis partibus, qui erant Gibellini, recesserunt à Modoëtia propter illorum de la Turre adventum; & quamplurimi eorum iverunt in Mediolanum; & Galeaz recepit eos libenter & gratiosè. Et sic qui ostenderunt sanguinem uvæ, & mori elephantis, ad acuendos eos in prœlium: ita qui erant pro Ecclesia in Modoëtia, ostenderunt Galeaz & fratribus virtutem illorum de la Turre ad acuendum & fortificandum eos in prœlium: & verè per adventum eorum fortificati sunt ab amicis. Eo die, quo dicti de la Turre applicuerunt in Modoëtia, in Prato magno juxta Ecclesiam Fratrum Minorum inter Theutonicos ex una parte, & Provinciales, Guascones, & Allobroges ex altera, commissum est prœlium; & fugerunt Theutonici, eo quia erant pauci; & ceciderunt vulnerati XVII. Et facta est pax, sed non vera, quia Theutonici numquam habuerunt unitatem cum prædictis, & licèt haberent stipendium Ecclesiæ tamen prætendebant ad partem Imperialem.

CAP. XX.

De prœlio facto apud Trezellam, & de monstra facta per illos, qui erant pro Romana Ecclesia; & de obsidione Mediolani.

POrrò cùm ab Ambaxiatoribus, & à pluribus aliis civibus Mediolani foret dictum in Consilio Castrono, & aliis principibus exercitus, quòd nimis longa tendebatur mora eundi ad obsidendum Civitatem: Raymundus de Cardona respondit: *sufficit nobis, si in decem annis intrabimus tam fortem & nominatam Civitatem.* Tunc Guilielmus de Pusterla, & Guilielmus de Casate, & alii cives Mediolani, qui ibi erant, inclinaverunt caput, & nullum dedere responsum; & non solummodo sibi metipsis, sed & patriæ suæ cognoverunt corruisse intolerabile malum. Die XIX. dicti mensis Aprilis Mediolanenses, & qui erant pro Legato in Modoëtia, in loco qui Trizella dicitur, qui locus per X. milliaria juxta Mediolanum adest, magnum commiserunt prœlium, & interfecti sunt de utraque parte; & duplum de illis, qui erant pro Legato sexcenti equi, quorum major pars in prœlio vulnerata fuerat à Militibus, in Modoëtia ducti, ibi mortui sunt; sed viri pauci in eo prœlio ceciderunt. Et factum est de mense Junii, principes exercitus fecerunt monstram de suis gentibus extra Terram in Campo, & reperti sunt XXX. millia peditum, & VIII. millia equitum, & processerunt ut irent cum universa virtute sua, & disperderent Mediolanum secundùm verbum Legati. Et applicuerunt dicto an. MCCCXXIII. die XIII. Junii juxta Mediolanum in burgo portæ Cumanæ.

CAP. XXI.

De Galeazo & fratribus, qui vocaverunt præsidium amicorum; & de Theutonicis, qui voluerunt capere Galeazum; de auxilio à Ludovico Rege misso in Mediolanum; & de exercitus Legati recessu ab obsidione Civitatis; & de Mediolanensibus, qui obsederunt Modoëtiam, & de recessu eorum.

ET vidit Galeaz & fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabat ad fines eorum, & cognoverunt verba Legati, qui mandavit populo facere interitum & consummationem. Et dixerunt unusquisque ad proximum, erigamus dejectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & pro sanctis, qui sunt in Civitate nostra. Et vocaverunt Cumanos, Novarienses, & Vercellenses, Papienses, Laudenses, & Pergamenses, & de aliis partibus amicos suos. Et congregatus est conventus, ut essent in prœlium, & defensionem parati,

ti, & ut peterent misericordiam & miserationes ab Altissimo, qui cuncta cernit, quia additi sunt ad conterendum eos injustè exercitus gentium alienigenarum. Et in illis diebus convenerunt, qui erant in Civitate Mediolani, Theutonici stipendiarii Galeaz, qui recipiebant pecuniam ab illis, qui obsederant Civitatem, & volebant capere, aut interficere Galeaz. Et fugit Galeaz in aulam, & occupaverunt Theutonici curtem & itinera palatii, & cœperunt minari Galeaz. Et vocavit Galeaz de prædictis Civitatibus amicos, qui venerant in Mediolano in auxilium; & convenerunt omnes simul ad eum cum Johanne Clerico fratre suo. Et dispersi sunt omnes Theutonici per Civitatem, & clamaverunt ad Galeaz, cùm cognovissent se malè egisse, precibus dicentes: *Parce; peccavimus*. Qui expectando tempus pepercit. Et viderunt qui erant de exercitu Legati, quòd non obtinuerunt dicti Theutonici stipendium quod volebant, & infirmati sunt mente sua. Ea tempestate misit Galeaz ad Ludovicum Ducem Bavariæ, qui electus erat Imperator, ut mitteret viros in auxilium, quia discesserunt viri Theutonici ab eo, & ab ejus stipendio propter illorum proditionem; & misit omnia, quæ acta erant & agebantur in Lombardia adversùs Imperatoriæ majestatis amicos. Qui Lodovicus Rex parvo post tempore elegit Comitem Bertoldum de Gnif virum in armis & bellis industrium, & misit cum eo DC. milites electos; & venerunt Mediolanum; & delectatus est Galeaz in adventu eorum, & mandavit: *Tantùm istud auxilium mando tibi & amicis tuis; sed spera quòd illustrabo te & amicos tuos, cùm fuerit opportunum. Nunc ergo rectè age adversùs inimicos*. Et excommunicatus est Rex Ludovicus pro multis causis, & maximè quia præstavit auxilium Mediolanensibus. Manserunt itaque ad obsidium Civitatis circa duos menses. Multi perierunt gladio, & morbo. Interea Castronus de Castronibus nepos Legati, qui erat Princeps major exercitus, morbo mortuus est, & sepultus in Modoëtia in Ecclesia Minorum; & in ejus loco substitutus est Guilielmus de Buyrono vir pessimus. Sed cùm propter diversitatem linguarum, atque voluntatum ipsarum diversarum gentium, justitia & unitate carerent, in eorum exercitu hominum, omni die etiam victualium occurrebat inopia. Quare uno sero insalutato hospite fugerunt omnes de exercitu, & per noctem reversi sunt Modoëtiam. De mense verò Septembris subsequentis Mediolanenses venerunt ad obsidendum Modoëtiam ab una parte versùs Mediolanum; & ibi steterunt circa duos menses. Illis autem diebus à Legato, qui erat Placentiæ, magna multitudo militum, & peditum in Modoëtia missi sunt, qui Mediolanenses ab obsedio Terræ Modoëtiæ abstulerunt; qui Mediolanum reversi sunt. Eodem ipso anno, & in sequenti proximo à Mediolanensibus, & ab illis, qui erant in Modoëtia pro Romana Ecclesiâ in diversis partibus Comitatus Mediolani, multa facta sunt prœlia, multi perierunt gladio & morbo, & facta est strages magna.

CAP. XXII.

De rupta facta juxta locum de Albiate; & de captione Burgi de Carate.

PORrò illis diebus Marcus cepit Burgum de Vicomercato à viribus Provincialium. Et audierunt qui erant in Modoëtia, esse in Martexana Castrum cum turre de Tignioso plenum divitiis, omnibusque ornamentis nobilium illius contratæ; & qui intus erant, robabant & spoliabant illos, qui in Modoëtia ducebant victum; & cogitaverunt capere fortilitiam. At Passarinus de la Turre, in armis vir industrius, cum quodam vili, prout dicitur in sua contrata, Barberio, Elyas de la Rocha nomine, qui per recessum Guilielmi de Buyrono à Legato factus erat princeps exercitus, sed minimè obediebatur, cum mille ducentis militibus, & tot peditibus bene munitis, ad Castrum appropinquavit. Raynerolus de Pirovano dictæ contratæ nobilis, custos Castri, mandavit ad Vicomercatum Marco, ut sinè dilatione ei mitteret auxilium, sinè quo mala erat ei defensio. Sed Marcus respondendo ei misit: *Non possum ad montes tuos auxilium præbere; sed ad planum hodie feram*. Et captum est Castrum, & turris à Passarino; & fecit prædam, plurimis captis & interfectis, & asportaverunt spolia magna. Et audivit fortissimus vir Marcus, qui cum CCCC. militibus Theutonicis electis tantùm erat, & transivit flumen Lambri juxta locum de Albiate, qui supra Modoëtiam per IV. milliaria adest in ripa dicti fluminis, & misit se in costis ad campum. Passarinus verò cum suis affuit ibi, & jussit dimitti spolia, & voluit transire per vallem. Marcus autem cum suis descendit de costis, & occurrit ei, & commissum est inter ipsos prœlium magnum, & ceciderunt vulnerati de exercitu Passarini CCC. viri & plures; ipse, & ceteri sui fugerunt Modoëtiam. Marcus verò suis, eo quòd essent pauci, pugnando tanta multitudine fessis dixit: *Non concupiscatis spolia, quia exercitus inimicorum in Modoëtia prope nos est*. Nec ausus stare in Campo, ad Burgum de Dexio equitavit velociter; & sic ambæ partes, velut victæ, timidæ à campo recesserunt, & remansit campus usque ad sequentem diem, quo à satellitibus & à villanis illius contratæ spolia multa ibi capta sunt. Verè dictum Passarinum in dicto prœlio habemus exstitisse durum & fortem contra Marcum; & hæc testatus fuit Marcus ipse. In illis verò diebus à Guelfica factione plerique boni viri de Modoëtia, qui dicebantur esse Gibellinæ partis, inter quos erat bonæ memoriæ vir, & qui me genuit, missi fuerunt in pluribus partibus extra Terram Modoëtiæ in exilium; & caverunt parêre mandatis Episcopi Savonensis, & Hemerici principis Sacerdotum, & exercitus Legati in Modoëtia. Eodem verò tempore Mediolanenses cum suis complicibus, milites & pedites bene muniti Burgum de Carate per vim intraverunt; & inimicos, qui ibi erant pro Legato, victoriosè posuerunt viriliter in conflictum: quorum magna pars mortua exstitit, aut in ejus viribus capta.

CAP. XXIII.

De rupta de Vaprio, & miraculo avium.

PORrò Anno Domini MCCCXXIV. de mense Februarii cùm aliqua multitudo militum & peditum Mediolanensium applicuissent ad ripam Abduæ juxta Vaprium causâ destruendi pontem, qui erat inimicorum transitus: tunc Raymundus de Cardona, Henricus de Flandria, & Simonus de la Turre, qui erant in Modoëtia pro Romana Ecclesia, cum maxima multitudine militum & peditum exierunt à Terra de Me-

Modoëtia, & cum eis iter fecerunt ad Vaprium pro obviando, qui erant ibi Mediolanenses. Et sic ab utraque parte congregata est maxima multitudo gentium; sed plus qui erant pro Romana Ecclesia. Et factum est, quòd ab utraque parte parati sunt ad prœlium. Venit dies XVI. dicti mensis Februarii, qua ambæ partes erant in campo. Et cognovit Galeaz, qui super cunctis Principibus Lombardiæ industrius belli fuit, quòd Raymundus dimiserat sinè custodia & defensione Burgum de Vaprio, & misit de exercitu suo audaces viros, qui per totum Vaprium ignem magnum miserunt. Et timuerunt, qui erant cum Raymundo, cùm vidissent ignem: quare plus de fuga, quàm de defensione cogitavere. Et inito prœlio insimul convenerunt. Eâdem horâ qui remanserant in Modoëtia milites & pedites Ecclesiæ Romanæ pro custodiendo Terram, scientes prœlium esse paratum, fecerunt suam monstram in Modoëtia in loco, ubi dicitur in Prato magno; & ibi existentes visa est in aëre supra dictum Pratum maxima multitudo & innumerabilis avium, quæ dicuntur Taculæ, in duabus partibus partitæ. Una pars erat à Meridie versùs Mediolanum; alia pars major à Monte. Quæ incontinenti irruentes simul una pars cum alia, quasi essent intelligentes de inimicitia, usque ad mortem videbantur pro his, qui erant ad monstram in dicto Prato, invicem facere prœlium. Sed minor pars, quæ erat à Meridie, vicit aliam partem magnam, quæ erat à Monte, impellendo eas; ex quibus, veluti victæ, reclinaverunt infinitæ super campanilia, turres, tecta, & arbores. Et sic illa pars, quæ erat à Monte, divisa est ita, quòd quasi tres de eis simul non remanserunt; alia pars de Meridie, quæ vicerat, stabat supra dictum Pratum volando simul hac illac, quasi præ lætitia gaudendo de victoria. Et hæc duraverunt quasi per unam horam; postea disparuerunt. Tunc quasi omnes, qui erant in dicto Prato ad dictam monstram, sicut prophetizarent, jurabant dicendo: *Signum habemus, quòd qui sunt pro parte nostra Ecclesiæ, sunt conflicti, capti, mortui, & dirupti*, & verè ita fuit. Ibi captus fuit Raymundus de Cardona, interfectus Simon de la Turre; strages magna facta fuit in illis, qui erant pro Romana Ecclesia. Illa die multi interfecti & capti sunt in campo; & infiniti fugientes perierunt in Abduam. Non cupiebant fugere versùs Modoëtiam propter pavorem Mediolanensium. Sic tale damnum passi sunt propter eorum malitias, qui missi erant à Summo Pontifice in Lombardiam. Veritatem in Christo loquor, quod ego Scriptor, & quamplures alii de Modoëtia, qui hodie vivunt, hæc vidimus & cognovimus, quæ supra scripta sunt.

CAP. XXIV.

De strenuitate Galeazi, & Marci, & de fuga illorum, qui erant in Modoëtia.

VErè potuit dicere Galeaz cunctis amicis suis & subditis, de gente diversa mala & pessima supradicta, missa super eos per Summum Pontificem illud, quod dixit Judas Machabæus: *Non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de Cœlo fortitudo est. Ipsi venerunt ad nos in multitudine contumaci, & superbia magna, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros, & ut spoliant nos. Nos verò pugnabimus pro animabus nostris, &*

A *pro legibus nostris. Ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram; ne timueritis*. Profectoque ipsa gens pessima missa supra Mediolanum, non venerant pro gloria acquirenda Ecclesiæ Romanæ; sed venerant in Lombardiam pro robando, & spoliando, & pro adimplendo omnia suprascripta mala; quoniam hoc fecerunt in Modoëtia, & in Comitatu Mediolani quantum potuerunt. Ideo Galeaz dimicando ipse pro justitia, & pro libertate patriæ suæ conservanda, de Cœlo habuit victoriam & fortitudinem contra dictam gentem pessimam. Nunc autem dicam de viro fortissimo Marco patriæ suæ liberatore. At Marcus, congregata multitudine, intolerabilis prædictis gentibus efficiebatur. Ira

B enim Domini propter prædictorum malitias in misericordiam conversa est Mediolanensium. Marcus superveniens Castellis & Terris, ubi habitabat prædicta gens, improvisus succendebat eas, & opportuna loca occupabat. Et fama virtutis ejus ubique diffundebatur, quoniam contritæ sunt gentes in omni bello à facie ejus, & ceciderunt in gladio suo, & persecutæ sunt ab eo. Porrò ipsa die, qua facta fuit rupta, venerunt nuntii in Modoëtia in sero, & notificaverunt Patriarchæ de Foro Julio, qui ibi erat quæ acciderant: Tunc fugerunt in ipsa nocte de illis, qui erant in Modoëtia tàm de terreriis, quàm de forasteriis plus de medietate, sic quòd Terra erat quasi derelicta. Patriarcha, & reliqui,

C qui remanserant, si scivissent ubi debuissent fugere, nullus remansisset, quia putabant, & dicebant: *Mediolanenses adhuc hodie erunt hic; non poterimus resistere eis; per vim capient Terram; gladio interiment nos*. Et vix Patriarcha potuit teneri, quòd non recederet, à plerisque providis stipendiariis suæ factionis, qui eum hortaverunt bonis verbis in spe adjutorii. Et verum fuit, quòd eadem nocte Mediolanenses applicuerunt ad Burgum de Concorezio, qui per duo milliaria supra Modoëtiam adest, & ibi steterunt. Quòd si venisset eadem hora, vel sequenti die Modoëtiam, absque ulla dubitatione habuissent Terram, prout mihi Scriptori, & pluribus aliis, qui hodie vivunt, cum veritate manifestum est. Sed

D non placuit Deo, nec Sancto Johanni Baptistæ patrono & defensori illius Terræ, quòd in pravo furore ipsa Terra caperetur, cùm semel per unum annum in antea, ut supra dictum est, ipsa Terra fortè propter peccata magnum damnum esset passa, eo quòd capta fuit per Mediolanenses in furore. Sed tunc Marcus ajebat Galeaz: *Sinè mora eamus ad expugnandum Terram de Modoëtia, cùm de exercitu inimicorum aliquis cum armis ibi reversus non sit. In dicta Terra pavor magnus est; qui ibi sunt, fugient à facie nostra, & capiemus eam*. Galeaz autem respondit: *Non ita, quia non dubito, antequam veniant octo dies, pacificè tradent nobis*

E *Terram, & evademus periculum nostrum, & illius Terræ nostræ; quòd cùm conflicti sint & dispersi hodie inimici nostri, aliter non possunt evadere, qui in Modoëtia sunt*. Marcus se adæquavit ad consilium, sed non voluntariè.

CAP. XXV.

De miraculo facto à Sancto Johanne Henrico de Flandria.

DIe sequenti post suprascriptam ruptam factam circa primam horam diei, Henricus de Flandria solus cum duobus, quos non nove-

verat, applicuit Modoëtiæ; qui libenter pro his, qui erant in Modoëtia, visus fuit, quia erant sinè consilio, qui dixit: *Nolite expavescere: bene tenebimus Terram. Narrabo quæ mihi acciderunt*. Et dixit: „ Facto die heri in prœlio derelictis amicis volui fugere; & fugi nescio quò; sed in quoddam boschettum per totam noctem eundo territus nesciebam exire, & invocando Deum, & Sanctum Johannem Baptistam. apparuit mihi quidam homo senex cum magna barba totus maceratus, qui dixit: *Quomodo est tibi?* Dixi: *malè; nescio ubi sim, nec quò possim ire*. Et ipse: *Bonum est, quòd eamus Modoëtiam*. Et ego: *Credo, quòd Mediolanenses sint ibi*. Et ipse: *Noli dubitare: non sunt; scio tibi dicere, quòd Sanctus Johannes nondum vult derelinquere Terram illam propter suum sanctum oraculum, quod in illa Terra custoditur*. Ibamus semper sic loquendo, quousque fuimus prope Terram istam, quoniam invenimus istos duos, qui mecum hic venerunt. Cogitans eundo, quando fui ad introitum istius Terræ, vidi me aliquantulum esse securum, & retro respexi, & dixi istis: *Ubi est homo ille senex?* Dixerunt: *Recessit: sine quòd viderimus*. Pro certo gratias Deo ago, & Sancto Johanni Baptistæ, quia fuit ipse Sanctus Johannes, qui modo tali mihi apparuit, & hìc me reduxit „. Et ait: *Nullus expaveat; Custodiemus, & defendemus bene Terram istam; & auxilium magnum de denariis & gente pro custodire Terram citò mittetur nobis*. & sic factum fuit. Hæc, quæ de prædicto Henrico narravi, à Religiosis, & à fidelibus tam forasteriis, quàm de Modoëtia viris, qui aderant, quando suprascripta referebat, relatione audivi.

CAP. XXVI.

De obsidione Terræ de Modoëtia, & de magna carestia, quæ fuit intus; & de rupta de Bastita.

Videns autem Legatus, paulatim Galeaz ad perfectum venire, ac frequentiùs res ei prosperè cedere, ad dictum Henricum, qui se Comitem Laudensem faciebat exclamari, cujus titulus honoris ei concessus fuerat per Henricum jam in hac Historia Imperatorem nominatum, in Modoëtiam velo iter misit permixtas gentes armatas non duobus millibus minùs, eique scripsit, ut firmiter ageret negotia Ecclesiæ, & contra universum Mediolanì genus defenderent Terram de Modoëtia. Tunc in brevi Mediolanenses vocaverunt amicos suos vicinarum Mediolani Civitatum, scilicet de Cumis, de Novaria, de Vercellis, de Papia, de Laude, & de Pergamo, & cum maximo exercitu obsederunt Modoëtiam, & quamplures vices unâ eâdem horâ in pluribus partibus dederunt prœlium ad Terram de Modoëtia. Prætereundo fossam veniebant certi de eorum gente usque ad palangatum, qui tunc temporis erat super terragium fossæ, volendo per vim capere Terram. Sed qui intus erant, viriliter se defenderunt. Marcus autem illudebat, & improperabat, Galeaz, dicendo ei pacificè: *Qui sunt in Modoëtia, volunt tibi tradere Terram: nunc vade ad accipiendum eam*. Videntes verò, quòd per vim non poterant habere eam, voluerant habere per famem; & fecerunt bastitas, & fortilitias circa Terram. Tali modo obsederunt, quòd quasi nullus audebat intro portare victualia; & qui portabat, & caperetur, eruebantur ei oculi: His, qui intus erant ad defensionem Terræ, non deficiebant floreni. Tali modo fuit obsessa, quòd intus fuit ita magna carestia, quomodo nunquam fuit auditum fuisse in Terra Lombardiæ. Dicam aliqua: valuit starium unum farinæ frumenti libras VII. tertiolorum; valuit starium unum siccalis libras quinque tertiolorum, & aliquando plus. Valuit brenta una vini libras triginta, & aliquando plus; valuit starium unum salis libras viginti; valuit libra una olei olivæ libras duas; valuit ovum unum solidum unum, & aliquando septem, & octo imperiales; & sic de singulis Per circa octo menses duravit hæc carestia. Henricus occultè ad Legatum properavit, & de factis Modoëtiæ ei intimavit, quia amplius in Modoëtia non reversurus est. Porrò Legatus quemdam virum iniquum & debilem nomine Raymundum constituit in Modoëtia gentis Ecclesiæ principem. Tunc temporis dabatur ad horas debitas, & ad mensuram, panis & vinum illis, qui erant in Modoëtia. Ideo cupiebant vinum potare, & panem comedere sufficienter. Sed cùm exercitus Mediolanensium aliquantulum fuit diminutus, qui erant in Modoëtia cogitaverunt occultè per vim capere bastitam, quæ erat ad Sanctum Fidelem supra Modoëtiam per medium milliarium non multum longè à flumine Lambri, quæ dicebatur esse fornita de pane, & de bono vino. De mense Septembris dicti anni, die quodam uno summo mane silenter DCCC. equites, & mille quingenti pedites, quorum Capitanei erant Vergiusius de Lando, & quidam Allobrogus, qui fuit proditor eorum, prout dicebatur, nomine Mermetus de Verduno, exierunt extra Terram de Modoëtia; & cùm appropinquassent prope bastitam, Marcus vir in armis fortissimus exivit de castris, & apparuit in Campo cum quingentis militibus tantùm; & videns multitudinem gentium in circuitu eorum: *Ne formidetis, ait, quoniam hæ gentes venerunt injustè cum superbia in multitudine contumaci ad delendum nos. Nos verò pugnabimus pro justitia*. Et levaverunt alienigenæ oculos suos, & viderunt eos ex adverso venientes hilares ad prœlium, & timuerunt valde. Hi, qui fuerunt cum Marco, congressi sunt; & contritæ sunt gentes. & fugierunt in Campum; novissimi autem ceciderunt gladio; & persecuti sunt eos usque ad portam & fossum Terræ Modoëtiæ; & ceciderunt ex illis CCCLXXX. viri. Et reversus est Marcus, & exercitus ejus sequens Marcum, & dixit suis: *Non concupiscatis spolia, quia bellum forte contra nos est, eo quia multi armati sunt in Modoëtia; sed state contra inimicos nostros, & expugnate eos, si opus fuerit*. Et facta est tristitia magna in illis, qui erant in Modoëtia illa die; & nuntiaverunt Legato universa, quæ acciderant. Quibus auditis ille, & qui venerant in Modoëtia pro Romana Ecclesia, consternati animo deficiebant, quia non qualia voluerunt tempore quo venerunt in Modoëtiam usque in præsentem diem dictæ ruptæ, & cùm non essent digni, talia contigerunt; quia non contigit eis fecisse opera Ecclesiæ, sed fecerunt opera Diabolica; quia injustè in Modoëtia, & in aliis partibus, ubi potuerunt, interficiebant, nec parcebant. Fiebat ergo cædes juvenum, ac seniorum, parvulorumque; maculabant thoros; rapiebant aliorum mulieres; virgines, puellas opprimebant; robabant, & spolia-

liabant; furabantur, projiciebant domos, & incendebant. Masculi, & fœminæ, magni & pueri vincti ducebantur in eorum carceribus; fame, omnique tormento absque misericordia eos affligebant; & non fuit qui redimeret de manu eorum. Non dimittebant haberi panem de Clibano; non cacabum, nec lebetem cum escis de coquinis, cùm vellent rapere sinè lancea & clypeo. Sed nec ista sufficiunt. Ausi sunt intrare Templum situm in Modoëtia, universæ Italiæ sanctius. Multi Clerici, & Laici, Mediolanenses, & Modoëtienses, proditores, patriæ destructores, etiam Legato consentiente, qui patriæ Mediolani cupivit esse destructor, scelestis manibus sumentes pretiosa & sacra vasa aurea, & alia infinita eleymodia lapidibus, & margaritis pretiosis, ac sanctissimis Reliquiis ornata, quæ à Summis Pontificibus, Imperatoribus, & Longobardorum Regibus, & Civitatibus erant posita ad ornatum illius Sancti Templi & gloriam, contrectabant indignè, & contaminabant. Sicque facta est tribulatio magna Modoëtiensibus in illis diebus, qualis non fuit in memoria viventium; Et fuit hic novissimus error eis pejor priore, scilicet tempore, quo fuerunt à Mediolanensibus per vim deprædati, & spoliati, prout jam dictum est. Item alienatæ mente prædictæ pessimæ permixtæ gentes non considerabant, quia propter peccata habitantium in dicta Terra, modicum Dominus fuerat iratus: propter quod accidit circa Sacrum Templum despectio. Alioquin, nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut legitur de multis adversariis Longobardorum, etiam de Imperatore Constantino, qui voluerat venire ad exspoliandum Templum Sanctum, & Longobardos: etiam hi statim advenientes flagellati & repulsi utique fuissent ab audacia. Verè non propter Sacrum Templum gentem, sed propter gentem Lombardorum ex devotione eorum, quam habebat ad Sanctum Johannem Baptistam, sacrum locum dicti Templi Dominus elegit, prout in hac Chronica de ædificatione hujus Templi ante dictum est. Ideoque ipse locus sanctus particeps factus est cum populo malorum. Postea autem fiet socius & honorum; & qui derelictus videtur irâ Dei omnipotentis, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. Sic in aliis Historiis divinitus à Summis Auctoribus scriptum est. Obsecro eos, qui hanc Historiam lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem generis esse nostri, etenim multo tempore, non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est inditium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut eas, cùm juditii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in fine devolutis, ita demum in nos vindicet: propter quod numquam quidem à nobis misericordiam suam amovet. Corripiens verò in adversis populum suum amat non derelinquendo. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Jam autem veniendum est ad narrationem.

CAP. XXVII.

De Raymundo de Cardona, qui fugit è carceribus Galeazi.

INterea quamquam Galeaz libenter vellet cum Summo Pontifice pacem, nullum tamen mittebat in Curiam nuntium, ut hoc intelligeretur. Cogitavit autem, & in se ait. *Habeo Militem carceratum nobilem Raymundum pauperem, de quo numquam fortè possem habere custodiæ illius expensas; aliquo modo, vel pacto dimittam eum; & videbo, si pro me poterit intercedere ad Summum Pontificem, ut habeam pacem.* Tunc Alexander, & Schaboynus, qui erant super negotia Galeazi, pacta fecerunt inter Galeaz, & Raymundum, & de ejus consilio & mandato ordinaverunt cum Bechaloe, & Phœbo domicellis Galeaz, qui cum multis aliis erant ad custodiam Raymundi, qui ad modum proditorum ambo cum Raymundo recederent cautè. Qui nescientes fingere modum propter sollicitam aliorum, qui faciebant die noctuque custodiam: Galeaz ait: *Consilium quærite ab incarcerato, qui ad sui liberationem ingenium habet*; Cùm petiissent duo domicelli, respondit: *Fingite gratiam petere pro me, ut habeam hac nocte mulierem.* Et data est ei mulier in illa nocte. Qui ad majorem cautelam ait: *Non potui commisceri propter verecundiam virorum, qui mecum pro custodia in Camera cubant. Si placet Domino meo Galeaz, vellem intrare solus cum muliere in Cameram juxta istam propinquam.* Et concessum est ei, solis ambobus domicellis stantibus ad ostium cameræ. Qui circa primam horam galli cantus, de camera exivit cum eis Bechaloe, & Phœbo extra Civitatem, prætereundo fossum ad pusterlam Sancti Marci, ubi erat Provincialis miles, nomine Villagranata, vir juvenis & fortissimus. Hic sæpiùs à Modoëtia iverat Mediolanum, quia collateralis erat Raymundi, & sciebat factum. Qui omnes tres cum funea scala desuper fossum traxit, & eadem nocte Modoëtiam venerunt. Et cœpit rumor in Civitate: *fugit Raymundus in Civitatem.* Galeaz autem fingit dolorem, & banniri fecit domicellos. Præterea Raymundus sexta die de Modoëtia recessit, & ad Placentiam Legato se contulit, & de factis Terræ Modoëtiæ eum indiciavit, dicendo: *Aut mittantur ibi milites, & pedites, ut possint campizare contra Mediolanum, aut aliquo modo vel ingenio cum honore Ecclesiæ cum pactis reddatur Terra illa*; videtur enim dedecus à debili Tyranno, qui deberet esse pro Ecclesia potens, obsideri. Et Legatus ait: *Primò hæc notificabimus Summo Pontifici.* Raymundus verò deinde ad Papam properavit, & suum recessum de Mediolano ei cum veritate pandit; & docuit ei pacta, quæ petebat ei Galeaz, & ejus bonam voluntatem blandis verbis dixit. Pacta talia erant. Volebat tenere principatum Mediolani & Cremonæ tamquam Vicarius Ecclesiæ, promittendo suis expensis manutenere D. milites ad voluntatem Summi Pontificis in quocunque loco in Lombardia sibi opportuno. Papa verò respondit: *Pacta mihi placent; sed sciat Robertus Rex, cujus voluntati in hoc intendimus complacere.* Et Raymundus: *Pacta sunt facienda, Sancte Pater. Dico enim, quòd quando ibi plus mitterentur gentes, minimè victoria consequetur, quia aër ille insalubris est nostris gentibus. Et si quos habet Ecclesia hostes, mittat ibi, flagel-*

gellum recipient ad vindictam, quia viri illi in sua virtute ostendunt habere intercessores coram Altissimo, quia eis de Cœlo fortitudo est. His dictis, cum gratia Domini Papæ, semper sequentibus eum Domicellis, ad Regem ivit; & pacta, & responsionem Summi Pontificis Regi dixit. Qui respondit: *Pacta mihi placent, dum juret Galeaz nostro servitio ac suo omnem suam virtutem ponere contra Imperialem potentiam.* Qui Galeaz habita hac responsione ait: *Mihi est ante omne malum tolerare, quàm contra sacramentum vadam per me factum ad Aquilam.*

CAP. XXVIII.

De Thesauro Ecclesiæ Sancti Johannis ab illis, qui erant pro Legato, rapto, & in Avinione portato.

A

HOc verò Anno Domini MCCCXXIV. de mense Novembris unus suprascriptorum quatuor Canonicorum, qui absconderant supradictum Thesaurum Ecclesiæ Sancti Johannis, ut supra dictum est; nomine Aychinus de Vercellis, erat ad Civitatem Placentiæ, & ibi infirmatus est usque ad mortem; & Thesaurum manifestavit Archiepiscopo Mediolani, qui erat ibi. Qui Archiepiscopus de consilio, quod voluit habere, notificavit de ipso Thesauro Legato, & dixit, quòd Thesaurus ille erat pretiosus, & magni valoris, prout est bene. Qui Legatus prædicto anno & mense, cautè misit ad accipiendum dictum Thesaurum in Modoëtia; & ab Hemerico Camerlengo Ecclesiæ Romanæ capti sunt custodes Ecclesiæ Sancti Johannis; & ipse, & alii plurimi viri iniqui, certi Mediolanenses, & Modoëtienses proditores patriæ, ductores ausi sunt intrare de nocte sacrum Templum, & Thesaurus de loco scelestis manibus raptus portatus fuit in Placentiam Legato. Quo viso dixit: *Hæc res grandis est.* Et statim dictum Thesaurum destinavit ad Summum Pontificem Avinionem; & præsentato coram eo, sibi narratum fuit, qualiter abstulerunt à prædicta Ecclesia, & dixit: *Malè factum est; quia non indigemus de Thesauro.* Qui Dominus Papa misit pro Præposito, & Canonicis Ecclesiæ Majoris Avinioni, & fecit dare eis prædictum Thesaurum in custodiam, & jussit mitti pro omnibus Canonicis Ecclesiæ Sancti Johannis de Modoëtia, qui erant in Avinione, qui ibi omnes numero septem; & cum eis Notarius nomine Johannes Castellanus de Roma. Jussit autem, quòd Charta traderetur de Thesauro dato in custodiam supradictis Præposito, & Canonicis Ecclesiæ Majoris Avinionis, & in dicta Charta scriberetur pondus dicti Thesauri, lapides pretiosi, margaritæ, & totum illud per ordinem, sicut erat. Et ita factum fuit in præsentia Matthæi de Ribaldis de Modoëtia Canonici Ecclesiæ Sancti Johannis de Modoëtia, & aliorum quamplurimorum Canonicorum dictæ Ecclesiæ de Modoëtia. Qui Præpositus, & Canonici Ecclesiæ Avinionis fecerunt portare dictum Thesaurum in Sacrestia dictæ Ecclesiæ suæ in eorum custodia. Et suprascriptus Dominus Papa præcepit, quòd Thesaurus reddatur, & portetur in Modoëtia ad locum suum ad tempus opportunum, cum pactis & conventionibus, prout in dicta Charta jusserat poni, & posita fuerunt, sicut in ea Charta plenius continetur. Aliud autem in Historia audiendum est pulchrum Sancti Johannis miraculum.

B

C

D

E

CAP. XXIX.

De miraculo visionis factæ per Sanctum Johannem Galeazo; & de Terra Modoëtiæ sicuti fuit ei reddita.

POrrò Galeaz habuerat consilium à Mediolanensibus civibus, si habuisset Terram Modoëtiæ spoliandi eam, & non dimittere lapidem supra lapidem; & sic proposuerat in corde suo. Suprascripto eodem anno & mense Galeaz una die smaniavit intra se de labore & damno, quod patiebatur, eo quòd non valebat habere Terram. Nocte illa apparuit ei per visionem Sanctus Johannes Baptista, qui dixit: *Galeaz, Galeaz, Terram Modoëtiæ non subjugabis ad tuum dominium, donec non mutaveris propositum. Terra illa est in custodia Sancti Johannis, quamvis propter multa peccata & ea magna damna sit passa. Tu cogitasti eam derupare, ut maneat inhabitata, & meum Sanctum Oraculum ibi ad meum honorem divinitus longo tempore ædificatum vis maneat derelictum. Quare tibi dico: muta propositum, & propone rectificare dictam Terram quæ est in mei custodia. Si hæc feceris, eam in manu tua tradam.* Dies venit; de hoc, quod viderat in somnis, quasi nihil curavit. Sequenti nocte Sanctus Johannes iterum sibi per visionem apparuit, & eadem verba, ut in primis, ei dixit; & subjunxit, dicens: *Si verba mea non audis, de tua intentione malè habebis.* Qui motus à somno recordatus quæ audierat à Sancto Johanne Baptista egit, & in totum primum propositum mutavit, & voluntatem Sancti Johannis in corde suo proposuit. Quod, ut manifestum est, bene attendit, quia Terram Modoëtiæ, quæ propter guerram de suo bono pristino statu erat quasi ad nihilum redacta, citò fortiter rectificavit. Mutato proposito die quarto habuit Ambaxiatores de concordio fiendo restituendi sibi Terram; sub cujus specie qui erant pro Legato proditionem perpetravere cum quodam debili Laudensi piscatore, qui cum Navicula eundo per Abduam in quodam secreto loco inter vepres in pluribus diebus perforavit murum Civitatis Laudæ. Et quidam nocte Maxinus de la Ecclesia de Crema, & certi Laudenses Guelfi dictæ Civitatis exules, & quidam Conestabilis nomine Barbaranus vir Guasconus cum CCC. hominibus peditum & equitum per ipsum foramen intraverunt Civitatem, interficiendo plurimos custodes. Sed Beatus Johannes, qui Galeazo permutaverat propositum, secundùm suum velle ad bonum intentum promissionem restitutionis Terræ Modoëtiæ voluit attendere; quia qui ordinaverant proditionem, habebant intentum non reddendi Terram Modoëtiæ, si habuissent Civitatem Laudæ. Ideo Laudenses merito Sancti Johannis, prout putandum est, intratam proditorum senserunt, & ad arma concurrunt ad foramen cum magnis turmis. Sic faciendo qui erant extra Civitatem inimici, qui debebant cum aliis intrare Civitatem, fugerunt. Maxinus, & Barbaranus cum multis capti, ceteris suis interfectis, ad torturam positi perpetratam nequitiam manifestaverunt. Tunc videns Legatus ei nihil ad perfectum venire, fecit concordium, & à diebus decem mensis Decembris proximè sequentis reddita fuit Galeazo Terra.

CAP.

CAP. XXX.

De lamentis & suspiriis seniorum super Terra de Modoëtia, ubi plura notabilia & exempla.

POrrò recedentes inde permixtæ gentes, dimiserunt Sacrum Templum spoliatum, & Terram Modoëtiæ personis, & omnibus bonis vacuam, & quasi ruinatam, stantem sicut siccam arborem deruscatam, non ferens fructum. Galeaz verò secundùm quod promiserat, eos sociavit ipsa die, dum transierunt Abduam, ne injuriam paterentur à Mediolanensibus. Et in Modoëtia mandavit pro Potestate quemdam suum Collateralem cum certis militibus & peditibus nomine Trichedum Scarillem Brixiensem, qui jubet omnes Modoëtienses tam Guelficæ, quàm Gibellinæ factionis (transacta sanè & integraliter parcendo unicuique) cum omni securitate ex parte Galeazi magnis bonis & honoribus promissis, in Modoëtia stare, promittendo firmiter cum æquali justitia Terram rectificare. Tunc plurimi magna maturitate, & bonæ famæ viri senes, quorum pars adhuc in ipsa Terra remanserat, ceteri exules extiterant, simul veris amplexibus facta consolatione videntes desolationem Terræ suæ, & meminendo felicitatem ipsius, pro qua facti fuerant infrascripti versus:

Monzia Terra bona, civili digna Corona.
Monzia cunctorum dives & plena bonorum
Monzia dat Drappos cunctis mercantibus aptos.
Monzia stat damnis precibus defensa Johannis.

Ajebant cum suspiriis & lamentis per colloquia platearum, etiam in sancto Templo orando. Quomodo sedet sola in bonis artibus nominata fertilis Terra? Plena populo, facta est quasi repudiata vidua; vocata à Summis Principibus Domina, & caput Provinciæ Lombardorum, facta est sub tributo diversarum gentium. Plorans ploravit per diem & per noctem, & lachrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici, cùm deprædarentur & spoliarent eam. Migravit propter afflictionem & multitudinem servitutis; habitavit inter diversas gentes, nec invênit requiem; omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Peccatum peccavit Modoëtia, propterea instabilis facta est. Nom solummodo extranei, sed omnes vicinarum Terrarum propinqui, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus. Ipsa autem gemens conversa est retrorsum, manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit permixtas gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas qui habitas in altissimis per Apostolum Petrum, per Prophetam Johannem, & per Archangelum Michaëlem, prout legimus in Historia, cuidam sancto viro fuisse ab eis revelatum, ut diceret Imperatori Constantino, & illi, qui cum eo erant, ne intrarent non solummodo sacrum Templum, sed in terris, aut confiniis Italiensium visitantium illud. Omnis populus ejus gemens, & quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, & considera Terram Modoëtiæ, quàm facta est vilis. Longè ab ea factus est consolator; facti sunt filii ejus proditi, cùm invaluit inimicus. Mandasti Domine adversùm Modoëtienses in circuitu ejus hostes ejus; ipsos intus & foris interfecit gladius eorum. Facta est Modoëtia, quasi polluta omni turpitudine inter eos. Audite populi universi, & videte dolorem Modoëtiæ. Virgines ejus, & juvenes ejus abierunt in captivitatem; vocavit Terra Modoëtiæ amicos, & ipsi deceperunt eam. Sacerdotes ejus, & Senes ejus consumti sunt, quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam, & non invenerunt. Justus es Dominus, quia os ejus justè judicando te ad iram provocavit. Domine quod vis jube; sed virtutem patientiæ tribue. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te; & facientes justitiam in viis suis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, & peccavimus; in culpis fuimus semper, & salvabimur in tui misericordia. Cecidimus quasi folium universi. Nunc Domine pater noster es tu; nos verò lutum; tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, nec ultra memineris iniquitates. Ecce respice: populus tuus omnes nos; Terra tua facta est deserta; spoliata est domus sanctificationis tuæ, & gloriæ nostræ; ubi non solummodo patres nostri Modoëtiæ, sed Terrarum Lombardarum populi per intercessionem magni principis tui Johannis Baptistæ, laudaverunt te; & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Numquid super his continebis te Domine, & affliges nos vehementer? Domine adjutor noster, & protector noster es; confidimus in tua misericordia; adjuva nos, Creator noster, & miserere nobis, quia pauperes facti sumus; salva nos sperantes in te.

CAP. XXXI.

De bonis, quæ cœpit facere Galeaz hominibus, postquam reddita fuit Terra; & de ædificatione Castri in Modoëtia.

GAleaz postquam reddita fuit sibi Terra, homines dictæ Terræ qui erant Venetiis, & in aliis Civitatibus & Terris Lombardiæ sparsi, cum precibus, minis, & bonis promissionibus, eos ad Modoëtiam venire fecit; ab usuris & persecutionibus creditorum suorum illos liberavit; & omne malum & damnum inter ipsos inde retro factum quod parcerent jussit; & magnam justitiam in republica dictæ Terræ posuit. Et Castrum, quod est in Modoëtia juxta flumen Lambri versùs Mediolanum, mirabili modo cum magno opere anno sequenti post restitutionem Terræ de mense Martii construere cœpit. Sed cùm in dicto Castro graves carceres construerentur, à multis, qui erant in opere, & ab aliis, qui veniebant ad videndum opus Castri, cùm sentirent in civibus Mediolani esse discordiam, vaticinabantur dicendo: *Galeaz Princeps noster pro certo facit fieri sibi, & fratribus suis hîc carceres; & possent bene esse primi, qui in isto Castro incarcerabuntur*: & verè ita fuit. Eodem ipso anno, & in proximo sequenti in magnis fortilitiis dictum Castrum ponendo, multis magnum gravamen erexit.

CAP. XXXII.

De Raymundo de Cardona capto iterum ab Azone.

IStis verò diebus Florentini exercitum magnum moverunt contra Castruccium Principem Lucanum, & petiere Summo Pontifici Raymundum de Cardona pro Capitaneo. Qui dixit: *Sancte Pater, Sancte Pater, non possum, quia*

quia juravi Galeazo infra terminum tot mensium si non valebam eum reducere ad vestram gratiam, revertendi in viribus suis, licèt tali modo recesserim, prout vestræ Sanctitati notum est. Et Dominus Papa: *Absolvo te à sacramento, quia pacta secum facta, postquam reddita fuit Terra Modoëtiæ, sunt, quòd quilibet incarceratus & bannitus pro illa guerra de utraque parte debet esse à vinculis, & à banno absolutus, licèt non sint omnes nominati per nomen*. Et factus est Capitaneus. Ad Altumpassum prœlium initum est inter Florentinos & Castruccium; & contritus est exercitus Florentinorum à facie Castruccii; & captus est Raymundus, qui se reddidit Azoni filio Galeazi, qui cum trecentis militibus ibi fuerat in præsidio Castruccii. Azo eum tradidit Castruccio. Domicelli capto Raymundo secretè venerunt Mediolanum, & Galeaz, quæ gesta erant à Raymundo, retulerunt, qui bona fide suo posse in suo servitio suum interposuit consilium & favorem. Et Galeazo ait Domicellus: *Si quis dixerit nobis, quando tale nefas fecistis, quomodò evaditis?* Et ipsi: *Magnâ vestrâ misericordiâ per intercessionem amicorum, dicemus Domini?* Et ille: *Non ita, sed dicite: interrogate Galeaz, qui nos hoc facere jussit. Qui rectè cum Domino vestro agitis, nolo quòd indignè nomen proditorum sumatis*. Et hæc fuit magna & commendabilis prudentia, & gratuitas tanti Principis. Nunc audiamus miraculum grande, quod Sanctus Johannes Baptista voluit ostendere ad conservationem Thesauri sui, & ad exauditionem precum factarum per Beatam Theodolindam Reginam Lombardorum.

CAP. XXXIII.

De miraculo facto à Sancto Johanne pro Thesauro suo, quem furatus fuit aliquis in Avinione.

Reposito suprascripto Thesauro à suprascriptis Præposito, & Canonicis Ecclesiæ Majoris Avinionis in Sacrestia Ecclesiæ suæ in capsa una cum pluribus clavibus clausa, ut supra dictum est; elapsis quampluribus mensibus quidam familiaris amicus custodum, etiam cognitus à Præposito & Canonicis supradictæ Ecclesiæ Avinionis, qui sæpe & multoties frequentabat in dicta Ecclesia, & in officio suo, sic quod erat in illis quasi unus ex illis: sciens ille maledictus de Thesauro ibi reposito. & videns, quòd nemo curabat ire ubi erat capsa dicti Thesauri, quia Præpositus & Canonici credebant dictum Thesaurum stare in loco securo; sed eis evênit. prout ait Boëtius Lib. II. de consolatione: *Quæ verò pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus?* Tunc ille nequam cogitavit furari dictum Thesaurum, & cum eo recedere extra Avinionem, & ire in aliam provinciam, dicendo: *perpetualiter ero dives*. Et sicut cogitavit, facere voluit: cui malitiæ Sanctus Johannes, volendo custodire Thesaurum suum, restitit. Vênit die quodam ille malignus; cautè aperto ostio dictæ Sacrestiæ, clausuras capsæ ignominiosè aperuit, & Thesaurum illum accepit, & ut cautiùs exportare posset, partem vasorum aureorum mactavit & fregit; sic deinde cum Thesauro recessit. Ivit ad pontem Rhodani, volens ire in Regnum Franciæ. Ibi videbantur ei supra dictum pontem esse milites, & pedites armati custodientes, ne aliquis cum dicto Thesauro transiret; & cogitavit recedere ab una alia porta Civitatis Avinionis, & ire in aliam provinciam. Iterum ei simile visum fuit; & sic ab omnibus portis Civitatis Avinionis, dum exire voluit, similia, ut viderat ad dictum pontem in primis, vidisse se credidit. Reversus in se, super se stetit, & in se dixit: Vendam cautè illud quod potero in Avinione, & cum denariis recedam omnino. Et non cogitavit, quòd contra Deum, & Sanctos ejus non est consilium. Tunc portavit quamdam partem dicti Thesauri cuidam aurifici nomine Vanni de Florentia, qui tenebat fabricariam in Avinione, & dixit ei cautè: *Vis emere aurum istud?* Respondit: *emam*. Viso, facto pretio, ponderato, dixit ei: *Habes de alio?* Respondit: *habeo*. Et ipse: *porta mihi reliquum; ponderato tibi solvam*. Et fecit secum postam, quòd eodem die post vesperas horâ debitâ ordinatâ debebat portare. Aurificus ille sciebat de dicto Thesauro Sancti Johannis à Modoëtia in Avinionem Summo Pontifici portato. Profectoque, sicut placuit Deo, & Sancto Johanni, incontinenti ivit ad Curiam Domini Papæ, & absque vetito intravit usque ad ostium Cameræ Domini Papæ. Ibi crebrè pulsando dicebat: *Habeo secreta nuntiare Sancto Patri*. Qui cùm hæc diceret, de mandato Domini Papæ fuit coram ejus præsentia; & dixit ei: *Sancte Pater, Thesaurus magnus est in hac Civitate spoliatus*; & narravit per ordinem sibi quidquid cum illo maledicto gesserat. Vide miraculum. Incontinenti Summus Pontifex misit pro suprascripto Præposito Ecclesiæ Majoris Avinionis, qui cùm coram se affuisset, dixit ei: *Quid est de Thesauro Ecclesiæ Sancti Johannis Modoëtiensis?* Respondit: *Bene, Sancte Pater*. Et ipse: *Non credo*; & dixit ei: *Vade citò; vide absque mora, renuntia mihi*. Qui ivit, reperit capsam non clausam, & Thesaurum exportatum; & territus est quasi ad mortem. Qui statim redivit Summo Pontifici, eique dixit: *Sancte Pater, parce, parce, Thesaurus ille ablatus est*. Et Dominus Papa: *Per Deum per Deum malè tibi erit, & fratribus tuis*. Et incontinenti Dominus Papa jussit, quòd de familia sua mitterentur quamplures, qui starent in custodiam in locis ordinatis in viis, & angulis per circuitum domus, ubi morabatur dictus aurificus, & dixit illi aurifico: *Stabis ad stationem tuam, & expectabis hominem, & quàm citiùs venerit; facies signum illis, qui ad custodiam erunt, & capient eum; & tu secum ibis, & ducent eum ad judicium*. Et ita factum est; ductus ad judicium positus est ad torturam, qui omnia, quæ per ordinem fecerat, & ei acciderant, ut supra scriptum est, manifestavit & dixit. Judicatus, strascinatus fuit per totam Civitatem Avinionis; in fine suspensus fuit per gulam supra Castellettum, ubi de multis in Avinione fit judicium. Et sic illi maledicto evênit illud, quod deprecata est gloriosissima Theodelinda Regina, quæ fecit offertionem dicti Thesauri Sancto Johanni, quæ dicendo oravit: *Si quis quolibet tempore hanc donationem voluntati suæ corruperit, in judicii die cum Juda traditore damnetur*. Suprascriptus verò aurificus, hac suprascripta occasione, incontinenti factus fuit Mazzerius Domini Papæ, & usque hodie tenet beneficium, & valet reditus ejus omni anno florenos CC. auri. Quare admonendi sunt omnes viventes, quòd non audeant, nec præsumant aliquo modo furari, spoliare, nec diminuere supradictum Thesaurum, ad hoc ne cadant in judicium maledictionis,

nis, quod deprecata est Beata Theodelinda Regina, cujus preces, prout patet, exauditæ sunt à Deo, & à Sancto Johanne. Porrò reddito dicto Thesauro ab illo maledicto latrone, tunc jussit Dominus Papa, iterum dictum Thesaurum dari in custodia suprascriptis Præposito & Canonicis Ecclesiæ Avinionis sub magna pœna. Qui dictum Thesaurum posuerunt in unam capsam bene ferratam, ita quòd vix in una die possit aperiri, & dictam capsam cum dicto Thesauro appenderunt in altum juxta altare majus ad unam voltam in Ecclesia majori Avinionis, ita quòd omni die poterat videri; & ibi remansit, donec in Modoëtia ad suum locum Sanctum portatus fuit. Veritatem in Christo loquor, quia religiosus & sapiens vir suprascriptus Presbyter Gratianus de Arona Canonicus & Vicarius prædictæ Ecclesiæ Modoëtiensis, intelligentes & discreti viri Franzius Liprandi, Johannes Baldironus, atque quamplures religiosi, & alii fideles, qui omnes hodie vivunt, non mihi soli Bonincontro Morigiæ, sed quasi omnibus, qui in Modoëtia sunt, protestati fuere, quòd ipsis existentibus in Avinione, à venerabilibus Archiepiscopis, Episcopis, Archipresbyteris Religiosis, atque à fidelibus & discretis viris hæc relatione cognovere. Immo per tot, quot in Avinione sunt homines, suprascriptum, quod scripsi, miraculum probatum est esse verum. Quo quidem Thesaurus redditus fuit, ac Modoëtiam portatus Anno Domini MCCCXLIV. precibus & rogatione Domini Johannis Archiepiscopi, ac Domini Mediolani, qui ipsum Thesaurum sibi de Avinione portatum Modoëtiæ præsentavit Anno Domini MCCCXLV. die Lunæ XX. Martii.

CAP. XXXIV.

De Johanne, qui vênit Mediolanum causa conferendi cum Galeazo de pace fienda cum Legato.

Porrò postquam reddita fuit Terra Modoëtiæ, Anno proximo sequenti curso MCCCXXV. de mense Januarii, cùm tunc temporis habitaret in Civitate Parmæ in specialitate verus amicus Rolandi, & Francisci de Rubeis, qui dictæ Civitatis erant principales, Johannes Morigia de Modoëtia, idem vênit ad Civitatem Mediolani ad conferendum secreta cum Galeazo de pace fienda à dicto Legato cum ipso Galeazo. Qui honorificè receptus fuit, & libenter auditus ab ipso Galeaz, & gratiosè visus à ceteris de Vicecomitibus. Die quadam præsente me Scriptore, ipse Johannes dixit Rizardo Morigiæ: *Quid est de Terra nostra Modoetia?* Qui respondit: *Dimissa est ab illis, qui erant pro Romana Ecclesia, sicut arbor deruscata*, qui Johannes ait: *Rizarde noli timere: Deo dante, & meritis Sancti Johannis adjuvantibus, faciam citò, quòd illa Terra fiet arbor cooperta de bona rusca, ferens fructum.* Hæc dixit, quia consilio, & favore dictorum de Rubeis talia habebat à Legato, quòd non dubitabat, cùm gratiosè foret auditus à Galeazo demandare ad executionem dictam pacem cum magno honore sui; sed nondum habuerat responsionem de verbis intimatis ipsi Galeazo. Et stetit in Mediolano per dies XI. Habita responsione, non prout putabat placita, recessit, secum habens XXV. milites, qui sociabant illum secundùm Galeazi mandatum. In veritate cùm deberet ascendere equum, ipsi Rizardo, & mihi ait cum magno suspirio: *Timeo, & dubito fortiter de discordia fratrum. Dico enim vobis, ubi non est concordia fratrum, ibi non est Dei auxilium. Utinam isti fratres de Vicecomitibus Principes nostri cognoscant, quam habuerunt de Cœlo cum labore victoriam, quia ingratitudo est omnium bonorum extirpatio!* Qui ivit eodem anno infirmato corpore ad Civitatem Mantuæ, ubi spiritum exhalavit.

CAP. XXXV.

De discordia, quæ fuit inter Galeazum & Marcum; & de Epistola missa per Marcum Ludovico Regi; & de Epistola missa ab ipso Rege Galeazo & Marco.

Fuit autem magna discordia illis diebus inter Galeazum ex una parte, & Marcum fratrem suum, & Lodrixium patruum eorum ex altera, pro multis causis, & maximè quia Marcus & Lodrixius credebant in rebus contra inimicos gestis, prout ipse Galeaz, viriliter egisse. Ideo tamquam potentes volebant in urbe agere. Galeaz autem nolebat, sed prout Princeps liber omnia disponere, & unicuique justitiam, aut gratiam tribuere in republica volebat. Marcus verò & Lodrixius hoc molestè ferebant, & cum indignatione magna dicebant. *Quis est iste Galeaz, ut ei serviamus?* Tunc temporis cùm Lodrixius injustè peteret à Communi Modoëtiæ de toto tempore guerræ salarium Potestariæ dictæ Terræ ei concessæ dicto anno, & mense, quibus per eum spoliata fuit: id Galeazo innotuit; & me præsente in Modoëtia in Ecclesia Fratrum Minorum quasi minando ait Rectori, & multis de Consilio dictæ Terræ: *Nolo quòd respondeatis de Terra ista Azoni, nec Marco, nec alicui personæ de Mundo, nisi mihi soli; qui, Deo dante, & meritis Sancti Johannis Baptistæ adjuvantibus, solus cum ense hanc Terram acquisitus fuit.* Igitur Marcus, consentiente Lodrixio, attraxit ad se precibus, minis, promissionibus de magnis civibus Mediolani, & fecit sibi partem magnam contra Galeazum; & ordinavit de adventu Ludovici Imperatoris contra voluntatem ipsius Galeazi, qui libentius volebat cum Legato concordium. Et facta est contentio magna in urbe propter discordiam Fratrum supradictorum. Marcus igitur scripsit Ludovico Imperatori in hunc modum: *Bene sit Domino meo Regi in mari terraque. Nulla dilatio suæ præparationi ad recipiendum Coronas ei constitutas in magno Regno Italiæ fiet, quamquam cum magnis promissis alienigenarum conentur decipere per fraudulenta pacta potentes Lombardiæ ut magno Imperatori velint esse rebelles, & maximè illum de Mediolano, qui Deo dante potentiis & meritis Domini mei Regis adjuvantibus contra volentes decipere jam inde retro habuit victoriam & tenet principatum. Attamen Marcus qui potentiam & vires hostium confregit, & urbem Mediolani protexit; ut & ipse ejus frater, qui principatum tenet, obsistet ad prædicta pacta, & expectabit velocem adventum magni Regis, qui dabit cunctis Sacri Imperii amicis gloriam & fortitudinem Marcus Vicecomes, & multi amici Domino suo Regi fidelissimi &c.*

Ad Mediolanenses autem Regis Epistola talis erat: „ Ludovicus Rex Galeazo, & Marco fra„ tribus, & Senatui Mediolanensi salutem. Nos „ vo-

„ volentes eos, qui sunt in Regno nostro Italiæ „ sine tumultu agere, & rebus suis adhibere „ diligentiam: Audivimus, Lombardos non „ consensisse voluntati nostræ, ut se transferrent „ cum fraudulentis promissis eis factis ad ritum „ alienigenarum, & non velle tenere suum in „ stitutum; Volentes igitur hanc quoque gen- „ tem quietam esse, statuentes judicavimus, „ ab alienis juribus libertatem restitui illis, ut „ agerent secundùm majorum suorum consuetu- „ dinem. Si igitur in negotiis fidem conserva- „ veritis, etiam deinceps honoris vobis causa „ esse reputabo. Quare si sic estis ut volumus, „ & ipsi bene valemus, cum veloci apparatu „ citò veniemus ad accipiendum quæ nostra „ sunt, & dabimus divina largiente gratia pa- „ cem rebus. Bene valete.

CAP. XXXVI.

De Marco, qui ivit ad præsentiam Regis in Tridentum.

PArvo post tempore Rex ad Trentum Civitatem applicuit; Marcus ad ejus præsentiam ivit, & fratrem non cum honore sui de multis accusavit; & de pactis, sicut cum Legato agebantur, ei intimavit. In fine Regi supplicavit, quòd absque mora Mediolanum veniret; qui ei promisit. Et displicuit Galeazo, quòd ad Regem properasset. Et cùm reversus foret, ei ait: *Marce, Marce, talis putat se signare, qui suo cum digito sibi oculum eruit*. Marcus autem respondit: *Galeaz, Galeaz, qui solus vult esse, solus remanebit*. Voluit dicere, tu solus vis habere dominationem.

CAP. XXXVII.

De adventu Ludovici Imperatoris in Italiam, & de ejus coronatione, & de his, quæ gessit adversùs Galeazum in Mediolano; & de Nicolao Papa; & de liberatione & morte Galeazi, & aliis gestis illis diebus.

POrrò Anno Domini MCCCXXVII. Ludovicus Rex ab Alemannia recessit per vallem Monicam iter faciens in Lombardiam vênit; Civitati Cumarum de mense Maji applicuit. Galeaz magnificè ad ejus præsentiam in dicta Civitate fuit. Marcus, & Lodrixius verò cum multis nobilibus civibus Mediolani ibi festinaverunt, cautè consentiente Franchino Rusca dictæ Civitatis Principe ad Regem de multis criminibus Galeazum accusaverunt. Qui se excusabat, & ipsos in multis reprobabat; & factum est litigium magnum inter ipsos, & supplicabant fieri rationem à Rege. Ludovicus Rex respondit. *Si quid à Galeazo aliqui petere velint, ab injuriis discedant. Mediolanum supplices proficiscantur: ibi quod dignum fuerit adimplebitur. Ea mansuetudine atque misericordia Regiam Majestatem semper fuisse, ut numquam ab ea misericordia, auxilium, justitiaque frustra petatur*. Sed cùm IV. millia equitum in Mediolano Rex misisset die XVI. mensis Maji dicti anni horâ vesperarum solemniter & honorificè cum Regina intravit Modoëtiam, die sequenti Mediolanum destinavit. Ibi à Galeazo, & à Mediolanensibus cum magno honore receptus fuit. Licèt multi accusarent Galeazum, magnificavit eum Rex in conspectu omnium, & statuit ei Principatum, & quæcumque habuerat priùs; & apparaverant de Coronatione fienda Regi. Canis de la Scala, qui tunc temporis potentiâ florebat fortunâque, habens secum mille quingentos equites electos, & tot pedites, illis diebus vênit Mediolanum. Galeaz autem ad Monasterium Sancti Ambrosii fecit præparari Hospitium ei, qui ibi superbè in una nocte ad pusterlam Sancti Ambrosii super fossum Communis Mediolani pontem construi fecit, ut ab eodem exire & intrare posset Civitatem. Quibus auditis, Galeaz alia nocte dictum pontem destruxit; postea verò, prout placuit Regi, de eodem ponte factum fuit. Canis post hæc jussit expensatoribus suis, ut emere deberent per quatuor dies omnia victualia tam domestica, quàm salvatica, ut Galeazum verecundaret; sed non valuit, quia ubertas Mediolani nimia est, & quantùm plus emere fecit, tantùm plus duplicavit, & cuilibet emere volenti de prædictis nihil defuit. Sed expensatores ei de abundantia retulerunt, qui ait: *Plus est de hac Civitate, quàm dictum sit*.

Porrò Galeaz convocavit amicos in Civitate. In Mediolano venerant ad coronandum Regem Magnates Lombardiæ; & congregata multitudine coronatus est Rex ferreo diademate ab Episcopo de Aretio Mediolanensi Archiepiscopo Paschali die Pentecostes. Canis à Mediolano recessit, non valens obtinere quæ voluit ibi, & Veronam iter cepit. Prout refertur, cogitavit habere principatum Ambrosianæ Urbis, cùm multa eo tempore à magnis Civibus agerentur circa Imperatorem. Tum Marcus, & Lodrixius congregata multitudine nobilium Civium Mediolani secum, ad Imperatorem dixere: *O Rex: nos non imperium, neque divitias petimus; sed ut restituas Civibus libertatis præsidium, quod iniquitas Galeazi eripuit. Misericordiam, auxilium, justitiam postulant Regi, ut Respublica, quæ est Civium æqualitas, non pereat. Consilia seniorum, qui sunt salus, erepta sunt ab ea, volente uno secundùm suam tantùm voluntatem in Republica regnare*. Tunc depositus est Galeaz à principatu à Rege ei dato VII. die mensis Julii; & ipsa die mandato Regis Johannes de Rizach vir Teutonicus, Marcus Vicecomes, Paganus de Mandello, & Ramengus de Casate Modoëtiam venere. In publico generali Consilio Communis Modoëtiæ præsentans personam Regis, Tincredus Scarillis, qui sub titulo principatus Galeazi adhuc tenebat Potestariam dictæ Terræ, juravit facere Potestariæ dictæ Terræ regimen, receptis ab eis clavibus fortitudinem Terræ Modoëtiæ ad honorem & bonum statum Regalis culminis. Et voluerunt prædicti intrare Castrum, & nequierunt. Qui dum starent in Prato magno juxta Ecclesiam Minorum expectando responsionem intrandi Castrum an non. Ramengus aliquod verbum suspectuosum inter ipsos locutus fuit. Marcus respondit: *Ramenge, Ramenge, qui maleficia scit construere bene, scit & maleficia destruere*. Cui Ramengus: *O Marce quod dicis non est. Sed dicas: Ego telam ordiri procuravi fratribus meis, & mihi ipsi inutilem, quam dum vixero, deponere non valebo*. Et illa fuit veritas; & ipsa die equitaverunt ad Urbem.

Postremò dum hæc agerentur illis diebus, Stephanus minor frater Galeazi, debens servire poculo Regi, fecit credentiam. Et statim infirmatus est, & paucis diebus jacens in lecto moritur. De multis accusatis capti sunt Galeaz, Johannes, & Luchinus, & Azo filius dicti Galeazi

leazi ipsius Regis mandato. Factum est præceptum Galeazo, quòd Castrum Modoëtiæ reddatur infra trium dierum spatium sub pœna capitis amputationis; dederat enim in mandatis Castellano, quòd alicui viventi non daret Castrum, nisi videret ipsius Galeazi personam; qui nolebat reddere, nisi videret eum. Appropinquato termino venerunt in Modoëtia tristes mater, & filia, scilicet Beatrix Marchiona consors Galeazi, & Rizarda amborum filia, flexo genu ambæ cum magnis lamentis & suspiriis flebiliter cum misericordia & pietate rogabant, & supplicabant Castellanum, quòd redderet Domino Regi Castrum. Ajebant: *Ex parte Galeazi dicimus tibi*. Qui ait: *Nisi in primis videro ipsum Dominum meum, non reddam Castrum, & ante ero moriturus*. Et recesserunt ambæ cum magno & incredibili dolore. Demum Castellanus cognita veritate periculi Galeazi, & data ei solutione stipendii sui, Castrum reddere promisit. Episcopus de Aretio creditus erat à Rege; hic malè loquebatur de Galeazo. Jussit Rex, quòd Castrum ei redderetur; qui vênit Modoëtiam, & apertis fortilitiis, ut intraret Castrum, vocatus fuit; qui noluit, prout Clericus, qui semper mali exstitit præsumtuosus; sed ait: *Vulpis vetula non intrat in tanam novam*. Tunc qui secum erant, misit in Castrum. Tamdem incarceratis in dicto Castro prædictis Galeazo, Johanne, Luchino, & Azone sub custodia dicti Johannis de Rizach perfidæ fidei, viro Theutonico à Rege facto Castellano, verificatum est vaticinium dictum à multis tempore, quo ædificatum fuit Castrum, prout ante dictum est. Eo verò tempore per Consilium generale mandato Regis electi sunt XXIV. nobiles de populo Mediolani, qui semper persisterent super negotia Civitatis. Interim Rex multâ recuperatâ pecuniâ Comitem Guiliermum de Monte-forte Mediolani suum dimisit Vicarium, Marcum Vicecomitem secum duxit in Tusciam die XIII. mensis Augusti, nullum confundens Imperatoriæ majestatis hostem, quasi furtivè iter arripiens. Ibi nobilissimè receptus fuit à Castruccio Principe Lucano, quem Ducam Lucanum constituit. Pisani odentes Castruccium Regi vetare voluerunt; qui per vim Civitatem intravit, & in bona custodia ipsam dimisit. Et cum Castruccio Duca veloci itinere absque vetito intravit Romam, & ibi in Ecclesia Sancti Petri recepit auream coronam. Faventes ei erant Comites de Sancta-flore, Sarra de la Columna, & multi alii magni Principes Romani. Excommunicatus est Ludovicus Imperator à Summo Pontifice Papa Johanne XXII. quia ibi alium Papam immo Antipapam creavit, quem Nicolaum Quartum appellavit; qui multos Cardinales instituit in Italia, & in Alemannia Archiepiscopos, Episcopos, & alios Clericos multos fecit, sic quòd Ecclesia Dei tunc in magno errore fuit. Ibi Marcus videns non solummodo fratribus, sed sibi ipsi, & amicis suis malum fecisse, pœnituit; & ipse, pro fratribus etiam operante Duca Castruccio, cui non pondus auri potuisset eripere bonitatem fidei illius, prædictorum fratrum de Vicecomitibus amico, quæsivit amicorum partis Gibellinæ consilium & favorem. Tunc magni Principes Romanorum, & Italiensium, Imperatori sublimi gratias postulaverunt de incarceratis Mediolanensibus, qui eos minimè exaudivit; & indignati sunt. Duca verò Castruccius à Roma velociter recessit, & Pistoriam Civitatem suam, dum steterat Romæ, à Florentinis captam po-

A tenter obsedit. Tamdem deficiente Imperatori pecunia, volens ponere Romanis coltam, ab eis à Roma expulsus est, & in Tusciam iter properavit. Cùm non fecisset gratiam de Mediolanensibus carceratis Principibus, timuit de Castruccio Duca, ne ei rebellaret. Ideo qui erant carcerati Galeaz, Johannes, Luchinus, & Azo, in suam gratiam recepit, & in Tuscia quòd ad se venirent jussit. Qui ipso Anno Domini MCCCXXVIII. die XXV. Martii, mandato Imperatoris à vinculis liberati sunt. Homines de Modoëtia in singularitate, & communiter non ingrati beneficiis bonæ voluntatis Principis sui Galeazi incœptis, cautè gratuita dona eis largiti sunt. Qui benignè recipientes, & multa Modoëtiensibus promittentes, de Modoëtia
B recesserunt, & in Tusciam applicuerunt, antequam Imperator. Galeaz verò ad exercitum Pistoriæ, ubi erat Duca Castruccius, applicuit, qui ei in occursum fuit, & se invicem cum osculo veræ pacis & amicitiæ amplexati sunt, qui semper ut fratres dilecti fuerunt. Habito inter eos consilio, quid agere deberent, Duca ad Lucam vênit, & Galeaz ad Regem iturus exercitum dimisit. Cùm Imperator ibi appropinquaret, Galeaz in exercitu infirmatur. Hoc sciens Duca ibi fuit, & ad Pisciam eum duci fecit; & in tribus diebus illic vita discessit. Sed parvo post tempore Duca per vim Pistoriam cepit, & à facie ejus conterriti sunt inimici,
C capti, & mortui. Qui reversus ad Lucam, brevi infirmitate depressus diem clausit extremum. Sicque spiritum exhalarunt duo potentes, validissimi, prudentesque Gibellinæ partis Principes Italiæ. Illis diebus Pisani expellere voluerant, qui ibi erant pro Imperatore ad custodiam Civitatis, & nequierunt. Imperator ibi remeavit, & multos punivit.

CAP. XXXVIII.

De Principibus Civitatis Laudæ captis & interfectis, à quodam suo servo.

D NUnc autem referendum est de magna peste, quæ eodem tempore contigit evenisse Suzio, & Jacobo de Vestarino Laudensis Urbis Principibus; qui cùm exaltavissent quemdam eorum famulum, qui fuerat Mulinarius, nomine Petrus Tremacoldus, qui & dicebatur Regius, vir ferus, hunc fecerunt principem latrunculorum suorum, qui adversariis eorum & Civitatis suæ infinita mala intulit, & usque ad mortem induxit, permittebant eum facere in Civitate Laudensi quasi quod ipse volebat, confidentes se de ipso; & claves unius portæ Civitatis in suo posse tenebat. Tamdem servus ille in Civitate, & in Episcopatu precibus, muneribus, servitiis, & gratiis multos ad se attraxit. Cùm autem quidam juvenis nomine Sozi-
E nus de Vestarino illius neptem stuprasset, & de quadam præbenda Laudensis Ecclesiæ nepotem violaret, ac ei pro dictis violentiis roganti minas contulisset, in superbiam elatus contra Principes suos odium erexit. Et omnia beneficia, quæ ab eis receperat, oblitus, una nocte ipse Vegius cum mille quingentis hominibus peditibus armatis, quorum aliquam partem in die, & aliam partem in nocte illa cautè in Civitatem venire fecit; ad arma concurrit clamando: *Vivat populus, vivat populus*; & cum furore ad domos prædictorum de Vestarino ivit. Qui audientes rumorem eidem dicebant: *Fili noster, quid est hoc?* Qui respondit: *Scietis*. Ipsos duos Prin-

Principes cum aliis quatuor de Vestarino capere fecit, & in carcerem ipsos sex reclusit. Ceteri de Vestarino fugerunt cum ipso juvene Sozino. Et in dicta Civitate tamquam Vicarius Ecclesiæ Romanæ se conclamari fecit. Qui servus nequam appensatè prædictos sex multis tormentis afflixit, & in fine ligatis manibus & pedibus omnes sex in dicto carcere in uno scripno includi fecit, & ibi de perfida fame eos crudeliter interemit. Deinde misit ad Comitem Guiliermum de Monte-forte Vicarium pro Imperatore in Mediolano, quòd non paveret, quia nullo modo daret Civitatem ad Ecclesiam, immo volebat tenere eam ad honorem Imperatoriæ majestatis, & ejus partis; & quòd non miraretur de hoc, quod fecerat, quia sciebat firmiter, prædictos velle dare Civitatem Legato misso in Lombardiam à Summo Pontifice. Sive veram, sive non, hanc excusationem fecit de malo. Verum tamen fuit, quòd Civitatem tenuit ad honorem partis Gibellinæ. Prædictam pestem dicitur verum fuisse judicium Dei, cùm in Divina Scriptura legatur nullum malum impunitum. Patet, ipsos crudeles fuisse, quia incarceratos numquam dimittebant exire, & infinitos in carceribus crudeli fame perire fecerunt; & gaudebant, & ridebant audiendo incarceratos fame cridare. Ideo divino Dei judicio eadem peste meruerunt interire. Redeamus ad ea, quæ ab Imperatore in partibus Italicis gesta fuere.

CAP. XXXIX.

De pactis factis ab Imperatore cum Marco & fratribus in Pisis; & de Johanne facto Cardinali; & de Azone filio Galeazi facto Vicario Mediolani; & de Duce de Tech facto ab Imperatore Terræ de Modoëtia Principe; & de aliis gestis.

PORrò cùm deficeret pecunia Imperatori, quamplures Vanneriæ suorum equitum ab ipso recesserunt, quia solutionem stipendii habere non poterant; & timuit Imperator. Pro qua causa, & precibus amicorum, pacta cum Marco, Johanne, & Luchino, & Azone fecit. Qui auri LX. millia florenorum ei promiserunt, videlicet XXX. millia danda prædictis stipendiariis, qui à se recesserant, pro quibus florenis Marcus pro hostatico in fortiam ipsorum stipendiariorum se supposuit; aliis XXX. millibus ad Cameram Imperatoris applicandis. Tunc Imperator in Pisa dictum Johannem Vicecomitem Cardinalem constitui à dicto Nicolao Papa fecit; & Azonem Mediolani ejus Vicarium instituit. Qui ambo, Johannes Cardinalis, & Azo, versùs Mediolanum properaverunt. Qui ad XXIV. qui electi erant ad regendum rempublicam Mediolani, ad gaudium literas misit, cujus tenor talis erat:

Nobilibus viris Dominis XXIV. præsidentibus negotiis Communis Mediolani amicis carissimis. Johannes Ecclesiæ Mediolanensis, &c. & Azo Imperiali gratia Civitatis, & Comitatus Mediolani Vicarius Generalis; necnon Marcus &c. de Vicecomitibus. Votiva cum salute ad gaudium amicitiæ vestræ nuntiamus, divina gratia præcedente, Serenissimum Dominum Ludovicum Dei gratiâ Romanorum Imperatorem, & semper Augustum, consideratis præteritis, præsentibus, & futuris, die XV. Januarii dicto Domino Azoni de Vicariatu prædicto Mediolani gratiosissimè providisse, ad exaltationem & conservationem sacri Imperii, & Communis Mediolani, & vestrum, & omnium amicorum. Data Pisis Anno Domini MCCCXXIX. die XVIII. Januarii. Post hæc die Mercurii sequenti Dominus Papa habuit Consistorium, in quo fuit Dominus Imperator cum Cardinalibus; & ibi provisum fuit, Dominum Johannem fore Cardinalem, & Legatum in Lombardia: quod completum fuit die XX. ipsius mensis, semper Domino Imperatore præsente. Data Pisis die XX. Januarii. Qui Domini XXIV. miserunt Modoëtiensibus ad gaudium literam habentem exemplum supradictæ literæ interclusum. Cujus tenor talis erat:

Nobilibus viris Domino Albertino de Puteo Vicario, Procuratoribus, Sapientibus, & Communi Modoëtiæ amicis carissimis suis dilectis XXIV. electi ad conservationem status pacifici Communis & populi Mediolani, salutem ad vota semper placidam & felicem. Ecce volentes vobiscum votivis felicitatibus participare, vobis nova, quæ præsentialiter habemus, nuntiamus, præsentibus interclusa ad gaudium sempiternum. Et placeat vobis mittere Ambaxiatores vestros solemnes pro honorando Dominos de Vicecomitibus, qui erunt hìc die Jovis proximè futuro. Data Mediolani penultimo Januarii.

Venerunt itaque die II. mensis Februarii anni suprascripti Modoëtiam, & ibi magnis turmis populi cum toto Clero sibi venientibus in occursum, prout à suis fidelissimis, cum magno honore recepti fuere. Sed cùm Guiliermus Comes de Monteforte pro defectu pecuniæ eos, ne irent Mediolanum, impediret, per XIII. dies in Modoëtia steterunt. Postea verò soluto debito ipsi Guiliermo, Mediolanum sapienter cum magno honore intrarunt. Azo Vicarius Mediolani stetit, & dictus Comes Guiliermus inde recessit, & in Alamanniam statim iter cepit. Verè noscitur, quòd non modicum cum eis Dominis de Vicecomitibus laboravit Fortuna terrenorum bonorum domina.

His itaque gestis Imperator, qui erat in partibus Tusciæ novit sibi adversam esse, quæ in pristino suo cursu ei favebat. scilicet Fortunam. Omni die militum, & peditum, atque pecuniæ sibi occurrebat inopia. Magni Principes Italiæ Gibellinæ partis, qui priùs majestati suæ omne auxilium fuere, rationabili de causa ei defecere, quia non ipse ad Guelficam factionem dedit confusionem, sed exaltationem; quia in Italia nullum Guelforum genus debellatus est; inter Gibellinos, quò ivit odium erexit, quærens pecuniam, non cum sua virtute vincendo inimicos, sed pro pecunia a vinculis absolvit Guelforum Principes multos, sicut liberavit à carceribus multos, ut Raymundum de Cardona, & multos alios in Tuscia, qui in exercitu fuerant conflicti, & incarcerati à Castruccio Duca. Etiam spoliavit Imperatoriæ majestatis amicos sub specie discordiarum ipsorum. Ideo non laudandus est Princeps, capiens fidelium suorum discordiam causâ rapiendi ab eis pecuniam. Videns ergo se malè paratum, quærit properare Mediolanum. Eodem tempore Ludovicus Dux de Tech vir Theutonicus Imperiali auctoritate constitutus fuerat Dominus, & Vicarius Terræ, & Castri Modoëtiæ; & Bassianus Crivellus Potestariam dictæ Terræ ab Imperatore sibi concessam per annum dimiserat. Illis diebus destinavit Imperator Modoëtiensibus Epistolam infrascripti tenoris.

Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, prudentibus viris, Consilio, & Communi Modoëtiæ, suis, & Imperii fidelibus dilectis gratiam suam, & omne bonum. Ex quo nobilis vir Ludovicus Dux de Tech familiaris noster dilectus ad vestri gubernationem & regimen est assumtus, fidelitati vestræ eumdem ex affectu sinceriùs commendamus; requirentes vos hactenus & monentes, quatenus ipsum studeatis in omnibus benigniter pertractare. Data Lucæ II. die Aprilis Regni nostri Anno XV. Imperii verò secundo. Tunc Dux misit per Procuratores, & per duodecim de Secreto Consilio Cameræ Communis Modoëtiæ, ut venirent in Castro, quòd habebat secum conferre. Qui me Scriptore præsente, quamvis indigno, qui eram unus illorum duodecim, iverunt cum certis suis in Secreto Consilio Cameræ suæ in arce Castri, dato nobis sacramento observandi fidem Imperatori, ait: *Habeo à Domino nostro Domino Imperatore, quòd habet supra ceteras Terras Lombardiæ Terram istam caram, & homines ei fideles; & pro certo habeatis, quia voluntatis suæ est amplificandi in gloria & honore ultra quod sui antecessores fecere Terram & homines hujus Terræ; Ipse vult venire de præsenti in partibus istis, & de ejus mandato vos hic congregavi, ut scirem intentionem & voluntatem populi hujus Terræ, & si necesse fuerit, si erant parati ad recipiendum eum. Alioquin, quod non credendum est, si non haberent puram intentionem in suis meritis, poneret voluntatem suam ad alium locum, & hic non propinquaret nisi de vestra beneplacita voluntate &c.* In his verbis multi nostrûm timuerunt, ne vellet nos tenere prout hostatici. Tunc surrexit prædictorum duodecim Modoëtiæ unus eloquens vir & prudens, nomine Paulus Liprandi, qui alacri facie, prout videbatur, sed ut postea dixit, intus erat timidus, ait: *Domine Dux scio vobis dicere veritatem, quam securè mittatis Domino nostro Imperatori. Homines hujus Terræ habent à natura esse partem Imperialem, & à nativitate sunt Imperialis pars, tam parvuli, quàm magni, masculi, & fœminæ, & immemores non sunt de beneficiis receptis à Domino Imperatore nostro, & à suis antecessoribus Imperatoribus, qui dotaverunt istam suam Terram de fortissimis privilegiis super omnes Lombardiæ, ex quibus in magnis bonis, & honoribus successivè per tempora opportuna devenerunt, & in specilitate diligunt nobilitatem Sanguinis Domini Domini Imperatoris, quia primò, & principaliter Beata Theodelinda Lombardorum Regina, quæ fuit de domo & Sanguine ejus, per divinam revelationem ædificavit in hac Terra Oraculum Sanctum ad honorem Dei, & Sancti Johannis Baptistæ, & posuit nomen ad hanc Terram scilicet Modoëtia: & ejus corpus est in dicto Oraculo honorificè humatum; & fuit prima causa omnium beneficiorum & honorum tam cœlestium, quàm terrestrium prædictorum Terræ & hominum. Quare audeo offerre, & offero eis, qui sunt hic, & pro omnibus aliis hujus Terræ eorum res bona, & personas usque ad interitum ad omnem honorem & bonum statum Domini nostri Imperatoris absque ulla dubitatione.* Tunc Dux ait contentato animo: *Bene novit Dominus Imperator, quæ dixistis de prædicta Regina: quare majorem zelum habet huic Terræ suæ. Ibitis in pace; & cùm fuerit opportunum facta sequantur verba.* Et responsum fuit: *Ita erit*; Et recesserunt. Verè ille Dux
A non erat malus homo. Hæc gesta fuere de mense Aprilis dicti Anni MCCCXXIX. existente pro Imperatore Potestate Modoëtiæ quodam debile stipendiario tali honore indigno, nomine Franzio de Luvano Episcopatus Cumarum.

Porrò die Jovis XVII. die dicti mensis Aprilis Martinus Liprandus occultè à Mediolano applicuit Modoëtiam, & convocavit amicos, eo quia ipse, & fratres sui, quamvis starent in Mediolano, Modoëtienses erant; & nemo sciebat, quid vellet esse ejus adventus; sed in Modoëtia vox fuit incontinenti, quòd in Mediolano stabant sub arma. Dictus Potestas, qui de factis sciebat, misit unum suum lictorem ad claudendum unam portam dictæ Terræ, quæ
B dicitur *Porta de' gradi*. Qui cùm esset supra pontem arenæ in medio itinere, per quemdam fratrem dicti Martini claves lictori, fracto ei capite, per vim accipiuntur. Et statim dictus Martinus, & quamplures alii ad arma concurrunt, & ad dictam portam ne clauderetur properaverunt. Theutonici, qui erant in Castro, sentientes rumorem, foris cum armis equestres venerunt intrando Terram, sed non multum longè à Castro. Eadem hora Pinella frater dicti Martini cum quingentis militibus missus ab Azone Imperiali auctoritate Mediolani & Comitatus Vicario Generali, per dictam portam Modoëtiam intravit, & ad plateam dictæ Terræ eundo versùs Castrum, ivit exclamando:
C *Vivat Azo*. Theutonici, qui exierant de Castro, non habentes succursum à Modoëtiensibus, statim in Castro reversi sunt; & extra Castrum exeuntes, supra stratam, per quam itur Mediolanum, se posuere; & ibi qui veniebant ab urbe, quatuor Modoëtienses ceperunt, & in Castrum captos duxerunt; qui mille florenis redemti fuerunt. Absque mora inter Terram, & Castrum longè à Castro per jactum balistæ Pinella jussit fieri fossum, & de assidibus aspaltum. Die XXVI. dicti mensis Aprilis Azo misit duos nobiles Cives, nomen uni Boschinus miles de Mantegaziis, nomen alii Paganus de Mandello per Ambaxiatores Modoëtiam, &
D convocato Modoëtiensium consilio, Boschinus ait: *Princeps noster Azo misit nos ad vos ad referendum causam novitatis, ad hoc ne miremini. Habet, quia Dominus Imperator est hic prope, & vult venire Mediolanum, habens secum quatuor millia virorum, inter quos amissis armis & equis sunt duo millia nobilium Theutonicorum in paupertatem deductorum, & dicunt: eamus Mediolanum, ibi recuperabimus, quæ alibi amisimus, non cogitantes damna passa per Mediolanenses, & per Modoetienses à pauco tempore citra; Sed putant depravare, & omnimodo spoliare, ut possint pecuniam rapere. Hi non Guelforum inimicorum signa aquilis fregerunt, sed contra qui eos receperunt cum honore,*
E *Gibellinos, scilicet, homicidium, rapinam, & prædam fecerunt. Provisum est à Principe nostro Azone, & à Mediolanensium populo, prædictos non debere recipi, & non eis esse subditi, cùm de illorum dominatione habeamus magnum eis vetandi exemplum. Quare ex parte dicti Principis nostri hortamur vos ad sui, & Mediolanensis populi unitatem; quia quidquid estis, & Mediolanenses sunt; & quidquid sunt Mediolanenses, & vos estis: quæ unitas, Deo dante, & meritis Beati Johannis Baptistæ patroni & defensoris omnium Lombardorum, & in specialitate Communis & hominum hujus Terræ, etiam aliorum Sanctorum quorum in Civitate no-*

stra

stra sunt corpora honorificè reclusa, adjuvantibus, prædictos expellet, & liberabitur patria nostra ab iniquitate extraneorum. Ad hæc verba, quæ jam supra memoravimus, prudens Paulus Liprandi surrexit, & ait: *Quæ cognosco, & ceteri qui sunt hic, & major pars aliorum hujus Terræ cum veritate cognoscunt. Ideo ingratitudo, quæ est omnium bonorum exstirpatio, abjicietur, cognoscendo tam salubre consilium & favorem, prout à Principe nostro Azone, & à Mediolanensibus sapientibus, Consilio & hominibus Terræ de Modoëtia datum est, & non fictè, sed cum pura dilectione & amore, quæ patent, cùm tales perspicui & nobiles viri duo hic à dicto Principe nostro Azone missi sint per Ambaxiatores; quia majoribus Principibus, aut Civitatibus Mundi non possent mitti alii duo digniores tali honore. Et prout dictum est de prædictis Theutonicis, ita est. Et audeo dicere, quòd qui se facit Imperatorem nondum complevit, & malè cœpit complere titulum de Imperatore. Qui se dicit* Romanorum Imperator semper Augustus, *hic non fuit, nec cœpit fieri Augustus Imperatoriæ majestatis, sed ex adverso cùm confusionem miserit inter Aquilæ amicos, non certando contra adversarios: quare melius est, quòd vadat cum suis in suis partibus. Homines hujus Terræ à majore usque ad minorem, masculi, & fœminæ, non discedent à velle Principis nostri Azonis, & populi Mediolani; quia quæ Modoëtiensium sunt, Mediolanensium sunt, & è converso quæ Mediolanensium sunt, & Modoëtiensium sunt. Terra de Modoëtia, si necesse fuerit, viriliter defendetur à prædictis, & salvabitur patria Mediolanensium, Deo dante, & meritis Sanctorum ejus adjuvantibus:* sic omnes, qui erant in Consilio, exclamaverunt: *Ita fidelissimè fiet.* Tunc surrexit Paganus de Mandello qui ait: *Non minùs judicat Princeps noster Azo, & populus Mediolani de hominibus hujus Terræ, & credunt verè bonam vestram cum fidelitate intentionem. Id intimabitur Principi nostro Azoni, & populo Mediolani, dispositis remunerare firmiter amicos, & pro labore & expensis bonum & optimum præmium reddere.* Die verò sequenti Azo misit epistolam Modoëtiensibus, cujus tenor ita continebat. *Nobilibus viris, Dominis, sapientibus, Consilio, & Communi Modoëtiæ amicis diligendis præcipuè, Azo Vicecomes Imperiali gratia Civitatis & Comitatus Mediolani Vicarius Generalis, cum sincera dilectione salutem. Placitum habentes nobis gratum responsum, quod heri dedistis Ambaxiatoribus nostris, quos ordinavimus heri vobis mandare, cujus agendo grates quamplurimum, harum tenore iteratò inducimus & hortamur nobilitatem & amicitiam vestram circa vestrum, & vestræ Terræ defensam. Et habentes de his fiduciam pleniorem, quod sæpè Dei, vestrum etiam, & amicorum subsidio intentum nostrum semper obtinebimus hujus propositi. Nec doleant, quæ à vobis expensæ sustinentur ad præsens, dispositi remunerare, & præmium reddere cùm fuerit nobis facultas, quam expectamus in brevi. Data Mediolani die XXVII. Aprilis.* Et appellati sunt Modoëtienses à Mediolanensibus amici, & socii, & fratres, quia susceperunt Ambaxiatores Azonis gloriosè.

CAP. XL.

De obsidione facta ab Imperatore Terræ de Modoëtia, & Civitatis Mediolani.

PORrò illis diebus Imperator à Tuscia recesserat, & Pisciam Interlach fratri Episcopi de Aretio, quem ibi suum Vicarium constituerat, in custodiam dimiserat. Sed cùm Imperator, & qui secum erant, deberent transire Padum fluvium magnum pro veniendo Mediolanum, sexcenti stipendiarii suorum peditum Italiensium balistas portantium furtivè per medium diem, antequam ipse, nec aliquis aliorum suorum transirent, & per secreta itinera, ad stipendium Azonis venerunt. His auditis Imperator infirmavit, intelligens Mediolanenses contra eum esse paratos. Dicto anno de mense Maji prope Modoëtiam applicuit ab Oriente parte; sed adjuvantibus meritis Sancti Johannis Baptistæ, cùm nondum fortilitia inter Castrum & Terram foret sufficienter parata, tale auxilium de Cœlo prædictæ Terræ fuit, quòd eadem die, qua Imperator applicuit, miraculosè flumen Lambri per pluviam ita fortiter crevit extra lectum mira magnitudine, quæ numquam per memoriam viventium visa fuit, sic quòd Imperator ad Castrum, nec ad Terram (probato frustra guado in flumine à quodam suo securo milite cum magno destrario) appropinquare non potuit. Expectavit per plures dies, quòd flumen cessaret. Tamdem videns, quòd in magnitudine staret, habito consilio à Flamengo de Casate, & ab aliis quamplurimis Civibus Mediolani, qui secum erant, & qui prædictorum de Vicecomitibus contrariò steterant, ad pontem de Aliate, qui pons est per VII. milliaria supra Modoëtiam, ivit, & ibi flumen transivit; & iterum prope Modoëtiam vênit, & eam obsedit ab Occidente parte, & mandavit Modoëtiensibus, quòd traderent ei Terram suam. Qui responderunt: *Mediolanenses fraudulenter & furtivè manu armata Terram Modoëtiæ à viribus Modoetiensium hominum abstulerunt, & illam gladio suo contra Dominum nostrum Imperatorem defendere volunt.* Et dixerunt: *Notarius tradat chartam, quia homines de Modoetia non sunt, nec volunt esse rebelles Domini sui Imperatoris, nec gladium suum direxerunt contra eum, sed prout homines, qui à Mediolanensibus sua virtute tenentur constricti, non possunt, prout eis velle est, obedire Domino suo Imperatori.* Propter moram, quam dedit ei flumen Lambri, & propter treguam simpliciter factam à Duce pluribus diebus cum Pinella, fortilitia inter Castrum & Terram fuit taliter facta, quòd in campo pluribus diebus mensis Maji stetit, & in Modoëtiam intrare non valuit. Sed Amoratus filius quondam Guidonis de la Turre, qui parvulus tempore, quo per Matthæum Vicecomitem, Mediolani partis Gibellinæ Principem, capta fuit Papia, victus ibi, & Mediolanum ductus, stetit in viribus dictorum de Vicecomitibus in Mediolano, & in Modoëtia, in Castro remansit in fortiam Imperatoris; qui acceptis mille quingentis florenis ab amicis illius Amorati eum à carceribus absolvit. Et recessit à Modoëtia, & ivit ad Mediolani assedium; deinde cum pactis, conventionibus paucâ sibi datâ pecuniâ, ab assedio Mediolani se abstulit. Postea reddito Azoni Modoëtiæ Castro Papiam ivit, & ibi paucam moram traxit, deinde in Alemanniam, sequente eum Bassiano Crivello mi-

milite, illorum de Vicecomitibus per mortem Simonis Crivelli facto rebelle, eodem anno non cum honore rediit. Illis diebus carestia, & fames valida facta est valde. Tunc dictus Papa Johannes XXII. in suam gratiam recepit Mediolanenses, eo quia vetuerant dicto Ludovico Imperatori. Suprascriptus Johannes Vicecomes, dimisso capello, quem acceperat à dicto Antipapa Nicolao, dictus Papa Johannes eum Episcopum Novariensem fecit, & Mediolanum ab excommunicatione absolvit. Et ille Antipapa Nicolaus captus, coram Papa Johanne ductus, de sua culpa veniam postulavit; qui incarceratus, postea absolutus in fine Avinione vitam finivit.

CAP. XLI.

De magna peste occursa Principi Mantuæ.

HIs diebus Passerinus de Bonacossis Princeps Civitatis Mantuæ, qui dicebatur esse fortior, & potentior, & securior de suo Principatu, quàm alius Princeps Lombardiæ, & plures habere denarios, & in Civitate sua nôn habere contrarios; de quibus non dubitabat Consanguineis, una die ipse, & filii, propinqui, & ceteri ejus amici fuerunt in Civitate sua capti, mortui, & taliati tali modo, quòd nefas est dicere; & in profundo Turris Castellazii, quæ est in dicta Civitate, projecti. Qui dignè, aut indignè, cum consilio, & favore Canis de la Scala Veronensis Principis, qui quingentos equites eis tradidit, principatum Civitatis apprehenderunt, qui usque hodie in principatu sunt, qui de Gonzaga vocantur. Et potuit dici, quòd illi accidit pestis, de qua ait Boëtius Secundo de consolatione, *Quæ verò pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus?* quasi dicat nulla.

CAP. XLII.

De adventu Marci in Mediolanum, & de ejus obitu.

POrrò subsequentibus diebus Theutonici, qui tenebant Marcum pro hostatico pro prædictis florenis, ut dictum est, erant cum Vicario Imperatoris ad custodiam Civitatis Pisarum. Pisani intolerabiliter portabant dictum Vicarium, cùm per multum temporis terminus foret elapsus, & solutio dictorum florenorum non esset facta. Tunc cogitaverunt Theutonici alio modo esse soluti per Marcum, quia pro habere eum in vinculis, diligebant etiam illum propter suum magnum nomen. Cautè magnatibus Pisanorum pacta cum magnis promissis facta fuere, quòd deberent currere ad arma, & exclamare: *Vivat Marcus Vicecomes Pisanorum Princeps*, quia sequerentur eum, & expellerent, quem dimisr rat Imperator Vicarium. Et ita factum est. Expulso Vicario Imperatoris cum magna parte stipendiariorum, qui secum erant ad custodiam Civitatis, Pisani se affirmaverunt de Marco, & Theutonicis, & prout promiserant, pecuniam eis non tradebant, & parum Marcum timebant. Sed iratus Marcus occultè de eis se voluit vindicare; ad Florentinos misit, & de proditione contra Pisanos nititur. Florentini libenter verba susceperunt, & omne mandatum Marci adimplere promiserunt. Hæc nota fuere Pisanis. Tunc Marcus secretè fugit, & ad Florentiam ivit, qui ibi

A gloriosè receptus fuit. Stetit ibi pluribus diebus. Breviter loquendo, tamquam eversam mentem haberet, Florentini cauti eum instabilem cognoverunt, & adversùs Pisanos bella penitus abstulerunt. Hoc verò tempore Canis de la Scala ipsa die, qua intravit Civitatem Trivisii, quam per annum obsessam tenuerat, secundùm Astrologorum vaticinium sibi dictum, cùm de fonte nimiam potasset aquam, febris, & æstus, & fluxus ventris maximus vênit super eum; & die tertia moritur; cujus corpus Veronæ cum magno honore humatur. Albertus, & Mastinus fratres à Veronensibus in principatu ponuntur. Videns autem Marcus malè in omnibus fecisse, ira motus cum filio Potestatis Florentiæ, qui erat Bononiensis, à quo in honore

B receptus erat, per Bononiensium itinera, ubi, prout refertur, occultè cum Legato de proditione contra Azonem ordinaverat, in societate Mediolanum die XIV. Augusti dicti anni cursi MCCCXXIX. vênit Azo Mediolani Princeps, Johannes, & Luchinus eum sublimè receperunt. Marcus verò, qui priùs cùm in armis & bellis pugnando pro patria suam laudabilem virtutem ostenderet, ad libitum potitus est victoriam; sed postquam dominationem ambire cœpit, volendo tantùm eam, ineffabiliter de destructione ac de morte multorum procuravit, tunc suam laudabilem potentiam & virtutem, gratiâ Dei, fratrum, propinquorum, atque amicorum suorum amisit. Stando in Mediolano dominationem

C nepotis ambiebat; & fratres, quòd eum dimisissent in vinculis in fortiam Theutonicorum, eorum promissis non attendendo, fortiter cum minis redarguebat; & ut in primis majori fratri suo Galeaz fecerat ex ambitione dominationis malum, nunc pejus istis contexere nititur. Sed Azo, Johannes, & Luchinus, tres personæ, quæ non erant nisi unum velle, & unum nolle, sapienter animum ejus ferentes, fortiter eum redarguebant, quòd Biciam uxorem Ottolini Vicecomitis germani sui pro Concubina à latere teneret, qui ad Castrum suum de Roxate eam ire jussit, quæ ibi occultè puerulum masculum mulieris pauperis pretio accepit, &

D filium genitum à Marco, faciens se gravidam, peperisse fingit. Marcus verò de illusione statim audiens, Biciam cum pedissequa in aqua, quæ est in fosso Castri, necari fecit. Postea de nece pulcherrimæ amatricis suæ doluit. Videns Marcus talia procedere, tamdem cùm de multis aliis perniciosis ipse laboraret, die quadam octava mensis Septembris dicti anni sanus corpore, tamen perversa mente, aulam dominationis Civitatis Mediolani intravit, & ibi in præsentia plurimorum ei favorem non dantium: subitò mors, quæ nulli parcit, violenter eum oppressit, & cum magno honore is, cujus vita multis fuit ponderosa, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris Mediolani humatus fuit. Porrò juve-

E nis ille, qui secum in societate venerat Mediolanum, nobiliter provisus ab Azone, bene sociatus ad Bononiam iter cepit.

CAP. XLIII.

De adventu Regis Boëmiæ in Lombardiam; & de conflictu Bononiensium.

POst breve tempus Johannes Rex Boemiæ ad Trentum Civitatem applicuit; Dux Carinthiæ unicam filiam suam parvam Johanni parvo filio ipsius Regis in matrimonio copulavit. Tunc temporis Mastinus de la Scala obsidebat Brixiam;

xiam; Brixienses Ambasciatores miserunt ad Regem, quòd ad Civitatem properaret, quòd eam tamquam Domino suo sibi tradere volebant. Qui misit ad Mastinum, quòd ab assedio Civitatis suæ recederet. Non ausus stare recedit, & Rex Civitatem intravit; qui ibi, quæ Regna gubernat, fixit, scilicet justitiam; & partes adversas dictæ Civitatis ad unitatem reduxit, & integraliter omnium civium Civitatem complevit; & itinera, quæ cum lancea & clypeo erant obscura, solo verbo Regis cum solo baculo facta sunt clara. Ibi ejus potentia, & magna justitia, vox, & fama ita & taliter crevit, quòd quasi omnes Civitates Lombardiæ suam dominationem habere cupiunt, eo quia labore certaminis essent fessæ. Tamdem sinè gladio ex suo bono nomine sex Civitates in Lombardia consummatis XVI. mensibus continuis, obtinuit, scilicet Brixiam, Pergamum, Cremonam, Papiam, Mutinam, & Parmam, & in Tuscia Lucam. Azo Vicecomes Dominus Mediolani in Brixia ad ejus præsentiam ivit, dona magna largitus est ei, & renovavit parentum suorum amicitiam, quam habuere cum Henrico Imperatore patre dicti Regis, & reversus est Mediolanum. Tamdem Ravizia Rusca, qui, & frater Franchinus tenebant principatum Cumarum, ad Pergamum ivit, & ibi Civitatem Cumarum Regi promisit. Cùm Rex, & secum dictus Ravizia, usque ad Burgum de Vicomercato in Comitatu Mediolani longè à Cumis passuum XVI. milliaria applicuisset cum paucis viris, ibi Azo Dominus Mediolani eum nobilissimè recepit; sed dictus Ravizia inde cum licentia Regis recessit, dicendo quòd volebat ire Cumas ad præparandum suum adventum. Qui Civitatem munivit, & per literas misit Regi, quòd rediret retro, quia ejus frater acquiescere ad promissa nolebat; qui sequenti die Pergamum reversus est. Imperatori Ludovico displicuit, quòd in Lombardia dictus Rex prosperaret, & contra eum in Alemannia se paravit. Tunc de Lombardia recessit, & ad custodiendum Regnum suum ivit, & filium suum, nomine Carolum, ad Parmam pro custodiendo suprascriptas Civitates dimisit. Tunc primi, qui Regem in Lombardia exaltaverunt, primi fuere, qui eum depresserunt, scilicet Brixienses, qui in memoria viventium Civitati suæ firmum statum non tenuere; sed prout de hominibus fidem in gremio portantibus, nec bona, nec mala eorum dominatio potuit de ipsis confidere, qui non statum suum velint crebrè moveri. His non diligentes Regis justitiam, sed prout pacifici volentes operari voluntatem suam injustam tali modo, prout scribam, de manu sua accesserunt Civitatem. Legatus, qui missus erat in Lombardia à Summo Pontifice Johanne Papa XXII. quem supra memoravi, erat Placentiæ, & tenebat Terram de Asola, quæ tenet confinia cum Brixia. Mastinus de la Scala cognoscens Brixiensium fallaciam, cum favore & consilio certorum magnatorum de Brixia, qui deceperunt populum, ab illa parte de Asola misit per secreta itinera duo millia equitum electorum banderias, & insignia Ecclesiæ, & Legati portantium, qui uno summo mane ad unam portam Civitatis appropinquaverunt, & *Vivat Ecclesia* exclamaverunt. Sed Guelfi, qui intus erant magna pars, videntes insignia, ad arma concurrunt, & ad dictam portam iverunt, per vim aperiendo, & exclamare cœperunt *Vivat Ecclesia, & moriatur Rex*. Qui intraverunt Civitatem; & qui erant pro Rege fugerunt. Cùm fortilitias Civitatis apprehendissent, insigni Mastini demonstraverunt, & alia occultaverunt exclamando *Vivat Mastinus de la Scala*. Tali modo populus de Brixia deceptus fuit. Parvo post tempore Azo Pergamum obsedit, & cum favore, qui intus erant, Pergamensium Civitatem in brevi cepit. Et audivit Rex, qui statim cum duobus millibus equitum ab Alamannia secessit, & in Lombardiam vênit. Ad Papiam ire voluit; Papienses ei cum consilio & favore Azonis, vetaverunt. Qui cum exercitu suo super Comitatu Mediolani ivit, & magnum damnum per loca & per Villas fecit, eundo per ripam Abduæ, volendo ire ad expugnandum Pergamum. Cùm ibi appropinquaret, Pergamenses contra eum ad defensionem parati sunt. Paucos dies stetit, & alias Civitates, quas habebat, fortiter munivit; & iterum propter metum Imperatoris in Alemanniam eodem anno rediit. In brevi tempore Mastinus Parmam, Mutinam, & Lucam; & Azo Cremonam ceperunt, & potentiam dicti Regis de Lombardia abstulerunt. Et sic quas Rex Civitates subitò in Lombardia ceperat, subitò amisit; qui in Lombardia plus non vênit. Tunc temporis Bononienses obsederunt Ferrariam, videlicet Anno Domini MCCCXXXIII., sed die Martis X. mensis Aprilis ipsius anni gentes Magnifici Domini Azonis applicuerunt ad dictam Civitatem, & die sequenti debellaverunt Bononiensium exercitus, & eis omni vi armorum, nemine evaso, submersis, & occisis, aut captis, prout Deo placuit, de Bononiensibus ibi damnum incredibile factum fuit. Et diebus XXV. & XXVI. dicti mensis Aprilis, pruina cecidit quasi per universam terram, & exsiccata sunt vitium garzola: qua de causa ipso anno amissum est vinum. Quare pluribus subsequentibus annis exstitit in magna carestia. Ipso eodem anno Thadæus de Populis, & Brandelixius, magnates Civitatis Bononiæ ad sonum campanæ incitaverunt populum dictæ Civitatis Bononiæ contra quem jam nominavimus Beltrandum Legatum, & pluribus ipsius Legati gentibus captis & interfectis, eum obsederunt in Castro miræ magnitudinis, pulchritudinis, & fortitudinis, quod ibi ædificaverat, cogitando ipsum Castrum sui principatus Lombardiæ, quod à Summo Pontifice impetraverat, exordium esse. Denique cognitâ malevolentiâ, quam sibi ferebant Bononienses Lombardi propter malitias, quas eis contulerant gentes Linguæ de Occa, quas secum duxerat, & maximè propter violentiam mulierum timuit, & fugit per silentium noctis die sexto post obsidionem, relicto sinè custodia Castro cum suis, qui pauci erant, quia cùm non timerent, remanserunt victi in Civitate. Scilicet ipse in navicula in flumine Rheni, quod juxta Castrum currit, intravit, & ad Florentiam festinavit; deinde ad Papam se contulit, & Bononienses accusavit. Absque dilatione Bononienses, ne Legatus causam haberet revertendi cum auxilio Summi Pontificis, Castrum usque ad fundamentum exstirpaverunt, & magnum thesaurum Legati inde spoliarunt. Qui ab Ecclesia excommunicati sunt per annos aliquot; sed cognita rei veritate à Summo Pontifice, jam à Thadæo principatu Civitatis apprehenso, qui jam Brandelixium in republica ejus socium propter illius prodigalitatem, qua in rebus alienis utebatur, de Civitate expulerat, cum pactis à Thadæo principatus Civitatis tamquam à Vicario Ecclesiæ cognoscitur, & pro restitutione spoliationis XX. millia Florenorum solutis à Bononiensibus, ab ex-

excommunicatione absolvuntur. Ipso eodem anno, die autem XIV. Junii, Castrum Papiæ per Regem Boëmiæ, sive per ejus gentes in rebellione detentum, Dei dextra mediante, Dominorum & amicorum præsidio, pervênit in fortia & in virtute Papiensium, ipsumque suis gentibus fecerunt ad libitum communiri.

CAP. XLIV.

De tempore, quo flumen Lambri defecit, & siccatum fuit in Modoëtia.

EOdem anno MCCCXXXIII mensibus Junii, Julii, & Augusti flumen Lambri in Modoëtia, & ejus territorio ita defecit & siccatus fuit, quòd à Modoëtia ab uno milliario & dimidio desuper, & tot infra, nulla erat aqua; sed per lectum fluminis carriaiabatur, & ibatur pedibus & equis, ita quòd simile nunquam fuit auditum fuisse in flumine Lambri.

CAP. XLV.

De tempore, quo murata fuit Terra de Modoëtia.

SUprascripto anno, & annis proximis sequentibus cursis MCCCXXXIV. XXXV. XXXVI. existente Potestate Modoëtiæ Martino Liprando, qui meruit habere à Domino Azone dictam Potestariam, eo quia ipse unà cum Pinalla fratre suo fuit in Modoëtia contra dictum Ludovicum Imperatorem, prout de eis antedictum est, de beneplacito dicti Domini Azonis, dicta Terra de Modoëtia fuit murata per circuitum, & extra dictam fossam magnam dictæ Terræ fuit factum fossum & refossum, & strata levata circumquaque Terram: quæ omnia facta fuerunt per Commune dictæ Terræ. Qui Dominus Azo multa bona infinita fecit hominibus dictæ Terræ; quia cùm esset pro ipso suum Commune in multis in maxima quantitate pecuniæ obligatum, non inferendo eis coltam nec gravamen, de intratis dicti Communis debita solverunt, & liberi facti fuerunt.

CAP. XLVI.

De prosperitate Azonis.

POrrò Azonis principatus temporibus istis prosperando ipse Azo dilatavit gloriam populo suo, & induit se armis justitiæ, misericordia, gratia, & alacritate; & amplificata est ejus magnificentia, & dominatio, & directa est salus in manu ejus; & lætificavit subditos suos in operibus suis; & in sæculum erit memoria ejus in benedictione. Et ex ea sua mansuetudine, gratia, & amore, atque ex suo bono nomine, plusquam gladio, novem Civitates Lombardiæ obtinuit, videlicet Mediolanum, Pergamum, & Cremonam, quos eripuit à periculo furoris Theutonicorum, quibus subditæ erant; Brixiam à gravi jugo Mastini de la Scala, in cujus fortia jacebat; Laude à magna servitute crudelissimi servi Petri Tremacoldi, qui eam suffocabat, & qui Dominos suos crudeli morte, scilicet fame, perire fecit, quem Petrum capta Civitate vinctum Mediolanum duci fecit; sed recordatus Azo de quodam servitio, quod ipse Petrus contulerat Galeazo patri suo, eum à vinculis absolvit, jurando ei fidem cum promissione, & in Mediolano eum stare fecit; Placentiam à periculo erroris eorum, qui ibi erant diversarum partium; Novariam à superbia Ribaldonis & Calzini de Torniellis Principum illius Civitatis, qui conturbabant amicos suos & populum; Vercellas à paupertate illorum de Tizzonibus sua spontanea voluntate; Cumas à captivitate & ab injustitia debilis Principis sui Franchini Ruschæ, qui numquam in Republica dictæ Civitatis fecit observare justitiam, sed injustitiam, & pessimus fuit inimicus Civitatis ipsius, quare meruit dolorosè perdere principatum, prout, si expectaveris Lector, infra tibi dicam. Porrò ipse Azo uxorem duxit pudicam, nobilem, pulchram, & in bonis operibus inter ceteras mulieres laudabilem, nomine Dominam Cathelinam filiam illustris viri Ludovici, fratris Comitis de Sabaudia. Tunc Curtem magnam tenuit, ultra quam fecere Principes Lombardiæ per tempora præterita, excepto Avo suo, qui denominata Beatrice matre ipsius Azi fecit majora, prout refertur. Vestes & magna dona infinita largiuntur à Januensibus, Venetis, & maximè à Marchionibus de Ferraria, qui germani sunt dictæ Beatricis, scilicet nati ex fratribus, & à ceteris Principibus Civitatum, & Terris Italiæ. Porrò convertit animum Azo ad muros Civitatis Mediolani construendos, quos miro robore ampliavit per circuitum juxta terragium fossæ Civitatis. Vias quoque à latere dicti muri fieri fecit in Civitate per circuitum. In pluribus verò locis veteres ruinas constanter reparavit, sicut Campanile Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris. Aquæductum à fontanis per duo milliaria in Civitatem Mediolani duxit: quæ fontanæ per domos dominationis suæ, & in aliis partibus, utili & ornato modo scaturiunt. Ecclesiam, & Campanile mirabili modo de ornatis laboribus marmoreis, & deauratis picturis juxta domum dominationis suæ construxit. Castra & alia ædificia magna erexit. Equos, familiam magnam, & pulchram admodum Regis tenebat; magnæ, & pulchræ, & ordinatæ comestiones, & potationes continuæ magnis Principibus, & aliis in sua Curte fuere. Et de sua mansuetudine, fama, & virtute, narrabant omnes populi: eo quia non ut Tyrannus, seu impius, Principatum tenebat, sed ut Princeps, bonis moribus, & virtutibus institutus, assentiens divinæ ordinationi, non ex libidine vindicandi, & lasciviendi, nec ex libidine vindicandi, nec ex libidine principandi populis, nec ex libidine acquirendi prædia, & propria commoda, sed assentiens Deo & Ecclesiæ principatum voluit assumere, cum timore & tremore, & cum cordis humilitate, & cum recta intentione, scilicet ut obediens Deo & Ecclesiæ ad exequendum virtuosum principatum ad Dei honorem, & populi commoditatem, mala cohibendo, bona jubendo: quare meruit in suo imperio prosperare. Erat autem communis staturæ, grandis, rubicundus, quasi sicut aurum, lucebant crines capitis ejus; placibilis aspectu, cunctisque gratiosus. Hujus tempore Frater Venturinus Pergamensis Ordinis Prædicatorum oritur, vir religiosissimæ vitæ, qui pro sua sancta prædicatione tria millia & plures Pergamensium, alterutrum in maxima inimicitia stantes, propter neces pessimas, & alias injurias, quas occasione malignarum partium invicem sibimetipsis contulerant, ad pacem subitò & miraculosè eos convertit; & qui interfecerat patrem, filium, fratrem, vel propinquum, ibat cum corrigia in collo ad eum, cui talem injuriam fecerat, & pro divina gratia admonitus à di-

à dicto Fratre Venturino, ei osculum pacis dabat. Qui omnes, factis Societatibus de XIII. pro qualibet Societate, ad modum Societatis Christi, & XII. Apostolorum cum signis Columbettæ super indumenta ad pectus, & Crucis super humerum rectum, unà cum dicto Fratre Venturino iverunt eodem anno Romam ad accipiendum Indulgentiam, non dimissi intrare ullam Civitatem, vel fortilitiam. Reversi multi de ipsis, sicut Canis ad vomitum, reversi sunt ad peccatum; sed Summus Pontifex, quia sinè ipsius licentia hanc Societatem cum signis suprascriptis regularibus fecerat, per eum misit, & in partibus Avinionis in disciplina eum stare pluribus annis fecit.

CAP. XLVII.

De temeritate Lodrixii Vicecomitis, & peste Rusconum Civitatis Cumarum Principum.

POst annum Lodrixius Vicecomes, cùm non posset cessare à furia, & à perversa cogitatione sua, facta magna promissione pecuniæ, pluribus conestabilibus CCL. virorum equitum stipendiariorum dicti Azonis, dominationem cœpit ambire, & de Azone, ut expelleretur à dominatione, violenter pertractare. Sed qui secreta novit, pro meliori statu populi Mediolani pandere fecit. Quod sentiens Lodrixius, cum prædictis stipendiariis de nocte fugit à Mediolano, & in Civitatem Cumarum eo die fuit. Franchinus Ruscha Princeps Cumanus eos recepit. In fine stipendiarii, qui erant Theutonici, in Alemanniam iverunt; & Lodrixius ad Mastinum de la Scala properavit, qui ei magnum honorem, & provisionem dedit. Et à Mediolano bannitus fuit, & credebatur à multis, quòd dictus Franchinus ad dictam proditionem consentiret, cùm aliàs adversùs prædictorum Galeazi & fratrum de Vicecomitibus contrarius unà cum ipso Lodrixio in multis ipse se demonstrasset. Ideo ipse Azo ei non bene carus fuit, quia misericordia & veritas custodivit Principem; & roboratur clementia thronus ejus Proverbiorum XX. Sic debet esse clemens Princeps, ut sit in eo æquitatis justitia, sinè qua nulla res publica potest regi, nec diu durare; *quia*, prout ait Aristoteles, *remotâ justitiâ, quid aliud sunt Regna, nisi latrocinia?* Et quia Princeps est fundamentum populi, à sua justitia debet manare aliorum justitia. Item quia est pater patriæ, ab eo debent regi omnia alia justitiâ & gubernari. Iterum quia est caput Reipublicæ, ab illo debet illius justitia prospici & considerari, ne sit major, quàm debeat, & ne sit minor. In hoc serviunt Deo Principes, si in suo dominio bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam, sed quæ ad divinam Religionem. Ex prædictis patet, in quo differt Princeps à Tyranno; quia Princeps est ille, qui est legitimè constitutus, & jure divino & humano principatur, & qui virtutibus prædictis & se ipsum & alios regit, ut dictum est. Tyrannus verò contrariis modis se habet. Tyrannus dicitur, qui in communi Republica non jure principatur, jura deprimit, & voluntati suæ leges submittit, justitiam, & misericordiam deserit. Unde Tullius de Officiis Libro Tertio Capitulo VII. *Nulla est nobis societas cum Tyrannis &c.* Job XV. *& numerus annorum incertus tyrannidis, & periculosus.* Quare qui tenet Principatum, fugiat tyrannidis periculum, non regendo Principatum, vel Rempublicam secundùm tyrannum, quia ut constat, vita Tyrannorum incerta est, & periculosa. Unde dicit Macrobius Lib. III. Cap. XXVI. de Dionysio Tyranno, quòd cùm quidam familiaris vitam suam existimaret beatam, dolens ille, quòd perpetuo metu miseram esse cognosceret, & quia plena semper periculorum, gladium evaginatum, à capulo de filo teneri pendentem capiti ejus, inter epulas eminere fecit. Ille autem inter copiam mortis periculo gravabatur, nec deliciæ eum consolabantur. *Talis est*, inquit Dionysius, *vita mea, quam beatam putabas. Sic enim mortem semper præsentem nobis videmus. Quando enim felix esse poterit, qui timere non desinit?* quasi dicat *numquam*. Quale verò sit damnum ad modum tyranni regentium, dicitur in Ecclesiastico: *Regnum à gente transferetur propter injustitias, & contumelias, & diversos dolos.* Prout patet de principatu Franchini, & Fratrum de Rusconibus, ut infra dicetur.

Contigit autem, dictum Franchinum numquam moribus, nec virtutibus bonorum Principum uti, sed Tyrannorum modos habere. Non ut à patre patriæ justitia ab eo emanavit; semper à suo dominio remota fuit justitia; non bona jubebat, nec mala prohibebat. Ideo in Civitate sua non erant nisi latrocinia; quia quotidie qui faciebant latrocinia, homicidia, prædas, & spolia, in suo dominio salvi erant: quare odiosus fuit omnibus subditis suis, & in periculum confusionis vênit in Burgo de Canturio. Gasparus, & Johannes fratres de Grassis, merita qui gesserant in servitio illorum de Vicecomitibus, tenebant primatum Terræ Canturii. Franchinûs acceperat uxorem filiam Berardini de Longarolo propinqui Principum Veronæ, & magnum invitum amicorum suorum fecit. Et vocavit illuc illustrem nobilemque virum Johannolum Grassum, qui cum multis equis coopertis, & cum pulchra familia; multùm pomposè dictum Franchinum Veronam sociavit; & ibi à Cane de la Scala cum magno honore recepti fuerunt. Franchinus verò noluit, quòd inter alios, qui secum venerant, Johannolus esset honoratus; & ibi facta fuit magna celebratio. Erant autem ibi gentes diversarum partium Lombardiæ, quæ venerant pro sponsamento fiendo. Una die Canis & Franchinus stantes ad fenestras Palatii, Canis vidit Johannolum, qui per Civitatem equitabat, & dixit Franchino: *Quis est iste, qui tecum vênit in societate?* Franchinus respondit: *Vocatur Johannolus Grassus de Canturio; habet unum fratrem nomine Gasparum; & ambo tenent dominationem dictæ Terræ Canturii*, quæ distat à Cumis per quinque milliaria. Ad hæc Canis respondit: *Frater tuus & tu estis stulti, si dicta Terra Canturii est tam prope vestram, vestra nihil valet; propterea quod sua est in pedibus vobis. Volo, ut modum inquiratis habendi eam;* Franchinus verò respondit: *Illud ullo modo non facerem, propter benevolentiam, quæ inter nos est; & quotiescumque habeam secum discordiam, ipsi fratres sunt amici Vicecomitis Mediolani: unde facerent guerras assiduè ad januas Cumarum, & tenerent mihi fustum in gula; & dum sim secum in concordia, nihil licet Vicecomiti; & prope illi Vicecomiti sunt magni & potentes: quare verba hæc pro me non faciunt.* Factâ illinc debitâ morâ, abinde recesserunt, & ad Civitatem Cumarum Franchinum sociaverunt. Porrò post paucos dies Canis colloquium habuit cum Ravizia fratre Franchini;

ni; & de verbis dictis Franchino Canis iterum recordatus fuit; & Ravizia tenerior cordis audientiam dedit; & Canis hoc factum ei multùm intestavit. Ravizia abinde recessit, & Franchino hæc verba intimavit: unde ambo ordinaverunt executioni mandare id, quod dixerat Canis. Er ordinaverunt convivium magnum, ut darent finem dominationi dictorum fratrum de Grassis; & ibi occultè laborabant, in burgo de Canturio regnare volentes. Ad illud convivium fuerunt invitati dicti fratres de Grassis ad magnas preces, qui habito inter ipsos consilio, aliquid jam sentiebant de factis: quare malè libenter ibant. Denique Johannolus ivit, sed præcepit familiæ suæ, quòd ullo modo frænos, nec sellas equis non acciperent. Et fuit Cumis in aula dictorum de Rusconibus, & ibi receptus fuit hilariter plusquam more solito. Pulchris verbis turbida facta subjacebant, & dixerunt: *Ad tabulam, ad tabulam Domine Johannole*. Sed unus intimus amicus de ordinatis contra eum secretè intimavit, & dixit: *Si tu non es bene sapiens, statim eris mortuus, vel captus*. Et Johannolus se volvit versùs illos de Rusconibus dicens: *Nullus vestrum recedat, statim venio*. Et illico ad equum ascendit, & sinè mora per celeriora itinera cautiùs equitavit, & de factis contra eum ordinatis fratri suo nuntiavit. Ob quam causam Rusconi cum Grassis in inimicitia positi, & de vindicta contra dictos fratres de Rusconibus satagebant, non aliquid demonstrantes. Currebat autem Annus Domini MCCCXXXVII. die Martis XXIII. mensis Novembris in festo Sancti Clementis. Per vicinas Terras dicti Burgi convocaverunt cautè & occultè mille quingentos pedites, & centum octuaginta equites; & dicti equites hospitaverunt nocte illa ad Canonicam de Galliano, quæ juxta Canturium adest. Et summo mane congregata dicta multitudine, Gasparus secretè vocavit IX. Contestabiles dicti exercitus, inter quor erat quidam nomine Carraria Grassus, & Bazochorinus Napus, & eis dixit: *Estote probi: vos itis cum Johannolo ad Civitatem Cumarum capiendam; & præcipio vobis, quòd nullam prædam quò ibitis socios vestros facere permittatis*. Johannolus, cum prædictis ad dictam Civitatem Cumarum, quæ juxta Canturium per quinque milliaria adest, ivit. Paganus Avogadrus de Cumis, potens in dicta Civitate, petiit illa die à Ravizia, fratre dicti Franchini, cognato & compatre suo, unum equum in mutuo, & claves unius portæ Civitatis, quæ Porta turris dicitur, dicendo quòd volebat ire ad quamdam suam possessionem cum uxore & filiis summo mane. Qui non dubitans sibi complacuit. Et fuit ad portam, & apertâ dictâ portâ stabat super pontem, exspectans illos de Canturio, cum quibus proditionem occultè ordinaverat. Datum habebat signum, quòd quando essent in Civitate, non præterirent quamdam vegetem longam positam in strata prope Ecclesiam Sancti Fidelis, donec amici sui de Cumis non essent ad equum in præsidio dicti Johannoli, & Pagani. Tamdem equites venerunt, qui non exspectantes pedites, Civitatem intraverunt cum nudis gladiis, & exclamaverunt: *Vivat Azo Dominus*. Ad signum non expectaverunt, sed statim superbè banderias eorum de Grassis demonstraverunt. Ravizia sinè armis audiens rumorem, ab Ecclesia ad domum currere voluit; qui antequam posset intrare, volens defendere caput, manum ejus amputaverunt, & cicatrices in capite cum ense fecerunt. Antequam pedi-

A tes possent intrare dictam Civitatem, Beccarii de Cumis indignati de insigniis illorum de Grassis, ad arma concurrunt; & multi alii eos secuti sunt, & prædictos Johannolum, & Paganum de Civitate expulerunt, & XXXIV. de illis, qui secum erant, capti fuerunt. Pedites, qui jam erant prope Civitatem, in retro fugerunt. Ravizia quinta die moritur. Franchinus fecit suspendi per gulam illos XXXIV. captos, inter quos erat quidam vir, nomine Stephanolus Grassus, qui exstiterat dicti Franchini propitius, & fuerat mediator inter dictum Paganum & dictos de Grassis de proditione fienda. Hunc altius, prout falsus proditor, suspendi jussit, quorum mors multis fuit ponderosa. Domos dicti Pagani

B proditoris usque ad fundamentum projici fecit, & Civitatem munivit. Porrò in brevi prædicti Gasparus & Paganus unà cum Cureto Lambertengo magno Cive Cumano, & nepote dicti Franchini, scilicet filio sororis, collecta multitudine multorum peditum, sed paucis equitibus, ad Civitatem de Cumis applicuerunt. Sed qui erant in Civitate pauci stipendiarii Theutonici exierunt, & eis occurrerant; & contriti sunt Gasparus & Paganus, & exercitus eorum. Curetus cum equo in quodam fosso cecidit, qui in cervice percussus, captus fuit, & in Civitatem ductus in brevi moritur; & ceteri fugerunt, cùm non haberent quem putabant succursum de multis de populo, qui erant in Civitate.

C His itaque gestis in Civitate Cumarum nulla erat justitia in Republica. Franchino nec in Civitate, nec in Episcopatu obeditur. Porrò proximo sequenti anno Episcopus Cumanus, nomine Frater Benedictus, non valens intrare Civitatem, eo quia frater ipsius Franchini, electionem Episcopatus habuerat, sed in Curia Romana obtinere non potuit, quare illi Episcopo, qui Civitatem excommunicaverat, contrarius erat, cum consilio & favore Magnatum tam Gibellinorum, quàm Guelforum de Episcopatu, magnam collectionem virorum & navium præparavit; & prædictis de Canturio misit, quòd venirent in auxilium. Franchinus verò misit Azoni timidè nuntians de factis. Qui simulavit

D dicendo. *Mihi displicent; sed non me intromitto*. Hic fecit secundùm consilium Catonis, qui ait: *Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus. Tu quoque fac simile: sic ars deluditur arte*. Cùm prædicti de Vicecomitibus simul & cum aliis suis amicis essent discordes, Franchinus de his, quæ sibi placebant, cum eis simulabat, dicendo: *Mihi displicet*. Porrò Franchinus propter illam magnam amicitiam, quam fecerat cum Dominis de la Scala, ab eis secretè petiit auxilium. Qui cùm non essent in unitate cum dicto Azone, libenter parati sunt ad mittendum. Azo passus fluminis Abduæ custodiri fecit, nec præterire Veronenses in auxilium dimisit. Tamdem Civitas ab Episcopo per

E aquam & per terram obsidetur, & Franchino nullum auxilium præstatur, sed odiosus cunctis Civibus propter suam injustitiam efficitur. Et timuit, sed sapientiam demonstravit, quia tunc humiliatus mandavit Azoni, quòd veniret, & dominationem Civitatis Cumarum sumeret, si secum talia pacta facere vellet. Qui Azo ei complacuit, & Civitatem cepit; populo tamen Cumano non gratum fuit. Pacta fuere: quòd in Civitate Cumarum, qui fuerant proditores ejus, numquam intrarent; & illi Castrum de Bellinzona patrimonium suum cum suis consuetis intratis dimitteret: & ita factum fuit. Et modo prædicto dicti fratres de Rusconibus in ma-

maxima peste pervenerunt. Franchinus flebat cum lamentis dicendo: *O Canis de la Scala quàm malum consilium fratri meo, & mihi dedisti. Eram dominus, & modò sum servus. O vos, qui principatis ad mala consilia ne attendatis: exemplum à me capiatis.*

CAP. XLVIII.

De puero, qui natus fuit sinè manibus & brachiis.

HOc verò tempore puerulus quidam annorum XII. natione burgi Leuci Comitatus Mediolani, qui sinè brachiis, & manibus fuerat, in Modoëtia apparuit. Hic quantum foret subtilis, filum & acus ad pedes ejus in terra projecti ostenderunt. Nam cum digitis pedum quos non habebat majores aliorum puerorum, ponebat velociùs filum in acu, quàm ceteri homines cum manibus, pro quo spectaculo multi ei serviebant; & si sedebat in terra, velociùs aliorum se levabat.

CAP. XLIX.

De Ambaxiatoribus missis ad Papam Benedictum pro recuperatione Thesauri Ecclesiæ Sancti Johannis.

VIvente Papa Benedicto Anno Domini MCCCXXXV. die VI. Septembris de voluntate Azonis Principis Mediolani, & Johannis Episcopi Novariensis, duo providi viri, quos supra memoravi, videlicet Gratianus de Arona, & Franzius Liprandi pro Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Sancti Johannis, & pro Communi Modoëtiæ pro Ambaxiatoribus cum literis de recommendatione suprascriptorum Dominorum destinati sunt ad Curiam Romanam pro recuperatione suprascripti Thesauri. Qui cùm applicuissent in Curia Romana, & suam ambaxiatam retulissent venerabili Guilielmo de Pusterla, eorum ambaxiata valde placuit. Qui Ambaxiatores facto toto suo posse, cum consilio & favore Matthæi Episcopi, & Guilielmi, per Dominum Johannem della Columna de Roma Cardinalem habuerunt responsum à Summo Pontifice de dicto Thesauro. Qui dixit, quòd Thesaurus ille, de quo dedistis supplicationem, non vult quòd modò reddatur; sed bene vult, quòd ad tempus opportunum ducatur in Modoëtia ad locum suum. Habita responsione, cum consilio & magno opere suprascripti Matthæi Episcopi, acceperunt à prædicto Johanne Castellano de Roma Chartam traditam per eum de mandato olim Domini Papæ Johannis de consignatione facta de dicto Thesauro, dato in custodia suprascriptis Præposito & Canonicis Ecclesiæ majoris Avinionis, in qua Charta scriptum erat pondus auri & argenti, lapides pretiosi, & margaritæ totum per ordinem dicti Thesauri, & pacta & conventiones, cum quibus pactis suprascriptus Papa Johannes jusserat instrumentum confici.

CAP. L.

De Principibus Veronæ à Venetis in magno conflictu positis, cùm obsedissent Paduam.

HIs diebus à Mastino & Alberto fratribus de la Scala Veronæ Principibus, Vicentiam, Paduam, Trivixium, Civitatensem, Feltrum, Lucam, Mutinam, Parmam, Brixiam Civitates in potestate sui Principatus detinebantur. Mastinus in Verona, Albertus in Padua moram trahunt. A Venetis destructis fortalitiis, & omnibus necessariis per eosdem de la Scala paratis pro faciendo salem in ripa maris supra districtum Paduæ, prout ab antiquo, licèt non fecissent, dicebant se habere jura: Albertus in Padua obsidetur per quatuor millia equitum, & viginti millia peditum Venetorum. Florentini verò, qui per plura tempora pugnati fuerant in Thuscia per eos de la Scala, illis diebus confœderationem & ligam cum Venetis fecerunt, & solvere tertiam partem expensarum promiserunt. Porrò in obsidione existentibus iis, vocati sunt à Duce Venetiarum in præsidium Rolandus, & fratres sex de Rubeis, à Principatu Civitatis Parmæ per illos de la Scala depositi; sed Petrus junior fratrum, super cunctis Lombardis fortitudine corporis, strenuitate animi, & audaciâ bella agendi, prænominatur. Hic dato à Duce Venetiarum glorioso apparatu Venetiis ad Sanctum Marcum, in præsentia Nobilium & totius populi, laudabiliter cum magna benedictione Princeps exercitus efficitur. Sed cùm juxta Buvolentam fixus, cum aliquibus fortissimis post sui Principatus XXX. diem ad expugnandum Montem-Silicem properasset, & in fossum Castri primus audacter intrasset, à fero rustico, qui erat pro defensione Castri, cum lancea in pectore perfoditur, & statim inde ducitur mortuus. Hujus tanti Principis mors, non solùm per Venetos, sed quasi per cunctos Lombardos molestè fertur. Rolandus verò ejus frater in ejus loco Princeps creatus substitutus, cùm pluribus mensibus ad obsidionem stetissent, obses, & obsessus, in mortalitatis penuria ductus est. Eadem verò vice Azo Mediolani Princeps IV. nobiles Viros Mediolani scilicet duos Judices, & duos Milites, misit pro Ambaxiatoribus Principibus partium, quatenus ad concordium pacis ducerentur, sed non potuerunt. At Marsilius, & Albertinellus de Carraria ex more principantis semper cum Alberto erant, & is illorum faciebat cuncta consilio. Profectò Princeps, qui offendit alium, sæpe in maximam pestem ruit, si in custodia consilioque offensi se mittit. Et immemor factus non est Marsilius Canis de la Scala, qui per vim Paduam cepit, & eum à Principatu deposuit; similiterque Albertinellus de prudentissima pulcherrimaque uxore sua, quæ ab Alberto ire Vicentiam venire coacta fuit ubi factis diurnis solatiis per vim eam stupravit. Isti cum certis stipendiariis facti concordes, cum proditione duxerunt in Civitatem Paduæ de exercitu Venetorum mille equites, & captum tradiderunt Albertum Venetis, qui eis dederunt centum millia florenorum auri, prout præconizare fecerant, qui eum eis tradebat vivum; & L. millia qui mortuum. Et pro pactis inter eos factis de Venetiis Potestatem Paduani accipere perpetualiter promittunt, & Marsilium Principem suum statuunt. Albertus verò in Ducali Palatio in compedibus positus à XII. nobilibus Venetiarum, qui secum ad solatium sunt, custoditus est. Ducti itaque Principes Veronæ in magno conflictu & pavore, Veneti, & Princeps Paduæ, ferto eis magno auxilio à Marchionibus Ferrariæ, & à Principibus Mantuæ, qui tunc temporis in inimicitiis cum Veronensibus steterant, cum magna multitudine equitum, & peditum cùm cepissent Montem-Silicem, & omnes Terras, & Oppida eis rebellia in Comitatu Paduæ, spoliando, & vastando. Episcopatum Vicentiæ, & Veronæ, ad obsidendum Mastinum juxta Veronam se miserunt; & illustrem mi-

militem Luchinum Vicecomitem Principem sui exercitus vocaverunt. Qui ab Azone Mediolani Principe & ejus nepote cum nobilissimis arnexiis, & XL magnis & bonis equis pro suo equitatu, in omnibus bene paratis, & tercentum equitibus, in præsidio missus est. Qui cùm in suo Principatu, prout sui honoris erat, minimè obediretur, innotuit, quòd aliqui Theutonici stipendiarii Mastini, quorum duo germani pro justitia pauco transacto tempore in Mediolano decapitati erant, quia de nocte in Brolio Collateralem Potestatis Mediolani violaverant, & cum pluribus aliis de familia Potestatis, & Bazonem Comestabilem custodem personæ Principis Azonis interfecerant, de consilio Mastini Principis sui, cum certis Caporalibus Theutonicis, qui erant ad stipendia Venetorum, cum proditione eum in conflictum ponere, & captum Mastino tradere ordinaverant: paucis diebus ibi tractâ morâ, in Mediolanum cum suis reversus est. Quamobrem à multis ignorantibus causam sui recessus de vilitate infamatus est. Porrò Principes Veronæ humiliati sunt valde, & coacti complacuerunt Venetis in omnibus eorum petitionibus, & pactis inter partes perpetualiter observandis. Et cùm tradidissent Trivixium cum Marchia in fortia ipsorum Venetorum, Albertus à vinculis liberatus est ipso anno curso MCCCXXXVIII. Porrò parvo post tempore, prout in Padua per familiares inimicos proditi, solummodo in Verona, & in Vicentia, earumque Episcopatu Principatum tenent, & omnes alias Civitates supranominatas amiserunt.

CAP. LI.

De miraculis intercessione Beati Girardi factis.

NE legentibus audientibusque in dubium veniant miracula Sanctorum, quod gestum est certissimè isto tempore miraculum, confirmat cetera Sanctorum, quorum scripsimus miracula esse credenda. Nobilis generatione, & creditus vir dives, nomine Gufredus de Nexis vicinus noster, de semetipso narravit gratiam, quam ex voto per eum facto Beato Girardo habere a Christo meruit de Uxore sua, quæ de improviso de mortali infirmitate liberata fuit. Quia ipsa jacente per XV. dies in lecto continua febre, & phrenetica quasi passionem pro quolibet anno semel vel bis tribus annis continuis sustinuerat, ob quam causam corpus ejus maceratum erat; & cùm in die festo Beati Girardi de hac passione laboraret, & ipse Gufredus in prandio staret, & ipsa, prout phreneticorum consuetudo est, gerendo, atque dicendo turpia, cùm nuda non posset teneri, & de lecto exire vellet, vovit inter se dicendo: *O Beate Girarde, si pro tuis precibus & meritis Uxor mea ab hac passione, quam quasi omni anno patitur, liberata fuerit, perpetualiter omni anno, dum vixero, duos unius libræ cereos pro quolibet offeram ad Ecclesiam tuam, aliudque pauperibus, qui sunt in hospitali tuo largitus ero.* Cùmque sic vovisset, statim sine dilatione de voto se pœnituit, & in sequelam dixit: *Sum stultus: posset aliquo modo, prout vidi alios, liberari: quare si oblationem, quam promisi, offerrem pro memetipso, delusus fuissem.* Quo stante in hac dubitatione, Uxor alta voce clamare cœpit crebrè pluries: *Girarde, Girarde.* Et de hac voce non cessavit, donec Gufredus dubitationem, in qua quasi per unam horam stetit, à se amovit, & firmo corde, cum plena fide & spe observandi, quod voverat firmavit. Eâdem verò horâ clamare cessavit, & cum bono intellectu, & pia voce mulieribus, quæ ad ejus servitium erant: *Vocate virum meum*, inquit. Quæ illi dixit: *Date mihi vestitum meum pulchrum, quod habetis in scripno clausum. Volo ire cum mulieribus istis ad visitandum Beati Girardi Ecclesiam, & sepulchrum, quia hodie à me tantum clamatum fuit, quòd me exaudivit, & ab hac infirmitate, cùm nullum malum sentiam, me liberavit.* Cùm crederent, quòd vanizaret, nec quòd tam longè ire posset, eo quòd Ecclesia erat per medium milliare longè ab ejus hospitio, rogabant, quòd staret: quæ dixit. *Hujus Sancti merita probate, & me dimittatis ire.* Cui vir, qui sciebat quod voverat, adquievit. Induta, cum dictis mulieribus sociata, ad dictam Ecclesiam absque ullo gravamine eâdem horâ ivit; quæ reversa statim domum liberata fuit, nec umquam, cùm vixisset postea plusquam XV. annis, ipsam infirmitatem habuit. Qui Gufredus in nostri præsentia Magistro Hospitalis ipsius Sancti Girardi, ac Priori Fratrum Prædicatorum de Modoëtia, & pluribus eorum Fratribus & conversis, hoc miraculum cum sacramento notificavit. Etiam creditæ & honestæ mulieres, quæ tunc ad ipsius infirmæ servitium erant, hoc in sua anima, prout supra scripsi, testatæ sunt.

Aliud non est silendum miraculum supra numerato Anno à dicto Beato Girardo factum. Matrona quædam nomine Horia de Cassinis de Bovate territorii Modoëtiæ, senuerat, & lumen oculorum tam pro senectute, quàm pro infirmitate amiserat. Hæc magnam devotionem Beato Girardo habebat, & quotidie filiis, nepotibus, nuribus, & filiabus suis supplicando dicebat: *Facite supra plaustrum nostrum me ducere ad Ecclesiam Beati Girardi, ad hoc ut illius Sancti Corpus visitare, & de mantello suo oculos meos tangere possim, quia non dubito pro ipsius mei devoti precibus & meritis restitui, & mihi Dominus prout cupio, videndi cum oculis gratiam dabit.* Cùm eam irriderent, & per plures menses illudendo sibi tempus dilatarunt, tamdem una die cùm rogaret quòd conduceretur non cessaret, ei complacere voluerunt, & ipsam ad dictam Ecclesiam conduxerunt. Quæ cùm Ecclesiam intrasset, & archam & mantellum ipsius Beati Girardi cum magna devotione osculasset, & oculos suos signasset, reversa domui statim gratias Deo & Beato Girardo egit; & omnibus de domo, quòd sibi oculorum lumen restitutum erat, veraciter indicavit. Veritatem in Christo loquor. Quidam devotus Presbyter, & creditus, nomine Presbyter Finetus Capellanus Ecclesiæ Sancti Johannis Terræ nostræ de Modoëtia, mihi scriptori, & pluribus aliis discretis viris certificando retulit, ipsam mulierem duobus annis cœcam stantem habuit in confessionem, & eam vidit cœcam & videntem.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De Proœmio.

VErùm quia in primo Libro hujus Historiæ de pluribus Regum & Imperatorum Historiis tradatur à nobis, licèt propinqui ipsis temporibus non fuimus; deinde in sequentibus libris de multis rebus gestis nostris temporibus in Lombardia, & extra Lombardiam, novitatibusque, & maximè in Mediolano, & in Modoëtia, ac de magnis miraculis Sanctorum Johannis Baptistæ, & Girardi, fecimus mentionem; & magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quàm levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scripsimus reprehendendum putant, & interdum, contra se conscientia repugnante, lacerant quod occultè legunt, in tantum ut clamare compellar, & dicere: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Itaque obsecro vos, ò carissimi Lectores discreti, Historiam seu Librum istum non afferatis in publicum, nec fastidiosis ingeratis cibos, vitetisque eorum supercilium, qui judicare tantùm de aliis, & ipsi facere nil noverunt, licèt non affectemus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus, quoniam dissipat Deus verba eorum, & ossa, qui hominibus placere desiderant secundùm Apostolum. Qui hujusmodi sunt, servi Christi esse non possunt. Ideo animus noster quietus non declinando ad dexteram, nec ad sinistram, prout à magnis, mediocribus & infimis, novit esse gestum malum & bonum à bonis & à malis, scripsit ad hoc ut omnibus legentibus audientibusque bonum exemplum, & utilitas conferatur. Discant ergo obtrectatores mei, quorum os est quasi sepulchrum patens, quorum lingua canis dentibus est vallata, priùs legere hanc Chronicam, quàm detrahere, & invenient me quæ scripsi usque ad tempora Federici hujus nominis ultimi Imperatoris secundùm Martinianas Historias, Lombardorum, & Mediolani secutum fuisse; alias verò res gestas nostro tempore, miraculaque Beatorum Johannis Baptistæ & Girardi, ut jam prout oculata fide, aut discretorum relatione novi, cum veritate scripsisse. Igitur liceat in Historia nostra prosequere.

CAP. II.

De Rupta de Parabiago.

ANno Domini millesimo tercentesimo trigesimo, septimo die Martis quadam die Carnis-privii, nono die mensis Februarii Lodrixius Vicecomes, qui erat bannitus à Civitate Mediolani, & in Verona stabat, qui contra honorem dominationis prædictæ Civitatis Mediolani properaverat, ut de eo dictum est, non facta aliqua defensione per Pinallam Liprandum, qui fugit usque in Mediolanum, qui ibi ad passus Abduæ cum magna multitudine militum & peditum missus erat à Principe Mediolani Azone A pro obviando ei, cum tribus millibus quingentis militibus transivit Abduam; ipso die applicuit ad locum de Cernusculo Asinario; die sequenti meavit ad locum de Sexto supra Lambrum; deinde altera die recessit, & applicuit Legnianum, & Parabiagum. Et ibi convocavit de Comitatu amicos, & pecuniam, & cum potentia cogitavit sinè dilatione intrare Mediolanum. Tunc Azo Mediolani Princeps, convocaverat de Ferraria, Janua, Sabaudia, & de ceteris partibus Italiæ, amicos cum magna multitudine militum & peditum; & cum eis pro Domino & Capitaneo illustris, fortis animi & corporis, nobilis miles Luchinus Vicecomes, qui se paravit mori pro patriæ suæ conservatione. B Qui exiverunt extra Civitatem Mediolani, & iverunt Nervianum, qui longè à Parabiago per unum milliare abest pro obviando prædicto Lodrixio, & illis qui cum eo erant, Theutonicis hominibus, indiscretis tamquam lupis rapacibus, qui cùm cassi essent à stipendio Dominorum Italiæ, simul se junxerant causâ spoliationis & destructionis bonæ patriæ Mediolanensium, & Lombardorum. Et cum Caporalibus eorum in Ecclesia Campi dirupta, quæ est in territorio Veronensi prope Villam, quæ Suave dicitur Lodrixius colloquium habuisset occultè de conscientia Mastini Principis Veronæ, qui ea vice simulando misit Principi Mediolani dicens: *Provide: appropinquant Principatui tuo gentes alienigenæ.* C Tunc frigus magnum erat, & nix grandis. Die Dominico vigesimo primo suprascripti mensis Februarii quasi inordinatè inierunt prœlium. Luchinus verò magnanimus vir, factis per eum Masiolo Vicecomite nepote suo, Johannolo de Modoëtia, Protaxio Caimo Civibus Mediolani, & quampluribus aliis in campo militibus, cum paucis, auxilium Dei & Sanctorum ejus Johannis Baptistæ & Ambrosii expectans, insiluit in eos viriliter dimicando. Tamdem durante prœlio, ab eis maledictis, prout captus in parte trahitur & detinetur, suis adhuc in campo prœliantibus. Sed cùm qui erant cum Lodrixio, compellerent & spoliarent extra Civitatem Mediolani, non fecerant moram, D qui venerant de Sabaudia tercentum milites, & eadem hora occurrerunt, sequente eos Hectore de Panigo cum multis aliis fessis in prœlio, qui in unitate se cum illo duxerant ad campum, & nobilem Luchinum à viribus tenentium eum abstraxerunt. Qui cum auxilio eorum ad campum se misit, & prædictos maledictos conterruit, pressit, cepit, & interfecit, durante prœlio à mane usque ad vesperas in ipsa die; nec quasi unus eorum evasit. Jam Lodrixius in pœnitentia redactus, eo quòd dictos Theutonicos ibi duxerat, ne vincerent, de campo recedebat. Captus fuit ergo supradictus Lodrixius cum duobus filiis, & incarceratur. Reliqui sui capti cùm essent digni morte, E propter misericordiam, & mansuetudinem dicti Azonis fuerunt dimissi, jurando numquam venire contra dominationem illorum de Vicecomitibus defensoribus Patriæ suæ: attamen de suis rebus spoliati fuere. Sic in illa die perierunt gladio de utraque parte, sed plus peditum Mediolanensium, duo millia sexcentum, & plures, prout referunt, qui corpora mortuorum numera-

raverunt. Et ibi mortuus est Johannes de Flesco levir dicti Luchini, scilicet frater uxoris suæ. Et dicitur, visum fuisse in aëre Beatum Ambrosium protectorem Mediolanensium cum scutica prædictos maledictos percutientem, & maximum auxilium Mediolanensibus ferentem, & victoriam. De qua die victoriæ Nobilis miles Luchinus, dando gloriam Altissimo Deo, & Sanctorum ejus precibus, ad perpetuam rei memoriam festum celebrandum ordinavit omni anno ad honorem Dei & Sancti Ambrosii, quod celebratur usque hodie die illa. Et in campo, ubi fuit rupta, fieri fecit Ecclesiam ad honorem Dei, & Sancti Ambrosii, quæ facta est, & appellatur Ecclesia, & festum Sancti Ambrosii ad victoriam. Unde potuit dici die illa, prout ait Onia de Juda, dimicando contra Nicanorem: *Hic est Fratrum amator, & populi Israël*. Lib. II. Machabeorum III. Capitulo: Sic de Luchino: *Hic est Fratrum amator, & populi Lombardiæ*, qui viriliter dimicando contra prædictos maledictos, in manu ejus à Deo data est salus magna illa die cunctis Lombardis. Et laudavit omnis populus Omnipotentem Deum in hymnis & orationibus, qui dederat eis Azonem Principem, Deo & hominibus humilem, misericordem, & justum, qui habuerat per suam gratiam contra inmicos in terra, & de Cœlo velox subsidium.

CAP. III.

De obitu Azonis Mediolani Principis, & sicut elevati sunt Principes Johannes, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Novariensis, & Luchinus fratres Vicecomites.

APpropinquaverunt autem dies Azonis, ut moreretur; & intimavit Johanni Episcopo, & Luchino fratribus patruis suis, de cultu & lege Sanctæ Matris Ecclesiæ servandis, & pietate, misericordia, & justitia circa suos memorans; & admonuit eos, ne effunderent suorum sanguinem, & memores essent gratiæ & benefitii Dei, qui eos liberavit à multis tribulationibus, & sedere eos fecit in throno potentiæ suæ. Et mortuus est Azo die XIV. mensis Augusti supradicti anni. Cùm esset misericors, & mansuetus planxit eum omnis populus planctu magno; & sepultus est in Mediolano mirabili modo cum magno honore in Ecclesia, quam juxta domum dominationis suæ construxerat, cùm Principatum tenuisset annis X. & mensibus V. in Mediolano, & qui pluribus annis octo alias Civitates usque ad suum finem obtinuisset, videlicet Pergamum, Brixiam, Cremonam, Laude, Placentiam, Vercellas, Novariam, & Cumas. Post cujus obitum absque dilatione temporis facti sunt Domini Mediolani & aliarum Civitatum prædictarum, prædicti Johannes Episcopus, & Luchinus, fratres Vicecomites, qui dilataverunt gloriam populo suo, & induerunt se arma justitiæ, & protexerunt Civitates, Terras, & Oppida gladio suo; & persecuti sunt iniquos perscrutantes eos, & qui conturbant populum suum; & repulsi sunt inimici præ timore eorum; & omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, & directa est salus in manu eorum. Et lætificaverunt subditos suos in operibus suis, & in seculum seculi erit memoria eorum in benedictione. Et perambulaverunt Civitates, & perdiderunt impios ex eis. Et amplificata est eorum magnificentia & dominatio, dominantes

A duodecim Civitates, junctis suprascriptis novem Civitatibus nominatis, scilicet Ast, Bobio, & Papia, cujus libero amore Papiensium Potestaria, & omne posse dictæ Civitatis est in honore & subsidio dictorum Dominorum, & aliæ infinitæ Terræ, & Oppida Lombardiæ. Et nominati sunt usque ad novissimum Terræ.

CAP. IV.

De illo divite magno Civitatis Mediolani, scilicet Francescolo de Pusterla, qui in magnis prosperatus fuit, & postea adversa passus.

B POrrò post annum Francescolus de Pusterla, qui in Mediolano supra omnes Cives divitiis abundabat, & à Dominis de Vicecomitibus magna lucra & honores consequutus fuerat, & Pinalla, & Martinus fratres de Liprandis, & Borolus de Castelleto, exaltati à dictis Dominis ita quod cùm essent in suo pristino statu pauperes, de pauco posse facti fuerunt divites, & prope eorum dominationi non erant alii majores, & à subditis dictorum Dominorum sublimè honorabantur: abusi sunt superbiam. Et non solùm subditos dictorum Dominorum nitebantur opprimere, sed datam eis gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, molierunt insidias. Nec contenti erant gratias nullas agere beneficis, & humanitatis in se jura violare;
C sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrabantur se posse fugere sententiam: quoniam malorum mentes quo magìs honorare se sentiunt, eo ampliùs per superbiam intumescunt: prædicti in superbiam elevati, dominationem ambire cœperunt, & de morte Dominorum suorum pertractare. Sed cùm ad implendum hoc malum amicos secretè peterent, & multis pandissent, Zurionus frater dicti Francisco'i de his Alpinolo de Casate leviro suo petendo auxilium manifestavit. Qui Alpinolus fratri suo Ramengo innotuit. Sed cùm Franciscolus à fratre audivisset, Alpinolum scire factum, existimavit scivisse & Ramengum, quem non habebat amicum & timuit. Et statim cum fratre, & duo-
D bus filiis magnis, de Mediolano fugit, & per secreta itinera in Avinionem ivit. Ramengus verò sinè dilatione, habitâ de fratre fidantiâ, Luchino verba intimavit, qui prædictos Pinallam, Martinum, & Borolum capi fecit, & ad torturam positi nequitiam manifestaverunt. Qui incarcerati, de multis pœnis afflicti, in fine perfida fame cruciati, crudeli morte prout proditores peremti sunt. Eorum substantia rapta, & eorum familiæ in paupertate remanserunt. Margarita germana Luchini viro suo Franciscolo hoc malum induxerat adimplendum, quæ capta, est duriùs incarcerata. Porrò Franciscolus in Avinione propter insidias non erat secu-
E rus. Eodem tempore quidam Mediolanensis, qui fuerat ejus propitius, simulato modo accepit equum in mutuo, & cum eo à Mediolano, prout videbatur, fugit, & in Avinione ad Franciscolum properavit, & bannitus fuit. Qui cùm secum staret, de se confidebat. Hic facta Francescoli secretis nuntiis pandebat. Cautè literas contrafactas de sigillo Mastini de la Scala sigillatas per secretos nuntios in Avinionem aliqui mandaverunt Franciscolo, quòd ad Veronam properaret, & ibi honorem & provisionem sumeret. Qui ad hæc credit, & videns se non esse securum in Avinione, per mare ad portum Pisanorum festinavit. Ibi potentia Luchini multùm

tùm

tùm lucebat, quia gladio suo contra Lucanos Pisanis victoriam dederat. Bonincontrus de Sancto Geminiate Fuscono à Luchino ibi missus erat, & ad portum prædictum Francescolum expectabat; qui Bonincontrus cum proditore ibi eum cum duobus filiis cepit, & in Piscia incarcerati sunt. Sed parvo post tempore in Mediolanum ducti, pater, & filii una die in broleto dictæ Civitatis sunt decapitati; eorum substantia rapta; & multi alii, qui de malitiis prædictorum perpetratis sciebant, ad infinita mala pervenerunt.

CAP. V.

De Ducissa Carinthiæ, quæ repudiavit primum virum, & accepit alium.

SEd non sileamus hujus temporis de Ducissa Carinthiæ, quæ cum viro suo Johanne filio Johannis Regis Boemiæ per XI. annos steterat, videlicet quatuor annos cùm essent parvuli, & non possent commisceri, sinè amplexu virili; & septem annos continuos in thoro maritali causâ commiscendi. Una die cùm vir suus ivisset ad venationem, convocavit quamplures procerum & militum suorum in secreto consilio, & ait: *Ad salutem Regni Carinthiæ secreta volo pandere vobiscum, ad hoc ut bonum & optimum capiatur consilium de his, quæ debent agi. Dux vester pater meus me juvenem maritavit juveni viro, quem hodie scitis; & per septem annos continuos in lecto maritali fui secum, & pro certo, cùm sit defectuosus homo, non potest commisceri mecum, nec cum alia muliere. Cupio fieri mater, & habere prolem, ne à recta linea discedat Carinthiæ Regnum. Ideo huic viro nolo ampliùs subjacere in occulto, & perdere Ducatum cessante prole. Quare provideatis de alio Barone mihi in virum, ut fiam mater, & filii succedant in Regale patrimonium.* Tunc placuit omnibus Baronibus, quòd hoc fieri deberet. Cùm Johannes vir suus ad ultimam ipsius diei horam vellet intrare in regale Castrum de Tiralle, ubi cum Ducissa habitabat, clausâ januâ, ei dictum fuit, quòd aliam quæreret stationem; quia Ducissa alio viro valenti secum commisceri erat promissa. Qui mœstus retro rediit, & ad alia plura Castra intrare voluit, & nequivit, cùm in mandatis haberent à Ducissa, & Principibus Carinthiæ non recipiendi eum. Stetit pluribus diebus in quadam Villa, sed Ducissa eum servire faciebat. Postea quòd inde recederet cum minis misit. Qui ad Aquilegiensem Patriarcham ivit, & ibi sex menses stetit. Patriarcha voluit acquirere concordium, & non potuit. Tamdem Ducissa Ludovico filio Ludovici Imperatoris promittitur, qui eodem anno Imperator cum filio suo in Tiralle Castro vênit, & dato annulo secum commiscuit. Sequenti die cùm Imperator foret pransurus in præsentia procerum, ait: *Ducissa, Ludovicus filius meus, & vir tuus, nonne est masculus, & commiscuit tecum?* Quæ ait: *Bene, Domine Imperator*. Et Barones illâ horâ omnes ridere cœperunt, & laudabile conjugium affirmaverunt. Et cum isto heredem habuit, & honorem Ducatus usque hodie tenet, qui de Bavaria est. Rex Boëmiæ cum filio ad Summum Pontificem in Avinionem ivit, & de violentia Imperatorem accusavit, excusando, quòd filius non erat defectuosus, sed quod factum erat fraudulenter & proditoriè zelo invidiæ à Bavaro illo, qui se faciebat Imperatorem, & cum proditoribus Carinthiæ istud fecerat. Qui Ludovicus Imperator dictus Bavarus pro hac causa, & multis aliis, ab Ecclesia excommunicatus est, & cum ipso Rege in magna inimicitia positus est. O quam inlaudabile & vituperabile exemplum per tale conjugium factum cunctis populis datum est majoribus Principibus Mundi, qui debent esse exemplum unicuique viventi justitiæ & bonorum operum!

CAP. VI.

De nativitate Ursinæ filiæ Principis Luchini.

IGitur non habens legitimam prolem Luchinus, cùm stetisset XI. annis cum nobilissima consorte sua, & de ea liberos non haberet, Deo dante MCCCXLIII. de mense Septembris nata fuit ex eis Ursina. Compater verò unà cum Castellino de Becharia Papiensi Principe fuit Comes de Aynaldo, qui puellæ præbuit duo millia scuta aurea. Hic illis diebus venerat Mediolanum pro eundo ad Sanctum Sepulchrum ultramare, prout secundùm quod dicitur illorum Comitum moris est. Recepto maximo honore in Mediolano, tertia die post ejus adventum extra Civitatem iter suum cepit, & Galeazum Vicecomitem, strenuum juvenem, Johannis, & Luchini nepotem, scilicet filium quondam Stephani minoris eorum fratris, secum cum magno apparatu duxit. Habito à Principibus Italiæ magno honore in suo itinere, Venetiis navem cum omnibus necessariis ad suum meatum præparari fecit, & Terræ Sanctæ eodem anno applicuit, & juxta sanctum Sepulchrum Galeazum adobavit in militem. Qui revertens per Veronensium partes cum ipso Galeazo, ad Aynaldum Comitatum properavit. Ibi Galeazum per annum cum magno honore tenuit. Tamdem secundùm voluntatem patruorum Galeaz, & duo juvenes de Aynaldo milites bene comitati Mediolanum venerunt. Qui cum magna reverentia recepti sunt. Et quamvis longius sit spatium inter Mediolani Principes, & de Aynaldo Comites, veri facti sunt àmici, & multa alterutrum magna largiti.

CAP. VII.

De Ambaxiatore misso in Avinione, & de restitutione magni Thesauri Ecclesiæ Sancti Johannis.

PRædicto Anno Domini MCCCXLIII. de mense Aprilis ego Scriptor unà cum Johanne Boxono iveramus pro Ambaxiatoribus Communis Modoëtiæ ad Reverendum patrem, & Magnificum Dominum Dominum Archiepiscopum Mediolani. Stantibus nobis in ejus Curia, quidam ejus Vicarius nomine Guillielmus de Arimondis de Parma, & quidam alius vir eloquens stans in Curte, Sancti Johannis devotus, nomine Balatrones, dixerunt nobis: *Audite de Modoëtia. Reverendus ac devotus pater Dominus Archiepiscopus dixit heri in sero, ubi eramus nos, & quamplures alii: In corde meo stat, ut omni modo fiat, quod fieri potest, quòd Thesaurus Ecclesiæ Sancti Johannis de Modoëtia, qui Thesaurus est in Avinione, reducatur ad locum suum. Quare dicimus vobis si per Canonicos illius Ecclesiæ, & per Commune Modoëtiæ mittantur Ambaxiatores ad præfatum Dominum Archiepiscopum, habebitur consilium, & juvamen, sic quòd Deo dante dictus Thesaurus reddetur ad locum suum.* Responsum fuit per nos: *No-*

Notificabimus Communi nostro. Rediti Modoëtiam supradicta notificavimus. Omnibus placuit tunc, quod opus fieret. Factum fuit per Capitulum dictæ Ecclesiæ, & per Commune Modoëtiæ. Qui Ambaxiatores iverunt ad Dominum Archiepiscopum præfatum, & portaverunt Chartam suprascriptam, quam portaverant dicti Ambaxiatores ab Avinione; quæ Charta fuit authenticata coram dicto Domino Archiepiscopo, & quamplura Instrumenta rogata de eo per Petrum de Vercellis Cancellarium & Notarium suprascripti Domini Archiepiscopi. Tunc placuit præfato Domino Archiepiscopo, quòd per duos Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Modoëtiæ, scilicet Sancti Johannis, & per Commune Modoëtiæ foret factus Syndicus & Procurator discretus vir Johannes Baldironus secundùm formam pactorum insertorum in suprascripta Charta portata ab Avinione: & ita factum fuit. Qui Johannes de Mense Maii suprascripti anni cum solemnitatibus opportunis meavit ad Curiam Romanam cum literis prædictorum Dominorum Archiepiscopi & Luchini, per eos destinatis quampluribus Cardinalibus, & aliis eorum certis amicis carissimis, & maximè cum literis Legati Ecclesiæ Romanæ, qui illius diebus venerat ad Civitatem Terdonæ, per eum Legatum missis ad Summum Pontificem, quæ continebant in hunc modum: *Sanctissime Pater & Domine. Cùm olim Thesaurus, & jocalia pretiosa, sicut sunt calices, coronæ aureæ, lapides pretiosi, & alia plura deposita in Ecclesia Sancti Johannis de Modoëtia Mediolanensis Diœcesis, in qua consueverunt Romani Principes coronari, fuerint propter guerrarum discrimina, quæ tunc in illis vigebant partibus, de mandato Reverendi Patris Domini Beltrandi Dei gratiâ Ostiensis & Velletrensis Episcopi Cardinalis, dudum in partibus Lombardiæ Apostolicæ Sedis Legati, ad Romanam Curiam transportata, quæ felicis recordationis Dominus Johannes Papa XXII. vestræ clementiæ prædecessor penes Præpositum & Capitulum Avinionensis Ecclesiæ deponi mandavit, custodienda inibi, quo ad usque Terra Modoëtiæ sic ad manus fidelium, & obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ foret deducta, quòd tutè possent in præfata Ecclesia Sancti Johannis dicta Thesaurus & jocalia conservari, & tunc idem Præpositus, & Capitulum ea supradictæ Ecclesiæ restituere liberè & sinè contradictione aliqua teneantur, prout in Instrumento inde confecto, & signato manu, & signo Johannis Castellani Notarii publici, ut apparet, prima facie, continetur. Verùm cùm, prout vestram Beatitudinem noscere credo, & hoc idem sentio, dicta Terra Modoëtiæ sub devotione ac obedientia Vestræ Sanctitatis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per Dominos Mediolani, vestros, & dictæ Ecclesiæ Vicarios, tutè præsentialiter gubernetur, possent, ut videtur, dicta thesaurus & jocalia isto tempore in eadem Ecclesia Sancti Johannis absque periculo custodiri, & Magistro Johanni Baldirono Syndico ipsius Ecclesiæ latori præsentium juxta dicti Instrumenti continentiam fieri restitutio eorumdem, si vestræ Clementiæ videbitur faciendum: quam Christus continuè custodiat, & conservet Ecclesiæ suæ Sanctæ. Data Terdonæ die VII. mensis Maji Anno Domini MCCCXLIII.*

Qui Johannes Syndicus infirmatus partim temporis per XIV. menses stetit in Curia Romana infinita in opere restitutionis fiendæ de dicto thesauro, quæ ibi gessit, non scribo. Sed in fine, Deo dante, & meritis Sancti Johannis adjuvantibus, cum auxilio literarum præfatorum Dominorum, & cum magna industria & favore præfati Matthæi Episcopi Veronensis, de præcepto Domini Papæ Clementis nunc viventis, qui Dominus Papa, existente Domino Johanne Vicecomite Episcopo Novariensi in Archiepiscopum Mediolanensem ipsum instituit, absque ulla præstatione pecuniæ, nihil diminutus de eo, quòd in suprascripta charta tradita coram olim Domino Papa Johanne erat scriptum, prædictus thesaurus restitutus & datus fuit prædicto Johanni Syndico & Procuratori ut supra Anno proximè sequenti curso MCCCXLIV. de mense Maji in festo Sanctæ Crucis. Qui Johannes dictum thesaurum portari fecit in domo dicti Matthæi Episcopi Veronensis, & ibi in capsa bene ferrata reclusum reposuit, & ipsi Domino Episcopo tradidit in custodia. Et reversus Modoëtiam venit, & Mediolanum fuit coram præfatis Dominis Mediolani & Modoëtiæ; & omnia, quæ gesserat, eis retulit de restitutione dicti thesauri, & eis valde placuit.

CAP. VIII.

De Thesauro prædicto Mediolanum portato.

Postea verò dicto Anno curso MCCCXLIV. de mense Decembris, dictus Matthæus Episcopus Veronensis, mandavit literas præfato Domino Archiepiscopo Domino Mediolani & Modoëtiæ, & Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Sancti Johannis, continentes, quòd absque ulla dilatione temporis mitterent ad accipiendum dictum Thesaurum, & hoc pro multis rationibus, & causis, prout in dictis literis continebatur. Tunc incontinenti Reverendus Pater & Dominus Dominus Archiepiscopus jussit, quòd per Capitulum Ecclesiæ Modoëtiensis fieret Syndicus. Qui Canonici & Capitulum dictæ Ecclesiæ fecerunt Syndicum & Procuratorem sapientem & honestum virum Presbyterum Gratianum de Arona, qui sinè mora cum literis præfatorum Dominorum Mediolani, & Modoëtiæ ivit ad Curiam in Avinione, & cum consilio dicti Matthæi Episcopi, qui eum gratiosè recepit, se paravit cum beneplacito Guidoli de Calice, Nuntio & Procuratore suprascriptorum Dominorum Mediolani & Modoëtiæ ibi transmisso, veniendi ad Mediolanum cum dicto thesauro. Qui volentes esse securi cum dicto thesauro, in suo itinere expectaverunt adventum Domini Legati missi in Apuliam ad coronandum Regem Andream. Qui Presbyter Gratianus, & Guidolus cum dicto thesauro in societate cum suprascripto Domino Legato applicuerunt Mediolanum Anno proximo curso MCCCXLV. die XIII. mensis Martii. Prædicti verò Domini Mediolani gratissimè & magnificè receperunt suprascriptum Dominum Legatum, qui stetit in Mediolano per quatuor dies, & postea inde recessit. Præfati Domini viso dicto thesauro, multùm eis placuit, gratias Deo egerunt, & Sancto Johanni Baptistæ.

CAP.

CAP. IX.

De dicto Thesauro per Reverendissimum & Magnificum Dominum Archiepiscopum Mediolani Modoëtiam ad Ecclesiam Sancti Johannis præsentatum, & de dono magno Sancto Johanni oblato per ipsum.

DIe autem Lunæ XX. die dicti mensis Martii dicti anni prædictus Reverendissimus atque Magnificus Dominus Dominus Archiepiscopus, Deo & Sancto Johanni devotus, applicuit Modoëtiam, & prædictum Thesaurum eo die præsentari fecit ad Sanctum Oraculum Beati Johannis Baptistæ: de qua præsentatione tradita fuit una charta per Petrum de Vercellis Cancellarium & Notarium ipsius Domini Archiepiscopi. Quam devotionem præfatus Dominus Archiepiscopus non solummodo ex dicto, sed opere, & facto demonstravit, quia Thesaurum Sancti Johannis crevit & amplificavit. Nam suprascriptus Reverendissimus Dominus Dominus Archiepiscopus ipso die Sancto Johanni offerre fecit Calicem unum argenteum magnum magni ponderis, mirificè deauratum, & smaltatum, talis quod pro Sacrificio Altaris fiendo in dicta Ecclesia non fuit similis. Item urceolos duos de crystallo clarissimo, mirabili modo auri & argenti laboratos. Item dalmaticam unam, veluti viridis frisiis, & aliis bene ornata. Item quòd ante dederat navisellam unam ab incenso de crystallo purissimo, auri & argenti curiosè laboratam. Item Cuclerium unum de perla capiendi incensum à dicta navi sella, auri & argenti gloriosè laboratum. Postea die Martis sequenti dictus Dominus Archiepiscopus ad honorem Dei, & Sancti Johannis Baptistæ, qui locum suum sanctum noluerunt dimittere derelictum, nec spoliatum, fecit celebrare Missam unam solemnem ad Altare majus in dicta Ecclesia in alta voce; & totus Thesaurus dictæ Ecclesiæ positus fuit supra dictum Sanctum Altare in gaudio & lætitia omnium devotionem habentium.

CAP. X.

De miraculo Crucis Regni, quæ per se exivit de capsa.

SEd hìc non est silendum, quoddam memoriale miraculum de prædicto Thesauro à Beato Johanne, dicto die coram pluribus discretis viris oculata fide ostensum. In dicto Thesauro est quædam Crux aurea, in qua est de Ligno Crucis Domini, & est saphiris, rubinis, smeraldis, margaritis, & aliis lapidibus pretiosis magni valoris mirabiliter ornata; longitudineque est per medium cubitum in qualibet parte, & per quatuor digitos lata: Hæc Crux *Regni Crux* dicitur; & in una capsa ad modum dictæ Crucis in longitudine & latitudine facta per consuetudinem, ut salva fiat, reponitur. Narraverunt prædicti, qui fuerunt Ambaxiatores ad recuperandum, & ad faciendum conducere dictum Thesaurum, quia in Avinione Cardinales, & in Mediolano dictæ Civitatis Principes non potuerunt de ipsa capsa ipsam Crucem exire facere, cùm vellent eam sicut alia jocalia ad plenum videre. Sed cùm posita fuit cum capsa supra sanctum altare dictæ Ecclesiæ Sancti Johannis, statim miraculosè per se de capsa exivit in manus deponentis, quasi indicaret: *modò sum ducta ad meum sanctum antiqui temporis locum, ubi dignè cum reverentia debeo permanere: quare debeo de capsa exire*: Post hæc præcepit prædictus Dominus Archiepiscopus venerabili & sapienti viro Domino Jacobo Vicecomiti Canonico dictæ Ecclesiæ, & quampluribus aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ, ut curam gererent de rebus Sancti Baptistæ Johannis; & die sequenti Mediolanum ivit.

CAP. XI.

De restauratione dicti Thesauri.

VEre de restitutione dicti Thesauri portati in Modoëtia ad locum suum Sanctum, facta est magna lætitia per Modoëtienses, Mediolanenses, & aliarum Lombardiæ Terrarum homines. De magna fide & devotione prædicti Reverendissimi Patris, & magnifici Domini Domini Archiepiscopi nunc est dicendum. Nam finis operis probat, quæ munda intentio in operatione recuperationis dicti Thesauri ex fide, & devotione fuit, ut Exod. XIII. prout locutus est Dominus Moysi, præcipiendo ei, quòd faceret arcam, & tabernaculum: *Ecce vocavi ex nomine Beseleel filii Huri de Tribu Juda, & implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum fabrè quidquid fieri poterit ex auro, & argento, ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum, ut faciat quæ præcepi.* Quia cùm supradictus Thesaurus esset mactatus, fractus, & suo colore, & pristino statu turpiter mutatus, sic devotissimus Pater & Dominus Dominus Archiepiscopus suprascripto die nono mensis Junii à Mediolano mandando Modoëtiam prædicto sapienti viro Domino Jacobo Vicecomiti, & aliis Canonicis prædictæ Ecclesiæ scripsit: *Ecce mitto vobis quem vocavi hominem Antellotum Brachium-fortem de Placentia domicellum meum, plenum spiritu, sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum fabrè quidquid fieri poterit ex auro, & argento, ære, marmore, & gemmis.* Qui restauravit Thesaurum nobilissimum Sancti Johannis, ita ut meliùs quàm sicut erat in suo pristino statu, breviter in veritate loquendo, prout apparet ab illo, ita factum fuerit.

CAP. XII.

De lætitia magna facta per Populum viso dicto Thesauro in festo Nativitatis Sancti Johannis.

REstaurato igitur ab eo dicto Thesauro S. Johannis in dicto anno die XXIV. mensis Junii in festo Nativitatis ejusdem posito supra suum sanctum altare, steterunt Canonici, Sacerdotes, & Clerici ipsius Ecclesiæ in ornatu suo cum organis ut laudarent Deum, qui de dicto Thesauro dedit honorem & gloriam populo suo per manus Reverendissimi Patris magnifici Domini Domini Archiepiscopi, & concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Eo die maxima multitudo populi Terrarum Lombardiæ, qui venerant ex devotione ad visitandum dictum sanctum Oraculum, vociferabantur clamore magno in laudando Dominum, eo quia restitutus & restauratus est The-

Thesaurus magni Principis sui Sancti Johannis. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Canonicis, Principes, patres, & seniores, qui viderant Thesaurum, priusquam esset restitutus, & hunc Thesaurum sub oculis habebant, flebant, & eorum multi vociferantes in lætitia elevabant vocem in Ecclesia, videntes gaudium pretiosi ac inæstimabili valoris, & pulcherrimi Thesauri in loco suo sancto repositi; nec poterat quisquam in dicta Ecclesia agnoscere vocem clamoris lætantium in ea die.

CAP. XIII.

De miraculo magno Eucharistiæ facto à Sancto Johanne cuidam suo devoto in Modoetia.

ASsentio, quòd Sanctus Johannes cuidam suo devoto de Terra Modoëtiæ, qui hodie vivit, magnum miraculum sibi ostendit, quod fileri non debet. Cùm Anno Domini MCCCXLIX. extra dictam Terram quasi per medium milliare in via, per quam itur Mediolanum, esset quædam domus Religiosorum, quæ appellabatur Domus Dei, & ibi in ordine erat quidam juvenis lascivus, qui valde subjacebat vanitati, nomine Frater Petrinus. Supranomen taceo; sed de nobili parentela erat. Hic cum honore celebravit primam Missam. Celebratâ dictâ Missâ, per octo dies post, duo de Modoëtia, quorum unus hodie Sancti Johannis devotus vivit, & est intelligens homo, & creditus, iverunt tamquam cogniti & amici ad visitandum dictum Fratrem Petrinum, qui eos prout amicus & socius eorum bene recepit. Qui cùm starent sub quadam porticu dictæ domus, concionantibus de multis verbis simul, unus prædictorum duorum dixit cum bona fide grosso modo: *In veritate, Frater Petrine, quilibet Presbyter deberet fortiter terreri in Sacrificio, videndo in Calice vinum mutari in sanguinem, & postea bibere; sed faciunt sicut nihil de hoc eveniret.* Tunc ille Frater Petrinus respondit fatuè quasi ridendo: *Non debent terreri, quia non mutatur ita, ut dicis*; & intravit in alia verba. Per aliquantulum illi duo ibi steterunt, postea recesserunt. Ille, qui hodie vivit, & dixerat verba, in corde suo habuit talem dubitationem de Eucharistia, quòd quasi nihil crede-

A bat, nec ad offitium Missæ ire curabat; & de hac incredulitate multùm inter se dolebat; sed nec Christum, nec Virginem, nec Sanctos, quasi ab eis auxilium petere sciebat. Sed tamen ab auxilio Sancti Johannis Baptistæ devoto suo numquam discedebat, semper eum rogando, humiliter, fortiter, cum magno fervore auxilium ejus implorando, quòd de hac dubitatione eum adjuvaret; Stetit circa tres menses in hac dubitatione in magno sui cordis prœlio. Una nocte vênit isti in somnis per revelationem sibi visum, quòd esset in Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ in Modoëtia flexis genibus à sinistro cornu Altaris majoris. Ibi ad Altare vidit Presbyterum, quem minimè cognovit, qui revesti-

B tus celebrabat Missam, recipiendo Sacrificium; vidit supra patenam duas partes unius pueri parvuli taliati, cujus carnem ille Presbyter in ore accepit, & comedebat. Respiciendo huc atque illuc, & comedendo, rumoniabat sicut canis comedens carnes ab aliis canibus ablatas. Accipiens quoque Calicem, ad os suum ponebat; & ille, qui erat flexis genibus, aliquantulum se rexit volens videre, si in Calice esset sanguis; & vidit in Calice sanguinem cagiatum, & dictum Presbyterum ipsum in ore recipientem adtractum, tenerum, rumoniosè labentem, sicut canis rumoniando lambens sanguinem in cunchis Bechariorum. Et iste hoc videns ita facientem, ac si percussus esset, fortiter & ama-

C rè flere cœpit, & ait: *O quàm miser est iste Presbyter!* Et sic à somnio fortiter plangens excitatus fuit. Qui memorans de dubitatione, quam habuerat, gratias Deo & Sancto Johanni egit, qui animi sui dubitationem amoverit. Mane facto ad unum Fratrem Minorem ivit nomine Fratrem Franciscum, qui de sua culpa confessus, omnia per ordinem narravit. Et ipse Frater dixit: *Verè gratiam magnam habuisti à Deo & à Sancto Johanne, quia numquam alicui Sancto majora possent esse revelata. Videbisque Presbyterum illum, qui te posuit in illa dubitatione, malè vitam complere.* Et verè ita fuit, quia de Ordine suo exivit, & vaga-

D bundus eundo, malam vitam finivit. Ille, qui hodie vivit, dignus fide, uni venerabili & religioso Presbytero, qui hodie adest, retulit, & per Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi protestatus fuit, & dixit: *Qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium ejus.*

FINIS.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo XII.
RERUM ITALICARUM.

A

Aron Episcopus Avoricensis. 102. A.
Achon à Christianis obsessa. 313. C.
Et capta. 314. D.
Adeleita uxor Lotharii Italiæ Regis. 2‑4. D.
Ottoni M. Germaniæ Regi nubit. 207. B. 212. E.
Adelgisus Beneventi Dux Ludovicum II. Augustum capit. 184. D.
Ademarus Episcopus Podiensis. 255. D.
Adhelardus Episcopus Regiensis. 207. A.
Adrianus II. Papa. 184. A.
Adrianus V. Papa. 291 D.
Adrianus Episcopus Polensis. 101. E. 104. C.
Aemilianus Patriarcha Gradensis. 139. E.
Agape, Cyonia, & Hirene Martyres Aquilejenses. 40. C.
Agapitus Aquilejensis Episcopus. 45. E.
Agatho Patriarcha Gradensis. 122. B.
Agnellus Episcopus de Asilo. 104. C.
Agnellus Episcopus Tridentinus. 102. A. 104. C. 106. A.
Agnes Ducissa Duratii. 553. E.
Filii nuptias curat. 556. A.
Alia ejus acta. 558. C.
Ejus mors veneno procurata. 559. B. 566. C.
Aimericus Rex Hierosolymæ. 317. D. 335. D.
Aistulphus Dux Foro-julii Rex Langobardorum creatur. 140. C.
Ei bellum Pippinus Rex Francorum indicit. *Ibid*. E.
Diem claudit extremum. 142. B.
Albericus Marchio Saracenos debellat. 199 B.
Albericus de Romano cum Eccelino fratre reconciliatur. 367. D.
A Tarvisinis trucidatur. 368. C.
Obsessus in Castro S. Zenonis. 774. D.
Teterrima morte è medio tollitur. 775. B.
Albertinus Mauroceno filiam jungit Stephano Andreæ Regis Hungariæ filio. 402. C.
A Stephano Rege Dux Sclavoniæ creatur. 403. A.
Albertus Berengarii II. filius Italiæ Rex. 204. D. 207. C. & D.
Albertus Dux Austriæ. 433. A. 436. B.
Albertus, & Otto Duces Austriæ. 1015. D.
Albertus Goritiæ Comes à Venetis depressus. 422. D.
Albertus Marchio Estensis Ferrariæ dominus. 988. A. & D.
Albertus I. Scaliger Capitaneus Veronæ. 775. E.
Ad Vicentinæ urbis dominationem inhiat. 776. A.
Albertus II. Scaliger captivus Venetias ducitur. 413. B.
Libertati redditur. 414. A.
Militiæ cingulo donatur. 848. E.
Heres à Cane scribitur. 851. A.
Parma potitur. 867. B.
Patavii captus à Venetis. 881. D. 885. B.
Quibuscum pacem statuit. 896. B.
E carceribus liberatur. 898. C.
Albertus Scotus Placentiæ dominus. 732. A. & C.
Inde pulsus. *Ibid*. C.
Matthæi Vicecomitis depressionem procurat. 1094. E. 1112. E.
Albinus Episcopus Andegavensis. 131. A.
Alboini Langobardorum Regis gesta. 94. A.
Albrigeti Cortusii Chronicon Patavinum heic recusum. 757. & seq.
Albuinus II. Scaliger dominus Veronæ. 940. D.
Aldrevandinus Marchio Estensis Patavinis contra fratrem adhæret. 776. C.
Aldrevandinus II. Marchio Estensis dominus Ferrariæ. 938. A. 939. C. 940. B. 943. C.
Aldrovandinus Episcopus Patavinus. 931. B. 938 C.
Alexander II. Papa. 246 D.
Alexander III. Papa. 287. D.
Ei favent Veneti. 288. A.
In Galliam se recipit. 289. A.
In Italiam redit. *Ibid*. B.
Venetias cum classe Guilielmi Regis Siculi fertur. 301. C.
Quæ Privilegia Venetis contulerit. 302. A. 303. A.
Pacem cum Friderico I. Augusto statuit. 303. D.
Hujus pacis fabulosa descriptio. 304. C.
Acta ab eo Venetiis. 306. E.
Anconam & Romam pergit. 307. B.
Lateranense Concilium celebrat. 308. D.
Ejus Bullæ 511. B. 512. C.
Alexander IV. Papa. 362. D.
Pacem inter Venetos, Genuenses, & Pisanos restaurat. 367. B.
Alexius Græcorum Imperator à Roberto Guiscardo victus. 249. B. 261. D.
Alexius Porphyrogenitus Græcorum Imperator. 309. B.
Alexius Isachi frater, Græcorum Imperator. 318. C.
Pacta init cum Venetis. 319. A.
Adversus eum Franci & Veneti pugnant. 322. A. 332. D.
Alexius Isachi Græcorum Imperatoris filius ad Regem Hungariæ confugit. 318. D.
Tum ad Venetos. 321. B.
Salutatur Imperator. 322. A.
A Murcipho necatur. 323. A.
Almericus Rex Hierosolymæ. 291. D.
Alphonsi Regis Castellæ ingens victoria de Sarracenis. 1036. C.

Altinatis Urbis eversio. 76. A.
Amalphitani Ludovicum Hungariæ Regem recipiunt. 712. B.
Amator Episcopus Foro-juliensis. 137. A.
S. Ambrosius apparet cum scutica in prœlio de Parabiago. 1175. A.
Amedeus Comes, Sabaudiæ Princeps, pacem inter Venetos & Genuenses procurat. 465. A.
Tenedos Insula ei commendata. 467. E.
Ejus mors. 479. E.
Anastasius IV. Papa. 285. C.
Anastasius Aquilejensis Martyr. 41. B.
Anconitani cum Venetis fœderati. 285. C.
Ab eis aversi. 292. B.
Ancona obsessa à Friderico I. Augusto & Venetis. 299. B. 301.
Eorum querelæ contra Venetos pro libertate maris. 387. B. 388. B.
Bellum inter eos. 392. C. 393. A. & *seq.* 397. A.
Andreas I. Hungariæ Rex Dalmatas vexat. 239. D.
Ejus obitus. 241. A.
Andreas Almerici frater Hungariæ Rex. 332. C.
Expeditionem in Orientem suscipit. 339. D. 340. D.
Beatricem Estensem uxorem ducit. 349. C. & D.
Andreas Stephani filius Rex Hungariæ. 402. C.
Andreas Rex Apuliæ fœdissimè morti datus. 917. B. 925. A.
Andreas Caroli Hungariæ Regis filius Johannam Apuliæ Reginam uxorem ducit. 549. C.
Dux Calabriæ renuntiatur. 551. A.
Contra illum insidiæ parantur. 558. B.
A proditoribus ignominiosè interficitur. 560. B.
Ejus corpus Neapoli sepulturæ traditum. 561. E. 562. C.
Andreas Contareno Dux Venetiarum. 432. B.
Tergestinos debellat. 433. A.
Francisco Carrariensi bellum indicit. 434. E. & *seq.*
Victoriam de eo refert. 438. A.
Ad pacem petendam illum cogit. 440. A. & *seq.*
Classem ascendens contra Genuenses progreditur. 449. C.
Clugia receptâ triumphans Venetias repetit. 459. B.
Pacem cum Genuensibus, eorumque fœderatis statuit. 465. A.
Naturæ concedit. 469. A.
Andreas Dandulo Venetiarum Dux. 909.
Jacobum Carrariensem Civitate donat. 919. A.
Ejus Chronicon heic editum. 1.
Ejus Libri & laudes. 2. & *seq.*
Epitaphium. 4.
Ejus Diploma de Capellanis Basilicæ S. Marci. 9.
Laudes illius congestæ à Benintendo de Ravagnanis. 10.
Ejus Epitaphium. 11.
Dux Venetiarum electus. 417. C.
Ejus gesta. 418. C. & *seq.*
Contra Genuenses bellum agit. 420. B.
Alia ejus gesta. 422. B. & *seq.*
Andreas Patriarcha Aquilejensis. 178. B.
Andreas Episcopus Parentinus. 227. D.
Andriæ Civitas ab Hungaris afflicta. 689. D. & *seq.*
Androinus de Coligni Cardinalis & Legatus Apostolicus in Italia. 974. D.
Andronicus Græcorum Imperator. 443. B. 447. A.
Angelus Particiaco Venetiarum Dux. 161. A.
Heraclianam Civitatem restaurat. 163. C.
Filios Ducalis dignitatis participes efficit. 164. A.
Ejus Charta. 165. D.
Diem claudit extremum. 169. E.
Angelus II. Particiaco Venetiarum Dux. 164. B.
Angelus Baroccio Patriarcha Gradensis. 338. A. 339. C.
Angelus Maltraverso Patriarcha Gradensis. 363. C.
Angelus Marius de Herba Historicus Parmensis. 727. & 728.
Aniani Alexandrini Episcopi ossa Venetias translata. 21. B.
Antonius è Minorum Ordine vir sanctus Patavii finem vivendi facit. 347. A.
Antonius Patriarcha Gradensis. 134. B. 136. D.
Antonius Venerio Dux Venetiarum. 471. C.
Tenedum recipit. 472. A.
Tum Corcyram. Ibid. D.
Antonius Scaliger Veronæ & Vicentiæ dominus. 473. E.
Ex iis Civitatibus dejectus. 474. B.
Ejus bella contra Carrariensem. 987. B.
Verona ei erepta à Johanne Galeatio Vicecomite. 988. A.
Antonius de Fixiraga Princeps Laudensis. 1095. D. 1097. B.
Deficit ab Henrico VII. Augusto. 1100. C. 1101. E.
Mediolanum captus ducitur. 1109. B.
Antonius Rambaldus Comes Collalti laudatus. 760.
Apicii Cives quàm malè habiti à Comite suo. 703. E. & *seq.*
Apollinaris primus Episcopus Ravennæ. 20. B.
Aquilæ Civitas contra Johannam Reginam insurgit. 571. C.
Neapolitanis obsistit. 572. D.
Aquilejensis Ecclesia fundata à S. Marco Evangelista. 13. B.
Sub Valeriano Episcopo floret. 53. D.
Concilium Aquilejense sub eodem. 57. D.
Civitas ab Attila Hunnorum Rege deleta. 75. C.
Aquilejensis Episcopus olim Mediolanensem consecrabat. 90. A.
Aquilejensis Ecclesia per Schisma à Romana se dividit. 91. A.
Aquilejensi Urbe attrita Gradus Metropolis constituitur. 99. C.
Aquilejensis Patriarcha appellatus Gradensis. 103. A.
Aquilejenses Familiæ Venetias translatæ. 156. C.
Arbensis Episcopus Venetis fidelis. 228. B.
Arbensi Civitati Privilegia à Venetis concessa. 289. C. 290. B.
Ardoinus Italiæ Rex dejectus ab Henrico I. Augusto. 232. B.
Argelatus (Philippus) ejus Diligentia commendata. 6. 760.
Arnoldus Treverensis Archiepiscopus. 501. B. 502. D.

Ar-

Arnulphus Germaniæ Rex. 193. B.
Imperiali corona donatur. 194. A.
Asquetinus Episcopus Bethlemita. 276. C.
Astensis Civitas sub Johanne Marchione Montisferrati. 1032. B.
Sub Vicecomitibus. 1042. C.
Attilæ Hunnorum Regis acta varia. 73. C. 75. C.
Aversæ Civitas Hungaris deditionem facit. 646. E.
Ab eis obsessa. 714. E. & *seq*.
Augustinus Episcopus Aquilejensis. 67. A.
Aureus Mastropetro Venetorum Nuntius ad Græcorum Imperatorem. 293. A.
Dux Venetiarum electus. 308. B.
Ejus acta contra Jadrenses. 311. A.
Studium pro liberatione Terræ Sanctæ. 312 E.
Crysobolii renovationem à Græco Imperatore impetrat. 313. E.
Azo Marchio Estensis. 315. E.
Veronæ regimen suscipit. 335. E.
Azo junior Marchio Estensis Ferrariam obsidet. 343. C. 349. C.
Ab Imperatore recedit. 351. B.
Azo Estensis Marchio Patavium tuetur. 771. C.
Eccelinum de Romano debellat. 773. C.
Azo Obizonis filius Estensis Marchio Ferrariæ Mutinæ ac Regio dominatur. 776. C.
Ejus infaustæ res & obitus. 777. A.
Azo Estensis Marchio Vigozolo potitus. 898 E.
Ejus amicitiam Ubertinus Carrariensis conquirit. 905. C.
Azo Comes Adeleitam Reginam in arce Canossæ tuetur. 207. A.
Liguriæ ab Ottone M. Præfectus. *Ibid*. E.
Azo Vicecomes è Placentia pulsus. 734. C.
Victor Florentinorum & Bononiensium. 735. B.
Mediolani dominatur. 736 C.
Pacem cum Ecclesia init. 737. D.
Bergomo potitur. 738. D.
Tum Cremona. 739. E. 864. D.
Et aliis Urbibus. 740 C. 840 B. & D.
Constitutus Dominus Mediolani. 840. D.
Bergomum sibi subdit. 856. D.
Comum & Laudem. 867.
Et Placentiam. 875. A.
Contra Scaligeros fœdus percutit. 877. B.
Veronensem agrum infestat. 878. B.
Brixia potitur. 836. A.
Bellum ei inlatum à Loderisio Vicecomite. 899. A.
Quem in prœlio frangit & capit. 900. B.
Ejus victoria de Lodrisio Vicecomite quando peracta. 994. 1026. A.
Ejus genealogia, ac initium dominationis Mediolani. 998. A.
Ejus gesta ac victoriæ in adolescentia. 999. A.
Mediolanum Dominus ingreditur. 1000. D.
A Ludovico Bavaro deficit. 1001. B.
Ad Summi Pontificis subjectionem se convertit. 1002. B.
Mœnia Mediolanensis Urbis instaurat. 1003. A.
Johannis Bohemiæ Regis conatus frangit. 1007. B.
Bergomo potitur. 1005. A.
Tum Cremona. 1008. D.
Magnifica ejus ædificia. 1010. D. & *seqq*.
Comum, & Laudem sibi subdit. 1013. B. & E.
Alia illius splendida ædificia. 1015. A.
Ei deditionem Placentia facit. 1016. D.
Contra Mastinum Scaligerum fœdus init. 1018. D.
Brixiam suæ ditioni adjungit. 1019. B.
Modoetia potitur. 1156. C.
Princeps in Sardinia constituitur. 1019. D.
Alia illustria ejus acta, & magnificentia. 1020. A.
Vitam cum morte commutat. 903. A. 1028. E. 1175. D.
Ejus laudes. 1029. A. 1163. D.
Azo Galeatii Vicecomitis filius Placentia capta, fugiens evadit. 1121. A.
Ejus victoria de Florentinis. 1145. A.
Azo Corrigiensis Parmæ dominus. 542. A.
Aycardus Archiepiscopus Mediolanensis an cesserit Archiepiscopatu. 994. & 995.
Ejus postrema dies. 1028. E. 1131. B.
Aylisia Regina Cypri. 347. C.

B

Bajamontis Teupuli conjuratio Venetiis repressa. 410. B. 483. D. & *seqq*. 777. D.
Balduinus Comes Flandrensis. 320. B. 323. B. 326. C.
Constantinopolis Imperator renuntiatur. 329. A. 332. B.
Balduinus II. Imperator Constantinopolis. 352. D.
Balduinus I. Hierosolymæ Rex. 258. D.
Ejus gesta. 259. C. 267. B.
Balduinus II. Hierosolymæ Rex. 267. C. 269. D. 270. A. 273. B. 275. A. 277 D.
Balduinus III. Hierosolymæ Rex. 280. E.
Balduinus IV. Rex Hierusalem. 300. C.
Ejus gesta. 301 B.
Barbanus Abbas Monasterii Gradensis. 103. C.
Barbaræ Virginis & Martyris ossa Venetias delata. 41. D. 333. C. 335. A.
Barensis Civitas ab Hungaris obsessa. 671. C.
Se dedit Ludovico Hungariæ Regi. 695. B.
Baroli Cives detrectant subesse Johanni Palatino Altamuræ. 551. A.
Hungaris parent. 602. A. 655. C. 676. D. 696. B.
Bartholomæus Gradonico Venetiarum Dux. 415. A. 903. A.
Ejus mors. 909. D.
Bartholomæus Caraffa Archiepiscopus Barensis. 671. D. & *seqq*.
Bartholomæus Quirino Episcopus Castellanus, sive Venetus. 382. A.
Basilica S. Marci Venetiis, ibi Capellani, non Canonici. 9.
Quo tempore illuc translatum S. Marci corpus. 79. D. 172. B. & C.
Et in ea reconditum. 251. C.
Basilius Macedo Græcorum Imperator. 183. D.
Beatrix Estensis nupta Andreæ Regi Hungariæ. 349. C. & D. 402. D.
Beatrix Estensis mater Azonis Vicecomitis. 998. B.
Finem vivendi facit. 1028. E. 1042. E.
Illius prudens consilium ut Azonem filium hostibus eripiat. 1121. A.
Beatus Dux Venetiarum. 153. D.
Hypatus creatur. 157. E.
Dejicitur. 159. A.
Bela Rex Hungariæ. 265. A.
Bela III. Hungariæ Rex. 298. B. 311. B. 318. A.
Bela IV. Rex Hungariæ. 349. D. 354. C 355. D.

Bel-

Belgradum Civitas Dalmatiæ. 228. E.
Beltrandus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus. 855. D.
Marchiones Estenses bello infestat. 857. C.
Ejus exercitus ab ipsis fusus. 858. A.
A Bononiensibus expellitur. 860. C.
Ejus thesaurus expilatus. 997. C. 999. A. 1008. A.
Fractus ejus exercitus. 1007. E.
Beltrandus Patriarcha Aquilejensis. 864. A.
Ejus discordia cum Venetis. 865. A.
A rebellibus Foro-julianis in prælio victus & confessus occumbit. 932. D.
Belzeth Persarum Rex Romanum Græcorum Imperatorem captivum habet. 247. B.
Benedictus III. Papa Venetias confugisse creditus. 179. E.
Benedictus XI. Papa. 537. E.
Benedicti XII. Papæ electio. 860. D. 866. D.
Ejus electio & mores. 1009. C. & E.
Benedictus Episcopus Aquilejensis. 47. B.
Benedictus Faledro Patriarcha Gradensis. 319. D.
Benedictus Episcopus Comensis. 1013. B.
Benedictus Abbas Brundolensis. 242. D.
Benintendus de Ravagnanis Cancellarius Reipub. Venetæ, ejus Epistola de laudibus Andreæ Danduli. 10.
Berardus de Lamosano Episcopus Gravinæ. 653. D.
Berengarius I. Italiæ Rex. 193. B. 196. B.
Creatus Imperator. 197. B. 200. A.
Berengarius II. Italiæ Rex fœdus renovat cum Venetis. 204. D.
Dejicitur ab Ottone M. 207. B.
Bergomum traditum Azoni Vicecomiti. 856. D. 1005. A.
Bernabos Vicecomes dominus Mediolani. 422. C. 424. C.
Fœderatus cum Venetis. 444. B. 456. A.
Reginam Mastini Scaligeri filiam uxorem ducit. 748. A. 933. A.
Mediolani, aliarumque Urbium dominus. 749. D.
Ejus gesta. 751. C. & *seq*.
Veronam copias ducit. 939. C.
Ejus bella contra Romanam Ecclesiam. 961. E.
Quàm indignè Legatos confœderatorum contra se exceperit. 962. B.
Mutinensem agrum vexat. 963. B. & *seq*.
Ejus copiæ fractæ à Feltrino de Gonzaga. 967. C.
Pacem cum Ecclesia statuit. 974. C. 975. A.
Ejus exercitus profligatus. 983. C.
A Johanne Galeatio nepote in carcerem trusus. 987. B.
Bernardus Nazarenus Archiep. 276. C.
Beroldi Mediolanensis vetustum Cæremoniale. 1047. E.
Bertaldus Episcopus Polensis. 227. E.
Bertholdus Patriarcha Aquilejensis. 342. C.
Bertrandus de Baucio Magnus Justitiarius Regni Apuliæ. 564. B.
Bitonti Civitas obsessa. 643. D. 659. B.
Bitontinorum acta. 661. B. & *seqq*.
Boamundus Antiochiæ Princeps. 255. C. 258. C. 259. C.
Ejus postrema gesta. 261. D.
Boamundus II. Antiochiæ Princeps. 273. D.
Boivinius (Johannes) Vir Clariss. 528.
Bonifacius Marchio Montisferrati cum Venetis fœderatus. 323. A. 326. C.
Adrianopolim Venetis concedit. 331. D.
Rex Thessaliæ. 334. C. 338. D.
Bonifacius Phaledro Episcopus Venetus. 268. D. 278. A.
Bonincontri de Morigia Chronicon Modoëtiense heic editum. 1054.
Quis ille fuerit. 1055. 1057. & *seq*. 1125. B.
Bononia sub jugo Vicecomitum. 941. C.
A Bernabove Vicecomite vexata. 963. B. & *seq*. 984. C.
Sub Johanne XXII. Papa. 1002. D. 1008. A.
Bononiæ dominus Thaddæus de Pepulis. 539. D.
Bononienses Henricum, qui & Hentius, Friderici II. Aug. filium capiunt. 358. A.
Totius Romandiolæ dominium usurpant. 378. C. 380. C. 387. A.
Bononienses Legatum Apostolicum expellunt. 739. D.
Rursus ditioni Pontificis sub Thaddæo Pepulo se subdunt. 741. C.
Tum Johanni Vicecomiti Archiepiscopo Mediolani. 747. D.
Consentiente etiam Romano Pontifice. 748. A.
Contra Eccelinum de Romano progressi recedunt. 771. C. 789. B.
Fracti in prælio à Passarino Mantuæ Domino & à Mutinensibus. 838. E.
Parmam obsident. 849. B.
Bertrandum Legatum Apostolicum abjiciunt. 860. A. & C.
Eorum Dominus Thaddæus Pepulus. 880. B.
Se tradunt Vicecomitibus. 935. B.
Sub Johanne Olegiano Tyranno. 942. B.
Debellati ab Azone Vicecomite. 999. B.
Bonus Patriarcha Gradensis. 206. C. & D.
Brichinus Episcopus Veronensis. 29. E.
Brixia se dedit Eccelino de Romano. 772. C.
Capta ab Henrico VII. Augusto. 731. C. 780. B.
Johanni Bohemiæ Regi tradita. 855. C.
Tum Mastino Scaligero. 856. B. 1105. A.
Erepta Mastino Scaligero ab Azone Vicecomite. 1019. B.
Brixiensium acta sub Henrico VII. Augusto. 1098. E. 1102. E. & *seq*.
Brixiensis Episcopus olim Sabionensis. 106. B.
Bucicardus Genuæ Rector fractus in prælio à Venetis. 517. B.
Bulgari ad fidem Christi conversi. 182. D.
Bruzius Vicecomes in Germania vexillum Vicecomitum erectum defert. 1015. E. 1016. C.

C

Callistus II. Papa electus. 268. A.
Burdinum Antipapam dejicit. 269. A.
Synodum Romanam celebrat. *Ibid*. C.
Callistus Patriarcha Aquilejensis. 134. D.
Ad eum Epistola Gregorii III. Papæ. 136. A. 137. A.
Calojannes Græcorum Imperator. 266. D.
Chrysobolion Venetorum Duci mittit. 269. C.
E vivis abit. 274. A. & D.
Calojanus Græcorum Imperator. 443. B. 447. A.
Calomanus Rex Hungariæ. 252. D.
Fœdus cum Venetis init. 259. A.
Dalmatiam eis eripit. 264. C.
Ejus postrema dies. 265. A.

Cami-

Caminensis familiæ infortunia. 862. E.
Sine masculis deficit. 865. C. & D. 871. C. & E.
Candianus Patriarcha Aquilejensis, sive Gradensis. 109. A.
Canis Grandis Scaliger Veronæ Dominus. 731. C. & *seq.*
Vicentia potitur. 779. D. 780. E.
Ejus bella contra Patavinos. 783. C. & *seq.*
Pro ipso militat Comes Goritiæ. 785. E.
Patavinum exercitum ad Vicentiam debellat. 788. D.
Cum eis pacem init. 789. C.
Rursus eos frangit. 790. D.
Montesilice aliisque Castris potitur. 791. A.
Friderico Austriaco Augusto adhæret. 798. B.
Vicentiam à Patavinis obsessam liberat. 800. C.
Montemsilicem, eis eripit. 805. B.
Bellum contra eos instaurat. 808. C.
Patavium obsidet. 733. D. 810. A.
Pacem cum eisdem rursus statuit. 813. 1736. B.
Iterum obsidione premit Patavium. 816. A.
Furtivè in eam ingressum tentat. 821. D.
Fugatur à Comite Goritiæ. 824. B.
Pacem rursus cum Patavino populo componit. 826. C.
Feltro potitur. 828. A.
Tum Cenetensi Civitate. 836. A.
Quid cum Ludovico Bavaro egerit. 839. E.
Patavium rursus ad angustias redigit. 841. D.
Quæ Civitas ei traditur. 846. D.
Solemnis Curia ab eo habita Veronæ. 848. B. 851. A.
Tarvisio ad deditionem coacto diem postremum obit. 736. D. 850. C. 851. A.
Acta contra Patavinos. 1112. B.
Canis Grandis II. Scaliger uxorem ducit filiam Ludovici Ducis Bavariæ. 933. D.
Veronam sibi à Frignano surreptam recipit. 748. E. 939. C.
A fratre confossus occumbit. 940. D.
Canis Signorius dominus Veronæ diem claudit extremum. 984. B.
Canusina Civitas ab Hungaris afflicta. 622. E. 689. C. 701. D.
Capuæ Civitas ab Hungaris capta & spoliata. 646. A.
Caroli M. Francorum Regis gesta. 143. D.
Desiderium Langobardorum Regem dejicit. 145. C.
Acta ab eo quædam in Italia & Oriente confecta. 146. B.
Romanorum Imperator salutatur. 150. D.
Privilegium ab eo concessum Gradensi Ecclesiæ. 154.
Pacem init cum Græcorum Imperatore. 162. D.
Finem vivendi facit. 163. D.
Carolus Calvus Imperator. 185. C. 187. A.
Carolus Crassus Imperator. 187. B.
Ejus Diploma pro Venetis. 189. B. 192. D.
Carolus Johannis Bohemiæ filius Marchiones Estenses prælio frangit. 738. C.
Imperator renuntiatus in Italiam venit. 749. E.
Gesta ab eo. 750. B.
Carolus Johannis Regis Bohemiæ filius Vicarius patris in Italia. 855. E.
Marchiones Estenses profligat. 856. D.
Veronæ magnificè receptus. 859. C.
Contra Scaligeros fœdus init. 879. B. 885. C.
Carolus filius Johannis Bohemiæ Regis Imperator electus. 923. A.
Ejus Genealogia & adventus in Italiam. 943. A.
Coronâ Ferreâ cingitur. 944. E.
Tum Romanâ. 945. E.
Pisanorum seditio in eum. 946. B.
Carolus IV. Rom. Imperator. 412. C.
CAROLUS VI. *Romanorum Imperator gloriosissimus*. 527. & 547.
Caroli I. Siciliæ Regis gesta. 924. B.
Provinciæ Comes Regnum Siciliæ à Papa oblatum accipit. 371. D.
Quod cæso Manfredo sibi subjicit. 372. B.
Conradinum captum securi plectendum jubet. 379. A.
Cum Rege Tunitii pacta componit. 380. A. 382. B.
Jus in Regnum Hierosolymitanum acquirit. 393. C.
Carolus Hungariæ Rex, ad eum literæ Ducis Venetiarum. 493. B. & *seq.*
Pater Andreæ Calabriæ Ducis. 549. C.
Carolus de la Pace Rex Neapolis. 475. D. 986. C.
Nepos Ludovici Regis Hungariæ. 985. C.
Ejus obitus. 476. B.
Carolus Dux Duratii. 553. C.
Uxorem ducit Mariam Johannæ Reginæ sororem. 556. A. & *seq.*
Matrem veneno de medio tollit. 559. A. 562. D.
In sicarios Andreæ Regis animadvertit. 564. C. 565. B. 567. A.
Insurgit in Ludovicum Principem Tarentinum. 568. A.
Ludovicum Hungariæ Regem ad Italiam invitat. 570. C.
Oblato Ducatu Calabriæ Johannæ Reginæ adhæret. 572. B.
Iterum ab ea deficit. 573. A.
Ludovicum Hungariæ Regem adit. 579. B.
Qui ejus interitum meditatur. 580. A.
Multa ei crimina objecta. 582. A.
Ignominiosè perimitur. 583. C. 925. D.
Carolus Tarentini Principis filius in prælio cadit. 789. E. 793. A. 795. E.
Carolus Zeno classe Genuenses infestat. 446. D. & *seq.*
Ditissimam navem Biebignonam eis eripit. 452. A.
Capitaneus generalis contra Genuenses. 461. B. & *seq.*
Ejus prælium cum Bucicaldo. 507. C.
Carrariensium impotentia Patavii. 821. B. 824. D. 834. C. & D. 835. C.
Casan Dominus Tartarorum, ejus bellum contra Soldanum Babiloniæ. 513. A.
Cassiodorii Epistola ad Venetos. 88. C.
Casto de la Turre Archiepiscopus Mediolani. 1096. B.
Henricum VII. coronat. 1098. D. 1109. C.
Finem vivendi facit. 1113. B.
Castruccius Lucæ Dominus Ludovicum Bavarum deducit Romam. 530. A.
Inde abscedit. 531. C.
Varia illius gesta. 838. D. & *seq.*
Pisarum Vicarius. 840. B. 853. A.
Bellum init cum Florentinis. 1144. E.
Quos in prælio conterit. 999. A. 1145. A.
Ludovico Bavaro favet. 1151. E.

Catharina Ludovici Sabaudiæ Principis filia nupta Azoni Vicecomiti. 1003. B.
Cavalcaboves Gibellinos è Cremona deturbant. 799. A.
Ceccarellus (Alphonsus) impostor securi percussus. 527.
Chrysogonus I. Aquilejæ Episcopus. 38. A.
Chrysogonus II. Aquilejæ Episcopus. 39. B.
Ejus Martyrium. 40. B.
Christianus Moguntinus Archiep. Anconam frustra obsidet. 299. B. 501. B. 502. C.
Christophorus Patriarcha Gradensis. 123. E.
Christophorus Episcopus Olivolensis. 149. C. 157. B. & D.
Christophorus II. Olivolensis Episcopus. 157. E.
Chromatius Episcopus Aquilejensis. 53. D. 57. A. 58. C.
Ejus postrema dies. 66. A.
Clarissimus Episcopus Concordiensis. 101. E. 104. B.
Clemens III. Papa. 312. D. 314. B.
Clemens IV. Papa Carolum Provinciæ Comitem coronat Regem Siciliæ. 372. A.
Clementis VI. Papæ electio. 907. C.
Clugia post Mathemaucensis Urbis interitum facta Sedes Episcopalis. 262. B.
Clugia Venetis erepta à Genuensibus. 447. B.
Obsidione premitur à Venetis. 451. E.
Ac tamdem recipitur. 458. B.
Cœlestinus IV. Papa. 353. A.
Collalti Comes (Antonius Rambaldus) laudatus. 760.
Columnensium studia pro Ludovico Bavaro. 529. C. & *seq.*
Olim Ceccani Domini. 532. E.
Eorum contentiones cum Ursinis. 533. D.
Cardinales tres ex eorum familia. 537. C.
Henrico VII. Augusto adhærent. 1104. E.
Comacli Comitatus expetitus à Venetis. 188. E. 189. A.
Civitas à Venetis capta & flammis data. 202. A.
Comensis urbis motus. 862. C.
Azoni Vicecomiti traditur. 867. C. 1013. B.
Comitissa de Bertinoro Anconitanis obsessis fert opem. 299. B.
Concilium Venetum sub Urso Patriarcha Gradense. 241. C.
Conradinus Conradi Regis filius. 360. B.
Simulata illius mors. 365. D.
Victus in prœlio à Carolo I. Siciliæ Rege securi percutitur. 379. A.
Conradus I. Augustus. 239. C.
Mediolanenses vexat. 241. B.
Conradus II. Romanorum Rex, ejus gesta. 279. A.
Conradus Friderici II. filius victus à Landgravio Duce Thuringiæ. 356. D.
Sicilia ac Apulia potitus moritur. 360. B.
Conradus Marchio Anconitanus. 502. D.
Conradus Marchio Montisferrati. 502. D.
Conradus Guilielmi Marchionis filius Tyrum & Antiochiam tuetur. 312. C.
Conradus Salzburgen. Archiepiscopus. 502. D.
Conradus Rusconus Princeps Comensis. 1094. D.
Contursii Terra Hungarorum prædæ data. 707. C.
Constantia Sicula nupta Henrico Friderici I. Augusti filio. 311. E. 312. B. 317. A.
Constantia Tancredi Siculi Regis filia nupta Duci Venetiarum. 338. B.
Constantinopolis capta à Venetis & Francis. 322. C. 329. B.
Eis erepta à Græcis. 369. B.
Constantinus qui & Cyrillus Bulgaros ad Fidem Christi convertit. 182. D.
Apostolus Slavorum. 183. B.
Corcyra Græcis erepta à Rogerio Siciliæ Rege. 282. C.
Ope Venetorum recepta. 283. A. 472. D.
Corona Ferrea Modoëtiensis an ei intextus Clavus Dominicæ Crucis. 1056. 1078. A.
Coronæ tres, quibus Imperatores coronantur. 1077. E. & *seq.*
Cortusiorum Chronicon heic recusum. 767. A.
Crema Azoni Vicecomiti tradita. 1013. A.
Cremona Azoni Vicecomiti deditionem facit. 1008. D.
Cremonensium victoria de Parmensibus. 359. D.
Et de Eccelino de Romano. 368. A.
Afflicti ab Henrico VII. Augusto. 731. B.
Pulsi è Cremona Gibellini. 799. A.
Eorum calamitas sub Henrico VII. Augusto. 1101. D. & *seq.* 1108. B.
Cretensium seditio contra Venetos. 428. E.
Per quos reprimitur. 430. A. & *seq.*
Croati à Venetis compressi. 226. B.
Eorum Reges. 227. A.
Acta varia. 228. C.
Crusimurus Croatorum Rex. 236. B.
Cyprianus Patriarcha Gradensis. 111. C.

D

Dalmatæ ad Fidem Christi conversi. 182. E.
Dalmatiæ fines. 183. A.
Dalmatia supremæ ditioni Græcorum Cæsarum subjecta. 227. A.
In potestatem Venetorum venit. 228. A. & *seq.* 250. A.
Erepta Venetis à Calomano Rege Hungariæ. 264. C.
Ab iis recepta. 266. E. 292. A.
Dandulo (Andreas) Auctor Chronici heic primùm editi. Vide Andreas.
Delphinus Episcopus Aquilejæ. 71. C.
Desiderius Dux Istriæ creatus Rex Langobardorum. 142. B.
A Carolo M. obsessus & captus. 145. C.
Deusdedit Dux Venetiarum. 138. E.
Deusdedit Episcopus Torcellanus. 127. D.
Deusdedit Magister Militum Venetiis. 137. D.
Dominicus Flabanico Dux Venetiarum. 240. D.
Dominicus Urseolus Dux Venetiarum. 240. C.
Dominicus Contarenus Dux Venetiarum. 242. C.
Jadram recipit. 244. A.
Privilegia ei confirmata ab Henrico II. Augusto. 245. A.
Monasterium condit. 246. C.
Dominicus Sylvio Dux Venetiarum. 247. A.
De sede expellitur. 249. D.
Dominicus Michaël Dux Venetiarum. 267. B.
A Calojanne Græcorum Imperatore chrysobolion impetrat. 269. C.
Classem Babylonicam frangit. 270. C.
Tyrum obsidet & capit. 271. B.
Alia ejus bellica gesta. 272. A. 274. E.
Pacta cum Balduino Hierosol. Rege. 275. A.
Dominicus Mauroceno Dux Venetiarum. 283. B.
Varia illius gesta gloriosa. 284. A. & *seq.*
Fœdera cum Friderico I. Augusto confirmat. 286. A.
Ejus pacta cum Guillielmo Rege Apuliæ. Ibid. B.

De-

Dominicus *Monegario Dux Venetiarum*. 141. D.
Dominicus *Sanctus Prædicatorum institutor*. 333. E. 339. C. 340. B. 342. D.
Dominicus *Patriarcha Gradensis*. 195. B.
Dominicus *Marengo Patriarcha Gradensis*. 242. E. 246. D.
Dominicus *Cerbano Patriarcha Gradensis*. 249. C.
Privilegia ei confirmata ab Urbano II. Papa. 251. A.
Dominicus *Bulcano Patriarcha Gradensis*. 242. E.
Dominicus *Contareno Episcopus Venetus*. 243. E.
Dominicus *Episcopus Olivolensis, seu Venetus*. 181. C. 197. E.
Dominicus *II. Episcopus Olivolensis, seu Venetus*. 198. D. 204. E. 225. E. 241. C.
Dominicus *Episcopus Torcellanus*. 185. D. 205. C.
Dominicus *Episcopus Mathemaucensis*. 200. B.
Dominicus *Leo Magister Militum Venetiis*. 136. E.
Dominicus *de Gravina, ejus Chronicon heic editum*. 545.
Quis ille fuerit. 548.
Ejus patria. 563. C. 598. B. 603. B. 617. B. 621. B. 630. D. 651. D. 655. A.
Donati *Episcopi Cusiensis ossa Venetias translata*. 61. E.
Donatus *Patriarcha Gradensis*. 130. D.
Ad eum Epistola Gregorii II. Papæ. 133. A.
Dopnius *Salonitanæ Ecclesiæ fundator*. 21. B.
Dulcini *Hæresiarchæ facinora & mors*. 729. C.

E

EBremarus *Cesanensis Archiep*. 276. C.
Ecaterina *Imperatrix Constantinopolitana*. 553. C.
Johannam Reginam ad prodendum Andream Ducem maritum inducit. 558. C.
Nuptias filii cum Regina curat. 562. D. 568. C.
Eccelinus *de Romano Patavinos vexat*. 344. E. 347. B.
Tarvisio & Patavio potitur. 350. A. 351. B. 768. B.
Parmæ obsidioni interest. 356. E.
Venetorum fines invadit. 357. B.
Archiepiscopum Ravennatem captivum habet. 363. B.
Brixia potitur, Patavio spoliatur. 364. B. & E. 770. B.
Reconciliatur Alberico fratri. 365. D.
Crudelia ejus gesta. 769. C.
Multa Patavinorum millia necat. 771. B.
Alia ejus acta. 772. B.
Soncini vulneratus in prælio finem vivendi & sæviendi facit. 366. A. 774. A.
Eduardi *Anglorum Regis bellum contra Francos*. 921. A. 1032. C.
Elisabetha *Regina Hungariæ*. 476. A. & C.
Emanuel *Græcorum Imperator*. 274. D.
A Venetis subsidia petit. 282. C.
Inter eos odia. 291. B.
Dalmatia potitur. 292. D.
Venetis ingentia mala infert. 293. B.
Contra eum Veneti fortissima classe insurgunt. 294. A.
Alia ejus acta. 298. A. & B. 309. A.
Emericus *Rex Hungariæ*. 318. A.
Epiphanius *Patriarcha Gradensis*. 110. B.
Equilium *Civitas postea Episcopalis fundata*. 121. A.
Estensium *Marchionum bellum cum Legato Sedis Apostolicæ*. 536. D.
Mutina potiuntur. 538. C.
Eorum discordia eisdem funesta. 776. C. 777. C.
Favent Cani Scaligero. 815. C.
Ferrariam recipiunt. 839. A.
Pontifici Romano adhærent. 841. C.
Victoriam referunt de exercitu Pontificio. 1007. E.
Azoni Vicecomiti opem ferunt. 1023. E. *Vide* Marchiones.
Estense *oppidum Patavinis à Cane Scaligero ereptum*. 791. C. 805. C. 826. A.
Eugenius *III. Papa à Romanis vexatus*. 281. C.
Euphemia, *Dorothea, & Tecla Martyres Aquilejenses*. 18. B.

F


FAnensium *fœdus cum Venetis*. 279. C.
Felicia *Abbatissa Monasterii Torcellani*. 234. D. 235. A.
Felix *Vicentinus Martyr*. 39. A.
Felix *Cornicula Magister Militum Venetiis*. 137. C.
Feltri *Civitas Cani Scaligero se tradit*. 828. A.
Feltrinus *de Gonzaga Dominus Regii fœderatus contra Bernabovem Vicecomitem*. 963. D. 966. C.
Ejus copias fundit. 967. C.
Bastitam Solariensem recipit. 970. C.
Ferraria *recepta à Mathilda Comitissa*. 259. A.
Cives contra Venetos. 288. A.
Salinguerræ erepta à fœderatis. 351. D.
A Venetis restituta Papæ. 402. A.
Ejus pacta cum Venetis. 314. D. 387. D.
Renovata & aucta. 352. A.
A Legato Sedis Apostolicæ obsessa ac liberata. 536. D. 857. C. 1007. E.
Sub Marchionibus Atestinis. 771. C. 776. C.
Sub Venetis. 777. C.
Sub Romano Pontifice. 778. B.
Illic interemtus Franciscus Marchio Estensis. 784. D.
Recepta à Marchionibus. 839. A.
Firmus *& Rusticus Bergomenses Martyres*. 41. A.
Florentinorum *bellum contra Mastinum Scaligerum*. 539. B. 540. E.
Lucam ab eo emunt. 542. A.
Ab Ugutione de Fagiola in prælio attriti. 732. E. & seq. 789. E. 795. C.
Itemque à Castruccio. 735. B. 838. D.
Tum à Pisanis. 743. D.
Ducem Athenarum dejiciunt. 744. D.
Cum Venetis fœdera ineunt contra Scaligeros. 871. C. 877. B.
Patavium eis eripiunt. 881. D.
Eis tradita aliquot Castra. 896. D. 898. C.
Intestinis discordiis vexantur. 905. B.
Lucam à Scaligero emunt. 906. D.
Duci Athenarum se subdunt. 908. C.
Pisanos bello impetunt. 973. A.
A Castruccio debellati. 999. A.
Florentius *Comes Hollandiæ*. 502. D.
Fontaninius *(Justus) Archiepiscopus Ancyranus* V. Cla-

V. Clarifs. ejus sententia de Corona Ferrea, 1056.
Fontejus Episcopus Feltrensis. 102. B.
Fogiæ Civitatis ærumnæ. 594. & *seq.*
Forlosia (Nicolaus) Cæsareæ Bibliothecæ Custos. 547.
Formosus Papa, ejus gesta. 193. C.
Forojuliensium bellum sub Philippo de Alançonio Patriarcha. 473. B.
Inter Patriarcham & Nobiles. 975. B. & *seq.*
Fortunatianus Episcopus Aquilejæ. 50. A.
A Sancto Hieronymo reprehensus. 53. B.
Fortunatus Vicentinus Martyr. 39. A.
Fortunatus Patriarcha Gradensis. 152. A.
Ad eum literæ Leonis III. Papæ. Ibid. B.
Adversùs Duces Venetiarum conspirat. 153. B.
A Carolo M. Privilegium impetrat. 154. A.
Ad Ecclesiam suam regreditur. 157. B.
Iterum exulare cogitur. 161. D.
Sedem suam recuperat. 165. A. & E. 168. C. & D.
Fortunatus Aquilejensis Patriarcha Schismaticus. 113. A.
Franchinus Rusconus quæ gesserit contra fratres de Grassis. 1166. C. & *seq.*
Franciscus Dandulo Venetiarum Dux. 413. A.
Franciscus Segnorius Scaliger dominus Veronæ. 940. D.
Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ. 973. E.
Franciscus Marchio Estensis Azoni fratri adhæret. 776. D.
A quo expellitur. 777. A. 783. D.
Iniquè interemtus. 784. D.
Franciscus II. Marchio Estensis contra Aldrevandinum Marchionem militat. 938. B.
Franciscus de Carraria Dominus Patavii. 426. C.
Ejus bellum contra Venetos. 433. C. & *seq.*
Pacem quærere cogitur. 440. A. & *seq.*
Iterum contra Venetos bellum instruit. 442. D. 444. B. 458. C.
Pacem cum eis statuit. 465. C.
Tarvisio potitur. 468. B.
Contra eum Veneti, & Comes Virtutum fœdus ineunt. 478. A.
Bello teterrimo impetitur. 479. D. & *seq.* 983. C.
Ereptum ei Tarvisium. 481. C.
Novocomi exulat. 482. A. 515. B.
Franciscus Carrariensis senior dominus Patavii. 934. D.
Cani Scaligero auxilium ministrat. 939. C.
Capitaneus Generalis confœderationis contra Vicecomites. 941. B.
Miles à Carolo IV. Imperatore creatur. 944. C.
Jacobinum patruum in carcerem trudit. 947. C. 951. A.
Ludovico Hungariæ Regi favet. 948. B.
Pacem inter eum & Venetos componit. 952. C.
Regis Diploma pro eo. 953. D.
Publica ejus ædificia. 959. C.
Feltrum & Bellunum ei dono data à Ludovico Hungariæ Rege. 960. A.
Fœdera init contra Bernabovem Vicecomitem. 961. E.
Contra quem bella gerit. 964. B.
Militat Patriarchæ Aquilejensi. 975. C.
Bella in Foro Julii agit. 473. C. & *seq.* 976. A.
Qui contra eos cum Genuensibus fœdus init. 985. A.
Ejus bellum contra ipsos. Ibid. C. & *seq.*
Pax inter eos sequuta. 986. D.
Tarvisio potitur. 987. A.
Ejus bellum contra Antonium Scaligerum. Ibid. C.
A Johanne Galeatio Vicecomite in extremas calamitates pertractus. 988. B.
Franciscus Carrariensis junior nascitur. 959. A. 983. A.
Thadæam Estensem ducit uxorem. 984. D.
Nascitur ei Franciscus Tertius. 986. D.
Antonii Scaligeri exercitum profligat. 987. E.
Patavium ei ereptum ac receptum. 480. C. 988. C.
Qua urbe spoliatur à Jo. Galeatio Vicecomite. 481. A. 515. C.
Veronâ potitur. 512. C.
Patavio & vita spoliatur. 521. A.
Franciscus de Ordelaffis dominus Fori-Livii captus in prœlio Ferrariensi. 8 8. B.
Franciscus de Baucio Comes Montis-Caveosi. 664. A.
Franciscus sanctus Minorum institutor. 333. E. 339. C. 343. B.
Ad meliorem vitam moriens migrat. 344. B.
Frescus Estensis Marchio Ferrariam Venetis tradit. 777. B.
Fridericus I. Imperator electus. 285. B.
Pacta Venetorum confirmat. 286. A.
Mediolanum capit ac diruit. 287. D.
Ab eo omnes ferè Civitates Lombardiæ deficiunt. 289. B.
Anconam frustra obsidendam jubet. 299. B.
De pace agit cum Alexandro III. Papa. 302. B.
Quam Venetiis statuit. 303. D.
Pacis hujus Historia, sed fabulosa. 304. C.
Fœdus renovat cum Venetis. 307. A.
Expeditionem in Orientem parat. 313. B.
Debitum naturæ solvit. 314. A.
Ejus Diploma pro Torcellana Ecclesia. 499. D.
Pro Monasterio Veneto S. Georgii. 501. D.
Fridericus II. Rex Romanorum eligitur. 338. A.
Cruce signatur. 343. A.
Quæ in Oriente egerit. 344. D.
Henricum primogenitum de medio tollit. 348. E.
Mediolanenses in prœlio debellat. 350. B.
Venetis infestus. 351. A.
Ravenna potitur. 352. C.
Contra Genuenses ingenti classe procedit. 353. C.
Romanum agrum vastat. 355. D.
Ab Innocentio IV. in Lugdunensi Concilio depositus. 356. A.
Parmam obsidet, & fugatur. 357. A.
E vita excedit. 359. D.
Fridericus Austriacus electus Rom. Imperator. 786. D.
Ei adhæret Canis Scaliger. 798. B.
Tarvisii Dominus. 815. B.
Et Patavii. 818. C. 820. A. 837. D. 841. B.
Fridericus Patriarcha Aquilejensis. 195. B.
Fulco Hierosolymorum Rex. 277. D. 280. E.
Fundi Comes à Johanna Regina deficit. 573. B.
Stratagemate se contra illius exercitum munit. 574. B.

Quem omnino profligat. 576. A. 577. D.
Frustra Ducem Duratii monet, ut paratam necem fugiat. 580. E.

G

GAleatius I. Vicecomes primogenitus Matthæi Magni. 1093.
Seditionem concitat Mediolani. 1099. A.
Exulare cogitur. 1100. B.
Placentiæ & Cremonæ dominatur. 1113. A.
Succedit patri. 1118. E.
Ejus acta Placentiæ. 1119. A.
Quæ Civitas ei eripitur. 1121. A.
E Mediolani dominatione excidit. 1125. B.
Principatum recipit. 1129. C.
Anathemate, ac bello impetitus à Johanne XXII. 838. B.
Contra eum copiæ Pontificiæ procedunt. 1130. C.
Mediolani obsidetur. 1132. D.
Contra illum Theutonici conjurant. 1133. A.
Exercitum Pontificium profligat ad Vaprium. 1135. D.
Modoetiam obsidet. 1137. D.
Clam pacem à Pontifice quærit. 1140. A.
Modoëtiensem Terram recipit. 1142. A.
Castrum ibi construit. 1144. D.
Contra eum multa molitur Marcus ejus frater. 1148. B.
Ad eum literæ Ludovici Bavari. Ibid.
A quo dejicitur de dominatione Mediolani. 840. B. 1150. E.
Raymundum de Cardona debellat. 733. E.
E Mediolano pulsus. 734. C. 735. E.
Ejus postrema dies. 852. C. 1152. B.
Galeatius II. Vicecomes Bononiæ dominationem pro Johanne patruo arripit. 747. D.
Quæ illi Urbes post patrui mortem obtigerint. 422. C. 424. C. 749. D. 935. B. 944. A.
Galeottus de Malatestis captus in prælio Ferrariensi. 858. B. & C.
Galla Dux Venetiarum. 141. A.
Garellius (Pius Nicolaus) Augustiss. Cæsaris Bibliothecæ Præfectus. 527. & 547.
Gascapinus Cremonensis Historicus, Auctor Lectiflori. 1008. D.
Gassonus de Dynisiaco Terlicii Comes, & Regni Siciliæ Marescallus. 552. B. 555. D.
In nece Andreæ Regis immixtus. 564. D. 565. B.
Gaudentius Auserensis Episcopus. 242. A.
Gelasius II. Papa. 267. E.
Geminianus Episcopus Mutinensis Sanctus. 53. A.
Ejus Ecclesia Venetiis. 92. D.
Genua obsessa ab exercitu Vicecomitum. 1114. A.
Genuensium naves à Venetis debellatæ. 338. C.
Pax inter illos restituta. 341. B.
Contra Fridericum II. ingenti classe procedunt. 353. C.
Inter eos & Pisanos discordiæ. 359. C.
E Tyro Venetos expellunt. 365. A.
Contra eos & Pisanos bella gerunt. 366. A.
A Venetis franguntur. 367. A.
Bellum inter eos continuatum. 373. A. & seq. 401. C. 404. A. & seq.
Insignem de Venetis victoriam referunt. 408. B.
Pax inter eos restaurata. 409. A. 412. A.
Rursus bello Venetos fatigant. 420. B. & seq.
A quibus victi se tradunt Johanni Vicecomiti Archiep. Mediolani. 422. B.
Venetorum classem profligant. 424. B.
Eorum rursus discordia cum Venetis. 443. C.
Bellum contra ipsos suscipiunt. 444. A.
Teterrimo prœlio ipsos frangunt. 446. B.
Clugia potiuntur. 447. B.
Eis erepta à Carolo Zeno ditissima navis Bichignona. 452. A.
Clugiæ obsidentur à Venetis. 453. B.
Victi à fame deditionem faciunt. 458. B.
Venetos infestare pergunt. 460. A.
Duce Bucicaldo fracti in mari à Venetis. 517. B.
Intestinis seditionibus laborant. 538. A. 541. A.
Sub Johanne Vicecomite Archiepiscopo Mediolani. 748. E.
Eorum bellum contra Venetos. 935. D.
A quibus profligantur. 936. D.
Johanni Vicecomiti se subdunt. 937. A.
Pacem cum Venetis restaurant. Ibid. D.
Clodiam eis eripiunt. 985. C. 986. A.
Primum Ducem sibi eligunt. 1032. C.
Georgius Patriarcha Gradensis. 194. A.
Georgius Episcopus Olivolensis, seu Venetus. 208. E.
Geyza Hungarorum Rex. 235. C. 244. B.
Geyza II. Hungariæ Rex. 274. D.
Gherardius (Petrus Hercules) laudatus. 547.
Gibertus de Corrigia dominationem Parmæ arripit. 729. A.
Inde pulsus. 730. A.
Ibi constitutus Vicarius Imperialis. 731. A.
Ab Henrico VII. Augusto deficit. Ibid.
Roberto Apuliæ Regi adhæret. 732. B.
Ejus postrema fata. 733. A. & E.
Girardus minister Hospitalis Modoëtiæ vir multæ sanctitatis, ejus vita. 1085. A.
Miracula ejus intercessione facta. 1086. C.
Goffredus de Villa Arduin Princeps Achajæ, 336. D.
Goffridus Marzanus Comes Squillacii & Regni Siciliæ Admiratus. 584. D.
Gotifredus Eustachii Boloniensis filius Rex Hierusalem. 255. C. 257. E.
Gradus Civitas Metropolis novæ Venetiæ. 69. E.
Gradensis Patriarchæ electio, & investitura ei data à Duce Venetiarum. 11.
Helias Episcopus Aquilejæ Gradi Sedem figit. 97. A.
Gradense Concilium. 98. E.
Multa Sanctorum corpora Gradi recondita. 102. D.
Aquilejensis Patriarcha appellatus Gradensis. 103. A.
Gradensis Ecclesia oppressa à Langobardis. 145. B.
Ad Regnum Italicum pertinens. 163. D.
Ecclesia Gradensis in Romana Synodo Metropolis Venetiæ confirmatur. 209. A.
Gradensis Civitas restaurata. 225. A.
Frustra Ecclesiam Gradensem sibi subjicere nititur Popo Aquilejensis. 237. E. 242. C.
Jadrensis Ecclesia ei subjecta. 292. D. 309. B.
Gravinæ Civitas Ducissæ Duratii subjecta. 602. D. 603. A.
Hungaris paret. 606. A.
Ibi varii animorum motus. Ibid. B.
Civium fuga & depopulatio. 612. C. 619. A.



Ducissæ rursus adhærent. 631. D.
Episcopus urbis illius captus. 684. B.
Gregorii II. Papæ Epistola ad Serenum Patriarcham Aquilejensem. 132. D.
Altera ad Ursum Ducem Venetiarum. 135. A.
Gregorii VII. Papæ gesta. 248. B. 249. C. 250. C.
Gregorius VIII. Papa. 312. D.
Gregorius IX. Papa. 344. B.
Gregorius X. Papa. 379. C.
Occurrit Rodulpho I. Romanorum Regi. 385. A. 386. A.
Lugduni Concilium celebrat. 388. A.
Ejus obitus. 389. C.
Gregorius XI. Papa inter Venetos & Patavinos pacem restaurat. 440. A.
Ejus adventus in Italiam. 984. D.
Ejus obitus. 985. A.
Gregorius de Montelongo Legatus Apostolicus Ferrariam Salinguerræ eripit. 351. B. & E.
Parmam tuetur. 356. D.
Patriarcha Aquilejensis. 360. A. 363. A. 375. C.
Gualdo Cumanus, non Cremonensis, Episcopus. 207. B.
Gualpertus Episcopus Mediolanensis. 207. B.
Gualterius Athenarum Dux Florentiæ Dominus. 908. C.
E regimine pulsus. 909. A.
Gualvanei de la Flamma Opusculum de rebus gestis Vicecomitum heic editum. 990.
Ejus Libri. 993. & *seq*.
Interdum maledicus. 994.
Ejus Historiæ laudatæ. 1084. E. 1089. B.
Guarnerius Dux Theutonicus. 594. D.
Capitur Corneti ab Hungaris. 600. B.
Pro iis militat. 647. D. 680. A. 682. B.
Guarnerius Comes de Homberg Capitaneus confœderationis Gibellinæ constitutus ab Henrico VII. Augusto. 1108. B.
Ejus acta bellica. 1107. D. 1108. A. & *seq*.
Guarinus Abbas S. Michaëlis de Cusano. 214. B. 215. C.
Guezilus de Camino dominatur Tarvisii. 783. B.
Pro Patavinis militat. 784. C.
Feltro potitur. 797. C. 810. D. 820. E.
Brevì inde exturbatur. 817. A.
Ejus postrema dies. 831. B.
Guiberti de Corrigia machinationes contra Canem Scaligerum. 798. D.
Guibertus Ravennas Archiepiscopus Antipapa. 249. C. 250. C. 255. C.
Guido de Lusignano Gubernator Regni Hierosolymitani. 310. A.
Rex constituitur. *Ibid*. E.
Captus à Saladino. 312. C. 316. B.
Guido S. R. E. Card Legatus Apostolicus ad Regem Hungariæ. 931. A.
Guido Patriarcha Gradensis. 394. C.
Guido Dux Spoletanus Italiæ Rex. 193. B.
E vivis ereptus. 194. D.
Guido Turrianus de adventu Henrici VII. Augusti anxius. 1095. D.
In suos sævit. 1096. B.
Henricum Augustum excipit. 1098. A.
Profugus Mediolano abit. 1100. A. 1102. A.
Rebus humanis cedit. 1109. C.
Guido de Gonzaga Dominus Mantuæ. 906. A.
Guilielma hæretica Mediolani. 1091. D.
Ejus ossa cremata. 1092. C.
Guilielmus I. Siciliæ Rex. 283. E.
Classem Græcorum debellat. 287. B.
Guilielmus II. Siciliæ Rex Alexandro III. Papæ occurrit. 289. B.
Inimicitias contrahit cum Græcorum Imperatore Manuele. 291. A.
Ad eum Legatos Veneti mittunt. 298. C. 300. D.
Fœdus cum eis statuit. 301. A. 310. A.
Guilielmus Analdi Comes magnificè exceptus Patavii. 911. C.
Guilielmus de Villarduin Princeps Achajæ Nigroponte potitur. 363. D. 364. A. 373. C.
Guilielmus Buccanigra Genuensium Dux. 366. D.
Guilielmus de Marchesella Ferrariensis Anconitanis obsessis fert opem. 299. B.
Guilielmus Episcopus Novariæ. 933. B.
Guilielmi Cortusii Chronicon Patavinum heic recusum. 757. & 761.
Quis ille fuerit. 759.
Additamenta ad ejus Chronicon. *Ibid*.

H

Hadrianus IV. Papa Fridericum I. Augustum coronat. 286. A.
Aliò Curiam transfert. 287. C.
Hadriensis à Venetis compressi. 236. A.
Helias Episcopus Aquilejæ Gradi sedem figit. 97. A.
Concilium celebrat. 98. D.
Gradensem Civitatem Metropolim statuit. 99. C.
Multa Sanctorum Corpora devotissimè recondit. 102.
Alia ejus gesta, & mors. 103. B. & E.
Heliodorus Episcopus Altinensis. 58. E.
Ejus Vita. 67. B.
Henricus I. Germaniæ Rex. 200. C.
Henricus I. Augustus. 232. B.
Privilegia Venetis confirmat. *Ibid*. E.
Henricus II. Augustus Rex Germaniæ renuntiatur. 239. C.
Conrado patri in Imperio succedit. 241. E. 245. A.
Henrici III. Augusti gesta. 245. B. 250. C.
Venetias petit. 252. C. 261. A.
Henricus IV. Augustus quæ contra Paschalem II. Romæ egerit. 261. A. & B.
Fœdus cum Venetis restaurat. 263. C.
Venetias pergit. 266. A.
Burdinum Antipapam statuit. 267. E.
Pacem cum Callisto II. Papa componit. 269. C.
Diem claudit extremum. 273. D.
Henricus V. Augustus Constantiam Siculam uxorem ducit. 311. E. 312. B.
Coronam Imperialem à Cœlestino Papa accipit. 314. B.
Fœdus renovat cum Venetis. 315. E.
Calabriam & Siciliam suo subjicit imperio. 317. A.
Ei nascitur filius Fridericus. 318. B.
Finem vivendi facit. 319. B.
Henricus Comes de Lucemburg electus Rex Romanorum. 778. D. 1095.
Bohemiæ Regnum filio conquirit. 1096. C.
Mediolanum ingreditur, ubi Coronam accipit. 779. A. 1098. A. & D.
Quid Cremonæ egerit. 1101. D.
Brixiam longa obsidione vincit. 1103. B.
Quid Romæ egerit. 1105. B.
Coronatio Romana illius. 1106. A.

Ejus

Ejus obitus. 732. B. 785. C. 797. E. 1110. C.
Henricus Comes Flandrensis CPolitanus Imperator. 333. A 338. D.
Henricus, qui & Hentius, Sardiniæ Rex Friderici II. Augusti filius 356. D.
Captus à Bononiensibus. 358. A.
Henricus Rex Cypri & Hierusalem. 357. A.
Henricus Dux Austriæ in Italiam exercitum ducit. 831. A.
Henricus Dux Bavariæ à Conrado II. Rom. Rege proscriptus. 279. B.
Henricus Dux Forojuliensis. 148. C.
Henricus Dandulus Venetiarum Dux. 315. D.
Contra Jadrenses bellum agit. 316. C.
Ab Alexio Græcorum Imperatore Chrysobolium impetrat. 318. D.
Classem parat contra Saracenos. 320. C.
Jadram rebellem ad deditionem cogit. 321. A.
Constantinopolim expugnat. 322. C.
Pacta init cum Francis crucesignatis. 323. B. 325. C.
Cum Bonifacio Marchione Montisferrati. 326. C.
Adjunctus Francis Constantinopoli potitur. 329. B.
Debitum naturæ solvit. 333. A.
Henricus Comes Goritiæ pro Cane Scaligero bella gerit. 785. E.
Patavinorum copias frangit. 786. B. 815. B. 817. B. & *seq.*
Canem Scaligerum fugat. 824. A. 830. C.
Ziliolam Carrariensem uxorem ducit. 933. B. 946. E.
Henricus Comes Sancti Pauli. 323. A.
Henricus Comes Maltæ Cretensem Insulam invadit. 335. B.
Henricus Patriarcha Gradensis. 501. B. 502. C.
Henricus Olivolensis, seu Castellanus, seu Venetus Episcopus. 248. A. 256. B.
Henricus Dandulo Patriarcha Gradensis. 278. B. 284. A. 289. C. 310. C. 313. A.
Heracliana Civitas à Magno Opitergensi Episcopo fundata. 115. E. 121. A.
A Francis excisa. 155. E.
Restaurata. 163. C.
Hermacoras Sanctus Episcopus Aquilejensis. 14. A.
Ejus Vita. 15. C.
Ejus martyrium. 18. C.
Corpus inventum. 238. D.
Herontius Episcopus Vicentinus. 104. C.
Hilarius Episcopus Aquilejensis. 36. C. 37. E.
Honoratus Mediolanensis Archiepiscopus. 90. B.
Tria Capitula minimè recipit. 91. A. & C.
Genuam à Langobardis fugit. 95. A.
Honorii I. Papæ Epistola de electione Primogenii Patriarchæ Gradensis. 113. C.
Honorius II. Papa Rogerium Siculum in gratiam recipit. 273. A.
Patriarchas Gradensem & Aquilejensem deponit. 276. A.
Honorius III. Papa. 340. A.
Hubaldus Episcopus Ostiensis Venetias profectus. 308. E.
Hugo Italiæ Rex. 200. E.
Hugo Aymerici filius Rex Cypri. 335. E.
Hugo Marchio Tusciæ. 209. D. 215. A.
Hugo Marchio Estensis. 971. B.
Hugo de Balzio Præfectus copiis Roberti Regis profligatus à Luchino Vicecomite. 1113. C.
Hungariæ Regnum in factiones & scelera conversum post mortem Ludovici Regis. 476. A.
Hungarorum teterrima irruptio in Italiam. 197. B.
In Bohemiam. 199. E.
Ipsi à Venetis in prœlio fracti. 438. D.
Pro Ludovico Rege suo Apuliæ Regnum tuentur. 587. C. 593. B. 598. B.
Multa recipiunt. 601. E. 650. C. 665. E.
Crudelia eorum acta. 692. & *seq.*

I

Jacobus Teupolo Dux Venetiarum. 345. E.
In Fridericum II. Augustum Venetos concitat. 350. C.
Ferrariam Salinguerræ eripit. 351. E.
Statuta Venetiarum restaurat. 353. B.
Jadram perduellem recipit. 355. A.
Jacobus Contareno Venetiarum Dux. 389. D.
Ejus pacta cum Joanne de Monteforti Domino Tyri. 381. E.
Finem vivendi facit. 398. A. B. & D.
Jacobus Episcopus Calaritanus, fabulosa narratio ei tributa. 304. C.
Jacobus de Carraria pacem inter Canem Scaligerum & Patavinos statuit. 789. A. 813. B.
Dominus Patavii eligitur. 814. B.
Civitatem contra insultus Canis Scaligeri tuetur. 816. B.
Dominatione cedit. 818. D.
Finem vivendi facit. 833. C.
Jacobus II. de Carraria Marsilium Papafavam Patavii dominum cædit. 915. D.
Dominationem Urbis arripit. 916 B.
Civis Venetiarum renuntiatur. 919. A.
Isabellam Vicecomitem magnificè excipit. 922. B.
Et Ludovicum Hungariæ Regem. 925. C.
A Guilielmo Spurio interimitur. 934. A.
Jacobinus Carrariensis dominus Patavii. 934.
Uxorem ducit Margaritam filiam Guidonis de Gonzaga. 938 E.
Carolo IV. Augusto obsequia præstat. 943. C.
A Francisco Carrariense in carcerem truditur. 937. B. 951. A.
Jacobus de Vestarino Laudensis Princeps à Petro famulo capitur cum Suzio fratre suo. 1152. D. & *seq.*
Ambo fame moriuntur. 1153. A.
Jadra Venetis erepta à Calomano Rege Hungariæ. 264. C.
Recepta ab iis. 266. A. 272. D. 292. C.
Ecclesiæ Gradensi subjecta. 309. B.
Dissidia inter Venetos & Hungaros ejus caussâ. 493. C. & *seq.*
Rebellis à Venetis recepta. 919. D. 920. A.
Cives iterum à Venetis deficiunt. 353. E.
A quibus debellantur. 355. A. 357. C.
Rursus à Venetis deficiunt, & ab eis oppugnantur. 311. A. 316. C. 418. C. & *seq.* 427. D.
Jadrensis Ecclesia Metropolitico honore decorata. 285. D.
Civitas recepta à Venetis. 321. A.
Januarius Episcopus Aquilejæ. 72. D.
Ingenuinus Episcopus Rhatiæ Secundæ. 102. A. Vide infra.
Ingenuinus Episcopus Sabionensis. 104. C.
Captivos multos redimit. 106. A.

In-

Innocentii II. literæ ad Priorem S. Mariæ in Portu. 268. B.
Ejus gesta varia. 277. A.
Ejus postrema dies. 281. A.
Innocentius III. Papa electus. 319. B.
Ottonem IV. coronat, ac anathemate ferit. 337. A.
Sedat Venetorum & Patavinorum discordias. 339. C.
Innocentius IV. Papa electus. 354. D.
In Lugdunensi Concilio Fridericum II. deponit. 356. A.
In Italiam redit. 360. C.
Ejus postrema dies. 362. D.
Innocentius V. Papa. 389. C.
Innocentii VI. Papæ electio. 938. D.
Ejus Legatus in Italia. 965. B.
Johannes VIII. Papa. 184. E.
Johannes X. Papa Saracenos debellat. 199. A.
Johannes XXI. Papa. 392. A.
Johannis XXII. Papæ gesta contra Mediolanenses. 838. B. 860. D.
Ejus thesaurus expilatus. 997. B.
Contra Ludovicum Bavarum anathema promulgat. 999. E.
Contra eum creatus Antipapa Petrus de Corbario. 1000. C.
Qui ad eum vinctus deducitur. 1002. E.
Inter eum & Mediolanenses pax. 1004. B. 1159. A.
Ejus errores de visione beatifica. 1005. D. 1006. B.
Vitæ terminum attingit. 1009. C.
Ejus acta contra Vicecomites. 1118. B. & seq.
Obitus. 537. E.
Johannes Vatacius Græcorum Imperator. 346. B. 352. E.
Johannis Bohemiæ Regis acta in Italia. 533. B. 536. D. 737. & seq. 855. C.
Trentum pervenit. 1160. E.
Johanni filio suo Ducis Carinthiæ natam matrimonio jungit. Ibid.
Brixienses Legatos suscipit. 1161. A.
Brixiam intrat, & pacem urbi restituit. Ibid.
Rursus in Italiam descendit. 858. E.
Veronæ magnificè exceptus. 859. D.
Ejus fama evanescit. 868. D.
Quot Urbibus in Italia fuerit dominatus. 1003. C.
Ejus inutiles conatus contra Azonem Vicecomitem. 1007. A.
Interitus in prœlio. 921. B.
Johannes Brenensis Comes, Rex Hierusalem. 335. E. 337. D.
Damiatam obsidet. 341. C. 342. C.
Imperii Constantinopolitani gubernator eligitur. 346. E.
Illic Imperator constituitur. 347. A. 349. A.
Johanna I. Regina Apuliæ nupta Andreæ filio Caroli Regis Hungariæ. 547. & 549. C.
Diademate ac nomine Regio donatur. 553. D.
Voluptatibus indulget. 554. B.
In pejora ruit. 555. C.
Nuptias Mariæ sororis suæ exosas habet. 556. E.
De perdendo Andrea marito cogitat. 559. C.
Ducem Duratii sibi adjungit. 572. A.
Ejus exercitus à Fundano Comite profligatus. 575. D.
Fugit per mare in Provinciam. 578. E.
Pro ea Neapolitani ac aliæ urbes arma capiunt. 586. D.
Neapolim repetit. 587. D.
Castra ejus Urbis oppugnat. 588. E.
Ejus gesta. 925. A.
Et misera mors. 475. D.
Johanna Comitissa Galluræ Azonem Vicecomitem Fratrem heredem instituit. 998. B. 1019. D. 1042. E.
Johannes de Columna Cardinalis. 340. B.
Johannes Cajetanus Ursinus Cardinalis. 532. C.
Johannes Dux Venetiarum. 147. C.
Solus regnat. 148. B.
In Franciam fugit. 153. C.
Istriæ Dux creatur. 155. C.
Johannes II. Dux Venetiarum depositus. 164. B.
Restituitur. 172. A. & C.
Rursus expellitur. 173 E. 174. B. & C.
Johannes Particiacus Dux Venetorum. 186. B.
Privilegium à Carolo Crasso Augusto impetrat. 189. B.
Cedit magistratu. 191. D.
Quem resumit. 192. C.
Johannes Trandonico Dux Venetiarum. 174. E.
Ejus postrema dies. 181. C.
Johannes Urseolo Venetiarum Dux. 232. D.
Constantinopoli eximiis honoribus cumulatur. 233. B.
Ejus obitus. 234. A.
Johannes Dandulo Venetiarum Dux. 399. A.
Ejus postrema dies. 903. A.
Johannes Superantio Venetiarum Dux. 411. D.
Johannes Delphinus Dux Venetiarum. 549. A. 427. B.
Ejus Epistola ad Tragurienses. 498. D.
Johannes Gradonico Dux Venetiarum. 425. D. 937. E.
Johannes Vicecomes Matthæi Vicecomitis filius, Ordinarius Ecclesiæ Mediolanensis. 1112. B. 1118. E.
A Nicolao Antipapa Cardinalis factus. 1153. D.
Et Legatus in Lombardia. 1154. A.
Cardinalatum deponit, & à Johanne Papa Novariensis Episcopus denunciatur. 1159. A.
Ejus gesta. 749. B.
An Episcopatum Novariensem cum Archiepiscopatu Mediolanensi permutarit. 994. & 995.
Episcopus Novariensis ejusdem Civitatis dominationem accipit. 1005. C.
Quanta ejus magnificentia. 1006. A. 1007. A.
Archiepiscopatus Mediolanensis conservator Festum Corporis Christi ibi primùm celebrat. 1014. B.
Mediolani custodiæ intentus contra Lodrisium Vicecomitem. 1024. D.
Electus Mediolanensis Archiepiscopus. 1028. E.
In dominatione Mediolani succedit Azoni nepoti. 1029. C.
Transfert Corpus Sancti Petri Martyris. 1035. B.
Laudabiles leges suis populis statuit. 1040. B. 1041. B.
Ejus laudes & acta. 1046. B.
Pallium à Romano Pontifice consequitur. 1047. A. 1048. E. 1118. E.
Genua potitur. 937.
Adversus eum fœdera multorum. 940. E.

Ejus obitus. 749. D. 942. B.
Johannes Galeatius Vicecomes Mediolani dominus Verona ac Vicentia potitur. 474. A.
Fœdus init cum Venetis contra Carrarienſem. 478. A.
Patavio potitur. 481. A. 515. C.
Mantuam obſidione premit. *Ibid*.
Equeſtri cingulo donatus. 750. A.
Ejus geſta. 751. E. & *ſeq*.
Bernabovem patruum in carcerem trudit. 987. B.
Veronâ potitur, Vicentiâ, ac Patavio. 988. A. & C.
Johannes de Monteforti Dominus Tyri, ejus pacta cum Duce Venetiarum. 381. E. 393. D.
Johannes Marchio Montisferrati. 1032. B.
Johannes de Olegio Tyrannus Bononiæ. 941. B. 942. B.
Johannes Pepulus è dominatione Bononiæ excidit. 935. A.
Johannes Ravennas Epiſcopus tria Capitula recipere renuit. 91. A.
Johannes Æliopolitanus Martyr ejus oſſa Venetias translata. 42. A.
Johannes Patriarcha Gradenſis. 143. C.
Ad eum epiſtola Stephani III. Papæ. 144. B.
Depoſitus. 276. A.
Necatur. 151. E.
Johannes Abbas Sancti Servuli Patriarcha Gradenſis intruſus. 161. D. 165. C.
Johannes Gradonicus Patriarcha Gradenſis. 168. E. 260. A.
Johannes Sapponario Patriarcha Gradenſis. 251. B.
Johannes Signolo Patriarcha Gradenſis. 313. A.
Johannes Epiſcopus Caſtellanus, ſeu Venetus. 186. E.
Johannes Epiſcopus Torcellanus. 206. D.
Johannes Polano Epiſcopus Caſtellanus, ſeu Venetus. 278. A.
Johannes Diaconus Epiſcopus Olivolenſis intruſus. 153. E.
Dejicitur. 157. B.
Patriarcha Gradenſis creatur. *Ibid*. C.
Deponitur. 161. D.
Johannes Urſinus Epiſcopus Patavii. 938. D.
Johannes Bellunenſis Epiſcopus. 220. A. 225. C.
Johannes Epiſcopus Feltrenſis. 104. C.
Johannes Epiſcopus Juſtinopolitanus. 141. B.
Johannes Parentinus Epiſcopus. 102. A. 104. A.
Johannes Epiſcopus Civitatis-Novæ. 186. E. 168. E.
Johannes Epiſcopus Celejanus. 101. D.
Johannes Epiſcopus Concordienſis ad Caprulas ſedem transfert. 110. A.
Johannes Pipinus Palatinus Altamuræ. 551. A. 554. C. 594. D. 614. C. 642. D. 652. C. 659. B. *Vide* Palatinus.
Johannes Febriciacus Magiſter-militum Venetiis. 138. C.
Johannes de Cornazanis auctor Hiſtoriæ Parmenſis, cujus fragmenta heic edita. 725. & 727.
Johannes Judex de Parma Ord. Præd. Hiſtoricus Parmenſis. 727.
Johannes de Cermenate, ejus Hiſtoria laudata. 1089. B.
Iſabellæ de Fliſco uxoris Luchini Vicecomitis iter Venetias. 922. B.
Iſachus Græcorum Imperator. 313. D. 314. C.
Contra eum Alexius frater conjurat. 318. C. 322. D.
Iſidorus Alexandrinus Martyr, ejus oſſa Venetias delata. 32. B.
Iſtria Italico Regno addita. 155. C. 163. D.
Jubianus Hypatus Magiſter Militum Venetiis. 138. A.
Julius Epiſcopus Torcellanus. 118. D.
Junior Epiſcopus Veronenſis. 104. C.
Juſtina Virgo & Martyr Patavina. 25. E.
Juſtinianus Particiaco Dux Venetiarum. 164. B.
Ejus Charta. 165. D.
Contra Saracenos claſſem mittit. 170. A.
Ejus mors. 172. A.
Juſtinopolis Epiſcopatu aucta. 141. B.
Fœderata cum Venetis. 202. A. 213. A.
Juſtinopolitani olim tributarii, poſtea fideles Venetis. 281. C.
Juſtinopoli reſtitutus Epiſcopus. 290. A.
Juſtinopolitani Parentium invadunt. 375. B. 395. D. 396. C.
Juſtus Tergeſtinus Martyr. 40. E.
Juvenatii Civitas obſeſſa. 642. E. & *ſeq*.

L

Ladislaus Rex Hungariæ Geyzæ ſuccedit 246. C. 391. D.
Ladislaus Rex Neapolis. 522. C.
Lamba de Auria Admiratus Genuenſium Venetos prœlio maritimo profligat. 407. D.
Lampredius Jadræ Epiſcopus. 285. D.
Landolus Epiſcopus Tarviſinus. 233. E.
Landus Comes de Suevia, ejus Societas. 941. B. 959. A.
Langobardorum origo, & irruptio in Italiam. 93. B. 94. C.
Eorum Reges primi. 1065. A.
Horum in Italiam ingreſſus. 1067. C.
Regum ſeries. 1072. E. & *ſeq*.
Laudenſis Civitas Azoni Vicecomiti traditur. 1101. E.
Civium acta ſub Henrico VII. Auguſto. 1100. C. & *ſeq*.
Laurentius Presbyter Apoſtolicæ Sedis Legatus in Gradenſi Concilio. 101. D.
Laurentius Teupulo Venetiarum Dux. 376. B.
Annonam undique conquirit. 378. C.
Bella gerit contra Bononienſes. 380. C. & *ſeq*.
Pacem cum eis ſtatuit. 387. A.
Laurentius Celſi Venetiarum Dux. 428. D.
Ab eo Cretenſes deficiunt. 429. C.
Quos potenti claſſe debellat. 430. A.
Laurentius Epiſcopus Aquilejæ. 86. A.
Laurentius Patriarcha Gradenſis. 197. D.
Laurentius alter Patriarcha Gradenſis. 354. E.
Laurentius Epiſcopus Caſtellanus ſeu Venetus. 188. C.
Laurentius Epiſcopus Bellunenſis. 104. C.
Leo IX. Papa ſanctus electus. 243. C.
Venetias pergit. 244. D.
Leo Baſilii Imperatoris filius conſors in Imperio. 183. E.
Leo Caprulenſis Epiſcopus. 185. E.
Leo Epiſcopus Equilinus. 241. C.
Leo Epiſcopus Matemaucenſis. 186. E.
Leonardus Quirino Patriarcha Gradenſis. 350. A.
Leonardus Torcellanus Epiſcopus Diploma à Friderico I. Aug. impetrat. 499. D. 502. D.
Leonardus Abbas Monaſterii Veneti S. Georgii Diploma impetrat à Friderico I. Auguſto. 501. D.

Leonianus Episcopus Tiborniensis. 101. D.
Leopoldus Dux Austriæ. 433. A. 436. B. 798. C. 837. E. 838. A.
Bello impetit Franciscum Carrariensem. 986. D.
Tarvisium ei tradit. 987. A.
Levo Rex Armeniæ. 335. D.
Liberalis Altinas vir sanctus. 72. B.
Loderisii Vicecomitis bellum contra Azonem Vicecomitem. 899. A. 1022. C. 1165. B.
Primum ejus prœlium felix. 1025. B.
In altero ille succumbit & capitur. 900. B. 1026. B. 1027. C. 1108. E. 1125. A. 1127. C. 1148. B.
Lotharius I. Augustus, ejus Diploma pro Petro Venetiarum Duce. 176. A. & C.
Lotharius II. Imperator. 273. D.
Pro Innocentio II. Papa militat. 277. C.
Ejus Diploma pro Monasterio S. Hilarii. Ibid. E.
Ejus obitus. 278. E.
Luca sub Ugutione de Fagiola. 792. B.
Sub Castruccio. 797. B.
Sub Johanne Rege Bohemiæ. 855. D.
Tum sub Rubeis. 859. C.
Qui eam tradunt Mastino Scaligero. 867. D.
A Pisanis obsidione pressa. 906. D.
Et capta. 907. A. 1038. E. 1043. B. 1111. C.
Lucenses sub Castruccio de Antermivellis. 797. B.
Luceriæ Civitatis obsidio. 588. C. 593. D.
Luchinus Vicecomes Parmam Mastino Scaligero eripiendam curat. 742. D.
Tum ipsa potitur. 745.
Veronensem agrum invadit. 878. B.
Vario prœlio contra Loderisium Vicecomitem pugnat. 899. B. & seq.
Pisanis subsidia mittit. 906. D.
Parma ei traditur. 917. A.
Magnificum iter Isabellæ ejus conjugis. 922. B.
Capitaneus confœderationis contra Mastinum Scaligerum. 1018. D.
Ejus magnificentia. 1019. A.
Princeps exercitus contra Lodrisium Vicecomitem. 1024. D.
Variâ fortunâ adversùs illum prœliatur. 1025. D. 1026. B.
In dominatione Mediolani succedit Azoni nepoti. 1029. C. 1175. E.
Ejus mores & acta. 1030. C.
Quibus pactis in gratiam Pontificis receptus. 1039. A.
Laudabiles leges ab eo latæ. 1040. B. & seq.
Pisanis subsidia mittit. 1043. B.
Ticinenses invadit. 1045. D.
Papiæ & Vogheriæ Dominus. 1113. A.
Hugonem de Balzio profligat. *Ibid.* D.
Pontificio exercitui sese opponit. 1130. C.
Debitum naturæ solvit. 747. A. 929. A.
Luciæ Virginis Syracusanæ ossa Venetias translata. 43. E.
Ludovicus Pius Imperator distinguit Terras Ecclesiæ à Terris Imperii. 164. D. 172. E. 173. C.
Ludovicus II. Augustus Rex Italiæ inunctus. 173. A.
Venetis privilegia confirmat. 18[illegible]. C.
Gesta ab eo in Apulia, & captivitas Adelgisi Beneventani fraude. 184. D.
Ludovicus IX. Sanctus Rex Franciæ iter ultramarinum arripit. 357. C.
A Saracenis captus. 359. B.
Tunitium obsidens è peste decedit. 380. A.
Ludovici Bavari adventus Romam. 529. C.
Quid ibi gesserit. 530. A. & seq.
In Germaniam redit. 532. B.
Fridericum Austriacum in prœlio superat. 837. D.
Quæ in Italia gesserit. 735. D. & seq. 839. C. & seqq. 997. B.
Tirolum filio suo conquirit. 907. B.
Gesta Mediolani. 999. C.
Hæreticus à Papa pronuntiatur. 1000. A.
Mediolanum obsidet. 1001. C.
In Germaniam regreditur. 1002. A. 1015. D.
Quando electus Rex Romanorum. 1110. D.
Ejus electio improbata ab Ecclesia Romana. 1112. C.
Subsidia Vicecomitibus mittit. 1133. B.
Ad eum literæ Marci Vicecomitis. 1148. D.
Ejus epistola ad Vicecomites & Mediolanenses. 1149. A.
Ejus acta Mediolani. 1149. D.
Ejus epistola ad Modoetienses. 1155. A.
Modoitiam obsidet. 1158. A.
Ab obsidione recedit. *Ibid.* E.
Mediolanum se confert, & receptâ pecuniâ Papiam pergit. *Ibid.*
Ejus obitus. 923. C.
Ludovicus Hungariæ Rex Jadrenses frustra tuetur. 418. D.
Neapolitano Regno potitur. 419. D.
Bello Venetos premit. 426. A.
Eos ad pacem emendam cogit. 427. D.
Iterum in Venetos bellum suscipit. 434. & seq.
Pacem quærere cogitur. 440. E.
Rursus adversùs illos bella movet. 442. C. & seq.
Pacem cum eis restaurat. 465. B. 467. D.
Certior factus de morte illata Andreæ fratri. 562. A.
Solicitatur ad vindictam. 570. C.
Aquilani ad eum deficiunt. 571. C.
Apuliam ingreditur. 576. E.
Regales ad se allicit. 579. C.
Duci Duratii multa crimina objicit. 581. E.
Et mortem infert. 583. C.
Neapolim intrat. 584. A.
In Hungariam recedit. 586. B.
Ab eo potissima Regni Neapolitani pars deficit. 587. A.
Rursus eum multi recipiunt. 647. A.
In Regnum Apuliæ revertitur. 695. A.
Rumorem Baruli excitatum sedat. 699. B.
Ejus fortitudo in oppugnatione Castri Canusini. 702. A.
Duellum ei oblatum à Ludovico Tarentino. 706. B.
Mira audacia mersum in fluvio puerum à morte liberat. 708. E.
Ejus progressus versùs Neapolim. 714. A.
Quantus ejus exercitus. 716. B.
Vindictam de morte Andreæ fratris meditatur. 917. B.
Frustra Jadram contra Venetos tuetur. 919. E.
Hungariæ Rex constitutus, ejusque gesta in Apulia. 925. A. & seq.
Inter eum & Johannam Apuliæ Reginam induciæ. 931. A.
Contra Venetos bella gerit. 548. A. & seq.
Pacem cum eis statuit. 952. C.
Ejus Diploma pro Francisco Carrariense. 953. D. 984. D. 985. A.

Co-

Copias in auxilium Romanæ Ecclesiæ mittit. 959. B.
Feltrum & Bellunum donat Francisco Carrariensi. 9'0. A.
De induciis agit inter Duces Austriæ, & Patriarcham Aquilejæ. 978. C.
Ludovicus frater Ducis Duratii Ludovicum Hungariæ Regem adit. 580. D.
Captivus in Hungariam ducitur. 583. E.
Ludovicus de Tech Vicarius Terræ, & Castri Modoetiæ. 1154. E. & *seq.*
Ludovicus Andegavensis Dux. 475. E.
Ludovicus Sabaudiæ Princeps socer Azonis Vicecomitis. 1003. B. & E. 1024. A.
Ludovicus de Gonzaga. 533. B.
Mantuæ dominationem arripit. 853. A. 856. C.
Regio potitur. 867. C.
Contra Scaligeros conjurat. 877. B. 881. A.
Subsidia mittit Azoni Vicecomiti. 1024. A.
Ludovicus II. de Gonzaga dominus Mantuæ. 973. E.
Ludovicus Comes Blesensis. 320. B. 323. B. 326. C. 332. B.
Ludovicus Princeps Tarenti. 558. A.
Ad nuptias Johannæ Reginæ inhiat. 562. D.
Ejus discordia cum Philippo fratre suo. 564. A.
Insidias molitur contra Ducem Duratii. 567. D.
Ejus copiæ ab illo oppressæ. 568. B.
Trojam Civitatem recipit. 571. A.
Cum Johanna Regina in Provinciam fugit. 578. E.
Pro eo Neapolitani ac aliæ urbes insurgunt. 586. D.
Neapolim cum Regina repetit. 587. B.
Lucceriam oppugnat. 588. C.
Ejus ditioni multi se subdunt. 590. D.
Tamquam Rex colitur. 591. E.
Neapolim territus redit. 601. D.
Fictis literis victores Hungaros decipit. 615. E.
Eos ad prœlium invitat. 647. B.
Fusus illius exercitus. 650. C.
Regi Hungariæ duellum offert. 706. B.
Ludovicus Apicii Comes Ludovico Hungariæ Regi fidelis. 588. A.
Ludovicus de Turre Patriarcha Aquilejensis. 960. B.
Viennæ retinetur à Duce Austriæ. 963. D.
Ludovicus Boncente Monaldeschus ejus fragmenta Annalium Romanorum heic edita. 525.
Quis ille fuerit. 527.
Ejus nativitas. 529. A.
Ludus taurorum sanguinolentus à Romanis peractus. 535. A.
Lupus Patriarcha Aquilejensis. 204. A.

M

Macedonius Episcopus Aquilejæ. 87. A.
Tria Capitula recipere nolens, Schisma conflat. 90. E. 91. A.
Magnus Opitergensis Episcopus Heracliam Civitatem condit. 115. E. 116. A.
Mahometi Pseudo-Prophetæ origo & gesta. 114. D.
Majus Episcopus Arbensis. 236. C.
Malatesta dominus Arimini captus in prœlio Ferrariensi. 858. B. & C. 862. D. & *seq.*
Malatestarum Ariminensium dissidia. 903. C.
Manfredus Friderici II. filius patri mortem procurat. 359. D.
Regnum Siciliæ ambit. 360. A.
Quod arripit simulata morte Conradini. 365. D.
In prœlio contra Carolum Andegavensem cadit. 372. C.
Manfredus Archiep. Durachii. 337. B.
Manfredus de Collalto Episcopus Feltri interemtus. 827. A.
Manfredonia Civitas qualis. 592. C.
Mannius (Hiacynthus) Romanus laudatus. 527.
Mantua obsessa à Jo. Galeatio Vicecomite. 515. C.
Mantuanorum bella contra Veronenses. 906. A.
Maria Regina Hungariæ. 476. A.
Maria soror Johannæ Reginæ Apuliæ nupta Carolo Duci Duratii. 556. A. & *seq.*
In Provinciam fugit. 584. A. 719. E.
Marcellianus Episcopus Aquilejæ. 81. A.
Marcellinus Episcopus Aquilejæ. 82. E.
Marcellus Dux Venetiarum. 130. E.
Ad eum Epistola Gregorii II. Papæ. 133. A.
Marchiones Estenses fracti in prœlio à Carolo filio Johannis Regis Bohemiæ. 738. C.
Fundunt & ipsi exercitum Legati Pontificii. 739. A.
Mutina potiuntur. 740. D. *Vide* Estenses.
Marcianus Patriarcha Aquilejensis, sive Gradensis. 108. B.
Marcianus Opitergensis Episcopus. 101. D.
Marcianus Episcopus Patenas. 102. B.
Marcuardus Patriarcha Aquilejensis bello impetit Venetos. 442. D. 444. B. 460 A.
Marcus Evangelista Aquilejam venit. 13. B.
Tum Rivoaltum. 14 A.
Ejus mors. 16. D.
Ejus corpus translatum Venetias. 79. D. 172. B. & C. 251. C.
Marcus Cornario Dux Venetiarum. 430. E.
Urbanum V. Papam Romam deducendum curat. 431. B.
Marcus Vicecomes. 838. C. 852. D.
Derthona Civitate potitur. 1110. E.
Tum Alexandria. 1112. A. 1113. A.
Raymundum de Cardona debellat. 1116. A.
Ejus pugna cum Pontificiis copiis. 1130. D.
Passarinum de Turre frangit. 1134. C.
Exercitum Pontificium profligat ad Vaprium. 1135. D.
Modoetiam obsidet. 1137. D.
Contra Galeatium fratrem insurgit. 1148. B.
Ejus Epistola ad Ludovicum Bavarum. Ibid. D.
Ad Regem Tridentum pergit. 1149. C.
Datur obses Imperatori pro solvenda pecunia. 1153. D.
De manu Theutonicorum fugit, & Florentiam adit. 1159. E.
Ejus gesta, & mors. 1160. C. & *seq.*
Marcus Nicolai Castellanus, seu Venetus Episcopus. 310. C. 319. C.
Marinus Mauroceno Dux Venetiarum. 358. E.
Ejus virtutes & obitus. 360. D.
Marinus Georgio Venetiarum Dux. 411. A.
Ejus Epistola. 497. C.
Marinus Falerius Dux Venetiarum. 423. D. 937. A.
A populo interemtus. Ibid. C. 424. D.
Marinus Patriarcha Gradensis. 200. D. 202. C.
Marinus Episcopus Olivolensis, seu Venetus. 210. A.

Ma-

Marinus Clugiensis Episcopus. 502. D.
Marinus Episcopus Ferrariensis. 119. C.
Marsilius de Carraria Patavii potens. 819. B. 830. B. 831. D.
Heres Jacobi de Carraria. 833. C.
Frater Francisci senioris. 976. E.
Comes Campaniæ creatur. 983. B.
Ejus fortitudo. 835. B. 841. E. 842. D.
Patavium tradit Cani Scaligero. 845. A. & seq.
Vicarius illius urbis constituitur. 847. B.
Vicentiæ Potestas. 851. E.
Bergomum obsidet. 852. C.
Rector Brixiæ. 857. A.
Novam conjugem ducit. 862. E.
Solennis Curia in ejus nuptiis celebrata. 863. C. & E.
Legatus Venetias accedit. 871. B.
Contra Scaligeros conjurat. 872. E.
Ejus artes quales. 874. C.
Patavio Scaligeris erepto dominatur. 881. D.
Successorem sibi Ubertinum Carrariensem statuit. 888. B.
Finem vivendi facit. 889. B.
Marsilius Papafava Dominus Patavii. 915. B.
Marsilius Rubeus Vicarius Lucæ. 859. C. 866. C.
A Scaligeris deficit. 870. A.
Ejus postrema dies. 884. A. & C.
Martinus de la Turre Capitaneus Populi Mediolanensis contra Eccelinum copias educit. 773. A.
Martinus Episcopus Ausenensis. 236. C.
Mastinus Scaliger Veronæ dominus. 736. E.
Patavio ac Tarvisio spoliatus. 413. B. 414. A.
Luca potitur. 538. D.
Contra eum Veneti & Florentini. 539. B. 540. E. 542. A. 1169. E.
Thadæam Carrariensem ducit. 845. D.
Patavii dominationem pro Cane accipit. 846. C. 848. B.
Heres ab illo scribitur. 851. A.
Brixiam obsidet. 855. A.
Qua potitur. 738. B. 856. C. 1161. C.
Tum Parma & Luca. 740. A. 867. B. & D.
Ejus potentia. 869. B.
Contra eum Veneti, Florentini, ac alii fœdera ineunt. 871. A.
Bellum fortiter sustinet. 878. C.
Ei ereptum Patavium. 881. D.
Pacis pacta cum Venetis & Patavinis. 896. B.
Contra Azonem Vicecomitem vindictam peragit. 899. A.
Adversus illum alii Principes conjurant. 904. E.
Lucam Florentinis vendit. 906. D.
Cum Ubertino Carrariense concordiam init. 910. A.
Confœderatus cum Azone Vicecomite. 1007. B.
Parmensem agrum infestat. 1008. E.
Brixia potitur. 1005. A.
Contra eum multi Principes fœdus ineunt. 1018. C.
Ei erepta Brixia. 886. B. 1019. B.
Item aliæ Urbes. 1021. A. 1044. A.
Romano Pontifici se in temporalibus quoque subjicit. 1032. A.
Parma & Luca ei ereptæ. 742. E. 743. C. 1038. D.
Ejus postrema dies. 748. D.
Mathemaucensis Civitas à mari submersa. 260. D.
Episcopus translatus Clugiam. 262. B.
Mathildis Comitissa Ferrariam recipit. 256. A.
Ejus obitus. 266. D.
Matthæus Vicecomes dominus Mediolani pacem inter Venetos & Genuenses restaurat. 401. D. 409. B.
Eamdem recipit. 730. C. 731. E.
Ticinensi Urbe potitur. 732. E.
Raymundum de Cardona frangit. 733. E.
Subsidia mittit Cani Scaligero. 811. B.
Anathemate percussus à Johanne XXII. Papa. 838. B.
Princeps Gibellinæ factionis Mediolani. 1091. D.
Contra eum æmuli multi insurgunt. 1094. D.
Dominatione Mediolani cedit. 729. A. 1095. A.
Henrici VII. Augusti gratiam sibi procurat. 1096. D.
Cum eo Mediolanum intrat. 1097. B.
Quàm cautè se gesserit in seditione contra Turrianos. 1099. D.
Exulare cogitur. 1100. B.
Vicarius Mediolani ab Henrico VII. constituitur. 1104. B.
Turrianos debellat, & Papia potitur. 1111. A.
Ejus exaltatio. 1112. C.
Contra Genuenses exercitum mittit. 1113. A.
Philippum de Valois in Galliam redire cogit. 1115. B.
Anathemate percussus moritur, & quot filios reliquerit. 734. A. 1118. E. & seq.
Matthæus II. Vicecomes dominus Mediolani. 422. C. 424. C.
Matthæus de Madiis Gibellinæ factionis caput Brixiæ. 1098. E.
Mauricius I. Dux Venetiarum. 143. B. 145. B. 147. C.
Mauricius II. Dux Venetiarum. 149. B.
Gradensem Patriarcham interficit. 151. E.
In Franciam fugit. 153. C.
Mauricius Episcopus Torcellanus. 116. B.
Maurus Episcopus Olivolensis, seu Venetus. 179. B.
Maurus Afer Martyr apud Parentinam Urbem. 37. D.
Maxentius Patriarcha Aquilejensis. 173. D.
Maxentius Episcopus Juliensis. 101. E. 104. C.
Maximus Patriarcha Gradensis. 118. C.
Mediolanensis Episcopus olim Aquilejensem consecrabat. 90. A.
Huic spectat coronare Regem Italiæ. 1080. C.
Mediolanenses à Conrado I. Augusto vexati. 241. B.
Fracti à Friderico II. 350. C.
Gesta in eorum Urbe ab Henrico VII. Augusto. 730. C. 779. B.
Sub Matthæo Vicecomite. 731. E.
Inde pulsi Vicecomites à Ludovico Bavaro. 735. E.
Ejus dominationem recipit Azo Vicecomes. 736. C.
Nobiles Eccelino de Romano adhærent. 772. D.
Bello impetiti à copiis Pontificiis. 838. B.
Quid Mediolani actum à Ludovico Bavaro. 840. A.

Mediolanum sub Ludovico Bavaro. 997. B.
Ibi multi adhærent Petro de Corbaria Antipapæ. 1000. D.
A Ludovico Bavaro obsidione vexatur. 1001. C.
Ecclesiæ & Pontifici adhæret. 1002. B.
Quibus pactis reconciliati Cives cum Ecclesia. 1004. B.
Mœnia Urbis ab Azone Vicecomite instaurata. 1003. A.
Magnifica ædificia ibi excitata ab eodem. 1010. D. & seq. 1021. E.
Multis novitatibus floret. 1038. A.
Quibus pactis in gratiam Pontificis receptum. 1039. A.
Laudabiles leges à Vicecomitibus ibi constitutæ. 1040. B. 1041. B.
Ibi factiones Gibellina & Guelfa. 1091. D.
Cives multo favore excipiunt Henricum VII. Augustum. 1097. D.
Ibi coronatur idem Henricus. 1098. D.
Seditio illic oborta. 1099. B.
Inde pulsi Turriani. 1100. A.
A Pontificiis copiis obsidetur. 1132. D.
Melfictæ Civitas Hungaris erepta. 643. B.
Melfiæ Castrum obsessum à Ludovico Hungariæ Rege 705. D.
Michaël Græcorum Imperator in insaniam prolabitur. 183. C.
Michaël Palæologus Constantinopolim Latinis eripit. 369. B.
Græcorum Imperium usurpat. 370. B.
Ejus gesta. 373. A. 382. B.
Michaël Dux Sclavorum. 198. C.
Michaël Mauroceno Dux Venetiarum. 469. E.
Ejus literæ ad Perusinos. 470. A.
Michaël Steno Venetiarum Dux. 516. C.
Mineus, seu Miricus, Episcopus Torcellanus. 206. D.
Modoëtiensis Oppidi antiquitas & prærogativæ. 1056. & seq.
A Theodelinda Regina ædificatum. 1070. B.
Basilica Sancti Johannis Baptistæ ibi constructa. 1071. A. 1073. E.
Caput Lombardiæ. 1076. C.
Sedes Regni. 1080. B.
Ejus Sigillum. 1081. D.
Azonem Vicecomitem in Dominum recipit. 1156. C.
Illic miracula facta. 1092. D.
Ad Modoëtienses Epistolæ Henrici VII. Augusti. 1098. B. 1106. E.
Restitutus Thesaurus Ecclesiæ Sancti Johannis. 1114. D.
Visa ibi ostenta. 1120. C.
Literæ Galeatii Vicecomitis ad Modoëtienses. 1121. B.
Factiones ibi invalescunt. 1122. A. & seq.
A Lodrisio Vicecomite obsidetur Modoëtia. 1127.
Capta spoliatur. 1128. A.
Quæ ibi antiquæ & nobiles familiæ. Ibid. E.
Ob metum bellorum Thesaurus Modoëtiensis Ecclesiæ celatur. 1130. A.
Modoëtiam confluit exercitus Pontificius. 1131. A.
A Mediolanensibus Modoëtia obsidetur. 1133. D. 1138. D.
Illic visa avium pugna. 1135. B.
Iterum à Vicecomitibus obsidione premitur. 1137. D.
Ingentes ibi calamitates. 1138. E. & seq.
Thesaurus Ecclesiæ Modoëtiensis Avenionem deportatur. 1141. B.
Galeatio Vicecomiti redditur Modoëtia. 1142. A.
Ad eam literæ Ludovici Bavari. 1155. A.
Muris cingitur, & ab Azone multis bonis cumulatur. 1163. C.
Thesauri fur à Deo ac Summo Pontifice punitus. 1145. C.
Idem Thesaurus Modoëtiam reportatus. 1181. A. & seq.
Jussu Archiepiscopi Mediolanensis restauratur. 1182. B.
Monaldesca familia nobilitate ac potentia olim spectabilis. 527. & 538. E.
Monasterium Sancti Zachariæ Venetiis ab Angelo Duce ædificatum. 165. B.
Sancti Servuli translatum Venetias. Ibid. C.
Sancti Laurentii. 168. A. 179. A.
Sancti Georgii quando conditum Venetiis, 218. E. 219. A.
S. Nicolai in Litore Venetiis. 246. C.
Montagnana Patavinis erepta à Cane Scaligero. 791. C. 806. B.
Montissilicis oppidum Patavinis subtractum à Cane Scaligero. 791. A. 805. B. 825. C. 884. B.
Mores antiquorum quales. 1033. A.
Mucimirus Rex Croatorum. 227. A.
Mutinenses Passarinum Mantuæ Regulum abjiciunt. 733. C.
Bononienses frangunt. 735. B.
Tum Marchiones Estenses. 738. C.
Quibus se dedunt. 740. D.
Ab Azone Marchione Estensi deficiunt. 777. A.
Sub Bonacossis Mantuæ Dominis. 798. E.
Eorum victoria de Bononiensibus. 838. E.
A Passarino deficiunt. 840. B. 849. C. 852. E.
Mutina Johanni Bohemiæ Regi se tradit. 855. D.
Eam obsident Marchiones Estenses. 862. A.
Qua tamdem potiuntur. 868. B.
Murciphus Græcorum Imperium usurpat. 323. A.
Victus fugit. 329. B. 332.

N

Neapolis arces oppugnatæ à Johanna Regina. 588. E. & seq.
Fictæ Neapolitanorum literæ ad Vayvodam. 615. E.
Fusi Neapolitani ab Hungaris. 650. C.
Neapolitani deliciis potiùs, quàm militiæ assueti. 572. E. 577. D.
Ludovico Hungariæ Regi se dedunt. 579. A.
Eum intra Urbem suscipiunt. 584. B.
Ab ipso deficiunt. 586. D.
Neapolitani Regni turbatio sub Johanna I. Regina. 925. A.
Nicephorus Botoniates Græcorum Imperator. 248. D.
Dejicitur. 249. A.
Niceta Patricius Venetias tuetur. 15.
Nicetas Episcopus Aquilejensis. 75. B.
Nicolaus II. Papa. 246. A.
Nicolaus III. Papa Exarchatum Ravennæ à Rodulpho Rom. Rege conquirit. 394. C.
Nicolaus Mireorum Episcopus ejus ossa Venetias translata. 46. E. 256. D.
Nicolaus frater Caroli IV. Augusti, Patriarcha Aquilejensis. 933. A. 943. B. 946. E. 963. D.

Nicolaus I. Estensis Marchio pacem inter Venetos & Patavinos procurat. 477. D.
Captus in prœlio. 857. D.
Libertati restituitur. 858. D.
Ejus nuptiæ. 864. D.
Mutina potitur. 868. C.
Reconciliatur cum Francisco Carrariense. 961. D.
Ejus Legatus ignominiosè habitus à Bernabove Vicecomite. 962. A.
Bastitam Solariensem recipit. 970. C.
Ejus Legati ad Venetos. 968. E.
Finem vivendi facit. 988. A.
Nicolaus II. Marchio Estensis & Ferrariæ dominus bellum infert Venetis. 519. B.
Nicolaus de Aczajolis Consiliarius Ecatharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ. 558. A. 568. E.
Nicolai Tribuni Romani gesta. 923. D.
E regimine decidit, & perit. 924. A.

O

OBelerius Olivolensis Episcopus. 145. E.
Exulare cogitur. 153. E.
Obelerius Dux Venetiarum. 153. D.
Spatarius Imperatoris. 157. D.
Dejicitur. 159. A.
Necatur. 173. A.
Obizo I. Marchio Estensis. 776. C.
Obizo II. Marchio Estensis Parma potitus. 744. E.
Quam Azoni Vicecomiti vendit. 745. E.
Dominus Ferrariæ. 815. C.
Bononienses prœlio frangit. 838. E.
Ferrariam recipit. 839. A.
Cani Scaligero amicus. 848. B.
Contra Bononienses dimicat. 852. E.
Contra Bohemiæ Regem fœdus percutit. 856. C.
Contra eum bella gerit Legatus Apostolicus. 857. C.
Cujus exercitum debellat. 858. A.
Mutinam obsidet. 862. A.
Qua potitur. 868. C.
Contra Scaligeros fœdera init. 877. B. 409. E.
Inter Florentinos & Mastinum Scaligerum sequester. 906. D.
Parma ei tradita. 913. B.
Contra Luchinum Vicecomitem bella gerit. 916. D.
Cui Parmam dimittit. 917. A.
Olivolensis Insula Episcopatu aucta. 145. E.
Ecclesia dicta & Castellana, Cathedralis Venetiarum. 161. C.
Ordelaphus Phaledro Dux Venetiarum. 259. B.
Fœdus cum Henrico IV. Augusto restaurat. 263. C.
Dalmatiam, Venetis ereptam ab Hungaris, recipit. 266. A. & C.
In prœlio cadit. 267. A.
Ordines Hospitalis, Templi, & Theutonicorum instituti. 268. E.
Osius (Felix) editor Historiæ Cortusiorum. 759.
Ejus Præfatio. 761.
Ostasius de Polenta Dominus Ravennæ captus in prœlio Ferrariensi. 858. B.
Otto I. Germaniæ Rex. 203. A.
Berengarium II. deficit. 207. B.
Imperiali corona redimitur. *Ibid.* E.
Acta ab eo in Italia. 208. B.
Fœdus renovat cum Venetis. 209. B.
Otto II. consors Imperii à patre constituitur. 209. B.
Eidem succedit. 210. E.
Contra Venetos multa molitur. 219. D.
A morte præreptus. 220. B.
Otto III. patri in Imperio succedit. 220. C.
Ejus Diploma pro Venetis. 223. C.
Alia eis privilegia concedit. 225. D.
Electores Imperii instituit. 226. C.
Venetis alia largitur. 230. D.
Venetias pergit. 231. A.
Ad plures abit. 232. A.
Ejus privilegia Modoetiæ concessa. 1080. A.
Otto IV. Imperator. 319. B.
Venetis immunitates concedit. 336. E.
Coronatur & anathemate percutitur ab Innocentio III. 337. A.
A Friderico II. fugatur. 338. A.
Otto Friderici I. Augusti filius. 302. D.
Debellatus à Venetis. 303. A. 305. E.
Otho Dux Austriæ. 832. A.
Otto de Brunsvich maritus Johannæ Reginæ Neapolis in prœlio captus. 475. E.
Otto Urseolus Dux Venetiarum. 234. B.
Filium Geizæ Hungarorum Regis uxorem ducit. 235. C.
Gradensem Civitatem recipit. 238. C.
Dejicitur. 239. B.
Oxanus Bulgarorum Rex. 340. E.

P

PAcis capitula inter Venetos & Patavinos. 440. E. & *seq*.
Inter Venetos & Genuenses. 465. A.
ag anus Patriarcha Aquilejensis. 413. A. 1131. C.
Antea Episcopus Patavinus. 787. C.
Palatinus Altamuræ. *Vide* Johannes Pipinus. 665. A. 695. A.
Pancratii Martyris ossa Venetias translata. 41. E.
Parma obsessa à Friderico II. & liberata. 356. E. 357. A.
Cremonensium victoria de Parmensibus. 359. D.
Hujus Historiæ fragmenta heic edita. 725.
Ibi dominatur Gibertus de Corrigia. 729. A.
Tum inde expellitur. 730. A.
Pax inter Cives Parmenses restaurata. 732. D.
In libertatem se asserunt. 733. B.
Legato Apostolico se dedunt. 735. C.
Tum Johanni Bohemiæ Regi. 737. E.
Deinde Mastino Scaligero. 740. A.
Ibi Corrigienses dominantur. 742. E.
Tum Obizo Marchio Estensis. 744. E.
Qui eam Luchino Vicecomiti vendit. 745. E.
Multa ibi facta publica ædificia. 746. B.
Legato Apostolico se tradit. 649. C. 840. E.
Ab ea deficit. 854. B.
Scaligeris traditur. 867. B.
Eis erepta. 905. D. 1038. D.
Paschalis II. Papa. 258. D.
Ab Henrico IV. Imperatore captus ac liberatus. 261. A.
Passarinus Mantuæ Dominus Bononienses in prœlio atterit. 838. D.
Ludovico Bavaro adhæret. 839. D.
Ab ea Mutinenses deficiunt. 840. B.

Hostis Ecclesiæ proclamatur. 852. D.
A Gonzagis jugulatur. 533. B. 853. A 1159. C.
Passarinus de la Turre fractus à Marco Vicecomite. 1134. C.
Patavium à Langobardis excisum. 106. C.
Patavinorum exercitus ad Brentam à Venetis profligatus, 263. C.
Iterum ad Tumbam debellatus. 280. A.
Venetis rursus infesti. 288. A.
Patavinæ Urbis teterrimum incendium. 300. D. & E.
Eorum controversiæ cum Veronensibus. 316. D.
Cum Venetis. 338. D. 339. A. 342. C. 344. E.
Patavii ad plures abit Sanctus Antonius. 347. A. 364. D.
Cives Venetis ingrati. 378 C. 434. C.
Jo. Galeatio Vicecomiti se dedunt. 481. A.
Eorum urbs Carrariensi erepta à Venetis. 521. A.
Sub Eccelino de Romano. 350. A. 768. B.
Ei erepta à Cruce-signatis. 364. D. 770. B.
Multa Patavini populi millia necata ab illo. 771. B.
Bassano potiti Patavini Albericum de Romano prosternunt. 774. C.
Eorum dominationem Vicentini accipiunt. 775. D.
E discordia Marchionum Estensium proficiunt. 776. C.
Felix status ac potentia Patavini Populi. 778. B.
Vicentia spoliantur. 779. D.
Henrico VII. Augusto parent. 780. C.
Contra Vicentinos & Canem Scaligerum bella gerunt. 781. D. 783. C. & seq.
Inter Patavinos civile bellum. 787. B.
A Cane Scaligero in Suburbiis Vicentiæ profligantur. 788. D
Cum eo pacta pacis feriunt. 789. C.
Ab eo rursus in prœlio fusi. 790. C.
Montesilice, aliisque Castris spoliantur. 791. A.
Ad Vicentiam à Cane Scaligero debellati. 801. A.
Eorum urbs ab ipso obsessa. 810. A.
Pacem cum eo Patavini statuunt. 813. B.
Rursus obsidione per eum afflicti. 816. A.
Se Friderico Austriaco tradunt. 818. D.
Furtivè in eorum Civitatem Scaliger ingressum tentat. 821. D.
Pacem iterum componunt cum Scaligero. 826. C.
Sub Duce Carinthiæ. 829. C.
A quo illuduntur. 832. A.
Afflicti à Civibus proscriptis, & à Cane Scaligero. 841. D.
Atque à Teutonicis ibi dominantibus. 843. A.
Cani Scaligero traduntur. 846. D.
A Mastino & Alberto Scaligeris angariis vexantur. 869. A.
A Venetorum exercitu urbs obsessa. 874. B.
Erepta Scaligeris traditur Marsilio Carrariensi. 881. D.
Varia ejus Urbis fortuna. 888. C.
Ibi restituta sacra. 894. D.
Magnificè exceptus Comes Analdi. 911. D.
Jacobum Carrariensem Dominum eligunt. 916. B.
Patricius Episcopus Aemoniensis. 101. E.
Pauli primi Eremitæ sancti ossa Venetias delata. 34. B.
Paulus Episcopus Aquilejæ Schisma alit. 91. B.
Paulus Altinas Episcopus sedem suam Torcellum transfert. 116. A.
Paulus Abbas S. Georgii Venetiis. 342. E.
Paulutius primus Dux Venetiarum. 127. A.
Pacta cum Liutprando Rege init. 130. C.
Pelagii Papæ Epistolæ. 90. B. 91. A. & D. 99. D.
Peregrinus Aquilejensis Patriarcha. 320. A.
Perusini, ad eos literæ Michaëlis Mauroceni Ducis Venetiarum. 470. A.
Pestilentia teterrima Regnum Apuliæ affligit. 592. C.
Europam vastat. 746. B.
Parmam vexat. 750. D. 751. B.
Rursus Italiam exhaurit. 926. C. 927. A.
Grassatur Patavii. 971.
Et Pisis. 973. A.
Petrarcha donatus laurea corona Romæ. 540. B.
Egregii hujus Poëtæ mors. 984. A.
Petrus Comes Autisiodorensis Constantinopolis Imperator. 338. D. 340. A.
Petrus II. Aragonum Rex fœderatus cum Venetis. 421. A.
Genuenses prœlio maritimo profligat. 422. B. 425. E.
Petrus Dalmatiæ Rex. 259. A.
Petrus Rex Cypri fœderatus cum Venetis. 444. B.
Petrus Tribunus Dux Venetiarum. 192. E.
Petrus Trandonico Dux Venetiarum. 174. D.
Contra Sclavos classem ducit. 175. A.
Cum Lothario I. Augusto pacta renovat. 176. A.
Privilegium à Ludovico II. Augusto impetrat. 180. C.
A conjuratis interfectus. 181. C.
Petrus Candianus Dux Venetiarum. 191. E.
Privilegia à Guidone Augusto impetrat. 193. C.
Clugiensibus privilegium concedit. 195. D.
Hungaros fugat. 197. C.
Ejus mali mores, & mors. 198. A.
Petrus Candiano II. Venetiarum Dux. 201. C.
Comaclum captum flammis donat. 202. A.
Petrus Candiano III. Venetiarum Dux. 203. E.
A filio vexatur. 205. C.
Petrus Candiano IV. Dux Venetiarum contra patrem insurgit. 205. C.
Ei in Ducatu succedit. 206. A.
Privilegia ab Ottone M. impetrat. 208. D.
Walderadam sororem Hugonis Marchionis ducit. 209. D.
A populo in seditione interfectus. 211. B.
Petrus Baduario Venetiarum Dux. 203. C.
Petrus Ursiolo contra Petrum Candiano Venetiarum Ducem conspirat. 211. C.
Dux ipse renuntiatur. 212. A.
Ejus acta egregia. Ibid. B.
Fœdera cum Justinopolitanis confirmat. 213. A.
Ducatui & Seculo renuntiat. 214. A.
Ejus acta pia. 215. A.
Naturæ debitum solvit. 217. B.
Petrus Urseolo II. Dux Venetiarum. 223. A.
Gradensem Urbem restaurat. 225. A.
Ab Ottone III. immunitates consequitur. 223. C. 225. D.

Va-

Varia ejus gesta. 227. C.
Dux, primus Dalmatiæ Dux. 230. D.
Nova privilegia ab Ottone III. Augusto impetrat. *Ibid*. D.
Item ab Henrico I. 232. E.
Contra Saracenos classem ducit. 233. A.
Reliqua ejus gesta, & obitus. 235. A.
Petrus *Ziano Venetiarum Dux*. 333. E.
Cretensem Insulam recipit. 335. C.
Immunitates ab Ottone IV. impetrat. 336. E.
Constantiam Tancredi Siciliæ Regis filiam uxorem ducit. 338. B.
Petrus *Barbolano, sive Centranico, Dux Venetiarum*. 239. B.
Dejicitur. *Ibid*. E.
Petrus *Polano Dux Venetorum*. 275. A.
A Lothario II. Augusto confirmationem pactorum impetrat. 278. C.
Ejus filii Comites. 28?. D.
Rogerii Siculi classem debellat. 282. E.
Ejus mors. 283. A. & 503. A.
Petrus *Gradonico Venetiarum Dux*. 401. A.
Patavinos reprimit. 402. A.
Ejus bella adversùs Græcos. 403. D.
Tum contra Genuenses. 404. A. & *seq*.
Bajamontis Teupoli conjurationem disjicit. 410. B. 777. E.
Petri *Gradonico Venetiarum Ducis Epistolæ variæ*. 483. C. & *seqq*.
Petrus *Patriarcha Aquilejensis*. 128. C.
Petrus *Archiepiscopus Spalatinus*. 229. C.
Petrus *Patriarcha Gradensis*. 185. B.
Petrus *Badoario Patriarcha Gradensis*. 251. B. 253. B. 259. B.
Petrus *Episcopus Olivolensis, seu Venetus*. 202. D.
Petrus *II. Episcopus Olivolensis, seu Venetus*. 206. B. & D.
Petrus *Spino Episcopus Castellanus, seu Venetus*. 349. C.
Petrus *Episcopus Equilinus*. 181. E. 185. E.
Petrus *Altinas Episcopus*. 82. C. 101. D. 104. B.
Petrus Polensis *Episcopus*. 134. A.
Petrus *Comes Pratæ Episcopus Patavinus*. 959. C.
Petri *Martyris corpus Mediolanum translatum*. 1035. B.
Petrus *Tempesta frater Roberti Regis in prœlio cadit*. 789. E. 793. A. 795. E.
Petrus *Rubeus Capitaneus Johannis Regis Bohemiæ*. 859. C.
Lucam tradit Mastino Scaligero. 867. D. 869. B.
Contra eum insurgit. 870. A.
Florentinis adhæret. 872. C.
Capitaneus exercitus Veneti. 873. A.
Ejus gesta adversus Scaligeros. 875. A. & *seq*.
Quibus Patavium eripit. 881. A.
In obsidione Montissilicis cadit. 884. B.
Petrus *Zenus Capitaneus Venetorum contra Turcas ab ejs cæsus*. 914. A.
Petrus *de Corbaria Antipapa*. 531. A. 1000. C.
Traditur vinctus Johanni XXII. Papæ. 1002. E.
Ejus mors. 1159. A.
Philippi *Regis Franciæ expeditio in Orientem*. 313 C. 314. D.
Philippi *Pulchri Francorum Regis obitus*. 796. E.
Philippi *Francorum Regis bellum contra Eduardum Anglorum Regem*. 921. A. 1032. C.
Philippi *Valesii inglorius in Italiam adventus cum copiis contra Vicecomites*. 1114. E. & *seq*.
Philipponus *Comes de Langusco Princeps Papiensis*. 1095. D. 1097. B. 1104. B. & C.
Mediolanum captus deducitur. 1109. B. 1111. D.
Philippus *Friderici I. filius in Orientali expeditione*. 314. A. 315. E.
Electus Imperator. 319. B. 321. B.
Philippus *Princeps Tarentinus*. 553. B. 558. A.
Ad nuptias Reginæ Johannæ inhiat. 562. D.
Ejus discordia cum Ludovico fratre suo. 564. A. 579. B. 583. E.
Philippus *Coloniensis Archiepiscopus*. 501. B. 502. D.
Philippus *de Alanconio Patriarcha Aquilejensis, quæ bella gesserit*. 473. B. 986. C. 987. A.
Philippus *Casiolo Castellanus, seu Venetus Episcopus*. 310. B.
Philippus *de Gonzaga dominus Regis*. 913. B.
Philippus *Misbanus Calabriæ Dux pro Ludovico Hungariæ Rege*. 590. E. 591. C. 651. C.
Pisani *à Venetis profligati*. 256. C.
Inter eos æmulatio & discordia iterum accenditur. 281. A. 317. B. 319. E.
Cardinales in mari capiunt. 352. D.
Venetis infesti. 357. D.
Inter eos & Genuenses discordiæ. 359. C.
Cum Venetis contra Genuenses fœdus ineunt. 365. B.
Pisani *Florentinos in prœlio frangunt*. 732. E. 743. D.
Luca potiuntur. 744. B.
Eorum seditio contra Carolum IV. 750. B.
Suum Capitaneum constituunt Ugutionem de Fagiola. 792. B.
Exercitum Florentinorum prosternunt. 795. C.
Ugutionem expellunt. 797. B.
Lucam obsident. 906. D.
Atque ad deditionem cogunt. 907. A.
Eorum seditio contra Carolum IV. Augustum. 946. B.
Bello impetiti à Florentinis. 973. A.
Pippinus *Italiæ Rex bellum Venetis indicit*. 155. E.
Victus recedere cogitur. 158. B.
Placentia *in ditionem Azonis Vicecomitis venit*. 1016. D.
Sub Galeatio Vicecomite. 1113. A. 1119. A.
Ei erepta à Vergiusio de Lando. 1121. A.
Polenses *à Venetis deficientes eorum iram & vim experiuntur*. 353. C.
Polentani *Ravennæ Domini, eorum fraterna bella*. 921. E
Popo *Aquilejensis* Patriarcha *Gradensem Ecclesiam sibi subjicere conatur*. 237. E.
Ea Civitate potitur. 238. B.
Venetis infestus. 239. B.
Rursus Gradensem Ecclesiam vexat. 242. C.
Prædicatorum *Ordo obsistit Johannis Papæ opinionibus*. 1006. B.
Primogenius *Patriarcha Gradensis*. 113. B.
Ejus acta. 114. A.
Ad eum Epistola Theodori Papæ. 116. E.
Probinus *Episcopus Aquilejæ*. 95. D.
Proculus *Episcopus Veronensis*. 41. A.
Prosdocimus *primus Episcopus Patavii*. 19. C.
Ejus Vita. 24. A.

Ra-

R

*R*Agusini Venetorum classe victi se iis iterum dedunt. 294. B.
Rambaldus Comes Collalti. 783. E.
De Tarvisii dominatione Guezilum de Camino dejicit. 785. A. 867. A.
Raphainus Caresinus continuator Chronici Andreæ Danduli. 2. 417. A. 467. B.
Ratchis Dux Forojuliensis. 137. C.
Rex Langobardorum creatus Monasticam vitam amplectitur. 139. C.
Ravenna à Langobardis capta. 134. E.
Ravennatum fœdus cum Venetis. 369. D.
Ravitia Rusca Cumarum dominus, quæ egerit cum Johanne Bohemiæ Rege. 1161. B. & seq.
Rauracius Episcopus Tridentinus. 104. C.
Raynaldus I. Marchio Estensis dominus Ferrariæ. 815. C. 839. A.
Fractus in prœlio à Carolo filio Regis Bohemiæ. 856. D.
Ejus victoria de exercitu Legati Apostolici. 858. A
Mutinam obsidet. 862. A.
Ad plures abit. 868. C.
Raynaldus II. Marchio Estensis. 938. B.
Raymundus de Cardona fractus à Galeatio Vicecomite. 733. E.
Alexandria potitur. 734. E.
Debellatus à Marco Vicecomite. 735. A. 1116. A.
Contra Vicecomites copias ducit. 1131. C.
Mediolanum obsidet. 1132. D.
In prœlio captus à Vicecomitibus. 1135. D.
A Galeatio Vicecomite callidè dimittitur. 1140. A.
Exercitus Florentini Dux constituitur. 1144. E.
In prœlio ab Azone Vicecomite iterum capitur. 1145. A.
Raymundus Guilielmi Comitis Pictaviensis filius, Antiochiæ Princeps. 274. A.
Raymundus de Baucio adversatur Palatino Altamuræ. 551. E.
Generalis Capitaneus Vallis Beneventanæ. 555. D.
Ludovico Hungariæ Regi fidelitatis juramentum præstat. 585. E.
Ejus præstantia in prœlio, & captivitas. 650. B.
Raynerius Zeno Venetiarum Dux. 361. D.
Contra Eccelinum subsidia mittit. 364. C.
Fœdus cum Manfredo Siculo init. 365. C.
Inducias cum Græcorum Imperatore statuit. 373. B.
Contra eum popularis seditio. 374. B.
Ejus epistolæ. 504. E. 506. B. 508. A. & seq.
Raynerius dominus Montis-Politiani, & Episcopus Clusinus. 532. E.
Raynerius de Forlivio egregius Legum doctor. 913. A.
Redusius (Andreas) de Quero Auctor Chronici MSti edendi. 760.
Regium sub Johanne Rege Bohemiæ. 855. D.
Ibi Vicarii constituti Domini de Fojano. 859. C.
Bello impetitum à Mastino Scaligero. 862. A.
Gonzagis traditur. 867. C.
Riccardi Regis Angliæ expeditio in Orientem. 313. B. & C. 316. B. 317. D.
Rizardus de Camino dominatur Tarvisii. 780. E.
A sicario interemtus. 783. A.
Robertus Imperator Constantinopolis. 343. D.
Romam pergit. 344. D.
Robertus Apuliæ Rex Siciliam invadit. 539. D. 542. A.
Johannam neptem jungit cum Andrea Hungari Regis filio. 549. B.
Nuptias celebrat. 550. C.
Diem postremum claudit. 553. B.
Robertus Rex Apuliæ, ejus acta contra Henricum VII. Augustum. 1104. D.
Copias in Lombardiam mittit. 1109. A.
Ejus exercitus in Tuscia fractus ab Ugutione Fagiolano. 1111. D.
Contra Vicecomites bella gerit. 1113. C.
Genuam profectus eam tuetur. Ibid. E.
Robertus Guiscardi Dux Apuliæ. 244. D. & E.
Apuliam occupat. 245. D. & E.
Fidelitatem jurat Papæ. 246. A.
Dyrachium obsidet. 248. D.
Alexium Græcorum Imperatorem fugat. 249. B.
Et Henricum III. Augustum. 250. C.
Tum Venetorum classem. 251. A.
Naturæ debitum solvit. 252. C.
Robertus frater Ducis Duratii Ludovicum Hungariæ Regem adit. 580. D.
Captivus in Hungariam ducitur. 583. E.
Robertus de S. Severino contra Palatinum de Altamura militat. 551. E. 552. C.
Generalis Capitaneus Bari. 555. D.
Regem Hungariæ Ludovicum adit. 585. D.
Robertus de S. Severino contra Hungaros militat. 610. A. 618. D. 629. B.
Gravinensi Terra potitur. 633. C.
Tum aliis Terris. 637. A.
In obsidione Trani vulneratus. 639. E. 650. E. 679. B.
Rodulphus Italiæ Rex Berengarium Augustum vincit. 200. A.
Rodulphus Austriacus Rom. Rex 385. A.
Exarchatum Ravennæ Nicolao III. Papæ dimittit. 394. C.
Rodulphus Dux Austriæ Tirolum occupat. 972. A. 977. E.
In Italiam descendit. 979. B.
Mediolani æger decumbit. 981. A.
Rogerius Siciliæ Comes creatus Rex. 273. A.
Fugatur à Lothario II. Augusto. 277. C.
Corcyra potitur. 282. C.
Alia ejus gesta. Ibid. E.
Multa loca in Africa sibi subjicit. 283. C. 311. E.
Rogerius de S. Severino Archiep. Barensis Protonotarius Regni Apuliæ. 555. D.
Ludovico Hungariæ Regi carus. 585. C.
Rogerius Lidensis Episcopus. 276. C.
Rogeronus Comes Claromontis. 590. E.
Rogeronus Tricarici Comes. 609. C. & seq. 639. A.
Captus in prœlio. 650. E. 679. B.
Rolandus Rubeus Vicarius Parmæ. 859. C.
Veneti exercitus Dux. 884. D.
Ejus acta varia. 886. D. & seq.
Romæ acta sub Henrico VII. Augusto. 1104. E. & seq.
Ibi idem coronatur. 1106. A.
Romani Senatorem instituunt. 281. C.
Alexandrum III. Papam honorificè excipiunt. 307. C.

Eorum studia pro Ludovico Bavaro. 529. C.
Apud eos discordiam alunt Columnenses & Ursini. 533. D.
Ludus taurorum sanguinolentus ab iis peractus. 535. A.
Contra Turcas militant. 537. C.
Corona laurea Petrarcham exornant. 540. B.
Romanus Græcorum Imperator. 196. D.
Dejectus cum filiis. 199. C.
Romualdus Sanctus Abbas Camaldulensium institutor. 215. D. & seq.
Rubei Parmenses è patria pulsi. 729. C.
Quam recipiunt. 730. A. & seq.
Eorum gesta varia. 732. A.
Gibertum Corrigiensem expellunt. 733. A.
Parmæ dominationem arripiunt. 734. B.
Legatum Apostolicum Parma abire cogunt. 736. A.
Marsilii Rubei gesta. 737. A. & seq.
Burgum S.Domnini tradunt Azoni Vicecomiti. 740. D.
Petrus Rubeus Veneti exercitus dux. 741. A. 752. B. & E.
Rubi Civitas prædæ data. 636. B.
Rufini Aquilejensis Clerici Vita & Libri. 63.B.

S

SAbbæ Sancti Eremitæ ossa Venetias translata. 85. A.
Sabionensis Ecclesia olim Patriarchæ Aquilejensi, postea Salisburgensi Archiepiscopo subjecta. 106. B.
Saladini Turcarum Regis res gestæ. 300. B.
Totum sibi subjicit Orientem. 312. C.
Ejus obitus. 317. E.
Salernitani se dedunt Ludovico Hungariæ Regi. 709. E.
Salomon Rex Hungariæ. 241. A. 244. A.
Sancia Regina uxor Roberti Apuliæ Regis. 549. B. 551. A. 553. C.
Monasticam vitam amplectitur. 554. B.
Sancti Severini Terra dono data Stephano Vayvodæ. 712 D.
Saracenorum gesta in Italia. 186. A. & seq.
Venetos & Anconitanos affligunt. 175. C.
Adriaticum & Romam infestant. 177. B. 181. B.
Debellati à Johanne X. Papa. 199. B.
Genuam depopulantur. 201. E.
Eorum origo. 114. D.
Illorum immanis exercitus à Christianis Hispanis debellatus. 1036. A.
Saxius (Joseph Antonius) Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus V. Cl. 760.
Illius Epistola de Danduli Chronico. 3.
Altera de Gualvanei Flammæ Opusculo. 993.
Altera de Chronico Bonincontri Morigiæ. 1056.
Scafati Abbas quomodo se gesserit cum Hungaris. 712. E. & seq.
Scaligerorum Principum potentia. 869. B.
Contra eos Veneti, Florentini, aliique Principes conjurant. 871. A. 877. B.
Schinella Comes Tarvisii. 501. B.
Scholarum Processio Venetiis. 180. B. 503. A.
Sclavi adhuc Infideles, sive Gentiles. 172. D.
Piraticam agunt. 175. A. 177. D.
Eorum Reges. 227. A.
Ad Fidem Christi conversi. 182. E. 183. B.
Sebastianus Ziano Venetorum Nuntius ad Græcum Augustum. 293. A.
Dux Venetiarum eligitur. 297. A.
Pacem statuit cum Friderico I. Augusto. 299. C.
Alexandrum III. Papam Venetiis excipit. 301. C.
Quæ ab eo Privilegia acceperit. 302. A. 303. A.
Pacem inter Alexandrum III. Papam, & Fridericum I. Augustum statuit. 303. D. 307. A. 308. A.
Severus Patriarcha Aquilejensis, sive Gradensis. 104. A. 107. E.
Diem claudit extremum. 108. B.
Secundus Episcopus Aquilejensis. 74. C.
Senator Episcopus Torcellanus. 185. D.
Sergius Dux in partibus Senogalliæ, Monasterii Brentalis fundator. 150. A.
Serenus Patriarcha Aquilejensis, ad eum Epistola Gregorii II. Papæ. 132. B. & D.
Servulus Martyr apud Tergestum. 37. C.
Severus Episcopus Tergestinus. 102. A. 104. A.
Sicardus Comes Justinopolitanus. 213. A.
Sigismundus Hungariæ Rex. 476. A. & D.
Silvester II. Papa falsò creditus Magus. 231. C.
Simeon Rex Bulgarorum. 198. C.
Simon Advocatus Vercellensium primus. 1096. E. 1097. E. 1108 A.
Simon Boccanigra primus Genuensium Dux. 1032 B.
Solatius Episcopus Veronensis. 102. A.
Solimanus Sultanus Turchiæ. 247. D.
Spalatum totius Dalmatiæ Metropolis. 229. B.
Ereptum Venetis ab Hungaris. 264. C.
Stephani Protomartyris corpus translatum Venetias. 68. C. 262. D.
Stephani III. Papæ Epistola ad Johannem Patriarcham Gradensem. 144. B.
Stephanus II. Rex Hungariæ. 287. C. 368. E. 369. A.
Dalmatiam Venetis eripit. 292. A.
Stephanus Raxiæ & Serviæ Princeps Regio titulo donatur. 340. C.
Stephanus Sanctus Hungarorum Rex. 233. C. 235. C.
Stephanus II. Patriarcha Gradensis. 121. B.
Stephanus Episcopus Aquilejensis. 84. B.
Stephanus Vayvoda Transilvaniæ carus Ludovico Hungariæ Regi. 583. A.
Ei dono data bona Ducis Duratii. 586. A.
In Apuliæ Regnum regreditur. 598. B.
Multa recipit. 601. E.
Deceptus ab hostibus. 615. E.
Victor versùs Neapolim progreditur. 645. C.
Ad prœlium à Ludovico Tarentino invitatur. 647. B.
Ejus exercitum frangit. 650. C. 678. C. 681. A. 699. B. 712. D.
Stephanus Matthæi Vicecomitis filius. Ticino potitur. 1111. B. 1113. A. 1118. E.
Repentinus illius obitus. 1150. E.
Suethopolis Rex Dalmatiæ Christi fidem amplectitur. 182. E.
Summæ Terra ab Hungaris capta. 714. D.
Surrentini Ludovico Hungariæ Regi obsistunt, 714. A.
Sybilla Regina Hierusalem. 310. A. & D.

T

Tartarorum origo & gesta. 354. A.
Tarvisini à Venetis fracti. 288. C.
Civitas erepta Alberico de Romano. 368. B.
Eis infestus Patriarcha Aquilejensis. 320. A.
Ludos celebrant. 338. D. 342. C. 426. B. 427. C.
Tarvisium Francisco Carrariensi Domino Patavii traditum. 468. B. 478. E. 515. C.
Ab Alberici de Romano tyrannide ereptum. 774. C.
Ibi dominatur Rizardus de Camino. 780. E.
Tum Guezilus ejus frater. 783. B.
Qui expellitur. 785. A.
Tarvisini fracti à Comite Goritiæ. 786. B. 808. B.
Eorum Civitas obsidione pressa. 814. D.
Friderico Austriaco Augusto se tradit. 815. B.
Seditionibus intestinis vexatur. 836. D.
Se tradit Cani Scaligero. 850. C.
Pleraque ejus agri Castra à Scaligeris deficiunt. 877. A.
Civitas tradita Venetis in pace. 896. C. 898. B.
A Rege Hungariæ obsidione pressa. 948. A.
Varia ibi gesta. 949. A.
Sub Ducibus Austriæ. 986. B.
Sub Francisco Carrariensi. 987. A.
Tenedos Insula causa discordiarum inter Venetos & Genuenses. 443. D. 467. D. 470. C. 472. A.
Terdona Civitas capta à Marco Vicecomite. 1110. E.
Tergestinorum bellum cum Venetis. 400 D.
Eos multis damnis & opprobriis vexant. 401. E. & seq. 432. D. 433. A.
Terlicii Terra capta à Roberto Sanseverinate. 637. A.
Thadæus Pepulus Bononiæ Dominus. 539. D. 880. B. 1024. A.
Tharasii Martyris corpus Venetias translatum. 236. D.
Theobaldus Comes Trecensis. 320. B. 323. B.
Theodelinda Langobardorum Regina Modoetiam, atque ibi S. Johannis Baptistæ Basilicam ædificat. 1070 B.
Ad eam Reliquiæ missæ à Gregorio M. Papa. 1071. A.
Theodorus Vatacii filius Imperator Græcorum. 353. D.
Theodori viri militaris & Martyris ossa Venetias translata. 46. A.
Theodorus Episcopus Aquilejensis. 43. B.
Thomas Marchio Salutiarum. 1023. E.
Thomas Mauroceno Patriarcha Constantinopolitanus. 331. A.
Ragusium expugnat. 332. D.
Thomas Patriarcha Gradensis, postea Cardinalis. 440. A.
Thomas Archiep. Cantuariensis Martyr Christi. 299. E. 301. C.
Thomas Aurimundo Episcopus Castellanus, seu Venetus. 366. C.
Thomas Franco Episcopus Castellanus, seu Venetus. 369. A.
Tibaldus Bruxadus Guelficæ partis princeps Brixiæ. 1098. E.
Ejus prava consilia & cædes. 1103. A.
Ticinum ab Azone Vicecomite occupatum. 1007. B.
Ibi Regisolis statua. 1009. A.
Ticinenses sub Philippono Comite de Langusco. 1095. D. 1104. B.
Eorum motus contra Vicecomites. 1109. E.
Civitas à Stephano Vicecomite capta. 1111. B.
Torcellum Sedes Episcopalis constituitur. 116. A.
Torcellanæ Ecclesiæ Diploma concessum à Friderico I. Augusto. 499. D.
Terellus (Franciscus) Comes laudatus. 727.
Traguriensis Civitas Venetis paret. 229. A.
A Venetis recepta. 294. A 498. D.
Tranensis Civitatis obsidio. 639. A.
Tribunus Memmo Venetiarum Dux. 218. C.
Seditiosos reprimit. 220. B.
Ejus postrema dies. 222. A.
Tribunus Michaël Archiep. Ragusinus. 294. C. 314. B.
Turriani dominationem Mediolani recipiunt. 1095. A.
Inter eos odia teterrima. 1096. B.
E Mediolano fugantur. 1100. A.
Ticinum se recipiunt. 1109. C.
Illic à Matthæo Vicecomite profligati. 1111. B.
In Foro-Julii requiem inveniunt. 1113. B. 1131. C.
Tyri obsidio facta à Christianis. 270. D. 271 A.
Tyrpimirus Rex Croatorum. 227. A.

V

Valentinus Dux Venetiarum. 158. B.
Dejicitur. 160. A.
Valeranus frater Henrici VII. Augusti. 1101. C.
Ejus immatura mors. 1103. D.
Valerianus Episcopus Aquilejensis, sub eo floret Ecclesia Aquilejensis. 53. C.
Concilium celebrat. 57. D.
Ejus mors. 58. B.
Valerius Episcopus Torcellanus. 234. C.
Valterius Episcopus Tarvisinus creatus Castellanus, seu Venetus Episcopus. 363. E.
Varmundus Patriarcha Hierosolymitanus. 276. C.
Ubertus Cardinalis Genevensis copias in Italiam adducit. 984. C.
Antipapa creatur. 985. B.
Ubertus Pelavicinus Marchio Placentiæ & Cremonæ Dominus. 360. A.
Contra eum Legatus missus à Papa. 363. B.
Ab Eccelini fœdere discedit. 367. E.
Ubertinus de Carraria pro Patavinis contra Teutonicos insurgit. 874. D.
Contra Venetos militat. 878. C.
Patavini exercitus ductor contra Montemsilicem. 886. E.
Dominus Patavii renuntiatur. 888. B.
Montemsilicem obsidet. 850. B.
Quo potitur. 892. A. & D. 893. C.
Vicentiam adoritur. 895. A.
Pacem statuit cum Scaligeris. 896. B.
Egregia illius gesta. 902. D.
Ejus nuptiæ. 903. B.
Pacem init cum Mastino Scaligero. 910. A.
Magnificè excipit Comitem Analdi. 911. C.
Et sororem Regis Siciliæ. 912. E.
Postremum diem claudit. 915. A.
Veglensis Episcopus fidelis Venetis. 228. B.
Venerius Patriarcha Gradensis. 169. A. 170. B. 173. B.

Ve-

Venetæ Urbis fundatio & origo. 69. B. 76. C.
Ad Venetos Epistola Cassiodorii. 88. C.
Veneti Ravennam Langobardis eripiunt. 134. E.
Venetorum Familiæ antiquæ. 156. A.
Eorum bellum cum Pippino Italiæ Rege. 155. E. 158. B.
Venetias translatum Corpus Sancti Marci Evangelistæ. 170. C.
Contra Sclavos & Saracenos classe militant. 175. A. & C.
Intestinis discordiis laborant. 218. C. 219. D.
Croatos reprimunt. 226. B.
Ibi exceptus Otto III. Augustus. 231. A.
Et celebratum Concilium ab Urso Patriarcha Gradensi. 241. C.
Hæc urbs appellata maritima regio. 117. B.
Ab Italico Regno exclusa. 151. A. 155. A. 158. B.
Cives contra Robertum Guiscardum Apuliæ Ducem militant. 248. E.
Ab eo fugati. 249. B.
Crucem assumunt ad acquisitionem Terræ Sanctæ. 256. A.
Nicolai Myrensis Episcopi corpus deferunt Venetias. 257. A.
Plura in Oriente loca Turcis eripiunt. 258. A.
Apuliam vastant. 259. A.
Civitas à pluribus incendiis afflicta. 260. B.
Pro Alexio Græcorum Imperatore contra Boamundum classe militant. 261. D.
Patavinum exercitum fugant. 263. C.
Eis erepta ab Hungaris Dalmatia. 264. C.
Quam recipiunt. 266. C.
Classem ingentem ad Christianorum subsidium parant. 269. C.
Tyrum obsident & capiunt. 271. B.
Tum varias Insulas & Dalmatiam recipiunt. 272. A.
Fœdus statuunt cum Fanensibus. 279. C.
Patavinos profligant. 280. A.
Tum classem Rogerii Siculi. 282. E.
Polam, aliasque Urbes sibi adjungunt. 284. B.
Ulricum Patriarcham Aquilejensem, & Tarvisinos debellant. 288. B.
Dalmatiam sibi ab Hungaris ereptam recipiunt. 292. C.
A Manuele Græcorum Imperatore per proditionem afflicti. 293. B.
Adversus illum potenti classe insurgunt. 294. A.
Anconam frustra obsident. 299. B.
Fœdus cum Guilielmo II. Siciliæ Rege statuunt. 301. A.
Eorum Duci honores ab Alexandro III. Papa. 302. A. 303. A. 307. B.
Qui die Ascensionis mare desponsat. 308. A.
Alexandrum III. honorificè excipiunt. 301. C.
Classem Friderici I. Augusti frangunt. 303. A.
In subsidium Orientalium Christianorum classe valida accurrunt. 313. B.
Achon ad deditionem cogunt. 314. D.
Jadram recipiunt, ac vastant. 321. A.
Constantinopolim expugnant. 322. B.
Eorum pacta cum Francis. 323. B. 325. C. & seqq.
Quæ provinciæ, ac urbes Græcorum iis assignandæ. 328. B.
Cum Francis Constantinopoli potiuntur. 329. B.
Quæ ipsis attributa. 330. B.
Patriarcham Constantinopolitanum eligunt. 331. A.
Multas Insulas sibi subjiciunt. 334. D.
Cretensi bello vexati. 335. B. 336. B.
Genuensibus multa inferunt damna. 338. C.
Bellum Patavinis inferunt. 339. A.
Græcorum classem profligant. 349. C.
Irati contra Fridericum II. Augustum. 350. C.
Ferrariam Salinguerræ eripiunt. 351. E.
Jadram acri bello recipiunt. 355. A.
Patavio Eccelinum spoliant. 364. C. 770. A.
A Tyri possessione per Genuenses expulsi. 365. A.
Bello contra eos certant. 366. A.
Illosque in prœlio frangunt. 367. A.
Contra eos & Græcos bella gerunt. 370. B. 372. D. & seq.
Eorum bellum cum Bononiensibus. 380. C. & seq.
Jura in mari Adriaco tuentur. 387. B. 389 A.
Anconitanis bellum indicunt. 392. C. & seq.
Histrianis quoque. 395. C.
Justinopolim ad deditionem cogunt. 396. B. & C.
Tergestum obsident. 400. D.
Inter eos & Genuenses bellum. 401. C. 404. A. & seq.
Ab iis maritimo prœlio fracti. 408. B.
Pax inter eos restaurata. 409. A. 412. A.
Jadram recipiunt. 419. A.
Afflicti à peste. Ibid. C.
Eorum bella contra Genuenses. 420. B. & seq.
Quos prælio maritimo conterunt. 422. B.
At contra ab eis prosternuntur. 424. B.
Cretenses perduelles debellant. 428. E. & seq.
Tum Tergestinos. 433. A.
Deinde Franciscum Carrariensem Patavii Dominum. 434. C. & seq.
Victoriam de Hungaris referunt. 438. D.
Pax inter ipsos & Patavinos restaurata. 440. A. & seq.
Contra eos Hungari, Patavini, & Patriarcha Aquilejensis conjurant. 442. C.
Tum Genuenses. 443. D.
Fœderati cum Rege Cypri, & Bernabove Vicecomite. 444. B.
In prœlio maritimo contra Genuenses succumbunt. 446. B.
Clugia eis erepta. 447. B.
Alacriter ad eam recipiendam classe feruntur. 448. C.
Illamque tamdem recipiunt. 458. B.
Pax inter eos & Genuenses restituta. 465. A.
Triginta Familias Patricio honore donant. 466. D.
Forojuliensium bello se immiscent. 473. C. 475. A.
Cum Jo: Galeatio Vicecomite fœdus ineunt contra Carrariensem. 478. A.
Bello ipsum impetunt. 479. D.
Tarvisio potiuntur. 481. C.
Argos & Neapolis eorum ditioni adjunguntur. 482. C.
Scholarum Processio Venetiis. 503. A.
Mantuam tuentur. 515. C.
Genuenses prœlio maritimo frangunt. 517. C.
Bellum Francisco Carrariensi juniori inferunt. 518. B.
Patavio potiuntur. 521. A.
Jadram recipiunt. 522. C.
Nova eorum victoria de Genuensibus. 748. D.

Ferrariæ dominationem accipiunt, sed inde exturbantur. 777. C.
Bajamontis Theupoli conjuratio ab eis compressa. *Ibid*. D.
A Cane Scaligero contra Patavinos urgentur. 802. B.
Pacem inter eos procurant. 811. E. 817. D.
Bellum movent contra Beltrandum Patriarcham Aquilejæ. 865. A.
Tum contra Scaligeros. 871. B. *& seq.*
Quibus Patavium adimunt. 881. D.
Tarvisium eis dimissum à Scaligeris. 896. C. 8 8. B.
Cretensium rebellionem componunt. 908. B.
Contra Turcas bella gerunt. 914. A.
Jacobum Carrariensem Civitate donant. 919. A.
Jadram recipiunt. 920. A.
Istria ab eis deficit. 928. E.
Eorum bellum contra Genuenses. 935. D.
Quos maritimo prœlio frangunt. 936. D.
Tum ab ipsis profligantur. 937. B.
Pax inter eos restaurata. *Ibid*. D.
Contra Vicecomites fœdera ineunt. 940. E.
Bellum eis inlatum à Ludovico Hungariæ Rege. 948. A. *& seq.*
Pax inter eos stabilita. 952. C.
Bellum inferunt Francisco Carrariensi. 983. C.
Clodia eis erepta à Genuensibus. 983. C.
Pax inter eos, & fœderatos. 985. C.
Verona à Johanne Galeatio Vicecomite capta. 474. B.
A Francisco II. Carrariensi capta. 518. C.
In Venetorum ditionem venit. 520. B. 521. E.
Surrepta Cani II. Scaligero, & recepta. 939. C.
Veronensium pacta cum Venetis. 316. A.
Et bellum cum Patavinis sub Alberto I. Scaligero. 775. D.
Pax inter illos. 776. A.
Friderico Austriaco Augusto adhærent. 798. B.
Solemnis Curia Veronæ celebrata à Cane Scaligero. 848. B.
Vercellensium acta sub Henrico VII. Augusto. 1095. E. 1108. A.
Verzusius Landus Placentia potitur. 734. B. & D.
Ejus uxor à Galeatio Vicecomite expetita. 1119. A.
Ugerius Abbas Monasterii SS. Hilarii & Benedicti. 277. E.
Ugolini de Gonzaga Domini Mantuæ obitus. 973. E.
Ugolinus Rubeus Parmæ Episcopus. 734. D. 859. C.
Ugutionis Fagiolani victoria de Florentinis. 732. E. 789. E. 1111. C.
Montemcatinum obsidet. 792. C.
Florentinos frangit. 795. C.
A Pisanis expellitur. 797. B.
Potestas Vicentiæ. 802. C. 814. D. 853. A.
Vicecomites contra eos multi populi conjurant. 940. E.
Eorum gesta contra fœderatos. 941. A.
Victoriæ, & triumphi. 1021. A.
Vexillum quale. 1016. A.
Eorum laudes. 1031. B. 1042. D.
Vicentia Johanni Galeatio Vicecomiti deditionem facit. 474. C.
Tum Venetis. 518. D.
Vicentini illusi ab Eccelino de Romano. 771. E.
Se Patavinis dedunt. 775. D.
Cani Scaligero parent. 779. D.
Eorum bella cum Patavinis. 783. C. *& seqq.*
Eorum Civitas pæne ab iis capta. 788. D. 790. C. 799. C. *& seqq.*
Victor Patriarcha Gradensis. 178. D.
Victor II. Patriarcha Gradensis. 187. C.
Vigilius Episcopus Scaravensis. 102. A.
Vinciguerra Comes S. Bonifacii captus à Cane Scaligero. 790. C. 799. C. *& seqq.*
Vindemius Episcopus Cenetensis. 101. D. 104. A.
Virgilius Episcopus Patavinus. 101. D.
Vitalianus Patriarcha Gradensis. 141. B.
Vitalis Candiano Venetiarum Dux. 217. D.
Vitalis Phaledro Dux Venetiarum. 249. E.
Dux Dalmatiæ & Croatiæ. 250. A.
Privilegium ab eo Lauretanis concessum. 251. E.
Vitalis Michaël Dux Venetiarum. 256. A.
Monasterium condit. 258. D.
Fœdus cum Hungaris init. 259. A.
Vitalis Michaël II. Venetiarum Dux. 287. A.
Arbensibus Privilegia concedit. 289. C.
Contra Græcorum Imperatorem potenti classe navigat. 294. A.
In seditione perimitur. 296. B.
Vitalis Patriarcha Gradensis. 180. A.
Vitalis junior Patriarcha Gradensis. 194. E. 209. C.
Vitalis II. Patriarcha Gradensis. 210. B. 211. A.
Ad Imperatorem fugit. 212. D. 225. E. 227. D. 235. D.
Vitalis Michaël Castellanus, seu Venetus Episcopus. 265. B. 289. B. 502. D.
Vitalis Episcopus Torcellanus. 236. C. 240. B. 241. C.
Vitalis Episcopus Veglensis. 236. C.
Ulricus Patriarcha Aquilejensis. 288. B. 502. C.
Ulricus Generalis Regni Apuliæ Vicarius pro Ludovico Hungariæ Rege. 587. C. 589. B.
Urbanus II. Papa. 251. A.
Claramontanum Concilium celebrat. 255. B.
Urbanus III. Papa. 311. D. 312. D.
Urbanus IV. Papa. 369. A. 371. D. 506. B.
Urbanus V. Papa Romam à Venetorum classe perductus. 431. B.
Urbanus V. Papa, ejus electio. 985. A.
Ursinorum origo, & contentio cum Columnensibus. 533. A. & D.
Roberto Regi adhærent contra Henricum VII. Augustum. 1104. E. *& seq.*
Ursus Dux Venetiarum. 134. C.
Ad eum Epistola Gregorii II. Papæ. 135 A.
Ursus Particiacus Dux Venetiarum. 181. E.
Sclavos infestos reprimit. 182. C.
Saracenos ad Tarentum superat. 184. & 187. E.
Ejus filii & mors. 188. C.
Ursus Particiacus II. Dux Venetiarum. 198. B.
Privilegia à Rodulpho Italiæ Rege impetrat. 200. B.
Tum ab Hugone Italiæ Rege. 201. A.
Ejus virtutes & obitus. *Ibid*. B.
Ursus Urseolus Patriarcha Gradensis, & Dux Venetiarum. 240. A.
Ursus Episcopus Torcellanus. 234. C.

Patriarcha Gradensis eligitur. 236. C.
Dejicitur. 239. B.
Ursus Episcopus Olivolensis, sive Venetiarum. 168. A. 179. A. 204. B.
Walderada soror Hugonis Marchionis nupta Petro Candiano Venetiarum Duci. 209. D. 212. E. 215. A.
Wido Marchio Berengarii II. Italiæ Regis filius. 205. D.
Wintherius Marchio Istriæ. 202. B.

Z

Zeno Episcopus Veronensis Doctor egregius. 35. A.
Zenus (Apostolus) V. Cl. laudatus. 759.
Zutius de Vestarinis Dominus Civitatis Laudensis. 999.

F I N I S.

